


MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi.

Accedunt, prout in Editione Romanâ, eorum Pontificum Vitæ, quorum Bullæ hîc recens prodeunt; Appendices insuper suis quique locis assignati.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS UNDECIMUS,

Complectens Constitutiones à CLEMENTE X. & INNOCENTIO XI. editas.



Juxta Exemplar ROMÆ; Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ *editum*.

LUXEMBURGI,

Sumptibus PELLISSARI & Soc. Bibliopol. & Typograph.

MDCCXXXIX.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.



BIBLIOPOLÆ
AD LECTOREM.



OVAM frustrà conciliare gratiam niteremur luculento, quod hactenùs in lucem emisimus, MAGNI BULLARII operi. Altera ejus editio, à nobis non ita pridem suscepta, quam etiam accelerare cogimur, ut Virorum doctrinâ simul ac pietate inclytorum votis fiat satis, licet in priori fuissent typis excusa non mediocri numero exemplaria, demonstrat apertè, quanto studio, quâ humanitate, ab omnibus excepta sit nostra hæc opera.

Verùm, quia Romano placuit editori, nostram dicteriis elevare diligentiam, in suo ad benevolum, ait, Lectorem monito, nosque in hujus operis impressione, incuriæ ac negligentiæ perperàm insimulare, ut nimirùm effictâ, atque obductâ industriæ nostræ caligine, suos illustret labores; juvat, certissimum fidei atque curæ nostræ paucis hìc subjicere argumentum.

Quo circà Lectorem monemus, 1°. post accuratam quatuor priorum Bullarii nostri partium collationem cum Romano, videre esse, nihil eorum, quæ in isto continentur, fuisse omissum; sed multas potiùs in nostro reperiri Summorum Pontificum superiorum Constitutiones, de quibus in eo nulla fit mentio; prætermisso fine, cur de illis siluerit; quamvis certò sint authenticæ, ut potè quæ ex autographis excerptæ fuerunt instrumentis.

2°. Monemus pariter, in progressu partis quintæ, ceterarumque Bullarii nostri partium, *Editionem* ROMANAM *an.* 1733. & 1734. nos ad verbum esse consectaturos.

Sed quia Bullæ à CLEMENTE X. aliisque posterioribus Summis Pontificibus, ad BENEDICTUM PAPAM XIII. profectæ sexto Editionis nostræ Tomo ac sequentibus jam fuere insertæ, in hoc UNDECIMO, qui ad suum jam perductus est finem, eas duntaxat Constitutiones referemus, quæ hactenùs fuerant omissæ, ne inutili eorumdem repetitione nimiùm turgeant volumina, & sic fucum facere videamur. His jungentur Constitutiones omnes ab INNOCENTIO XI. promulgatæ.

Tomum Undecimum brevi excipiet *Decimus-secundus*, complectens Constitutiones omnes, à Summis Pontificibus ALEXANDRO VIII. INNOCENTIO XII. & CLEMENTE XI. emissas.

Tomus Decimus-tertius INNOCENTII XIII. & BENEDICTI XIII Bullas, Brevia aliaque Statuta complectetur.

Tomo tandem *Decimo-quarto* absolvetur præsens Opus, in quo ea omnia reperientur, quæ hactenùs gesta sunt sub Pontificatu CLEMENTIS XII. qui nunc Ecclesiæ regimini pari sapientiæ fulgore, ac pacis amore præest. Vale.


PRIVILEGIUM

SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.



AROLUS SEXTUS, Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtenbergæ; COMES Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis, quod cùm Nobis Noster Sacrique Imperii fidelis dilectus ANDREAS CHEVALIER *Typographus* LUXEMBURGENSIS, humillimè supplicârit, ut Privilegium Impressorium super BULLARIO MAGNO ROMANO NOVISSIMO A BEATO LEONE MAGNO USQUE AD PONTIFICEM NUNC REGNANTEM, *cum suis* SUPPLEMENTIS, *in Folio & Novem Tomis* sibi impertitum, ad alios Decem Annos extendere clementissimè dignaremur; Nos submissis pariter ac æquis ejus precibus annuendum censuerimus: Ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscumque rem Librariam seu negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supra nominatum BULLARIUM MAGNUM ROMANUM, sub hoc aliove titulo aut formâ per decem Annorum spatium ab hodierno die computandum intra Sacri Romani Imperii, & Regnorum Ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorsumve impressum apportare, citra præfati impetrantis, ejusdemque Hæredum ac Successorum voluntatem in scriptis obtentam, ausit vel præsumat; Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippè recusis, seu apportatis (quæ dictus ANDREAS CHEVALIER, sive propria auctoritate, sive Magistratûs illius loci auxilio, sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed & Decem Marcarum auri puri pœna Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublatâ, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro *Imperiali* Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum subditis, & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, cujuscumque statûs, gradûs, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim verò iis qui in Magistratu existentes vel suo vel Superiorum suorum loco jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur: Sed si quos contumaces compererint, constituta à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscumque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur Laxemburgi vigesima prima Maii anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo, Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo sexto, Hispanorum trigesimo quarto, Hungarici & Bohemici verò vigesimo septimo, &c.

CAROLUS.



UT JO. AD. COMES
DE METSCH.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.
J. J. HAYECK de Waldstätten.

Et memoratus CHEVALIER *suprascriptum Sac. Cæs. Majest. Privilegium ex integro concessit* PELLISSARI & SOCIIS, *ex conventione factâ inter eos Quarto Nonas Martii Anni* 1738.

INDEX

INDEX
RUBRICARUM CONSTITUTIONUM CLEMENTIS X.,

Quæ in hoc Tomo XI. continentur.

ANNO PRIMO.

ANNO SECUNDO.

ANNO TERTIO.

ANNO QUARTO.

ANNO QUINTO.

ANNO SEXTO.



INDEX
RUBRICARUM CONTITUTIONUM
INNOCENTII XI.

Quæ in hoc Tomo continentur.

ANNO PRIMO.

ANNO SECUNDO.

ANNO TERTIO.



INDEX
VOCABULORUM INITIALIUM OMNIUM CONSTITUTIONUM

Quæ in hoc Tomo XI. continentur.

CLEMENTIS X.,

INDEX

INDEX VOCABULORUM
INITIALIUM CONSTITUTIONUM
Quæ in hoc Tomo XI. continentur.
INNOCENTII XI.

Laude



BULLARIUM

BULLARIUM ROMANUM.

TOMUS UNDECIMUS,

SIVE

CONTINUATIONIS PARS QUINTA.

CLEMENS DECIMUS

PONTIFEX CCXLIII.

ANNO DOMINI MDCLXX.

CLEMENS DECIMUS, Romanus, Æmilius antea dictus, Laurentii de Alteriis filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Summus Pontifex pronunciatus die 29. Aprilis 1670. & die 11. Maji ejusdem anni coronatus: Creavit Cardinales 20. Obiit die 21. Julii 1676. Vacavit Sedes Mens. 1. dies 30. Anno 1670.

APPENDIX AD TOM. VI.

I. Bulla, sive Literæ Decretales Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, quam Clem. IX. Pont. Max. una cum B. Petro de Alcantara Sanctorum Catalogo adscripsit, à SS^mo Clemente X. expedita.

Nunc primum impressa.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.



ATIONI consonum, & justum reputamus, ut Romanorum gesta Pontificum, præsertim majorem Dei gloriam, & Sanctorum ejus laudes, & honorem concernentia, super quibus, eorum superveniente obitu, Literæ Apostolicæ confectæ non fuerunt, illa universis Christifidelibus pateant. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor noster pie attendens, quod singulari Divinitatis consilio factum erat, ut in illo potissimum tempore, quo pessimi Veteratores, & errorum Magistri apud multas gentes, ac præsertim in septentrione bellum Religiosis Familiis indixerant, irridentes Sanctissima vota quibus perfectionis studio ducti Christifideles se Divino famulatui consecrabant speciali cultu, floruissent in Sacris Ordinibus quam plurimi Sanctitate conspicui, qui cæteris exemplo prælucerent, & currerent in via Divinorum mandatorum, & consiliorum ad confundendam Lutheri, & sociorum insaniam, & carbones ignis super illorum capita congerendos; quoniam vero virginitatem præcipue contemnebant nequissimi hostes cœno voluptatum immersi, sponsus Divinus, qui pascitur inter lilia, excoluit Sacris in hortis pulcherrimos flores, quorum Cœlestis odor alios illicio suavissimo invitaret ad studium angelicæ hujus virtutis: Hinc præter Teresiam à Jesu, Rosam de Sancta Maria, aliasque plurimas nondum albo Sanctarum aut Beatarum adscriptas, exhibuit admirationi, & cultui populorum Sanctissimam Virginem Mariam Magdalenam de Pazzis, cujus ea fuit Cœlestium virtutum fragrantia, ut cælestem sponsum allexerit ad illam anulo subarrhandam: tanto autem divini amoris æstu in mediis virginitatis nivibus ardebat, ut prodigiosa, & propemodum inaudita sint argumenta beatissimi incendii, quæ præbuit in excessibus mentis, quibus frequentissime colloquebatur cum Deo. Illam igitur Sanctarum numero adscribere Divini Spiritus ductu decreverat, ad solatium, & exemplum infœlicis hujus seculi, cui singulare præsidium sperabat ab illa, quæ hoc ipsum sæculum virtutum suarum prodigiis illustraverat; & gratias humillimo obsequio persolvit omnipotenti Deo, qui sicut ineffabili providentia, nullis suis meritis, Ecclesiæ suæ ipsum præesse voluerat, ita reservare ei dignatus erat Sanctissimam hanc Sponsam suam supremo cultu exornandam, ut celeberrima Mariæ Magdalenæ Sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur.

Ad confundendam Lutheri, & Sociorum insaniam irridentium Religiosa Vota; plures sanctitate conspicui in SS. Ordinibus floruerunt.

Contra eosdem Virginitatem impugnantes plures Virgines exhibuit Deus admirationi, & cultui populorum.

Inter eas fuit S. Maria Magdalena de Pazzis.

Hæc prodigiosa, & inaudita argumenta Divini amoris præbuit.

Clemens IX. eam decrevit canonizare.

Gratias agit Deo hanc Canonizationem sibi fuisse reservatam.

Sanctissima hæc Virgo exorta in lucem est Florentiæ secunda Aprilis die anni millesimi quingentesimi sexagesimi sexti, ex Illustribus Parentibus Camillo de Pazzis, & Maria Bondelmontia. Catharinæ nomen inditum illi fuit, quod immutavit cum Sacræ Familiæ nomen dedit. Ab ipsis incunabulis signatum super illam visum fuit lumen vultus Divini, adeo ut ætatis præjudicium supergressa cælestibus rebus inhiaret, & quasi jam mundo nuncium remisisset, sericas vestes abhorreret, & integra die soluta in fletum fuerit, coacta Patris imperio nobile indumentum adhibere Domo egressura. Nedum illi rationis usus diluculum affulsisse per ætatem poterat, cum frangere

Nativitas S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ejusque Illustres Parentes.

A pueritia pompas abhorret.

Obiit die 25. Maii 1607. ætatis suæ 41.

ac deinde regressis omnibus e sacro Convivio, sanctissimum animum choris cœlestibus inserendum emisit die 25. Maii anno millesimo sexcentesimo septimo, ætatis suæ quadragesimo primo expleto.

Ad ejus feretrum ingens hominum multitudo.

Ad dexteram faciem invertit, quia sinister erat Juvenis profligatæ vitæ.

Consequenti die cum illatum Ecclesiæ fuisset Sacrum virginis corpus, vis hominum tanta confluxit illius vestes incidere studiossime, ut necesse fuerit occlusis postibus turbam aditu prohibere. Prodigiosum fuit, quod cum ad sinistram vergeret Magdalenæ facies, & feretrum nullo motu concuteretur, in dexteram invertit se, quia sinister illi aderat adolescens profligatæ vitæ, cujus aspectum nec exanimatum virginis corpus tolerare potuit.

Humili loco primò sepultum, post annum incorruptum corpus reperitur.

Translatum liquore adinstar Balsami manat, & incorruptum manet.

Humili primum loco sub Ara majori sepultum est virgineum corpus, quod ibidem per annum quievit incorruptum, quamvis loci humiditas vestes penitus absumpserit. Inde translatum manavit liquore suavissimo ad instar balsami, & variis languoribus saluberrimo, & in præsentia cujuslibet corruptionis expers suavissimo etiam odore fragrat.

Processus informativi auctoritate ordinaria.

S. Congreg. SS. Rituum 1624. concedit literas remissoriales.

Interim crescente fama illius sanctitatis, & miraculorum, editi sunt Processus informativi auctoritate Ordinaria; Cumque illos retulisset in Congregatione Sacrorum Rituum bo. me. Alexander Cardinalis Ursinus die decimo Februarii anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, eadem Congregatio concessit remissoriales literas, ad sumendas probationes in genere, & in specie, & Sacræ Rotæ Auditoribus de more committit discutiendam Causam.

Die 4. Aprilis 1626. censuit constare de validitate processuum compilatorum.

Die 24. dicti mensis asseruit constare de virtutibus.

Die 2. sequentis Maii sequentia miracula probat.

Die verò quarta Aprilis anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, post advectos ad Urbem processus Florentiæ compilatos, referente bo. me. Carolo Cardinali Pio, supradicta Congregatio censuit constare de illorum validitate; Deinde vigesima quarta ejusdem mensis die asseruit constare de virtutibus in gradu heroico, & demum secunda Maii consequentia miracula approbavit.

Liberatio ab ulcere.

Acerbissimis doloribus urgebatur soror Maria Catharina de Chellis ob ulcus, ex quo pars ossis putrefacti fuerat educta, sed fasciis à Magdalena obligata, illico a dolore, subinde ab ulcere liberata est.

Laborans attractione nervorum statim convaluit.

Omnimoda nervorum attractione laborans Soror Fides, & lecto hærens immobilis inter acerrimos cruciatus, accepta è Magdalenæ manibus Deiparæ Virginis imagine extemplo convaluit.

Signo Crucis Dæmonem ejicit.

Formato signo crucis super Catharinam de Spinis dire cruciatam à Dæmone, illico in fugam egit hostem.

Tabifica scabie infectis sanitatem reddit.

Sororibus Barbaræ Bassæ, & Mariæ Benignæ de Orlandinis tabifica scabie, & lepræ simillima infectis, purulenta earum ulcera lambendo, sanitatem reddidit.

Sensuũ motũ & integram salutem sinistri lateris reddit correptæ apoplexia.

Sensuum motum, & integram salutem restituit Sorori Paci de Columbinis sinistri lateris apoplexia correptæ.

Signo Crucis ter producto adimit ulcus, dolorem, & febrim.

Destituta jam erat à Medicis Cherubina Rabatta pessimo ulcere in capite infecta, & febri præterea, atque atrocissimis doloribus æstuans, cui tamen ulcus, dolorem, & febrim ademit, productum ter super illam à Maria Magdalena signum crucis, eademque Cherubina alio ulcere, & lethali febri confecta, jamque sacro munita oleo ferè cum morte luctabatur, cum attingens stramentum, in quo Magdalena decumbebat, saluti se restitutam extemplo sensit.

Attingens stramentum, in quo Magdalena decubuit ab alio ulcere, & lethali febre convaluit.

Lethali febre correpta sibi admovens flores Sacri Corpori appositos convaluit.

Post mortem verò (præter diutinum liquorem mire fragrantem, qui variis languoribus saluberrimus affluxit e tibiis corporis Sanctissimæ hujus Virginis integri, & incorrupti) Maria de Rovanis 16. jam mense lethali febri correpta, & omni salutis spe destituta, admovit sibi ad pectus fasciculum florum ob contactum Sacri Corporis salutarium, & statim in soporem facta est, & brevi expergefacta prosiliit è strato prorsus incolumis.

Ad tactum pulvili Magdalenæ laborans molestissima febri convaluit.

Magdalenæ tunicam super induens acerbissimis stomachi doloribus laborans ad sanitatem revocatur.

Per 2. menses febri æstuans producto signo Crucis cum velo Magdalenæ sanitatem recepit.

Eadem Maria quadriennio post febri molestissima, & variis morbi symptomatibus in vitæ discrimine constituta, ad tactum pulvilli, quo usa fuerat Magdalena, convaluit. Subinde febri, & acerbissimis stomachi doloribus laborans, & duos menses lecto affixa, statim atque Magdalenæ tunicam superinduit, ad sanitatem revocata est; quam etiam post annum recepit, cum duos itidem menses febri æstuasset, producto super illam signo crucis cum velo Mariæ Magdalenæ.

Affecta crudelissimo stomachi dolore, capitis cruciatu cum vertigine, & febri, particula vestis Magdalenæ stomacho admota liberatur.

Crudelissimo stomachi dolore, & capitis cruciatu cum vertigine, & febri Catharina de Tassis vitæ marginem attigerat, sed admota stomacho particula vestis Magdalenæ, repentino somno correpta, atque evigilans omni se dolore, & ægritudine exemptam reperit.

Sexeñi dolorum vi ferè extincta admotis corporis Magdalenæ vestibus convaluit.

Item febri, & doloribus tabescens superindutus Magdalenæ velo.

Magdalena de Rondonis sexenni dolorum tormento propemodum extincta, omni certè humani remedii spe destituta, admotis corpori Magdalenæ vestibus, voto vix nuncupato convaluit: sicut etiam Petrus de Allis Romanus febri, & doloribus contabescens superinduto Magdalenæ velo extemplo convaluit.

Processus authoritate Apostolica compilati.

Urban. VIII. 8. Maii 1626. S. D. titulo Beatæ insignivit.

Die 22. sequẽtis Aug. ordini Carmelit. indulsit illius Officium, & Missam.

Die 15. Jan. 1628. d. Indultum extendit ad totam ditionem Florentinam.

Cum autem jam ab illius obitu celeberrima esse cœpisset Mariæ Magdalenæ Sanctitas, & veneratio populorum, ac ipsius intercessione patrata miracula viam illius clarificationi aperirent; formati sunt processus authoritate Apostolica, quibus examinatis fel. rec. Urbanus VIII. Prædecessor noster, tunc suus annuens repetitis precibus dilecti filii nostri, tunc sui nobilis viri Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ Magni Ducis, ac dilectarum in Christo filiarum monialium dicti Monasterii S. Mariæ Angelorum, die 8. Maii 1626. hanc Dei servam Beatæ titulo insignivit, ac die 22. Augusti universo Carmelitarum ordini indulsit, ut illius officium, & Missam recitaret; die verò 15. Januarii 1628. hujusmodi indultum extendit ad universam ditionem Florentinam.

Die 1. Aprilis 1662. d. Sacra Congr. censuit constare de casu excepto.

Die 10. Sept. 1668. decrevit constare de quinque miraculis post indultam Beatificationem.

Post novissima autem Decreta ejusdem Urbani prædecessoris, die 1. Aprilis anno 1662. eadem Congregatio censuit constare de casu excepto, nempe de cultu Beatæ exhibito authoritate Apostolica; die 10. Septembris 1668. cum declaratum jam antea fuisset constare de validitate aliorum processuum super his, quæ beatificationi successerunt, decrevit constare de quinque miraculis post indultam Beatæ venerationem consecutis.

Perseverantia incorruptionis corporis cum mirabili flexibilitate.

Perseveravit enim corporis incorruptio cum mirabili flexibilitate quarumdam partium, in quibus caro tactu pressa cedit, & post ad pristinum redit: In manibus, & brachiis cernuntur venæ: Capilli adhuc suo fulvo rutilant colore; candorem servat caro in artubus, qui vestibus teguntur; quæ, & pium inflammant affectum, & sanctæ devotionis stimulos accendunt.

Continuatio suavissimi Odoris.

Longè suavior emanavit año 1663. dum exaratus fuit processus pro Canonizatione.

Continuavit etiam suavissimi odoris ex singulis membris, sed præcipue, & acutius ex stomacho fragrantia, tam mira suaveolentia, ut ei nec liquorum, nec florum, aut aromatum odores comparari queant: adeo ut plurium medicorum assertione, & testimonio constet non nisi divinitus prodire ex illo virgineo corpusculo talem fragrantiam, quæ adhuc longe suavius emanavit cum anno Domini 1663. pro solemni canonizatione exaratus fuit processus.

In solemni Beatificatione, & octava Vas à quo

Solemni præterea ritu celebrantes beatificationem illius Moniales cœnobii S. M. Angelorum (in quo ejus Sacrum corpus requiescit) divina virtute factum est, ut vas in quo oleum asservabatur, invenerint (postquam plurimum ex eo hauserant) plenum, & successive auferendo, merito hujus Elianæ Virginis (adinstar sui Patriarchæ) per integram illius celebritatis octa-

vam

oleum hauriebant numquam fuit imminutum.

vam non imminutum fuisse, quod exacta per quisitione in Congregationibus discussum, inter præcipua Cæli de hujus Virginis beatitudine testimonia numeratum fuit, & hoc eo magis, quod ejusdem olei usu plura alia mirabilia Dominus ad suæ Sponsæ glorificationem operari dignatus est.

Usu d. Olei Dominus plura mirabilia patravit.

Inter ea priori non absimile fuit, quod anno 1654. deficiente in mense Augusto oleo (cujus penuria tunc Monasterium illud laborabat) præfecta cellarii, Soror Charitas dicta, interno afflata instinctu, sumens parum olei jam ante per annos cælitus multiplicati, una cum altera ex monialibus Sorore Obedientia nomine, orans, & applicata hujus Beatæ Imagine, obtinuerunt ejus intercessione tantum illius augmentum, ut qualibet hebdomada haustis pluribus mensuris, pro Ecclesiæ, & Monasterii usibus usque ad festum Nativitatis Domini sufficeret, nec imminutus est lecythus usque ad novam in Decembri oleitatem, quo quidem oleo ita multiplicato plura mirabilia patrata fuere.

Parum d. Olei in lecyto Monasterii oleum multiplicat usque ad novam oleitatem.

Magdalena Angela Govina monialis in cœnobio Murattarum Florentiæ, cum per biennium in oculo dextro morbo guttæ serenæ vexata fuisset, ita ut jam ferè omnem videndi vim amiserit; & in lævo etiam notabilem diminutionem ejusdem potentiæ experiretur, cum pluribus adhibitis curationibus adhuc magis visus ille immineretur, desperans de omni humano remedio, Beatæ Mariæ Magdalenæ invocato nomine ejusque velum sibi transmissum retinens, statuensque firmiter se in posterum, (obtenta restitutionis visus gratia) jejunaturam in pane, & aqua, in ejus pervigilio, & curaturam Missæ celebrationem, cum argenteæ Imaginis appensione ad ejus sepulchrum; cum tota nocte acerbis doloribus cruciata fuisset, & paulisper quievisset, expergefacta, se utriusque oculi visivam virtutem recuperasse, intercessione ejusdem Virginis experta est, quod expedita lectione (ad quam ante omnino impotens erat) Abbatissa ipsius comprobavit, & debitis Deo persolutis gratibus, ejusdemque Beatæ applicato velo visum magis corroborari sensit, quod divina virtute, supra naturæ vires operante, actum fuisse Medici agnoscentes testati sunt.

Morbo guttæ serenæ vexata in oculo dextero, & in lævo parũ videns, velum Beatæ retinens, utriusque oculi perfectum visum recuperavit.

His, & aliis supra enarratis ejus sanctitatis coruscantibus signis, quam in cælis adeo acceptam divinæ majestati patronam humana infirmitas experiebatur, accedentibus insuper charissimi in Christo filii nostri, tunc sui Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & charissimarum in Christo filiarum Augustæ illius conjugis, necnon christianissimæ Galliarum Reginæ, ac dilecti filii nostri, tunc sui nobilis viri Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ magni Ducis, & dilectæ in Christo filiæ Victoriæ de Rovere magnæ Ducissæ Hetruriæ, & aliorum catholicorum Principum fere omnium, & universi Carmelitarum ordinis, & monialium S. Mariæ Angelorum precibus, quibus id a dicto Clemente prædecessore summa cum instantia expetebant: auditis insuper ven. Fratrum nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium, quibus id muneris commissum fuerat, votis, & unanimi consensu, relataque in secreto consistorio per ven. fratrem nostrum, tunc suum, Martium Episcopum Portuensem, & Sanctæ Ruffinæ Cardinalem Ginettum totius summa processus, annuentibus, & approbantibus, aliis tunc præsentibus Cardinalibus, indicta fuere ab eodem Clemente prædecessore nostro consueta jejunia, eleemosynæ, & preces, ut in tanti ponderis negocio divinæ voluntatis beneplacitum clarius innotesceret. Postmodum in semipublico consistorio accersitis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis (de quorum numero tunc eramus) præsentibusque Sedis Apostolicæ Notariis, & causarum Palatii

Leopoldus Imperator, aliique supremi Principes, & totus Ordo Carmelitarum instant pro Canonizatione.

Clemens IX. jejunia, eleemosynas, & preces ad hunc effectum indicit.

Apostolici Auditoribus, peractis omnibus, quæ ad hanc Sacrosanctam functionem ex Sanctorum patrum authoritate, Sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, novorumque decretorum præscripto requirebantur, Dominica die, quæ erat quarto Kalendas Maii Pontificatus sui anno secundo, in celeberrimo Principis Apostolorum Templo, solemni Ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maxima populi frequentia mane convenientibus; post repetitas trinas pro canonizationis decreto petitiones nomine ejusdem Leopoldi Regis in Imperatorem electi, per dilectum filium Jacobum tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem Rospigliosum nuncupatum; post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, Spiritus Sancti gratia ritè implorata, ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, ad Catholicæ fidei exaltationem, Christianæque Religionis incrementum, authoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua, maturaque deliberatione præhabita, divinoque sæpius implorato præsidio, de eorumdem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium Consilio, Beatam Mariam Magdalenam Sanctam esse decrevit, diffinivit, ac Sanctorum in numerum reposuit, statuens ut ab universali Ecclesia quolibet anno memoria ejus inter Sanctas Virgines die 25. Maii recoleretur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

4. Kal. Maii anno 2. ejus Pontificatus, eam Sanctorum catalogo adscripsit in Templo Principis Apostolorum.

Statuitur Sanctæ festũ quolibet anno die 25. Maii.

His absolutis Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ visibilium omnium, & invisibilium, ac D. nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & Sanctum Paraclitum Spiritum, necnon unum Deum, unumque Dominum laudibus, precibus, & confessionibus, idem Clemens prædecessor pie veneratus, sacroque Hymno, *Te Deum* omni cum solemnitate decantato, peculiari in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ oratione precatus est, atque in primario ejusdem Templi Altari Missam celebravit cum ejusdem Sanctæ Commemoratione, omnibus, & singulis Christifidelibus tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit.

In primario ejusdē Templi Altari Missam celebrat cum ejusdem Sanctæ commemoratione. Omnibus Christifidelibus tunc præsentibus indulgentiã plenariam concedit.

Summo igitur rerum opifici, qui sua ineffabili providentia hanc Ancillam suam Christianæ reipublicæ speciali sanctitatis dono decorare dignatus est, quæ, quasi rutilans lucerna super aureum candelabrum posita, undique, suæ sanctitatis radios diffundit, innumeras dictus Clemens prædecessor persolvebat gratias, eamdemque deprecabatur, ut ejusdem pia apud Deum intercessione, ipsum, ac Christianum populum in suo sancto servitio confortare, & conservare, ac ab omnibus periculis liberare dignaretur.

Ejusdem Pontificis gratiarum actio.

Ne autem de decreto, diffinitione, repositione, adscriptione, statuto, concessione, aliisque præmissis, pro eo quod ipsius Clementis prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari: volumus, & apostolica authoritate decernimus, quod decretum, diffinitio, repositio, adscriptio, statutum, concessio, aliaque præmissa a dicta die, quarto Kal. Maii suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis prædecessoris literæ sub data ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene decretum, diffinitionem, adscriptionem, repositionem, statutum, concessionem, aliaque præmissa ubique, sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Decreti confirmatio.

Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ut opus esset deferri,

Fides transumptorum.

Deputatis, qui sexto anno post ultimum Conventum Generalem, a singulis Europæ Provinciis mittuntur, ipsum cogendum esse pluribus suffragiis decreverint.

Qui interesse, & suffragium habere debeant in Conventu Generali.

§. 14. Ob quamcumque vero causam celebretur, intererunt ei, & jus suffragiis habebunt Superior Generalis (nisi forte de ipsius depositione ageretur) sive Vicarius itidem Generalis, Assistentes Visitatores, seu eorum loco Vice-Visitatores, Congregationis tam Secretarius, quam Procurator, & duo Sacerdotes ex singulis Provinciis quos legitime à Conventibus Provincialibus pluribus suffragiis electos esse constabit: si tamen Conventus habeatur pro eligendo Superiore Generali, prædicti Secretarius, & Procurator Congregationis intererunt ei tantum post peractam dicti Superioris Generalis electionem, nisi alio titulo ei interesse debeant.

Qui habeant Jus proponendi in Conventu Generali.

§. 15. Non proponentur Conventui Generali nisi eà, quæ, vel Superior Generalis proponere voluerit, vel proponenda censuerint ad plura suffragia, ipse scilicet Superior Generalis, duo ejusdem Assistentes, & quatuor de numero Congregatorum ad plura suffragia electi.

Electio Superioris Generalis fiat per secreta suffragia. Si post quinque scrutinia electio facta non sit, hæc defertur ad quinque Cōmissarios, & quomodo sint eligendi.

§. 16. Proceditur per suffragia secreta ad electionem Superioris Generalis, quæ mediam Partem necessario excedent, ut valide electus habeatur; quod si post quinque scrutinia electio facta non fuerit, totum illud negotium, si duæ saltem tertiæ partes electorum in id consenserint, referendum erit ad quinque compromissarios; Deinde vero si opus fuerit etiam ad plures, modo omnes sint de Congregatis, & numero impares. Prædicti autem compromissarii eligendi erunt ad plura media parte suffragia secreta, & ipsi quoque Superiorem Generalem eligent ad plura similiter medietate suffragia itidem secreta, ex iis tamen, qui saltem quatuor suffragia in ultimo scrutinio habuerint. Porro tam compromissarii, quam cæteri electores antequam suum suffragium dent pro eligendo Superiore Generali juramentum præstabunt de digniore eligendo, nec eligere poterunt nisi unum ex numero Sacerdotum, qui duodecim ut minimum annis completis post emissa Vota in Congregatione vixerint.

Compromissarii, & Electores jurent digniorem eligere, quique 12. ann. in Congregatione vixerit saltem post emissa Vota.

Pœnam excommunicationis latæ sententiæ incurrat, qui quomodolibet electionis libertatē impediat, aut perturbet. Item qui aliquem ad sui electionem sollicitaverit. Item qui ad ambientis inductionem pro illius electione aliquem sollicitaverit.

§. 17. Ut in re tanti momenti omnis ambitus tollatur occasio, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurret quivis ex nostris, qui ab obitu Superioris Generalis cum aliquo externo egerit eo fine, ut sive sui, sive alterius promotionem ad Generalatum, aut ab eo alterius exclusionem procuret, vel quocumque modo electionis libertatem impediat, aut perturbet. Item qui aliquem ex nostris ad suam ipsius electionem ambitiosè sollicitando Generalatum affectarit, vel qui ad ambientis inductionem pro ejusdem electione quempiam ex nostris sollicitaverit.

Ad effectum legitimæ electionis tantum, omnes congregatos absolvat a censuris, & pœnis Vicarius Generalis. Hic absolvetur ut supra ab antiquissimo Congregatorum.

§. 18. Immediate vero ante electionem Vicarius Generalis Congregatos absolvet in quantum opus fuerit, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & à quibusvis aliis sententiis, censuris, & pœnis ad effectum legitimæ electionis dumtaxat, statimque ipse Vicarius idem absolutionis beneficium, & ad eumdem effectum a Congregatorum antiquissimo ratione receptionis in Congregationem percipiet.

§. 19. Post legitimam promulgationem electionis Superioris Generalis factæ, vel ab omnibus Electoribus, vel a Compromissariis ut supra omnes acquiescere tenebuntur, nec ulli fas erit suffragium suum revocare, aut novam electionem tentare, aut contra ejusmodi electionem quocumque prætextu protestare.

Si interim, vel statim dissoluto Cōventu Generali, contingat obitus Superioris Generalis, aut Admonitoris, vel alicujus ex Assistentibus quomodo providendum.

§. 20. Quandocunque tandem habeatur Conventus Generalis, si contingat eo quavis de causa indicto, vel jam coacto, vel statim post ipsum dissolutum Superiorem Generalem, vel aliquem ex ejus Assistentibus, vel ipsius admonitorem è vivis decedere, vel si accidat Superiorem Generalem in eo statu esse, qui Vicarium exigat: in iis casibus electi a singulis Provinciis pro Conventu Generali jus habebunt absque nova convocatione, vel deputatione Conventuum Provincialium eligendi novum Superiorem Generalem, vel Vicarium, vel Assistentem, vel Admonitorem. Idem jus habebunt pro sola electione Superioris Generalis, etiam post aliquorum discessum, si facile, & intra breve tempus revocari possint.

Congregatio Prælatorum censuit has Constitutiones posse confirmari.

§. 21. Constitutiones revisas, ac emendatas, & ad formam redactas, ut supra, Congregatio Prælatorum deputata censuit, posse confirmari cum illarum insertione, si Sanctissimo placuerit. Et facta relatione S. Sanctitas annuit. Die 25. Augusti 1669.

S. Ugolinus Patriarcha Constantinopolitanus.
F. Archiepiscopus Florentinus.
C. M. Archiepiscopus Athen.
C. Episcopus Amerinen.
P. Fagnanus.
P. Philippus de Rubeis.

Preces Superioris Generalis, & aliorum Sacerdotum Congregationis Missionis.

§. 22. Cum autem pcut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes easdem Constitutiones, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos memoratam Congregationem in suo laudabili instituto confovere, dictosque exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis porrectis inclinati, omnes, & singulas Constitutiones præinsertas authoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio Apostolica.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes easdem Constitutiones præinsertas, ac præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 24. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis etiam eidem Congregationi, ejusque Superiori Generali, presbyteris, & aliis personis quibuslibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 25. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate

constitutæ

constitutæ munitis, eadem prorsus fides ipsis adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edita 2. Junii 1670.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium Mensis Junii par. 2. fol. 483.

III.
Edita An. D. 1670.
Nunc primũ impressa.

Confirmatio Prioris Generalis, & Decretum de Assistentibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo mandat suspendi usque ad aliud futurum Capitulum Generale.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque clementiæ abundantiam constituti, ad ea, quæ Religiosorum virorum cœtibus in Ecclesia Dei pie, sanctèque institutis, uberesque bonorum operum fructus, illo, à quo bona cuncta procedunt, donante, atque adjuvante, proferre jugiter satagentibus, ut ab æris alieni pondere subleventur, ac recte, salubriterque in via mandatorum Domini dirigantur, conducibilia fore speramus, libenter intendimus, & Pastoralis Officii nostri partes propensa charitate desuper interponimus, sicut rerum, temporum, & personarum qualitate mature perpensa, salubriter in Domino arbitramur.

Causa hujus Confirmationis.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo ære alieno viginti duorum millium scutorum monetæ, ex causa expensarum occasione Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis factarum, ad interesse, seu interusurium captorum oneratus reperiatur; Si vero dilectus filius Matthæus Orlandi Prior Generalis dicti Ordinis, qui eidem Ordini summa fide, prudentia, & integritate hactenus præfuit, in suo Generalatus Officio ad aliud sexennium confirmaretur, & expensæ capituli generalis dicti Ordinis, quod pro novi Prioris Generalis electione, post lapsum de præsenti currens Generalatus dicti Matthæi sexennium, celebrari deberet, nempe pro accessu, & recessu, ac cibariis vocalium, aliorumque Fratrum ad capitula generalia venire solitorum, per Provincias Ordinis prædicti faciendæ, quæ ad summam duodecim millium scutorum similium, & forsan amplius ascenderent, in extinctionem dicti æris alieni erogarentur, inde non modicum dictus Ordo levamentum acciperet, & fœlici illius regimini peropportune consuleretur: cumque (sicut nobis insinuatum fuit) quatuor Assistentes ejusdem Ordinis; non ita pridem introducti, Ordinem ipsum annua septingentorum scutorum dictæ monetæ impensæ, quæ pro eorum sustentatione fit, gravent, nec ita necessarii videantur, quin illis Ordo ipse sine prosperi gubernii detrimento carere possit.

§. 2. Hinc est quod nos fœlici prosperoque Ordinis prædicti regimini, & gubernio, illiusque levamento quantum cum Domino possumus, providere cupientes, ac de spectata memorati Matthæi Prioris Generalis fide, prudentia, doctrina, integritate, charitate, vigilantia, rerum usu, & Religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit; ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eumdem Matthæum Priorem Generalem in suo Generalatus Ordinis hujusmodi Officio ad sex annos à fine sexennii, ad quod in capitulo generali ejusdem Ordinis novissime celebrato in Priorem Generalem electus fuit, computandos, tenore præsentium confirmamus, eique Generalatus officium hujusmodi ad dictos sex annos, ut præfertur, computandos, cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis prorogamus, ac extendimus, & ampliamus.

Confirmat Priorem Generalem ad aliud Sexennium.

§. 3. Volentes, & motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus decernentes, ut expensæ, quæ pro dicti capituli generalis celebratione per Provincias dicti Ordinis faciendæ essent, ut præfertur, in extinctionem supradicti æris alieni omnino applicentur, & erogentur.

Expensas pro dicti Capituli Generalis celebratione faciendas mandat erogari in extinctionem æris alieni.

§. 4. Præterea Decretum de Assistentibus præfatis alias editum, harum serie suspendimus usque ad capitulum generale Ordinis prædicti, post absolutos a dicto Matthæo Priore Generali sex annos ei, sicut præmittitur, à nobis prorogatos, celebrandum, in quo examinari volumus, utrum expediat Religioni, ut aboleatur in totum, & Ordo prædictus ad formam gubernii a Constitutionibus præscripti restituatur. Interim vero memoratus Matthæus Prior Generalis Ordinem hujusmodi gubernet juxta præscriptum earumdem Constitutionum. Pecuniæ autem, quæ pro sustentatione dictorum Assistentium impendendæ forent, in solutione fructuum censuum ex causa expensarum occasione canonizationis prædictæ factarum, canonicè impositorum, convertantur, & erogentur. Volumus tamen, ut illi duo Fratres, qui actu assistunt dicto Matthæo Priori Generali, remaneant ejus socii usque ad terminationem primi sexennii, juxta Constitutiones ejusdem Ordinis.

Decretum Assistentium suspendit usque ad Capitulum generale, & in eo mandat examinari.

Expensæ pro illorum sustentatione erogentur in dimissionem fructuum Censuum.

Duo Assistentes interim remaneant Socii Prioris Generalis.

§. 5. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, & singulis dicti Ordinis Superioribus Fratribus, & personis, cæterisque ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut prædictum Matthæum Priorem Generalem in suo Generalatus Officio, ejusque libero exercitio per sex annos ei per præsentes prorogatos, juxta eorumdem tenorem præsentium continuare sinant, & permittant, eique faveant, & assistant, ac salubria ejus monita humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tulerit, seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Præceptum S. Obedientiæ.

§. 6. Ac decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Matthæo Priori Generali plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illas alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effe-

Derogatio contrariorum.

ctum,

ctum, hac vice dumtaxat, consequendum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edita die 13. Junii 1670.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. Mensis Junii part. 2. fol. 227.

IV. Edita A. D. 1670.

Indultum concessum Clericis Cameræ Apostolicæ tam præsentibus, quam futuris gestandi Galeri redimiculum, *Cordone*, vulgariter nuncupatum coloris violacei in quibuscumque functionibus, & actibus publicis, & privatis.

Nunc primũ impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex supremus gratiarum dispensator in terris a Domino constitutus, illis quorum fidem, industriam, prudentiam, & dexteritatem in gravibus, & arduis Apostolicæ Sedis muneribus gerendis, multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit, per quæ eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius in munerum suorum functione perseverent.

§. 1. Itaque ad eximia dilectorum filiorum Clericorum Præsidentium Cameræ Apostolicæ in nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa condecorare volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, ex certa scientia, & mera liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Cameræ Apostolicæ Clericis Præsidentibus præsentibus, & futuris, ut ipsi omnes, & singuli galeri redimiculum, *Cordone* vulgariter nuncupatum, coloris violacei, in quibusvis functionibus, & actibus publicis, & privatis ubique deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indulget Clericis R. Cameræ deferre Galeri redimiculum coloris violacei.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. die 21. Junii 1670.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Junii 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Junii par 1. fol. 10.

V. Die 23. Junii 1670. An. 1.

Declaratiò, quod Vota in Congregatione Missionis post illius Apostolicam confirmationem emissa, & emittenda, ab aliis, quam a Summo Pontifice, & Superiore Generali ejusdem Congregationis in actu dimissionis ab eadem Congregatione licite, & valide dispensari, commutari, aut dissolvi non possint.

Nunc primũ edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster nonnulla dubia super statu Congregationis Missionis in Gallia inceptæ, ac olim a Sede Apostolica approbatæ, enata tollere volens, præfatam Congregationem Missionis, sicut præfertur, inceptam, & approbatam Apostolica authoritate confirmavit, & approbavit, cum emissione Votorum simplicium Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti Pauperum rusticanorum applicandi, post biennium probationis faciendæ; In quorum tamen votorum emissione nemo interesset, qui ea acceptaret, sive nomine Congregationis, sive pro tempore existentis Romani Pontificis nomine; Et vota sicut supra emissa dissolvere posset solus Romanus Pontifex, necnon, & Superior Generalis dictæ Congregationis in actu dimissionis e Congregatione; nemo autem alius etiam vigore cujuscumque Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, & Indulti, aut cujuscumque Constitutionis, sive concessionis, nisi in eis facta fuisset specialis mentio horum votorum sicut supra in dicta Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare posset, & valeret, & alias prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma brevis die 22. Septembris 1660. expeditis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Alexand. VII. Congregationem Missionis confirmavit prout in Rubrica.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Superior Generalis dictæ Congregationis Missionis nobis nuper exponi fecit, quod aliqui post hujusmodi vota in eadem Congregatione emissa ipsam Congregationem deseruerint, asserentes se dictorum votorum dispensationem, seu commutationem obtinuisse a quibusdam Confessariis vigore literarum Apostolicarum super Jubilæo emanatarum, ac prædictos Confessarios potuisse dispensare, seu commutare hujusmodi vota, quia in dictis literis conceditur facultas commutandi vota quæcumque, castitatis, & religionis exceptis, ac deinde in fine derogatur contrariis quibuscumque, & in specie statutis, & consuetudinibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, seu Institutorum Regularium, etiam confirmatione Apostolica roboratis, necnon Privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret.

Motivum hujus declarationis.

§. 2. Nobis propterea dictus Superior Generalis cupiens occurrere dictæ Congregationis præjudicio, & insimul consulere conscientiis eorum, qui tales dispensationes, seu commutationes obtinuissent, vel obtinere attentarent, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur ipsius Superioris Generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum

Preces Superioris Generalis.

serie

serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Consilio, quod vota prædicta in dicta Congregatione Missionis post illius confirmationem Apostolicam præfatam emissa, & emittenda ab aliis quam a pro tempore existente Romano Pontifice, & Superiore Generali ejusdem Congregationis in actu dimissionis, ab ipsa Congregatione licite, & valide non potuerint, nec possint dispensari, commutari, aut alias quomodolibet dissolvi vigore cujuscumque Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, Indulti, Constitutionis, sive concessionis non facientium expressam dictorum votorum mentionem, authoritate præfata tenore præsentium declaramus. (Declaratio.)

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Decretum irritans.)

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Alexander prædecessor in suis literis præfatis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. (Contrariorũ derogatio.)

§. 5. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis si forent exhibitæ, vel ostensæ. (Fides transumptorum.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno primo. (Edit. 23. Jun. 1670.)

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Junii part. 1. fol. 230.

VI. Edita An. D. 1670.

Licentia, ut Fratres Ordinis S. Francisci de observantia, etiam Presbyteri, medicinæ, & Chirurgiæ periti de suorum Superiorum licentia artes hujusmodi ad commodum, & utilitatem Christianorum in Terra Sancta existentium, possint exercere.

(Hactenus non impressa.)

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

(Exordium.) Cum, sicut dilectus filius Jacobus Quintana a Jesu Maria Frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, ac Terræ Sanctæ in Romana Curia Commissarius Generalis nobis nuper exponi fecit, in Civitate Sancta Hierusalem, totaque custodia Terræ Sanctæ dicti Ordinis, nullus adsit Medicus, vel Chirurgus Sæcularis, qui Infirmis & languidis in eorum infirmitatibus medeatur; Ibi vero esse soleant Fratres Ordinis præfati artium Medicinæ, & Chirurgiæ periti, qui medicam, chirurgicamque manum Christianis infirmis adhibere possent.

§. 1. Nobis propterea dictus Jacobus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Jacobi desideriis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratribus dicti Ordinis artium Medicinæ, & Chirurgiæ hujusmodi peritis, etiam in sacro Presbyteratus Ordine constitutis, in Terra Sancta prædicta nunc, & pro tempore commorantibus, ut de Superiorum suorum licentia artes Medicinæ, & Chirurgiæ prædictas juxta illarum præcepta ad commodum, & utilitatem Christianorum in eadem Terra Sancta nunc, & pro tempore existentium dumtaxat, gratis tamen, & sine ulla mercede, ac in casu necessitatis tantum exercere, ac medicamenta, & alia necessaria præbere, & adhibere libere, & licite, ac sine ullo conscientiæ scrupulo, vel irregularitatis, alteriusve pœnæ, vel censuræ Ecclesiasticæ incursu possint & valeant, authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. (Indulget, ut artem Medicinæ, & Chirurgiæ valeant exercere.) (Gratis sine ulla mercede, ac in casu necessitatis.)

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. (Derogat contrariis.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 7. Julii 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo. (Edita die 7. Julii 1670.)

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brev. Mensis Julii 1670. par. 1. fol. 484.

VII. Die 19. Julii 1670. An. 1.

Indultum concessum Generali, & Diffinitorio Congregationis Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti pro tempore existen., utendi facultate creandi Abbates titulares, eis per Constitutiones Ordinis attributa &c.

CLEMENS PAPA X.

(Nunc primũ edita.)

Ad futuram rei memoriam.

(Exordium.) Solicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, nos admonet, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, laudabilia eorum studia propositis præmiis excitare, atque fovere quantum nobis ex alto conceditur satagamus.

§. 1. Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum PP. VIII. prædecessorem nostram accepto, quod in Congregatione Monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti ex multiplici Abbatum titularium, seu Benemeritorum creatione, seu deputatione nonnulla inconvenientia, non sine monasticæ disciplinæ, & regularis observantiæ detrimento orirentur, idem Urbanus prædecessor his obviare volens, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione suis Generali, & aliis Abbatibus, Visitatoribus, Diffinitorio, & quibusvis aliis dictæ Congregationis superio-

Urban. VIII. prohibet Abbates Titulares in Congregatione Olivetana.

ribus quocumque nomine nuncupatis, ne de cætero Abbates titulares, seu Benemeritos in eadem Congregatione quovis prætextu, vel quæsito colore facere, creare, constituere, seu deputare auderent, vel præsumerent, sub privationis officiorum per eos obtentorum, ac vocis activæ, & passivæ eo ipso absque ulla declaratione incurren., & nullitatis pœnis interdixit, & prohibuit, & alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 26. Januarii 1627. expeditis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Card. Protectoris d. Congregationis.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius noster Cæsar S. R. E. Presbyter Cardinalis Facchinettus nuncupatus Congregationis præfatæ apud nos, & Sedem Apostolicam Protector nobis nuper exposuit, stricta illa Urbani prædecessoris prohibitio, quæ salubri quidem consilio, ad excludendam ambitiosorum importunitatem, cavendaque rei familiaris, atque regularis disciplinæ detrimenta, emanavit, id tamen adferat incommodi, ut præcisa penitus spe præmiorum, Monachos dictæ Congregationis ad subeundos in obsequium ipsius Congregationis labores, ac literarum, aliaque religiosa studia reddere possit segniores: nobis propterea dictus Cæsar Cardinalis, & Protector humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Cæsaris Card., & Protectoris desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, debitumque virtuti honorem, & præmium rependi cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Abbati Generali, & Diffinitorio Congregationis præfatæ, ut facultate creandi Abbates titulares eis per Constitutiones ejusdem Congregationis a Sede Apostolica confirmatas attributa uti liberè, & licite possint, ita tamen ut duos dumtaxat Abbates titulares pro qualibet ex sex Provinciis, quibus tota Congregatio præfata constat, creare, illisque defunctis, alios duos in eorum loca subrogare valeant, expectativas autem concedere, aut Abbates titulares supra numerum præfixum hujusmodi constituere nequeant, nec ad Abbatiam titularem hujusmodi, nisi eos, qui vel lecturam laudabiliter exercuerint, vel verbi Dei prædicatione celebres, aut propter operam rei œconomicæ perfunctam de Congregatione præfata notabiliter benemeriti sint, promovere possint, authoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indulget posse creari 12. Abbates Titulares tantum.

Prohibet expectationes.

Qualitates dictorum Abbatum creandorum.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 4. Non obstantibus præfatis Urbani prædecessoris literis, aliisque ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, ejusque Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 19. Julii 1670.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Julii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Julii par. 2. fol. 421.

VIII. Edita An. D. 1670.

Confirmatio Privilegii Leonis X. favore Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, ut invitis Monachis, seu Eremitis, in eorum Ecclesiis Episcopi Locorum Ordinarii divina celebrare non possint.

Quæ hactenus impressa non fuit.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Injuncta nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut paternam Religiosorum Virorum, eorum, præsertim, qui a sæculi turbis longe remoti, vota sua Altissimo mente quieta, & ad Deum per contemplationis sublimitatem, atque suavitatem elevata reddere satagunt, curam gerentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad confovendam religiosam eorum tranquillitatem pie, provideque concessa esse noscuntur, quo firmius, solidiusque perennent, Apostolici muniminis nostri præsidio constabiliamus.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, quod dudum fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor noster eidem Congregationi privilegium concessit, ut invitis ipsius Congregationis Monachis, seu Eremitis, in eorum Ecclesiis Episcopi Locorum Ordinarii divina celebrare non possent, ipsumque privilegium una cum cæteris ejusdem Congregationis privilegiis pluries a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & novissime a rec. mem. Clemente Papa IX. Motu proprio per quasdam suas die 19. Julii 1669. expeditas literas confirmatum fuit.

Causa Indulti.

§. 2. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, privilegium præfatum dictæ Congregationi ad conservandum in ea solitudinis, atque silentii spiritum maxime sit necessarium, attento, quod ejusmodi functiones Episcopales fieri non soleant sine erectione Baldacchini, ac populi affluentia: unde præfatorum Eremitarum inter silvas, & nemora, ut plurium degentium monastica tranquillitas perturbaretur, simulque orationis, atque contemplationis vigor relaxari posset: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegium supradictum memoratæ Congregationi Eremitarum Camaldulensium a præfato Leone concessum, ut præfertur, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmat prout in rub.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, &

fore,

fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, necnon dictæ Congregationi, ejusque Eremitis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. An. 1. die 6. August.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 6. Augusti 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria lib. Brev. Mensis Septembris fol. 304.

IX. Edita An. D. 1670.

Confirmatio quorumdam Decretorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium in Congregatione generali dicti Ordinis anno 1668. editorum, cum insertione eorumdem Decretorum.

Antea non impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Bernardinus à S. Elpidio Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in Congregatione generali d. Ordinis anno 1668. habita pro felici, prosperoque ejusdem Ordinis regimine, & gubernio edita fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decreta Congregationis Generalis Ordinis Minorum Conventualium a die 17. Maji convocatæ.

Varia Decreta Capituli Generalis.

GEnerale diffinitorium, præsidente Reverendiss. P. Magistro Andrea Bino ab Hispello ejusdem Ordinis Ministro Generali, conferentiis iteratis, quæ nocitura, quæve profutura Ordini pervestigans, infrascripta edidit Decreta SS. D. N. Papæ humiliter exhibenda, ut Apostolica auctoritate, Urbanisque Constitutionibus inserta, Fratres omnes ad intactam eorum observantiam tenacius adstringerent.

Ad Provinciales Ministros.

Quoad Ministros Provinciales.

§. 1. Ministros Provinciales in quibuscumque suarum Provinciarum Conventibus, etiam de mensa Rmi, ordinariam habere jurisdictionem tempore visitationis, & extra, posseque ordinationes ferre, & fratres omnes quocumque gradu polleant, ad earum observantiam compellere, dummodo in Conventibus ipsi Ministro Generali immediate subjectis, inconsulto Ministro generali, non ferant sententiam, sancitum est. Teneri insuper Guardianos, de mensa, Ministros Provinciales per eorum Conventus transeuntes omnibus charitatis officiis prosequi, & Conventuum expensis perbenigne tractare.

Ad Provinciales Titulares.

§. 2. Hujusmodi Provincialatus Titulares illis deinceps conferantur (habita Provinciarum discretione,) qui cunctis conditionibus in Urb. Constitutione expressis, decorati fuerint. Et ut talis collatio fiat dumtaxat à Diffinitorio generali in Capitulis, seu Congregationibus generalibus per schedulas, & secreta suffragia decernimus Quod si aliquem ex Titularibus infra triennium decedere, vel aliqua ex causa Officio privari contigerit, tunc Generalis Minister, adhibito Assistentium consilio, alium ejus loco sufficiat. Quoad Provinciales titulares.

Ad Guardianos, & locales superiores.

§. 3. Quicumque in superiorem localem seu Guardianum electus fuerit, & injunctum onus suscipere recusans, eidem renunciaverit, ad cætera Officia per triennium inhabilis esto, nullaque admittatur excusatio, nisi ex urgenti causa approbanda. Teneantur vero Guardiani omnes, advenarum fratrum obedientiales literas propriis oculis examinare, & itineris causam diligenter perscrutari. Si quem tamen deprehenderint sine legitimis suorum superiorum literis, carceribus mancipent, superioresque illos quamcitius admoneant. Si secus fecerint, officio suo priventur. Quoad Guardianos, & locales superiores.

Ad Regentes, & Lectores.

§. 4. Ut virtus decenti præmio irrigata, pulchrius, & amœnius revirescat, statuimus Gymnasia primæ classis, quæ ab Urban. Constitutione assignantur; nimirum Venetum, Panormitanum, Mediolanense, Ferrariense, Perusinum, Florentinum, Viennense, Januense, & Leopoliense haberi deinceps debere pro Collegiis, itaut Regentes, qui per novem continuos annos in aliis Gymnasiis tertiæ, secundæ, & primæ classis insudarunt, promoti postea ad prædictas Regentias, ad Collegia intelligantur assumpti, ut in posterum frequens Regentium numerus incœpto cursu non privetur, & illi, qui expressis sudoribus per tot annos defatigarunt, ad Bravium Paternitatis comprehendendum, faciliorem habeant accessum. Teneantur tamen singuli Regentes tractatum unum ad minus quolibet anno suis Auditoribus explanare, & complete finire. Insuper, & disputationes, & (ut ajunt) *circulos* tribus in hebdomada vicibus ad horam protrahendos habere. Quod si non fecerint, atque authenticam fidem a Guardiano Conventus subscriptam de completa lectura, habitisque disputationibus, non ostenderint, non posse eis sufficere ad Provinciæ Paternitatem, immo si maxima super hoc remissio deprehendatur, lectura etiam ipsa privandos esse statuimus. Quoad Regentes, & Lectores.

Ad Diffinitores perpetuos.

§. 5. Omnes perpetui Diffinitores, & Provinciarum Patres à Generali Ministro per patentes instituti, atque Provinciarum Diffinitoriis approbati, & recepti, suffragium ferant (ut in Urban. Constitutione præscribitur) in quibuscumque electionibus, seu Capituli, seu Congregationis, cum pro illis certus numerus præscribi non possit: quod alias attentatum plurimarum fuit causa perturbationum, & a laboribus pro Religione obeundis, multi etiam ex cordatis ani- Quoad Diffinitores perpetuos.

mos deflexerunt. Ideo statuitur, ut in futuro Capitulo generali revideantur Patentes, & requisita illorum, qui non adhuc convenerunt, in Diffinitorio, seu Congregatione, & solum admittantur illi in Diffinitorium, seu Congregationem ad votum ferendum, qui inventi fuerint cum debitis requisitis. Illegitimi autem talibus indecorati præscriptis, ab ingressu solum Diffinitorii excludantur, remanentes in primævo statu circa prærogativas, & præcedentiam, sicque in qualibet Provincia Catalogus fiat eorum Patrum, qui debent in Diffinitorio admitti. Cautum proinde est, ne deinceps ad tales Paternitates ob Conciones præstitas admittantur, nisi illi, qui per duodecim integros annos in primoribus nostri Ordinis Templis, videlicet Assisatensi, Romano, Palavino, Bononiensi, Veneto, Neapolitano, Panormitano, Mediolanensi, Florentino, Ferrariensi, Taurinensi, Cæsenaten., Ariminensi, Urbinaten., Asculano, Pisano, ac Senensi Conciones quadragesimales (non autem annuales) magna Populorum frequentia, & eruditione habuerint.

Ad Collegiales.

Quoad Collegiales.

§. 6. Collegia Religionis juxta formam, & methodum Urban. Constitutionis ad Pristinum reducantur, itaut quolibet triennio ex convocatis Baccalauris ad examen doctiores eligantur, & juxta numerum ab eisdem Constitutionibus præfixum certis Collegiis deputentur: elapso triennio iterum ad severius examen cuncti vocentur, qui si publicas theses egregie prius sustinuerint, ac in examine non vulgaris doctrinæ specimen dederint, doctorali Laurea a Generali Ministro donentur; illi vero, qui parum profecisse inventi fuerint per aliud triennium in eodem Collegio probentur, quod si provocati iterum ad examen, post secundi triennii periodum nullam spem profectus dederint, a Collegialium albo penitus proscribantur, tamquam simplices in posterum Baccalauri habendi. Vetitum tamen est, non posse Baccalauros non Sacerdotes, etiamsi fuerint multarum literarum, & probatæ doctrinæ ad Collegia concurrere, & multo minus ad illa admitti. Quia vero controversiæ circa præcedentiam inter Collegiales, & Magistros denuo laureatos exortæ, plurimarum fuere causa perturbationum, præsenti Decreto statuimus, præcedentiam semper debere attendi a die ingressus ad Collegia, itaut, qui in eodem anno ingressi sunt, inter eos præcedat, qui prius professionem emisit. Pari modo, qui per Breve Summi Pontificis laureati sunt locum cedere debent cunctis, qui eodem tempore erunt Collegiales adscripti, licet isti in fine triennii laureati fuerint.

Ad Concionatores.

Quoad Concionatores.

§. 7. Ad Concionatoris munus nemo deinceps promoveatur, qui prius in privatis claustris ingenii sui publica non ostenderit facinora, & ab examinatoribus deputatis per strictius, & severius examen de scientia, & moribus approbatus pariter non fuerit. Nec posse prædicationis officium exercere, quamvis à Generali Ministro patentes literas obtinuerit, nisi à suæ Provinciæ Diffinitorio acceptatus fuerit, præsenti Decreto statuimus.

Ad Patrum, & Fratrum Aggregationes.

Quoad Patrum, & Fratrum aggregationes.

§. 8. Cum adversus Urban. Constitutionem inoleverit abusus transferendi filiationes à Conventu in Conventum, firmissime decernimus, non licere deinceps nostri Ordinis Religiosis, quacumque fulgeant dignitate, renunciato proprio Conventu, ad alium se aggregare, sine expressa, & raro concedenda Ministri Generalis auctoritate.

Ad Novitios, eorumque Magistros.

Quoad Novitios, & eorum Magistros.

§. 9. Cum à Novitiorum recta selectione, & institutione totius ædificii spiritualis in Seraphica nostra Religione mittantur fundamenta, quæ si perperam jaciantur evidens ruina timenda est. Hinc Provincialibus Ministris demandatur, ut nonnisi eruditos, ac liberalibus aptos disciplinis, bonæque indolis, ac probati spiritus juvenes tyrocinio committant, quos inde solertibus Magistris instruendos in Regulari disciplina consignent. Illi autem Magistri instituantur, qui judicio, prudentia, & ingeniorum, & spirituum disquisitione, solertia valeant, qui concreditos ad regulam, & Constitutiones, maximæque mortificationis studium forment, cum ab hac una, totius Religionis spes omnium maxima, vitaque, ac interitus pendeat. Sint propterea Novitiorum Magistri (quantum fieri poterit) Seniores Provinciæ Religiosi, moribus graves, spiritu probati, pro quibus sublevandis (si opus fuerit) Vicemagister etiam instituatur, ejusdem spiritus, & indolis.

Quoad transitum Capucinorum, seu alterius Ordinis ad ipsos Conventuales.

§. 10. Hinc cum experientia longa probatum fuerit, alterius Ordinis Religiosos, & maxime Capucinos ad nostram admissos Religionem, varia experiri Fratrum judicia, cum diversi sint unius mores, & alterius, & propterea plurimæ sint obortæ rixæ, contentiones, & tepor spiritus, decernimus, firmiterque statuimus, neminem alterius Ordinis ad nostram admitti posse Religionem, nisi prius a generali Diffinitorio per secreta suffragia, & paria acceptatum.

Decretum S. Congregationis Episcop. & Regul.

§. 11. Sacra Congregatio Emorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Emi dicti Ordinis apud hanc Sanctam Sedem Protectoris, censuit, (si SSmo D. N. placuerit) posse per literas Apostolicas in forma Brevis eidem Emo Protectori committi, ut veris existentibus narratis, petitam suprascriptorum Decretorum confirmationem pro suo arbitrio, & prudentia oratoribus impartiatur.

Romæ 22. Novembris 1669.

M. Cardinalis Ginnettus.

Loco ✠ Sigilli.

Ratio petitæ confirmationis.

§. 12. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nonnulla ex Decretis quibusdam fel. rec. Alexandri Papæ VII. prædecessoris nostri literis adversentur, licet Ordinis præfati Constitutionibus sint conformia, cupiatque propterea dictus Joannes Bernardinus eadem Decreta Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri: Nos ipsius Joannis Bernardini Procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii nostri Giberti ejusdem S. R. E. Cardinalis Borromæi nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis considerarunt, consilio, eidem Giberto Cardinali, & Protectori per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, suprascripta decreta auctoritate nostra Apostolica pro suo arbitrio, & prudentia confirmet, & approbet, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjiciat, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si desuper quomodolibet intervenerint, eadem auctoritate suppleat: salva tamen semper in præmissis

Mandat Cardin. Protect. ut dd. Decreta authoritate Apostolica confirmet.

auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Derogat contrariis.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 30. Augusti. 1670.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Septembris par. 1. fol. 213.

X. Die 30. Sept. 1670. An. 1.

Erectio Custodiæ S. Petri de Alcantara Minorum Discalceatorum S. Francisci in Regno Neapolis.

Nunc primũ impressa.

Dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolitano Nuntio.

De reformatione fratrũ Conventualium, eorumque transitu ad aliam Religionem latam, vel strictiorem, vide Constit. 8., & Constitut. 32. Clem. IX.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Apostolicæ servitutis Officium, quod inscrutabilis sapientiæ, atque clementiæ Dei altitudo humilitati nostræ, meritis licet, & viribus longe impari, committere dignata est, exigit, ut paternam Religiosorum virorum divinis obsequiis sub suavi arctioris vitæ jugo mancipatorum, propriæque, & alienæ saluti laudabiliter incumbentium curam gerentes, cœtibus illorum stabiliendis, prosperoque, & fœlici eorum regimini, & gubernio peculiari charitate intendamus, ac Pastoralis muneris nostri partes desuper interponamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam Religionis incrementum, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Series facti.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Petrus de Aragonia Dux de Segorbe, & Cardona Regno Neapolis Prorex, quod alias fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor noster, Conventum S. Luciæ de Monte Neapolitano olim Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, Fratribus Discalceatis Hispanis Provinciæ S. Petri de Alcantara Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum pro eorum habitatione, adhoc ut missionibus ad spiritualem militum Hispanorum Neapoli degentium, prout eatenus fructuose fecerant, operam in postremo dare possent, concessit, ac Fratribus Conventualibus Reformatis qui in eodem Conventu reperiebantur, indulsit, ut inter Fratres Discalceatos hujusmodi incorporari possent, attento, quod reformationem eorumdem Fratrum Conventualium extinxerat, & id ipsum permisit quoque Fratribus Conventualibus Reformatis in aliis quatuor ejusdem instituti Conventibus in Regno prædicto consistentibus, nempe S. Mariæ gratiarum de Squinzano, S. Jacobi Licien., Sanctæ Catharinæ Graemi, & S. Joannis Baptistæ de Trippalta respective degentibus; qui Fratres vigore licentiæ hujusmodi institutum prædictorum Fratrum Discalceatorum amplexi sunt, memorato Conventu S. Luciæ dictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara Hispaniarum incorporato remanente: Et considerato per eumdem Clementem prædecessorem, quod dictus Conventus nec bene gubernari, nec sustentari poterat sine instituti sui detrimento, si solus remaneret; visum est ipsi Clementi prædecessori ex eodem S. Luciæ, & aliis quatuor Conventibus prædictis instituti Custodiam per Custodem Provincialem gubernandam, cum Minister Provincialis dictæ Provinciæ in Hispania residens, propter locorum distantiam Custodiæ hujusmodi curam gerere non posset. Verum suspensa fuit hujus intentionis dicti Clementis prædecessoris institutio, quia Fratres Minores Conventuales allegarunt Conventus prædictos ad se spectare, quippe qui eorum expensis pro Fratribus Reformatis eorum Ordinis ædificati fuissent, & hujusmodi allegationis prætextu, literas Apostolicas in simili forma Brevis expeditas obtinuerunt, ad hoc ut exclusis Fratribus Discalceatis, dicti Conventus eis consignarentur; sed hæ literæ executioni mandatæ non fuerunt, eo quod repertum fuit eosdem Conventus esse de jure patronatus fundatos ab incolis ipsorum Oppidorum, eorumque Dominis, qui ingressui dictorum Fratrum Conventualium, ac egressui memoratorum Fratrum Discalceatorum in eis tunc hodieque degentium minime consentiebant, & hujus Sanctæ Sedis determinationem super erectione Custodiæ hujusmodi expectandam esse censebant.

Preces Petri de Aragonia Regni Neapolis Proregis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Petrus Dux, & Prorex, S. Luciæ de Monte, & alios quatuor Conventus supradictos in novam Custodiam, quæ institutum, doctrinam, & cæremonias S. Petri de Alcantara servare debeat, ad Dei gloriam, ac tam Hispanorum, quam aliorum Regni prædicti incolarum spiritualem ædificationem, bonorumque operum incrementum a nobis erigi, & institui, ipsiusque novæ Custodiæ Custodem, & Diffinitores pro hac prima vice authoritate nostra deputari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Quinque Cõventus in Regno Neapolis Fr. Discalceatorum S. Petri de Alcantara mandat erigi in Custodiam prout in rubr.

§. 3. Nos igitur piis ejusdem Petri Ducis, & Proregis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & auditis illis quorum interest, prædictos quinque Conventus Fratrum Discalceatorum Provinciæ S. Petri de Alcantara Hispaniarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, videlicet S. Luciæ de Monte Neapolis, S. Mariæ gratiarum de Squinzano, S. Jacobi Licien., S. Catharinæ Grami, & S. Joannis Baptistæ de Trippalta, in novam Custodiam sub prænarrata Provincia S. Petri de Alcantara, quæ pro tempore existentis Commissarii generalis, vel Ministri generalis dicti Ordinis, quando ex familia Cismontána fuerit, quemadmodum in literis d. Clementis prædecessoris circa prædictum Conventum S. Luciæ de Monte in forma Brevis emanatis ordinatum reperitur, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni immediate subjaceat, Provinciam tamen S. Petri de Alcantara prædictam tanquam Matrem agnoscat, itaut reciproca suffragiorum pro defunctis utriusque illorum communicatio fiat juxta discretam distributionem pro numero personarum faciendam; ipsaque Custodia deinceps post hanc primam vicem per unum Custodem, & quatuor Diffinitores, ac Guardianos Conventuum

Post hanc primam vicẽ mandat regi

per unum Custodem, & quatuor Diffinitores, ac Guardianos regi prout in rubr.

ex corpore ejusdem Custodiæ, juxta Constitutiones, & stilum ordinis hujusmodi eligendos regi, & gubernari debeat, authoritate nostra Apostolica perpetuo erigas, & instituas; ac ejusdem Custodiæ sic erectæ, & institutæ Custodi pro tempore existenti, ut eamdem in suæ Custodiæ auctoritatem, & facultatem habeat, quæ per literas Apostolicas, aliis omnibus ejusdem Ordinis Custodibus ab hac S. Sede concessa reperitur; ipsa vero Custodia, ac illius superiores, & Fratres omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, gratiis, & indultis, quibus aliæ Custodiæ Ordinis hujusmodi, illarumque superiores, & Fratres ex concessione dictæ Sedis utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, dicta auctoritate concedas, & indulgeas.

Gaudeat omnibus privilegiis, & gratiis quibus gaudent aliæ Custodiæ ejusdem Ordinis.

§. 4. Præterea eidem novæ Custodiæ de idoneis Custode, & Diffinitoribus, qui illam, adjuvante Dño, salubriter dirigant pro hac prima vice providere cupientes, ac de infrascriptorum Ordinis prædicti professorum fide, prudentia, charitate, vigilantia, integritate, & Religionis zelo plurimum in Dño confisi, eidem discretioni tuæ harum serie committimus, pariter, & mandamus, ut dilectos filios Joannem de S. Bernardo in Custodem, ac Bartholomæum immaculatæ Conceptionis, alias de Pectorano, Andream Massiam, Carolum delle Piaghe, & Josephum de Robles Fratres discalceatos supradicti ordinis Sacerdotes expresse professos in Diffinitores novæ Custodiæ hujusmodi respective ad triennium tantum in officiis hujusmodi duraturos, cum omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, auctoritate, facultatibus, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis eadem authoritate deputes, atque constituas; ipsisque Custodi, & Diffinitoribus sic deputatis, Guardianos Conventuum dictæ Custodiæ capitulariter eligendi facultatem dicta authoritate impertiaris: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem tibi harum serie authoritate prædicta tribuimus, & impertimur.

Pro hac prima vice providet de Custode, & Diffinitoribus ad triennium duraturis.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, omniaque, & singula in illarum executione a te, ut præfertur, facienda, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Provinciæ, & Conventuum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Septemb. 1670. Pontificatus nostri anno Primo.

Edita die 30. Sept. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brev. Mensis Septembris 1670.

XI. Edita An. D. 1670.

Indulgentia plenaria perpetua pro Visitantibus Ecclesias Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum tam erectis, quam erigendis in festis SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois Fundatorum ejusdem Ordinis.

Nunc primum edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores aliis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes efficit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, specialium munerum thesauros, quorum dispensatores à Domino constituti sumus, libenter erogamus, sicut ad fovendam, & incitandam fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Itaque præclara Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois Fundatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum merita devote recolentes, ac ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia devotione intenti, nec non de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum tam Calceatorum, quam Discalceatorum, & Monialium dicti Ordinis hactenus erectis, & in futurum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, eorundem Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis festorum hujusmodi, annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festo præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus perpetuis futuris temporibus valituram.

Indulgentiæ plenariæ perpetuæ pro Visitantibus Ecclesias Ordinis Trinitatis in festis ut supra.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1670. Pontificatus nostri anno Primo.

Edita die 20. Dec. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brev. lib. 1. Diversor. fol. 636.

XII. Edita An. D. 1670.

Declaratio super Innovationibus factis circa provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Regnorum, Portugalliæ, & Algarbiorum, eorumque Indiarum, & Conquistarum, post decessum Regum Sebastiani, & Henrici, quod per eas principaliter, vel accessorie, sive antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet factarum, juribus Coronæ Portugalliæ nullo

modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia, & singula, provisiones dictarum Ecclesiarum quovis modo concernentia in eo statu, in quo ante Innovationes hujusmodi tempore præfatorum, eorumque antecessorum Regum erant, remansisse, & remanere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si eædem nullo modo unquam factæ fuissent.

Antea non impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium, & ratio hujus Declarationis quoad provisiones factas Ecclesiarum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, atque Indiarum, ac Conquist. tantum.

CUm sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri Principis Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Gubernatoris per dilectum filium, & nobilem virum Franciscum de Sausa Comitem de Prado, & Marchionem de las Minas, ejusdem Petri Principis Gubernatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem, Nobis nuper expositum fuit, circa provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, in dictis Regnis, eorumque Indiis, & Conquistis consistentium, nonnullæ innovationes post decessum clar. mem. Sebastiani, & Henrici, dum vixerunt, Portugalliæ, & Algarbiorum Regum illustrium factæ fuerint, propter quas prætendi forsan posset juribus Coronæ Portugalliæ aliquo modo præjudicatum esse.

Mandat dd. provisiones post decessum dd. Sebastiani, & Henrici Regum factas Juribus Coronæ nullatenus obesse. Omnia dd. Ecclesiarum provisiones concernentia mandat in eo statu remanere, quo erant tempore dd. Regum, & Antecessorum.

§. 1. Nos eumdem Petrum Principem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, per quascumque innovationes, quæ circa provisiones Ecclesiarum prædictarum post decessum memoratum Sebastiani, & Henrici Regum principaliter, & accessorie, sive antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet factæ fuerunt, juribus Coronæ prædictæ nullo modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia, & singula, provisiones earumdem Ecclesiarum quovis modo concernentia in eo statu, in quo ante innovationes hujusmodi tempore prædictorum Sebastiani, & Henrici, eorumque antecessorum Regum erant, remansisse, & remanere, in omnibus, & per omnia, perinde ac si eædem innovationes nullo modo factæ fuissent, tenore præsentium declaramus.

Decretum irritans cum clausula sublata.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit dictarum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, aliisque quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inserentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1670. Pontificatus nostri Anno Primo. — Edit. die 22. Dec. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. 1. Diversorum fol. 457.

XIII. Edit. An. D. 1670.

Declaratio ad favorem Sedis Apostolicæ super Innovationibus circa Provisiones Ecclesiarum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum ejusque Indiarum, & Conquistarum post decessum Regum Sebastiani, & Henrici factis, quod per eas nullum sit illatum præjudicium Juribus S. Sedis Apostolicæ.

Hactenus non impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio facta favore Jurium Coronæ Portugalliæ.

§. 1. CUm Nos hodie motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine per quascumque Innovationes, quæ circa provisiones Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, eorumque Indiis, & Conquistis consistentium post decessum clar. mem. Sebastiani, & Henrici, dum vixerunt Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Illustrium quomodolibet factæ fuerunt, Juribus Coronæ Portugalliæ nullo modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia, & singula, provisiones earumdem Ecclesiarum quovis modo concernentia in eo statu, in quo ante innovationes hujusmodi tempore præfatorum Sebastiani, & Henrici, eorumque antecessorum Regum erant, remansisse, & remanere in omnibus, & per omnia, perinde acsi eædem Innovationes nullo modo unquam factæ fuissent, declaravimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Et (sicut accepimus) prætendi forsan possit per innovationes hujusmodi aliquid præjudicii juribus hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ illatum esse, aut inferri quoquo modo posse.

Ratio hujus novæ Declarationis.

§. 2. Hinc est, quod Nos, qui ex debito Pastoralis officii Nobis divinitus commissi jura dictæ Sedis tueri, & illibata conservare tenemur ejusdem Sedis indemnitati hac in re quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus per præfatas, & alias quascumque inno-

vationes, quæ circa provisiones Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum præfatarum, seu alterius illarum post decessum memoratorum Sebastiani, & Henrici Regum principaliter vel accessorie, sive antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet factæ fuerunt, seu quas factas fuisse in posterum quandocumque apparuerit, ac inde secuta, & secutura quæcumque nullum omnino, etiam quantumvis modicum, & minimum præjudicium quibuslibet Sedis Apostolicæ præfatæ juribus circa provisiones Ecclesiarum hujusmodi illi undecumque, ac quomodocumque, & qualitercumque competentibus, & competituris, vel ab ea prætensis illatum esse, seu fuisse, aut illatum dici, censeri, intelligi, vel prætendi umquam posse, neque quidquam juris, etiam quantumvis modicum, & minimum, in præjudicium dictæ Sedis per innovationes hujusmodi Coronæ præfatæ, & aliis quibusvis, etiam specifica, & individua mentione dignis, quovis modo additum, vel acquisitum esse, vel fuisse, aut quandocumque fore, sed omnia, & singula ejusdem Sedis jura hujusmodi semper integra, illæsa, intacta, illibata, ac in nihilo diminuta, vel labefactata tam in possessorio, quam in petitorio, & alias quomodolibet, perpetuo remanere in omnibus, & per omnia, perinde acsi eædem innovationes, indeque secuta, & secutura quæcumque numquam factæ, nec secutæ fuissent, neque unquam sequerentur, tenore præsentium declaramus, & decernimus.

Declarat provisiones Ecclesiarum sequutas in Regno Portugalliæ &c. post decessum Sebastiani, & Henrici Regum nullatenus obesse juribus S. Sedis.

§. 3. Ac ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, eamdem Sedem, ejusque jura præfata adversus præjudicialia quæcumque, quæ illis ex præmissis, seu eorum occasione quoquo modo enata esse dici, censeri, vel prætendi unquam possent, in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antequam præfatæ innovationes fierent quovis modo erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie redintegramus.

S. Sedem adversus dictas provisiones restituit in integrum.

§. 4 Decernentes pariter easdem ipsas præsentes literas etiam ex eo quod præfati, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, neque vocati, & auditi fuerint, vel ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali defectu notari, redargui, impugnari, vel infringi, aut in controversiam vocari, seu ad trámites juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, alios, vel quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Tollit facultatem impugnandi dictam declarationem ex quocumque capite.

Decretum irritans cum clausula sublata.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, necnon Ecclesiarum præfatarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quanticumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Amplissime derogat contrariis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Decembris 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Edit. die 22. Dec. 1670.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium lib. primo diversorum fol. 461.

XIV. Die 14. Jan. 1671. An. I.

Exemptiones Collegii Germanici, & Ungarici Urbis confirmatæ à SSmo D. N. Clemente Papa X.

Nunc primũ impressa.

Hieronymus Gastaldus Protonotarius Apostolicus utriusque Signaturæ SSmi D. N. Papæ Referendarius, ejusdemque Sanctissimi, & Rev. Cam. Apostolicæ Thesaurarius Generalis.

Illustri D. Cæsari Baldinotto Dohanarum Almæ Urbis Generali Appaltatori, & ad quem spectat. De mandato SSmi D. N. Papæ, ac in vim specialis Chirographi manu ejusdem SSmi signati, nobisque directi, & præsentati tenoris sequentis videlicet. *Monsignor Girolamo Gastaldi nostro Tesoriere Generale. Volendo Noi far grazia particolare al Collegio Germanico di Roma per le singolari qualità, e circostanze, che in esso concorrono, vi ordiniamo, che facciate intendere a Cesare Baldinotti Doganiere di Roma essere nostra mente, che non ostante la Bolla publicata sopra la rivocazione dell'esenzioni, lascino passare franche di Dogana nel numero delle quattro mila cento cinquanta Botti di vino di Ripa al d. Collegio per quella quantità di Botti di vino, che bisognerà di più ogn'anno per servizio di esso oltre le Botti ottanta, che ha avuto per il passato, purchè in tutto non passino. Botti cento trenta l'anno, tanto nelle Barche, come ne' Magazzeni, anco quantro alli quattro per cento, & alli quatto giulj a Botte in conformità della Bolla della fe. me. di Gregorio XIII. nostro predecessore data sotto li 15. Luglio 1574. quale in tutto approviamo, e confermiamo, e darete in ciò gl'ordini necessarj, acciòche gli ne siano fatte le spedizioni opportune in esecuzione di questa nostra volontà, ancorche il presente nostro Chirografo non si presenti, nè ammetti in Camera, e nelli suoi libri, non ostante la Bolla*

Chirographum super exemptione vini, prout in corpore.

Tenor Bullæ Greg. XIII. super exemptionibus Collegii Germanici, & Hungarici.

di Pio IV. Nostro predecessore de registrandis, *e la revocatoria dell' esenzioni, e qualsivoglia altra cosa che facesse in contrario, alle quali tutte avendo il loro tenore qui per espresso a sufficienza per questa volta sola deroghiamo, non volendo però, che passi in esempio. Dato nel Nostro Palazzo di Monte Cavallo questo dì* 31. *Decembre* 1670. Clemens Papa X. Tenore præsentium committimus, & mandamus quatenus statim visis, & receptis, præsentibus &c. debeas in computum doliorum quatuor mille centum, & quinquaginta vini Ripalis de quibus in capitulis sui Appaltus fit mentio, totam quantitatem vini Ripalis quolibet anno Collegio Germanico Urbis necessariam ultra dolia octoginta in præteritum habita, dummodo in totum quantitas ipsa non excedat dolia centum triginta, tam in Barchis, quam Magazenis existen. liberam, immunem, & exemptam, à solutione Gabellæ, & Dohanæ etiam quoad quatuor pro centenario, ac pariter Julios quatuor pro quolibet dolio vini juxta formam Bullæ fel. rec. Gregorii Papæ XIII. sub dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1574. Idibus Julii Pontificatus sui anno III. tenoris sequentis, videlicet: Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ut cæteri de Republica benemeriti immunitate interdum juvandi sunt, ita maxime eorum ratio hac in re habenda est, quos ad fidei catholicæ incrementum in sinu nostro confovemus. Quo circa, ut Collegium Germanicum pridem à Nobis in Urbe nostra institutum, in quo non minus, quam centum pueros ex universa Germania, septentrionalibusque illi adjacentibus regionibus colligendos liberalibus scientiis, ac disciplinis, necnon sacris Canonibus, & Theologia institui, atque erudiri voluimus, & ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi Collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, motu proprio, deque nostra mera liberalitate Collegium præfatum, ejusque res, & bona quæcumque præsentia, & futura, ac ipsius Collegii res, Scholares, & alios in eo degentes ab omnibus, & singulis portarum, molendinorum farinæ trium pro centenario, & quatuor Juliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque datiis, vectigalibus, angariis, ac Terræ, Marisque Gabellis, & Dohanis ordinariis, & extraordinariis hactenus quomodolibet impositis, & imposterum quandocumque, quavis occasione, vel causa etiam de necessitate exprimenda imponendis, etiam ad instar exemptionis dilectorum filiorum Cameræ Apostolicæ Clericorum, etiam ratione Ripæ, & Ripettæ, Dohanæ Terræ, ac etiam Grasciæ nuncupatæ Urbis prædictis, necnon Carnium, Vinorum, Granorum, pannorum lini, lanæ, serici, & quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum, & vestitum necessariarum, ex toto statu Ecclesiastico, & quibuscumque aliis locis extra dictum statum consistentibus ad Collegium præfatum, tam per terram, quam per mare, & aquam dulcem; ac alias quomodolibet conducen., ac etiam jam ad dictam Urbem quomodolibet conductarum, & in ea existentium, & pro eodem Collegio in magna, seu parva quantitate, tam in Barchis, quam in Magazenis, & alias ubilibet emendarum, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus, & liberamus, liberaque, immunia, & exempta esse volumus. Districtius inhibentes omnibus, & singulis tam Urbis, quam status prædictorum Gabellarum, Datiorum, & vectigalium eorumdem Datiariis, Conductoribus, seu Appaltatoribus, cæterisque, ad quos spectat, & spectare poterit quomodolibet in futurum, ne Collegium præfatum, illiusque Scholares, & personas, vel pro eis agentes, & eorum bona quæcumque, aut eorum quemlibet directe, vel indirecte quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, impedire, vel perturbare audeant, seu præsumant. Quinimmo eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant ipsos, & eorum quemlibet immunitate, exemptione, & aliis præmissis pacifice frui, & gaudere. Ac decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon d. Urbis, & Dohanarum prædictarum, ac quorumcumque Tribunalium, & Curiarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Tribunalibus, & Curiis, Judicibus, necnon Appaltatoribus, & Dohaneriis prædictis, ac quibuscumque aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentibus transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici ejusdem Collegii Secretarii subscriptis, & sigillo Communi ejusdem Collegii munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ac alias ubicumque opus fuerit adhibeatur, acsi præsentes forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Marcum anno incarnationis Dominicæ 1574. Idibus Julii, Pontificatus nostri anno tertio. Cæsar Glorierius M. A. de Alexiis.

Confirmatio & executio d. Bullæ.

§. 1. Quæ quidem Bulla per SSmum D. N. in omnibus, & per omnia in suo præinserto Chirographo confirmata, & approbata. Nos pro omnimoda illius executione tibi, tuisque prædictis præmissorum, & superius ordinatorum observantiam committimus, & ordinamus, & sic d. dolia vini libera à dictis Gabellis, & Dohana transire permisisse, & ordinasse, dictumque Collegium Germanicum pariformiter in libris Dohanæ, & ubi opus fuerit pro executione, & paritione ejusdem præinserti Chirographi liberum, & exemptum, ut supra à prædicta solutione dictarum Gabellæ, & Dohanæ, etiam quoad dd. quatuor pro centenario, & Julios quatuor pro quolibet dolio vini, & sic pro hujusmodi, ac superius expressa quantitate vini, ibi in dictis libris distincte descripsisse, & adnotasse, ac per tuos Agentes, & Ministros fieri, & describi fecisse, mandasse, & curasse. Quam quantitatem vini per te, ut supra exemptam facien., & transeundam in numero dictorum quatuor mille centum, & quinquaginta doliorum vini exemptorum juxta formam capitulorum Appaltus Dohanarum acceptamus, & admittimus, acceptarique, & admitti, ac respective bonam faciemus juxta formam præinserti Chirographi SSmi D. N. Papæ: contrariis non obstantibus quibuscum-

Edit. 14. Jan. 1671.

que. In quorum fidem &c. Dat. &c. hac die 14. Jan. 1671.

Hieronymus Gastaldus Thesaurarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli. Joseph Gezzius.

Mandatum vigore Chirogaphi SS^mi.

XV.

Nunc primum impressa.

Bulla Confirmationis, & ampliationis Privilegiorum Auditorum Sacræ Rotæ.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis consueta benignitas ea, quæ per prædecessores suos præsertim personarum non solum pro ipso Romano Pontifice, sed etiam pro universali Ecclesia, ac Sedis Apostolicæ honore, & personis ad illam in dies confluentibus justitia administranda continuos, & indefessos labores impendentium commodum, & utilitatem concernentia concessa sunt, ut firma perpetuo, & illibata persistant, libenter approbat, aliaque etiam ipsis concedit, prout in Domino salubriter prospicit expedire. Cum itaque felicium recordationum Julius II., Leo X., Clemens VII., Paulus III., & Alex. VII. Romani Pontifices prædecessores nostri dilectis filiis Cappellanis nostris, Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ac eorum Locumtenentibus tunc, & pro tempore existentibus, eorumque Collegio hujus Urbis, atque adeo totius Christiani orbis supremo Tribunali diversa perampla privilegia, concessiones, exemptiones, antelationes, prærogativas, libertates, facultates, gratias, ac indulta tunc expressa benignè concesserint, & approbarint:

Enumerantur Pontifices, qui varia privilegia S. Rotæ Auditoribus concesserunt.

Pontifex omnia dd. privilegia motu proprio confirmat.

§. 1. Nos Auditorum, & Locumtenentium prædictorum, quorum assidui labores quotidie probantur, & incorrupta justitia Orbi Christiano elucet, meritis invigilantes, ac eos amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, omnia, & singula privilegia, exemptiones, antelationes, prærogativas, concessiones, gratias, libertates, facultates, literas, ac indulta hujusmodi per dictos prædecessores eisdem Auditoribus, & Locumtenentibus, ac eorum singulis in genere, vel in specie concessa quæcumque, & qualiacumque sint, ac cujuscumque tenoris, & continentiæ existant, quorum omnium formas, & tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes cum omnibus, & singulis derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis in omnibus, & per omnia motu proprio, non ad ipsorum Auditorum, & Locumtenentium, vel aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ vim, robur, & efficaciam adjungimus, & innovamus, illaque eisdem, & eorum cuilibet, & prout dicti prædecessores nostri concesserunt, de novo pro potiori cautela concedimus, indulgemus, & ampliamus.

Clem. VII. mandavit literas Apostolicas pro Auditoribus, eorumque Locumtenentibus gratis expediri, prout in rubrica.

§. 2. Et insuper cum idem Clemens inter alia per eum tunc eisdem Cappellanis, Auditoribus, & eorum Locumtenentibus concessa, quod singuli Auditores, & Locumtenentes prædicti quascumque provisionum, commendarum, dispensationum, unionum, ad vitam præfectionum, reservationum, fructuum, pensionum, & aliorum quorumcumque, ac facultatum, mandatorum, gratiarum, & indultorum, ac alias literas gratiam, vel justitiam separatim, seu utrumque mixtim concernentes, à Sede prædicta etiam ratione quarumcumque dignitatum, etiam Episcopalium, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque pro tempore, ut præfertur, ab eodem Clemente, & successoribus suis Romanis Pontificibus pro tempore existentibus à Sede prædicta qualitercumque impetrandas, ac sibi etiam motu proprio, & ex certa scientia concedendas, & de personis eorum consistorialiter faciendas, in Abbreviatorum, Scriptorum Bullarum, ac Registri, nec non qui etiam de suis Apostolicis gratiis expectativis taxam recipiebant, Solicitatorum literarum Apostolicarum, nec non Secretariorum, & Procuratorum Audientiæ suæ literarum contradictarum, ac aliis quibusvis Romanæ Curiæ officiis gratis cum subscriptione, videlicet: *gratis pro Auditore, seu Locumtenente Rotæ* per Rescribendarium literarum earumdem facienda expedire possent, & deberent, Apostolica auctoritate, motu pari pariter indulserit, mandans tunc, & pro tempore existentibus literarum prædictarum Rescribendario, & aliis Scriptoribus, & Abbreviatoribus, Solicitatoribus, Secretariis, dictæ audientiæ Procuratoribus, & quibusvis aliis dictæ Romanæ Curiæ officialibus expeditioni literarum hujusmodi pro tempore præsidentibus, & ministris, sub excommunicationis latæ sententiæ, privationis, & suspensionis suorum officiorum, & perceptionis emolumentorum eorumdem pœnis per eos, ad quos pertinet, & qui eas gratis subscribere, vel concedere noluerint eo ipso incurrendis, absque alio suo, & successorum, & Sedis prædictæ ulteriori mandato eas gratis subscriberent, & per omnia usque ad, & alia necessaria inclusive omni contradictione, & dilatione cessante expedirent, prout in literis ejusdem Clementis desuper expeditis plenius continetur:

§. 3. Nos eorumdem Auditorum, & eorum Locumtenentium indemnitati consulere, eosque amplioris gratiæ favore prosequi volentes, ipsosque Auditores, & Locumtenentes hujusmodi, dictique Collegii singulares personas à quibusvis excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non privilegiorum, exemptionum, facultatum, aliorumque præmissorum, & inde secutorum quorumcumque, etiam veriores, & totos tenores, etiam datas, causasque, occasiones, & qualitates, etiam circumstantias, ac litium si quæ sint, merita, statum, cum omnibus aliis de necessitate exprimendis, præsentibus pro expressis habentes, motu simili, ac ex scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine prædictis indultum circa dictarum literarum expeditionem, gratis, ut præfertur, faciendam, à dicto Clemente, ut præfertur, concessum, etiam quoad expeditionem gratiarum prædictarum in eorumdem Auditorum, & Locumtenentium favorem per viam secretam gratis faciendam, perinde ac si in dictis literis ejusdem Clementis de eadem via secreta circa dictam expeditionem expressa, & individua mentio facta fuisset, motu pari extendimus, & ampliamus.

Hoc indultum iterum Pontifex confirmat.

§. 4. Ac propterea cum post suppressionem, & abolitionem Collegii Subdiaconorum Apostolicorum nuncupatorum à prædicto Alexandro prædecessore factam, idem Alexander prædecessor dictos Auditores Subdiaconos Apostolicos fecerit, creaverit, constituerit, & declaraverit; ipsumque prædictorum Auditorum Collegium in locum Subdiaconorum, per eum, ut præfertur suppressorum, & abolitorum, cum eodem omnino onere assistendi, & inserviendi Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici in quibusvis functionibus Pontificiis, ad quod dicti Subdia-

Alexan. VII. Auditores S. Rotæ creavit Subdiaconos Apostolicos in locum Collegii suppressi dd. Subdiaconorum quibusdam exceptis

coni

redditibus, & emolumentis.

coni ante officiorum suorum suppressionem, & extinctionem, ut praefertur factas quomodolibet tenebantur, & obligati erant, & cum omnibus, & singulis honoribus, praerogativis, praecedentiis, & praeminentiis, quae de jure, & ex Constitutionibus, & Indultis Apostolicis, ut praefertur, suppressis, & abolitis, illorumque Collegio ante suppressionem, & abolitionem hujusmodi competebant, quibusdam tamen redditibus, & emolumentis exceptis, motu suo proprio substituerit, & subrogaverit, indeque eisdem Auditoribus cura, & custodia Palliorum, quae de Corpore Sancti Petri sumpta in Consistorio Patriarchis, Archiepiscopis, & nonnullarum Ecclesiarum insignium usu Pallii hujusmodi gaudentium Episcopis distribui solent, incumbat.

Dictis Auditoribus committit custodiam Palliorum.

§. 5. Ratio postulat, ut qui sentit onus, sentiat & commodum; Nos provisionem scutorum octo monetae, quae idem Alexander praedecessor intuitu curae, & Custodiae praedictarum usque ad suum beneplacitum Canonicis Altaristis Sancti Petri pro tempore existentibus in singulos menses assignaverat, ex nunc Collegio Auditorum praedictorum perpetuo assignamus, applicamus, & appropriamus: mandantes dilectis filiis Provisoribus Montis Pietatis, ut deinceps in perpetuum dictam provisionem octo Scutorum singulis mensibus juxta formam, & tenorem Chirographi dicti Alexandri praedecessoris sub die 19. Martii anni Domini 1658., illiusque confirmationis, quorum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, emanatorum, non amplius Canonicis Altaristis S. Petri pro tempore existentibus, sed Collegio Auditorum praedictorum solvant, itaut Altaristis menstrua provisio praedictorum octo scutorum non amplius proveniat, nec ab ipsis ratione Curae, & Custodiae Palliorum praedictorum, vel sub quovis alio praetextu, aut colore praetendi, vel exigi possit, sed Collegio Auditorum praedictorum obveniat, & cedat, illique perpetuo assignata, applicata, & appropriata sit, & esse censeatur tenore praesentium, per quas Ven. Fratri nostro Archiepiscopo Sebasten. moderno Canonico Altaristae, cui, donec officium, seu Beneficium Altaristae hujusmodi obtinuerit, praedicta provisione octo scutorum frui, & gaudere permittimus, quoad emolumentum praedictum praejudicare non intendimus.

Pontifex menstrua scuta 8., quae ratione hujusce Custodiae dabantur Canonicis Altaristis S. Petri applicat Collegio Auditorum S. Rotae.

Canonico Altaristae existenti d. provisionem permittit donec officium, seu beneficiū exerceat.

§. 6. Ac omnes, & singulos juris, & facti, necnon solemnitatum quarumcumque, tam ex juris Canonici, & Constitutionum Apostolicarum praescripto, quam alias quomodolibet in similibus, & de necessitate observandarum, & alios quoscumque, etiam quantumvis magnos, formales, incognitos, & inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis, & eisdem partibus, vel eorum aliquo, vel earum parte principaliter, vel accessorie, antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent, plenissime, & amplissime supplemus, sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Omnes defectus, & solemnitates supplet.

§. 7. Decernentes ipsas praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, quacumque specifica, & individua mentione, & expressione digna, etiamsi in praemissorum, vel eorum aliquo interesse habentes, seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt adductae, specificatae, & justificatae fuerint, aut alias ex alia quacumque quantumvis justa, pia, juridica, privilegiata causa, colore, praetextu, & capite etiam in corpore juris clauso, & enormis, enormissimae, & totalis laesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensu, aliove quomodolibet, quantumvis magno formali, substantiali, aut inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, limitari, aut in controversiam vocari, aut adversus illa aperitionis oris, & restitutionis in integrum, aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, vel impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, & extra illud uti, seu se juvare posse.

Mandat nulla ex causa hujusmodi literas posse impugnari, & invalidari.

Prohibet impetrari aperitionem oris, aut restitutionem in integrum.

§. 8. Sed praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Auditoribus, illorumque Locumtenentibus, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; nec sub quibusvis suspensionibus perpetuis, vel ad tempus derogationibus, revocationibus in contrarium factis, vel faciendis minime comprehendi, neque illis derogari posse, nisi eorumdem Auditorum, vel Locumtenentium ad id accesserit assensus. Sicque, & non alias in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Camerae nostrae Apostolicae Praesidentes, Clericos, Auditorem, Thesaurarium, & Commissarium generales, aliosque Officiales, & Ministros, caeterosque quacumque praeeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat illis derogari non posse nisi dd. Auditorum accedat assensus.

Decretum irritans.

§. 9. Quo circa pro tempore existentibus Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario, & Datario, ac Curiae causarum Cam. Apostolicae generali Auditori per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes, ac in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Auditorum, Locumtenentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacioris defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos, & eorum quemlibet, confirmatione, adjunctione, innovatione, concessione, indulto, ampliatione, assignatione, applicatione, approbatione, suppletione, sanatione, abolitione, decreto, ac aliis praemissis pacifice frui, & gaudere; non permittentes, per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, ac alia juris remedia appellatione postposita compescendo, invocato adhoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Executores designat.

§. 10. Non obstan. quatenus opus sit piarum memoriarum Simmachi, & Pauli II. Pauli IV., & aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae, & Camerae praedictae non alienandis, ac rec. mem. Pii Papae IV. praedecessoris pariter nostri, de gratiis qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus, in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus praesentandis, & registrandis, ita ut ipsas praesentes literas ibidem praesentari, admitti, & registrari nunquam necesse sit, necnon nostrae, & Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo jure quaesito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis editis, & edendis, necnon etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, & perpetuis indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis in contrarium praemissorum per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, cum qui-

Derogat contrariis.

Etiamsi specialem mentionem requirant.

busvis

busvis clausulis, & decretis etiam iteratis vicibus, Secretariis Apostolicis, ac Cancellariæ, & Cameræ Apostolicarum Officialibus, ac de communi, & annata, ac plumbo, necnon de quibusvis aliis emolumentis Participantibus, & quibuscumque aliis quocumque nomine nuncupentur, & dignitate, seu, majoritate præfulgeant in genere, vel in specie, seu eorum Collegiis, & in actu eorum erectionis concessis, approbatis, & innovatis, & inposterum concedendis, & innovandis: quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia causa, exquisita forma adhoc servanda foret, ac in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, ac sine consensu interesse habentium derogari possit, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & & forma in illis tradita, observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, motu, ac scientia similibus expresse derogamus. Necnon omnibus illis, quæ in literis eisdem Auditoribus, & Locumtenentibus, seu eorum Collegio voluerunt dicti prædecessores non obstare, quæ pro repetitis habeantur, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis eadem prorsus fides in Judicio, & extra, ac alias ubicumque adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Per præsentes autem non intendimus illa, quæ per Concilii Tridentini decreta, & alias posteriores Constitutiones Apostolicas specifice revocata sunt in aliquo approbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, adjunctionis, innovationis, concessionis, Indulti, ampliationis, assignationis, applicationis, approbationis, suppletionis, sanationis, abolitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Edita die 14. Jan. 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, Quartodecimo Kalen. Jan. Pontificatus nostri anno primo.

Locus ✠ plumbi.

XVI. Edita An. D. 1671.

Nunc primū impressa.

Diversæ Declarationes, & Ordinationes super æqualitate in Abbatiis, aliisque Officiis servanda inter Monachos Congregationis S. Bernardi Hispaniæ Ordinis Cistercien. ex locis citra, & ultra Montes Castellam Veterem a Nova separantes, sitis, respective oriundos.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ nobis cælitus Apostolicæ servitutis ratio exigit, ut paternam Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ Monasticæ jugo mancipatorum curam gerentes, fœlici illorum regimini, & religiosæ tranquillitati, quantum nobis ex alto conceditur, providere satagamus. Cum itaque fel. rec. Clem. Papa IX. prædecessor noster, ut opportunum malis, quæ ex nationalibus factionibus in Congregatione S. Bernardi Hispaniæ Monachorum Ordinis Cistercien. enata erant, remedium adhiberet, per quasdam suas in simili forma Brevis die 14. Octobris 1669. expeditas Literas, multa decreverit circa distributionem æqualem Abbatiarum, Officiorum Capitularium, & mutuam alternativam Generalatus prædictæ Congregationis inter Monachos oriundos ex terris sitis citra, & ultra Montes Castellam Veterem, & Novam dividentes, prout in dd. Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Clemens IX. concessit Congregationi Cistercien. Hispaniæ alternativam Generalatus, & æqualem distributionē Officiorum Capitulariū.

Preces d. Cōgregationis post susceptas literas pro declarandis dubiis inde exortis.

§. 1. Exortis vero circa Literarum hujusmodi intelligentiam nonnullis dubitationibus: dilecti filii Michael de Fuentes in Sacra Theologia Magister, Generalis Reformator, ac Joannes Aracho, Ludovicus Sanchez, Petrus de Guadalaxara, Antonius de S. Petro, Josephus de Almonacid, & Benedictus de Oroscho Diffinitores ejusdem Congregationis in Monasterio Palaziolensi Palentin. Diœcesis congregati pro celebrando Capitulo intermedio die 8. Maii 1670., eisdem Literis debita cum veneratione, ac reverentia susceptis, decreverint esse nobis humiliter supplicandum, ut dubitationes hujusmodi nostræ declarationis oraculo, dilucidare, ac decidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris.

§. 2. Hinc est, quod nos specialem prædictis Reformatori Generali, ac Diffinitoribus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super Reformatione Ordinis Cistercien. deputatorum consilio quia in memoratis Clementis prædecessoris Literis habentur sequentia verba: Concordiam autem præinsertam auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus sub hac moderatione, ut omnes Dignitates Abbatiales, & omnia Officia tam intra, quam extra Capitulum Generale a Reformatore Generali d. Congregationis conferri solita distribuantur in æquali quantitate, & qualitate Religiosis ex utraque parte, ut supra divisa oriundis, ita ut si sint Vocales in numero pari, tot sint ex una parte, quot ex alia, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, atque decernimus præinserta verba ita esse ab omnibus intelligenda, & observanda, ut omnia Officia Capitularia, quorum electiones celebrantur quolibet triennio sive intra, sive extra Capitulum Generale distribuantur æqualiter Religiosis, oriundis ex terris ultra montes, & citra prædictos montes sitis, taliter quod si prædicta officia Capitularia, quorum electiones quolibet triennio celebrantur, sint paria, tot habeant Monachi oriundi ex terris ultra montes, & Monachi oriundi ex terris citra montes sitis, idest Officia Diffinitorum, & Procuratorum Generalium habeat una, & alia; ex terris sitis ultra montes sit unus Visitator generalis, & unus Suppletor, alius Visitator generalis, & alius Suppletor ex terris sitis citra montes. Et si Promotor Fiscalis sit ex una parte sic divisa, Secretarius Capituli Generalis sit ex alia.

Primum Dubium.

Declaratio.

§. 3. Præterea, quia in prædicta Congregatione sunt triginta octo Abbatiæ Capitulares, quarum aliquæ conferuntur per electionem factam a Generali Reformatore, & Diffinitoribus, ut Salmanticensis, Matritensis, & Complutensis, cætera alia per nominationem aliquorum Monachorum pro quolibet Monasterio factam a prædictis Generali, & Diffinitoribus, & per electionem Monasteriorum, ut strictius servetur æqua-

litas

Altera declaratio.

litas in quantitate, & qualitate, quam in memoratis Literis decrevit idem Clemens prædecessor, declaramus ex prædictis triginta octo Abbatiis, ad novemdecim Abbatias promovendos esse Monachos oriundos ex terris sitis ultra montes, & ad alias novemdecim Monachos oriundos ex terris citra montes memoratos sitis.

Quoad sex Abbatias Theologiæ.

§. 4. Rursus ut in qualibet Abbatiarum servetur æqualitas, declaramus prædictas triginta octo Abbatias Capitulares dividendas esse in tres Classes. Prima Classis sit Abbatiarum Collegiorum, Artium, & Theologiæ, quæ sunt sex, videlicet Abbatia Salmanticensis, Complutensis, Matricensis, Montis Romensis, Bellomontensis, & S. Martini de Castaneda, & quod ad tres Abbatias ex prædictis promoveantur Monachi oriundi ex terris ultra montes, & ad alias tres Monachi oriundi ex terris citra montes sitis.

Quoad Abbatias nuncupatas Matrices.

§. 5. Secunda Classis Abbatiarum, quæ nuncupantur *Matrices*, sive *Monasteriorum*, in quibus recipiuntur, educanturque Novitii, & emittunt Professionem, & quod si prædictæ Abbatiæ fuerint pares, tot dentur Monachis oriundis ex una Terra, ut supra divisa, quot oriundis ex alia; Si vero fuerint in numero impari, una Abbatia, in qua unus numerus alium excedat ad libitum Generalis, & Diffinitorum possit conferri, sive Monacho oriundo ex una Terra, sive ex alia, dummodo habeat qualitates juxta statuta Congregationis requisitas, ita tamen, ut si una vice conferatur Monacho oriundo ex terra ultra montes, alia vice conferatur Monacho oriundo ex terra citra Montes, & e contra si una vice conferatur Monacho oriundo ex terra citra Montes, alia vice conferatur Monacho oriundo ex terra ultra Montes, & sic deinceps alternis vicibus.

Quoad alias Abbatias, quæ Matrices non sunt.

§. 6. Tertia Classis Abbatiarum Monasteriorum, in quibus non educantur Novitii, nec admittuntur ad professionem, nec vulgo nuncupantur *Domus Matrices*, & quod si prædictæ Abbatiæ fuerint pares, tot Abbatias obtineant oriundi ex terris ultra Montes, ac citra Montes constitutis. Si vero impares fuerint, una Abbatia, in qua numerus Abbatiarum excedit alium, pro libito Generalis, & Diffinitorum detur Monacho alias habili, sive oriundo ex una terra, sive ex alia, servato tamen ordine alternativæ ut supra proxime dictum est in matricibus, & dummodo æqualitas in distribuendis Abbatiis taliter servetur, ut ex triginta octo Abbatiis supra memoratis novemdecim distribuantur Religiosis oriundis ex una parte, & aliæ novemdecim Religiosis ex alia parte, ut supra in memoratis literis divisa.

Vacante Generalatu vel Abbatia, aut Officio ante Capitulum, quomodo sit providendum.

§. 7. Insuper declaramus, quod si in decursu triennii vacaverit per mortem, aut aliam ob causam dignitas Generalatus, aut aliqua Abbatia Capitularis, vel Officium Diffinitoris, aut aliud quodlibet Officium Capitulare ex iis, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, ad dignitatem Generalatus, Abbatiæ, vel Officii Capitularis sic vacantis promoveri debet Monachus oriundus ex eadem terra sic divisa, ut erat ille, ob cujus mortem, promotionem, renunciationem, aut privationem, talis dignitas, Abbatia, vel Officium Capitulare vacaverit, ita tamen, ut sic promotus durare debeat pro residuo temporis dumtaxat, quod supererat ei, in cujus locum fuerit suffectus.

Abbatia de Palazuolos non cadit inter alias æqualiter dividendas.

§. 8. Ulterius declaramus Abbatiam Monasterii de Palazuolos non esse annumerandam pro computando numero æquali Abbatiarum, quæ in æquali quantitate, & qualitate distribuendæ sunt Religiosis ex utraque parte sic divisa oriundis, cùm Generalis Reformator, qui est Abbas Palazuolen., non habeat suffragium in Capitulo Generali, nec componat numerum vocalium cum cæteris Abbatibus, & Capitularibus pro celebrando Capitulo Generali: Generalemque Reformatorem posse pro libito Monachum habilem, quem maluerit, in Priorem Monasterii de Palazuolos eligere sive ex hac, sive ex illa terra in literis supradictis divisa oriundum, cum Prior Palazuolensis numerum parem, cum aliis Capitularibus, qui vocem habent in Capitulo ratione Abbatiarum, & Officiorum, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, non componat, sed numerum imparem constituat. Cæterum si una vice Prior eligatur oriundus ex terra ultra Montes, alia vice eligi debeat ex terra citra Montes, & e converso, servato semper ordine Alternativæ.

Item nec Prioratus.

Abbas Monasterii S. Annæ qualis esse debeat.

§. 9. Ad hæc decernimus, ut triennio, quo Generalis Reformator eligitur ex terris sitis citra Montes, Abbas Monasterii Matritensis S. Annæ sit oriundus ex alia parte divisa, scilicet ex terris ultra Montes sitis: & e contra, quando Generalis Reformator oriundus fuerit ex terris sitis ultra Montes, Abbas prædicti Monasterii Matriten. oriundus esse debeat ex terris citra Montes constitutis. Si quis verò Monachorum contra præsentium tenorem quidquam facere, vel attentare præsumpserit, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso absque alia declaratione incurrat.

Sanctio pœnalis contra Monachos inobedientes.

Præceptum S. Obedientiæ pro observantia harum declarationum.

§. 10. Volumus autem, ac præcipiendo mandamus, ut in proximo immediato Capitulo Generali omnes Capitulares, antequam ad aliquam electionem procedant, jurent super sancta Dei Evangelia observare memoratas literas Clementis prædecessoris, ac præsentes nostras, & tam illæ, quam præsentes collocentur inter diffinitiones juratas, & futuris temporibus in singulis Capitulis Generalibus celebrandis omnes Capitulares jurejurando se adstringant ad illarum observantiam ante quamlibet electionem ut moris est, jurare diffinitiones, quæ in d. Congregatione nuncupantur *juratæ*.

Decretum irritans.

§. 11. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illos, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Designat executorem.

§. 12. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Salmanticen. præsentes committimus, & mandamus, ut Capitulo Generali in dicta Congregatione proxime celebrando auctoritate Apostolica præsideat, ac per se, vel per alium, seu alios, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat eadem auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacifico frui, & gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas

ipsas

ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 13. Non obstan. rec. me. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Monasteriorum, ac Ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & expresse sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Februar. 1671. Pontificatis nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. Mensis Februarii part. 2. fol. 202.

XVII. Nunc primum impres.

Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ editum de Canonicis Regularibus Ordinis Sancti Augustini Congregationis Lateranen. ad Curam Animarum in Ecclesiis Secularibus exercendam non admittendis.

Motivum.

CUm fel. record. Gregorius XIII., aliique nonnulli Summi Pontifices ejus successores ad regularem disciplinam in Congregatione Canonicorum Lateranensium Ordinis S. Augustini magis magisque firmandam Decretis suis mandaverint, ne dicti Canonici Curæ Animarum in Ecclesiis secularibus exercendæ juxta Constitutionem Innocentii III. rec. mem. incipien. *Quod Dei timorem &c.* cæteroquin capaces ad hujusmodi Curam in prædictis Ecclesiis exercendam, admittantur, quorum Decretorum observantiam retinendam esse non semel declaratum fuit: asserentibus vero e contra quibusdam dictorum Pontificum mentem haud fuisse, certa perpetua lege lata Innocentianam Constitutionem prorsus abrogare, sed immo illorum Decreta, seu mandata cum ipsis expirasse, ac propterea pro diversitate temporum diversas forsan editas fuisse declarationes, & interpretationes, nec uniformem servatam praxim. Ideo ex prædictis non infrequentes dubitationes, & controversiæ subortæ noscuntur, ob quas religiosa quies perturbari facile posset, accuratius in hoc sacro Ordine custodienda, cum illius Apostolica Instituta primævam disciplinæ, ac sanctimoniæ antiquorum Clericorum imaginem, & symbolum referant, quibus ipsa nascentis Ecclesiæ primordia florebant.

§. 1. Quapropter ad hujusmodi dubitationes explicandas, & controversias definiendas, atque ut magis accurata disquisitione eorum Canonicorum spiritus, & vocatio dignoscatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion cælestium contemplatione suavissime pascuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet e Claustro ad regimen descensuri Parochialium) invitantur. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, re mature examinata, atque audito P. Procuratore Generali dictæ Congregationis Lateranen., speciali sibi auctoritate per SS. D. N. Clementem Papam X. vivæ vocis oraculo attributa declarat, atque decernit, ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, quamvis non translatus, ad Curam Animarum in Ecclesiis sæcularibus, etiam de Jurepatronatus in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam, admittatur, nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat, quod juxta sacrorum Ministrorum penuriam, & prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedetur, itaut quælibet collatio, institutio, & deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter facta irrita prorsus, atque inanis censeatur, & sit; ac nulla etiam triennali longior possessio iisdem suffragetur: Canonicus vero, cui ejusmodi concessum fuerit Indultum, ad mentem præfati Innocentii III. (si commode fieri possit) socium unum ex suo Ordine, & Congregatione secum habeat cujus in iis, quæ Dei sunt, & Regularis observantiæ, tam consortio, quam solatio perfruatur.

Decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regular. auctoritate Apostolica sibi attributa factum, ne Canonici Regular. Lateranen. præficiantur Ecclesiis Sæcularibus Parochialibus absque Indulto Sedis Apost.

Collationes, seu Institutiones aliter factas irritat.

Canonicus cui erit concessum dictũ Indultum habeat socium ejusdem Ordinis, seu Congregationis.

§. 2. Cæterum si forte aliqui ex prædictis Canonicis ante hujus Decreti promulgationem, ad Curam Animarum hujusmodi Ecclesiis Parochialibus exercendam quoquo nomine, saltem cum licentia sui Abbatis Generalis jam admissi reperiantur, eadem Sacra Congregatio itidem speciali sibi auctoritate per Sanctissimum D. N. attributam benigne indulget, ut illi (quatenus aliud non obstet canonicum impedimentum) in hujusmodi exercitio Curiæ Animarum, juxta collationem, Institutionem, seu Deputationem per ipsos jam obtentam licite valeat (Socium juxta prædicta secum habendo) continuare.

Admissi ad curam animarum in Ecclesiis Sæcularibus ante promulgationem hujus Decreti in ea valeant continuare secũ habendo socium ejusdẽ Instituti.

§. 3. Non obstantibus quoad supradicta omnia, & singula in præsenti Decreto contenta supradicta Constitutione Innoc. III., aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam necessario, & individue exprimendis, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, formula professionis in eo Ordine, & Congregatione emitti solitæ, consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque Indultis, & Privilegiis, etiam in corpore Juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis; necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extentionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur (illis alias in suo

Derogat quibuscumque contrariis, & etiam formulæ Professionis.

Etiam habentibus derogatorias derogatoriarũ, & requirentibus specialem, & individualem mentionem.

robore

robore permansuris) eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expressè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat dictum Decretum publicari.

§. 4. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sac. Congregatio, ut supradictum Decretum in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixum, omnes, ad quos pertinet ita arctet, & afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset. Utque eisdem transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ hac die 18. Martii 1671.

Fides transumptorum.

Edit. 18. Martii 1671.

F. M. Cardinalis Brancatius.

Loco ✠ Sigillo.

C. de V. Archiep. Athen.

Publicatio d. Decreti.

Die 29. Augusti 1671. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Perinum S. D. N. Papæ Curs.

Joseph Pizzardus Mag. Cursor.

XVIII.

Canonizatio S. Ludovici Bertrandi Ordinis Prædicatorum. Hujus Ludovici Clemens IX. decrevit posse tuto deveniri ad solemnem Canonizationem, sed morte præventus explere non potuit. Ideo hic Pontifex nedum ejusdem Ludovici, cujus insuper Bullam expedivit, sed, & aliorum quatuor, scilicet Rosæ d. Ordinis Prædicatorum, Cajetani Thienæi, Francisci Borgiæ, & Philippi Benitii Canonizationem solemniter peregit.

Nunc primum impressa.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

COEli Terræque Conditor ab ipso mundi exordio usque ad hæc nostra tempora, in quibus seculorum fines devenisse creduntur, nusquam per singulas ætates tanquam per horas distributas Operarios in Vineam suam mittere destitit; qui pondus diei, & æstus portantes, labore, sudore, ac sanguine illam irrigarent, & omnium Cœlestium virtutum, ac æternæ vitæ fructibus germinare eam facerent; donec juxta divina Scripturarum oracula ex omnibus Gentibus, Tribubus, Populis, & linguis à solis ortus Cardine usque ad Terrarum limites omnes ad cœnam Agni providi congregati in regno cœlesti vinum novissimum biberent, quod Dei sapientia electis suis miscere consuevit. In excolenda Sanctæ Crucis vite omni cura potissimum insudarunt in operibus diversi, in virtute uniformes, ut etiam per Regna, & Provincias nostris majoribus antea ignotas, ita innotuerit ejus virtus, ac vigor in totius Orbis victoria, ipsiusque de mundi Principe triumphus, ut jam tremendum illud cunctis Potestatibus nomen, quod est super omne nomen, sibi jam barbaras nationes subegerit, & in Nomine JESU omne genu flectatur, ac omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria est Dei Patris.

S. Ludovici admirabilis vita, & præclara gesta unitim referuntur.

§. 1. Plures hujusmodi, & strenuos Operarios continuata serie Catholicæ Ecclesiæ Prædicatorum Ordo ministrare non destitit, inter quos novissime egregius Dei Servus LUDOVICUS BERTRANDUS mirifice claruit, qui ardentissima in ipsum Deum, & proximum caritate flagrans, cæterarum virtutum excellentia, prophetiæ dono, & Apostolico ministerio coruscus; omnium linguarum laudibus merito celebratur, cujus pietas, & devotio adhuc in ipsa tenera ætate effulsit, quibus, & mundi contemptum, & Religiosi status perfectionem jungens veteranis Professoribus admirationi, & exemplo fuit. Postmodum ad Occidentales Indos Evangelicus Prædicator missus plurimos ad Christi fidem adduxit. Apostolicis etiam signis, charismatibus, & auctoritate decoratus, & cunctis virtutibus fulgens inventus est dignus, qui super excelsum Candelabrum in Sancta Ecclesia collocaretur, ut cæteris, qui in Domo Dei sunt ejus radii elucescant. Rationi, & æquitati convenit, ut præclarus hic Dei famulus, qui pro ejus gloria, & animarum salute, multos maximosque labores, & ærumnas pertulit, cujus nomen Deus ipse gloriosum efficit, à nobis quoque, qui ejus vices in terris (licet immeriti) gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur ut merito in Ecclesia militante Populus fidelis, & Plebs Deo dicata Sanctorum fastis adscribi plenius agnoscat, ejus præclara gesta, & eximia virtutum ornamenta tanquam præcellentia, ad imitandum proponenda duximus, ut Christi nomine decorati gesta sua ad ejus exemplum in Dei gloriam conformantes eum in opportunitatibus, & tribulationibus Advocatum apud Deum Patrem Omnipotentem habere mereantur. Atque ut Christifidelium ora promptius in divinis laudibus exultent, & pietatis fervor erga tantum Jesu Christi Servum magis in dies excitetur, ejus admirandam, & omni laude dignam in Terris peractam vitam in primis exponere, & brevi inclusam eloquio patentem reddere decrevimus.

Ratio editionis Bullæ.

Nativitas S. Ludovici, ejusque Parentes.

§. 2. Valentiæ igitur in Hispania Tarraconensi ex piis, honestis, Catholicisque Parentibus Joanne Ludovico Bertrando, & Joanna Anna Exarch editus est in lucem Ludovicus Bertrandus anno Dominicæ salutis millesimo quingentesimo sexto, Kalendis Januarii, & ibidem in Parochiali Sancti Stephani Ecclesia, eodemque fonte, quo olim S. Vincentius Ferrerius in Christo renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum cui Ludovicus carnali prosapia junctus erat communi etiam regenerationis propinquitate attingeret. Infans à Parentibus eidem Sancto Vincentio mire devotis, pie, honesteque educatus, nec non optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illa tenera ætate defuerint argumenta futuræ Sanctitatis; vagientis enim, ac plorantis lacrymæ nulla re sisti certius poterat, quam Sanctorum Imaginibus ejus conspectui oblatis, quarum ad intuitum domi, & in Templo mirifice gestiebat.

Infans à vagitu desistit inspiciens SS. Imagines.

§. 3. Crescente ætate, crevit pariter virtutum Amor, & erga res divinas pronus affectus. Vix pueritiæ limen attigerat, quando notatus fuit crebro ad solitudinem Cubiculi se se recipere, ut geniculans prolixæ rationi incumberet. Illic Dominum in se loquentem audiens suimet corpusculi robustus domitor evasit, illic spreta delicati cubilis mollitie, aut humo, aut duro in ligno modicum somnum capiebat; illic jejuniis, victuique parcissimo corpus assuescere docuit, ac variis pœnitentiæ austeritatibus extenuare cœpit. Exinde frequentando Gymnasio, & literarum studiis addictus non minus prava consortia, nugas, atque illecebras, quam otii laxamenta, velut bonarum artium ærugines, & virtutum pestes cautissima sedulitate jugiter evitavit.

Puer orationi, ac Pœnitentiis incumbit.

Actus virtutum in pueritia exerciti.

§. 4. In simplicitate cordis sui quæsivit Dominum, & invenit illum; in Ecclesiis enim, & maxime Ordinis Prædicatorum sæpissime orationi vacans, morabatur: Sacris etiam lectionibus, divinisque colloquiis mentem reficiens, invenit quem diligebat Anima ejus: Sanctissimæ Eucharistiæ frequenti, humili, & occulta sumptione delectatus, in Dei ac Proximi amorem totus exar-

fit, Xenodochia magna caritate visitans: pauperibus tota animi sui demissione inserviebat.

Eremi desiderio clam Domo aufugit.

Revocatus Ord. Prædic. ingreditur reluctantibus domesticis.

§. 5. Ut Domini consilium de relinquendis Domo, Fratribus, & Parentibus perfectius impleret, Eremi desiderio clam Domo aufugit, sed specioso pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis seculi fugam auspicatus, primo Clericalem admisit habitum, mox vero non sine magna cum domesticis lucta, Ordini Sancti Dominici nomen dedit in Conventu Prædicatorum Valentino, & Religionis habitu suscepto præclara S. Vincentii Ferrerii ejusdem familiæ celeberrimi Alumni vestigia sibi sequenda proposuit; ejus exemplo in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas, & blanditias invicto animo superavit, & tyrocinii anno expleto (in quo regularis militiæ præclara dedit indicia) solemnia religiosæ professionis vota emisit; postquam multis, magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem integerrimam egerat, cumulavit. Sacros Ordines peracto novitiatu suscepit, & ad sacrum Presbyteratus ordinem promotus, paulo post novitiorum Magister raro exemplo eligitur; quod munus cum pluribus annis magna cum laude exercuisset, Vicarius Conventus de Albayda, deinde Prior S. Honuphrii fuit designatus; Demum Conventui Valentiæ præfuit, in quibus cæteris Fratribus non tam prælatione, quam virtute, & exemplo semper prævivit.

In novitiatu Genitoris querelas, & blanditias superavit.

Post præclara indicia vitæ Regularis professionem emisit.

Promotus ad Sacerdotium, Novitiorum Magister eligitur.

Factus Superior cæteros etiam virtute, & exemplo prævivit.

Per quatuor integras horas orationi mentali vacabat.

His aliam dimidiam horam addebat contéplandis gaudiis B.V.

Sæpe visus est non spiritu tantum, sed & corpore à Terra sublevari, & splendoribus circumfundi.

§. 6. Inter cætera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervenit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicæ Passionis Mysteria magno cum fervore, & mentis Jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis Beatissimæ Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his cœlestium illustrationum commerciis persæpe visus est non solum spiritu rapi in estasim, sed & corpore à terra sublevari, & luculentis splendoribus conspicue circumfundi.

Familiares vehementer hortatur ad frequentem sumptionem, vel saltem visitationem SS. Sacramenti Altaris.

Ad Sacrificium Missæ nunquam sibi satis paratus videbatur.

Impeditus à sacrificando S. Eucharistia reficiebatur.

§. 7. Erga Sanctissimum Altaris Sacramentum miro ex intimis præcordiis ardore flagrabat sciens hoc esse pulchrum, & optimum electorum frumentum, ac vinum germinans Virgines; propterea familiares ad ejus sumptionis, vel saltem visitationis frequentiam vehementer hortabatur: Sacrum Missæ Sacrificium celebraturus Angelicæ puritatis candorem æmulari cupiens, quantavis carnis mortificatione, & mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus numquam satis paratus videbatur esse; à sacrificando impeditus Sacra Eucharistia reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet, & in eo ipse quoque assidue maneret.

Humilitas.

§. 8. Ut cum Patre luminum jugis esset conversatio sua, mira simplicitate in omnibus semper se gessit, magna tamen cum prudentia qua præditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in sua nihili cognitione, & vili existimatione perpetuo moraretur; se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum prædicans, omnibus subesse satagebat, ab ipsis novitiis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam sæpe imperans se ipsum perturbantem omnia, ac solum Judæ proditoris, ac Dæmonum consortio dignum appellans, innumeris aliis se ipsum probris, & convitiis onerabat. Summo mœrore cum honorifice aut tractaretur, aut exciperetur, afficiebatur; ita ut procumbens in genua ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac Paternitatis titulo Prior se honorari inhibuerit.

Paternitatis titulo Prior se honorari inhibuit.

Alii actus heroicæ humilitatis referuntur.

§. 9. Si quem læsisse sua mæstitia, aut aliter timuisset, genuflexus veniam poscebat. Concionatoribus etiam ipsis, quos instruxerat ministrum se jungebat, nec ullius quamvis ineruditum sermonem despexit. In ipsis favoribus cœlestibus, & divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore judiciorum Dei perculsus se in Infernum demergi sibi ipsi videbatur; cui timorem filialem à Deo precibus, & pœnis obtentum jungens, mœstus, & pavidus continuo apparebat. Eumdem profundæ humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus superior existens inserere studuit; dicere solitus Religiosum perfectionis cupidum debere spernere se, spernere nullum, spernere Mundum, & spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere dicebat, ut quantavis virtute, & meritis clarus esset, numquam tamen de se præsumeret, aut se alicui præferret.

Timore judiciorum Dei semper mœstus, & pavidus apparebat.

Ut alios Prior in humilitate instrueret, quid dicere solebat.

Caritas erga Deum.

§. 10. Magis æstuavit caritatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquæ extinguere potuerunt; Unde, & zelo Dei ardens utebatur, si quid contra Dei præcepta moliri, aut videret, aut audiret: quin, & sermones ejus ut faces ardebant, nihil de seculi vanitate mixtum continentes; sed vel ad Dei famulatum, vel ad pœnitentiam, & peccatorum detestationem directi erant: frequens fuit in sacræ scripturæ sententiis, aut Sanctorum gestis enarrandis: Magno fervore exaggerans, horrendum esse incidere in manus Dei viventis, & irati. Hinc plures re ipsa experti sunt ab ejus conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse.

Ejus sermones, & prædicationes quæ essent.

Audientes novis in Deum fervoribus excitati recedebant.

Sclopus quo aggreditur in Crucifixum mutatur.

§. 11. Cum nobilis quidam communem vitiorum objurgationem ad se singulariter credidisset à B. Ludovico directam: Mortem quam ei comminatus fuerat, nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter renuenti stricto in eum sclopo intentat, illico in Crucifixum mirabili transformatione sclopus mutatur, ipso Aggressore miraculi vi prostrato, ac veniam enixe petente. Beatusque Ludovicus suæ humilitati consulens, plus timens laudantem populum, quam sclopum: suo socio Christophoro de Mora præcipit, signans in ejus pectore Crucem, ut prodigium celaret: usque dum annis triginta transactis interrogatus panderet veritatem.

Ejus Socio præcipit ut prodigium celet usque ad annos 30.

Desiderium Martyrii.

§. 12. Usque adeo ardebat in eo Martyrii desiderium, ut in tremendi Sacrificii elevatione cum Divo Petro Martyre ex intimis præcordiis Divinam Majestatem exoraret: Da mihi Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluisti. In prospectu enim Imaginis S. Vincentii Martyris eisdem pœnis, & suppliciis quibus ipse certavit, & vicit, affici vehementer optavit. Audiens pœnas quibus pro fide Christi sua ætate aliqui gloriose diem clauserant extremum, ex profundo cordis in jubilum erumpens eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium jungi cupiebat.

Caritas erga Proximum.

Mulierem a peccandi consuetudine revocat.

Adolescentulam ne caderet à Deo obtinuit.

Mendicos quoscumque sibi obvios in Monasterio quamvis inope reficiebat.

Peste extinctos, quos per vias, & Montes invenisset sepeliebat.

In Xenodochiis, & Domibus ægrotos sæpe invisens plures impositione manuum, & oratione sanavit.

Morti proximo sanitatem prædicit, eamque paulo post recuperat.

§. 13. Eadem caritate etiam erga proximum ardens animarum solatia, & progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis duris se flagellis cædens, quibus mulierem honestæ (quoad Seculum) conditionis, cujus peccandi consuetudinem Deo revelante noverat, revocavit. Adolescentula etiam ne caderet, orationibus, & pœnis à Deo obtinuit. Pestis tempore quoscumque mendicos obvios habuisset, ad Conventum S. Annæ Albaidæ quamquam inopia laborantem, ubi tunc munus agebat Superioris, reficiendos adducebat: Dicere solitus, Deum numquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias, & montes procedens, peste extinctos sepultura donabat. In Xenodochiis, & Domibus infirmos sæpe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, & pro eis deprecans, sanitati restituit; Inter quos non sine evidenti miraculo Religiosus vir Franciscus Allemanus jam morti proximus à B. Ludovico de recuperanda valetudine certior factus paulo post omnino liber convaluit.

§. 14. In

Sedandis odiis incŭbit. In carcere detentos, aut morti addictos miro modo, & suaviter liberat.

§. 14. In sedandis odiis, & reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri charitas enituit, in carcere etiam detentis, aut morte addictis, ope, & auxilio non deerat, quorum plures'è miseriis, & injustis vexationibus miro modo, & suaviter liberavit.

Pedester Occidentalem Indiam petit.

§. 15. His Dei, & proximi amoris ardoribus incensus in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum Animas Deo lucraretur, a quo nec Amicorum, vel fratrum, aut Sororum artibus, precibus, vel lacrymis dimoveri potuit, omnibus enim magna cum animi submissione non sine fletibus valedicens pedestre iter occidentalem Indiam versus arripuit, & Hispalim novam ingressus omnibus ædificationi, solatio, & auxilio in opportunitatibus fuit; in qua sui Ordinis Religiosum a cadente ponderosa trochlea gravissime læsum, vulnere aqua loto sic sanitati pristinæ restituit, ut postridie mirantibus cunctis, ne vestigium quidem cicatricis apparuerit. Appulit ad Carthagenæ Portum ibique in Conventu S. Josephi sui Ordinis habitavit, & inde ad diversos Indorum Populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacoam, Paluatum, Mompoix, Sertam, Sanctæ Marthæ, Turcarum, Tenerifem, & aliis, ibique plura, & mirabilia perpetravit.

Hispalim novam ingressus graviffime læsum à cadente ponderosa trochlea sanat.

Evangelizans diversis Indorum Populis plura mirabilia patravit.

§. 16. Orationibus à Deo obtinuit, ut lingua sua Hispana, in qua natus erat evangelizando absque interprete intelligeretur ab Indis. Vigilias, sitim, famem, æstum, & frigora, in hoc Apostolico Ministerio ferens, semper pedes incedens, & sæpe æger cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. Socium quandoque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat, quin etiam præter expectationem, ut ei subveniret apparuit Arbor pomifera, fonsque ad radicem scaturivit, ut illum recrearet, & convivaret, qui postea eum inurbane deserens, misere sicut ei vir Dei prædixerat, reliquum vitæ tempus, & finem consumpsit.

Loquens sua lingua hispana intelligebatur ab Indis.

Semper pedibus incedens, ac sustinens famē, sitim, æstum, & frigora, suum cursum consummabat.

Socio vulnus in capite curavit. Ab ipso desertus misere vitam transegit, sicut ei S. prædixerat.

§. 17. Visus est etiam sæpe in itinere à via secedens flagellis se cædere. Pluries obvias habuit Tigres, aut alias Feras, quæ signo Crucis ab eo mites redditæ, itinerantibus illæsis relictis alio iter arripiebant.

Tigres, aliasque feras signo Crucis mites reddidit.

§. 18. Carthagenæ Concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire, & auditores non nisi compunctos, & amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis, sed Angeli spiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter hæc à carnalibus, ac etiam probris, & irrisionibus appetitus gaudebat, quod pro nomine JESU talia pati dignus haberetur.

Quid Carthagenæ in Concionando egerit, & sustinuerit.

§. 19. Tubaram à Superiore missus, ut Gentes illas Dei cognitione imbueret, & Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis initiaret: Omnibus illius loci infidelibus orationibus, jejuniis, flagellationibus, & aliis pœnis, à Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius Dominus Noster exequi dignatus est. Dæmonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit, & ululantem abire coegit. Infantem (quæ fuit primus quem Sacro fonte abluit) ab Indo quamvis Idololatra delatum Michaelem appellavit, ipsomet Indo palam testante se ab Angelo Domini admonitum consecuturum eum cum Baptismo salutem æternam, & ad hoc ipsum B. Ludovicum à Deo illuc directum fuisse. Idolorum etiam tuguria succendi curavit, & tanta sanctitatis ejus fama apud barbaras illas Gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quemdam Ministrum (sola præsentia tumultum sedando) detinuerit. Publicum etiam ibi adulterum quamvis potentem acriter reprehendit; a quo postea armis valide invasus mirantibus cunctis telo in terram cadente, incolumis, & intrepidus evasit.

Tubaram suis Concionibus ad Religionem Catholicam convertit.

Dæmonem mentito habitu ab his laboribus dehortantem detegit, & ab ira cogit.

Indi testimonium de Baptismate dato ejus filio.

Quanta fuerit fama Sanctitatis apud illas gentes.

AbAdultero acriter reprehenso armis invasus telo cadente incolumis evadit.

§. 20. Nec ab hominibus solum, sed etiam a Dæmonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit: præsertim apud quemdam veteranum Idolorum Sacerdotem morti proximum, quem Sacro Baptismate initiavit, & ab ipsorum immundorum spirituum infestatione fixo apud illum S. Crucis signo liberavit. Jacobum Raphaelem Frances, ex eo loco prævidit naufragum futurum, quem propterea per diem, & binas noctes natantem, & Beatiss. Virginis Sanctiss. Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad litus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus, & vestitus expectaverat, & a mortis instantis faucibus eripuit.

Etiam à Dæmonibus plurima invicte pertulit.

Naufragantē per diem, & duas noctes natantem salvum ad litus recepit.

§. 21. Ab ipsis Indis visus fuit a terra in estasi elevatus, quem postmodum summa veneratione coluerunt, & abeuntem amare defleverunt; crediturque Populum illum ejus intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare ad cujus Hospitium in Oratorium commutatum etiam nunc, & Indi, & Hispani ad Divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt.

Visus est à terra in estasi elevatus.

Abeuntem Tubaræ gentes amare deflent.

Etiam hodie in fide perseverant, & ejus Hospitiū inOratorium commutarunt.

§. 22. His similia in Oppidis Cipacoe, & Peluati egit, ubi etiam evangelicam paupertatem servans lætus in rerum summa inopia, & volens vitam degebat, ac orationibus præter spem optatos obtinuit imbres, & Cinagam fluvium præ aquarum redundantia impervium signans Cruce aquas prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviæ, illo Beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum, nec socios attigerunt.

Similia egit in Oppidis Cipacoe, & Pelvati.

Latus in summa rerum inopia volens vitam degit.

Fluminis impervii aquas prout voluit transegit.

Cadentes pluviæ nec ipsum, nec socios attingunt.

§. 23. Sub monte Sanctæ Marthæ Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis prædicationibus ad fidem conversa baptizavit. Et non procul inde potentissimum venenum sibi ab Idolorum sacrificulo propinatum ebibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus, seu parvis serpentibus stomacho ejectis, ac incolumis magno præsentium stupore perduravit.

15. m. Indos Montis S. Marthæ sua prædicatione conversos baptizavit.

Venenum propinatum ei non nocet.

§. 24. Dæmones visibiliter Gentibus illis apparentes, signo Crucis, & miris modis sæpe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In oppido Monpoix visi sunt ei genuflexo assistere Sancti Doctores Ambrosius, & Thomas de Aquino.

Dæmones visibiliter illis gentibus apparētes signo Crucis sæpe fugavit, & inde alios plures cōvertit.

Ei genuflexo visi sunt assistere SS. Doctores Amprosius, & Thomas de Aquino in Oppido Monpoix.

§. 25. In Insula Sancti Thomæ dum furentes pagani arreptis lapidibus viro Sancto necem intentant, monitus ut fugeret, constantissime renuit, solaque Divini Verbi efficacia ducentos ex Aggressoribus jugo Christi subjecit. Quemdam ex Pegionis proceribus de salutiferæ Crucis arcano mysterio doceri cupientem repentino miraculo convertit, nam Arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus conspicuam figuram Crucis rudi cortici mirabiliter impressit, eoque ostento tum illi, tum aliis Baptismum in fide vivificæ Crucis persuasit.

In Insula S. Thomæ 200. ex Aggressoribus convertit.

Procerem cū aliis repentino miraculo pariter convertit.

§. 26. Sane vir iste Apostolicus non solum juxta promissionem S. Evangelii, quod prædicabat, in Nomine Domini Nostri Jesu Christi Dæmonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales visibiliter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter Gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie discrimen vitæ superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem sua zona præcingi jussam una cum prole ab interitu liberavit, ipsamque jam puerperam cum Marito, propinquis, ac domesticis lavacro Sacr. Baptismatis ab infidelitate mundavit.

In eo promissio Evangelii, quod prædicabat verificatur.

Indam infidelem in partu extreme periclitantē una cum prole ab interitu liberat.

Eam deinde cum Marito, & tota familia cōvertit, & baptizat.

§. 27. Navigans cum aliis in Flumine à Magdalena nuncupato irruente tempestate Navi eversa, cunctisque in aqua immersis, orans emersionem, & incolumitatem obtinuit. Pristi-

Navigans cū aliis irruente tempore navi eversa,

cunctisque in aqua immersis orans incolumitatem obtinuit. Plures sanitati restituit, & mortuam ad vitam revocavit.

nam valetudinem pluribus reddidisse, & defunctam ad vitam Sanctissimi Rosarii applicatione revocasse compertum fuit.

Obedientia obtenta in Hispanias revertitur. Secum navigantes signo Crucis à tempestate liberat.

§. 28. Videns, nec impedire, aut ferre valens angustias, quibus ut plurimum violenter à Præfectis quibusdam etiam vulneribus, & cæde Indi opprimebantur, obedientia obtenta in Hispanias rediit; cumque in Mari Navis periclitaretur, rogatus à Navigantibus, tumentes undas tandiu Cruce signavit, donec optata tranquillitate reddita, omnes ad Portum Hispali incolumes pervenerunt.

In summa inopia Religiosis, quibus præfuit in Conventu S. Honuphrii nihil defuit. Deus ei pecunias ministravit ad sustentationem pauperum.

§. 29. In Conventu S. Honuphrii post reditum ab Indis ex obedientia præfuit, quem ære alieno gravatum, & inopia ex annorum sterilitate orta laborantem invenit, & omnibus satisfaciens, Religiosis nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin, & plurimis egenis, miserabilibusque Personis large eleemosynas suppeditavit, quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, & mirabiliter ei pecunias ministrante, quin & in ædificio ad honorem S. Crucis constructo ostendit regente Domino servis ejus nihil deesse.

Item pro eis orans ab imagine S. Vincentii Ferrerii elevatur. Mortificationes, summam abstinentiã, & alia nec concionando, nec regendo dimisit. Studia promovit. Subditis egredi à Claustro non permisit, nisi urgente necessitate. Quid Ostio sui Cubiculi inscribi voluit. Omnia omnibus erat.

§. 30. In Cœnobio Valentiæ Superiorum jussu licet invitus Prior constitutus, in Cella S. Vincentii Ferrerii regimen eidem Sancto commendans, ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante meruit amplexu honorari, atque elevari. Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam Chori, & summam abstinentiam, quibus se exercebat, nec concionando, nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in Sanctis, aut eruditis exercitiis occupatos, quorum è claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voluit: Si hominibus placerem, Servus Dei non essem. Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo rudentis consilia, fratris familiaritatem, Patris benignitatem, Viri Sancti perfectionem, & omnium virtutum compendium invenerit.

Animam sui Pœnitentis in SS. gloria conspexit.

§. 31. Contigit ei ibi videre animam cujusdam sui olim pœnitentis (qui eumdem Beatum verbo læserat) testantem, Deum nolle eam ad Gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente, & pro ea celebrante, quo facto sequenti nocte illam in Sanctorum Gloria conspexit.

Sanctorum, & ipsius Christi Domini Visionibus pluries recreatus.

§. 32. Aliis etiam Beatorum in æterna felicitate regnantium, & maxime sanctorum sui Patriarchæ Dominici, & Francisci, quin, & ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit, sibique omnia sua peccata dimissa fuisse audivit.

Conciones Quadragesimælicet infirmus, & naturaliter impotens absolvit. Deperdita Divinitus recuperat.

§. 33. Sætabi (vulgo Xativa) à Primoribus Civitatis rogatus pro concionibus in proxima Quadragesima apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum, & naturaliter impotentem se agnosceret, à Deo, & velle, & cursum integrum quadragesimalium concionum perficere obtinuit. Gubernatori Valentiæ Jacobo Ferrerio indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione summopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit.

Spiritu Prophetico clarus. Congregationem Excalceatorum Carmelitar. tunc fundatã prædicit brevi inter Illustriores Religiones esse connumerandam.

§. 34. Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit, ut & plurimas res futuras, cum in spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines, & mortes, quam circa Animarum profectus, & mores sæpissime pronunciavit; Nam & S. Teresiæ à Jesu suam Excalceatorum Claustralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illustriores Sanctæ Ecclesiæ Religiones (ut reipsa evenit) connumerandam esse prædixit. Tribus Regularibus diversos ipsorum successus, & fines, prout contigerunt, pronunciavit. Virum nobilem, injuria Prælatum quemdam vexantem, ultionem Domini brevi experturum fore dixit, quod mors ejus repentina à Domino revelante ei notum fuisse demonstravit. Arcana etiam plurima tam in rebus corporeis, quam secretis cordium latentia, nuda, & aperta fuisse oculis mentis ipsius à Deo illustratæ (stupentibus omnibus) rerum eventus ostensa fuisse indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis, ac admirandus fuit. Alia quoque quamplura naturaliter ignota, tam clare, distincte, & ordinate, prout erant, aut acta, aut cogitata enarravit, ut solum Deo revelante hæc illi innotuisse compertum fuerit.

Tribus Regul. diversos eorum successus, & fines prænunciat. Ultionem Dei Viro nobili prænunciat, & sequitur. Arcana plurima tam in rebus corporeis, quam cordium detegit. Quam plura naturaliter ignota, clare & distincte refert.

Ingens patientia in Infirmitatibus. Biennio ante obitum plures morbos invicte toleravit. In suis Infirmitatibus quid diceret.

§. 35. Virtus ejus in toto decursu vitæ à Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit, in complexione enim ipsius satis delicata, non solum potentia visiva parum valens & auditus imperfectus inerat; sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos, & vertigine capitis vehementer cruciabatur. Quin, & viscerum pravis affectionibus, & aliis occultis infirmitatibus maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerante ut frequenter ex ejus ore verba Doctoris S. Ecclesiæ Augustini resonarent: Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.

Convalescens ad mortificationem, & communem observantiam redit. Levamina Convalescentium aliis infirmis dispertit. Saxo decumbens quid diceret.

§. 36. Ubi primum convalescebat, ad mortificationis, & observantiæ communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus, & convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fercula cuncta partiebatur: quin, & saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens arctam esse viam, quæ ducit ad vitam.

Instantem sibi mortem agnovit. Suscepturus SS. Eucharistiæ Viaticum quid fecerit.

§. 37. Sic infirmando fortior semper redditus, agnovit sibi instare adimpletionem Divini promissi, quod olim in festo S. Catharinæ Virginis & martyris obtinuerat, quando ex medio magnæ lucis sponsum ei fuit tandem ex his tenebris in lucem illam æternam, quæ lucet Sanctis Dei in perpetuas æternitates migrandum esse. Nam inter labores concionum morbo ingravescente febribus decubuit, & suscepturus pro Viatico Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis Sanctæ fidei Catholicæ accuratam professionem emisit; imploravit etiam ferventissime Domini nostri Jesu Christi auxilium, & Sanctissimæ Virginis Deiparæ patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, & præcipue sui Ordinis, expressoque nomine Sancti Vincentii Ferrerii subjunxit: Pater mihi currus Israel, & auriga ejus.

Circumstantes rogavit, ut secum Dominum deprecarentur ne mortis sententiam revocaret. Mœrenti de gravi morbo suæ filiæ prædicit eã tunc non morituram. Remissa paulisper vi morbi surgebat ad Sacrũ celebrandũ. Eo ingravescente habuit assistentem, & sæpissime Ministrantẽ Archiepiscopum Valentiæ. Dicto Archiepiscopo hortanti ad resignationẽ in suis cruciatibus quid responderit. In suis cruciatibus quotidie per binas horas orationi vacabat.

§. 38. Enixe petiit à circumstantibus, ut simul cum eo Dominum deprecarentur, ne mortis sententiam revocaret, & Joanni Boil mœrenti de gravi suæ filiæ infirmate, eam tunc non migraturam à vita vere prædixit. Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate assistentem, & sæpissime ministrantem, non sine magna sua confusione, & animi demissione habuit Joannem à Ribera Patriarcham Antiochenum, tunc Archiepiscopum Valentinum, qui dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in Divinæ voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illud dicentem, se pœnas illas quibusvis mundi hujus terrenis bonis pluris facere, & chariores habere. Ab his cruciatibus quantumvis vehementibus, nec detineri, aut retardari potuit, quin per singulos dies per binas horas consuetæ orationi vacaret, & sæpe Sacra Exomologesi se purificans divino altaris Epulo reficiebatur, aliisque infirmis horum Sacramentorum frequentiam suadebat, sæpe repetens, hæc Divina mysteria non solum animæ, sed etiam corporis, ut plurimum salutem operari.

§. 39. Con-

Sæpe S.Exomologesi se purificans Divino Altaris Epulo reficiebatur. Aliis Infirmis frequentiam Sacramentorum suadens quid diceret. Elevatus in Deum concentus musicos audiebat. Ante annum prædixit se moriturum in festo S. Dionysii. Dux Gandiæ petit à S. D. benedictionem, quam humillime impertit. Monialis eum præsentialiter veneratur, & iterum miraculose redditur suo Monasterio. Prædicit sibi quatuor superesse dies vitæ, & frequenti S.Vincentii Visitatione recreatur.

§. 39. Concentus musicos in ea ægritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique variis remediis, & morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante S. Dionysii festivitate, qua die ante annum se moriturum esse prædixerat, plures occurrerunt certatim cupientes ab eo benedici, vel suis Rosariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius Ducis Gandiæ genuflexus, & pedes ejus lacrymabundus osculatus benedictionem devote, & singultiens præstolabatur, quod vir Dei se quidem maximum Peccatorum cum Divo Paulo dictitans, & mente ad nihilum suum conversus humillime præstitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelæ à Guglione Virgini Religiosæ Ordinis S. Francisci in perpetua Clausura degenti concessum fuit dum ex corde optabat præsentialiter Christi Domini Servum venerari, illico enim (ministerio creditur Angelico) ante ejus pedes constituta, & voti compos facta, suæ cellæ iterum miraculose reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus dissolvi, & esse cum Christo, nec aliter, quam, aut Sanctissimi Altaris Sacramenti quotidiana sumptione, aut cum Crucifixi Imagine colloquiis suas moras solabatur. Feria sexta ante obitum referenti diem Veneris esse, Benedictus Deus (respondit ille) adhuc quatuor supersunt dies, frequente cœlesti S. Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summa veneratione, & imitatione colere studuerat, recreabatur.

Biduo ante mortem S. Olei Unctione se munit.

§. 40. Biduo ante decessum e vita sacram Olei Infirmorum unctionem devote petiit, & singulis orationibus respondens, seque Sanctis orationibus, & mortificationis exercitiis muniens, Sanctissimi Crucifixi Imaginem frequentibus oculis venerans, & orans, in die festo S. Dionysii, ut sæpe prædixerat, hora quindecima sentiens se paulatim deficere, assistentem ex more Patriarcham pro impetranda benedictione, & Sancti Evangelii lectione precatus est. Quod amantissimus Antistes uberrime lacrymans præstitit. Cumque commendationis Animæ juxta sui Ordinis Ritum preces persolverentur, ad illa verba, ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad Gloriam Regni cœlestis, præstante D. Nostro Jesu Christo, Spiritum suum in manus Patris vinculis carnis absolutum commendavit, septimo Idus Octobris anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo octogesimo primo, ætatis suæ quinquagesimo quinto; Eoque temporis momento visa est ex ejus ore lux instar fulguris recta in cœlos evibrata totam cellam illuminare, & supra Conventum Divina claritas fulsit. Quin & in Ecclesia pluries militiæ cœlestis harmonici concentus à diversis auditi sunt, & pluribus aliis signis servi sui Gloriam Omnipotens Deus notam fecit, quibus publica Populi veneratio successit, Ludovicum undique sanctum proclamantis, & certatim coronis, ac Rosariis Sacrum Corporis pignus attingere tentantis, misericordiam enim à Domino; ac Divina quæcumque beneficia se obtenturos omnes sperabant, si eum apud Divinam Clementiam Protectorem, & Advocatum obtinere digni forent.

Ad verba prout in rubrica &c. obiit die 9. Octobris 1581.

Prodigia, quæ in ejus obitu evenerunt.

Populus undique Sanctum proclamavit.

Quæ post ejus obitum contingunt.

§. 41. His accessit Altissimi erga suum servum assistentia, ita ut ejus suffragantibus meritis, & vivens, & post obitum populis in necessitatibus per opera mira, & prodigia, quibus ipse Deus in sanctis suis mirabilis dignoscitur, protector, & adjutor semper extiterit. Ex Processibus enim confectis, & ad Urbem transmissis, ac aliis auctoritate Apostolica, causam Beatificationis, & Canonizationis ejus respicientibus, Congregatio Sacrorum Rituum censuit constare, non solum de illorum validitate, & de fama Sanctitatis, deque virtutibus Theologicis, & Cardinalibus in gradu heroico, verum etiam concludentes probationes continere insignium Miraculorum ejusdem tam viventis, quam defuncti.

S. C.SS. Rituum censuit constare de validitate processuum; virtutibus S. D. & miraculis in vita, & post mortem.

Liberatio ab incendio.

§. 42. Cum enim esset Prior Albaidæ, Pastoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente, & flamma succrescente, jam ardentibus arboribus in vineis, & frutetis, magnum excitandum esse, ad destructionem, ignem, timebatur, non sine magno Conventus detrimento, accurrit vir Dei, & elevatis oculis in cœlum signo Crucis flammam benedixit, quæ illico evanuit, ac si nunquam ibi fuisset, eædem arbores læsæ exigua solum linea in signum miraculi apparente, immunes ab adustione visæ sunt remanere.

Sanatio ab exitiali struma.

§. 43. Moncadæ in Domo Josephi à Campo neptis hospitis Speranza Assentia dicta ab exitiali struma in collo afflicta cum fœtore horrendo ex ulceribus manante, non solum circumstantibus, sed etiam ipsimet infirmæ, intolerabili, facto signo crucis super parte affecta, & lingua linita a dicto Beato Ludovico veluti à sensibus alienato, & facie ejus luce fulgida remanente, statim ægra convaluit.

Ejus Cadaver nituit ut speculum.

§. 44. Cadaver ipsius quadam veluti crystallina puritate sic nituit, ut adstantes in ejus virginea carne, velut in limpidissimo speculo suosmet vultus fuerint conspicati.

Odorem suavissimum reddit.

§. 45. Toto etiam corpore suavissimus odor erumpens non solum proxime vicinos, sed longius dissitos mirifice peregrinæ fragrantiæ oblectamento adhalavit.

Post sex menses integrum, incorruptumque reperitur.

§. 46. Sex circiter mensibus loco humido, ac stillicidiis obnoxio sepultum jacuerat Sancti Viri Cadaver, quando extractum, ut decentiori tumulo inferretur, integrum, incorruptumque, solis vestibus undique putrefactis repertum est, iterumque mirabili suaveolentia circumstantes implevit.

Uncta oleo lampadis sepulcro S. D. ardentis, ab immani dolore capitis liberatur, & capillos recuperat jam amissos.

§. 47. Ursulæ Soler filia erat, cui immanes capitis dolores omne capillitium radicitus abstulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petitum à lampade, quæ coram B. Viri sepulcro ardebat, hujus oleo perunctum caput puellæ, non solum abactis penitus doloribus, integram valetudinem, sed & capillos recuperavit.

Oculis orbata, ejusque ad fontem S.D. lotis visum recuperat.

§. 48. Quædam Puella oculis orbata ad fontem loci Ruzafa e quo Beatus bibere solebat, lotis oculis pristinum eorum usum recuperavit.

Cæcus pariter ad sepulcrum S.D visum pariter recipit.

§. 49. Gaspar Ramirez cæcus, ad tumulum Sancti novenam peragens, ultimaque die oculos sepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emisit ab oculis, ac subito cæcitatis suæ caliginem lætus abstersit.

Aridis Mamillis lactem recuperat.

§. 50. Lactanti Andracæ Abreus cum aruissent mamillæ, novena ad sepulcrum sancti exacta, mox pristinam lactis affluentiam impetravit.

Ulceroso abscessu torta ad feretrum S. D. sanitatē recuperat.

§. 51. Isabella Joanna Salon cum pluribus annis graviter ulceroso quodam abscessu torqueretur, attacta, feretro, quod S. Cadaver gestaverat, perfectæ sanitatis beneficio potita est.

Benedicto fonte abluta à febri, dysenteria, & hernia liberatur.

§. 52. Isabella Gerbin supradicto Ruzafa benedicto fonte abluta, simul, & febrim, & dysenteriam, & herniam incolumis abegit.

Paralytica haustu ejusdē aquæ, & invocato nomine S.D. pristinæ valetudini restituitur.

§. 53. Anna Monfort, cui paralysis usum membrorum prorsus ademerat, & morbi violentia situm oris fœdissime distorserat, haustu aquæ ex eodem Ruzafæ Fonte, ac invocato Sancti Ludovici nomine, tum ipsa valetudini, tum os priori situi restitutum fuit.

Rupto Peritonæo, forasque extrusis intestinis, panis in eodē fonte madefactis incinctus integre sanus evadit.

§. 54. Hieronymæ Capell filiolus rupto peritonæo, forasque extrusis intestinis jugiter ejulans, & sanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafæ pannis in eo madefactis incinctus fuit, integre sanus domum reportatur.

Nervis attracta, fœdisque ulceribus plena pāno S.D. se obsignat, & sanatur.

§. 55. Vincentia Morell vidua ex nervorum dira attractione per undecim menses decubua, fœdisque ulceribus, undique plena, dum panno, quo Sanctus usus fuerat, nervos, & ulcera successive obsignat, eodem ordine, & hæc sanari, & illos

& illos vivide sensit explicari, finitaque singulorum obsignatione, vegeta lectum reliquit.

Panes multiplicat in Conventu S. Honuphrii.

§. 56. Cum in Conventu S. Honuphrii Priorem agens reficiendæ Religiosorum Communitati panes deesse adverteret, Christi in deserto providentiam imitatus, septem fragmenta, quæ solum domi superfuerant, arripuit, eaque solo benedictionis impendio sic multiplicavit, ut non tantum in prima mensa Fratribus triginta, & amplius in prandium abunde suffecerint, sed etiam reliquos in secunda mensa congrue saturaverint.

Fractis cruribus ad sepulcrum S. D. in pedes exiliit.

§. 57. Joanni de Pedevera domestico Valentini Archiepiscopi famulo delapsum ex alto pondus gravissimum ita utrumque crus diffregerat, ut per novem menses aliter, quam grallis innixus moveri non potuerit. In his ægerrime usque ad Sancti viri sepulcrum accedens, fusa oratione confestim in pedes exiliit, grallisque inibi relictis, domum incolumis repedavit.

Acuta febri medullitus exusta ad tactum Rosarii S. D. statim febris abscedit.

§. 58. Isabella Vincentia Pajades acuta febri medullitus exusta, jamque à Medicis derelicta, morti appropinquabat; Sed ad contactum Rosarii, quod S. Ludovico, dum vixit usui fuerat, subito mirantibus quotquot aderant, febris abscessit.

Paulus V. S. D. Catalogo Beatorum adscripsit.

§. 59. His, aliisque non paucis virtutibus, ac signis permotus fel. rec. Paulus V. prædecessor noster, Servum Dei Ludovicum Catalogo Beatorum adscripsit. Exinde aliis Processibus rite confectis approbata insuper fuere miracula, quæ subsequuntur.

Miracula post Beatificationem.

Incorruptio Corporis post 66. annos ab ejus obitu.

§. 60. Primum incorrupti Sacri Corporis post annos fere sexaginta sex ab ejus sepultura, tametsi nunquam interea fuisset aut exenteratum, aut illis adversus corruptionem condimentis imbutum. Et nihilominus dum anno 1647. transferebatur in pretiosius monumentum, adhuc flexibile, illæsum, atque tractabile inveniebatur.

Repentina sanatio à febri, Dysenteria, & Vomitibus.

§. 61. Secundum in repentina sanatione Pueruli Aloysii Vincentii Montesinos, qui ardentissima correptus febri, exhaustus dysenteria, & vomitibus, scaturiens vermibus, jamque costulis stomacho adnatis eo deductus erat, ut domesticis plane videretur extinctus, unde mortalibus involucris obfasciatus parabatur ad sepulturam. At mœstissimus parens facto ad S. Ludovici tumbam recursu, atque ibidem emisso voto, cum festinus domum revertitur, filioli pulsum explorans vitæ indicium reperit, statimque Puer oculos aperiens, ex integro sanus deprehenditur.

Præservatio Puellæ in curru mole Carbonum onusto rapido tractu currente.

§. 62. Tertium in stupenda præservatione quadriennis Puellæ Gesualdæ Gildæ Ramirez, quam currus mole carbonum onustus, rapidoque sex mulorum tractu celer obterendam humi dejecerat, ac duabus Rotis substratam valide opprimebat: sed implorato Sancti Ludovici præsidio surrexit incolumis Puella, & in evidentiam miraculi apparuerunt in ejus capite, collo, & humeris clavorum signa à rotis leviter impressa.

Liberatio instantanea à deformi hernia.

§. 63. Quartum in Bartholomæo Christophoro Damingue, quem deformis hernia pendulis intestinis adeo laxaverat, ut sicubi in genua procumberet, scrotum ulceribus jam erosum, ac putrescens humum tangeret. Sed ad invocationem S. Ludovici tota hæc miselli calamitas illico evanuit.

Clemens IX. decrevit posse tuto deveniri ad solemnem d. Beati Canonizationem.

Preces Leopoldi Imperatoris Caroli II. Hispaniarum Regis, & Ordinis Prædicator.

§. 64. His, & aliis deductis, approbatisque Miraculis emanavit Decretum à piæ mem. Clemente IX. etiam prædecessore nostro, posse tuto deveniri ad solemnem prædicti Beati Canonizationem, pro qua obtinenda accesserunt Charissimorum in Christo filiorum nostrorum Leopoldi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli II. Hispaniarum Regis, necnon, & Ordinis Prædicatorum preces, quibus à prædictis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & à nobis eamdem sæpius postulaverunt. Quapropter ejus vitæ sanctissimæ meritis exigentibus, & ad prædictorum preces inclinati, cum jam nihil deesset eorum, quæ ad hanc Sacrosanctam functionem necessario ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & servanda requirebantur, justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in Terris, hodie in Sacrosancta Basilica Beati Petri Principis Apostolorum, in qua solemni Ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, officialibus, & Familiaribus nostris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenimus, post trinas pro Canonizationis Decreto nobis nomine dicti Caroli Regis per dilectum filium nostrum Ludovicum tit. S. Sabinæ S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Portocarrero pro parte ejusdem Regis porrectas petitiones, post Sacros Hymnos, Litanias aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam.

Pontifex in Basilica S. Petri convenit pro solemni illius Canonizatione cum solitis cæremoniis.

Canonizatio.

§. 65. Ad honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Sanctæ Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate D. N. Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra matura deliberatione præhabita, & Divina ope sæpius implorata, ac de Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium Consilio, Beatum Ludovicum Bertrandum SANCTUM esse decrevimus, & diffinivimus, ac Sanctorum eum Catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, diffinimus, & adscribimus: statuentes ab Ecclesia Universali quolibet anno die 10. Octobris memoriam ejus inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Sancti festum decernitur.

Indulgentia 7. annor. & totid. quadragenarum visitantibus sepulcrum dicti Sancti in die festo singulis annis.

§. 66. Eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ipsius S. Ludovici ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit visitandum accesserint, septem annos, ac totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Dño relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Præmissis laudibus, & confessionibus Pontifex Missam celebrat cum ejusdem Sancti commemoratione.

Omnibus præsentibus Indulgentiã plenariam concedit.

§. 67. His peractis Deum Patrem æternum, Regemque Gloriæ Christum Dñum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque Hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari in honorem Beati Ludovici Oratione precati sumus per ejusdem merita, atque ad Altare S. Petri Apostoli Missam celebravimus cum ejusdem S. Commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessimus.

Gratias agit Deo.

§. 68. Æquum igitur est nos gratias agere, & laudare Deum Patrem Omnipotentem, qui servum suum benedixit in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus, & immaculatus coram ipso, & dedit illum Universis Christifidelibus tanquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum, & tribulationum nostrarum, ut Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem, Principibus Christianis optatam concordiam, & infidelibus à via salutis errantibus lumen veritatis obtineat. Adeamus igitur cum fiducia Thronum Divinæ pietatis, ore, & opere supplicantes, ut S. Ludovicus universo Christiano Populo prosit meritis, & exemplis, precibus adsit, ac patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

Fides transumptorum.

§. 69. Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca ubi opus esset deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis,

& sigillo

& sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis. §. 70. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, diffinitionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Edit. 12. Apr. 1671. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, Pridie Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno primo.

† Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† *Ego Franciscus Episcop. Ostien. Card. Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius.*
† *Ego F. M. Episcopus Portuen. Card. Brancatius.*
† *Ego Uldericus Episcopus Tusculanus Card. Carpineus.*
†
†
† *Ego Virginius Episcopus Albanensis Cardinalis Ursinus.*
†
† *Ego Cæsar Presbyter Card. Fachenettus.*
†
†
† *N. Tituli S. Mariæ Transtyberim Cardin. Ludovisius.*
† *Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyt. Cardin. Cybo.*
† *Ego Fridericus tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Sfortia.*
† *Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presbyt. Card. Odescalcus.*
†
† *Ego Aloysius tit. S. Alexii Presbyt. Cardinalis Homodeus.*
† *Ego P. tit. S. Marci Presb. Card. Otthobonus.*
† *Ego Laurentius tit. S. Chrisogoni Cardin. Imperialis.*
† *Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Preb. Card. Santacrucius.*
† *Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Spada.*
† *Ego Franc. tit. SS. Quatuor Coronator. Cardin. Albitius.*
† *Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Aquaquiva, & Aragonia.*
† *Ego Carolus tit. Sanctæ Priscæ Presbyt. Cardin. Pius.*
† *Ego Carolus tit. S. Eusebii Presbyt. Cardinalis Gualterius.*
† *Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Chisius.*
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presbyt. Cardinalis Franzonus.*
†
† *Ego Petrus tit. Sancti Callixti Presbyt. Cardinalis Vidonus.*
† *Ego Franciscus Maria tit. S. Matthæi Presbyter Cardinalis Mancinus.*
†
†
†
† *Ego Nerius tit. SS. Nerei, & Achillei Cardin. Corsinus.*
† *Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presbyt. Cardinalis Bonellus.*
†
† *Ego Carolus tit. S. Susannæ Presbyt. Cardinalis Caraffa.*
† *Ego P. tit. SS. XII. Apostolorum Presbyt. Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.*
† *Ego Cæsar tit. S. Jo: ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.*
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Mariæ de Pace Presb. Cardin. Ninius.*
† *Ego Julius tit. S. Martini in Montibus Presbyt. Cardin. Spinula.*
† *Ego Carolus tit. S. Mariæ de Aracœli Presbyter Card. Robertus Vitor.*
†
†
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Sixti Presbyt. Cardinalis Rospigliosus.*
† *Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ Presbyter Cardin Portocarrerus.*
†
†
† *Ego Joannes tit. S. Bernardi Presbyt. Cardinalis Bona.*
† *Ego Federicus tit. S. Augustini Presbyter Cardin. Borromeus.*
† *Ego Camillus tit. S. Mariæ Dominica Presbyter Card. Maximus.*
† *Ego Gaspar tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardin. Carpineus.*
†
†
† *Ego Fridericus tit. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hassia.*
†
† *Ego Carolus Sancti Cæsarei Diacon. Card. Barberinus.*
† *Ego Decius Sancti Eustachii Diacon. Cardinalis Azzolinus.*
† *Ego Paulus tit. S. Nicolai Diac. Cardinalis Sabellus.*
†
† *Ego Sigismundus S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Chisius.*

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

Loco ✠ Plumbi,

D. Ciampinus.

Registrat. in Secretaria Brevium.

XIX. Die 15. Maji 1671. An. 2.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Fratrum, & Monialium Ordinis S. Dominici, tam erectas, quam erigendas ubicumque locorum in Festis SS. Ludovici Bertrandi die 10. Octob., & Rosæ de S. Maria die 30. Augusti.

Nunc primum impress.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in Terris, spiritualium munerum Thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos Cœli incolas fidelium devotionem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium fratrum nostro-

Canonizatio SS. Ludovici Bertrandi, & Rosæ de S. Maria Ordin. Prædicat.

rum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, in Alma Urbe nostra tunc existentium consilio, Beatum Ludovicum Bertrandum Ordinis Prædicatorum professorem, & Beatam Rosam de S. Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctos esse decreverimus, & definiverimus, illosque Sanctorum Catalogo solemni Ritu adscripserimus: Hinc est quod Nos ad augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, diebus festis eorumdem Sanctorum Ludovici Bertrandi, & Rosæ de S. Maria, nempe S. Ludovici quidem die 10. Octobris, S. Rosæ vero dies 30. Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis festorum hujusmodi, annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæretum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus die 10. Octob. & 30. Augusti.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 15. Maji 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1671. Pontificatus nostri Anno secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium lib. 2. diversor. fol. 692.

XX. Die 10. Julii 1671. An. 2.

Indultum pro Patribus Congregationis Missionis, ut illius Presbyteri, aliorum ipsius Congregationis iter cum ipsis agentium confessiones audire possint, & Generalis in singulis Domibus deputare valeat Confessarios cum facultate aperiendi, & exequendi literas Pœnitentiariæ Apostolicæ.

Nunc primum edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolici muneris, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ, atque clementiæ altitudo humilitati nostræ imponere dignata est, ratio nos admonet, ut paternam Congregationum virorum in Ecclesia Dei uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium, curam peculiari studio gerentes, illas quo laudabilia earum Instituta cum majori spirituali consolatione, uberiorique animarum fructu prosequi valeant, Apostolicis favoribus, & gratiis decoremus.

Motivum hujus Indulti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Renatus Almeras Superior Generalis Congregationis Missionis, quod cum ipse Sacerdotes, aliosque dictæ Congregationis Missionum obeundarum, aliisque de causis in varias partes, ex officii sui debito mittat, frequenter contingit ut illi per Diœceses transeant, in quibus ad confessiones audiendas approbati non sunt, & proinde non audent sibi invicem peccata sua sacramentaliter confiteri, tametsi multi Theologi existiment id eis licere vigore quarumdam fel. rec. Alexandri PP. VII. prædecessoris nostri in simili forma Brevis literarum, per quas à Jurisdictione Ordinariorum in iis, quæ ad Disciplinam domesticam spectant, eximuntur: quam tamen opinionem, abundantioris cautelæ gratia, sequi hactenus noluerunt, sed in ejusmodi occasionibus peccata sua Confessariis, in locis per quæ transibant approbatis, confessi sunt.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Presbyteris, aliisque præfatis non solum commodius, sed etiam eorum animabus utilius futurum sit, si in itinere personis per eorum Superiores deputatis, ac Instituti præfatæ Congregationis peritis peccata sua confiteri valeant:

Alterum simile motivum.

§. 3. Et persæpe eveniat, ut in Missionibus, aliisque functionibus, quibus Presbyteri Congregationis præfatæ juxta eorum Institutum incumbunt, eis offerantur casus, in quibus oporteat literas a Pœnitentiariæ Apostolicæ officio obtinere, ejusmodi vero literæ inutiles interdum remaneant, propter defectum personarum, quæ illas aperire, & executioni mandare valeant, nec ejusmodi defectum supplere possint Presbyteri præfati, quippe, qui licet Sacræ Theologiæ, tam moralis, quam speculativæ studiis operam sedulo navent, nullum tamen gradum scholasticum suscipere consueverunt: Nobis propterea d. Renatus Superior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superioris Generalis.

Absolutio a Censuris.

§. 4. Nos igitur piis ejusdem Renati Superioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quibuscumque Congregationis præfatæ Presbyteris, qui tamen in Diœcesibus ubi residere soliti sint, seu unde discesserint, ad confessiones audiendas approbati reperiantur, ut Sacramentales quorumvis aliorum ejusdem Congregationis una cum ipsis iter pro tempore agentium confessiones, tametsi in illis Diœcesibus, in quibus iter agendo reperirentur, approbati non fuerint, audire, illosque à peccatis suis pœnitentia salutari, & aliis, quæ fuerint injungenda, eis injunctis, absolvere libere, licite, & valide possint auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Presbyteri Congregationis Missionis aliorum ejusdem Congregationis cum eis iter agentium ubique locorum confessiones excipere possunt, si unde discesserint ad confessiones audiendas, fuerint approbati.

§. 5. Præterea memorato Renato moderno, ejusque successoribus Superioribus Generalibus Congregationis præfatæ per se, vel per alios sibi subordinatos ejusdem Congregationis Superiores certum in unaquaque ipsius Congregationis Domo (prout expedire in Domino judicaverint) numerum Presbyterorum d. Congregationis, integritate, pietate, doctrina, & prudentia conspicuorum, qui dummodo ab Ordinariis Locorum ad confessiones audiendas approbati fuerint, literas per præfatum Pœnitentiariæ Apostolicæ officium pro tempore expeditas aperire, ac illas servata cæteroqui earum forma, & dispositione, exequi libere pariter, & licite valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si Magisterii, vel Doctoratus, aliosve gradus, quos haben-

Superior Generalis sive per se, sive per alium sibi subjectum in qualibet Domo d. Congregationis ex Confessariis jam approbatis certum numerum deputare valet cum fa-

cultate aperiendi, & exequendi literas Pœnitentiariæ Apost.

habentibus Confessariis literæ ipsæ directæ fuerint, suscepisse reperirentur, dicta auctoritate designandi, ac eligendi, & deputandi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impertimur.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere,, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstan. Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu Superioris Generalis ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Edit. 10. Julii 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Julii 1671. Pontificatus nostri anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Julii par. 2. fol. 266.

XXI.
20. Septemb. 1671. An. 2.

Erectio Montis non vacabilis Ursini Quintæ Erectionis, cum amplissimis gratiis, & Privilegiis favore Montistarum, & Montis Depositariorum.

Nunc primù impressa.

CLEMENS PAPA X.

Motu proprio, &c.

Exordium ab ampliandis gratiis erga benemeritos de S. Sede.

ROmanum decet Pontificem gratias personis de se, ac S. Sede Apostolica benemeritis alias concessas, prout occasio, vel necessitas expostulat ampliare, & super eis disponere, prout salubriter in Domino conspicit expedire.

Paulus V. motu proprio erexit Montem non vacabilem Ursinum tertiæ Erectionis ad favorem Virginii Ursini Brachiani Ducis, super castris Cerveteris, & Galeriæ prout in rubrica.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. V. prædecessor noster per suam motus proprii cedulam sub datum 7. Idus Septembris anno sui Pontificatus octavo, Montem non vacabilem Ursinum Tertiæ Erectionis nuncupatum locorum, seu portionum quatuor millium; redditus vero annui scutorum quinque monetæ pro quolibet loco ad favorem, & pro commodo Virginii Ursini tunc Brachiani Ducis super Castris Cerveteris, & Galeriæ Portuen. Diœcesis, illorumque Territoriis, Tenimentis, Agris, Agrorum culturis, Molendinis, Ferreriis, aliisque membris, pertinentiis, & juribus quibuscumque, ac eorum redditibus, & fructibus annuis ad scuta triginta quinque millia monetæ annuatim circiter ascenden. cum assignatione annuorum scutorum viginti millium monetæ pro fructibus dictorum locorum quatuor millium, ac assignamenti prædicti dismembratione à Ducatu Brachiani, donec Mons ipse duraret, erexit, ac instituit cum amplissima derogatione, & respective translatione quarumcumque obligationum realium, & personalium, hypothecarum, investiturarum, Concessionum, Ordinationum, Legatorum, Fideicommissorum, Primogeniturarum, aut alienandi, obligandi, seu hypothecandi prohibitionum per quoscumque dicti Virginii Ursini Ducis Antecessores, sive etiam transversales, vel extraneos, ac forsan per Romanos Pontifices prædecessores nostros tam in contractibus, concessionibus, & constitutionibus, quam in ultimis voluntatibus, codicillis, & aliis quibuscumque dispositionibus quomodolibet purificatis, & purificandis factarum, appositarum, & confirmatarum, necnon etiam cum liberatione prædictorum bonorum, & jurium à quacumque caducitate, devolutione, aut quavis alia pœna ad quarumvis personarum, & pupillorum, & Viduarum, & aliarum quarumvis privilegiatarum, aut Monasteriorum, Collegiorum, & aliorum piorum locorum favorem, & sub quibusvis clausulis, & vinculis, cautelis, etiamsi bona prædicta ex quocumque capite, aut quavis de causa, vel alias quomodolibet ex causa Dotium, sive alimentorum, vel alterius causæ quantumlibet privilegiatæ gravata, & onerata essent, vel forent, prout latius in præcitata Motus proprii cedula continetur.

Deinde dict. Paulus V. & Gregor. XV. alia loca 2500. d. Monti Ursino tertiæ Erectionis crearunt, & instituerunt prout in rubrica.

§. 2. Deinde vero idem Paulus prædecessor alio simili motu proprio sub datum Kal. Octobris anno sui Pontificatus XIII. alia loca 1350. pro extinctione Montis Viani super fructibus Castrorum Viani, Orioli, ac Tenutarum Rotæ, & Ischiæ, Viterbien. Diœcesis, aliaque Loca quingenta super Castro Cessani, illiusque Tenutis, & præsertim Posi Portuen. Diœcesis, vigore sui motus proprii septimo Idus Septembris anno XV., & postremo similis memoriæ Gregorius XV. etiam prædecessor noster per suam motus proprii cedulam Kal. Junii an. Pontificat. I. signatam, alia loca duo millia quingenta ante dicto Monti Ursino, Tert. Erect. respective ediderunt, crearunt, & instituerunt, & pro ultimo dictorum locorum duorum millium quingentorum congrua dote, annuisque fructibus Civitatem Brachiani, Castrum Montis Rani, Villam Montis Virginei, & Tenutam, seu Casale Juliani nuncupat. Portuen., & Sutrinen. respective Diœcesis, cum illorum Territoriis, Tenimentis, Agris, Agrorum cultura, Molendinis, Ferreriis, Fabricis, aliisque membris, & pertinentiis quibuscumque in totum, & illorum responsionibus, & affictibus annuatim redden. summam scutorum sexdecim millium monetæ de Juliis decem pro quolibet scuto, tunc ad Paulum Jordanum Ursinum Brachiani Ducem, pro cujus commodo eadem additio facta fuit respective, spectan., & per eum pacifice possesso assignavit, & specialiter applicavit, & prout latius in singulis præcitatis motuum propriorum Erectionis, & additionum præmissarum cedulis continetur; Mons vero prædictus prout accepimus attentis pluribus extractionibus in ipso hactenus factis reperiatur ad præsens in summa, & quantitate locorum duorum millium trecentorum viginti septem cum uno tertio tantum.

Pontifex motu proprio confirmat dd. erectiones, & alium Montem Ursinum quintæ Erectionis, creat favore Flavii Ursini prout in rubrica.

§. 3. Nos volentes Dilectum filium nobilem virum Flavium Ursinum modernum Brachiani Ducem à majoribus suis non degenerem, & caput familiæ Ursinæ inter omnes alias de Sede Apostolica benemeritæ, aliquo speciali prosequi favore, eidemque super gravi ære alieno, quo premitur opportunum levamen afferre, habentes hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, omnes, & singulas motuum propriorum cedulas super Erectione dicti Montis, ejusque prænarratis additionibus emanatas non ad ipsius Flavii Ducis, seu alterius pro eo desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra scien-

tia,

tial, maturaque deliberatione, ac de Apostolicæ nobis attributæ potestatis plenitudine, ut idem Dux minori, quo fieri possit interusurio pecunias reperire, illisque mediantibus, conditionem suam meliorem reddere valeat, unum Montem Ursinum Quintæ Erect. nuncupandum à Kalen. Mensis Septembris præsentis anni 1671. inchoan. scutorum trecentorum millium monetæ Juliorum decem pro quolibet scuto, & sic Locorum, seu portionum trium millium resignabilium ad instar aliorum Montium non vacabilium Romanæ Curiæ scutorum centum monetæ pro quolibet loco, & portione computatis, quorum fructus iis, qui d. Ducis Flavii fidem sequuti, in eodem Monte pecunias collocaverint de bimestri in bimestre solven. ad rationem scutorum quatuor monetæ pro quolibet Loco, seu centenario, & anno, sint, esseque debeant constituti, & assignati super infrascriptorum bonorum per ipsum Ducem Flavium possessorem, scilicet Civitatis Brachiani annui fructus scutorum 12. m. similium, ac Castri Cerveteris in districtu Almæ Urbis nostræ respective posit., & existen. annui fructus scutorum 25. millium introitibus, redditibus, fructibus, proventibus, juribus, obventionibus, ac emolumentis universis certis, incertis, ordinariis, & extraordinariis præsentibus, & futuris ad scuta 25. mill. monetæ, & ultra, ut asseritur ascendentibus, Apostolica auctoritate tenore præsentium creamus, erigimus, & instituimus, & ex dd. redditibus annuam summam scutorum duodecim millium monetæ ab omni onere prorsus liberam, immunem, & exemptam annuam dividimus, & separamus, illamque sic divisam, & separatam eidem Monti, & illius locorum futuris emptoribus applicamus, & appropriamus.

Providet securitati Emptorum, Depositariorum, & aliorum quorumvis subditorum dicti Montis 5. Erectionis prout in rubrica.

§. 4. Ut autem Emptorum, Depositariorum, & aliorum quorumvis futurorum Creditorum Montis hujusmodi, qui dict. Ducis Flavii fidem sequuti, pecunias suas in eo collocare volunt, securitati magis provisum sit, volumus, & decernimus, quod d. Dux Flavius teneatur, & debeat ex redditibus, & proventibus Civitatis, & Castri prædictorum pro congrua dote ejusdem Montis scutorum 12. millium monetæ Romanæ penes Bancum Depositarii ejusdem Montis annuatim deponere ad effectum illa per Depositarium ipsum pro tempore existentem solvendi Montistis, & Creditoribus d. Montis pro fructibus illius ad d. rationem scutorum 4. monetæ Romanæ pro quolibet loco, & anno, de bimestre in bimestre, & in fine cujuslibet bimestris Romæ libere, & omni mora cessante, durante dicto Monte, summamque ex quovis casu etiam fortuito, & inopinato, ex introitibus, & redditibus præfatis deficientem d. Dux Flavius de proprio, & cum aliis redditibus, & pecuniis supplere teneatur, & si contingeret prædicta bona dicto Monti assignata, sive in toto, sive in parte locari, teneatur Affictuarios, & Arrendatarios hujusmodi, nec non Administratores etiam in forma Cameræ Apostolicæ obligare facere in favorem Montistarum, & Depositarii d. Montis de solvendo in manibus dicti Depositarii annuam summam pecuniarum pro hujusmodi effectu debitarum, & debendarum usque tamen ad summam dicto Monti pro illius Dote, & fructibus ut supra assignatam: alias omnes locationes nullæ sint, & esse censeantur, prout nos nullas, & invalidas esse decernimus, volumus, & declaramus.

Mandat dicto Duci Flavio, quod elapsis viginti annis ab erectione d. Montis computan. illius extinctionem incipere, & facere debeat prout in rub.

§. 5. Elapsis vero viginti annis ab erectione hujusmodi montis computan., Dux Flavius prædictus extinctionem ejusdem Montis incipere, & facere debeat extinguendo quolibet anno scuta quindecim millia monetæ, & restitutis singulis Montistis scutis centum monetæ pro quolibet loco, & portione liberis, & absque ullo vinculo, præcedente tamen edicto, juxta solitum, & per extractionem ad instar aliorum Montium extinguibilium Romanæ Curiæ, & sic quolibet anno in hujusmodi extinctionem continuare usque ad totalem ejusdem Montis extinctionem. Ita tamen quod Montista, & Creditores præfati extractionem, & extinctionem hujusmodi procurare minime teneantur, sed quo ad eos Mons ipse donec fuerit extinctus perpetuus sit, & esse censeatur.

D. Dux qualem Depositarium pro tempore eligere debeat ad contentamentum Thesaurarii Generalis Rev. Cameræ.

§. 6. Dictus autem Dux Flavius teneatur eligere, & deputare, in Depositarium dicti Montis aliquem Mercatorem hic in Urbe fide, & facultatibus idoneum ad contentamentum dilecti filii nostri Hieronymi Galstaldi nostri, & Cameræ nostræ Thesaurarii Generalis, & illius in officio hujusmodi successorum, qui principaliter, & in solidum se obliget pro solutione fructuum dicti Montis per novennium proximum ab ipso die erectionis dicti Montis inchoante, & ut sequitur continuan. de bimestri in bimestre, & in fine cujuslibet bimestris libere etiam cessantibus, & exactis, vel non exactis prædictis, & aliis quibusvis assignamentis, & alio quocumque impedimento, & quavis exceptione non obstantibus, & successive hujusmodi aliam æque idoneam cautionem bancariam, de triennio in triennium, & per sex menses ante finem triennii durante Monte prædicto eisdem modo, & forma, ac pro omnibus, & singulæ superius expressis obligatum præstare, & renovare, & in eventum mortis, deteriorationis conditionis, vel absentiæ ab Urbe Depositarii dicti Montis pro tempore existentis, alium Depositarium atque idoneum Mercatorem in Urbe habentem Bancum apertum simili modo, & forma obligatum præstare, & renovare infra quindecim dies à tali eventu proximos, & hoc toties servare, & adimplere quoties casus hujusmodi evenerit, cui Duci Flavio, ut per se, vel ejus Procuratorem prædicta loca tria millia dicti Montis libere, & exempta à solutione emolumentorum pro expeditione literarum præsentium Annonæ Urbis, Archiconfraternitati pietatis carceratorum, proxenetico Collegio, ac mercedum Secretario, Ratiocinatori dicti Montis debitorum pro ipso Duce Flavio, & aliis, qui loca prædicta ab eo prima vice acquirent, vendere, & alienare; illorumque pretium ad infrascriptum tamen effectum exigere, recipere, & habere, & de exactis, habitis, & receptis solventes, & quos opus fuerit quietare, ad effectum tamen illud unico contextu penes dicti Montis Depositarium deponendi, & ut infra convertendi tenore præsentium licentiam, & opportunam facultatem concedimus, & impartimur.

Indulget dict. Duci, ut loca 3. præfati Montis libere vendere, & alienare possit ad effectum illorum pretiū deponendi penes d. Montis Depositarium.

§. 7. Pretium vero ex venditione dicti Montis redigen. deponi debeat penes Depositarium ejusdem Montis ad effectum illud erogandi, & convertendi in extinctionem diversorum debitorum à Duce Flavio, suisque antecessoribus contractorum cum licentia, & beneplacito Apostolico, & habentium ad eorum favorem obligata etiam Bona Jurisdictionalia, & Feudalia quæcumque juxta notam ab ipso dandam, & respective erogare pro aliis ipsius Flavii indigentiis, Creditores autem qui dictum pretium Montium recipient, teneantur, & obligati sint, pro ut nos teneri, & obligatos esse volumus cedere Collegio Montistarum hujusmodi Montis Ursini 5. Erect. omnia, & singula eorum Jura, & actiones, ac privilegia quæcumque etiam anterioritatis, & potioritatis sibi quomodolibet competentia, occasione & pro rata suorum Creditorum translative, & non extinctive, & talia qualia &c. ad effectum, ut dictum Collegium, illiusque Montistæ dd. Juribus uti possint tam agendo, quam excipiendo, & ad omnes alios effectus sibi magis proficuos, & necessarios.

Depositarius d. pretium erogare teneatur in extinctionem Debitorum Domus Ursinæ contract. cum beneplacito Apost. & habentium obligata etiam Loca jurisdictionalia, & feudalia prout in rubrica.

§. 8. Nec non pro majori cautela Montistarum, ac Depositariorum pro tempore ejusdem

Quod d. Dux cum aliis germanis fratri-

Montis

Quod d. Dux cum aliis germanis fratribus consentiat omnibus contentis in præsenti Motu proprio, ac pro illorum observantia se insolidum obligare.

§. 8. Nec non pro majori cautela Montistarum, ac Depositariorum pro tempore ejusdem Montis prædictus Flavius Ursinus Brachiani Dux, & Ven. Frater noster Virginius Episcopus Albanen. S. R. Cardinalis, & Lelius Vico Varronis Princeps germani fratres de Ursinis, omnibus, & singulis in præsenti motu proprio contentis, & expressis consentire teneantur, & cum effectu consentiant, ac sese omnes, eorumque hæredes, & successores, ac bona omnia præsentia, & futura insolidum tam pro solutione fructuum Montis prædicti, & illius extinctione, & evictione, & obligatione de præstando, & renovando Mercatorem, & Depositarium (ejusdem Montis, & aliorum quorumcumque, ac etiam ad favorem eorumdem Mercatorum, & Depositariorum) ac pro observatione, & adimplemento omnium, & singulorum in præsenti Cedula Motus proprii, & Instrumento, seu Instrumentis desuper celebrandis contentorum, seu continendorum æque principaliter, & insolidum, & in forma Cameræ nostræ Apostolicæ cum Juramento, & aliis cautelis necessariis, & opportunis promittant, & accedant, & se obligent, sine tamen præjudicio quorumcumque Jurium Cameræ nostræ quomodolibet in, & super Civitate, & Castro prædictis competentium, & competiturorum, tam in quocumque casu, & eventu caducitatis, & devolutionis illorum, quam ex quovis capite forsan hucusque evento, & quod in futurum quovis modo evenire possit, ac purificatum, & purificandum ad favorem ejusdem Cameræ, & Sedis Apostolicæ etiam quoad præstationes in casu venditionis eorumdem Civitatis, & Castri, quam etiam ex quavis alia causa, & occasione, promissiones, & obligationes, contractus, Instrumenta, & alia inde facienda, æque, ac si in quavis legitima, & magis requisita forma, & cum solitis solemnitatibus facta fuissent, validas fore, & esse, suosque plenarios effectus sortiri, vimque, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & declaramus, & ex nunc confirmamus, & approbamus, nostræque firmitatis robur adjicimus, omnes, & singulos Juris, & Facti, ac solemnitatum defectus etiam substantiales, & formales, si qui intervenerint, Apostolica auctoritate supplemus.

Præservat jura Cam. Apostolicæ prout in rubrica.

Supplet omnes defectus etiam substantiales, & formales.

Eidem Monti, ejusq; Depositario, & Montistis indulget omnia privilegia, quibus gaudent omnes alii Montes R. Cameræ Baronum, & Universitatum.

§. 9. Præterea eidem Monti, illiusque Depositario, & Montistis, aliisque Personis quibuscumque pro tempore existentibus, omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, præeminentiis, prærogativis, indultis, aliisque favoribus, & gratiis universis, quibus Montes Restaurati primæ, & tertiæ Erectionis, aliique Montes nostræ Cameræ, ac Baronum, & Universitatum, & alii quicumque Romanæ Curiæ non vacabiles tam ex concessionibus Apostolicis, quam de Jure, usu, vel consuetudine, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, quomodolibet in futurum similiter, pariformiter, & sine ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri & gaudere libere, & licite valeant, concedimus.

§. 10. Nec non ex prædictorum Civitatis, & Castri fructibus, redditibus, proventibus, ac emolumentis quibuscumque certis, & incertis tam ordinariis, quam extraordinariis d. annuam summam scutorum duodecim millium monetæ pro solutione fructuum, & dotis dicti Montis ab omnibus, & quibuscumque oneribus liberam, immunem, & exemptam dicto Monti, illiusque Collegio, & Montistis pro sua dote, & fructibus & emolumentis, ut supra respective assignamus, concedimus, & applicamus; & pro illis exigendis, habendis, percipiendis, & consequendis dd. Montistas, Collegium, & Depositarium tam uti singulos, quam universos Procuratores irrevocabiles, & Dominos, ut in rem propriam cum potestate exigendi, quietandi, jura cedendi, judicialiter agendi, & cum clausula, & effectu constituti, & facultate substituendi, & aliis facultatibus opportunis constituimus, & deputamus.

Pro exigenda annua dote sc. 12. m. dicti Montis ex fructibus Civitatis Brachiani, & Castri Cerveteris dictos Montistas, Collegium, & Depositarium tam uti singulos, quam universos constituit Procuratores irrevocabiles, & in rem propriam.

In omnem casum contraventionis liceat dd. Montistis, & Depositario ut supra propria auctoritate possessionem capere dd. Civitatis, & Castri eorumq; fructus exigere pro rata d. Monti pro dote assignata.

§. 11. Et nihilominus pro potiori cautela decernimus, & declaramus, quod in eventum non observationis, aut non adimplementi præmissorum, vel alicujus eorum, ac etiam in omnes, & singulos casus contraventionis, & impedimenti, seu invaliditatis, & rescissionis, & quocumque capite, ratione, prætextu, causa etiam in corpore Juris clausis, liceat Collegio, & Depositario dicti Montis pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios d. Montis nomine propria auctoritate, sine alicujus Judicis, seu Curiæ decreto, vel mandato, & absque vitio spolii, & attentatorum, corporalem, & actualem possessionem Civitatis, & Castri prædictorum, illorumque membrorum, & Jurium d. Monti, ut supra assignatorum, & obligatorum libere, & licite capere, apprehendere, captamque, & apprehensam retinere, & continuare; nec non fructus, & emolumenta ex dictis Civitate, & Castro provenientia percipere, exigere, & levare, ac si magis ipsis expedire videbitur in toto, vel in parte, etiam quibusvis personis, ac pro pretio, seu pretiis, conditionibus, & responsionibus reperibilibus, & ad tempus eis benevisum, semel, & pluries, & quoties eis placuerit locare, arrendare, & in locationem, & arrendam concedere, ac in administrationem dare, fructus, affictus, & responsiones hujusmodi pro concurrenti rata dicto Monti pro dote, & fructibus, ut supra assignata percipere, exigere, & recuperare, & de exactis, &c. & habuisse confessis solventes, & quos erit opus quietare, & in solventium favorem Jura, & actiones cedere, & transferre, ad quæ, & alia præmissa omnia necessaria, & opportuna dict. Montistas, & Collegium, & Depositarios, Procuratores irrevocabiles, ut in rem propriam cum facultate substituendi, & aliis clausulis, & facultatibus necessariis, & opportunis specialiter, & expresse constituimus, & deputamus.

Eos pro consequutione d. annuæ dotis in omne jus, locum, & privilegium dd. de Ursinis constituit.

Eorum quæcumque bona non obstan. cuj. svis fideicommissi vinculo, vel alio onere pro integra satisfactione Montistarum, & Depositariorum pro tempore obligat & hypothecat.

§. 12. Eosque tam uti singulos, quam universos, quoad annuam summam prædictam, illiusque exactionem, & consecutionem in omne Jus, & locum, & privilegium dd. de Ursinis, eorumque hæredum, & descendentium, & successorum ponimus, substituimus, & subrogamus; ac bona supradicta non obstante quod sint cuivis Fideicommisso subjecta, & alias quomodolibet gravata, & onerata ex tunc pro integra solutione fructuum, & extinctione dicti Montis ejusdem Montis Creditoribus, nec non Depositariis nunc, & pro tempore eligendis pro eorum indemnitatis relevatione, tam ex causa Pecuniarum, quas dicti fratres de Ursinis quovis tempore deficerent, in Banco dd. Depositariorum deponere ad effectum solvendi fructus ejusdem Montis, quam provisionis Cedulæ per dd. Depositarios ad favorem Montistarum, ut supra facien., ac Cambiorum, & recambiorum, quæ super summis, ut supra à prædictis Ursinis debito tempore in Banco eorumdem Depositariorum non depositatis decurrere contigerit, ac damnorum, & interesse per eosdem Depositarios forsan patien. aliorumque promittendorum observatione usque ad integram ipsorum Montistarum, & respective Depositariorum satisfactionem, aliisque præmissis, ac perpetua validitate, observatione, & adimplemento omnium, & singulorum præmissorum ultra quascumque alias obligationes, cæterorum omnium bonorum etiam Jurisdictionalium, & Feudalium, & tam præsentium, quam futurorum, generaliter, ac specialiter, & expresse, sine tamen præjudicio quorumcumque Jurium Cameræ nostræ, ut supra, & circa illius obligationem,

Præservat jura R. Cameræ.

& non

Præmissa omnia, & quæ inde sequentur decernit valida fore, & efficacia.

& non alias &c. obligamus, & hypothecamus, & obligata, & hypothecata fore, & esse, easdemque obligationes, hypothecas, nec non Montis hujusmodi Erectionem, omniaque, & singula præmissa, & quæ inde sequentur quæcumque perpetua, valida, firma, & efficacia fore, & esse, ac plenum firmitatis robur habere, & obtinere volumus, decernimus, atque declaramus tam in favorem dicti Montis, & illius futurorum Creditorum, quam dicti Depositarii dicto tempore, & aliorum obligandorum.

Omnia Vincula, & onera super dd. Civitate, & Castro durante d. Monte in favorem illius, Montistarum, & Depositarii suspendit.

§. 13. Et si super dictis Civitate, & Castro, seu eorum aliquo per quoscumque eorundem de Ursinis Antecessores, Ascendentes, seu Collaterales, vel quovis modo Auctores, & transversales, & extraneos quodvis Fideicommissum, pactum de succedendo, Primogenitura, majoratus, substitutiones, & quævis aliæ conditiones, dispositiones, seu alienandi prohibitiones sub quibusvis legibus, conventionibus, & prohibitionibus etiam quantumvis pœnalibus, & gravissimis, etiam ex pacto, & providentia pro conservatione Familiæ agnationis, & in favorem liberorum descendentium, ac etiam pro dote, seu alias quomodolibet facta, apposita, & inducta fuerint, & sint, & tam purificata, quam purificanda ad favorem quorumvis tam de Familia dictarum de Ursinis, quam aliorum, ac etiam Ecclesiarum, & quorumcumque locorum piorum, & personarum quantumvis piarum privilegiatarum, ac speciali, ac individua expressione dignarum quomodocumque, & qualitercumque, quorum omnium, & singulorum veros, integros, totosque tenores hic pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis haberi volumus, illaque omnia, dicto Monte durante in favorem ipsius Montis, & illius Depositarii, Montistarum, & aliorum prædictorum suspendimus, locumque minime habere, effectumque sortiri non posse volumus, atque decernimus, quamvis dicta Fideicommissa, & alia, ut supra cum Inventariis sint posita, registrata, & producta in Archivio juxta formam Constitutionis Urbani VIII. prædecessoris nostri.

Durante eodem Monte summam ut supra pro dote assignatam eximit, & liberat à quolibet fideicommisso, pacto, vel hypotheca.

§. 14. Nec non annuam summam præfatam, ut præfertur dismembratam, & dicto Monti, illiusque Montistis, Depositariis, & Creditoribus eodem Monte durante, à dictis Fideicommissis, & pactis de succedendo, majoratibus, substitutionibus, alienandi prohibitionibus, caducitatibus, devolutionibus, privationibus, necnon etiam prioribus, & potioribus quantumvis privilegiatis hypothecis, obligationibus, aliisque dispositionibus, nexibus, vinculis, & oneribus ex quavis pia, & privilegiata causa per dictos de Ursinis, & quoscumque alios Auctores, seu alios quosvis etiam extraneos ut supra, & alios quomodolibet factos, impositos, inductos, quibus Civitas, ac Castra prædicta, eorumque membra, & pertinentiæ quomodolibet subjecta sunt, & esse dici, vel prætendi possunt penitus omnino eximimus, & liberamus.

Mandat quoscumque Creditores dd. de Ursinis, eorumque Authores quantumvis, priores, potiores, & privilegiatos non posse suas actiones exercere super dd. Civitate, & Castro donec sequuta sit integra satisfactio tam Montistarum quam Depositariorum pro tempore.

§. 15. Et quoscumque Creditores dd. de Ursinis, eorumque auctorum, & aliorum, ut supra quantumcumque privilegiatos, etiam priores, & potiores, ac prævio assensu, beneplacito, & derogationibus dictorum Fideicommissorum, & aliorum supradictorum, & tam à nobis, quam à nostris prædecessoribus emanati si qui sint, vel fuerint, tam vigore obligationis in forma Cameræ nostræ Apostolicæ, vel alias sub quavis forma, expressione verborum cum uno, vel pluribus juramentis, & ex causa Dotis, & alimentorum in, & super dictis Civitate, & Castro super expressis, & Monti assignatis, generales, & speciales, tacitas, vel expressas obligationes, hypothecas habentes non posse donec dictus Mons durabit, & donec sequuta fuerit integra satisfactio, tam Montistarum, quam Depositariorum pro tempore ex causis supra expressis in, & super Civitate, & Castro præfatis, eorumque membris, & juribus nec in proprietate, nec in fructibus, & redditibus eidem Monti assignatis, vel contra eorum Conductores, Affictuarios, Administratores, & Debitores nunc, & pro tempore existentes pro dicta summa, ac pro solutione fructuum, & extinctione, ut supra assignata, easdem obligationes, & hypothecas exercere; nec actionem, seu Judicium aliquod intentare, minusque super illis Montistas, Depositarios, aliosque præfatos molestare, vel impedire, nisi facta aliorum bonorum dd. de Ursinis, eorumque Auctorum eis obligatorum excussione; & quatenus alia bona pro eorum Creditorum satisfactione non sufficiant.

Quod iidem Creditores nequeant dd. Montistas, vel depositarios molestare nisi facta aliorum bonor. dd. de Ursinis excussione, & quatenus alia bona pro eorum Creditorum satisfactione non sufficiant.

§. 16. Nos enim obligationes, & hypothecas omnes, & singulas præfatas si quæ sint ad effectum præfatum, d. Monte durante, & donec sequuta fuerit prædictorum satisfactio suspendimus, & in alia quæcumque dictorum de Ursinis, eorumque Auctorum &c. bona tam allodialia, quam jurisdictionalia jura, & introitus (eodem Monte durante) modo, & forma præmissis ad effectum præfatum, prædictorum omnium tenores hic pro expressis, & insertis habentes transferimus, & translata esse declaramus, cum hoc quod omnes præfatæ clausulæ, & facultates semper censeantur, & sint appositæ ad majorem securitatem, & cautelam dd. Montistarum, & Depositarii quomodolibet resultan. & cum facultate semper variandi, itaut una via electa, non præjudicetur Montistis, Depositariis, & aliis præfatis, quin ad alia redire possint, sed simul, & semel tam conjunctim, quam divisim illis uti, & experiri valeant.

Omnes dictas obligationes, & hypothecas durante dicto Monte, & donec sequuta fuerit prædictorum satisfactio transfert in alia bona dd. de Ursinis.

Omnes dictæ Clausulæ sunt appositæ ad majorem securitatem Montistarum, & Depositariorum quibus etiam dat facultatē variandi.

§. 17. Decernentes Montem hujusmodi, illiusque loca respectu Dotis, fructuum, & emolumentorum, aliarumque assignationum præfatarum, nullis omnino reductionibus, diminutionibus, aut mensium, seu mensatarum retentionibus, & quibuscumque aliis contrariis dispositionibus etiam prætextu enormis, & enormissimæ læsionis, urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, & ex quavis alia cogitata, vel incogitata etiam necessario exprimenda causa, vel alias quomodolibet obnoxia fore, & esse; firmaque, & valida semper persistere, & ab illis fore semper excepta, & exempta; nec dictos de Ursinis, minusque quosvis d. Montis futuros Creditores, ac Depositarios, illorumque hæredes, & successores quoscumque, seu jus, & Causam ab eis quomodolibet habentes, & habituros super prædictis, seu illorum aliquo quoquo modo molestari, perturbari, vel impediri.

Decernit d. Montem, ejusque loca respectu dotis, & fructuum ex quacumque causa obnoxia non esse reductionibus, aut diminutionibus.

Quod dd. de Ursinis, & d. Montis Creditores, & hæredes super prædictis nequeant molestari.

§. 18. Et insuper volentes Montem prædictum specialibus favoribus, & gratiis decorare, Motu, scientia, & potestate similibus perpetuo statuimus, & ordinamus, quod quicumque etiam laici utriusque sexus, ac Presbyteri, & alii Clerici, necnon Ecclesiastici, & alii quicumque præfati etiam S. R. E. Cardinales, aut cæteri cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis secularibus, & quorumcumque ordinum, etiam in communi Mendicantium, & militantium, vel Hospitantium Regulares, aut aliæ quæcumque Personæ cujusvis generis etiam minores, & Pupilli, ac etiam spurei, illegitimi, aut alias quomodolibet inhabiles, & incapaces, nec non Communitates, Universitates, Ecclesiæ, Capellæ, Collegia, Congregationes, Conventus, Societates, Hospitalia, & alia quævis tam profana, quam pia, & Religiosa loca, tam intus, quam extra jurisdictionem nostram temporalem, ac etiam quacumque Mundi parte pro tempore existen. (Infidelibus tamen exceptis) nihilominus in Monte hujusmodi quascumque pecuniarum summas etiam ex Metropolitanarum, Cathedralium, aliarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum,

Indulget ut omnis utriusque sexus, ac etiam Clerici Sæculares, & Regulares exceptis Infidelibus quascumque summas in hujusmodi Monte conferre possint, ac pro singulis locis, & portionibus annua scuta quatuor consequi, prout in rubrica.

Abba-

Abbatiarum, Hospitalium, Commendarum, & quarumvis Ecclesiarum, tam sæcularium, quam Regularium, beneficiorum, seu etiam pensionum annuarum ex fructibus, & redditibus, & proventibus Ecclesiasticis tam hactenus acquisitis, quam in futurum acquirendis, semel, vel pluries, & quoties eis visum fuerit non tamen infra summam scutorum 100. monetæ conferre, ponere, & erogare pro singulis locis, & portionibus annua scuta quatuor monetæ in fine cujuslibet bimestris illorum ratam sine aliquo conscientiæ scrupulo, seu sortis principalis diminutione, aut quovis alio restitutionis onere, & omni prorsus impedimento cessante percipere, consequi, & in eorum usum, & utilitatem convertere libere, & licite possint, & valeant concedimus, & indulgemus.

Constituit Thesaurariū Generalem Cameræ Protectorem, & Administratorem d. Montis cum facultatibus prout in rub.

§. 19. Ut autem dicti Montis regimen, & gubernium rectius, & fidelius geratur, & dirigatur dilectum filium Hieronymum Gastaldum nostrum, & Cameræ nostræ Thesaurarium Generalem, & successive alios pro tempore existentes Thesaurarios Generales in dicti Montis Protectores, & administratores cum potestate literas patentes Locorum dicti Montis sub eorum nominibus, & sigillo subscriben., & conceden., ac Secretarium, & Ratiocinatorem d. Montis a d. Duce Flavio, suisque &c. nominan., & eligen., necnon omnes, & quascumque Causas d. Montis, & ab eo quomodolibet dependen., ac moven. per se, vel alium, seu alios cognoscen. deciden., & terminan., & ab aliis Judicibus, & Tribunalibus, etiam quod vigore obligationis Cameralis agatur, avocandi, & reassumendi, ac omnia alia eidem Monti utilia, & necessaria privative quoad omnes alios Romanæ Curiæ Judices, & Tribunalia peragendi, eligimus, & deputamus.

Quod Montistæ non teneantur probare versionem pecuniarum.

§. 20. Volumus autem atque decernimus, quod Montistæ dicti Montis Ursini non teneantur, nec cogi possint in Judicio, nec extra probare, nec curare, quod pecuniæ per eos in emptionem locorum dicti Montis expositæ, fuerint erogatæ, & conversæ in extinctionem supradictorum debitorum, vel aliam quamvis probationem quantumvis necessariam facere.

In hac Cedula. seu literis supplet omnes & quoscumque defectus.

Decernentes pariter, & declarantes præsentem nostri Motus proprii cedulam, & literas forsan conficien. etiam ex eo, quod quicumque interesse haben. &c. vel habere prætenden. &c. ad id vocati, seu auditi, aut etiam Instrumentis, & aliis circa illorum executionem facien. solemnitates statutariæ, & alia de jure, vel consuetudine, & quomodolibet requisitæ, adimpletæ, & observatæ non fuerint, aut alias de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel nostræ intentionis, aut quocumque alio defectu, seu quovis alio prætextu, jure, colore, ratione, vel causa notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, vocari, limitari, moderari, aut in jus, vel controversiam adduci, illorumque effectum, & executionem retardari, vel impediri, minusque adversus eas quodcumque Juris, & Facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, nec debere; minusque sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, moderationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus nullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas,

Eas decernit semper firmas, & validas fore, & esse.

& sub posteriori data emanatas fore, & esse censeri, semperque validas, firmas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec ad illas, in Camera Apostolica præsentan., & in illius libris registrari facien., juxta Constitutionem fel. rec. Pii PP. IV. prædecessoris nostri, aut alias quomodocumque teneri, & nihilominus in suo robore, viribus, & effectu semper persistere.

Decretum irritans.

§. 21. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Extraordinarios, Commissarios, Delegatos, & Subdelegatos, etiam Causarum Palatii nostri Apostolici, & Causarum Curiæ dictæ Cameræ Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, Camerarios, eorumque vice-Camerarios, ac dictæ Cameræ Thesaurarios, Clericos, Præsidentes, Commissarios, cæterosque Camerales, necnon etiam Cardinales de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque contrariis amplissimè derogat.

§. 22. Non obstantibus præmissis, aut quibusvis Testamentis, Codicillis, donationibus, ultimis voluntatibus, dispositionibus, fideicommissis, substitutionibus, etiam ad favorem Ecclesiarum, locorum piorum, & aliorum supranominatorum &c. Primogeniturіs, pactis de succedendo, alienandique, seque obligandi prohibitionibus per quoscumque quomodolibet factis, ac etiam pluries, iteratisque vicibus quomodolibet confirmatis, innovatis, & approbatis, ac obligationibus, & hypothecis etiam juramento, & obligatione Camerali, & Apostolica licentia, & beneplacito vallatis, ac Pii IV. de registran., ac aliis quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, excepta Constitutione fel. rec. Clementis VIII., qua jura Cameræ nostræ Apostolicæ in Montium erectionibus præservan. necnon nostra de jure quæsito non tollendo, & gratiis ad instar non conceden., aliisque Cancellariæ nostræ Regulis, Statutis Urbis, eorumque Reformationibus, consuetudinibus, Decretis, stabilimentis, usibus, & naturis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, etiam consistorialiter, & de Fratrum consilio, & assensu roboratis, & cum quibusvis clausulis derogatoriis, ac derogatoriarum derogatoriis, Privilegiis quoque, & Indultis, facultatibus, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis irritantibus eidem Thesaurario, necnon Congregationi super Montibus, & quibusvis aliis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & aliis Decretis, usibus, naturis, etiam juramento, firmitate, & motu similibus, ac etiam consistorialiter præmissa etiam, aut eorum aliqua expresse fieri prohibentibus, seu impedientibus, aut aliis in contrarium quomodolibet facientibus concessis &c. ac non obstante, quod supradicta fideicommissa, & alia ut supra sint in Archivio cum Inventariis registrata, & exhibita, & non obstante Constitutione Urbani VIII. moderatoria Bullæ Baronum, quibus omnibus etiamsi de illis &c. eorum tenores &c. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes &c. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac latissime Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Mandat quod sola Signatura hujus Motus proprii Cedulæ sufficiat, & literæ tam in forma Brevis, quam sub plumbo expediri possint.

§. 23. Cæterum volumus quod præsentis nostri Motus proprii cedula sola nostra Signatura, absque alia data, & si non registretur, sufficiat, & tam in judicio, quam extra plenam fidem faciat, regula quacumque contraria non obstante, & nihilominus literæ tam in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, quam sub Plumbo, & per Officium minoris gratiæ cum supradictorum omnium, & singulorum majoris specificatione, & expressione, aliisque clausulis necessariis, & opportunis, ac solitis, & consuetis, ac aliis, & prout videbitur, expediri possint. Et quia nimis arduum, & difficile foret præsentem Cedulam, sive literas desuper conficien., omnibus, & quibus opus foret, originaliter, ac ubique locorum exhibere, volumus, atque decernimus, quod tam præsentis Motus pro-

Transumptorum fides.

prii Cedulæ, quam literarum, si quas desuper in quavis forma expediri contigerit transumptis, & exemplis etiam impressis manu Secretarii d. Montis, aut alicujus Cameræ nostræ Notarii subscriptis, sigilloque Thesaurarii Generalis obsignatis

eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsismet originalibus adhiberetur si ostenderentur, exhiberentur, vel producerentur, regula quacumque contraria pariter non obstante &c.

Fiat Motu Proprio E.

Die 20. Septembris 1671.

Acceptatio d. Cedulæ M tus proprii facta per Ducem Flavium Ursinum, & juxta illius formam obligatio aliorum fratrum.

Illmus, & Exmus D. Dom. Flavius Ursinus Brachiani Dux acceptavit supradictam Cedulam Motus proprii, & juxta illius formam d. Monti Ursino Quintæ Erectionis constituit, & assignavit fructus supra dicta Civitate Brachiani, ac Cerveteri, ex quorum redditibus &c. dismembravit &c. ann. summam sc. 12. mil. monetæ, illamque d. Monti pro ejus dote, & Fructibus assignavit, & cessit, ac applicavit, Montistas, ac Depositarios ejusdem Montis in ejus locum substituit, ac obligationes in favorem ipsius Montis, ac Depositariorum pro adimplemento sibi a Sanctiss. D. Nostro Papa injunctorum, juxta formam Cedulæ Motus proprii prædicti fecit &c. Et in solidum cum dict. Excmo D. Duce Flavio pro observatione omnium præmissorum accesserunt, fidejusserunt, & se se obligarunt Emus, & Rmus D. Virginius Cardinalis, ac Illmus, & Excmus D. Lelius Vicovarii Princeps germani Fratres de Ursinis, & sic se se in forma Cameræ Apostolicæ obligarunt, & tactis &c. pectore, & scripturis respective jurarunt, prout latius in Instrumento sub dat. die per acta mei infrascripti desuper rogato ad quod &c.

Franc. Antamorus R. C. A. Not.

Cedula Bancharia Benedicti Candolphi, & Caroli Rossi.

Noi Benedetto Candolfi, & Carlo Rossi in vigor della presente nostra Cedula Bancaria promettemo, e insolidum ci obblighiamo in forma C. A. di pagar qui in Roma liberamente, e senza eccezione alcuna alli Sig. Montisti del nuovo Monte Orsini Quinta Erezione li frutti delli luoghi tre mila, che sono stati eretti in esso Monte a ragione di scudi quatro per luogo l'anno, e questo pagamento lo promettiamo nelli modi sudetti per nove anni prossimi venturi gia cominciati il 1. Settembre passato, e da finire l'ultimo Agosto dell'anno 1680. cioè ogni bimestre in fine la rata parte a ciascheduno di essi Sig. Montisti spettante in confirmità delle liste bimestrali, che ci verranno consegnate dal Computista del medesimo Monte, alle quali liste per la quantità de' Luoghi, e per l'annuo frutto si abbia relazione, e questa Cedola dichiaramo farla ad istanza dell' excellentissimo Sig. Don Flavio Orsini Duca di Bracciano, del quale ne doveremo esser rimborsati, e rilevati da ogni danno in conformità del contenuto nel Moto proprio dell' Erezione, e nell' Instromento della deputazione, & accettazione di Depositaria del medesimo Monte, che si deve rogare in questo giorno per gl' atti dell' Angelucci Notaro A. C., a' quali Motu proprii, & Istromenti in tutto, e per tutto s'abbia relazione. In fede &c. Roma dal Banco questo di 6. Ottobre 1671.

Benedetto Candolfi, e Carlo Rossi.

XXII. Die 6. Nov 1671. An. 2.

Statutum pro Civitate Avenionen. circa ætatem, & qualitates requisitas in Judicibus Curiæ Ordinariæ S. Petri, & quod Avenionenses trahi nequeant ad Romanam Curiam nisi in Causis scutorum mille in sorte, & scutorum centum in annuo redditu exceden., cum confirmatione Privilegiorum Universitatis dictæ Civitatis ac ordinatione, ut fundationes septem Collegiorum juxta primævam institutionem serventur, & aliis circa nominationem ad officia dictæ Civitatis, cum confirmatione Brevium Urbani VIII., cum præter Legatos, Vice-Legatos, Archiepiscopum, & Præfectos Armorum dictæ Civitatis nemo sit immunis ab impositionibus, quæ in ingressu Civitatis prædictæ solvuntur.

Nunc primum impress.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis, affectus, quem dilecti filii Communitas, & homines Civitatis nostræ Avenionen. erga Nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobantur, Nos adducit, ut eorum commodis paterna benignitate libenter consulamus. Itaque specialem eidem Communitati, & hominibus gratiam facere volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut Judices Curiæ Ordinariæ *S. Petri* nuncupatæ dictæ Civitatis, qui annuales sunt, in ea ætate constituti, illisque qualitatibus prædìti esse debeant, quas statuta ejusdem Civitatis requirunt, ita ut junior quidem saltem vigintiquinque annorum ætatem, & tres annos, practicæ, sive usus forensis compleverit, senior vero saltem sit quadragenarius; nec his per Vice-Legatos in dicta Civitate pro tempore existentes ullo modo derogari possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Absolutio à Censuris.

Preces Communitatis, & hominum Civitatis Aven. Qualit tes, quas habere debent Judices Curiæ Ordinariæ S. Petri.

Vice-legatus pro tempore statutis d. Civitatis derogare nequit.

§. 1. Porro ut indemnitati Partium litigantium ne expensis supra modum graventur, consulamus, Cives, & Incolas dictæ Civitatis juxta privilegia Apostolica eis concessa ad Romanam Curiam ex quacumque Causa, & sub quovis prætextu in prima instantia trahi minime posse, nisi Partes se extra eamdem Civitatem conveniri posse obligaverint, nec in eorum Causis ad eamdem Romanam Curiam appellari, vel recurri posse, vel debere, nisi Causæ ipsæ summam mille scutorum monetæ Romanæ, vel redditum annuum centum scutorum parum excesserint, auctoritate, & tenore prædictis pariter ordinamus, atque ita inviolabiliter observari mandamus.

Causæ trahi nequeunt ad Urbem nisi summam 1000. sc. mon. Romanæ, aut redditum annuum sc. 100. parum excesserint.

§. 2. Præterea Privilegia, gratias, & Indulta quæcumque, Universitati studii generalis Civitatis Avenionen. præfatæ, ejusque Rectoribus, Scholaribus, & Personis quibuslibet a quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, neque Concilii Tridentini decretis, aut posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis adversentur, dicta auctoritate harum serie confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmat Privilegia, & Indulta UniversitatisStudii Generalis prout in rub.

§. 3. Volentes, ut fundationes septem Collegiorum ejusdem Civitatis juxta primam eorum institutionem accurate serventur. De Capitaneatus autem Portarum, aliisque officiis dictæ Civitatis per resignationem, vel obitum, aut alias quomodolibet nunc, & pro tempore vacantibus, ad quæ nominatio, seu præsentatio Personarum idonearum eidem Civitati juxta privilegia ei desuper concessa, seu alias legitime competere dignoscitur, ita de cætero disponi volumus, ut nominatio quidem, seu præsentatio officialium ad dilectos filios Concilium dictæ Civitatis, admissio vero, seu institutio ad dilectum filium nostrum Palutium Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Alterium nuncupatum modernum, & pro tempore existentem nostrum, & Apostolicæ Sedis in Civitate præfata, & Comitatu nostro Venaysino de Latere Legatum respective spectent: Et proinde sic pro tempore nominatos, seu præsentatos, & in specie dilectum filium cognominatum Robert, qui ad officium Capitaneatus Portæ

Fundationes Septem Collegiorum serventur juxta primam eorum institutionem.

Nominatio, seu præsentatio ad Officia pertineat ad Consilium d. Civitatis, admissio autem, seu institutio ad Cardinalem Legatum pro tempore.

Confirmat literas Urbani VIII. & Alexand. VII., quod præter Legatos, Vicelegatos, & Archiepiscopos nemo sit immunis ab impositionibus, quæ in ingressu d. Civitatis solvuntur.

Sancti Michaelis dictæ Civitatis de præsenti vacans per Consilium prædictum nominatus, seu præsentatus reperitur, si idonei fuerint, ad officia hujusmodi admitti, seu in illis institui, solitasque provisionum literas ad eorum favorem respective expediri mandamus.

§. 4. Postremo fel. rec. Urbani PP. VIII. prædecessoris nostri anno 1643. expeditas, aliasque Romanorum Pontificum prædecessorum pariter nostrorum in simili forma Brevis literas a rec. mem. Alexandro PP. VIII. etiam prædecessore nostro per Chirographum die 19. Februarii 1663. emanatum confirmatas quoad illum articulum, quo disponitur, quod in dicta Civitate præter Legatos, Vice-Legatos, & Archiepiscopos Avenionen., ac Præfectos Generales Armorum ibidem pro tempore existentes, nemo ab oneribus, & cujusvis generis impositionibus, quæ in ingressu dictæ Civitatis solvuntur, immunis, seu exemptus existat, auctoritate præfata, earumdem tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque, & non alias in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, eorumque Vice-Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Civitatis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. die 6. Nov. 1671.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Novembris 1671. Pontificatus nostri anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Novembr. par. 2. fol. 80.

XXIII.

Diversæ Ordinationes circa extractionem Reliquiarum ex Cœmeteriis Urbis, & Locorum circumvicinorum, illarumque custodiam, & distributionem.

Nunc primũ impressa.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissæ Nobis cælitus curæ pastoralis Officio providere volentes, ut Sanctorum Martyrum corpora, & reliquiæ, pie, ac decenter, & sine turpi quæstu ex hujus Almæ Urbis Nostræ, & Locorum circumvicinorum Cæmeteriis extrahantur, recondantur, asserventur, ac fideliter; prudenterque distribuantur; de nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, aliorumque doctrina, rerum usu, & prudentia præstantium virorum, qui rem jussu nostro mature discusserunt, & quorum sententia nobis a dilecto filio nostro Gasparo S. R. E. Presbytero Cardinale Carpineo nuncupato, in Urbe præfata Vicario in spiritualibus Generali, ac Prodatario Nostro relata fuit, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut nemo ad extrahendas a Cæmeteriis præfatis reliquias accedat, nisi ejus rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis Cardinalis moderni, seu pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis sigillo munitum, & illius manu subscriptum sit; nec ossa, vel corpus ullum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ effodiat, & ex aliquo Cæmeteriorum hujusmodi extrahat aliter, quam coram Sacerdote per d. Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat, & recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quæ certiora esse censuit Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis præposita.

Mandat neminem accedere ad extrahendas à Cœmeteriis Urbis, & locorum adjacentium reliquias, nisi de licentia Card. Vicarii pro tempore.

Excommunicatio latæ sententiæ adversus Contravenientes.

SS. Reliquiæ seu Corpora extrahi debent coram Sacerdote per Cardinalem Vicarium pro tempore designato.

Officium hujus Sacerdotis.

§. 1. Qua omni recognitione facta, statim singula corpora, & cujuscumque Martyris Reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem, in Palatio Nostro asservandas, & a Venerabili Fratre Josepho Eusavio Episcopo Helenopolitano moderno, & pro tempore existente Sacrarii Apostolici Præfecto, vel ab alio per præfatum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium designando, qui probatis moribus, ac Presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas.

Extractæ deferri debent ad Urbem in Palatio Apostolico prout in rubrica.

Custodiendæ sunt à Præfecto Sacrarii Apostolici pro tempore vel ab alio Sacerdote per Cardinalem Vicarium designato.

§. 2. Hæc autem Martyrum corpora, & reliquiæ ne distribuantur, & publice ad cultum, & venerationem exponantur, antequam per dict. Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium, vel alios, quibus hæc cura demandata est, examinata, & examinatæ, ac Romani Pontificis, vel memoratæ Cardinalium Congregationis auctoritate approbata, & approbatæ fuerint.

Antequam distribuantur, & publicè ad cultum exponantur quid agendum sit.

§. 3. Quoniam vero eadem Sacra corpora, & insignes Reliquias, videlicet caput, crus, brachium, & eam corporis partem in qua passus est Martyr, si tamen integra est, nec in privatis ædibus, neque apud laicos homines, sed in Ecclesia religiose collocari, & asservari par est. Ideo jubemus ea, & eas nemini in posterum concedi, qui Ordinarii literas non afferat, quibus apud præfatum Gasparem Cardinalem modernum, seu pro tempore existentem Vicarium commendetur Ecclesiæ, pro qua petuntur, dignitas, testatumque fiat operæ pretium esse petitis Sanctorum Reliquiis Ecclesiam illam donari, & ibi futurum, ut ea, qua decet, religione custodiantur, & colantur.

Insignes reliquiæ nec in privatis ædibus, nec apud Laicos collocari, aut observari par est.

Qua cautela sint concedendæ.

§. 4. Excipiendos tamen volumus magnos Principes, & præcipuos Ecclesiæ Prælatos, cum quibus liberalius agendum erit. Et ne cæterorum quoque fidelium pietas hoc Sancto munere omnino privetur, minus insignes Reliquiæ illis concedentur.

Cum Magnis Principibus, & Prælatis liberalius est agendum.

Aliis fidelibus minus Insignes Reliquiæ concedantur.

§. 5. In omnibus autem modum servari jubemus, quoniam præ copia sæpius accidit, ut sanctiora quæque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est. Conficiatur etiam liber, in quo sacra corpora, & reliquiæ a Cæmeteriis prædictis extractæ adnotentur, tum nomina illorum, quibus reliquiæ ipsæ distributæ, & Ecclesiarum, pro quibus impetratæ fuerint. Porro qui ornant, & vendunt capsulas, thecas, & vasa, quibus reliquiæ Sanctorum includuntur, reliquiis, alia

Liber in quo SS. Reliquiæ, & Corpora à dd. Cæmeteriis extracta anotantur, & nomina illorũ, quibus ipsæ distributæ, ac Ecclesiarũ pro quibus impetratæ fuerunt.

Pœnæ adversus inscribentes alia nomina SS. Reliquiis, quam à Card. Vicario pro tempore fuerint imposita.
Pro expensis, & juxta mercedem Operariorum Card. Vicarius adhibeat pecunias, & eleemosynas piis operibus applicandas.

alia ne adscribant nomina, nisi, quæ a dicto Gasparo Cardinale moderno, seu pro tempore existente Vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetæ, aliisque pœnis ejusdem Vicarii arbitrio infligendis. Atque ut omnis tollatur occasio turpis quæstus iis, quorum operam, & ministerium in effodiendis, & extrahendis sacris corporibus: Idem Gaspar Cardinalis modernus, seu pro tempore existens Vicarius adhibebit, de pecuniis, & eleemosynis, quæ piis operibus applicandæ forent, & de mandato ipsius Vicarii accipient quantum æquum fuerit pro expensis omnibus, & juxta eorum mercedem.

Excommunicatio latæ sententiæ adversus recipientes aliquid pro traditione SS. Reliquiarum quolibet titulo etiam a sponte dantibus.

§. 6. Postremo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per transgressores ipso facto incurrenda districte prohibemus, ne in tradendis sacris corporibus, & reliquiis, & pro confectione literarum patentium desuper expediendarum, earumque sigillo, aliquid etiam modicum, ullo umquam prætextu, etiam a sponte dantibus, accipiatur.

Decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definire debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit quarumvis Ecclesiarum, & Basilicarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, specificatis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Etiam habentibus derogatorias derogatoriarum, & specialem, & individuam mentionem requirentibus.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 13. Jan. 1672.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Januarii 1672. Pontificatus nostri Anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in lib. Brevium mensis Januarii fol. 1. parte utraque.

XXIV.
Hæc constit. hic repetita est, quòd amplior sit, contenta in Tomo VI. fol. 382.

Confirmatio Decretorum Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium favore totius Ordinis Minorum observantium S. Francisci circa eleemosynas funerales, & funera Defunctorum, qui in eorum Ecclesiis sepulturam elegerint, scilicet, quod Parochi ab hæredibus dd. Defunctorum majorem eleemosynam petere nequeant, quam percepissent, si in eorum Parochiali, vel alia Sæculari Ecclesia sepeliri voluissent, & quod tali casu functiones super Cadaveribus ad ipsos Regulares, non autem Parochos pertineant.

CLEMENS PAPA X.

Nunc primum impressa.

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte tunc existentis Commissarii Curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum supplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terræ de Geverano Brundusinæ Diœcesis, omnibusque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosynam pro Defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dd. Fratrum, quam accipiebant pro iis qui in ipsorum Parochorum, seu Presbyterorum Sæcularium Ecclesiis sepeliebantur: Emanavit die 7. Decembris 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis, videlicet -- *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad tollendas indebitas exactiones, quæ, ut proponitur, in tumulandis Defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum prout præsentis Decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundisino, cæterisque locorum Ordinariis, ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero Sæculari majorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium prædictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri Sæcularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus &c. Romæ die 7. Decembris 1640.* -- Ita reperitur in regesto authographo Sac. Congregationis negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem &c. Romæ 31. Dec. 1671.

Decretum S. Congregationis Episc., & Regular. edit. die 7. Dec. 1640.

C. d. V. Archiep. Athenar.

§. 1. Et subinde cum tunc existentes Fratres Provinciæ Dalmatiæ prædicti Ordinis Congregationi præfatæ exposuissent, functiones funerales Defunctorum, quorum Cadavera in eorum Ecclesiis sepulturæ mandarentur, facere, ad eos, non ad Parochos spectare. Congregatio præfata die 31. Augusti 1657. aliud Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet --- *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, juxta alias resoluta censuit, functiones funeralium super cadavera Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ecclesiis circa præmissa servandum esse, prout servari mandat, & præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Rom. die 31. Aug. 1657.* -- Ita reperitur in Regesto authographo Sac. Congregationis negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem &c. Romæ 31. Decembris 1671.

Aliud Decretum ejusdem Sac. Congregationis die 31. Augusti 1657.

C. de V. Archiep. Athenar. &c.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Min. Observ. S. Francisci.

§. 2. Cum autem, ficut pro parte dilecti filii Franscisci Mariæ a Castro S. Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis præfati Nobis nuper expositum fuit, ipsa Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ Patrocinio communiri, summopere desideret: Nos specialem ipsi Francisco Mariæ Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Absolutio à Censuris.

DD. Decretorum Confirmatio Apost.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 18. Jan. 1672.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1672. Pontificatus nostri Anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in lib. Brevium Mensis Januarii Parte utraque fol. 145.

XXV. Die 18. Jan. 1672. An. 2.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium favore Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciarum Hispaniæ super facultate eligendi Conservatores, non designatos in Synodo Diœcesana in Civitatibus, & Diœcesibus in quibus nulli sunt Judices Synodales.

Nunc primum edita.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Nuper pro parte dilecti filii Didaci de Mendibil Commissarii generalis, Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod in multis Diœcesibus Regnorum Hispaniæ Synodi a plurimis annis celebratæ non fuerint, nullique proinde ibidem Judices in ejusmodi Synodis deputati reperiantur, quos Fratres Conventuum dicti Ordinis in illis partibus consistentium in conservatores eligere, seu nominare valeant; ipse Didacus Commissarius Generalis plurimum cupiebat facultatem nominandi in Conservatores alias Personas, quæ qualitatibus per Constitutionem fel. rec. Gregorii PP. XV. Prædecessoris nostri de Conservatoribus editam requisitis cæteroqui præditæ sint, Fratribus præfatis concedi, quemadmodum alias in similibus casibus à Sede Apostolica concessa fuit: emanavit a præfata Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit Oratori dandam infrascriptam declarationem alias editam sequentis tenoris: Sac. Congregatio &c. censuit Episcopos quamprimum Diœcesanam Synodum omnino celebrare teneri: Et interim in Civitatibus, & Diœcesibus in quibus nulli Judices extant in Concilio Provinciali, aut Diœcesano designati, licere Regularibus servata in reliquis forma Constitutionis fel. recor. Gregorii XV. hac de re editæ, Conservatores nominare habentes qualitates a Jure requisitas. Quorum tamen Conservatorum facultas eo ipso expiret, cum primum hujusmodi Synodus celebrata fuerit, in eaque Judices designati extiterint Romæ 4. Decembris 1671. -- F. M. Cardinalis Brancatius -- C. de V. Arch. Athenar.

Decretum S. Congregationis Episc. & Regular. cont. 4. Dec. 1671.

Preces Commissarii Generalis Curiæ Ord. Minor. Observantiæ S. Francisci.

§. 1. Cum autem sicut pro parte dicti Didaci Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis nostræ Patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Didacum specialibus gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Absolutio à Censuris.

Ejusdem Decreti Apostol. confirmatio.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, ac delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus præfata Gregorii prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 18. Januar. 1672.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januar. 1672. Pontificatus nostri anno Secundo.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Januarii parte utraque fol. 150.

XXVI.

Facultas Prioris Generalis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo conferendi Lauream Doctoralem Fratribus Magistris in Collegiis, & studiis sui Ordinis.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens PP. IX. prædecessor Noster dilecto filio Matthæo Orlando moderno, & pro tempore existenti Priori Generali Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo facultatem conferendi Lauream Doctoralem illis Fratribus d. Ordinis, qui ex præcepto Constitutionum Ordinis hujusmodi Magisterio insigniti forent, auctoritate Apostolica concessit. Ita tamen ut illa extra Collegium Salamantinum non nisi in

Clem. IX. facultate concessit Priori Generali Ordin. Carmel.

conferendi lauream Doctoralem fratribus Magistris in Collegio Salamantino, & S. Mariæ Transpontinæ de Urbe.

Collegio S. Mariæ Transpontinæ de Urbe ejusdem Ordinis uti possit, & alias prout in ipsius Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 20. Julii 1668. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem, sicut præfatus Matthæus Prior Generalis Nobis nuper exponi fecit, Fratres Magistri à Priore Generali d. Ordinis pro tempore existente instituti, secundum formam regularium Institutorum ante susceptionem Laureæ Doctoralis hujusmodi nullis frui possint Privilegiis: sæpe vero contingat Priorem Generalem Ordinis hujusmodi, Visitationis, aliorumque negotiorum ejusdem Ordinis causa per plures annos extra Urbem præfatam manere, eo autem absente, Fratres Magistri Lauream Doctoralem suscipiendi gratia ad eamdem Urbem frustra sint accessuri, nec propter eorum paupertatem ejusmodi lauream in aliqua studii generalis Universitate suscipere valeant, attentis intolerabilibus pecuniarum summis ibidem expendendis, quibus pauperrima inter mendicantes Religio nimium gravaretur.

Motivum ampliandi dictum Indultum.

§. 2. Nobis propterea dictus Matthæus Prior Generalis, ne præfatos Fratres Magistros Privilegiis suis diu carere contingat, humiliter supplicari fecit, ut sibi, suisque successoribus Prioribus Generalibus in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Prioris Generalis dicti Ordinis.

§. 3. Nos igitur ipsius Matthæi Prioris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; præfato Matthæo moderno, ejusque Successoribus Prioribus Generalibus Ordinis prædicti pro tempore existentibus, quando fuerint in Conventibus ejusdem Ordinis, ubi Collegium, seu studium pro studentibus Religionis institutum sit, Lauream Doctoratus prænarratis Magistris ipsius Ordinis, servatis tamen quoad reliqua omnibus ex præcepto Constitutionum Ordinis hujusmodi servandis, auctoritate nostra Apostolica conferendi facultatem, eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Absolutio à Censuris.

Hic Pontifex facultatē ampliat Priori Generali pro tempore dandi lauream Doctoratus fratribus Magistris in Conventibus ubi Collegium, seu Studium pro Studentibus sit institutum.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præfati Clementis prædecessoris nostri literis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Jun. 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Edit. 20. Jun. 1672. An. 3.

I. G. Slusius.

Registrata in libro Brevium Mensis Jun. parte utraque fol. 585.

XXVII.

Statutum pro Congregatione Lateranensi Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ut illius Capitulum generale de cætero de Sexennio ad Sexennium celebretur cum prorogatione Officialium, ac diversis ordinationibus pro ejusdem Congregationis levamento &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Cum ad notitiam nostram pervenisset, Congregationem Lateranensem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ejusque monasteria propter varios casus, diversis debitis, in sorte, & residuis, quæ capsæ publicæ dictæ Congregationis in Urbe debentur ad summam septingentorum sexaginta quatuor millium quingentorum quinquaginta trium scutorum monetæ, salvo veriori calculo ascendentibus, gravata existere, & pro Capitali septingentorum, & duorum millium quingentorum septuaginta quinque scutorum similium quotannis fructuum, sive interusuriorum nomine viginti vovem millia quadringenta quinquaginta duo scuta paria solvi, ex his autem annua viginti unum millia septingenta septuaginta duo scuta hujusmodi redimibilia, seu francabilia esse.

Exordium à debitis Monasteriorum Congregationis Lateranensis Ord. S. Augustini cũ Capsa publica in Urbe d. Congregationis in summa sc. 764553.

Quod pro hujusmodi Debito, d. Capsa publica fructus solvere debeat in sũma sc. 29452.

§. 1. Nos ejusdem Congregationis levamento consultum esse cupientes, mandavimus nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis doctrina, prudentia, & rerum usu eximie præditis, ut de opportunis remediis consultarent, nobisque sententias suas referrent, illi vero mandatis nostris obsequentes, re mature, diligenterque perpensa pro ipsius Congregationis levamento expedire censuerunt, Capituli generalis ejusdem Congregationis celebrationem à triennio ad sexennium prolongari, inde enim expensas considerabiles pro accessu, mora, & recessu a loco Capituli necessarias resecari; Capitulo autem hujusmodi non posse, nec debere sub quocumque prætextu interesse alios, præter solos Abbates regiminis, & titulares, per quæ duo capita Congregatio præfata annuis expensis mille scutorum dictæ monetæ exoneraretur; visitationes alternis annis fieri debere, posse enim eo anno, quo visitatio non fieret, casibus occurrentibus per Visitatorem illius Provinciæ, in qua casus eveniret, provideri, hacque ratione mille sexcenta scuta paria annuatim compendii fieri. Abrogandum omnino, atque tollendum esse usum cujusdam recreationis in dicta Congregatione quotannis fieri solitæ, quæ Ventura vocatur, confirmandumque Decretum prohibitorium illius ab eadem Congregatione pluries reiteratum, unde annis singulis expensæ quadringentorum scutorum similium parcetur.

Pro levamento d. Capsæ Papa erigit Congregationem Prælatorum.

Eadem Congr. Præl. censuit 1. Capitulum Generale esse protrahendum ad sexennium eique interesse non posse nisi Abbates Regiminis, & titulares.

Utilitas exinde Congregationis Lateranensis in scut. 1000.

2. Censuit Visitationes Monasteriorum faciendas esse alternis annis & exinde utilitas aliorum sc. 1600.

3. Censuit abrogandum abusum annualis recreationis nuncupat. la Ventura ex quo parcitur expensis annuis sc. 400.

§. 2. Porro resecationum, & compendiorum hujusmodi, quæ quotannis ad summam trium millium scutorum monetæ præfatæ ascendent, repartitionem inter omnia Monasteria dictæ Congregationis, excepto Monasterio Tremiti nuncupato, ab Abbate generali ipsius Congregationis proportionatim fieri debere ad ratam, quam unumquodque Monasterium pro taxis Visitationum solvit, & singulorum Monasteriorum portiones quotannis mittendas fore ad capsam publicam, quemadmodum circa præstationes aliorum onerum, quæ de præsenti solvunt, servatur. Applicanda quoque fore eidem capsæ publicæ spolia Canonicorum Regularium dictæ Congregationis pro tempore decedentium, illaque prævia æstimatione per duos Peritos ab Abbatibus, & Capitulis Monasteriorum eligendos facienda, vendi, ac Inventarium una cum pretio, & æstimationibus in libro per unumquodque Monasterium ad hunc finem retinendo annotari debere, quæ licet incerta sint, tamen de præterito ad summam mille, & quingentorum scutorum similium annuatim calculata fuerunt.

4. Censuit d. Capsæ publicæ esse applicanda Spolia Canonicorum Regul. Later. quæ antea summam fecerunt scut. 1500.

§. 3. Et

5. Censuit esse exequendas literas Pauli V. & Chirographum Alex. VII. prout in rubrica.

§. 3. Et quia unicum assecurationis Capsæ publicæ hujusmodi remedium superest, si literæ fel. rec. Pauli PP. V. prædecessoris nostri die 12. Aprilis 1608. emanatæ, & Chirographum rec. mem. Alexandri PP. VII. prædecessoris pariter Nostri manu subscriptum, & die 6. Decembris 1664. expeditum executioni mandentur, ordinandum fore, ut singuli superiores Monasteriorum, Provinciarum Mediolanensis, & Pedemontii, seu Ducalinæ nuncupatæ, bona stabilia vendere, pecunias ad censum capere, & alia omnia, quæ per literas, & Chirographa hujusmodi ordinantur, facere debeant cum participatione tamen Abbatis Generalis, & consensu dilecti filii nostri Caroli Barberini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, adhoc ut proprium unius cujusque Monasterii debitum extingui possit, atque ita dictæ literæ, & Chirographum executioni mandata remaneant ea forma, quæ opportunior fuerit, ita ut saltem omnes solutiones, quas Capsæ publicæ in suis Provinciis faciunt, seu facere debent, inde retrahantur, obligenturque ipsi Superiores ad remittendum eidem Capsæ tantam pecuniæ quantitatem, quæ ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenario sufficiat ad extinctionem annuæ præstationis cuilibet Monasterio assignatæ, & in reparatione assignandæ, unde extinguantur Capitalia francabilia, & residue debita, atque ita effectus liberationis Capsæ publicæ hujusmodi inde consequatur.

6. Censuit posse alienari duo Monasteria illarum Provinciarum ære alieno gravatarum, prout in rubr.

§. 4. Quod si ne hoc quidem remedium sufficiat, quia forsan non adsint tot bona, quæ distrahi possint, aut id fieri non expediat, eo casu liceat vendere, & alienare duo ex Monasteriis præfatarum Provinciarum, & aliarum ære alieno oppressarum, si ita pro utilitate dictæ Congregationis expedire memoratis Carolo Cardinali Protectori, & Abbati Generali matura deliberatione prævia, visum fuerit, pretium autem erogetur in extinctionem primo loco debitorum Monasterii, & successive Provinciæ, in qua alienatio facta fuerit.

Datur biennium ad hujusmodi executionem.

§. 5. Et ut ordinationes præfatæ effectum habeant, Abbates locales in termino biennii debeant Procuratorem generalem, & dictum Carolum Cardinalem Protectorem certiores reddere se illas cum effectu adimplevisse per extinctionem debitorum, vel illorum abductionem in suam Provinciam, itaut Capsa publica Romana libera remaneat, alioquin pœnis infrascriptis subjaceant videlicet; Transacto biennio hujusmodi, nec adimpletis dictis ordinationibus, non possit in illo Monasterio acceptari quisquam ad habitum Canonici, vel Conversi, nec deveniri ad electionem Abbatis, quamdiu satisfactum non fuerit; Abbas vero Abbatia, ac voce activa, & passiva, necnon gubernio, omnique alia prærogativa privatus remaneat, & Minister, seu Gubernator Monasterii eligatur; remaneant similiter privati ii Procuratores, qui pro eorum parte non adimpleverint, quod eis injungitur: Elapso autem dicto biennio Abbas Generalis, ejusque Diffinitorium ordinationes supradictas in ea parte, in qua non fuerunt in biennio hujusmodi adimpletæ, rigorose exequi debeant: Quod si in termino sui Generalatus ordinationes præfatas ad effectum non deduxerint, idem Abbas Generalis, & Visitatores illius Provinciæ, in qua defectum fuerit, remaneant in proxime futuro Capitulo privati voce activa, & passiva, ac quacumque prærogativa, & gradu, quos vigore Regularum, seu Constitutionum, vel consuetudinum dictæ Congregationis in Dietis, & Diffinitorio, per sexennium subsequens obtinere possent, & eorum loco eligantur alii, ac à diffinitorio eligi debeant.

Biennio transacto pœnæ adversus contravenientes.

Eo elapso Abbas Generalis, ejusque Diffinitoriū curet hujusmodi ordinationes adimplere.

DD. Ordinationes in Dieta ejusdem Congregationis Placentiæ fuerunt ut infra acceptatæ.

§. 6. Cum autem sicut dilecti filii Abbas Generalis, & Diffinitores dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, præmissis sic per Prælatos præfatos prudenter cogitatis, atque deliberatis in Dieta ejusdem Congregationis Placentiæ proxime celebrata per dictos exponentes, aliosque tam vocales, quam non vocales dictæ Congregationis mature, diligenterque consideratis, atque trutinatis, ipsi, quo eadem præmissa ad effectum deducantur, publicæque utilitati ipsius Congregationis magis consulatur, expedire censuerint, non solum fieri celebrationis dicti Capituli generalis prolongationem de triennio ad sexennium; ipsumque Capitulum sine Sociorum interventu celebrari, ac recreationem præfatam, quæ *Ventura* vocatur abrogari; sed etiam visitationes, non alternis annis, sed singulis trienniis semel tantum fieri, quo insuper cujusque anni impensæ resecentur, hisque mediantibus tria millia scutorum parium annuatim Capsæ publicæ prædictæ assignari, loco spoliorum autem, quæ incerta sunt, certam assignationem mille tercentorum tresdecim scutorum, & octoginta bajoccorum annuatim fieri, atque ita in totum quatuor millia ducenta nonaginta sex scuta, & quinquaginta octo bajoccos monetæ hujusmodi quotannis eidem Capsæ applicari, eamque de communi consensu æquam applicationis hujusmodi repartitionem inter omnia ipsius Congregationis Monasteria, concurrente etiam ad id Provincia Veneta, fecerint.

Quoad Visitationes ut fierent singulis trienniis tantum, & ex iis & aliis ut supra utilitas esset sc. 3000. pro publica capsa.

Pro spoliis dd. Canonicorum posse solum assignari sc. 1313 & ob. 80.

Adducitur etiam consensus Provinciæ Venetæ.

Assignatum biennium ad quadrienniū prorogatur pro venditione stabilium.

§. 7. Verum considerantes, quod si intra brevem biennii terminum ad venditionem Bonorum stabilium esset deveniendum, illa vilissimo pretio distrahi necesse foret propter tergiversationes, atque machinationes Emptorum, qui Superioribus sic ad vendendum coactis vilia, & vix dimidia justi valoris pretia afferrent, atque ita venditiones cum gravissimo detrimento, & ruina Monasteriorum extorquerent, & proinde è re ipsius Congregationis magnopere fore existimaverint, si terminus hujusmodi ad quadriennium ampliaretur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces d. Congregationis Lateranensis.

§. 8. Nos igitur Congregationis præfatæ statui, & levamento quantum nobis ex alto conceditur prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac literarum, & Chirographi præfatorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac audita super præmissis memorati Caroli Cardinalis, & Protectoris relatione, ut Capitulum generale dictæ Congregationis, quod de triennio in triennium celebrari hactenus consuevit, deinceps de sexennio in sexennium celebretur, illique soli Abbates regiminis, & titulares, non autem alii sub quocumque prætextu interesse debeant, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus; ac proinde præfatis modernis Abbati Generali, & Visitatoribus, ac Procuratori Generali ejusdem Congregationis sua respective officia ad aliud triennium à fine triennii, ad quod in proxime præterito ipsius Congregationis Capitulo Generali electi fuerunt, computandum, itaut interea in suis officiis hujusmodi cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & Indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis continuare libere, & licite possint, & valeant, eadem auctoritate harum serie prorogamus, extendimus, & ampliamus.

Singulares illius personas à Censuris absolvit.

Relatio Cardinalis Protectoris.

Auctoritate Apost. statuit Capitulum Generale singulis sexenniis celebrandum, eique solum Abbates Regiminis, & Titulares interesse posse.

§. 9. Visitatores autem Monasteriorum Congregationis prædictæ, quæ annis singulis fieri solebant, in posterum singulis trienniis semel tantum

Mandat Visitatores fieri duntaxat trienniis singulis.

Usum Recreationis nuncupatæ la *Ventura* penitus tollit.

fieri volumus; necnon supradictæ recreationis, quæ Ventura vocatur, in eadem Congregatione, quamvis fieri solitæ usum auctoritate, & tenore prædictis perpetuo, tollimus, & abrogamus, ipsamque recreationem de cætero fieri prohibemus. Porro taxam, & repartitionem annuorum quatuor millium ducentorum nonaginta sex scutorum, & quinquaginta octo bajocchorum capsæ publicæ præfatæ solvendorum, communi consensu inter omnia dictæ Congregationis Monasteria in dieta proxime præterita factam, ut præfertur dicta auctoritate earumdem tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac unum quodque ex dictis Monasteriis suam portionem ejusdem taxæ juxta repartitionem hujusmodi eidem Capsæ publicæ annis singulis realiter, & cum effectu solvere debere decernimus, & ordinamus.

Repartitio inter Monasteria juxta modum in d. Dieta præscriptum confirmatur.

Præcipit exequi dd. literas Pauli V. & Chirographum Alexand. VII. prout in rubr.

§. 10. Præterea ut Pauli literæ, & Alexandri prædecessorum præfatorum Chirographum supradicta executioni mandentur, omnibus, & singulis superioribus Monasteriorum, Provinciarum Mediolanen. & Pedemontis, seu Ducalinæ nuncupatæ præfatarum harum serie præcipimus, & mandamus, ut bona stabilia ad eorum Monasteria respective spectantia vendant, pecunias desuper ad censum capiant, aliaque omnia, quæ per literas, & Chirographum hujusmodi ordinantur, respective faciant, & omnino exequantur, cum participatione tamen Abbatis Generalis, & consensu dicti Caroli Cardinalis, & Protectoris, ad hoc, ut proprium uniuscujusque Monasterii debitum extingui possit, atque ita eædem literæ, & Chirographum, ea forma, quæ opportunior fuerit executioni mandata remaneant, ita ut saltem omnes solutiones, quas Capsæ publicæ in suis Provinciis faciunt, seu facere debent, inde retrahantur; ac eosdem Superiores obligatos esse volumus, ad remittendum ad eamdem Capsam publicam tantam pecuniæ quantitatem, quæ ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenario sufficiat ad extinctionem annuæ præstationis cuilibet Monasterio, etiam in præfata repartitione, assignatæ, unde Capitalia francabilia, & residua debita extinguantur, atque ita Capsa publica hujusmodi liberetur.

In subsidiũ dat facultatem alienandi duo Monasteria Provinciarum ære alieno oppressarum.

§. 11. Cæterum si ne hoc quidem remedium sufficiat, quia forsan non adsint tot bona, quæ distrahi possint, aut id fieri non expediat, eo casu licentiam, & facultatem tribuimus vendendi, & alienandi duo ex Monasteriis præfatarum, & aliarum dictæ Congregationis Provinciarum ære alieno oppressarum, si ita pro utilitate ipsius Congregationis expedire eisdem Carolo Cardinali, & Protectori, ac Abbati Generali, matura deliberatione prævia, visum fuerit; pretium autem inde proventurum erogari volumus in extinctionem primo loco debitorum Monasterii, & successive Provinciæ, in qua alienatio facta fuerit.

Eorum pretium quomodo distribuendum.

Abbates locales intra quadriennium dicere debent se dd. Ordinationes adimplesse.

§. 12. Porro Abbates locales in termino quadriennii proxime venturi Procuratorem Generalem dictæ Congregationis, ac præfatum Carolum Cardinalem, & Protectorem certiores reddere, & per notam distinctam edocere debeant, quod præsentes Ordinationes cum effectu adimpleverint per extinctionem debitorum, vel illorum abductionem in suam Provinciam, ita ut supradicta Capsa publica Romana libera remaneat, alioquin transacto quadriennio hujusmodi, nec adimpletis dictis ordinationibus, non possit in illo Monasterio, quod moram in adimplendo commiserit, acceptari quisquam ad habitum Canonici regularis, vel Conversi, nec deveniri ad electionem Abbatis quamdiu eisdem ordinationibus satisfactum non fuerit: Abbas vero, Abbatia, & Gubernio, ac voce activa, & passiva, omnique alia prærogativa privatus remaneat, & ejus loco Minister, seu Gubernator Monasterii eligatur; Procuratores quoque, qui pro eorum parte sibi injuncta non adimpleverint, pariformiter privati remaneant.

Transacto Quadriennio pœnæ statuuntur contra Inobedientes.

Post d. Quadriennium Abbas Generalis & Diffinitorium tenentur dd. ordinationes adimplere in ea parte in qua non fuerunt adimpletæ.

§. 13. Elapso autem eodem quadriennio, moderni, seu pro tempore existentes Abbas Generalis, & Diffinitorium dictæ Congregationis ordinationes supradictas in ea parte, in qua non fuerint in decursu quadriennii hujusmodi adimpletæ, rigorose exequi debeant; quod si Abbas Generalis in termino sui Generalatus ordinationes præfatas ad effectum non deduxerit, idem Abbas Generalis, & Visitatores illius Provinciæ, in qua defectum fuerit, remaneant in proxime futuro Capitulo generali privati voce activa, & passiva, ac quacumque prærogativa, & gradu, quos vigore Constitutionum, seu Regularum, vel consuetudinum dictæ Congregationis in dietis, & Diffinitorio per sexennium subsequens obtinere possent, eorumque loco alii eligantur, prout a Diffinitorio eligi debere volumus, & ordinamus.

Pœnæ adversus negligentes.

Decretum irritans.

§. 14. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non alias in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia memorat.

§. 15. Non obstantibus piæ me. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum quorumcumque, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Provinciis, & Monasteriis, ac Superioribus, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in Literis, & Chirographo supradictis concessa sunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio, ad id servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Eis derogat.

Transumptorum fides.

§. 16. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum

Edit. 19. Aug. 1672. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19 Augusti 1672. Pontificatus nostri anno tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Augusti par. 2. fol. 96.

XXVIII. Extensio Indultorum recitandi officium S. Juliani Episcopi, & Confessoris cum octava tam die festo ejusdem S. quam die Commemorationis illius, Episcopo, ac Capitulo, & Clero Civitatis, & Diœcesis Conchen. a Clem. VIII. & Paulo V. concessorum, ad omnia, & singula Hispaniarum Regna.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

APostolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ, atque clementiæ altitudo humilitati nostræ, meritis licet, & viribus longe impari, committere dignata est, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, Sanctorum Christi Confessorum, qui feliciter decurso vitæ mortalis studio, immarcescibilis Gloriæ coronam in Cœlis a justo Judice consequi meruerunt, cultum, & venerationem in terris promovere, atque ampliare studemus, sicut pia sublimium personarum non minus virtutis, quam regii culminis splendore conspicuarum, ac Catholicorum Antistitum in partem solicitudinis nostræ vocatorum, aliorumque Christifidelium vota postulant, & nos ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque Sanctæ decus, atque ædificationem expedire in Domino arbitramur.

Preces Epis. & Capituli, Cleri Civitatis, & Diœcesis Conchen. datæ Clementi VIII.

§. 1. Dudum siquidem pro parte tunc existentium Episcopi, & Capituli, & Cleri Civitatis, & Diœcesis Conchen. fel. rec. Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro exposito Beatum Julianum Episcopum, & Confessorem ejusdem Civitatis, & Ecclesiæ Patronum, in maxima apud eos veneratione haberi, & illius natalem diem festum hiemali tempore, quo per temporis ejusdem, & ipsius Civitatis Conchen. situs asperitatem, convicini Populi ejusdem Sancti devoti illuc accedere non poterant, & propterea ejus Commemorationem die 5. Mensis Septembris, qua frequentes Christifideles devotionis causa illuc accedebant, celebrari solere, cupereque Episcopum, ac Capitulum, & Clerum præfatos ad majorem ejusdem Sancti Venerationem, eorumque spiritualem consolationem, utroque tempore hujusmodi in officio, quod de ipso Sancto recitabant, orationem propriam, & lectiones ex ipsius S. Juliani historia desumptas recitare posse.

Clem. VIII. indulsit Episcopo, & Capitulo, ac Clero universo d. Civitatis, & Diæcesis ut in festo, & commemoratione S. Juliani orationem propriã, & tres lection. 2. Nocturni desumptas ex historia ejusdem S. recitare possent.

§. 2. Idem Clemens prædecessor de tunc existentium S. R. E. Cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum præpositorum, qui Orationem, & lectiones hujusmodi jussu ipsius Clementis prædecessoris examinaverant, & approbaverant, sententia, eisdem Episcopo, Capitulo, Canonicis, & Clero universo Civitatis, & Diœcesis Conchen. ut in festo, & commemoratione præfati Beati Juliani Episcopi, & Confessoris ejusdem Civitatis, & Ecclesiæ Patroni, orationem propriam, & tres lectiones secundi nocturni ex ipsius S. Juliani historia desumptas, quas literis suis adscribi voluit, recitare libere, & licite possent, & valerent, auctoritate apostolica concessit, & indulsit.

Eorundem preces datæ Paulo V.

§. 3. Et subinde rec. mem. Paulo Papæ V. prædecessori pariter nostro tunc existentium Episcopi, & Capituli Conchen. nominibus, etiam exposito, quod ipsi eumdem Beatum Julianum in eorum, & suæ Ecclesiæ Conchen. Patronum agnoscebant, & venerabantur, ac illius proprium officium die festo ipsius Beati Juliani, & per totam octavam ejusdem festi in Civitate, & Diœcesi prædictis recitari, & celebrari posse cupiebant: dictus Paulus prædecessor officium præfatum cum ejus octava in ejus literis insertum, quod a memoratis Cardinalibus approbatum fuerat, de eorumdem Cardinalium consilio, dicta auctoritate perpetuo confirmavit, & approbavit, utque in Civitate, & Diœcesi Conchen. ab Episcopo, & Capitulo, ac toto Clero Ecclesiæ, & Diœcesi Conchen. hujusmodi recitari, & celebrari posset, concessit pariter, & indulsit, & alias prout in eorumdem Clementis, & Pauli prædecessorum literis desuper in simili forma Brevis die 18. Octobris 1594. & die 21. Maji 1613. respective expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Paulus V. eisdem indulsit posse recitare proprium Officium ipsius S. Juliani in ejus festo, & per tot. oct.

§. 4. Cum autem sicut dilectus noster Joannes Everardus ejusdem S. R. E. Cardinalis Nidhardus nuncupatus Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis nuper exposuit, tam ipse Carolus Rex, quam omnes fere venerabiles fratres Archiepiscopi, & Episcopi, ac dilecti filii Capitula plurimarum Ecclesiarum, necnon Communitates, & homines plerarumque Civitatum, Regnorum Hispaniarum, pio erga memoratum Sanctum Julianum devotionis affectu ducti indulta præfata ad omnia Hispaniarum Regna hujusmodi extendi summopere desiderant.

Preces Card. Nidhardi nomine Regis Catholici, & fere omnium Archiepiscoporum, & Episcoporum Regn. Hisp. dat. Pontifici.

§. 5. Nos ejusdem piis Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus paterno affectu favorabiliter annuere cupientes, dictosque Archiepiscopos, Episcopos, & Capitula, & Communitates, & homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus præfati Joannis Everardi Cardinalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio. Indulta quoad orationis propriæ, & lectionum, ac officii S. Juliani cum octava hujusmodi recitationem, & celebrationem respective tam die festo ejusdem S. Juliani, quam die Commemorationis illius, Episcopo, & Capitulo, & Clero Civitatis, & Diœcesis Conchen. a memoratis Clemente, & Paulo prædecessoribus concessa, ut præfertur, ad omnia, & singula Hispaniarum Regna, servata tamen cæteroqui literarum præfatarum respective forma, & dispositione, eadem auctoritate tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Absolutio à Censuris.

Pontifex præfata Indulta Clem. VIII & Paul. V. extendit ad omnia Hispaniarum Regna, servata tamen illorum forma, & dispoli-

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit quarumvis Ecclesiarum, & Basilicarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, in-

Derogat contrariis.

dultis

dultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Edit.26.Aug. 1672. An.3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Augusti 1672. Pontificatus nostri anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Sec. Brevium in lib. mensis Augusti par. 2. fol. 112.

XXIX.

Declaratio nullitatis transactionis, seu cautionis ab Archiepiscopo Januense cum Duce, & Gubernatoribus Reipublicæ Januensis in controversia super Sedis Archiepiscopalis collocatione, &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab immemorabili quo Sedes Archiepiscopalis cum Baldachino in Ecclesia Januen. fuit semper juxta Altare à Cornu Evangelii.

Cum ex Apostolicæ Sedis Decretorum, ac sacrorum Rituum, & Cæremoniarum Ecclesiasticarum dispositione per consuetudinem immemorabilem roborata sedes Archiepiscopalis una cum Baldachino superimposito in Ecclesia Metropolitana Januensi juxta Altare a cornu Evangelii usque ad proxime elapsa tempora semper sita fuerit, non contradicentibus Duce, & Gubernatoribus Reipublicæ Januensis Sedem Ducalem a cornu Epistolæ in eadem Ecclesia, vel a dicto cornu Evangelii infra tamen Sedem Archiepiscopalem prædictam retinentibus.

Post cessionem d. Archiepiscopatus factam a Card. Stephano Duratio Dux & Senatores fecerunt illam amovere a Cornu Evangelii, & collocare a Cornu Epist.

§. 1. Verum post dimissionem dictæ Ecclesiæ Januensis a bon. mem. Stephano dum vixit S. R.E. Cardinale Durazzo nuncupato ejusdem Ecclesiæ Januen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsule in manibus fel. rec. Alexandri Papæ VII. prædecessoris nostri factam, & ab eodem Alexandro prædecessore admissam, tunc existentes Dux, & Gubernatores d. Reipuplicæ de facto, & propria auctoritate prædictam Sedem Archiepiscopalem a memorato cornu Evangelii amoveri, illamque a cornu Epistolæ collocari fecerint, violata inde Archiepiscopali dignitate, ac jurisdictione, necnon prædictorum Decretorum Rituum, & Cæremoniarum Ecclesiasticarum dispositione: cui attentato per ven. fratrem Joannem Baptistam modernum Archiepiscopum Januensem, apud hanc Sedem Apostolicam deducto, & denunciato, quamvis prædictus Alexander prædecessor, & rec. mem. Clemens Papa IX. etiam prædecessor noster, compluribus officiis, & paternis adhortationibus interpositis, occurrere studuerint, causa hujusmodi iterum cum omnibus illius annexis ad se, & Sedem Apostolicam prædictam, prout ex literis Congregationis tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositorum die 18. Augusti 1675. scriptis fusius pariter avocata, inhibita quoque specialiter Archiepiscopo Januen. pro tempore existenti facultate utendi sede Archiepiscopali prædicta ad cornu Epistolæ sicut præmittitur translata.

Alex. VII., & Clem. IX. paterne eos hortantur ab hujusmodi attentato desistere Archiepiscopo inhibita facultate sedendi a Cornu Evangelii.

§. 2. Nihilominus dum Nos eadem paterna, qua memorati prædecessores nostri longanimitate confidebamus fore, ut aliquando ejusmodi controversia congruum, & Apostolicis Decretis, Ritibusque, & Cæremoniis Ecclesiasticis, ac dignitati Archiepiscopali consentaneum finem sortiri deberet, attenta præcipue antiqua Reipublicæ prædictæ in Ecclesiam pietate, præter omnem spem, & non sine gravi animi nostri molestia ad aures nostras pervenerit, inter prædictum Joannem Baptistam Archiepiscopum ex una, ac dilectos filios nobiles viros Ducem, & Gubernatores dictæ Reipublicæ ex altera partibus initam fuisse Nobis, & Apostolica Sede inconsultis, quamdam assertam transactionem, sive conventionem, per quam si valida foret, grave Metropolitanæ Ecclesiæ, & Archiepiscopali Dignitati Januen. præjudicium inferretur.

Inter eos, & Archiepiscopum Joañem Baptistam initur tractatio, seu conventio super modo collocandi Sedem Archiepiscopalem in Ecclesia Januen.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, Metropolitanæ Ecclesiæ, & Archiepiscopalis dignitatis prædictarum honorificentiam, præeminentias, prærogativas, & jura quæcumque sarta tecta, atque illis bona tueri, & conservare, ac in præmissis ex commissæ Nobis cœlitus dispensationis munere opportune providere cupientes, necnon prædictæ transactionis, seu conventionis, ejusque articulorum, seu Capitulorum quorumcumque seriem, ac scripturarum, & Decretorum quorumlibet desuper forsan quovis modo confectorum, & emanatorum tenores, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime, atque accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eamdem transactionem, seu conventionem a memorato Joanne Baptista Archiepiscopo cum prædictis Duce, & Gubernatoribus, vel Senatu, aut Magistratibus, aliisque quibusvis Ministris dictæ Reipublicæ Januen. super prænarrata controversia quomodolibet initam, ejusque articulos, & Capitula, seu pacta quæcumque, necnon scripturas, & Decreta quælibet desuper confecta, & emanata respective cum omnibus, & singulis in eis, eorumque quolibet contentis, ac inde sequutis, & quomodocumque secuturis, ipso Jure nulla, irrita, & invalida, inania, & de facto attentata, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua, & nullius roboris, & momenti fuisse, & esse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, nec dictum Joannem Baptistam, & futuros Archiepiscopos Januenses illa, seu eorum aliquod quodcumque observare posse, vel debere, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel præscribendi causam acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, sed illa omnia, & singula pro non factis, nec gestis perinde, ac si nunquam emanassent perpetuo haberi debere tenore præsentium decernimus, & declaramus; Quinimo ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula harum serie reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus omnino vacuamus, ac adversus illa quatenus de facto processerunt, Metropolitanam Ecclesiam, & dignitatem Archiepiscopalem Januensem prædictas, ipsumque Joannem Baptistam Archiepiscopum in integrum, & pristinum, ac in eum, in quo antequam prædicta tractatio, seu conventio iniretur, aut de ea tractaretur, vel cogitaretur quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Hæc tractatio, sive conventio Apost. auctoritate irritatur, & reprobatur.

§. 4. Quo circa prædicto Joanni Baptistæ Archiepiscopo in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis per præsentes præcipimus, & mandamus, ut Sedem Archiepiscopalem prædictam una cum Balda-

Mandat dicto Joañi Baptistæ Archiepiscopo in virtute S. Obedientiæ,

ut intra triduum a die notitiæ eamdem Sedem a Cornu Epist. amoveat.

chino super imposito a cornu Epistolæ sicut præmittitur collocatam, inde intra triduum a die notificationis ipsarum præsentium literarum, seu earum affixionis ad valvas ejusdem Ecclesiæ numerandum omnino amoveat, & amoveri curet.

Præsentes literæ nulla de causa, prætextu, vel colore valent impugnari.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Joannes Baptista Archiepiscopus, ac Dux, & Gubernatores, aliique præfati, & cæteri quicumque in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas præsentes literæ emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon prædictæ Ecclesiæ, & aliis quibuscumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, præfatis, & aliis quibusvis Personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, seu quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & quantiscumque vicibus iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 5. Sept. 1672. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Septemptis 1672. Pontificatus nostri anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretar. Brevium in lib. 3. diversorum fol. 129.

XXX.

Confirmatio Decretorum à Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini de suorum Assistentium consilio editorum, circa introductionem, observantiam, & perpetuam conservationem vitæ communis in Lycien., & Terræ Soleani, aliisque dicti Ordinis Conventibus, in quibus vita hujusmodi introducetur.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Solicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ Regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidemus, Nos admonet, ut ad ea, quæ salutem Christi fidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis Jugo mancipatorum directionem concernunt, favorabiliter intendentes, quæ à superioribus regularibus restituendæ, conservandæque religionis studio, provide facta esse noscuntur, Apostolici muniminis Nostri præsidio constabiliamus.

Series facti exposita à Procuratore Generali Ordin. Fratr. Eremit. S. Augustini.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, quod cum quondam Ignatius Valente Conventum Civitatis Lycien. dicti Ordinis hæredem instituit, ea lege, ut observantia, & exacta vita communis, quam dilectus pariter filius Augustinus de Soleano Frater expresse professus ejusdem Ordinis, in Sacra Theologia Magister, dum Provincialatus Provinciæ Apostolicæ dicti Ordinis munere fungebatur, in eodem Lycien., & S. Mariæ *del Reposo* nuncupatæ Terræ de Soleano Hydruntin. Diœcesis Conventibus introduxerat, in ipso Conventu Lycien. restitueretur, ac dict. Augustinum cum onere procurandi restitutionem vitæ communis hujusmodi in eodem Conventu Lycien., testamentariæ suæ dispositionis Executorem deputaverit, dilectus etiam filius Hieronymus Valvasorius Prior Generalis Ordinis præfati de Assistentium suorum consilio, circa restitutionem, observantiam perpetuamque conservationem vitæ communis tam in præfatis Lycien., & Terræ Soleani, quam in quibusvis aliis ejusdem Ordinis Conventibus vitam communem hujusmodi ad præscriptum Decretorum à Congregatione S. R. E. Cardinalium super statu Regularium deputata jussu fel. rec. Alex. Papæ VII. prædecessoris nostri die 13. Septembris 1604. emanatorum, benedicente Domino, amplexuris, nonnulla Decreta edidit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Prior Generalis d. Ord. cum consilio suorum Assistentium pro restitutione & conservatione vitæ communis in quibusdam Convêt.bus Lycien., & Terræ Soleani, & aliis edidit nonnulla Decreta.

Tenor dd. Decretorum.

§. 2. In Conventu S. Angeli de Lycio restituatur, & quatenus opus est de novo instituatur,

tur,

tur, & in Conventu S. Mariæ Reposi de Soleano continuetur observantia, & exacta vita communis ad præscriptum Regulæ &c., ut inferius.

§. 3. Exacta vita communis in dd., & hujusmodi Conventibus jam, & in futurum observantibus fiat ab omnibus, & singulis Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis de familia degentibus, juxta Decreta Sac. Congregationis super Stat. Regular. de mandato fel. rec. Alexandri Papæ VII. sub die 13. Septemb. 1655. ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum Ordinis, non obstante quavis laxiori consuetudine, servataque forma Sac. Canonum Concil. Tridentin., & Const. Apostolic., & præcipue Decretorum san. mem. Clement. PP. VIII., necnon statutorum prædicti nostri Ordinis (quæ pro certiori, & firmiori observantia ne allegari unquam possit ignorantia,) una cum his Decretis, & aliis hactenus in Ordine factis de consilio etiam admodum RR. PP., qui nobis assistunt excerpsimus, & declaravimus, & hac ipsa die 5. Septembris 1672. nostra manu, & sigillo munita observanda illis, & omnibus Conventibus, & Fratribus, qui eamdem vitam jam amplexi, & Deo dante, in futurum amplexuri sunt, dedimus ad literam absque ulla interpretatione, aut glossa, & indispensabiliter, nisi cum infirmis, & impotentibus, sub pœnis in eisdem Decretis, Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis contentis, necnon dd. Constitutionum Ordinis *par. 3. cap 6. & par. 6. cap. 9.*, & statutorum supradictorum.

§. 4. Postquam (restituta jam observantia) octo circiter Novitii Choristæ recepti fuerint, & suam professionem emiserint in Novitiatu Lycii, remaneant ibidem pro secundo Novitiatu, seu professorio clauso, quod eos nunc pro tunc ad studium pro ipsis tantum observantibus deputamus ad studendum, si fuerint habiles, & primus Novitiatus, qui de mandato Sac. Congregationis super Stat. Regular. erat Lycii, transferatur (de assensu ejusdem Sac. Congregationis) ad Conventum Soleani.

§. 5. Conventus Lycii sit sub immediata jurisdictione nostra, & Priorum Generalium pro tempore, Conventus vero Soleani sub Jurisdictione Procuratoris Generalis, prout sunt cæteri Conventus Provinciæ, cum conditionibus tamen infradicendis.

§. 6. Pro hac prima vice confisi plurimum de integritate, doctrina, prudentia, ut supra, vitæ Communis, exactiorisque observantiæ zelo ejusdem Magistri Fratris Augustini de Soleano eum deputamus, & declaramus, prout tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate deputatum, & declaratum esse volumus, in Priorem prædicti Conventus nostri S. Angeli de Lycio ad triennium, & ultra ad aliud, & plura, si vocales dicti Conventus Lycii elapso primo triennio, eum alia, & alia vice, & pluries proponere, nominare, & præsentare voluerint, etiam solum, & non inter tres, aut duos, ut in forma inferius ponenda. Pro Conventu vero S. Mariæ Reposi de Soleano confirmamus in Priorem Fratrem Lucam de Melpiniano electum a Diffinitorio Provinciæ ad biennium a die dictæ suæ electionis.

§. 7. Deinceps Priores eligantur ex ipsis solis Observantibus, & ab ipsis, itaut primum in Conventu Lycii sibi deligant duos, vel tres, & ipsos sic delectos deinde nominent, & præsentent P. Generali pro tempore, & demum Generalis ex duobus, vel tribus ita præsentatis eligat unum, qui erit Prior, & pariter in Conventu Soleani primum sibi deligant duos, vel tres, & deinde illos duos, vel tres repræsentent Diffinitorio Provinciæ, quod demum ex duobus, vel tribus eligat unum, qui erit Prior.

§. 8. Quod si Prioratus ex morte, privatione, renunciatione, aut aliqua ex alia causa quandocumque vacaverit, tunc sit Vicarius tam Lycii, quam Soleani secundus, qui cum Priore electo fuit præsentatus, duraturus usque ad tempus novæ electionis. Quod si illi etiam, aut alter ex illis mortui fuerint, aut aliqua ex causa nolint, & nequeant esse Vicarii, tunc Lycii deligant tres, vel duos ad Prioratum, ex quibus Generalis, ut supra, eligat unum, qui erit Prior ad biennium, & tot menses, quot defuerint, usque ad consuetum tempus instituendi, & ipsum adventum de novo instituti Prioris. Et Soleani deligant duos, vel tres, ex quibus Provincialis, ut supra, eligat unum, qui erit Vicarius usque ad proximum Capitulum, seu Congregationem, in quibus Diffinitorio præstabunt duos, vel tres, dictum Vicarium, & alium, vel alios ab ipsis, & ex ipsis Observantibus deligendis, ex quibus duobus, vel tribus Diffinitorium eliget unum, ut supra.

§. 9. Ita pariter cæteri quicumque eorum Officiales eligantur ex ipsis, & ab ipsis, proponente tamen ad electionem, & post electionem eos confirmante eorum Priore jam, ut supra, electo.

§. 10. In Lectorem Theologiæ, seu Regentem, & in Lectorem Philosophiæ deputabitur a P. Generali aliquis ex ipsis idoneus illis doctrinæ sufficientia exemplaris, & maxime exactæ communis vitæ studio, juxta prædicta, & præcipue Clementis PP. VIII. Decreta probandus, & approbandus. Quod si apud se non habuerint idoneum, aut pro Lectore, aut pro Regente, supplicabunt pro altero, aut pro utroque eidem Patri Generali, qui providebit de idoneo a se probato, & qui sponte velit, & debeat observantiam, & exactam vitam communem eamdem cum omnibus, & per omnia juxta dicta, & Clement. Papæ VIII. Decreta sectari.

§. 11. In actu visitationis in Conventu Lycii per nos, aut per a nobis deputandos, & in Conventu Soleani per Patrem Provincialem, inquiratur super instituta observantia, & transgressores ibidem corrigantur regulariter, non autem inde removeantur inconsultis Priore, & PP. Consilii, & relinquantur, aut mittantur Decreta, quod si aliqua judicaverint observantiæ conducere, fideliter referant Priori Generali, qui si ei videbitur, decerant.

§. 12. Nulli volenti venire zelo observantiæ licentia denegetur, dummodo ejus præcedat acceptatio a Priore cum PP. Consilii. Non eligantur ipsi Observantes in Priores locales, nec in Officiales Conventuum, ubi dicta observantia non viget. Non amoveantur, aut transeant de familia in dd. Conventibus, ubi dicta observantia non viget, sed tantum donec, Deo juvante, alii Conventus observantes juxta pariter Decreta Sac. Congregationis super Stat. Regular., & hæc nostra Decreta, & Statuta, quæ, ut supra, pro dictis, & pro omnibus Conventibus, & Fratribus, qui eamdem vitam jam amplexi, & in futurum amplexuri sunt, fecimus, fuerint, mutari possint ab uno in alium ex Conventibus observantibus, tam si eam vitam post Decretum Sac. Congregationis super Statu Regular. professi fuerint, quam si professi ante dictum Decretum, aut ex dd. Conventibus Lycii, & Soleani pro hac prima vice remanserint, aut ex aliis Conventibus, quandocumque advenerint, & elapso anno (quo tempore iis erit liberum abire (a PP. Vocalibus acceptati fuerint, nisi forte in pœnam, utpote sitam sanctæ ordinationi de observantia, & exacta vita communi in dd. Conventibus, & aliis observantibus contradicere, aut modo aliquo se opponere ausi sint, vel fuerint, qua propter juxta dictum Decretum Sac. Congregationis super Stat. Regular. amovendi sint, aut si emendatoriam ferre recusaverint, & juxta Regulam, & Constitutiones a Priore de consensu PP. Consilii a Societate, ne contagione pestifera plurimos perdant, projiciendi.

§. 13. Pro quibus omnibus inviolabiliter observandis præcipimus omnibus, & singulis nostris inferioribus, ne quovis prætextu, occasione, aut

quæsito

quæsito colore, dicto, facto, directe, vel indirecte, per se, vel per alium ullis umquam futuris temporibus dicta Decreta violare, infringere, aut eis quoquo modo contraire, nec supradictos fratres a dd. observatione turbare, aut molestare, & ne a dd., & aliis in futurum simili modo Observantibus Conventibus d. observantiam, & exactam vitam communem auferre, aut auferendam audeant quomodolibet attentare, sub pœnis numero tertio memoratis, necnon privationis Officiorum, graduum, & vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & excommunicationis latæ sententiæ, quam trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, ipso facto absque alia declaratione, sed sola protestatione, & attestatione in scriptis, juramento, & subscriptione majoris partis Conventus firmata, cum expressione causæ, propter quam, & expressione pariter hujus nostri Decreti decimi, virtute cujus declarantur incursi, incurrenda.

§. 14. Hæreditas Ignatii Valente de Lycio vigore ejus testamenti sub die 10. Octobris 1671., in quo reliquit prædictum nostrum Conventum S. Angeli de Lycio suum hæredem universalem, cum adjecta conditione, quod in eo restituatur observantia, & exacta vita communis, juxta Decreta Sac. Congregationis super Stat. Regul. de mandato Alexand. PP. VII., acceptatur ad seriem, & tenorem ejusdem testamenti a nobis visi, discussi, & considerati, prout tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate illam acceptamus, & acceptandam esse volumus, & mandamus.

§. 15. Et ad perpetuam validitatem, firmitatem, subsistentiam, durationem, & ad cautelam, ad tollendos defectus, supplicamus S. Sedi Apostolicæ, ejusque Sacris Congregationibus. Primo, quod non obstantibus Constitutionibus nostri Ordinis 3.*part. Cap.*4., quod suppositio Conventuum sub immediata cura Patris Generalis fiat per Capitulum Generale; supradictus Conventus Sancti Angeli de Lycio ponatur, & sit in futurum, & in perpetuum sub immediata cura, & Jurisdictione Procuratoris pro tempore, quemadmodum alii Conventus Generales, cum d. tamen observantia, & exacta vita communi, & modo, ac forma, ut supra. Secundo quod non obstante Bulla fac. mem. Beati Pii V. pro Reformatione Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Quoniam in reparanda* 1570. de duratione Officiorum ad biennium, & Decreto P. Generalis Fivisani, confirmato a fac. mem. Clemente PP. VIII. *Universalis* 1596. de non protrahendis Officiis ultra sexennium prædictus Magister Frater Augustinus de Soleano possit esse & sit Prior, ut supra; & aliis non obstantibus quibuscumque, & ad tollendos, si qui sunt, alios quoscumque defectus, & ut prædicta omnia, & singula approbare, confirmare, & Apostolica auctoritate roborare dignetur.

Preces Procuratoris Generalis, & Fr. Augustini de Soleano d. Ord.

§. 16. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Procurator Generalis, & Augustinus præfati Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Procuratori Generali, & Augustino gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta a memorato Hieronymo Procuratore Generali edita, ut præfertur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Absolutio à Censuris.

Confirmatio Apostol. dd. Decretorum.

§. 17. Cæterum tam præfatum Hieronymum modernum, & pro tempore existentem Procuratorem Generalem, quam dilectos filios modernos, & futuros Vicarios Generales Congregationum, & Procuratores Provinciales Provinciarum, & Superiores locales Conventuum Ordinis præfati per præsentes serio monemus, ut suæ obligationis memores exactam vitam communem in Conventibus potissimum designatis pro Novitiatibus, & Professoriis ubi introducta non est, omnino introduci, quavis contraria consuetudine, seu potius corruptela non obstante, & ubi introducta est, conservari maxime procurent, in districto Dei judicio neglecti muneris rationem reddituri.

Monitio ad Superiores d. Ordinis ut vitam communem introducant in Conventibus designatis pro Novitiatibus, & Professoriis quavis contraria consuetudine non obstante.

§. 18. Decernentes easdem præsentes literas & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 19. Quocirca dilecto filio Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolis Nuncio, ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Hydruntin., & Lycien., ac Bisignanen. Episcopis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel tres, aut duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi, ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter, & inconcusse observari, omnesque, & singulos, quos ipsæ præsentes literæ concernunt, præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere: non permittentes illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Exequutores designat.

§. 20. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, ejusque Congregationum, Provinciarum, & Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, illis alias in suo robore permansuris, ac præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 21. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate

Transumptorum fides.

constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, quam extra illud habeatur, ipsis quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 8. Oct. 1672. An. 3. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Octob. 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Octob. parte utraque fol. 161.

XXXI. Statutum perpetuum Collegii Germanici, & Ungarici, quod Convictores quicumque in d. Collegium recepti, & quandocumque recipiendi, juramentum de discedendo ab Urbe, ac in Germaniam revertendo statim atque studiorum tempus fuerit absolutum, præstare teneantur.

Edita An.D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alumni Collegii Germanici, & Hungarici in ingressu vel paulo post jurant statim in Germaniam reversuros.

CUM (sicut accepimus) dilecti filii Alumni Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe in ipsius Collegii ingressum, sive paulo post, inter alia Juramentum præstare soleant, quod absoluto ibidem studiorum tempore, quando inde dimittentur, ab Urbe statim discessuri, & in Germaniam reversuri sint. In d. vero Collegium præter Alumnos, etiam recipiuntur nonnulli Convictores, qui Juramentum hujusmodi non præstant, sed peracto studiorum curriculo in Urbe præfata quandoque moram trahunt, & excusso disciplinæ, quam in eodem Collegio præfato servaverant, jugo, eam morum innocentiam, quam ex Patria attulerant, & in Collegio præfato coluerant, non satis studiose tuentur, in animarum suarum perniciem, ipsiusque Collegii existimationis detrimentum.

Convictores hoc Juramentum non præstant.

§. 1. Nos ex commissæ Nobis cœlitus Apostolicæ solicitudinis munere opportunum huic malo remedium quantum cum Domino possumus adhibere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut Convictores quicumque in Collegium præfatum recepti, & quandocumque recipiendi juramentum pariter de discedendo ab Urbe supradicta, ac in Germaniam revertendo, statim atque studiorum cursum ibidem absolverint, seu alias ex ipso Collegio dimittentur, ad instar memoratorum Alumnorum præstare omnino teneantur, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Motu proprio mandat teneri ad præstandum d. Juramentum se revertendo in Germaniam statim ac studia absolverint, aut ab ipso Collegio dimittentur.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) licet alias Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium justis de causis vetuisset, ne quis sine ipsius licentia typis evulgaret libros, & scripta, in quibus aliquo pacto de Missionibus ageretur; nihilominus multi, vel ignari quid eadem Congregatio decreverit, vel temere Decretum ejus transgredientes, scripta edant, & libros sæpe falsa, & inepta continentes, non sine piorum, & doctorum hominum offensione: Nos his, aliisque gravibus causis adducti, de memoratorum Cardinalium consilio auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ne quis cujuscumque status, gradus, & conditionis etiam Regularis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam JESU, licet is esset, de quo specifica, & individua mentio facienda foret, sine licentia in scriptis Congregationis eorumdem Cardinalium, quam in operis initio imprimere teneatur, libros, & scripta, in quibus de Missionibus, vel de rebus ad Missiones pertinentibus agatur, per se, vel per alium edat sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo à quoquam præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, ac privationis officii, & vocis activæ, & passivæ, necnon operum suppressionis pœnis ipso facto incurrendis.

S. Congreg. de Propaganda Fide vetuit posse typis evulgari libros in quibus aliquo pacto ageretur de Missionibus.

Pontifex iterum prohibet ne ullus Regularis libros edat de Missionibus, vel de rebus ad Missiones pertinentibus.

Statuuntur pœnæ adversus contravenientes.

§. 2. Hoc autem denunciari volumus omnibus, & singulis Superioribus Generalibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam JESU, qui sub eisdem pœnis, ut ipsi præsentes literas servent, & à subditis suis curent omnino servari; ac præcipimus, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ut quolibet anno teneantur superiores præfati easdem præsentes literas, sive earum tenorem in capitulis legere, seu legi curare, ne aliquis sub prætextu ignorantiæ se excusare possit.

Mandat Regularibus, ut hoc decretum quolibet anno in Capitulis legant.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullo modo posse: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institu-

Contrariis derogat.

torum,

torum, & Societatum, etiam Jesu, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis praefatis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus etiam Jesu, illorumque Superioribus, & Personis, aliisve quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac etiam pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, vel sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Edit. 6. April. 1673. An. 3.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1673. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrat. in Secretar. Brevium in lib. Mensis Aprilis par. 1. fol. 59.

XXXVI. Commissio Episcopo Majoricen. super erectione Studii dictae Civitatis in publicam Universitatem cum Indulto lauream Doctoratus conferendi, necnon cum omnibus aliis honoribus, Privilegiis, & praerogativis, quibus Universitas Illerden. ex dispensatione Apostolica potitur, & gaudet.

VEN. FRATRI EPISC. MAJORICEN.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab expositione facti.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Consules, & Jurati istius Civitatis Majoricen., quod licet dicta Civitas ex praecipuis Regnorum Hispaniarum existat, in eaque studium generale, in quo Sacra Theologia, Sacri Canones, & Leges Civiles, Philosophia, aliaeque scientiae, & artes liberales à Praeceptoribus Regularibus, & Secularibus docentur, jamdiu institutum, amplissimisque privilegiis à Regibus Hispaniarum Catholicis pro tempore existentibus decoratum reperiatur, nihilominus illi, qui literarum studiis ibidem operam navant pro consequendis Baccalaureatus, ac Licentiaturae, & Doctoratus gradibus in regiones longinquas se conferre coguntur, cum Universitas vicinior inde ducentorum circiter milliarium intervallo distet, & quod gravius est, suscipiendae sint navigationes periculosae, maximaque dispendia subeunda: Unde studium praefatum parum frequentatur, & Incolae Regni Majoricae studiorum suorum praemiis destituti remanent.

Preces Hispaniarum Reginae, Consulum &c.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praefati Exponentes, ac dilecti pariter filii, Rectores & Scholares dicti Studii ipsis Rectoribus Collegialibus ejusdem studii pro tempore existentibus lauream Baccalaureatus, ac Licentiaturae, & Doctoratus in Sacra Theologia, Sacris Canonibus, Legibus Civilibus, Medicina, & Philosophia illis Scholaribus, qui studiorum earumdem scientiarum cursum ibidem absolverint, praevio rigoroso examine conferendi facultatem a Nobis concedi, ipsosque Rectores, Lectores, & Scholares praerogativis, praeeminentiis, Indultis, & favoribus, quibus Universitates studiorum generalium gaudent decorari plurimum desiderent: Nobis propterea etiam Charissimae in Christo filiae Nostrae Mariannae Hispaniarum Reginae Catholicae Viduae nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio à Censuris.

§. 2. Nos igitur ejusdem Mariannae Reginae votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac Exponentium Rectorum, & Scholarium praefatorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, praefatum Studium, quod in ipsa Civitate Majoricen. jam institutum reperitur in publicam Universitatem cum Indulto lauream Doctoratus, ac Baccalaureatus, & Licentiaturae gradum conferendi, necnon cum omnibus aliis honoribus, privilegiis, & praerogativis, quibus Universitas Illerden. ex dispensatione Apostolica potitur, & gaudet auctoritate Nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & prudentia erigas; Ita tamen ut certas determinatas conditiones tibi benevisas, Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus non adversantes statuere, ac praefinire debeas, ab iis, qui hujusmodi laureae gradum consequi voluerint, religiose, & fideliter observandas: Nos enim tibi facultates desuper necessarias, & opportunas eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impartimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praefatorum Cardinalium.

Committit Episcopo Majoricen. ut d. Studium in publicam Universitatem erigat cum Indulto lauream Doctoratus &c. conferendi cum omnibus aliis Juribus, & privilegiis quibus gaudet Universitas Illerden.

Eidem committit praefinire certas conditiones fideliter observandas ab iis, qui hujusmodi laureae gradum consequi voluerint.

Praeservat auctoritatem S. Congregationis Episc. & Regular.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 17. Apr. 1673. An. 3.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17. April. 1673. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in libr. Mensis Aprilis par. 1. fol. 416.

Extensio,

XXXVII. Extensio, & declaratio Brevis circa Confraternitates sub Invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum erectas, & erigendas, & alia nuper emanata, ad Confraternitates à Ministro Generali, & Procuratore Generali Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum dict. Ordinis erectas, & erigen. cum omnibus clausulis, concessionibus, & Decretis expressis in d. Brevi.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex confirmavit certas Indulgentias, quas Paulus V. concessit Confraternitatibus SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Alias Nos supplicationibus dilectorum filiorum Petri Mercier Ministri Generalis, & Dominici Tafuri in Romana Curia Procuratoris Generalis Ordin. Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati certas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatibus sub invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis dudum à fel. rec. Paulo PP. V. prædecessore Nostro concessas, ac desuper emanatas ipsius Pauli prædecessoris literas auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus, necnon earumdem Confraternitatum, tam erectarum, quam erigendarum Confratribus, & Consororibus certa tunc præscripta pietatis opera peragentibus, nonnullas alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes dicta auctoritate concessimus.

Alias præter sic confirmatas revocasse.

§. 1. Alias verò Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, si quæ præter sic confirmatas, & de novo concessas Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessæ, & nondum revocatæ essent, aut quomodolibet prætenderunt, eadem auctoritate perpetuo revocavimus, & annullavimus. Præterea præfatis Petro, & Dominico, ac pro tempore existentibus Ministro Generali, & Procuratori Generali d. Ordinis, ejusmodi Confraternitates ubi vis locorum erigendi, & instituendi, illisque præfatas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, servata tamen cæteroqui Constitut. rec. mem. Clementis PP. VIII., prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ forma communicandi facultatem impertiti sumus. Ac novam formulam in functione quadam, quam communicationem Indulgentiarum vocant, quæque certis anni diebus Fratribus d. Ordinis in eorum Ecclesiis fieri solet, de cetero servandam præscripsimus, & alias prout uberius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, tenoris qui sequitur, videlicet.

Refert Ministro Generali, & Procuratori Generali Ord. SS Trinitatis Redemptionis Captivorum facultatem dedisse erigendi dd. Confraternitates eisque præfatas Indulgentias communicandi.

Refert præscripsisse novam formulam in communicatione dictarum Indulgentiarũ servandam.

Tenor literarum Pontificis.

§. 2. Clemens PP. X. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injunctæ Nobis cœlitus dispensationis munere, spiritualium gratiarum largitiones, ad excitandam, fovendamque Christifidelium pietatem a Romanis Pontificibus pia, prudentique liberalitate factas, ut firmius subsistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio libenter roboramus, easque etiam pari Pontificiæ charitatis benignitate interdum ampliamus, & alia desuper ordinamus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad Christiani populi ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. V. prædecessor Noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati, & Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus de cætero fruerentur, duxerat præscribendas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatibus sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis, illarumque Confratribus, & Consororibus eatenus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos concessas, revocans, & nullius roboris, & momenti fore declarans omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui Confraternitates sub invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubi vis locorum tam eatenus canonice institutas, quam deinceps instituendas imposterum ingrederentur, & habitum, sive scapularium Religionis benedictum de manu alicujus Superioris ejusdem Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, sine alicujus voti emissione suscepissent, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent plenariam; Ac tam ipsis tunc, & pro tempore describendis, quam jam descriptis d. Confraternitatibus, & Confratribus, & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere pœnitentes, & confessi, Sacraque Communione refecti, & Scapularium d. Ordinis deferentes, nomen JESU ore si possent, sin minus, corde devote invocarent, etiam plenariam.

§. 3. Necnon eisdem Confratribus, & Consororibus, qui similiter vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti die Festo SS. Trinitatis, Ecclesias, vel Cappellas, seu Oratoria d. Ordinis, vel Confraternitatum hujusmodi devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oravissent, plenariam similiter; Eisdem etiam Confratribus, & Consororibus, qui pro Captivorum redemptione facienda ad partes Infidelium proficiscuntur, si ante discussum vere pœnitentes, & confessi idem SS. Eucharistiæ Srcramentum suscepissent, plenariam pariter; Necnon ipsimet Captivis Redemptis, si idem post reditum intra Mensem egissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

§. 4. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus, qui dictum habitum, sive Scapularium benedictum cum signo Redemptionis nostræ pio cordis affectu gestarent, & semel in die sexies Orationem Dominicam cum versiculo Gloria Patri &c., & totidem vicibus salutationem Angelicam cum eodem versiculo pro pace Christianorum Principum, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, & hæresum extirpatione recitarent septem annos, & totidem quadragenas: Qui vero in Festis Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Agnetis secundo, in quo die dictus Ordo nutu divino fuit institutus, Ordinis, vel Confraternitatum prædictarum Ecclesias, vel Cappellas, seu Oratoria visitassent, & ibi ut præfertur oravissent septem annos, & totidem quadragenas; Necnon etiam ipsis Confratribus, & Consororibus, qui una cujuslibet Mensis Dominica die à Superioribus dicti Ordinis præscribenda, in qua de Ordinarii licentia processio fieret, quam appellant Scapularii eidem processioni vere pœnitentes, & confessi interfuissent, septem annos, & totidem quadragenas.

§. 5. Ipsis similiter Confratribus, & Consororibus pia opera exercentibus tam spiritualia, quam temporalia in peccatorum suorum remissionem, pro Redemptione Captivorum a Turcarum, & aliorum infidelium servitute, septem annos, & totidem quadragenas; Illis verò utriusque sexus Confratribus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quotidie per annum recitavissent ter Orationem Dominicam, & totidem vicibus Salutatio-

nem Angelicam, & in fine semel versiculum Gloria Patri &c. cum versiculis, & responsoriis, ac oratione à prædictis Superioribus præscribendis, & oravissent pro iis, qui Captivi apud Turcas detinentur, ne nomen Salvatoris Nostri abnegent, sed fortes in fide Christi persistant, & quanto citius à servitute liberentur semel quotannis, & anni die quo mallent septem annos. Ac eisdem Confratribus, & Consororibus, qui dictos Redemptos processionaliter recepissent, & ad Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium dicti Ordinis, vel Confraternitatis associavissent, si confessi essent, vel saltem confitendi propositum haberent dicto tempore septem annos, & totidem quadragenas; Ipsis quoque etiam utriusque sexus Confratribus, qui cum lumine, si possent, vel sine eo SS. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad Infirmos defertur, comitati fuissent, & pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effudissent, quinque annos, & totidem quadragenas; Necnon qui corpora defunctorum tam Confratrum & Consororum, quam aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associavissent, & pro eorum animabus oravissent centum dies.

§. 6. Quoties verò Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesia, vel Cappella, seu Oratorio dictarum Confraternitatum celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis earumdem Confraternitatum interfuissent, aut pauperes hospitio suscepissent, vel quodcumque aliud pietatis, & charitatis opus exercuissent, toties pro quolibet prædictorum operum, centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit.

§. 7. Præterea tunc, & pro tempore existenti Ministro Generali d. Ordinis, seu Generali ejus etiam Procuratori in Romana Curia commoranti, ut hujusmodi Confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptions Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes supradictas Indulgentias, servata tamen forma Constitutionis rec. mem. Clem. PP. VIII. prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ, communicare libere, & licite posset, & valeret auctoritate Apostol. facultatem concessit, & impertitus est.

§. 8. Ac postmodum idem Paulus prædecessor volens Confraternitates sub ejusdem Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatæ Mariæ Virginis de Remedio nuncupatæ invocationibus in Ecclesiis Domorum Regularium Fratrum Ordinis præfati per Universum Orbem (ut asserebatur) canonice institutas, illarumque Confratres, & Consorores qui (sicut dictus Paulus prædecessor acceperat) in una Dominica cujuslibet Mensis solemnem processionem magna cum Populi frequentia peragere solebant, speciali dono decorare, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Confratribus, & Consororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui processioni per easdem Confraternitates in una Dominica cujuslibet Mensis in Ecclesiis prædictis fieri solitæ devote interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent quoties id egissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in binis literis ipsius Pauli prædecessoris, unis die 6. Augusti 1608., & alteris die 6. Novembris 1620. respective in simili forma Brevis desuper expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, & quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 9. Cum autem sicut dilectus filius Petrus Mercier Minister Generalis, & Dominicus Tafuri in Romana Curia Procurator Generalis, dicti Ordinis Fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt, super Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, quæ Confraternitatibus præfatis auctoritate Apostolica concessæ, seu communicatæ esse asserebantur, variæ in diversis mundi partibus exortæ sint controversiæ, quæ, & Christifideles magnopere perturbarunt, & gravibus scandalis causam dederunt; ut verò ejusmodi controversiis, atque scandalis ansa præcidatur, omnisque dubietatis tollatur occasio, iidem Petrus Minister Generalis, & Dominus Procurator Generalis plurimum cupiant opportune in præmissis a Nobis provideri.

§. 10. Nos ipsorum Petri Ministri Generalis, ac Dominici Procurat. Gener. Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas memoratus Paulus prædecessor Confraternitatibus tam erectis, quam erigendis præfatis, earumque Confratribus, & Consororibus, aliisque personis supradictis per binas suas literas præfatas sicut præmittitur concessit, ipsiusque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illasque eisdem Confraternitatibus, tam erectis, quam in futurum quandocumque erigendis, earumque Confratribus, & Consororibus de novo concedimus.

§. 11. Præterea eosdem Confratres, & Consorores ad pietatis, & Christianæ charitatis erga Christifideles, qui dura Turcarum, aliorumque Infidelium servitute opprimuntur, exercenda opera, uberiorum gratiarum spiritualium, quarum dispensationem Nobis commisit Deus elargitione incitare cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Canonice hactenus erectarum, & in futurum quandocumque erigendarum Confratribus, & Consororibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, vel suarum respective Confraternitatum Ecclesias, vel Oratoria in Nativitatis, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac S. Michaelis Archangeli, Sancti Clementis Papæ, & Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, & Nativitatis S. Joannis Baptistæ festis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, extirpatione hæresum, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon Captivorum præfatorum liberatione, eorumque perpetua perseverantia in Christianæ Religionis, Catholicæque fidei professione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 12. Illis vero, qui aliquam ejusdem Ordinis Ecclesiam, aut suarum respective Confraternitatum Ecclesias, seu Oratoria hujusmodi in diebus Stationum Ecclesiarum Almæ Urbis Nostræ,

prout in Missali Romano exprimuntur, pariter devote visitaverint, & ibidem sicut jam dictum est oraverint, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si easdem Ecclesias Urbis in diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitarent dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus.

§. 13. Cæterum alias omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, si quæ præter eas, quas ut præfertur confirmavimus, & de novo respective concessimus, Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessæ, & nondum revocatæ sint, aut quomodolibet prætendantur, auctoritate, & tenore præfatis perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, nulliusque roboris, & momenti esse, & fore decernimus, & declaramus. Ac tam præfatis Petro, & Dominico modernis, quam pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali Ordinis præfati, ut hujusmodi Confraternitates sub Invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas supradictas à Nobis confirmatas, & de novo respective concessas, non autem ullas alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicare libere, & licite possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata tamen cæteroqui præfatæ Constitutionis Clementis prædecessoris forma, & dispositione, facultatem dicta auctoritate earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

§. 14. Porro in functione quadam, quam communicationem Indulgentiarum vocant, quæque à Fratribus Ordinis præfati certis anni diebus in eorum Ecclesiis fieri solet, abrogata veteri formula, quæ dudum à tunc existente Romani Pontificis in Urbe præfato Vicario in spiritualibus generali composita, & per quoddam Decretum Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum in aliqua sui parte correcta fuit post Antiphonas, Versiculos, & Orationes ibidem expressas, de cætero servari volumus formulam infrascriptam videlicet -- *Dominum Nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur, ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benigne concedat omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas fel. rec. Paulus V., & ejus Successores Sum. Pontifices Ordini Nostro cum specifica facultate eas Confraternitatibus Nostris communicandi concesserunt juxta Privilegiorum Apostolicorum tenorem, ac Sanctæ Sed. Apostolicæ Decretorum dispositionem. Misereatur vestri Omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

§. 15. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Februarii MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Preces Ministri Generalis, & Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ Fr. Discalceator. Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

§. 18. Cum autem sicut dilecti pariter Filii Antonius a Conceptione Minister Generalis, & Philippus a Jesu in eadem Romana Curia Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum d. Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt Congregatio præfata, ejusque Superiores, & Fratres quicumque à Jurisdictione, & Superioritate Ministri Generalis, aliorumve quorumvis Superiorum Ordinis præfati Apostolica auctoritate perpetuo exempti reperiantur, ac ipsius Congregationis Minister Generalis, & in Romana Curia Procurator Generalis ejusmodi Confraternitates sub Invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erigendi, illisque certas Indulgentias & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicandi parem habeant ex Indulto Sedis Apostolicæ facultatem, & functio prædicta, quam communicationem Indulgentiarum vocant a Fratribus d. Congregationis Hispaniæ in eorum Ecclesiis pariformiter fieri soleat; Ipsi vero Antonius Minister Generalis, & Philippus Procurat. Gen. difficultates, & dubietates super Indulgentiis, & gratiis spiritualibus, quæ Confraternitatibus hujusmodi ab eadem Sede concessæ sunt, seu prætenduntur exortas pariter recidi plurimum desiderent.

Absolutio à Censuris.

§. 19. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum Antonii Ministri Generalis, & Philippi Procuratoris Generalis desiderio hac in re quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas per literas præinsertas confirmavimus, ac de novo concessimus respective omnibus, & singulis Confraternitatibus, sub Invocatione ejusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum per Ministros Generales, & in Romana Curia Procuratores Generalis dict. Congregationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ hactenus, cæteroqui Canonice erectis, & in futurum quandocumque erigendis, illarumque

Omnes Indulgentias, quas Pontifex confirmavit, ac de novo concessit dd. Confraternitatibus pariter concedit aliis hujusmodi Confraternitatibus erectis, & erigendis per Ministrum Ge-

Con-

neralem, & Procuratorem Generalem Congregationis Hispaniæ Fr. Discalceator. ac concessas esse, & fore declarat.

Confratribus, & Consororibus, servata tamen præinsertarum literarum forma, & dispositione auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, ac perpetuo concessas esse, & fore decernimus, & declaramus.

Alias Indulgentias revocat.

§. 20. Alias vero omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, si quæ præter sic à Nobis confirmatas, & de novo concessas his Confraternitatibus quovis modo generaliter concessæ, & nondum revocatæ sint aut prætendantur dicta auctoritate harum serie itidem perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus.

Eisdem Ministro Generali, & Procuratori Generali Congregationis Fr. Discalceat. Hispaniæ dat facultatem erigendi dd. Confraternitates eisque dd. Indulgentias communicandi.

§. 21. Porro tam præfatis Antonio, & Philippo modernis, quam pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ, & hujusmodi Confraternitates sub Invocatione Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum pariter erigere, & instituere, illisque omnes supradictas à Nobis confirmatas, & de novo respective concessas, non autem alias illas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicare libere similiter, & licite possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata pariter supradictæ Constitutionis Clementis prædecessoris forma, & dispositione facultatem auctoritate, & tenore præfatis tribuimus, & impartimur.

Mandat servari formulam præscriptam in Communicatione Indulgentiarum.

§. 22. Cæterum in functione præfata quam communicationem Indulgentiarum vocant per Fratres Discalceatos dictæ Congregationis Hispaniæ posthac obeunda formulam in præinsertis Nostris literis, sicut præmittitur præscriptam de cætero similiter servari volumus.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 24. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 25. Volumus autem ut ipsarum quoque literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsius præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 3. Junii 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 3. Junii 1673. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. in Libro Brevium Mensis Junii par. utraque fol. 592.

XXXVIII. Indulgentia plenaria perpetua in Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Præmonstratensium in Festivitatibus Assumptionis B. M. V. & S. Augustini, ac Festo S. Norberti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua fit commemoratio Sanctorum dicti Ordinis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CŒlestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad augendam fidelium Religionem, fovendamque, & incitandam erga Beatos Patriæ cœlestis incolas pietatem arbitramur in Domino profuturum.

Exordium.

§. 1. Volentes itaque Ecclesias tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Præmonstratensium à S. Norberto, qui tanquam lucerna ardens supra candelabrum in domo Domini positus, Apostolicis Charismatibus, aliisque eximiis divinæ gratiæ donis longe lateque refulsit, sub speciali Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ protectione, ac Sancti Augustini regula salubriter instituti, ut condignis frequententur honoribus, & fidelium ad eas confluentium devotio augeatur, aliquo gratiarum spiritualium munere decorare, supplicationibus dilecti filii Francisci Buyrette Canonici Regularis expresse professi, & Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum, tam Canonicorum Regularium, quam Monialium dicti Ordinis Præmonstratensis hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Augustini festivitatibus, ac die festo S. Norberti prædicti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis præfati commemoratio ibidem fieri solet, necnon quamcumque Ecclesiam ejusdem Ordinis die festo specialis Patroni, seu Titularis ipsius Ecclesiæ, cujus nomen in Martyrologio Romano annotatum reperiatur, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, annis singulis, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentia plenaria perpetua visitantibus Ecclesias Ord. Præmonstratensis tam erectas, quam erigendas in aliquibus festis prout in rubrica.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 5. Julii 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Julii 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. 4. Brevium Diversorum fol. 184.

XXXIX. Confirmatio, & innovatio Brevis Pauli V. quo conceditur Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia facultas erigendi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci in

Ecclesiis eorum Ordinis, ubi non adsint Ecclesiæ, vel Conventus Minorum Conventualium, cum declaratione, quod eis licuerit, & liceat ejusmodi Confraternitates etiam in Indiis erigere, illisque Indulgentias communicare.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pau'. V. revocat omnes Indulgentias Archiconfraternitati Chordigerorum Ecclesiæ Min. Conventualium Assisien. concessas.

Deinde omnibus ingredientibus dict. Archiconfraternitatem die 1. eorum ingressus concessit Indulgentiam plenariam.

Item Confratribus, & Consororibus Ecclesiam, seu Oratorium d. Archiconfraternitatis in illius festo principali visitantibus prout in rubrica.

In mortis articulo nomen Jesu ore sin minus corde devote invocantibus.

Tres annos, & totid. quadragenas concessit interessentibus Processioni dict. Archiconfraternitatis, quæ singulis annis fieri solet. 100. dies interessentibus Officio B. V. vel alteri à Confratribus pro tempore recitando. SS. Viaticum comitantibus quinque annos, & totidem quadragenas.

Visitantibus Ecclesias Minor. Conventualium in certis festis prout in rubrica septem annos, & totid. quadragenas.

Comitantibus corpora Defunctorum ad sepulturam, aut alia pietatis opera exercentibus 100. dies.

DUdum fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati indulgentias, & gratias spirituales, quibus in posterum frueretur, duxerat præscribendas; omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum Sancti Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, & illius Confratribus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos concessas revocans, & annullans, ac nullius roboris, & momenti exinde fore declarans, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostol. ejus auctoritate confisus omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci chordam benedictam ab ejusdem Ordinis superioribus suscipientes, prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingrederentur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, plenariam, ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Archiconfraternitate Confratribus, & Consororibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Archiconfraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium in festo principali ejusdem Archiconfraternitatis à primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem festi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent etiam plenariam: In mortis quoque articulo eisdem Confratribus, & Consororibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequirent, saltem vere pœnitentes nomen Jesu ore si possent, sin minus corde devote invocarent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit. Necnon ipsis Confratribus, & Consororibus, qui prædictæ Archiconfraternitatis Processioni singulis mensibus fieri solitæ interfuissent tres annos, & totidem quadragenas, qui vero officio Beatæ Mariæ Virginis ab ejusdem Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri officio pariter interfuissent, centum dies, insuper eisdem qui Sanctiss. Sacramentum, quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent quinque annos, & totidem quadragenas. Qui vero pariter vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, in ejusdem S. Francisci, ac S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, & S. Claræ festivitatibus similiter à primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi singulis annis visitavissent, & oravissent, ut præfertur, quo die festivitatum hujusmodi id egissent, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero copora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicujus pauperi personæ in ejus necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent toties pro quolibet prædictorum operum centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus, ut supradictas Indulgentias, & gratias spirituales consequi, & illas Animabus defunctorum per modum suffragii applicare possent, concessit, & indulsit.

Indulsit Confratribus, ut dd. Indulgentias, & gratias animabus defunctorum valeant applicare.

Facultas Ministro Generali Minist. Conventualium erigendi hujusmodi Confraternitates in qualibet Ecclesia sui Ordinis.

Quod Confraternitates sic erectæ intelligerentur aggregatæ d. Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien.

§. 1. Præterea tunc, & pro tempore existenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates laicorum utriusque sexus sub dicta invocatione Chordigerorum S. Francisci in qualibet Ecclesia Fratrum sui Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci erigere, & instituere, servata tamen forma præscripta in Constitutionibus re. me. Sixti Papæ V. sub datum XIII. Kalendas Decembris Pontificatus sui Anno Primo, & Clementis Papæ VIII. prædecessorum suorum super hoc editis posset, & valeret, facultatem impertitus est. Quæ quidem Confraternitates sic, & postquam erectæ, & institutæ fuissent, eidem Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien. juxta prædictam Sixti V. Constitutionem essent, & esse intelligerentur aggregatæ, & alias prout in ipsius Pauli prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 2. Martii 1607. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus durare voluit, continetur.

Sixtus V. facultatem concessit Ministro & Cõmissario Generali Ord. Fr. Minor. S. Francisci de Obser. erigendi dd. Confraternitates in Ecclesiis eorum Ordinis ubi non existerent Fr. Conventuales.

§. 2. Et subinde cum ex concessione præfati Sixti prædecessoris Ministro Generali, & Commissario Generali S. Francisci Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Ecclesiis eorum Ordinis, in locis videlicet, in quibus Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitates Chordigerorum erigendi, & instituendi facultas attributa fuisset, memoratus Paulus prædecessor eisdem Ministro Generali, & Commissario Generali, & eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum in locis, in quibus non extarent conventus, vel Ecclesiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates Chordigerorum Sancti Francisci utriusque sexus erigere, & instituere, illisque sic erectis, & institutis, indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicare libere, & licite possent, & valerent, servata tamen forma in prædictis Constitutionibus Sixti, & Clementis prædecessorum tradita, quemadmodum in supradictis Pauli prædecessoris literis expressum reperitur, facultatem perpetuo duraturam auctoritate Apostolica concessit, & impertitus est, & alias prout in alterius ipsius Pauli prædecessoris literis pariter in forma Brevis die 25. Septemb. ejusdem anni 1607. emanatis, quarum, & priorum ejus literarum præfatarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius etiam continetur.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Fratr. Minor. S. Francisci de Obs. pro confirmatione dd. literatum.

Item pro illarum declaratione prout in rubrica.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Maria à Bononia Prior Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit quo firmiora sint ea, quæ iterato Apostolicæ Sedis patrocinio muniuntur, & aliquod dubium exortum decidatur, An dilectis pariter filiis Ministro Generali, & Commissario Generali ejusdem Ordinis hujusmodi Chordigerorum Confraternitates in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus erigendi, illisque Indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicandi facultas per posteriores Pauli prædecessoris lireras præfatas attributa reperiatur. Nobis propterea dictus Franciscus Maria Procurator Generalis, etiam eorumdem Ministri Generalis, ac Commissarii Generalis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos

Absolutio a Censuris, & pœnis.

Pontifex facultatem datam dd. Ministro, & Commissario erigendi hujusmodi Confraternitates, eisque communicandi suprad. Indulgentias ubi non sint Conventus vel Ecclesiæ Fr. Conventualium confirmat.

§. 4. Nos igitur ipsos Franciscum Mariam Procuratorem Generalem, ac Ministrum, & Commissarium Generales spiritualibus favoribus, & gratiis annuere volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem erigendi, & instituendi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci utriusque sexus in Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia tantum, nempe in locis in quibus non extent Conventus, vel Ecclesiæ dicti Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, illisque sic erectis, & institutis, indulgentias, & gratias spirituales supradictas, sicut præmittitur communicandi pro tempore existentibus Ministro Generali, & Commissario Generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia a memorato Paulo prædecessore concessam, ut præfertur, expeditasque desuper ipsius Pauli prædecessoris literas præfatas cum omnibus, & singulis in eis contentis, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Declarat eis hanc facultatem competere ubicumque etiam in Indiis tam Orientalibus, quàm Occidentalibus ubi non sunt Conventus, vel Ecclesiæ d. Ordinis Fr. Conventualium.

§. 5. Sic ac eisdem Ministro, & Commissario Generalibus, eorumve cuilibet ejusmodi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci in Ecclesiis eorum Ordinis tantum ubicumque, etiam in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus consistentibus, in locis tamen ubi non sint Ecclesiæ, vel Conventus præfati Ord. Minorum S. Francisci Conventualium erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales præfatas, servata tamen dictarum Constitutionum Sixti, & Clementis, ac literarum Pauli prædecessorum præfatorum forma, & dispositione communicare licuisse, & deinceps perpetuis futuris temporibus licere auctoritate, & tenore prædictis declaramus.

I. G. Slusius.

Reg. in Secret. in lib. Brev. Mensis Septembris par. 1. fol. 173.

XLVII.

Relaxatio suspensionis facultatis conferendi Beneficia in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. cum diversis ordinationibus &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere in eam præcipuè curam solicitis studiis incumbimus, ut studiorum Generalium Universitates ad fidei Catholicæ præsidium, Christianæque Reipublicæ decus, & utilitatem a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris sapienti, salubrique consilio institutæ, ac multis privilegiis, gratiis, & Indultis ex eorum liberalitate, & munificentia decoratæ, sublatis abusibus, stabilitaque æquitatis, atque Justitiæ norma, recte, atque ordine dirigantur, debitamque nobis, & huic Sanctæ Sedi fidem, devotionem, & obedientiam illibate servantes, Apostolicæ nostræ charitatis sentiant benignitatem & felicioribus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Querelæ ad Clem. IX. delatæ adversus Universitatē Studii Generalis Lovanien.

§. 1. Alias siquidem cum ad notitiam fel. rec. Clementis Papæ IX. prædecessoris nostri pervenisset, quod Rectores, ac Magistri, Doctores, & Scholares, necnon Decani, seu Vicedecani facultatis artium, ac Conservatores Privilegiorum Universitatis studii generalis Oppidi Lovaniensis olim Leodien., nunc Mechlinien. Diœcesis à rec. me. Martino Papa V. Prædecessore pariter nostro erectæ, & institutæ pluribus ab inde annis privilegiis, facultatibus, gratiis, & Indultis eidem Universitati tam a dicto Martino prædecessore, quam a piæ mem. Paulo II., Sixto IV., Leone X., Adriano VI., Clemente VII., Paulo III., Pio IV., Gregorio XIII., ac Paulo V., & forsan aliis Romanis Pontificibus etiam prædecessoribus nostris respective concessis, & confirmatis abutebantur circa nominationes ad Beneficia Ecclesiastica in Belgicis ditionibus consistentia, ac Collationes, & provisiones ejusmodi Beneficiorum in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. sitorum, necnon exercitium Jurisdictionis præfatis Conservatoribus per privilegia hujusmodi attributæ, quippe qui ad Beneficia Ecclesiastica valorem annuum centum ducatorum auri de Camera excedentia nominare, ac nominationes hujusmodi Sedibus Episcopalibus, & Archiepiscopalibus, ac Prælaturis collatorum Ordinariorum vacantibus facere, & plura Beneficia incompatibilia eisdem Personis conferre, seu eas ad illa nominare, quinimo Beneficia Ecclesiastica, de quibus per Coadjutorias cum futura successione ab hac Sancta Sede provisum fuerat, conferre pariter, seu ad illa nominare, aliosque similes excessus privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum prædictorum dispositioni plane contrarios committere, & Conservatores prædicti, de Causis non solum in quibus ageretur, an Beneficia in mensibus Apostolicis, vel Ordinariorum, an vero in illis, qui dictæ Vniversitati concessi sunt, vacavissent, sed etiam ubi tractaretur, utrum Beneficia hujusmodi ejusdem Apostolicæ Sedis dispositioni aliter quam ratione vacationis in Mense Apostolico reservata, seu affecta essent, nec ne, cognoscere præsumpsissent, tametsi nihil horum eis ex privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum hujusmodi tenore permissum, sed hæc omnia nulla penitus, ac invalida, & attentata existerent.

Abusus ejusdem Universitatis privilegiorū Apostolicorum, circa nominationes ad beneficia Ecclesiastica, & exercitium Iurisdictionis illius Conservatoribus attributæ.

§. 2. Et quod Sedis Apostolicæ dignitatem, auctoritatemque magis lædebat, citationes, inhibitiones, monitiones, mandata, sententias, & decreta, ac incursus excommunicationis, aliarumque censurarum declarationes etiam aggravatorias, & reaggravatorias in eos propter excessus hujusmodi, ac ab ipsis respective provisos a Sacri Palatii Auditorio legitime emanatas, & emanata nulliter; & de facto cassare, & annullare, ac tam provisos a Sede prædicta, quam Capitula Ecclesiarum, aliasque Personas Ecclesiasticas huic Sanctæ Sedi devotas, & ipsius Sedis, ejusque Delegatorum Auditorii prædicti mandatis, ut par est, obsequentes, arrestis, sequestrationibus, & detentionibus fructuum, & reddituum Ecclesiasticorum, aliisque modis hujusmodi perturbare, & inquietare ausi fuissent, & tunc auderent: super quibus frequentes ad ipsum Clementem IX. prædecessorem, & Sedem prædictam variorum ab eadem Sede de Beneficiis Ecclesiasticis, præsertim in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentibus Provisorum querelæ pervenerant, eidem Clementi prædecessori supplicantium, ut in præmissis de opportuno remedio providere, gravibusque scandalis inde nascentibus occurrere de benignitate Apostolica dignaretur.

Alii abusus lædentes dignitatem, & auctoritatem Sedis Apost. referuntur.

§. 3. Et ipse quidem Clemens prædecessor cum ex debito pastoralis muneris sibi divinitus impositi, quo Populorum quieti, quantum sibi ex alto concedebatur, consulere, suaque, & dictæ Sedis jura tueri adstringebatur, preces tam justas negligere, excessusque prædictos dissimulare non valeret, pro singulari paternæ suæ erga Universitatem prædictam, quam memorati Romani Pontifices ejus prædecessores,

Ad tollendos dictos abusus Clemens IX. primum cum d. Universitate omnes suaviores, benigniorésque vias tentavit.

ut

la, prout in rub.

ut illam, ejusque Scholares, & personas ad sacrarum, aliarumque bonarum literarum studia excitarent, illorumque devotionem, & reverentiam erga hanc Sanctam Sedem foverent, tot, tantisque, & tam luculentis privilegiis, atque prærogativis decoraverant, charitatis affectu, omnes suaviores, benigniorésque vias tentaverat, operamque sedulo dederat, tum paternis admonitionibus, tum personarum doctrina, & morum gravitate spectabilium, dictæque Universitati benevolarum insinuationibus, injecta quoque aliqua spe novarum gratiarum, ac etiam justæ ejus indignationis timore suaviter suggesto, ut res omnes coram dilecto filio Carolo Antonio Airoldo Abbate Ecclesiæ S. Abundii dictæ Sedis in Belgicis Ditionibus Internuncio in id, quod æquum esset redigeretur.

Dein motu proprio suspendit eidem Universitati Jus, & facultatem conferendi, ac nominandi ad beneficia prout in rubrica.

§. 4. Verum hæc omnia incassum ceciderant: hinc licet ex Sacrorum Canonum præscripto privilegia amittere meruissent, eo quod concessa sibi facultate fuerant abusi; ipse tamen Clemens prædecessor paternæ suæ benignitatis memor, & pœnitentiæ locum relinquere volens, ac mitius agendo, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, jus, & facultatem, ac Indultum conferendi Beneficia cum cura, & sine cura, Sæcularia in titulum Clericis Sæcularibus conferri, & per Clericos Sæculares regi, & gubernari solita in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentia, & pro tempore per obitum dumtaxat in certis tunc expressis mensibus vacantia, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Personatus, administrationes, & Dignitates cujuscumque qualitatis, & valoris essent, exceptis certis itidem tunc expressis Beneficiis à prædicto Paulo V. prædecessore per suas sub Plumbo Kalendis Decembris anno Incarnationis Dominicæ 1616. desuper expeditas literas, Decano, seu Vicedecano prædictæ facultatis Artium sub certis modo, & forma tunc expressis loco juris, seu facultatis nominandi, quod, seu quam idem Paulus Prædecessor per dictas literas perpetuo abrogavit, itidem perpetuo concessum, seu concessam ad suum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendit, ac suspensum, & suspensam esse, & fore decrevit, & declaravit.

Durante hac suspensione decrevit irritas, & nullas omnes hujusmodi nominationes, & provisiones beneficiorum prout in rubr.

§. 5. Decernens pariter quascumque collationes, & provisiones Canonicatuum, & Præbendarum, Personatuum, administrationum, & Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentium prædictorum pro tempore vacantium, & de illis provisorum in illorum possessionem, immissiones, ac etiam nominationes ad eadem Beneficia prætextu abrogati, ut præfertur, juris nominandi, si quas suspensione hujusmodi durante forsan à pro tempore existente Decano, seu Vicedecano dictæ facultatis Artium, etiam de consensu Receptoris, & Procuratorum quatuor Nationum ejusdem facultatis, seu majoris partis eorum, aut alias quomodolibet, seu ab aliis qui busvis personis dictæ Universitatis tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodocumque, & qualitercumque fieri contingeret, nullas prorsus, ac irritas, inanes, & invalidas, nulliusque roboris, & momenti, ac viribus, & effectu penitus, & omnino vacuas fore, nec cuiquam titulum etiam coloratum, aut possidendi, vel detinendi Causam ullatenus tribuere.

Omnia acta Judicialia ad hunc effectum à Conserv toribus d. Universitatis facta pariter declaravit irrita, & nul-

§. 6. Citationes quoque, monitiones, mandata, Decreta, Processus, Sententias, Censurarum fulminationes, auxilii brachii sæcularis invocationes, & acta judicialia, & extrajudicialia quæcumque, si quæ à Conservatoribus prædictis, vel aliis Judicibus quibuscumque, seu eorum aliquo ad instantiam eorum, quibus Beneficia hujusmodi; suspensione prædicta durante de facto collata essent, seu alias quomodolibet pro tuendis, seu ad effectum deducendis hujusmodi Collationibus, seu provisionibus fieri, mandari, decerni, relaxari, ferri, vel pronunciari contingeret cum omnibus, & singulis inde forsan quomodolibet secuturis, nulla pariter, ac invalida, irrita, inania de facto, præsumpta, ac prorsus attentata, & vitiosa fore, neminemque prorsus arctare, vel afficere, sed nullatenus attendenda fore, & esse.

Collationem omnium beneficiorum in Mensibus d. Universitati concessis durante hac suspensione vacantium S. Sedi reservavit.

§. 7. Collationem vero omnium, & singulorum Beneficiorum in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. prædictis consistentium hujusmodi, quæ in mensibus memoratæ Universitati, seu facultati Artium, ut præfertur concessis, durante suspensione hujusmodi vacarent, ad se, & hanc S. Sedem spectare, & pertinere, nec quemquam etiam vigore cujuscumque Indulti ab ipso Clemente prædecessore, & Sede prædicta concessi desuper quidquam prætendere, aut se intromittere posse, cum diversis aliis decretis, clausulis, & derogationibus amplissimis, & alias prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 13. Septembris 1669. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

D. Universitas durante hac suspensione se abstinuit à collatione dd. beneficiorum, & paratam se exhibet a dd. & aliis quibusvis abusibus recedere.

§. 8. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Rectoris, ac Magistrorum, Doctorum, & Scholarium, necnon Decani, seu Vicedecani, aliarumque Personarum prædictarum respective Universitatis, & facultatis Artium nobis expositum fuit, ipsis prædictis Clementis prædecessoris literis humiliter acquiescendo, à collatione Beneficiorum prædictorum, quæ suspensione pendente hujusmodi durante in mensibus dictæ facultati Artium, sicut præmittitur assignatis vacaverunt, & à nobis collata fuerunt, abstinuerint, & à prædictis, aliisve quibusvis abusibus omnino recedere, ac nostris, & Apostolicæ Sedis mandatis, sicut devotos Ecclesiæ filios, sincerosque Sedis ejusdem cultores decet, in omnibus, & per omnia prompto obsequio morem gerere parati sint; nec quidquam ardentioribus votis desiderent, quam dictæ Sedis gratiam religiosa observantia demereri, ac palam omnibus facere se à prisca dictæ Universitatis, ex qua tot egregii Catholicæ Fidei propugnatores, ac Divinorum eloquiorum Tractatores, aliique insignes in omni scientiarum genere viri prodiere, in eamdem Sedem Apostolicam fide, devotione, & reverentia minime descivisse; quo vero certa, congruensque in præmissis norma à suprema æquitate nostra eo celeriori posset maturitate statui, quo de plerisque non ita notis facti circumstantiis major notitia haberetur, ipsi Exponentes multa nobis tam per Scripturas eorum nomine ad hanc Sanctam Sedem per memoratum Carolum Antonium Internuncium transmissas, tum per eorum Deputatos, sive negotiorum gestores insinuari curaverint, enixe, humiliterque nobis supplicantes, ut suspensionem prædictam relaxare de benignitate Apostolica dignaremur.

Supplicat Pontifici ut d. suspensionem relaxet.

Pontifex rem totam discutiendam committit S.R.E nonnullis Cardinalibus, & Prælatis, qui eidem referunt quid desuper statuendum sit.

§. 9. Nos rem omnem nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis Viris Sapientia, prudentia, æquitate, ac Sacrorum Canonum peritia eximie præstantibus mature, diligenterque discutiendam, ac Nobis referendam commisimus, qui mandatum Nostrum fideliter exequentes, habitis inter se multis congressibus, negotium totum, & quidquid eo pertinere videbatur, omni studio, atque industria discusserunt, & quid desuper statuendum videretur, Nobis retulerunt.

Nedum d. abusus, sed illis ansam in

§. 10. Audita igitur, & approbata per Nos eorum relatione; pro peculiari nostro erga Universitatem

futurum præcidere intendit.

versitatem prædictam affectu, felici, prosperoque illius regimini, & progressui consulere, ac supradictos abusus è medio tollere, illisque aditum in futurum præcidere, necnon prædictos Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac prædictorum, aliorumve quorumlibet privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum eisdem Universitati, & facultati Artium, earumque Personis quibuslibet à præfatis, aliisve quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris concessorum, literarumque Apostolicarum, tam sub Plumbo, quam in forma Brevis desuper emanatarum, & aliarum quarumlibet scripturarum tam publicarum, quam privatarum tenores, & datas etiam veriores, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, & specificatis habentes.

Absolutio à Censuris.

Pro expressis habet omnia, & quæcumque privilegia d. Universitatis.

§. 11. Auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, declaramus, præcipimus, mandamus, statuimus, & ordinamus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus in literis citatorialibus, & monitorialibus à Conservatoribus privilegiorum d. Universitatis, seu eorum aliquo contra extraneos, eos scilicet, qui de ipsa Universitate, illiusque Rectori subjecti non sunt, in quacumque materia, tam Ecclesiastica, quam temporali, ac contra ipsius Universitatis Personas Rectoris prædicti Jurisdictioni suppositas in quacumque beneficiali, aliaque Ecclesiastica materia respective decernendis, & relaxandis, non apponatur ea clausula per abusum antehac apponi solita, qua citato, vel monito mandabatur, ut si quod Jus, vel actionem ad beneficium, vel aliam rem controversam crederet se habere, illud, vel illam coram ipso Conservatore, vel Rectore prædicto proponeret sub pœna perpetui silentii, sed Mandatum hujusmodi ad solum Conservatorem restringatur; Nec in prædictis, aliisve literis Judicialibus quibuscumque per eosdem Conservatores, eorumve quemlibet decernendis, & relaxandis quidquam addatur, vel exprimatur, quo Jurisdictionis Ecclesiasticæ cursus, appellationumque in Causis ad forum Ecclesiasticum quomodolibet spectantibus ad Sedem Apostolicam, ejusque Delegatos, prout Juris fuerit interponendarum, introducendarum, prosequendarum, & terminandarum, aliorumve quorumvis Juris remediorum effectus quovis modo impediri valeat, aut differri, vel perturbari. Unicuique autem liceat quemlibet ex Conservatoribus prædictis, qui plures per memoratorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum literas deputati reperiuntur ad sui libitum adire.

In literis Citatorialibus, & Monitorialibus à Conservatoribus Privilegiorum d. Universitatis relaxandis non apponatur clausula per abusum antea apponi solita, prout in rub.

Nec in eis quidquam addatur, vel exprimatur, quo Jurisdictionis Ecclesiasticæ cursus impediatur, differatur, aut perturbetur.

Unicuique liceat quemlibet ex dd. Conservatoribus adire.

§. 12. Quod si quis coram aliquo ex eisdem Conservatoribus citatus aliquam contra eum habuerit exceptionem, seu causam propter quam ab illo non speret obtinere posse Justitiæ complementum; liceat sic citato ad alium ex iisdem Conservatoribus recurrere, qui causam in statu, & terminis, in quibus reperietur assumere, illamque cum omnibus, & singulis suis incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali audire, cognoscere, & fine debito, prout juris fuerit, terminare possit, & debeat. Si autem Actori, seu illi, ad cujus instantiam decreta fuerit prima citatio, seu primum Monitorium relaxatum, aliqua contra Conservatorum à Reo, seu citato, ut præfertur, aditum, competierit legitima exceptio, poterit & ipse illum pariter recusare, ac ad alium ex d. Conservatoribus recursum habere; salvis tamen Reo, seu citato contra hunc quoque Conservatorem suis exceptionibus, ac ea lege Reus, seu primo loco in Judicium vocatus coram suspecto Judice litigare nullo modo cogetur.

Citatus coram aliquo ex dd. Conservatoribus ex justa causa potest illum recusare, & alium adire, prout in rubrica.

Item & Actori.

§. 13. Porro Conservatores ipsi Assessores, Notarios, Actuarios, Apparitores, aliosve quoscumque Justitiæ Ministros sibi ex officio eligant, ac deputent, seu assumant: Nec Universitas prædicta in illorum electione, vel deputatione ullo modo se ingerere de cætero valeat, prout antehac per errorem fecisse memoratur. Ipsi vero Conservatores omnia, & singula, quæ in supradictis Pauli V. prædecessoris literis circa eorum Jurisdictionem, illiusque exercitium constituta, & ordinata sunt, exacte, & accurate servent, nec illa quomodolibet excedere audeant; Neque de causis beneficiorum, quibus per Coadjutorias cum futura successione ab hac S. Sede provisum est hactenus, & in futurum quandocumque providebitur, tametsi Beneficia ipsa per obitum in aliquo ex Mensibus prædictæ facultati Artium per easdem Pauli V. prædecessoris literas assignatis vacare contigerit, aut ad eadem Beneficia nominatio dictæ Universitati, seu facultati Artium, si illis per Coadjutorias hujusmodi provisum non esset, ex dispositione supradictorum Privilegiorum competeret, ullo modo cognoscere, ullumve desuper actum jurisdictionalem facere, vel attentare præsumant.

Ipsi Conservatores ex Officio sibi eligant, & deputent quoscumque Justitiæ Ministros.

Accurate servent, quæ circa eorum Jurisdictionem sunt statuta in literis Pauli V.

De causis beneficiorum, de quibus per Coadjutorias cum futura successione provisum fuerit, & providebitur etiamsi beneficia per obitum vacent in Mensibus d. Universitati reservatis nullatenus cognoscant.

§. 14. Nec quisquam ullum ex Provisis Apostolicis per Coadjutorias cum futura successione hujusmodi ad Judicium coram Conservatoribus prædictis trahere, nec quo minus mandata de immittendo, & alia quæcumque etiam executiva per Executores, & Judices Apostolicos ad eorumdem Provisorum Apostolicorum favorem decernenda, & relaxanda executioni mandentur, quoquo modo impedire, nec ipsi Conservatores, eorumve quilibet in eis aliquo modo, nec cognoscendo, nec impediendo se ingerere possint, sub nullitatis omnium actorum, ac censurarum, & amissionis Officiorum, ac privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum pœna ipso facto, etiam absque alia sententia declaratoria incurrenda.

Nullus Provisos Apostolicos per hujusmodi Coadjutorias cum futur. successione ad Judicium coram dd. Conservatoribus trahere audeat, prout in rub.

Pœnæ adversus contra venientes.

§. 15. Et quia alias Canonicatus, & Præbenda Sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Oppidi Tongrensis, Leodien. Diœcesis per obitum q. Lamberti Lens ultimi illorum possessoris Mense Januario 1652. vacantibus, de quibus prius per Coadjutoriam cum futura successione ad favorem tunc in humanis agentis Francisci Fresart. à similis rec. Innocentio PP. X. prædecessore pariter Nostro canonice provisum fuerat, tunc existens Decanus, seu Vice-Decanus dictæ facultatis Artium, Canonicatum, & Præbendam hujusmodi tamquam in Mense eidem facultati assignato vacantes, cuidam Petro per Notarium, & ab hac Sancta Sede illico reprobatum abusum conferre, ipseque Petrus, ut collationem hujusmodi sibi sic nulliter, & invalide factam tueretur, & ad effectum deduceret non solum dictum Franciscum, ad cujus favorem Coadjutoria præfata emanaverat, ejusque in Canonicatu, & Præbenda hujusmodi Successorem Apostolica pariter auctoritate provisum, sed etiam Capitulum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Tongrensis coram Conservatore Privilegiorum dictæ Universitatis citare, & ad Judicium vocare, ipseque Conservator ad diversos actus, sententias, & Decreta, illorumque executionem nulliter, & de facto procedere, ac ipsos Provisos Apostolicos, & Capitulum, spretis inhibitionibus à Judicibus Apostolicis, & præsertim à

Declarat nulla, irrita, & attentata nonnulla acta à Decano, seu Vicedecano d. Universitatis.

prædicto

prædicto Caufarum Palatii Apoftolici Auditorio emanatis multipliciter vexare, multifque detrimentis, & difpendiis afficere præfumpferunt: Ideo collationem hujufmodi eidem Petro a d. Decano, feu Vice-Decano factam, omniaque, & fingula præmiffa, & alia quælibet inde quomodocumque fecuta ab ipfo initio penitus, & omnino nulla, invalida, & de facto præfumpta, & attentata fuiffe, effe, & fore, nullumque Jus in eifdem Canonicatu, & Præbenda, feu ad illos dicto Petro competiiffe, aut competere, fed etiam prædictum Capitulum Ecclefiæ Sanctæ Mariæ Tongrenfis contra dictum Petrum jura fua ad confequendam refectionem, & reftitutionem omnium, & fingulorum damnorum, & detrimentorum, quæ præmifforum occafione accepit, & paffum eft, experiri poffe ad abundantiorem cautelam dicta auctoritate harum ferie declaramus.

Abufus in beneficiis, ad quæ d. Univerfitas ex privilegiis Apoft. nominare, & conferre folebat, refertur. Statuitur numerus perfonarum Concilii d. Univerfitatis, & quomodo Rectores Parochialium ad illud fint affumendi.

§. 16. Ut autem Beneficia Ecclefiaftica ad quæ nominare, & quæ conferre Univerfitati, & facultati Artium prædictis refpective per Privilegia fupradicta conceffum fuit, æqua lance pro uniufcujufque meritis diftribuantur, & abufus quidam quo plures, quam antiquitus confuetum erat, ad Concilium dictæ facultatis, ut majoris taxæ beneficialis capaces fierent, admittebantur, e medio tollatur: Volumus fervari numerum ab antiquo ftatutum, nempe quadraginta octo Perfonarum, quæ fint de Concilio ejufdem facultatis Artium, ad quod fi contingat affumi aliquem, feu aliquos ex Rectoribus Parochialium Ecclefiarum Oppidi Lovanienfis caveatur efficaciter ne per affumptionem hujufmodi impediatur exercitium curæ animarum; nec quifquam acceptare poffit Beneficium, cujus vacatio contigerit, antequam nominationi foret locus, uti nec Beneficium non Curatum, quod ante factam nominationem vacaverit.

Nemo poffit acceptare beneficium vacans antequam fit factus locus nominationi.

Provifio quoad beneficia curata differri debet per menfem a die eorum vacationis. Durante dict. menfe poffit Univerfitas nominare.

§. 17. Et quoad Beneficia Curata, ut melius animarum faluti profpiciatur, illorum provifionem a quibufvis eorum Ordinariis Collatoribus ad menfem a die eorum vacationis computandum differri debere ftatuimus, & ordinamus; Ac Privilegia Univerfitatis, & facultatis prædictarum benigne ampliando harum ferie concedimus, & indulgemus, ut menfe hujufmodi durante per eafdem Univerfitatem, & facultatem Artium nominationes ad illa refpective, fervata cæteroquin eorumdem privilegiorum forma, & difpofitione fieri, ipfaque Beneficia Curata a nominatis acceptari poffint, etiamfi ante nominationem, cui jam locus fit, eorum vacatio eveniffet; ita fcilicet ut fi aliquis, etiam fenior Magifter facultatis Artium, vel aliquis exiftens de Concilio Univerfitatis ad tale Beneficium Curatum ante illius vacationem nominatus fuerit, illud non prius acceptare permittatur, quam judicio facultatis, vel Univerfitatis refpective fuerit judicatus bene idoneus: Salvo nihilominus examine per Ordinarium faciendo, prout per prædictas Gregorii XIII., & Pauli V. prædeceff. literas expreffe cautum reperitur.

Nominatus nequit beneficium curatum acceptare nifi a Judicio d. facultatis, vel Univerfitatis fuerit idoneus reputatus, falvo examine per Ordinarium faciendo.

Abufus quoad pluralitatem beneficiorum. Nemo deinceps plura beneficia incompatibilia fimul, vel fucceffive vigore dd. privilegiorum poteft obtinere.

§. 18. Præterea abufum illum circa Beneficiorum præfertim incompatibilium pluralitatem antehac introductum omnino recidere cupientes, ftatuimus, ut nemo poffit deinceps fimul, vel fucceffive vigore Privilegiorum five facultati Artium, five Univerfitati hujufmodi conceflorum plures Canonicatus, & Præbendas, aut plura Beneficia Curata, vel Canonicatum, & Præbendam, ac aliud Beneficium Curatum pacifice obtinere.

Provifus de aliquo Canonicatu, & Præbenda vel Parochiali Ecclefia tenuis redditus poffit a d. Univerfitate de alia Parochiali, vel Canonicatu provideri priori dimiffo in manibus Papæ, nifi difpenfationem fuper retentione utriufque obtinuerit.

§. 19. Si tamen aliquis poft Parochialem Ecclefiam, vel Canonicatum, & Præbendam tenuis redditus annui vigore Privilegiorum hujufmodi pacifice obtentam, vel obtentos, ob eminentiam doctrinæ affumptus fuerit ad legendum, aut regendum in aliquo Pædagogio, feu Collegio dictæ Univerfitatis; aut ad aliam publicam Academicam functionem, ex fpeciali gratia indulgemus, ut poffit talis adhuc vigore Privilegiorum prædictorum Canonicatum, & Præbendam vel Beneficium Curatum obtinere; priori Beneficio prius libere in manibus noftris, feu Romani Pontificis pro tempore exiftentis dimiffo, nifi difpenfationem fuper illius retentione ab hac S. Sede obtinuerit.

Nemo vigore dd. privilegiorum poffit duo beneficia fimplicia cum fructu acceptare nifi fecundum petat pro finali provifione.

Prætendens unum Canonicatum, & Præbendam in certis Ecclefiis prout in rubrica nequeat obtinuiffe plufquam unum beneficium fimplex.

In aliis Ecclefiis, vel beneficium curatum prætendens non poffit obtinuiffe plufquam duo fimplicia.

Nemo ultra tria beneficia fimplicia obtinere valeat etiam ex parte diverfi Privilegii d. Univerfitati conceffi.

§. 20. Nemo quoque poffit eodem anno vigore Privilegiorum hujufmodi duo Beneficia fimplicia non requirentia refidentiam pacifice cum fructu acceptare; nifi fecundum petat pro finali provifione; & qui prætendet unum, & unam ex Canonicatibus, & Præbendis Cathedralium, ac Infulenfis Beatæ Mariæ Aquifgranenfis, Tongrenfis, Harlebacenfis, Sancti Servatii Trajectenfis Oppidorum, vel Sancti Dionyfii, aut Sancti Joannis, vel Sancti Pauli Civitatis Leodien. Collegiatarum Ecclefiarum refpective, non poffit obtinuiffe plufquam unum Beneficium fimplex; Qui vero unum ex Canonicatibus, & Præbendis inferioribus, vel Parochialem Ecclefiam, non poffit obtinuiffe plufquam duo; Nemo denique unquam ultra tria Beneficia, etiam refidentiam non requirentia, obtinere valeat, etiam ex parte diverfi Privilegii Univerfitati, & facultati Artium hujufmodi refpective conceffi.

Taxã beneficiorum, ad quæ hujufmodi nominationes fieri poffunt fervari mandat.

§. 21. Cæterum non intendimus per præmiffa taxam Beneficiorum, ad quæ nominationes vigore Privilegiorum prædictorum fieri poffunt ullo modo ampliare, fed circa taxam hujufmodi ipforum Privilegiorum difpofitionem, etiam quoad Canonicatus, & Præbendas, aliave Beneficia fupra expreffa, quatenus illorum fructus, redditus, & proventus eamdem taxam excedant, omnino fervari volumus.

In libris dd. Univerfitatis annotantur nominationes, & collationes beneficiorum factæ & de obtentis in 2. & 3. provifione, vel nominatione mentio fiat.

In eis etiam fiat mentio de penfionibus ex caufa refignationis Refignanti refervatæ, & de illis in pofterioribus nominationibus, vel provifionibus mentio fieri debeat.

§. 22. Ut autem Beneficiorum unicuique collatorum, feu ad quæ unufquifque jam nominatus fuerit, notitia facilius habeatur, teneatur unufquifque intra terminum unius Menfis Beneficia jam obtenta annotari curare in libris dictarum Univerfitatis, & facultatis Artium refpective, in quibus nominationes ad Beneficia, ac Collationes Beneficiorum per eafdem Univerfitatem, & facultatem Artium refpective pro tempore factæ annotantur, feu regiftrantur, ac de jam obtento, feu obtentis Beneficiis in fecunda, vel tertia provifione, feu nominatione mentionem facere; Penfiones quoque ex caufa refignationis Beneficii vigore Privilegiorum prædictorum obtenti Refignanti refervatæ in eifdem libris pariter annotari, & de illis in pofterioribus nominationibus, feu provifionibus mentio fieri debeat.

Item de penfione ex caufa Compofitionis, vel Cõcordiæ dimittẽti beneficiũ refervata, ut habeatur pro una provifione.

§. 23. Et quatenus aliquis compofitionem, five concordiam fuper Beneficio fic obtento cum Adverfario jam inierit, aut quandocumque in futurum ineat, per quam aliquid fibi in compenfationem Beneficii dimiffi præftitum fuerit, aut præftetur, id in libris prædictis pariformiter annotetur, habeaturque pro una provifione ei jam facta, itaut eo pauciores nominationes, five collationes Beneficiorum ab Univerfitate, feu facultate Artium præfatis refpective prætendere, feu petere valeat.

§. 24. Quia vero Privilegia prædicta in favorem illorum, qui literarum ftudiis in dicta Univerfitate operam navant, ab hac Sancta Sede emanaffe

Nemo ad beneficium possit nominari, aut ei conferri qui saltem per annum integrum in eadem Universitate non resederit ibique scholas frequentaverit.

emanasse noscuntur, volumus insuper, & ordinamus, ut nemo sive ab Universitate, sive a facultate Artium hujusmodi ad Beneficium quodcumque nominari; nec Beneficii cujusvis collatio ei fieri possit, qui saltem per annum integrum in eadem Universitate non resederit, ibique scholas frequentaverit, & studia hujusmodi diligenter prosecutus fuerit.

D Universitas non potuit nominare ad beneficia Vacantia vacantibus Sedibus Archiepiscop. & Episcopalibus, aut Prælaturis Collatorum Ordinariorum vacantibus.

Ex speciali gratia quando ad hujusmodi beneficia vacantia nominare possit.

§. 25. Porro licet ex privilegiorum supradictorum tenore minime liceat facultati Artium, & Universitati prædictis ad Beneficia, quæ Sedibus Archiepiscopalibus, sive Episcopalibus, aut Prælaturis collatorum Ordinariorum vacantibus vacare contingit, nominare, & quidquid secus antehac factum fuit, id nulliter, & invalide factum fuerit, prout memoratus Clemens IX. Prædecessor per literas suas prædictas declaravit; quia tamen Ecclesiarum, seu Prælaturarum hujusmodi provisiones interdum diu differuntur: ex speciali gratia concedimus, & indulgemus, ut inposterum nominationes ad Beneficia quæ post elapsum semestre a die quo sedium Archiepiscopalium, seu Episcopalium, aut Prælaturarum hujusmodi vacatio secuta fuerit, vacare contigerit, per easdem Universitatem, & facultatem Artium respective servata cæteroquin tam prædictorum Privilegiorum, quam præsentium literarum forma, & dispositione fieri libere, & licite valeant: Ita tamen ut nominationes hujusmodi connumerentur inter illas, quas vita, Prælatura, & administratione Prælati successoris durante facere possent; ipseque Prælatus successor non amplius gravetur, quam gravaretur si Beneficia hujusmodi, ad quæ Sede, vel Prælatura vacante, facta fuerit nominatio, eo jam Sedem, seu Prælaturam obtinente vacare cœpissent.

Hujusmodi nominationes connumerari debent inter illas, quas vita, Prælatura, & administratione Prælati successoris durante eadem Universitas facere possit.

§. 26. A nominationibus vero ad Beneficia hujusmodi, quæ intra semestre prædictum a die secutæ vacationis Sedis, vel Prælaturæ vacare contigerit, tam Universitatem, quam facultatem Artium hujusmodi omnino abstinere volumus, ipsorumque Beneficiorum, collationem, promissionem, & omnimodam dispositionem ad Nos, & Sedem Apostolicam prædictam pleno jure spectare, & pertinere declaramus.

Provisio beneficiorum vacantium intra semestre a die secutæ Vacationis Sedis Archiepiscop. Episcop. vel Prælaturæ reservatur S. Sedi.

§. 27. Et quia probationes super non excessu taxæ personalis per Privilegia prædicta præscriptæ, quas ad Beneficia eorumdem Privilegiorum vigore nominati facere debent, ab iis concludenter fieri plerumque vix possunt; eisdem pro tempore nominatis harum serie indulgemus, ut taxam personalem hujusmodi per duos testes juratos, etiam jam domesticos de publica voce, & fama deponentes cum juramento, ipsorum nominatorum probare possint, ita tamen, ut hæc probatio contrariam probationem non excludat.

Probatio super non excessu taxæ personalis fieri possit per 2. testes juratos, cum juramento nominatorum.
Hæc contrariam probationem non excludat.

§. 28. Cæterum quamvis Privilegia præfata præcipue ad illos, qui studiorum labores in Universitate prædicta sustinuerunt, in iisque juventutis annos consumpserunt, inopiæ ærumnis præsertim in senecta ætate eximendos concessa fuerint, nihilominus etiam aliis opulentioris fortunæ, qui docendo, aut regendo benemeriti fuerint præmia non deesse cupientes, præfato Carolo Antonio Moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Sedis prædictæ in Belgicis Ditionibus Internuncio, seu Nuncio cujuslibet decennii spatio duobus ex parte facultatis prædictarum respective, qui docendo, seu regendo benemeriti fuerint, bonumque pietatis, & doctrinæ, ac peculiaris erga hanc Sanctam Sedem observantiæ specimen dederint, ut licet redditus annuos supra taxam personalem per privilegia prædicta præscriptam possideant, nihilominus eorum singuli ad unum tantum Beneficium Ecclesiasticum, in quo condigne valeant residere, nominati, & vigore nominationum hujusmodi Beneficia, ad quæ nominati fuerint, acceptare, ac consequi, & obtinere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si redditus annuos supra taxam personalem hujusmodi minime possiderent, auctoritate nostra Apostolica concedendi, & indulgendi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impertimur.

Dat Internuncio, seu Nuncio facultatẽ quolibet decennio duobus benemeritis de d. Universitate licet redditus annuos, ultra taxam personalem possidentibus possit aliud beneficium pro singulis conferri.

§. 29. Præmissa autem omnia, & singula a nobis statuta, decreta, mandata, & ordinata ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse servari volumus, ac sub expressa lege, & conditione illa, & alia quæcumque per hanc Sanctam Sedem in posterum statuenda, & ordinanda, ac Universitati, & facultati Artium prædictis præscribenda, & injungenda exacte, & accurate servandi, suspensionem Juris, & facultatis ac Indulti conferendi Beneficia in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentia in mensibus dictæ facultati Artium per supradictas Pauli V. prædecessoris literas concessis vacatura a prædicto Clemente IX. Prædecessore ad suum, & Sedis Apostolicæ Beneplacitum factam ut præfertur dicta auctoritate earumdem tenore præsentium relaxamus, & revocamus, ac ex nunc revocatam fore.

Mandat observantiam omnium suprad. Statutorum, & Decretorum.

Sub hac expressa lege, & conditione servandi omnia supradd. Statuta, & in posterum statuenda; Pontifex revocat suspensionem a Clemente IX. factam Juris, ac facultatis, & Indulti conferendi beneficia.

§. 30. Præsentes vero literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Rector, Magistri, Doctores, aliique Graduati, & Scholares, ac Conservatores privilegiorum Universitatis prædictæ, & præsertim Decanus, seu Vicedecanus facultatis Artium hujusmodi, ac Receptor, & Procuratores quatuor Nationum ejusdem facultatis, & alii quilibet quacumque Ecclesiastica vel mundana dignitate, vel potestate præditi, & fungentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, conditionis, & qualitatis existant, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter deductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, & juridica, ac pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, formali, substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari ad viam, seu terminos Juris, aut Privilegiorum dictæ Universitati, ejusque facultati Artium quomodolibet concessorum reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus ipsas præsentes literas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos quovis modo spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari.

Suppletomnes defectus.

Mandat præsentes literas semper validas, & efficaces esse, ac fore.

§. 31. Sic-

Decretum irritans.

§. 31. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, dictæque Universitatis Privilegiorum Conservatores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, & Internuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quacumque Causa, & Instantia judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his quacumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Amplissime quibuscumq; contrariis derogat.

§. 32. Non obstantibus prædictis Clem. IX. prædecessoris literis, ac de Jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, cæterisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus necnon quatenus opus sit Universitatis Lovanien. & facultatis Artium hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac Romanæ Curiæ, aliisve quibuslibet stylis, & usibus etiam quantumvis antiquis, & inveteratis; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Universitati Lovanien., ejusque facultati Artium hujusmodi, ac earum respective Rectoribus, Magistris, Doctoribus graduatis, Scholaribus, Decanis, Vicedecanis, Receptoribus, Procuratoribus Nationum, facultatibus, Conservatoribus Privilegiorum, ac suppositis, & Personis quibuslibet, aliisve quibusvis quomodolibet numeratis, & qualificatis per memoratos Martinum V. Eugenium IV. Paulum II. Sixtum IV. Alexandrum VI. Leonem X. Adrianum VI. Clementem VII. Paulum III. Pium IV. Greg. XIII. & Paulum V. aliosve forsan Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem prædictam etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu etiam ad Imperatoris, Regnum, Reginarum, Archiducum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque quorumlibet, quavis Ecclesiastica vel mundana dignitate, præcellentia, & potestate fulgentium instantiam, seu eorum intercessione, vel contemplatione sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis mentis attestationis restitutivis, posteriorem datam eligendi facultatem, quam nemini contra præsentes literas suffragari volumus continentibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis etiamsi in iisdem literis, inter alia caveatur expressè, quod illis per quascumque Apostolicas etiam in forma Brevis, & sub nomine Cameræ Apostolicæ pro tempore expeditas, seu dictæ Sedis, ejusque Legatorum, aut Nunciorum literas etiam quoslibet generales, vel speciales etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores, & insolitas clausulas, necnon irritantia, & alia Decreta in se continentes, & sub quibusvis verborum formis, & expressionibus conceptas derogari nullatenus possit, nec derogatum censeatur, nisi earumdem literarum tenor de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, ac urgens, & sufficiens Causa expressa, & per trinas distinctas literas, illarum tenorem continentes tribus distinctis vicibus cum trium mensium intervallo prædictæ Universitati legitime intimata, & insinuata, ac derogationes ipsæ, Motu, & scientia similibus factæ fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse, & aliter pro tempore factæ derogationes nullius roboris, vel momenti sint, & nemini suffragentur, ac pro infectis, & non concessis haberi debeant.

Personæ d. Universitatis in quibusvis eorum causis extra muros Oppidi Lovanien. in I. instant a trahi, citari, vel conveniri non possint, prout in rub.

§. 33. Quodque Rector, Doctores, Magistri, Scholares, cæterique legentes dictæ Universitatis, seu aliæ illius personæ quæcumque, vigore quarumcumque literarum, à Sede prædicta, seu illius Legatis, Delegatis, & subdelegatis, aut alias quomodolibet emanatarum, & concessarum in quibusvis eorum causis civilibus, criminalibus, & mixtis extra muros dicti Oppidi Lovanien. in prima instantia trahi, citari, vel conveniri, aut alias ad judicium evocari non possint, dummodo coram aliquo ex Conservatoribus prædictis in dicto Oppido parati sint quibuscumque poscentibus de Justitia respondere, sed ipsi Rector, Doctores, Magistri, & Scholares Adversarios suos, dummodo Sedis prædictæ officiales, aut in Romana Curia præsentes non sint coram aliquo ex iisdem Conservatoribus trahere, convenire, & ad Judicium evocari facere in prima Instantia, ut præfertur, libere, & licite valeant.

Suos Adversarios in I. instantia coram Conservatoribus trahere possint dummodo S. Sedis Officiales aut præsentes in Curia non sint.

Quibus omnibus, & singulis etiamsi in eis alia quæcumque etiam de necessitate specificè exprimenda contineantur, & pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, occasiones, & causas, etiam quantumvis, prægnantes, pias, & privilegiatas præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, & expressis, ac exactissime adductis, & accuratissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum derogamus, Nosque ex urgenti, & sufficienti causa derogare, & derogatum velle declaramus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Omnibus de necessitate specifice exprimendis in contrarium pariter derogat.

Transumptorum fides.

§. 34. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si originaliter exhibitæ forent, & ostensæ. Utque eædem præsentes literæ, seu earum transumpta, sive exempla hujusmodi ad valvas Cathedralis Leodien., ac Sanctæ Mariæ Tongrensis, & Sancti Petri Lovaniensis Oppidorum Collegiatarum Ecclesiarum publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ Rectorem, Magistros, Doctores, Scholares, Decanum, Vicedecanum, Conservatores, & alios præfatos, cæterosque quos quomodolibet concernunt, & concernent in futurum perinde afficiant, & arctent, ac si illorum cuilibet personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Præsentium literarum publicatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 10. Octobris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 10. Oct. 1673. An. 4.

Placet E.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium mensis lib. 4. diversorum fol. 107.

XLVIII. Suppressio perpetua quarumcumque Confraternitatum, seu Congregationum sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, B.M.V. Immaculatæ, & S. Josephi sub titulo Gregis boni Pastoris, ubicumque erectarum, cum prohibitione libellorum, foliorum, Constitutionum, Regularum, Imaginum, & usus quarumdam catenularum, aliorumque ad illarum Institutum spectantium, juxta Decretum Congregationis S. Officii.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à tollendis abusibus, & scandalis.

PAstoralis officii, quod authore Deo gerimus, cura animum nostrum assidue solicitat, ut quæcumque pie, licet primitus instituta, irrepentibus subinde abusibus, non solum a pietate recessisse, sed etiam gravibus scandalis causam præbere cognoscuntur, e medio tollere, atque abolere studeamus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei Gloriam, ac Fidelium ædificationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Nonnullæ Confraternitates sub titulo Gregis boni Pastoris earumque Constitutiones, & Regulæ, in quibus usus catenularum & alia quædam a doctrina, & praxi Ecclesiæ aliena reperiuntur.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) nonnullæ Congregationes, seu Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Josephi sub titulo Gregis boni Pastoris variis in locis ordinaria, seu etiam Apostolica auctoritate erectæ, & institutæ existant, in quarum Constitutionibus, & Regulis usus quarundam catenularum, aliave quæpiam à doctrina, & praxi Ecclesiæ dissentanea reperiuntur, & de quarum instituto libella, folia, & imagines in vulgus edita sunt, ex quibus scandala, & offensiones in dies oriri possunt.

§. 2. Nos hujusmodi mala atque incommoda ne latius serpant, Apostolicæ nostræ solicitudinis sarculo recidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum ab hac Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Congregationes, seu Confraternitates quascumque sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Josephi sub titulo Gregis boni Pastoris ubicumque Terrarum sicut præmittitur erectas, & institutas, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo supprimimus, extinguimus, & abolemus, perpetuoque suppressas, extinctas, & abolitas esse, & fore decernimus, & declaramus.

Has Confraternitates Pontifex perpetuo supprimit, & extinguit.

Lectionem, & retentionem dd. Constitutionum, Imaginum, ac usum catenularum perpetuo prohibet, & interdicit.

§. 3. Præterea libellos omnes, folia, & Constitutiones, Regulas, Imagines, & usum catenularum hujusmodi, aliave quæcumque ad institutum earumdem Confraternitatum, seu Congregationum spectantia, eorumque respective lectionem, retentionem, & usum quibuscumque Christifidelibus auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Confraternitatum, necnon quarumcumque Ecclesiarum tam secularium, quam regularium, in quibus Confraternitates ipsæ erectæ sunt, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 6. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi, & publicari, sicque publicatas, omnes, & singulos quos illæ concernunt perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Publicatio præsentium literarum. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto. Edit. 15. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Decembris par. 1. fol. 1.

Exemptio Vicariorum Apostolicorum, eorumque Missionariorum in Indiis Occidentalibus, & partibus Sinarum à Jurisdictione Goanæ Inquisitionis, in ea Parte, in qua non dominatur temporaliter Rex Portugalliæ, scilicet in China, Cochinchina, Tunkino, Siam, Camboggia, & aliis Locis dd. Vicariis Apostolicis commissis, & Principibus Infidelibus subjectis. XLIX.

CLEMENS PAPA X.

Edita A. D. 1673.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per Universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut ea, quæ Catholicæ fidei propagationi impedimentum adferre possunt, e medio tollere, & Operarios in Vinea Domini strenue, utiliterque laborantes ab indebitis gravaminibus, atque molestiis, quantum cum Domino possumus, tueri studeamus.

§. 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri dolore accepimus) Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus, & partibus Sinarum ab hac S. Sede Apostolica Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus, Sinarum, &

deputati,

partibus, eorumque Missionarii varias vexationes à Ministris Inquisitionis Goanæ receperunt.

deputati, eorumque Missionarii varias vexationes à dilectis filiis Commissariis, aliisque Officialibus, seu Ministris Officii Inquisitoris adversus hæreticam pravitatem in Civitate Goan. auctoritate Apostolica instituti, acceperint, & passi sint, ac eorum aliqui à Missionum Locis amoti, & in carcere detenti fuerint, in grave S. operis conversionis Infidelium, ac propagationis Catholicæ fidei, cui dictæ Sedis auctoritate destinati sunt, præjudicium, & detrimentum.

DD. Vicarios Apost., eorumque Missionarios pro tempore eximit à quacumque Jurisdictione Inquisitorum Civitatis Goanæ in ea parte tantum, in qua Rex Portugalliæ temporaliter non dominatur prout in rub.

§. 2. Nos ejusmodi malis ansam, & occasionem in futurum præcidere cupientes ejusdem Vicarios Apostol. eorumque Missionarios tam missos, quam mittendos, & eorum quemlibet, à quacumque Jurisdictione Inquisitorum, Commissariorum, Judicum, aliorumque quorumlibet Officialium, & Ministrorum dicti Officii Inquisitoris hæreticæ pravitatis in ea parte tantum, in qua Charissimus in Christo filius noster Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris temporaliter non dominatur, scilicet in China, Cochinchina, Tunkino, Siam, Camboggia, & aliis locis, quæ memoratis Vicariis Apostolicis commissa, & Principibus Infidelibus subjecta sunt, auctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus, & plenarie liberamus, ac exemptos, & liberatos, dictæque Jurisdictioni minime obnoxios esse, & fore decernimus, & declaramus. Districte prohibentes Inquisitoribus præfatis, & per ipsos omnibus eorum Commissariis, ac Ministris, & Officialibus, ne in posterum ullum Jurisdictionis actum in dd. Vicarios Apostolicos, & eorum Missionarios exercere audeant quovis modo, seu præsumant.

Decretum irritans.

§. 3. Ac decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis, Missioariis præfatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatos Inquisitores, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam Universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon d. Inquisitionis Officii, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostol. vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum, in genere, vel in specie concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 22. Dec. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secr. Br. in lib. Mensis Jan. par. 1. fol. 99.

Li

Confirmatio, & innovatio Brevium Alexand. VII. & Clem. IX., ac Decretorum Congregationum de Propaganda Fide ad favorem Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum apud Sinas emanatorum, eorumque Missionariorum &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem, quem Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini cum potestatis plenitudine præposuit Altissimus, ac æqui, bonique supremum assertorem in Terris constituit, ea, quæ a prædecessoribus suis, & hac S. Sede Apostolica ad Christianæ Religionis, & Orthodoxæ fidei præsertim in remotissimis ab hac S. Sede locis propagationem, animarumque pretioso unigeniti Dei filii Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem, felicemque fidelium in via mandatorum Domini directionem, prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, Pontificiæ charitatis zelo emanarunt, ut firma, atque illibata persistant, nec temerariis quorumdam, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, ausibus violentur, Apostolici muniminis præsidio corroborare, ac à perversis quorumcumque calumniantium conatibus tueri, ne messis, quam fideles Operarii ab eadem S. Sede missi plantarunt, & rigarunt, inimico superseminante zizania, detrimentum accipiat, sed benedicente, atque incrementum largiente Domino ad perfectæ finem perveniat maturitatis, & horrea Dominica uberrimo fructu locupletet.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa VII. prædecessor noster de tunc existentium S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Consilio, per ternas suas in simili forma Brevis literas, binas quidem die 9. Septembris 1659., reliquas verò die 20. Septembris 1660. respective expeditas, Venerabil. Fratres Franciscum Pallu Episcopum Heliopolitan. in Regno Tunchini cum administratione infrascriptarum Provinciarum, videlicet Junam, Queriteu, Huquang, Sucenen, Quangsii, & Luos; ac Petrum Episcopum Beryten. Cocincinæ cum administratione harum Provinciarum nempè Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsii, Insulæ Hainaum, aliarumque Insularum, necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Cotolendi Episcopum Metellopolitan. Nanchini in Sina cum

Alexan. VII. designatis Episcopis committit administrationem nonnullarum Provinciarum prout in rub. donec aliter à

Congreg. de Propaganda Fide fuisset demandatum.

cum administratione Provinciarum infra expressarum videlicet, Pechuin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Cortæ, & Tartariæ Vicarios Apostolicos respective donec, & quousque a præfatorum Cardinalium Congregatione fuisset aliter mandatum, aut dispositum, auctoritate Apostolica fecit, constituit, & deputavit; Ac ipsis Francisco, Petro, & Ignatio Episcopis dedit facultatem, ut si contingeret aliquem ex ipsis in itinere, vel postquam illuc pervenissent, morte, vel alio eveniente defectu, deficienti proximior, posset etiam ad eas Provincias, quæ eidem deficienti Episcopo suberant, administrationem extendere, vel cum alio Episcopo novam divisionem inire, qua ratione illorum Christifidelium necessitatibus aptius consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remanerent, donec per memoratam Cardinalium Congregationem, quæ statim de prædictis certior reddi deberet, aliter fuisset dispositum.

DD. Episcoporum aliquo deficiente proximior Episcopus illius deficientis Provincias possit administrare, aut novam divisionem cum alio Episcopo inire donec d. Congr. aliter disponat.

§. 2. Ut autem in Partibus prædictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita Fides Catholica ibidem firmius, benedicente Domino radicari valeret, eisdem Francisco, & Petro, & Ignatio Episcopis cum Christifidelibus earumdem partium indigenis sibi uti Vicariis Apostolicis respective vigore præfatarum literarum pro tempore subditis, ut ipsi licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ, ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illis etiam Altaris ministerio ministrare libere, & licite possent, & valerent, dispensandi, necnon recitationem officii divini, horarum videlicet Canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua, ipsorum Episcoporum arbitrio commutandi, facultatem ad septennium dumtaxat pariter concessit, & impertitus est, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Eis indulget ut ad septennium suos subditos licet Idioma latinum non intelligant dummodo illud legere sciant, eisque Canon Missæ, ac formulæ Sacramentorum declarentur ad omnes etiam SS.Ordines,&Presbyteratum promovere possint eis commutando recitationem Divini Officii in alias preces.

§. 3. Et subinde cum eidem Alexandro prædecessori relatum fuisset, quod præfatus Ignatius Episcopus viam universæ carnis ingressus fuerat, si vero utriusque, vel alterius ex dictis Francisco, & Petro Episcopis obitu quoque eveniente, Episcopi hinc denuo ad partes præfatas mittendi essent, non solum maximæ difficultates superandæ, gravissimique labores exantlandi forent, sed etiam grave periculum immineret, ne inter longas temporis moras, quas intervenire necesse foret, grande illud opus directionis Christifidelium illic degentium, Propagandæque Christianæ Religionis ab iisdem Francisco, & Petro Episcopis laudabiliter inceptum omnino deperiret, ipse Alexander prædecessor de præfatorum Cardinalium Consilio, per alias suas pariter in forma Brevis literas die 4. Februarii 1664. emanatas, illis ex præfatis Francisco, & Petro Episcopis, qui alteri, quem præmori contingeret, superstes foret, ut unum ex Presbyteris hinc cum ipsis ad easdem partes profectis, quem in Domino magis idoneum, & tanto muneri exequendo aptiorem judicavisset, Ecclesiæ in partibus Infidelium consistenti, quæ per obitum prædefuncturi ex ipsis Pastoris fuisset destituta solatio, in Episcopum, & Pastorem auctoritate Apostolica præficere, eique sic præfecto munus consecrationis cum assistentia aliorum duorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si adessent, sin minus etiam sine illorum assistentia, servatis tamen quantum locus, & tempus permitterent, Cæremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illo ejusdem Alexandri prædecessoris, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito Juramento, impendere libere, &

Deficientibus dd. Episcopis superstes potest unum ex Presbyteris cum ipsis ad easdem Partes magis idoneum in Episcopum Ecclesiæ partibus Infideliũ præficere, prout in rub. cum assistentia duorum Sacerdotum, vel sine.

licite posset, & valeret, facultatem dicta auctoritate tribuit, & impertitus est. Ac eumdem Episcopum sic ordinandum ex tunc prout postquam ordinatus, & consecratus fuisset, ut præfertur Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco illius, ex præfatis Francisco, & Petro Episcopis, qui prior decessisset cum omnibus, & singulis facultatibus, ei per literas prædictas attributis, donec tamen, & quousque a præfata Cardinalium Congregatione aliter mandatum, aut dispositum fuisset eadem auctoritate deputavit, substituit, & subrogavit salva tamen pariter in præmissis auctoritate d. Congregationis Card., quam de eisdem præmissis ab alterutro eorumdem Francisci, & Petri Episcoporum superstite, quanto citius fieri posset, voluit fieri certiorem. Cæterum præfato Episcopo, ut ipse ad Ecclesiam, cui vigore harum literarum præfectus fuisset, quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, accedere, & apud illam personaliter residere minime teneretur, dicta auctoritate indulsit.

Episcopum sic de novo consecratum possit Vicarium Apost. in illis partibus constituere in locum illius Episcopi, qui prior decesserat, prout in rubrica.

Episcopus sic de novo ordinatus ad Ecclesiam in partibus Infidelium, donec ab illis detinetur accedere non teneatur.

§. 4. Ac postmodum cum præfati Franciscus, & Petrus Episcopi per Presbyterum, quem illuc miserant, dicto Alexandro prædecessori exponi fecissent, quod ipsi e re Dominici gregis magnopere futurum existimabant, si supradicto Ignatio Episcopo defuncto, successor in Vicariatu Apostolico, ei sicut præfertur demandato constitueretur; Idem Alexander prædecessor de consilio Congregationis tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus Regni Sinarum ab eo deputatæ per alias suas similiter in forma Brevis die 28. Februarii 1665. expeditas literas memoratis Francisco; & Petro Episcopis, ut unum ex præfatis Presbyteris cum ipsis una ad partes supradictas profectis, quem obeundo Vicariatus Apostolici hujusmodi muneri magis idoneum in conscientia judicavissent, Ecclesiæ Metellopolitan. per obitum dicti Ignatii Episcopi solatio Pastoris tunc destitutæ in Episcopum, & Pastorem auctoritate Apostolica præferre, illique sic præfecto munus consecrationis cum assistentia unius, vel duorum aliorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si adessent, sin minus etiam absque ejusmodi assistentia, servatis tamen pariter quantum locus, & tempus permitterent cæremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, receptoque prius ab illo fidelitatis debitæ Juramento præfato, pariter impendere libere, & licite valerent, facultatem auctoritate præfata tribuit similiter & impertitus est, ea tamen lege, ut hac facultate non uterentur, nisi quando eis permissum fuisset ingredi ea loca, in quibus Vicariatum Apostolicum præfato Ignatio Episcopo, sicut supradictum est, demandaverat.

Insuper dictis duobus Episcopis indulsit ut unũ ex Presbyteris ad supradictas partes secum profectis, ut in locum Episcopi Ecclesiæ Metellopolitan. alium subrogarent, prout in rubrica.

Hac facultate quando uti deberent.

§. 5. Quod si dicti Franciscus, & Petrus Episcopi propter locorum distantiam, vel aliud impedimentum pro hujusmodi Episcopi in locum præfati Ignatii defuncti ordinatione insimul convenire nequirent, totam hanc facultatem remanere voluit penes præfatum Petrum Episcopum Beryten., qui si tempore adventus ultimo datarum literarum ad illas partes de hoc sæculo migravisset, eadem facultas penes memoratum Franciscum Episcopum Heliopolitan. resideret. Ambobus autem ab hac luce subtractis, hanc eamdem facultatem ordinandi Episcopum dictæ Ecclesiæ Metellopolitan. in locum supradicti Ignatii defuncti haberet ille Episcopus, quem alter superstes ex eisdem Francisco, & Petro Episcopis in vim præfatarum literarum die 4. Februarii 1664. emanatarum consecravisset. Ac Episcopum vigore ultimarum Alexandri prædecessoris literarum hujusmodi sicut præmittitur ordinandum ex tunc prout postquam ordinatus fuisset, Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco memorati Ignatii Episcopi, cum omnibus,

Si insimul convenire nequirent tota facultas alium Episcopum resideat in uno prout in rub.

Ambobus deficientibus eadem facultas sit apud illum Episcopum, quem alter ex eis jam ordinaverat.

Sic ordinatus Episcopus Metellopolit. Vicariatũ

Apoſtol. in illis partibus in locum defuncti gerere poſſit, prout in rubr.

nibus, & ſingulis facultatibus, quæ eidem Ignatio Epiſcopo per præfatas literas quomodolibet attributæ fuerant, donec tamen, & quouſque a memorata Congregatione Cardinalium aliter mandatum, vel diſpoſitum fuiſſet, auctoritate præfata deputavit pariter, ac ſubſtituit, & ſubrogavit, ſalva ſimiliter in præmiſſis auctoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium, quam de iis omnibus, quæ earumdem ultimarum literarum vigore geſta fuiſſent, quantocitius, etiam voluit reddi certiorem.

Ad d. Eccleſiam inMetellopolit. accedere non teneatur.

§. 6. Demum novo Epiſcopo Metellopolitan. ſicut præfertur ordinando Indultum non accedendi ad Eccleſiam Metellopolitan. hujuſmodi quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, nec apud illam perſonaliter reſidendi pariformiter conceſſit, & alias prout in præfatis Alexandri prædeceſſoris literis, quarum omnium, & ſingularum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur.

Civitas Juthia eſt præcipuum Emporium totius Regni Siani.

§. 7. Et ſucceſſive accepto per rec. me. Clementem PP. IX. prædeceſſorem pariter noſtrum, quod Civitas Juthia vulgo Siam præcipuum eſſet Emporium totius Regni Siani, & ad illam continuus eſſet concurſus diverſarum Nationum tam vicinarum, quam longinquarum, quibus Rex d. Regni, ut ad illam libentius confluerent, & ibidem ſecurius commorarentur, liberum Religionis, & Sectarum quarumlibet exercitium conceſſerat, ac nomine præfatorum Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum ad Regna Sinarum, Tunchini, & Cochinchinæ deſtinatorum d. Clementi prædeceſſori expoſito, quod ipſi ob arduas difficultates ingrediendi fines ſuorum Vicariatuum Sedem in dicta Civitate interea fecerant, Eccleſiam, ſeu Cappellam ibidem erexerant, & in Converſionem Infidelium tam ſuorum Vicariatuum, quam aliarum Nationum incubuerant, Seminarium quoque inſtituerant, cupiebantque propterea Epiſcopo Metellopolit. Vicario Apoſtolico ad Sinas conſecrato, ſeu mox conſecrando extenſionem adminiſtrationis, ſeu Vicariatus ad dictum Regnum Siani, & Civitatem Juthienſem benigne concedi; idem Clemens prædeceſſor ſupplicationibus eorum nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, de memoratorum Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpoſitorum conſilio, præfato Epiſcopo Metellopolitan. adminiſtrationem ſui Vicariatus ad Regnum Siani, & Civitatem Juthienſem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica extendit quouſque ingredi in Sinas idem Epiſcopus Metellopolitan. poſſet, cum obligatione tamen dictum ingreſſum diligenter procurandi, & eo caſu facultatem quoque eidem conceſſit Provicarium ibidem conſtituendi donec aliter per Sedem Apoſtolicam proviſum fuiſſet.

Vicarii Apoſtol. Tunchini, & Cochinchinæ ob arduas difficultates ingrediendi fines ſuorum Vicariatuum ſedē in d. Civitate fecerant.

Pro eadem gratia ſupplicant favore Epiſcopi Metellopolitani Vicarii Apoſtol. ad Sinas conſecrari, ſeu mox conſecrandi.

Clemens IX. d. Epiſcopo Metellopolitano adminiſtrationem ſui Vicariatus extendit uſque ad Regnum Siani, & Civitatem Juchienſem, prout in rubrica.

Caſu quo ingredi poſſit in Sinas ei facultatem conſtituendi Provinciam in d. Civitate, donec aliter per S. Sedem ſit proviſum.

Eiſdem Vicariis Apoſt. in Tunchino, & Cochinchina indulget, ut per 20. annos cum ſuis ſubditis poſſint diſpenſare ſuper quibusvis conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus non tamen in 1. gradu, prout in rub.

§. 8. Ut autem præfati Epiſcopi Vicarii Apoſtolici apud Sinas, ac Tunchino, & Cochinchina reſpective auctoritate Apoſtolica deputati injuncta ſibi munera ad Chriſtifidelium illarum partium utilitatem adjuvante D. facilius exequi valerent; dictus Clemens prædeceſſor ex commiſſo ſibi cœlitus Sacroſancti Apoſtolatus officio providere volens, eiſdem Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis cum Neophitis ſuorum reſpective Vicariatuum quoque, ſeu quibuſvis (non tamen primo) conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, ſeu ſe attinentibus, ut Matrimonium inter ſe contrahere, ſeu in eo etiam ſcienter contracto remanere valerent, dicta auctoritate, gratis tamen diſpenſandi, & eos qui in gradibus prohibitis hujuſmodi Matrimonium etiam ſcienter contraxiſſent, ab exceſſibus, & excommunicationibus, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis ea de cauſa incurſis in utroque Foro gratis pariter abſolvendi, ac prolem inde ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam decernendi facultatem ad viginti annos tantum duraturam, quam ipſi Epiſcopi Vicarii Apoſtolici, ſuis reſpective Provicariis ſecundum datam ſibi a D. prudentiam communicare poſſent eadem auctoritate conceſſit, & impertitus eſt, & alias prout in binis ipſius Clementis prædeceſſoris pariter in forma Brevis literis die 4., & die 11. Julii 1669. reſpective expeditis, plenius etiam continetur. Ac demum idem Clemens prædeceſſor alias in ſimili forma Brevis literas conceſſit, tenoris qui ſequitur, videlicet.

Indulget, ut hanc facultatem poſſint aliis communicare.

Exordium.

§. 9. Clemens PP. IX. Ad futuram rei memoriam. Speculatores Domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia in terris a D. conſtituti, ad illa præcipue charitatis, atque vigilantiæ noſtræ Paſtoralis ſtudia convertimus, quæ Chriſtianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationem concernunt; ut illis certam, atque prudentem, ex ſolita hujus Sanctæ Sedis providentia, & rectitudine, normam tradamus, & ſublatis dubiis, atque controverſiis, quæ inter Operarios in Vineam Domini miſſos, in eaque ſedulo laborantes, enaſci, illorumque labores, & laborum fructum turbare, vel impedire poſſent, omnia pie, ſancteque (quantum Dominus donare dignatur) diſponere ſatagamus, quo optati ſurgant benedicente D. fructus, ac ad maturitatem perducantur, ſanctaque Mater Eccleſia uberioribus, atque lætioribus in dies gaudeat incrementis.

Exponuntur dubia ex parte Vicariorum Apoſtolicorum.

§. 10. Cum itaque, ſicut Venerabilis Frater Franciſcus Epiſcopus Heliopolitanus, Vicarius Apoſtolicus in Regni Tunchini, cum adminiſtratione Provinciarum Sinæ huic Regno adjacentium, videlicet Junam, Querikeu, Hucquang, Succuen, Quangſii, & Laos, a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædeceſſore noſtro conſtitutus, & deputatus, tam ſuo, quam Venerabilis pariter Fratris Petri Epiſc. Beritenſis Vicarii Apoſtolici Cochinchinæ, cum adminiſtratione infraſcriptarum Provinciarum Sinæ, videlicet Cechiang, Fochien, Quantumg, Chiamſi, Inſulæ, Haynan, & aliarum Inſularum, atque etiam Epiſcopi Metellopolitani conſecrati, aut mox conſecrandi Vicarii Apoſtolici Nanchin in Sina, cum adminiſtratione Provinciarum Pechin, Xanſii, Xantung, Honan, Xenſii, Coreæ, & Tartariæ ab eodem Alexandro prædeceſſore pariter conſtitutorum, cum extenſione adminiſtrationis dicti Epiſcopi Metellopolitani ad Civitatem Juthiæ, totumque Siani Regnum a nobis nuper facta, nominibus, nobis exponi fecit, quod in d. Regnis, & Provinciis reperiantur diverſorum Ordinum Religioſi, tam a ſuis reſpective Superioribus Generalibus quam a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpoſitorum, deſtinati, qui miſſionibus ibidem, ſub directione ſuorum reſpective Præpoſitorum, aut Præfectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut neceſſarios Operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus Neophytis, Catechiſtas effecerint, illoſque ſibi, ſuæque directioni quibuſdam Votis adſtrinxerint, prædicti vero Epiſcopi Vicarii Apoſtolici humiliter a nobis poſtulaverint, ut auctoritate nobis a D. tradita decernere, atque declarare dignaremur. Primo an aliqua ſit inter Vicarios Apoſtolicos, & Regulares prædictos ſubordinatio, & in quibus hi ab illis dependere debeant? Secundo, An Catechiſtæ per vota Regularibus facta eximantur a juriſdictione eorumdem Vicariorum Apoſtolicorum?

Tenor dd. dubiorum refertur.

§. 11. Nos attendentes eo potiſſimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Sianum, & alia vicina Regna miſſos, ibique conſtitutos eſſe Epiſcopos Vicarios Apoſtolicos, ut ex Chriſtianis Indigenis, ſeu Incolis illarum partium inſtituerentur Clerici, & Sacerdotes, ac creſcente fide, fideliumque numero diſciplinæ Eccleſiaſticæ uſus paulatim introduceretur: confide-

[Vicarii Apostol. ab omnibus Religiosis etiam Societatis Jesu in dd. Regnis, & Provinciis exgere p: fiunt, & debent, ut literas suæ Missionis exhibeant, & renuentes punire prout in rub.

Regulares dd. Vicariis licentiam petere debent exercendi suas facultates, quam fine gravi causa denegare non debent.

tantesque ex independentia plurimorum Operariorum in iisdem Locis præcipue cum à Sancta Sede sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divisiones, & Schismata, in Christianæ Religionis detrimentum, atque perniciem erruptura, nisi illis mature occurratur: de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod prædicti Episcopi Vicarii Apostolici ab omnibus, & singulis Religiosis cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, in prædicta Regna, & Provincias, sive à nobis, aut à Congregatione eorumdem Cardinalium specialiter deputati, exigere possint, & debeant, ut suas Patentes, seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis, & deputationis Literas exhibeant, iisque qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, prohibere, ne facultates sibi per Literas hujusmodi concessas exerceant, ipsique Regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam ipsi denegare non debeant, nisi in casu gravis causæ d. Congregationi Cardinalium communicandæ.

Regulares in defectu Sacerdotum sæcularium tenentur exercere Curam animarum.

Subditi sint dd. Vicariis quoad functiones Parochiales.

§. 12. Porro dicti Regulares in defectu Sacerdotum Sæcularium, non solum titulo charitatis sed etiam justitiæ, curam animarum teneantur exercere, & quatenus id facere recusent, à Vicariis Apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint. Quotiescumque vero Regulares sub titulo Missionariorum curam animarum exercebunt, subditi sint quoad functiones Parochiales, visitationi, & collectioni Vicariorum Apostolicorum, aut Provicariorum eorumdem, juxta Constitutionem rec. me. Gregorii PP. XV. Prædecessoris pariter Nostri, quæ incipit: *Inscrutabili Dei providentia &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii editam. Nec sine licentia eorumdem Vicariorum Apostolicorum, & multo minus contra eorum voluntatem liceat Regularibus ædificare, & aperire Ecclesias in Locis, ubi ipsi, vel alii Missionarii alterius Ordinis, seu Presbyteri Sæculares similiter Missionarii, Ecclesias habent: ubi vero apertæ non sunt, possint ad formam privilegiorum, & facultatum ipsis concessarum.

Sine licentia, aut contra voluntatem dd. Vicariorum nequeunt aperire Ecclesias, ubi ipsi, vel alii Missionarii Ecclesias habent.

Ob multitudinem Neophytorum, vel nimiam amplitudinem Civitatis, aut Provinciæ possunt, & debent dd. Vicarii Apostol. Operarios multiplicare, Parochias dividere.

DD. Vicarii possunt exigere à Regularibus rationem executionis piarum voluntatum.

§. 13. Cum autem præ multitudine Neophytorum in una Provincia, aut Civitate, vel præ nimia earum amplitudine unus, aut alter, qui eis præsunt, Missionarii non sufficiunt, aliique suppetunt Sacerdotes Sæculares, aut Religiosi, licet alterius Ordinis, quorum tamen subsidium nec illi quærunt, nec oblatum recipiunt, tunc habito dumtaxat respectu ad Christianorum necessitatem, possint, & debeant Vicarii Apostolici prædicti Operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque ejusmodi facere, juxta præscripta à Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis. Possint quoque iidem Vicarii Apostolici exigere à Regularibus rationem executionis piarum voluntatum, quatenus ad illas exequendas deputentur.

Iidem possunt controversias inter Regulares dirimere, sed graviora negotia deferre debent ad S. Sedem.

§. 14. Præterea juxta Constitutionem rec. me. Urbani PP. VIII. prædecessoris pariter Nostri, quæ incipit: *Ex debito Pastoralis Officii &c.*, si forte aliquæ controversiæ inter Religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apostolici tamquam Sedis Apostolicæ delegati, illas decidere, & determinare possint, & debeant. Si vero graviora quædam negotia occurrerent, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostros, quanto citius ab iisdem Vicariis Apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, decernatur.

Votum obedientiæ, quod Catechistæ emittunt favore Regularum eos non eximit à directione dd. Vicariorum in exercitio Officii.

§. 15. Ad hæc quoad Vota Catechistarum, statuimus pariter, & ordinamus, Votum obedientiæ, quo nonnulli Regulares eos obstringunt eisdem non impedire sui Officii exercitium, sub directione dictorum Vicariorum Apostolicorum, eorumque Provicariorum, nec illud impediri posse à Regularibus, tamquam eis, vigore dicti Voti, Catechistæ omnimodè subditi sint, quinimo Votum hujusmodi in hac circumstantia nullum esse declaramus. Volentes ab iisdem Vicariis Apostolicis posse dictos Catechistas compelli, ut sub eorum directione, & dependentia, sua munia exerceant. Et quatenus Regulares de facto adstringerent Catechistas ad similia vota, & alias obligationes, quibus à Vicariis Apostolicis independentes remanerent, posse eosdem Vicarios Apostolicos, publica significatione, manifestare Regularibus, atque his intimare, ut abstineant ab usu, seu verius abusu, Catechistas Voto obedientiæ erga se ipsos, privative quoad Vicarios, à Sede Apostolica deputatos, obstringendi.

Regulares si sub prætextu d. Voti prætendant Catechistas eis omnino subditos esse dictum Votum in hac circumstantia nullum declarat.

Possunt Vicarii Apostolici palam manifestare Regularibus, ut abstineant ab usu Catechistas Voto obedientiæ erga se ipsos privative quoad dd. Vicarios obstringendi.

§. 16. Insuper volumus ut ad Vicarios Apostolicos intra fines suorum Vicariatuum præcipue spectet, maxime in cursu Visitationis, ea inspicere, quæ spectant ad fidem, bonos mores, & administrationem Sacramentorum Baptismi, Matrimonii, & aliorum. Competat quoque d. Vicariis Apostolicis facultas super novis Miraculis, & Martyribus processum instituendi, & ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi, necnon circa observationem Festorum, Rituumque Ecclesiasticorum statuendi quæcumque opportuniora videbuntur secundum Decreta Romanorum Pontificum, Locorumque circumstantias. Ac ad eosdem Vicarios Apostolicos etiam spectet verificare, & publicare quascumque Literas Apostolicas, Constitutiones, & Rescripta Romanorum Pontificum, quæ locorum Ordinariis dirigi solent, Jubilæa quoque, Indulgentias, Sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porro unicuique memoratorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum sex Notarios Apostolicos creandi, & instituendi facultatem dicta auctoritate harum serie tribuimus, & impartimur.

Facultates dd. Vicariorum Apost. referuntur.

§. 17. Cæterum has omnes facultates dictis Vicariis Apostolicis ita elargimur, & concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus, & prohibemus: salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum.

Has facultates dicti Vicarii Apostol. extra eorum limites excurrere non valent.

In omnibus præmissis præservatur auctoritas Congreg. de Propaganda Fide.

§. 18. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque Nostro, seu d. Cardinalium Congregationis arbitrio, imponendis pœnis, omnibus, & singulis Regularibus prædictis, aliisque quibuslibet, ad quos spectat, & pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia, & singula præmissa exacte, & inviolabiliter, & inconcusse observent, & adimpleant. Ac decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac memoratis Vicariis Apostolicis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Demandat Regularibus, & aliis permissorum observantiam.

Decretum irritans.

§. 19. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, & Institutorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Provinciarum, Conventuum, Domorum, Collegiorum, & Locorum Regularium quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis,

Obstantia, & Contraria refert.

& con-

& consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, & Institutis, ac Ecclesiis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Domibus, Collegiis, & locis Regularibus, illorumque Superioribus, & Personis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

Eis, & aliis omnibus amplissime derogat.

§. 20. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Transumptorum fides.

§. 21. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1669. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Edit. 13. Sept. 1669.

Referuntur omnia Decreta à Congregatione de propaganda Fide diversis temporibus edita favore dd. Vicariorum Apostol.

§. 22. Præterea ad favorem supradictorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum emanarunt à præfata Congregatione Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum diversis respective temporibus varia Decreta quibus inter alia eisdem tribus Vicariis Apostolicis data fuit facultas communicandi eorum facultates pro Japonia alicui ex propriis Missionariis, postquam tamen idioma illius Regni calluissent, vel etiam aliis Sacerdotibus probis, etiamsi ex sociis eorum non essent; ac collocandi eorum Missionem alibi quam in locis sibi assignatis, postquam tamen omni spe cecidissent prosequendi propriam, necnon Clericali caractere insigniendi, & ad omnes etiam Sacros Ordines promovendi Christianos Episcopatuum ab Hæreticis, Mahumetanis, & Gentilibus occupatorum præsertim S. Thomæ, Malacæ, & Japoniæ, absque Dimissoriis Ordinariorum, attenta difficultate ad eos recurrendi, & præfato Petro Episcopo Beriten. concessa fuit administratio Regnorum Cambojæ, & Ciampæ, aliaque ipsis Vicariis Apostolicis respective concessa, & indulta fuerunt, prout in ipsis Decretis quorum, ac binarum priorum d. Clementis prædecessoris literarum præfatarum, tenores etiam veriores, & datas præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac itidem de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

Prætenditur à nonnullis dd. literas Alexandr. VII & Clementis IX.

§. 23. Cum autem, sicut non sine gravissimo animi Nostri dolore ad Nostri pervenit Apostolatus auditum, nonnulli variis æquivocationibus, tergiversationibus, & subterfugiis, variisque prætextibus, & frivolis rationibus mentem, & intentionem hujus S. Sedis Apostolicæ circa Missionem memoratorum Vicariorum Apostolicorum, vimque & effectum supradictarum literarum eludere conati fuerint; quinimo eorum aliqui, eo vesaniæ, atque temeritatis proruperint, ut easdem literas Apostolicas falsas, & confictas, aut subreptitias, vel obreptitias esse, dictosque Vicarios Apostolicos se in loca suarum Missionum, & alia eis respective commissa intrusisse falso asserere, ac ejusmodi falsis imposturis Christifideles illarum Partium seducere, ac in falsam hujusmodi credulitatem inducere detestabili, perniciosoque ausu præsumpserint, non sine gravissima Divinæ Majestatis offensa, Fidelium scandalo, ac salutis Animarum, & Infidelium ad Fidei Catholicæ veritatem Conversionis, cui eadem S. Sedes dictos Vicarios Apostolicos destinavit, detrimento.

circa Missionem dd. Vicariorum Apostolicorum esse falsas, & confictas, aut subreptitias, vel obreptitias.

§. 24. Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere æquivocationes, tergiversationes, subterfugia, & prætextus hujusmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac temerariorum audaciam compescere, atque reprimere, necnon Animarum saluti, & Christifidelium quieti, fideique Catholicæ præfatæ propagationi quantum Nobis ex alto conceditur prospicere cupientes, habita super præmissis cum particulari Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum deliberatione matura, de illorum consilio, & unanimi assensu, ac motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas dictorum Alexandri, & Clementis prædecessorum literas supra expressas ab ipsis Alexandro, & Clemente prædecessoribus respective vere, & realiter, ac summa maturitate, prudentia, & Apostolico zelo emanasse, nec falsitatis, nullitatis, subreptionis, vel obreptionis, aliove quocumque vitio, vel defectu ullo modo laborare tenore præsentium declaramus, & attestamur. Ac easdem literas Alexandri, & Clementis prædecessorum omnes, & singulas, necnon præfata & alia quæcumque Decreta dictæ Congregationis Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum ad favorem præfatorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum, eorumque Missionariorum quomodolibet emanata, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, & efficaciam adjungimus.

Declarat Pontif. præd. literas Alexandri VII., & Clem. IX. summa maturitate, & zelo Apostolico emanasse nec alio quocumque vitio vel defectu laborare.

Prædd. literas, & alia quæcumque Decreta Congregationis de Propaganda Fide favore dd. Vicariorum Apostolicor. approbat, & confirmat.

§. 25. Ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque, tam ex Juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, aut quorumcumque Privilegiorum, & Indultorum Apostolicorum, sive Statutorum, Ordinationum, Usuum, & Consuetudinum quarumlibet etiam immemorabilium præscripto, aut alias quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet etiam quantumvis magnos, ac formales, & substantiales defectus; si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, & alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent, ad majorem, & abundantiorem cautelam, ac quatenus opus sit penitus, & omnino supplemus, & sanamus, & tollimus, & abolemus.

In eis supplet omnes, & quoscumque defectus quatenus opus sit.

§. 26. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis præeminentiæ, & dignitatis, seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter

Præsentes literas omniaque in eis contenta mandat observari quibuscumque in contrarium non obstantibus.

ter

ter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, juridica, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali, & incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes, & præfatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis præfatis, eorumque Missionariis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

Decretum irritans.

§. 27. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus, super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat omnibus Ordinariis Indiarum Orientalium, & quorumvis Ordinum etiam Societatis Jesu, ut præsentes literas, seu earum exempla in Provinciis, Diœcesibus, Conventibus, & Collegiis, faciant publicari, & inviolabiliter observari.

§. 28. Mandantes propterea Ven. Fratribus, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Indiarum, aliarumque partium Orientalium Ordinariis, & eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus Generalibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Generalibus, aliisve superioribus Regularibus, ut præsentes literas, seu eorum exempla, etiam impressa in suis quisque Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, & Collegiis, Districtibus, Jurisdictionibus respective omni mora, ac dilatione, omnique tergiversatione postpositis solemniter publicari, ac à suis respective subditis inviolabiliter observari curent, & faciant.

Omnia, & singula in contrarium facien. mandat prædd. literis non obstare.

§. 29. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, itaut vigore præsentium etiam ultra duas pluresque dietas quilibet in Judicium trahi possit, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Regnorum, Provinciarum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, Societatum, etiam Jesu, Domorum, Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, & locorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam eisdem Regnis, Provinciis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Institutis, Domibus, Conventibus, Monasteriis, Collegiis, & locis, illorumque superioribus, & personis, etiam particularibus, & aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis, & de necessitate juris, vel facti omnino exprimendis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis mentis attestativis, restitutionis, & posteriorem datam eligendi facultatem concedentibus, quam nemini contra præsentes literas suffragari posse decernimus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, seu ad quorumvis Regum, & Principum, aut quavis alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium instantiam, eorumve intuitu, vel contemplatione, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, emanatis, ac etiam pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Alexandri, & Clementis prædecessorum literis concessa sunt non obstare.

Eis omnibus amplissime derogat.

§. 30. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus specialiter, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat dd. literas seu earum exempla intimari singulis Congregationum & Institutorum etiam Societatis Jesu.

§. 31. Cæterum volumus, ut eædem præsentes literæ, seu earum exempla etiam impressa, notificentur, & intimentur singulis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, Procuratoribus Generalibus, eisque harum serie districte præcipimus, & mandamus, ut ipsas præsentes literas, tam suo, quam suorum respective subditorum, seu inferiorum nomine acceptent, actumque acceptationis hujusmodi in scriptis reddant, & exempla hujusmodi pluribus viis quanto citius fieri poterit transmittant ad eosdem suos subditos, seu inferiores cum arctissimis præceptis easdem præsentes literas, & in eis contenta plenarie, & integre, ac vere, & realiter & cum effectu in omnibus, & per omnia exequendi, & observandi.

Eis insuper mandat, ut dd. literas tam nomine proprio, quam suorum subditorum acceptent prout in rubrica, & quanto citius ad suos subditos transmittant.

Fides transumptorum.

§. 32. Et quia difficile foret præsentes literas originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brev. in lib. Mensis Januarii par. 1. fol. 85.

LI.

Prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam Regularibus etiam Societatis Jesu apud Sinas degentes, ne sub quovis prætextu, vel vigore cujusvis Privilegii Apostolici ab ullo Primate, Archiep., Episc., Capitulo, Gubernatore, Administratore, Visitatore, Vica-

rio, vel alio quocumque literas deputationis in Vicarium Generalem, vel Foraneum, seu ut vocant *de Vara*, Visitatorem, vel alterius cujuscumque tituli emendicare, nec etiam Oblatas accipere audeant pro exercenda quocumque modo Jurisdictione in locis, quæ Episcopis Vicariis Apostolicis commissa sunt, vel fuerint in futurum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à cura servandi Christianam pacem.

ILlius, qui charitas est, & Deus pacis vices licet immeriti, gerentes in Terris in eam præcipue curam solicitis studiis incumbimus, ut ea, quæ pacem Christianam, sine qua non bene colitur pacis Auctor, lædere, ac dissidiorum, & Schismatum inter Christifideles, præsertim in longinquis ab hac S. Sede Partibus degentes causam præbere noscuntur, opportunæ provisionis ministerio recidere, atque amovere satagamus.

Variæ Divisiones, & Schismata exorta inter Christianos Tunkinenses, Cochinchinenses, & alios.

§. 1. Cum itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia ad aures Nostras pervenit, inter Christianos Tunkinenses, Cochinchinenses, & alios, variæ divisiones, & Schismata sint exorta, quibus Ecclesiæ Orientalis pax, & concordia multis abhinc annis plurimum labefactata reperitur: Nos ut pristina eidem Ecclesiæ pax reddatur, atque tranquillitas de salutari remedio providere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio omnibus, & singulis Ecclesiis Sæcularibus cujuscumque status, gradus, & conditionis, necnon omnibus, & singulis Regularibus cujuslibet Religionis, Congregationis, Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, ne sub quovis prætextu, colore, causa, vel occasione aut vigore cujuscumque privilegii, vel Indulti a Sede Apostolica emanati, ab ullo Primate, Archiepiscopo, Episcopo, Capitulo, Gubernatore, Administratore, Visitatore, Vicario, vel alio quocumque literas deputationis in Vicarium Generalem, vel Foraneum, seu (ut ajunt) *de Vara*, Visitatorem, vel alterius cujuscumque tituli, & dignitatis, pro exercenda quocumque modo, vel titulo jurisdictione in locis, quæ venerabilibus fratribus Episcopis, Vicariis Apostolicis in China, Tunkino, Cochinchina, Siam, Camboggia, aliisque Sinarum, & Orientalibus partibus ab eadem Sancta Sede deputatis commissa sunt, seu fuerint in futurum, emendicare, necnon etiam oblatas accipere, vel illis quovis modo uti audeant quomodolibet, seu præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per eos ipso facto incurrenda, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte prohibemus, & interdicimus.

Prohibet omnibus Regularibus etiam Societatis Jesu, ne a quocumque Ordinario, vel alio accipiant literas Deputationis in Vicar. ſi Generalem, vel Foraneum, aut alterius cujusvis tituli pro exercenda Jurisdictione apud Sinas in locis prout in rubrica.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus contravenientes.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Refert obstantia præsentibus literis.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, etiam Metropolitanarum, & Primatialium, Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, Provinciarum, Conventuum, Collegiorum, & aliorum locorum piorum quorumlibet, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Ordinibus, Congregationibus, Religionibus, & Institutis etiam Societatis Jesu, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & locis piis, illorumque respective Præsulibus, Prælatis, Superioribus, & personis, aliisve quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad quarumcumque Personarum, etiam regia, aut Archiepiscopali, & Primatiali, aliave qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & potestate fulgentium instantiam, seu eorum contemplatione, vel alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, iteratis, approbatis, & innovatis.

Eis, & aliis omnibus amplissime derogat.

§. 4. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus Nostri Anno quarto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Januarii par. 1. fol. 111.

LII.

Confirmatio, & extensio Constitut. Urb. VIII., qua permittitur quibuscumque Regularibus per suos Superiores mittendis accessus tam ad partes Orientales, quam per Lusitaniam; ac excommunicantur illi, qui eorum hujusmodi accessum impediverint: quæ Constitutio per Sanctissimum D. Nostrum extenditur ad Episcopos, & Vicarios Apostolicos in dictis Partibus Orientalibus, nec non Sacerdotes Sæculares, & Laicos, tam missos, quam inposterum mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam, & alia loca Indiarum, & aliarum Partium Orientalium, eorumque accessum ad partes hujusmodi impedientes sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INjuncti nobis cœlitus pastoralis officii ratio postulat, ut ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro temporum conditio-

ne pro-

ne provide constituta fuerunt, si mutatis rerum circumstantiis, fini per eos pie intento impedimentum adferre cognoscimus, immutare studeamus, sicut ad Catholicæ fidei propagationem, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Clem. VIII. indulsit Superioribus Generalibus Ordinum suos Religiosos mittere idoneos ad prædicandum Evangelium per Lusitaniam dumtaxat, in Indias, & Civitatem Goan.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor noster per quasdam suas literas inter alia indulserat omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, seu Prioribus Generalibus tunc, & pro tempore existentibus, ut cum necessitas postulasset quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos ad officia, & Ministeria prædicandi Evangelium, vel doctrinam Christianam docendi, ac Sacramenta administrandi, aliaque munia Ecclesiastica obeundi idoneos, & utiles fore in Domino judicarent, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta inde navigatione in Indias, & Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, & tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum a suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus electi, & approbati tam ad Japonicas, quam ad alias proximas, & adjacentes, etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & terræ firmæ Indiæ Orientalis Insulas, Regiones, & Provincias accedere possent.

Tam Religiosi transmittendi, quam alii in illis partibus existentes ad Japonicas, & alias proximas, ac adjacentes tam Chinæ, ac alias finitimas Indiæ Orientalis partes accedere possint.

Paulus V. omnibus Superioribus Ordinum indulsit suos Religiosos idoneos ad illas partes transmittere posse etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam.

§. 2. Et re. me. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster, accepto, quod experientia compertum esset, prohibitionem accedendi ad Indias, & Civitatem Goan, alias quam per Lusitaniam, tum qui sperabatur fructum minime protulisse, nec Catholicæ fidei propagationis negotio utilem fuisse, & propterea, ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento libere peragi posset, providere volens, itidem per quasdam suas literas omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore existentibus, & cum necessitas postularet, quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos nimirum ad prædicta officia, & munia idoneos, & utiles fore in D. judicassent, ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes, & finitimas Insulas, Provincias, & Regiones prædictas, servata in reliquis dictarum literarum Clementis prædecessoris forma in omnibus, & per omnia, & non aliter transmittere libere, & licite valerent, pariter indulserat.

In Reliquis mandat observantiam dd. literarum Clemen. VIII.

Urban. VIII. omnibus Superioribus Generalibus Ordinum, etiam Societatis Jesu pariter indulsit suos Religiosos idoneos ad Missiones ad dd. partes Indiæ Orientalis per alias vias, quam per Lusitaniam mittere posse.

§. 3. Piæ mem. Urbanus PP. VIII. similiter prædecessor noster considerans, experientia plurium annorum compertum fuisse, ordinationes in dictis literis contentas non sufficere, easque aliqua provisione indigere, ut in prædictis Insulis, & Regionibus felicius, ac facilius Sacrosanctum Christi D. Evangelium prædicari, & propagari posset, post habitam cum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandæ Fidei per universum mundum præpositis maturam deliberationem, præfati Pauli prædecessoris literis inhærens, omnibus, & singulis Religionum cujuscumque Ordinis, aut Instituti, etiam Societatis Jesu, Magistris, Ministris, seu Procuratoribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore existentibus auctoritate Apostolica concessit, & indulsit, ut cum eis expedire visum foret, quoslibet suarum Religionum, Ordinum, & Instituti Religiosos, quos ætate, vita, moribus, & scientia idoneos esse ad Missiones, judicavissent, ad prædictas Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis, etiam per alias vias, quam per Lusitaniam, libere, & licite mittere possent, & valerent, servata tamen in reliquis præfatarum Literarum Clementis prædecessoris forma in omnibus, & per omnia.

In reliquis mandat observantiam dd. literarum Clementis VIII.

§. 4. Necnon quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium etiam Societatis Jesu, & Sæculares, Religiosorum, ut præfertur, mittendorum ad Insulas, Provincias, Regiones, & Regna antedicta accessum hujusmodi impedientes excommunicationis latæ Sententiæ vinculo innodavit, ac pleraque alia constituit, prout in ipsius Urbani prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 22. Februarii 1633., quarum, ac præfatarum Clementis, & Pauli prædecessorum literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus impedientes accessum ad dd. partes Religiosis, ut supra transmittendis.

Preces Vicariorum Apostol. in dictis partibus Orientalibus existentium.

§. 5. Cum autem sicut Venerabiles fratres Episcopi, & Vicarii Apostolici auctoritate Apostolica deputati in partibus Orientalibus commorantes nobis nuper exponi fecerunt, non minus ipsis, ac Presbyteris Sæcularibus, & Laicis ad easdem partes missis, & mittendis, quam Religiosis supradictis difficile, ac Catholicæ fidei propagationi inutile sit iter, & navigationem ad Indias Orientales, & partes Sinarum per Lusitaniam suscipere, eisque aliæ viæ longe faciliores, ac expeditiores pateant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio à Censuris.

§. 6. Nos igitur specialem ipsis Episcopis, & Vicariis Apostolicis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Consilio, præfatas Urbani prædecessoris literas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus, ipsasque literas ad eosdem Episcopos, & Vicarios Apostolicos, necnon Sacerdotes Sæculares, & Laicos, tam missos, quam imposterum mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam, & alia loca, Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiarum, & aliarum partium Orientalium, itaut ipsi, & eorum quilibet illuc per alias quascumque vias sibi benevisas, quam per Lusitaniam proficisci libere pariter, & licite possint, & valeant, nec per Lusitaniam hujusmodi transire, aut navigationem inde suscipere ullo modo teneantur, servata tamen cæteroquin præfatarum Clementis Prædecessoris literarum forma, auctoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

Pontifex d. literas Urbani VIII. confirmat, & extendit etiam ad Episcopos, Vicarios Apost., Sacerdotes sæculares, & laicos tam missos, quam mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, & alias partes Indiarum Orientalium.

§. 7. Ac quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti, tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & Sæculares, Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum, necnon Sacerdotum Sæcularium, & laicorum tam missorum, quam imposterum mittendorum, ut præfertur ad Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam, & alia loca, Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiarum, & aliarum partium Orientalium hujusmodi accessum quomodolibet impedientes excommunicationis latæ Sententiæ vinculo pariformiter innodamus.

Pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus impedientes accessum quomodolibet ad dd. partes suprammemoratis personis.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore,

fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat omnibus, & singulis Ordinariis, & Prælatis locorum etiam Regularium per universum Orbem præsentium literarum observantiam.

§. 9. Mandantes propterea universis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac cæteris Ecclesiarum, & locorum, etiam Regularium Prælatis per universum Orbem constitutis, ut præsentes literas in suis quisque Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, Capitulis, & Jurisdictionibus ab omnibus inviolabiliter observari, & quoties a præfatis Episcopis, & Vicariis Apostolicis, necnon Sacerdotibus Sæcularibus, & laicis tam missis, quam mittendis ut præfertur, seu eorum aliquo fuerint requisiti solemniter publicari curent, & faciant.

Ut requisiti à dd. Vicariis Apost., Sacerdotibus sæcularibus, & laicis tam missis, quàm mittendis, seu ab eorum aliquo dd. literas publicari faciant.

Derogat contrariis.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Urbanus prædecessor in suis literis præfatis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. Brevium in lib. mensis Januarii par. 1. fol. 121.

LIII.

Pro Episcopis Vicariis Apostol. apud Sinas &c. prorogatio facultatis ordinandi Indigenas illarum partium, etiam absque titulo, cum Indulto eis commutandi Officium divinum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Alexan. VII. tres Episcopos in partibus Infidelium deputavit Vicarios Apostol. in partibus Sinarum.

ALias emanarunt à fel. rec. Alexandro Papa VII. prædecessore Nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet, Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Injuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut nihil a Nobis desiderari patiamur, quo Christiana Religio, præsertim in longinquis partibus felicius in dies, aspirante, atque adjuvante Domino valeat propagari. Alias siquidem Venerabiles Fratres Franciscum Palla Heliopolitanum, ac Petrum Lambert Beritensem, necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Cotolendi Metellopolitanum Episcopos, Vicarios Apostolicos respective in partibus Sinarum sub certis modo, & forma tunc expressis deputavimus.

§. 1. Ut autem in partibus prædictis Sacerdotum Indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides Catholica ibidem firmius, benedicente Domino radicari valeret, memoratis Francisco, ac Petro, & Ignatio Episcopis cum Christifidelibus earumdem partium indigenis sibi respective uti Vicariis Apostolicis hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam sacros Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis promoveri, & promoti in illis, etiam Altaris ministerio ministrare libere & licite possent, & valerent, dispensandi, necnon recitationem Officii divini, Horarum scilicet Canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem auctoritate Apostolica ad septennium dumtaxat concessimus, & impertiti sumus, & alias prout in ternis nostris in simili forma Brevis literis die 10. Septembris 1659., & die 20. Septembris 1660. respective desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Eisdem indulsit ad septennium, ut suos subditos respective indigenas ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promovere possent, licet idioma latinum legere nossent, eisque Canon Missæ, & formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur.

Eisdem pariter ad septennium facultatem concessit, ut sic Ordinatis recitationem Divini Officii commutarent in recitationem aliarum precum in eorum lingua.

Preces dd. Vicariorum Apostolicorum.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte præfatorum Francisci, & Petri Vicariorum Apostolicorum, ut præfertur, deputatorum, Nobis nuper expositum fuit, dictum septennium versus finem jam labatur, bona vero stabilia Sinensium ad possidentes absolute non spectent, sed illorum Domini sunt Reges, qui dicta bona, quibus libitum est, vita durante concedunt, ac proinde super hujusmodi bonis perpetui Patrimonii titulus pro Ordinandis ad sacros Ordines per eorum parentes, seu alios in illis partibus assignari non possit. Nos propagandæ, firmiusque radicandæ in ejusdem partibus Catholicæ Fidei, quantum nobis ex alto conceditur consultum esse cupientes, dictosque Franciscum, & Petrum Vicarios Apostolicos amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis Spiritualibus Regni Sinarum a Nobis specialiter deputatorum consilio, septennium præfatum ad alios septem annos a fine ejusdem Septennii computandos dicta auctoritate tenore præsentium prorogamus, extendimus, & ampliamus.

Absolutio à Censuris.

D. Septennium prorogavit ad aliud Septennium computandum à fine primi Septennii.

§. 3. Præterea præfatis Francisco, & Petro, necnon aliis duobus Episcopis, per eos, seu eorum alterum, aut primum ab eorum altero superstite ordinatum respective, vigore aliarum binarum nostrarum, etiam in forma Brevis literarum die 4. Februarii 1664., & die 28. Februarii proxime præteriti respective expeditarum, quarum tenores ibidem pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, consecrandis, quos pariter Vicarios Apostolicos in partibus prædictis per easdem literas sub certis modis, & forma ibidem expressis deputavimus, ut ipsi tam residuo primodicti Septennii, quam aliis septem annis per præsentes prorogatis durantibus, Clericos memoratarum partium Indigenas, etiam absque titulo, servatis tamen alias tam ex sacrorum Canonum, quam ex primodictarum nostrarum Literarum præscripto servandis, ad sacros, & Presbyteratus Ordines promovere licite, & libere possint, & valeant, facultatem elapsis septem annis per præsentes literas prorogatis illicò expiratarum auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & impartimur, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincia-

Insuper dictis Vicariis Apostol. indulsit, ut tam residuo d. septennio, quam aliis septem annis, ut supra prorogatis possent Clericos indigenas absque titulo ad Sacros, & Presbyteratus Ordines promovere.

Præservatur authoritas Congregationis.

Contrariorum derogatio.

libusque Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Marti, 1665. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Clemens IX. facultates concessas dd. Vicariis Apost. ab Alex. VII. ad aliud Septennium prorogavit.

§. 4. Et subinde fel. record. Clemens Papa IX. prædecessor noster facultatem eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis per præinsertas literas à memorato Alexandro prædecessore ad septennium prorogatas, & de novo concessas respective ad alios septem annos pariter auctoritate extendit, & prorogavit, & alias prout in ipsius Clementis prædictis literis pari in forma Brevis die 13. Octobris 1669. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Absolutio à Censuris.

§. 5. Nunc autem Nos, ut Christiana Religio, & Catholica Fides, Domino benedicente, in partibus prædictis firmius stabiliusque solidari, & latius propagari valeant, pro commissa nobis cœlitus Pastoralis Officii cura, salubriter providere, ac supradictos Episcopos Vicarios Apostolicos amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisve Ecclesiasticis censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis prædictæ Fidei præpositorum consilio, easdem facultates, quæ dictis Episcopis Vicariis Apostolicis per præinsertas literas à præfato Alexandro prædecessore ad septennium prorogatæ, & de novo concessæ, ac ad alios septem annos à dicto Clemente prædecessore per suas præfatas literas prorogatæ fuerunt, respective, ut præfertur, ad aliud septennium à fine eorumdem septem annorum à Clemente prædecessore prorogatorum computandum, quo & residuo temporis, ut præfertur, prorogati durantibus, ipsi Episcopi Vicarii Apostolici, illis quos ad sacros Ordines vigore facultatum hujusmodi promoverint, etiam recitationem Officii divini horarum videlicet Canonicarum in alias preces per eos diebus singulis recitandas eorum arbitrio auctoritate nostra Apostolica commutare, libere pariter, & licite possint, & valeant, servata tamen, & salva in reliquis remanente earumdem Alexandri, & Clementis prædecessorum literarum forma, & dispositione, dicta auctoritate harum serie prorogamus pariter, & extendimus, & ampliamus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Pontifex easdem facultates dd. Vicariis Apostol. prorogat ad aliud Septennium.

Derogat contrariis.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Alexandri, & Clementis prædecessorum literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno quarto.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. in lib. Brevium Mensis Januarii part. 1. fol. 105.

LIV.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex Ecclesiis Fratrum, & Monialium Ordinis Excalceatorum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum tam erectis, quàm erigendis in S. Petri Nolaschi, S. Raymundi Nonnati, S. Josephi, & apparitionis S. Michaelis Archangeli, ac Dominica proximiori Kal. Augusti diebus.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris, & Domini nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ nobis reliquit exemplorum Sectatores, Ordinumque Religiosorum Institutores altis decoravit honoribus, ac cœlestis beatitudinis consortes efficit, vices licet immeriti gerentes in terris, Spiritualium munerum Thesauros dispensationi nostræ creditis libenter erogamus, sicut ad fovendam, incitandamque fidelium erga eosdem Beatos Cœli incolas devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur. Itaque ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, necnon dilecti filii Francisci de Sancto Marco Procuratoris Generalis Fratrum Excalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum, & monialium dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam inposterum quandocumque erigendis, & ubique locorum existent in Sancti Petri Nolaschi dicti Ordinis Fundatoris, S. Raymundi Nonnati, Sancti Josephi, & apparitionis Sancti Michaelis Archangeli festis, necnon Dominica proximiori Kalendis mensis Augusti diebus à primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 1. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si originaliter exhibitæ forent, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Placet E.

Registrata in Secr. Brevium lib. 4. diversorum fol. 107.

LV.

Declaratio B. Stanislai Kostka Poloni Societatis Jesu in Patronum principaliorem Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ, & adjunctarum Provinciarum, cum prærogativis, quæ principalioribus Patronis competunt, & quibus ibidem gaudent SS. Adalbertus, & Stanislaus, aliique principaliores Patroni, cum Indulto, ut annua dicti Beati memoria in posterum ad Dominicam proximam post diem 13. Novembris transferri possit in dd. Regno, Ducatu, & provinciis adjunctis dumtaxat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncto nobis Divinitus Apostolicæ servitutis munere in eam curam peculiari studio incumbi-

incumbimus, ut Beatorum æternæ gloriæ possessorum quos Divina bonitas corona justitiæ donavit in Cœlis, cultum, & venerationem in terris promovere, atque ampliare satagamus prout pietati consentaneum, & Fidelium ædificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

Preces.

§. 1. Alias siquidem piis, enixisque clar. me. Michaelis dum vixit Poloniæ Regis Illustris, ac dilectorum filiorum Præpositi Generalis, & Presbyterorum regularium Societatis Jesu precibus nobis humiliter porrectis favorabilem assensum præbere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum Consilio, ut de Beato Stanislao Kostka Polono dictæ Societatis quotannis die 13. Novembris in universo Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, necnon in Ecclesia S. Andreæ in Monte Quirinali hujus Almæ Urbis nostræ, ubi ejusdem Beati Stanislai Corpus requiescit, ac omnibus, & singulis aliis Ecclesiis dictæ Societatis Missa, etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesias hujusmodi confluentibus, & à Religiosis ejusdem Societatis, ubicumque terrarum existentibus celebrari, & Officium recitari de communi Confessorum non Pontificum juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani libere, & licite possent, & valerent, auctoritate Apostolica concessimus, & indulsimus, & alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis die 16. Augusti 1670. uberius continetur.

Iteratæ preces ejusd. Regis, Archiepiscop. Episc. & Nobilium Poloniæ pro habendo d. Beatum Patronum principaliorem d. Regni, & Ducatus Lithuaniæ.

§. 2. Cum autem subinde enixæ, & reintegratæ preces nomine dicti Michaelis Regis, ac Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, ac Episcoporum, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum Senatus Regni, & Magni Ducatus prædictorum nobis pari humilitate porrectæ fuerint, ut eumdem Beatum Stanislaum dictorum Regni, & magni Ducatus Patronum principaliorem inter alios Patronos Principaliores, ut exempli gratia sunt Sancti Adalbertus, & alter Stanislaus, ob innumera beneficia, & gratias, quæ intercessione dicti Beati Stanislai ab Omnipotenti Deo sibi collata fuisse pio affectu memorabant, declarare de benignitate Apostolica dignaremur: Hinc est quod nos etiam supplicationibus dicti filii Procuratoris in hac Causa specialiter deputati nomine Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, quamvis Constitutiones Apostolicæ, & Decreta Congregationis prædictorum Cardinalium die 23. Martii 1630. super Ordinatione servanda pro Patronis eligendis emanata, electionem Beatorum in Patronos fieri vetent, eosque solum qui ab Ecclesia Universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificatos dumtaxat, in Patronos eligi posse declarant, nihilominus ad majorem Dei laudem, Divinique cultus augmentum id tendere agnoscentes, de memoratorum Cardinalium consilio, prædictum Beatum Stanislaum Kostka Patronum principaliorem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ prædictorum, eisque adjunctarum Provinciarum cum omnibus, & singulis prærogativis, quæ principalibus Patronis eorumdem Regni, & Magni Ducatus competunt, & quibus prænominati Sanct. Adalbertus, & Stanislaus, aliique Principaliores Patroni Regni, & Magni Ducatus hujusmodi ibidem de præsenti gaudent, seu coluntur, juxta tamen ritum rubricarum Breviarii, & Missalis prædictorum dicta auctoritate tenore præsentium declaramus.

Absolutio à Censuris, & pœnis.

Decreta Cōgregationis SS. Rituum vetant Beatos eligi posse in Patronos.

Pontifex dict. Beatum Stanislaum principaliorem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Patronum declarat, prout in rub.

In dd. Regno, & Ducatu, adjunctisque Provinciis tantum, concedit posse transferri memoriam d. B ad diem Dominicam proximam post diem 13. Novembris.

§. 3. Ac, ut omnium devotioni erga dictum Beatum Stanislaum consuli valeat, annuam ejusdem Beati memoriam imposterum ad diem Dominicam proximam post diem 13. Novembris, in Regno tamen Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, adjunctisque Provinciis prædictis dumtaxat transferri posse auctoritate, & tenore prædictis concedimus pariter, & indulgemus.

Tollit obstantia.

§. 4. Non obstantibus præfatis Decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarium statuentibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ac mandamus præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 10. Jan. 1674. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 10. Januarii 1674. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. in Libro Brevium Mensis Januarii par. 2. fol. 133.

LVI.

Confirmatio duorum Decretorum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quibus declaratur, quod Fratres Excalceati Ordinis Eremitarum S. Augustini sint veri filii dicti Sancti, & gaudeant omnibus Privilegiis, quibus Calceati dicti Ordinis, eorumque Religio gaudet.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum (sicut accepimus) alias a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad favorem Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini emanaverint duo decreta, tenorum, qui sequuntur videlicet. *Agostiniani Scalzi. Al memoriale del seguente tenore.* Fratres Discalceati S. Augustini Congregationis Italiæ, & Galliarum, quibus aliquando per calumniam objicitur, quod non sint veri filii ejusdem Sancti, nec gaudeant privilegio erigendi de licentia Vicarii Generalis in eorum Ecclesiis Societates Corrigiatorum, ac Corrigiatarum S. Augustini, & S. Monicæ cum iisdem Privilegiis, gratiis, & Indulgentiis hactenus Archiconfraternitati sub titulo D. nostræ de Consolatione in Ecclesia S. Jacobi Bononiæ erectæ concessis, & concedendis perinde ac Calceati eas erigunt in propriis Ecclesiis de licentia Generalis juxta Breve Gregorii XIII. sub datum 12. Novem. 1579. quod incipit; *Volentes sicut conveniens esse videtur, quod Patentes unionum &c.* atque aliis quibus gaudent Fratres Calceati, ad obviandum eidem calumniæ, supplicant humiliter EE. VV., ut dignentur declarare Oratores esse veros S. Augustini filios juxta Breve fel. me. Clementis VIII. sub datum 12. Decembris 1595. quod incipit; *Exponi nobis nuper fecit &c.*, & alterum Breve Urb. VIII. sub datum 21. Julii 1628. & aliud expeditum sub die 29. Augusti 1641., & gaudere dicto, atque aliis omnibus privilegiis omnium Mendicantium, & quibus gaudent Fratres Calceati, stante quod Discalceatorum Congregatio fuit instituta ab ipsomet Ordine in Capitulo Generali de anno 1592., & ut germana S. Augustini fuit habita a fa. me. Clemente VIII. in Breve super receptione Novitiorum, & sim.

Tenor supplicis libelli porrecti à Fratribus Excalceat. Ord. Eremitarum S Augustini S. Congregationi Episc. & Regul.

fel. rec. Pauli V. in Breve super confirmatione Constitutionum, atque aliis, nec æquum est ut major observantia in hac parte eis præjudicet &c.

Tenor primi Decreti d. S. Congregationis Episcop., & Regul. favore d. fratrum Excalceat. Ord. Eremit. S. Augustini.

§. 1. Sacra Congregatio Emorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Emo Carpineo referente, censuit, Oratores esse veros S. Augustini filios, & tam eos, quam illorum Congregationem gaudere omnibus Privilegiis, quibus Calceati, eorumque Religio gaudet. Romæ 1. Septembris 1645. Ita reperitur in Regestro autographo Sacræ Congregationis negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ habita uti supra. In quorum fidem &c. hac die 7. Februarii 1673. C. de V. Archiepiscopus Athen.

Tenor alterius Decreti ejusdem S. Congregationis favore dictor. fratrum &c.

§. 2. Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad compescendam nimiam eorum licentiam, qui contra declarationem alias ab hac Sacra Congregatione latam sub die 1. Septembris 1645. ausi fuerint deinceps asserere Fratres Discalceatos S. Augustini non esse veros ejusdem Sancti Patris Filios, nec eos, eorumque Congregationes gaudere omnibus privilegiis, quibus Calceati, illorumque Religio gaudet, Emo Carpineo referente, supradictam declarationem, etiam quoad Fratres Congregationis Hispaniæ renovans, & confirmans pœnam excommunicationis majoris Sanctæ Sedi Apostolicæ reservatæ contraventoribus imposuit, & ad tollendas hujusmodi contentiones, & jurgia, quæ inter Fratres supradicti Ordinis, & Congregationum Discalceatorum non absque religiosi status dedecore, ac Sæcularium scandalo prodeunt, neve Frater cum Fratre contendat, eosdem serio monet, ac hortatur in D., ut proprii Instituti memores, ac fraternæ charitatis, per quam sub eodem Instituto vocati sunt in Societatem Christi in uno spiritu, contentiones hujusmodi, quæ religiosam unitatem maxime labefactant, deponant omnino. Quinimo enitantur potius, ut ambulantes in Domo Dei cum consensu per mutuam in se ipsos charitatem, quod est vinculum perfectionis verius quam per habitum, & calceamenta tanti Patris filios se se exhibeant. Datum Romæ 11. Augusti 1651. M. Ginettus. M. Adericius Secretarius.

Absolutio à Censuris.

Pontifex Motu proprio dd. duo Decreta confirmat, omnesque defectus, siqui in eis intervenissent supplet, & sanat.

§. 3. Nos Decreta hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari cupientes, dictosque Fratres Excalceatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine duo Decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui in præmissis decretis quomodolibet intervenerunt, aut intervenisse dici, censeri, vel prætendi quovis modo possent, plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus, & singulis omnibus illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Martii 1674. Pontificatus nostri Anno Quarto. Edit. 3. Mar. 1674. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Martii par. utraque fol. 204.

LVII.

Trium decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum, & Pensionum in universa Italia, & Insulis Italiæ adjacentibus.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

UBi primum Divina Clementia nos, nullis licet præcedentibus meritis, ad Apostolicæ Dignitatis apicem evexit, Pastoris, & Patris Universalis muneri, quod gerimus, satisfacere cupientes, inter cæteras gravissimas curas, eo animum, & intentionem direximus; ut Clerum Italiæ, & Insularum illi adjacentium, tam Sæcularem, quam Regularem à Decima per fel. recor. Alexandrum Papam VII. prædecessorem nostrum ob urgentem temporis illius necessitatem imposita, cum illa necessitas jam cessasset, liberaremus, majora illi subinde Pontificiæ charitatis argumenta exhibituri, ubi per conditionem temporum licuisset. Exordium.

§. 1. Verum Ærarium Apostolicum variis Christianæ Reipublicæ calamitatibus sublevandis inpræsens valde exhaustum, non solum cursum inhibuit nostræ erga eumdem Clerum liberalitatis; sed imminente nunc Poloniæ Regno ab efferis, perpetuisque Christianæ pietatis hostibus maximo, periculosissimoque bello, in quo totius Europæ, adeoque rei Christianæ salus, & fortunæ haud dubiæ aguntur; eo nos redegit, ut ad ferendum tanto malo humanam opem, post Divinam accuratis precibus imploratam, extraordinaria, quamquam prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus aliquando consueta, experiri remedia cogamur. Egimus nos quidem per literas, & per Nuntios nostros, & quacumque alia ratione potuimus, neque pro Pastoralis Officii Motiva hujus Constit.

nostri debito, agere desinemus, cum Christianis Principibus, ut arma, quibus inter se confligunt, aut nullos, aut Victoribus ipsis graves, funestos sane Ecclesiæ triumphos habitura, reconciliatis tandem animis, & in sacri belli Societatem consentientibus, vertant in capita immanium barbarorum, qui Majorum suorum exemplo, a quibus amplissimæ Provinciæ, & Clarissima Imperia Christianæ genti erepta fuerunt, expugnato superioribus annis Varadino, mox Naihuisel, fortissimis Hungariæ arcibus, deinde Cretæ Regno subacto, adeoque nostri maris possessione depulsis, aliquando victi prælio, sed semper bello Victores ad angustiores quotidie terminos Christianam rem adigunt.

§. 2. Nuper vero versis in Poloniam armis, Cumenecio, munitissima Poloniæ Urbe, ac fere unico adversus barbaros amplissimi illius Regni propugnaculo in potestatem redacta, jugum fortasse jam nunc, & vastitatem Italiæ magis ex propinquo intentarent, nisi invicta Polonorum virtus, Dei miserentis brachio excitata, eos memorabili Clade ad flumen Tyram, cæsis triginta amplius millibus, affecisset. Sed quoniam Pacis Auctori Deo nondum placuit hoc Nobis solatium impartiri, neque, etiam si brevi, ut speramus, Officia nostra exitum sortiantur, eorumdem Principum suppetiæ in tempore sunt affuturæ, cum Turcæ validissimo, si umquam antea, apparatu, ut quos, supra vetus erga nos odium, recens ultionis amor accendit, Poloniam primo quoque tempore aggredi parent, si eis detur spatium se colligendi; hoc est, si nos Polonis prosequi Victoriam, & pro Patria, & pro Religione, emori paratis defuerimus non suppeditata pecunia, qua summopere indigent, Cleri etiam illius facultatibus, cui auctoritate Apostolica tributum impositum fuit plane exhaustis.

§. 3. Nos ut quantum in nobis est, pro munere personæ quam gerimus, saluti publicæ consulamus; misso jam in Poloniam quidquid pecuniæ ad manum erat, ad præfati Cleri Italici, & Insularum adjacentium subsidia confugimus, sperantes eumdem Clerum pro Christianæ fidei defensione, pro qua, si opus esset, sauguinem ipsum libenter daturum non dubitamus, pecuniam a nobis tam justis, necessariisque de Causis indicendam, alacriter, & fideliter collaturum. Matura igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione habita de eorundem Consilio, & assensu indicimus, & imponimus tres integras Decimas infra quinquennium, ut infra persolvendas, omnium, & quorumcumque fructuum, redditunm, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, Primatialium, Cathedralium, Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam mensarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, Cappellaniarum, cæterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatus laicorum, tam ex privilegio, quam fundatione, & dotatione, vel alio quocumque titulo; cum cura, & sine cura, Sæcularium, quoad Parochiales Ecclesias, videlicet, etiam computatis incertis, triginta unius ducatorum auri de Camera, cum uno quarto alterius ducati hujusmodi; quo vero ad alia beneficia, & bona, aliaque prædicta etiam computatis incertis, & distributionibus quotidianis, septem ducatorum parium valorem annuum excedentium; Dummodo tamen Parochialis, seu Beneficii, hujusmodi Titulares una cum illis alia Beneficia Ecclesiastica, sive annuas pensiones valorem prædictum conjunctim excedentes non possideant, seu percipiant; Sanct: quoque Benedicti, S. Augustini, Cluniacien., Cistercien., Præmonstraten., S. Basilii, & qui proprietates, redditusque certos, ex privilegio, vel alias possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum, utriusque sexus, necnon Cassinen., alias S. Justinæ de Padua, Carthusien., Lateranen., Silvestrinorum, Montis Oliveti, Camaldulen., S. Salvatoris, Vallis Umbrosæ, Cœlestinorum, Cistercien. in Longobardia, & Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, exemptorum, & non exemptorum, & insuper Hospitalium, etiam Pauperum Hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra Infirmorum necessitates, & alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium; Necnon B. Mariæ Teuthonicorum S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici, & aliarum Militiarum, in Universa Italia, & Insulis Italiæ adjacentibus consistentium secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum præfatorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica, & pro ea cum dilecto Filio nostro Palutio Tit. SS. Duodecim Apostolorum S.R.E. Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato ejusdem S.R.E. Camerario fuerit concordatum, & S.R.E. Cardinalibus ob assiduos, magnosque labores, quos Ecclesiæ Universali impendunt, gravissimaque tuendæ dignitatis Causa sustinent onera, ac Militia S. Joannis Hierosolymitani, quæ pro sua, & Christiani Orbis tutela adversus Turcas præfatos semper gerit bella, dumtaxat excepta.

Tres integras decimas infra quinquennium persolvendas imponit super omnibus beneficiis, ac bonis Ecclesiasticis tam sæcular., quam regular. prout in rubr.

§. 4. Ac etiam indicimus, & imponimus tres similes Decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sive earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi in favorem quorumcumque, non tamen Cardinalium prædictorum reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatorum, & assignatorum, vel translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas, ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiæ, & conditionis personis infrascripto quinquennio durante, præfata quocumque Jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, necnon Œconomis, Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, eos, & alia hujusmodi Jura, ex quacumque Causa sibi Apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata, seu translata habentibus, & habituris, Sæcularibus, & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) præfatorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & Locis quocumque privilegio, exemptione, reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis.

Tres similes decimas imponit omnium, & quarumcumque pensionum, prout in rub.

§. 5. Quas omnes Decimas prædictas solvere obligatos, ut præfertur easdem infra quinquennium proximum quinque æqualibus solutionibus,

Designat tẽpus faciendæ solutionis omnium dd. Decimarum.

pro prima videlicet intra proximum diem Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli Mensis Septembris proxime futuri, & successive pro reliquis quatuor solutionibus singulo quoque anno ratam partem intra festum hujusmodi cujuslibet anni immediate usque ad totalem solutionem Cameræ prædictæ, & illius Depositario Generali ad id constituendo omnino volumus persolvisse.

Prohibet Subcollectoribus extra Urbem deputandis, ne ultra salarium quidquam petere, aut percipere, vel prætendere audeant.

§. 6. Subcollectoribus autem Decimarum hujusmodi extra Urbem nostram, ut infra deputandis, ne ultra taxam competentis salarii in eorum deputationum literis patentibus designandam, etiam petere, vel prætendere, aut percipere audeant, specialiter, & expresse, ac sub pœnis in contravenientes arbitrio ejusdem S. R. E. Camerarii infligendis, prohibemus. Ejusdem vero Depositarii munus erit sedulo curare, ut quidquid pecuniarum ex Decimis obligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato Nostro speciali in præfatos usus dumtaxat, nec alias erogandum.

Munus Depositarii designat prout in rub.

Pœnæ in non solventes statuto tempore prædd. Decimas, aut non integre, prout in rubrica.

§. 7. Quicumque vero Decimas hujusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, redditUum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur ineundam, sive in terminis constituendis, non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem; si Ecclesiarum Antistites fuerint suspendimus a Divinis, Capituli vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares Personas Antistite inferiores excommunicationis sententia innodamus.

Præcipit omnibus Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus, ut nomine suorum principalium hujusmodi Decimas solvant.

§. 8. Cæterum ad prædictas Decimas consequendas præcipimus, etiam omnibus Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & Jurium prædictorum, etiam hujusmodi oneratorum, ut memoratas Decimas nomine Dominorum, ac pensionariorum ad computum suæ quisque locationis; omnibus vero possessoribus, & usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus, aliique prædicta solvere debentes, ut ipsi etiam Decimas pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum Cameræ, & Depositario prædictis integre persolvant.

Vult eos in solidum cogi posse juxta verum annuũ valorem proventuum, & pensionum pro rata.

§. 9. Decernentes, Decimas fructuum, redditUum, proventuum, & aliorum Jurium prædictorum secundum verum valorem annuum, alias vero pensionum Decimas ad eamdem rationem trium Decimarum durante dicto quinquennio præstari debere, & secundum eam prædictos omnes in solidum cogi posse ipsarum Decimarum Procuratores a quibus libuerit integre exigendi optionem, facultatemque habere, omnesque, & singulos Pensionarios, quacumque auctoritate, dignitate, præeminentia præfulgeant, Cardinalibus, ac Militibus S. Jo. Hierosolymitani præfatis tantum exceptis, ad ipsam Decimarum solutionem, pro rata cujuslibet pensionis, teneri, & obligatos esse, neque ullum jus, & actionem, etiam in vim cujuscumque pacti, & conventionis, quantumvis ex Causa onerosa, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti Pensionum, & cujusvis alterius, quantumvis inexcogitatæ cautelæ, & pactionis, etiam à Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illarum, & illorum inserto tenore approbatis, & confirmatis, ac forsan præfato quinquennio durante approbandis, & confirmandis, aliquid aliquando ab his Titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios ad Decimarum hujusmodi solutionem pro rata suæ cujuslibet pensionis, præfato quinquennio durante teneri; ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit cogi, & compelli posse, seu debere. Omnes vero confessiones, ac quietantias receptionis Decimarum a Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ tam Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus nomine suorum Principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in Judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & Pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent.

Vult omnes Pensionarios exceptis Cardinalibus, & Militibus Hierosolymit. ad dd. Decimas teneri pro rata pensionum quibuscumq; non obstantibus.

Mandat quietantias, & confessiones de recepto factas per Ministros Cam. Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus nomine suorum principalium plene probare etiam in Judicio.

Conductoribus, qui anticipare solverint locationem prorogat usque ad integram satisfactionem etiam adveniente successore.

§. 10. Conductores autem qui pretium locationis Dominis legitime anticipaverint locationem suam hujusmodi, quoad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius etiam adveniente successore, continuare debere: Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuntios in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Derogat contrariis.

Card. Camerarium deputat dd. Decimarum generalem Collectorem cum omnibus facultatibus, & privilegiis, prout in rub.

§. 11. Ut autem omnia prædicta, sicut causa urgens postulat diligenter, & fideliter & executioni demandentur, præfatum Palutium Cardinalem Camerarium cujus integritas, fides, atque experientia jam pridem Nobis perspecta est, & nota devotio, Generalem omnium Decimarum prædictarum Collectorem in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, & quibuscumque Privilegiis, Jurisdictionibus, ac Juribus, quæ omnes alii antehac hujusmodi Collectores habuerunt auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine procurandi, prædictos omnes, tam conjunctim, quam divisim ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per Edictum locis publicis affigendi, monendi, & requirendi: non parentes, fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas prædictas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu Regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, & rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, quovis quæsito colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi: auxiliumque brachii sæcularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi super irregularitate forsan incursa, dummodo tamen in contemptu Clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi.

Eidem Card. dat facultatem alios ubique Collectores, & Subcollectores deputandi, removendi, & alios subrogandi, prout in rubrica.

§. 12. Præterea Collectores, & Subcollectores viros, ubique providos, ac fide, & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderit expediri, cum simili, vel limitata, non tamen absolvendi, potestate constituendi, eumque, vel

eos

eos ejus arbitrio revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur, ac ab eis eorumque hæredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Ea tamen conditione adjecta, quod Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem de eorum personis, ut præfertur faciendam nullo modo censeantur exempti a solutione trium Decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu Pensionum per eos obtentorum solvere debebant.

Declarat hujusmodi Collectores, & Subcollectores non esse exemptos a solutione dd. Decimarum, ratione beneficiorum, vel pensionum per ipsos possess.

§. 13. Non obstantibus piæ mem. præsertim Pauli III., ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quod Clerici Regulares Societatis Jesu a solutione Decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac B. Pii V. Duodecim Congregationibus præfatis, ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore Juris clausis, Immunitatibus, literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus, Regularibus locis, Capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis tam sæcularibus, quam Regularibus generaliter, vel specialiter, sub quacumque forma, & verborum expressione ab eadem Sede, etiam ex causa concordiæ, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut alias ex qualibet alia Causa, etiam hic non expressa, & necessario exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscumque.

Omnibus contrariis amplissime derogat.

Declarat Ecclesiis, Locis, Personis, & Prælatis nullum suffragari privilegium speciale exemptionis a d. solutione Decimarum, quibus pariter derogat.

§. 14. Quodque si Prælatis, & Personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim a præfata sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi, necnon personis, eorumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, ac locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Immunitatibus in genere, vel in specie quandocumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem Decimarum alias quam secundum antiquam taxam, & nisi in Universali Decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contra quemcumque locum habere, similiter declaramus, aliisque Indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: Quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint factis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Invitat debitores hujusmodi Decimarum ad compositionem cum R. Cam.

§. 15. Ut vero subsidia hujusmodi magis prompta haberi possint, & Decimas prædictas solvere debentes ad compositionem cum dicta Camera Apostolica deveniendum peramplius invitentur: Statuimus, & decernimus quod si ante quinquennii prædicti terminationem Decimarum solutio, ut infra cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem, & refectionem pecuniarum ab eisdem Decimis provenientium illis, qui ut præfertur, cum ea concordaverint, faciendam, pro rata tamen temporis ante dicti Quinquennii lapsum decursi, & summæ per eos solutæ omnino teneatur.

Si ante quinquennium cesset hujusmodi solutio mandat Cameræ, ut restituat acceptum ex causa d. Compositionis pro rata temporis.

Cessantibus causis ante quinquennium cesset solutio.

§. 16. Et insuper volumus, quod si, favente Deo, Causæ, propter quas Decimarum prædictarum impositio emanavit, ante quinquennium hujusmodi cessaverint, etiam Decimarum hujusmodi solutio cesset, & cessasse censeatur eo ipso. Insuper in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem rec. me. Clementis PP. V. similiter prædecessoris Nostri in Concilio Viennen. editam, quod Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec Calices, Libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta Divino Cultui dicata ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quanticumque valoris Beneficia Ecclesiastica, seu plures Pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro litera, & sigillo quietantiæ Universalis, si illam habere voluerit, ultra unum Carolenum conficientem quadrenos triginta septem monetæ Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam prætextu Cambii uspiam compellatur.

Mandat observari Constitutionem Clemen. V. prout in rubrica.

Præcipit ne quis pro litera, & sigillo quietantiæ Universalis solvere debeat ultra unum carolenum.

§. 17. Cæterum volentes, illos quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine pœnæ, & publica disciplina compescere; omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam si Pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis Decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu Pensionum per eos obtentorum, ut præfertur, retinere, aut illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere malitiose præsumpserint, interdicimus a Divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, sententias, censuras, & pœnas incurrere volumus ipso facto; Ita ut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, aut in mortis articulo absolutionis beneficium nequeat obtinere. Quia vero difficile nimis esset præsentes literas ad singula quæque loca, & quocumque illis opus fuerit perferre:

Pœnæ adversus subtrahentes, aut fraudantes hujusmodi decimas.

Transumptorum fides.

§. 18. Volumus, ut illorum exemplis, etiam impressis, & Notarii publici manu, Palutii Cardi-

nalis Camerarii præfati, seu alterius ab eodem Deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici, ejusque Curiæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, ac si essent exhibitæ, vel ostensæ. Ut autem præsentes ad communem notitiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ S. Jo. Lateranen., Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut ii, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare: Cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Publicatio.

Sanctio pœnalis.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tribuitionis, declarationis, voluntatis, & præcepti Nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Edit. 12. Mart. 1674. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, Quarto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



†
† *Ego Franciscus Episc. Ostien. Card. Barberinus S. R. E. Vice-cancellarius.*
† *Ego Franciscus Maria Episcop. Portuensis Card. Brancatius.*
† *Ego Uldericus Episcopus Tusculanus Card. Carpineus.*
†
† *Ego Virginius Episcopus Albanensis Cardinalis Ursinus.*
†
†
†
† *Ego Nicolaus tit. S. Mariæ in Transtyberim Presbyter Card. Ludovisius.*
† *Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyter Card. Cybo.*
† *Ego Federicus tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Sfortia.*
† *Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presbyt. Card. Odescalchus.*

†
†
† *Ego Aloysius tit. S. Alexii Presbyter Cardinalis Homodeus.*
† *Ego Petrus tit. S. Marci de Urbe Presbyt. Card. Otthobonus.*
†
† *Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Spada.*
† *Ego Franciscus tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyt. Card. Albitius.*
† *Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Aquaviva de Aragonia.*
† *Ego Carolus tit. S. Priscæ Presb. Card. Pius.*
† *Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Chisius.*
†
†
† *Ego Jacobus tit. S. Mariæ in Ara-Cœli Presbyter Card. Fransonus.*
† *Ego Petrus tit. S. Calixti Presbyter Cardin. Vidonus.*
†
†
†
†
†
† *Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presbyt. Cardinal. Bonellus.*
†
†
† *Ego Palutius Palutius Albertonius SS. XII. Apostolorum Presbyt. Card. de Alteriis S.R.E. Camerarius.*
† *Ego Cæsar tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.*
†
† *Ego Jacobus S. Mariæ de Pace Presbyt. Cardin. Ninius.*
†
†
†
† *Ego Jacobus tit. SS. Jo. & Pauli Presb. Card. Rospigliosius.*
† *Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ Presbyt. Cardin. Portocarrero.*
†
†
† *Ego Jo. tit. S. Bernardi Presb. Card. Bona.*
† *Ego Camillus tit. S. Eusebii Presbyt. Card. Maximus.*
† *Gaspar tit. S. Silvestri in Capite Presbyt. Card. de Carpineo.*
† *Cæsar tit. S. Mariæ in Via Card. Destræus.*
†
†
†
† *Ego Jo. Guerardus tit. S. Bartholomæi in Insula Presb. Card. Nitardus.*
† *Fr. Vincentius Maria Ursinus Presbyter Cardin. S. Xisti.*
† *Ego Franciscus tit. S. Matthæi in Merula Presb. Card. Nerlius.*
† *Ego Hieronymus tit. S. Pudentianæ Presb. Card. Castaldus.*
†
† *Ego Fridericus S. Agathæ Diaconus Card. Hassiæ.*
† *Ego Carolus S. Cæsarei Diaconus Card. Barberinus.*
† *Ego Decius S. Eustachii Diac. Card. Azolinus.*
† *Ego Paulus S. Nicolai in Carcere Tull. Diaconus Card. Sabellus.*
† *Ego Nicolaus SS. Cosmæ, & Damiai Diac. Card. Acciajolus.*
† *Ego Felix S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Rospigliosius.*
† *Ego Hieronymus S. Mariæ in Porticu Diac. Card. Casanata.*

† *Ego*

† *Ego Petrus S. Mariæ in Dominica Diac. Card. Basadonna.*

†
†
†

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Præsentatio, & admissio præsentium literarum in Cam. die 20. Aprilis 1674.

Præsentes Literæ Apostolicæ die Veneris 20. Aprilis 1674. præsentatæ, & admissæ fuerunt in Camera Apostolica, & registratæ in libro primo Signaturarum Sanctiss. D. N. Papæ Clementis X. fol. 64.

Matthæus de Angelis Rev. Cam. Apost. Secretar., & Cancell.

Fides publicationis.

Anno à Nativitate Dom. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, die vero 21. Apr., Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X. anno ejus Quarto, præsentes literæ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen. Principis Apostolorum, Sanctæ M. Majoris, & Cancellariæ Apost. per nos Jo. Antonium Scajolam, & Jo. Græcum prælibati SSmi D. N. Papæ Cursores.

Laurentius Signus Mag. Curs.

LVIII. Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti 1675.

CLEMENS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Prooemium.

AD Apostolicæ vocis Oraculum, è militantis Ecclesiæ specula evangelizantis Orbi Christiano, gaudium magnum: Tempus nimirum acceptabile, dies salutis, in quibus è mystica Fidei petra, uberiore proventu decurrunt fluenta aquæ salientis in vitam æternam, lætamini populi, exultate gentes, & ad Sanctam in Terris Civitatem Dei, certatim accurrite, ut videatis voluptatem Domini, & visitetis Templum ejus. Appropinquat scilicet annus Jubilæi, annus remissionis, & gratiæ, annus placabilis, & Sanctus, cujus solemnitatem ex veteri divinitus tradita Hebræorum disciplina, ut quinquagesimo quoque anno recolerent exitum Domus Jacob de populo Barbaro, sapienter derivatam, more prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum celebraturi sumus, Mysterio tamen eo sublimiore, quo Cœlestia, & æterna, quæ à lege gratiæ conferuntur, terrestribus, & caducis antecellunt, quæ lex illa servitutis, figura & umbra novi Testamenti, pollicebatur; pro mortali enim patria, pro fundis paternis, pro corporis libertate, quam Hebræi illo anno recuperabant; renovantur hac recurrente celebritate Christifideles spiritu libertatis, per quem vocantur in adoptionem filiorum Dei, & roborantur spe beatæ illius patriæ, & æternæ hæreditatis, à qua per prævaricationem primi Parentis exciderant. Quamvis enim nullum sit tempus, in quo Fidelibus pœnitentiam agentibus non præstentur Cœlestis Indulgentiæ dona, deprompta ex infinitis Christi passionis, & mortis meritis, omniumque Sanctorum; hac tamen festivitate, quasi in quadam plenitudine temporis, largiore manu tribuuntur, dum spiritualis Ærarii, & Ecclesiastici Thesauri portæ latissime reserantur.

Monet ex pluribus Christifideles ad accedendum ad Urbem.

§. 1. Agite ergo, filii dilectissimi, & Romanæ Ecclesiæ plena de materno sinu ubera exerentis, atque omnes, qui laborant, & onerati sunt, ad se, ut eos reficiat, invitantis vocem secuti, peregrinationem hanc sacram læti suscipite. Si enim ob incertam alicujus temporalis, fluxique lucri spem, non dubitatis, aliquando difficile, & longinquum ad barbaras Terras, vel iniquissimo anni tempore, iter ingredi, & vitam, sævis, per ignota maria, tempestatibus, ventisque committere, qua tandem alacritate proficisci par est ad amœnas, atque hospitales Latii plagas, certa spe, si per vos non steterit consequendi Thesauros non deficientes in Cœlo, quos neque ærugo absumit, neque tinea? Ad sanctam hanc Hierusalem, Matrem Ecclesiarum, Fontem Religionis, Magistram Gentium, Regiam sanctitatis, invitant vos tot egregia per eam sparsa priscæ pietatis, & sanctimoniæ monumenta: Invitant Sanctissimorum Pontificum, & Martyrum invictissimorum Sepulchra: invitant toto Orbe clarissima Apostolorum trophæa, cum quibus nulla veteris illius victricis Gentium Romæ trophæa sunt conferenda. Ipsa denique Sacrosanctæ Passionis Dominicæ Instrumenta, quorum adorandorum causa prisci illi fideles ex ultimis Terris Palæstinam petebant, è Palæstina huc olim adducta, quasi amoris pignora, quo diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Jacob, vos amanter invitant. Excitamini ad hæc, & venite alacriter, filii promissionis, in Parentis gremium, Oves Dominici gregis, in Pastoris amplexus.

Vota SS. Pontificis.

Atque utinam precibus, quas ex intimis Paternæ Charitatis præcordiis continenter effundimus exorata Divina Bonitas aliquando secundet spem, quæ aliquot abhinc lustris affulgere visa est, reducendi ad Christi Ovile, extra quod non est salus, tot Nobilissimas Christiani Orbis Provincias, longe optimis artibus, virisque florentes, quas Patrum nostrorum memoria, ab unitate Romanæ Ecclesiæ, infœlix dissidium, & malus error abduxit. Quam libenter omnes Paterno sinu complecteremur. Quantas Patri misericordiarum gratias ageremus, quod dies nostros ad tam grave senium protulisset, ut videremus salutare Dei, antequam in pace dimitteret servum suum.

Monet Reges, & Principes, ut præbeant tuta, & pacata itinera, ac omnis generis commeatus.

§. 2. Vos autem charissimi in Christo filii, Reges, & Principes, luminaria magna Ecclesiæ Dei, per quem regnatis, si conditio temporum non patitur, vos pia majorum nostrorum studia æmulantes, sacrum hoc iter instituite, de subjectis vestris, aliisque Romam petentibus parate viam Domini, præbete tuta, & pacata itinera, & omnis generis commeatus, ne alioqui lugeant viæ Sion, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem. In primis vero, quod nos jampridem omni Pastoralis solicitudinis, & paternæ charitatis Officio, tum à vobis per literas, & Nuncios nostros, tum à pacis auctore Deo jugi prece efflagitamus, ponite aliquando iras populis vestris graves, rei Christianæ publicæ luctuosas. Congregamini cum Deo Abraham, & bella Domini præliantes, vertite arma in immanes Barbaros, inclyto Poloniæ Regno, aliisve Christianis Provinciis, terra marique imminentes. Eos enim clades, quantumvis magna, memorabilisque ad Tyram amnem nuper accepta, irritavit potius quam fregit: nisi perculsis instet victor exercitus, & triumphis assuetus, nosque post opem divinam diu, ac suppliciter imploratam, quamprimum communem causam, commune periculum, communibus quoque studiis, armisque tueamur.

Indicit SS. Pontifex universale Jubilæum Anni Sancti.

§. 3. Nos igitur per traditam nobis à Deo, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, una cum solicitudine omnium Ecclesiarum, ligandi, atque solvendi potestatem, quæ in digno hærede non deficit, Sanctissimis prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eorumque laudabile institutum tenentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

assensu,

assensu, universalis, & maximi Jubilæi celebrationem à primis vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi proximæ futuræ inchoandam, & per totum annum finiendam Auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, maximo cum animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, Sanctæ Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, Catholicorum Principum concordiam, Christianorumque omnium populorum solatium, & sanctificationem, indicimus, & promulgamus; Quo ipso Jubilæi anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, si Romani, vel incolæ Urbis; si vero peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies, devote visitaverint, & pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani Populi salute, & tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam, misericorditer in Domino concedimus, & impartimur. Et quoniam evenire potest, ut ex eis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac nequidem fortasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantum in Domino possumus benigne favere cupientes; eosdem vere pœnitentes, & confessos prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes, perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus à nobis præscriptis visitassent.

Cunctis Ecclesiæ Prælatis Anni Sancti publicationem mandat.

§. 4. Vos autem, Venerabiles Fratres Nostri, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partem solicitudinis nostræ vocati, Duces, & Pastores Populorum, Lux mundi, & Sal terræ, capite Tubas argenteas, quarum usus est in Jubilæo, idest adhibete prædicationem verbi Dei, & annunciate Populis hoc gaudium, ut sanctificentur, & Dei juvante gratia parati sint ad ea cœlestia dona capienda, quæ bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis per ministerium humilitatis nostræ præparavit: adducite verbo, & exemplo parvulos ad hujus charissimæ Matris ubera, quæ eos per Evangelium in Christo genuit. Adducite filios ad Patrem, oves ad Pastorem summum, membra ad Caput, fideles ad Fidei petram, in qua omnis ædificatio Catholicæ Ecclesiæ constructa consurgit. Ad Sacras igitur Indulgentias, earumque salutares fructus, ipso Jubilæi Anno Romæ percipiendos, vocate cœtum, congregate Populum, sanctificate Ecclesiam; docete gentes Fidei vestræ creditas, quia advenæ, & peregrini sumus in hac vita, & Civitatem in terris permanentem non habemus, sed in Cœlis æternam inquirimus. Quia vero breves dies sunt hujus nostræ calamitosæ peregrinationis, & nescimus qua hora Pater familias venturus sit; idcirco vigilent, & lampadas ardentes, plenasque oleo Charitatis, & misericordiæ portent in manibus, & in beatam illam requiem ingredi festinent.

Hoc præcipue anno Vitæ Sanctimoniam Christifidelibus commendat.

§. 5. Nam si unquam alias nunc potissimum iræ, contentiones, & odia dimittenda propter Christum: Nunc maxime servos decet misereri conservorum suorum, ut Dominus Clementissimus omne debitum eis dimittat: nunc præcipua puritatis, & innocentiæ cura habenda, ut Templum Dei mundum efficiatur, & unusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione; & portet Deum in corpore suo. Scelera insuper, & peccata omnia, malasque cogitationes è cordibus eorum penitus exterminanda, ut cœlestis ira placetur, & Christiano Nomini, in quo gloriantur, moribus, factisque respondeant. Docete autem eos, quemadmodum ad salutares Indulgentias consequendas in animo contrito, & in spiritu humilitatis, assiduis orationibus, & jejuniis, cæterisque pietatis operibus, se ipsos præparare, atque exercere debeant: & qui substantias hujus mundi habent, aperiant viscera sua, & Fratrum suorum pauperum inopiam sublevent; præcipue vero erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, & Sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionum fluctus, diligentissime coluerunt, ipsi quoque multa cum hilaritate spiritus renovent, atque observent.

§. 6. Admonete etiam eos, ut orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agant, & pax inter eos, & concordia coalescat, & conservetur. Postremo docete eos, cum Sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua devotione, qua Fraternæ pacis observantia prælucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco, & unusquisque ita componere se conetur, ut faciem plane præseferat euntis in Hierusalem. Præbete autem vos ipsos, Venerabiles Fratres, & omnem Clerum exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, ut vestræ virtutis, & religionis, veluti sale, cæteri condiantur, atque ita omnes unanimes in uno spiritu Christianæ Charitatis, atque in omni Sanctitate, & justitia Deo serviamus.

Quanta devotione hæc S. Peregrinatio suscipienda sit præscribit.

§. 7. Hortamur quoque, & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem Electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam, pro Zelo excitentur, præcipue vero Venerabilium Fratrum nostrorum Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, & Episcoporum pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & à suis Magistratibus, & Ministris, adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia, eorum Regia ope, & gratia foveantur: maxime autem erga Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur; sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis, amanter excipi, ut commeatu, & rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria institutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in æterna Tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Hortatur Principes, ut Antistitum vigilantiam adjuvent.

§. 8. Ut vero præsentes literæ ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant: volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, & ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 9. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ Indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum

Dat. 16. Kal. Maji 1674. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, sextodecimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno quarto.

G. Card. Prodat.

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

LIX.

Suspensio quarumcumque Indulgentiarum durante Anno Universalis Jubilæi 1675.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum nos nuper sancti Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi anni proximi venturi inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, universo populo Christiano, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas, Lateranen. quoque, & Sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis literis plenius continetur:

Causa hujus Constitut.

§. 1. Cupientes, ut Christianæ Nationes ex omnibus Terrarum Orbis locis in Alma Urbe nostra, in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu Basilicas, & Ecclesias prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo, visitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti:

Suspendit Summus Pontifex quascumque Indulgentias durante anno Universalis Jubilæi 1675.

§. 2. Omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & Indulta absolvendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Universitatibus, & Piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus Personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, & Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Reginis, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna, fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas: quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque, & ea eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere: Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Prohibet alias Indulgentias publicari.

§. 3. Quo circa per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ quam indicti à Nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum, infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Contrariis quibuscumq; derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis Apostolicis illis, eorumque superioribus, & personis, aliisque quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, ejusque Legatos, sub quicumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile nimis esset præsentes quocumque ubi illis opus fuerit perferri:

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 3. nonas Maji 1674. An. 4.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Tertio nonas Maji, Pontificatus nostri Anno Quarto.

G. Cardinalis Prodatarius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

Publicatio.

Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Quarto, Indictione undecima, die vero decima septima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ Decimi Anno Quinto, suprascriptæ literæ Apostolicæ in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe publicatæ, & ad valvas ejusdem Basilicæ affixæ fuerunt, ac eædem postea publicatæ in Basilica S. Pauli, & in Ecclesia Lateranensi, & S. Mariæ Majoris de Urbe ad earumdem valvas pariter affixæ fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Acie Campi Floræ, dimissis ibidem copiis, ut moris est, per nos Gregorium Staggium, & Agabitum Magistros prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Pro Mag. Curs. Laurentius Barbigionus Decanus.

Præceptum

Præceptum Episcopis Indiarum, aliarumque Partium Orientalium, ac Regularibus etiam Societatis Jesu, eorumque Superioribus super stricta observantia Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum Congregationis de Propaganda Fide sub pœnis arbitrio ejusdem Congregationis quoad omnes, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Quoniam ea, quæ ex solita hujus S. Sedis Apostolicæ rectitudine, atque æquitate provide sapienterque emanarunt, & in dies, prout Justitiæ ratio exigit, & propagandæ, solidandæque Catholicæ Fidei suadet utilitas pie, prudenterque emanant, ab omnibus Christifidelibus, & præsertim à Catholicis Antistitibus in partem Apostolicæ solicitudinis vocatis, ac ab illis qui votorum Religiosorum nexu Dei, Ecclesiæque obsequiis arctius devincti sunt inviolabiliter observari oportet.

Præcipit in virtute S. Obedientiæ Episcopis Indiarum aliarumque partium Orientalium, necnon Regularibus etiam Societatis Jesu, ut Constitutiones Ap., & Decreta Congregationis Propagandæ Fidei inviolabiliter observent.

§. 1. Nos quibus licet immeritis, & tanto oneri imparibus, Ecclesiæ suæ Sanctæ curam commisit Altissimus, debitæ Apostolicorum Decretorum observationi quantum Nobis ex alto conceditur providere cupientes, de particularis Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, super rebus Sinarum deputatæ consilio, Venerabiles Fratres Episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientalium harum serie paterne monemus, eisque, ac etiam Regularium Superioribus, & eisdemmet Regularibus, etiam Societatis Jesu auctoritate Apostolica in virtute S. Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut omnes Constitutiones Apostolicas, & Decreta Congregationis eorumdem Cardinalium, sub pœnis arbitrio ejusdem Congregationis imponendis quoad omnes, & quoad Regulares, etiam Societatis Jesu, eorumque superiores præfatos, etiam privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ, stricte, ac inconcusse, & inviolabiliter observent.

Pœnæ adversus Contravenientes.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus fit dictæ Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, & Ordinum quorumcumque, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præsentium hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1674. Pontificatus nostri Anno quinto. Edit. 7. Junii, 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Junii par. 1. fol. 30.

LXI.

Exemptio Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum apud Sinas ab omnimoda jurisdictione omnium Ordinariorum in Provinciis ipsis assignatis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In Apostolicæ dignitatis fastigio cum potestatis plenitudine à D. constituti ad ea, per quæ Catholicæ fidei, Christianæque Religionis propagatio præsertim in remotissimis ab hac S. Sede partibus Fidelium operariorum in vinea D. strenue laborantium, studiis per Dei gratiam ad optatum finem perduci valeat, propensis studiis intendimus, & pastoralis officii nostri partes paterna charitate desuper interponimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Animarum salutem expedire in D. arbitramur.

Vicarios Ap. in partibus Sinarum deputatos eximit ab omnimoda Jurisdictione Ordinariorum in Provinciis sibi assignatis.

§. 1. Itaque contentiones quæ inter Venerabiles Fratres Episcopos, Vicarios Apostolicos apud Sinas ab hac S. Sede Apostolica deputatos, & Ordinarios Indiarum, aliarumque Orientalium partium oriri possent, e medio tollere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, eosdem Vicarios Apostolicos ab omnimoda Jurisdictione omnium Ordinariorum in Provinciis sibi assignatis auctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus, & plenarie liberamus, ac exemptos, & liberatos esse, dictæque Jurisdictioni minime obnoxios esse, & fore decernimus, & declaramus; reservata tamen dictæ Congregationi Cardinalium facultate aliter decernendi.

Præservat Congregationi facultatem aliter decernendi.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis præfatis, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica; vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis

habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam in favorem S. Officii Regnorum præfatorum, illiusque Inquisitorum etiam Generalium, ac Officialium, & Ministrorum quorumlibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem præfatam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, præsentibus pro plene

& sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 3. Oct. 1674. An. 5. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Reg. in Secretaria Brevium in lib. 5. diversorum fol. 235.

LXVIII. Declaratio nullitatis deputationis Officialium Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Sede Archiepiscopali vacante laicali auctoritate facta, & inde secutorum &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex in sublimi Apostolicæ Sedis specula cum potestatis plenitudine à Domino constitutus, sua, & Apostolicæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum jura ex commissi sibi cœlitus pastoralis muneris debito sarta tecta tueri, ac si quando ea temerariis quorumcumque præsertim laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ausibus, violata esse novit ab ejusmodi violationibus asserere studet; sicut divinitus concessa Ecclesiæ libertas, atque animarum pericula postulant, ac locorum, temporum, & Personarum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, æquitati, & Justitiæ, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitratur.

Judex laicus vacante Sede Metropol. deputat Vicarium Capitularem, & Officiales. §. 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam, non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod alias occasione controversiarum, quæ super Cathedralitate inter Capitula, & Canonicos Metropolitanarum Ecclesiarum Sanctæ Mariæ de Columna vulgariter *del Pilar* nuncupatæ, & Sancti Salvatoris Civitatis Cæsaraugustanæ tunc pendebant indecisæ, Curia, Judices *Justitiæ* nuncupati, vel Audientia Regia Regni Aragoniæ, earumque respective Ministri Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, & alia jura Ecclesiastica, & spiritualia Capitulis, & Canonicis prædictis competentia sub sequestro, sive (ut illic dicunt) sub apprehensione ponere, & nuper Ecclesia Metropolitana Cæsaraugustana per obitum bo. me. ultimi illius Archiepiscopi solatio Pastoris destituta in vim assertæ apprehensionis hujusmodi, manum in messem alienam temere mittentes, propriæque conscientiæ, & animarum suarum salutis, nec non malorum, & calamitatum, quibus Divina Justitia ejusmodi libertatis, & jurisdictionis Ecclesiæ violatores, & Invasores sæpe ulta est, immemores, Doctorem Michaelem Martam Gomez, & Mendoza in Vicarium Capitularem Civitatis, & Diœcesis Cæsaraugustanæ ad effectum ibidem exercendi jurisdictionem Ordinariam in prima instantia, & Metropoliticam in gradu appellationis, ac Doctorem Josephum Peralta, in Officialem majorem, & Judicem Metropolitanum prædictarum Civitatis, & Diœcesis, ac Provinciæ Cæsaraugustanæ, necnon Doctorem Ignatium Cipres in Officialem Causarum piarum, & Judicem Decimarum, & Primitiarum, durante Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ vacatione, aliosque forsan Officiales ad exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem hujusmodi nominare, & deputare temerario, detestabilique ausu præsumpserunt, & alias prout in ipsarum Curiæ, vel Regiæ Audientiæ, earumque respective Ministrorum literis desuper emanatis, quarum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus plenius dicitur contineri. Et subinde Michael, & Josephus, ac Ignatius, aliique forsan nulliter, & de facto nominati, & deputati prædicti prætextu nominationis, & deputationis hujusmodi, eamdem jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem hactenus exercere damnabiliter ausi sunt, & audent de præsenti. Prædd. Vicarii, & Officiales Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem damnabiliter exercent.

§. 2. Cum autem ejusmodi execrabilis, & per Sacros Canones, & Conciliorum generalium Decreta, Apostolicasque sanctiones sub anathemate sæpius damnata, atque scandalosa temeritas libertatem Ecclesiasticam Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam manifeste læserit, & violaverit, ac lædat, & violet, animasque pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in gravissima pericula conjecerit, & deplorandis malis involvere pergat: Hujusmodi temeritas libertatem Eccl. siasticam lædit, & fidelium animas in gravissima pericula conjicit.

§. 3. Hinc est, quod nos, qui libertatis, & Immunitatis, ac jurisdictionis, aliorumque jurium Ecclesiasticorum Assertores in terris à Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, & Christifidelium curam, & solicitudinem superna dispositione gerimus, ac proinde tam horrendum Sæcularis potestatis abusum nullatenus sub dissimulatione transire possumus, Ecclesiæ prædictæ Cæsaraugustanæ jura sarta tecta, atque illibata tueri, & conservare, necnon Animarum periculis quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum in præmissis tam à Curia Justitiæ nuncupati, & Regia Audientia, earumque respective Ministris prædictis, aliisque Magistratibus, Judicibus, & Tribunalibus laicis quibuscumque, quam à memoratis Michaele, ac Josepho, & Ignatio, aliisque forsan quibuscumque laicali auctoritate, ut præfertur, nominatis, & deputatis, seu alios quoscumque eorum respective nomine in iisdem præmissis quomodolibet actorum, & gestorum seriem, Causas, & occasiones, aliave qualibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus ibidem pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nominationem, & deputationem prædictorum Michaelis Martæ Gomez, & Mendoza in Vicarium Capitularem, ac Josephi Peralta in Officialem Majorem, & Judicem Metropolitanum, necnon Ignatii Cipres in Officialem Causarum piarum, & Judicem Decimarum, & Primitiarum hujusmodi, & aliorum quorumcumque ad exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, durante dictæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ vacatione, à Curia, & Regia Audientia, earumque respective Ministris, seu aliis Magistratibus, Judicibus, & Tribunalibus laicalibus quibuslibet, ut præfertur, aliaque omnia, & singula tam à Curia, & Regia Audientia, earumque Ministris, seu aliis Magistratibus, Judicibus, & Tribunalibus laicalibus hujusmodi, quam à Michaele, Josepho, & Ignatio, aliisque quibuslibet nominatis, seu deputatis prædictis, vel eorum aliquo, seu eorum, aut alicujus eorum respective jussu, mandato, vel nomine ab aliis quibuscumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis in præmissis, vel circa ea quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, Decreta, ordinata, vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & Pontifex deputationem dd. Ministrorum, omniaque acta per eos sequuta, & sequutura declarat irrita, & nulla.

quando-

quandocumque fecuturis penitus, & omnino nulla, invalida, & inania, frivola, irrita, temeraria, & à non habentibus poteftatem damnabiliter attentata, & de facto præfumpta, nulliufque roboris, momenti, & efficaciæ effe, & ab initio fuiffe, ac perpetuo fore tenore præfentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus, ac ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus fit illa omnia, & fingula quatenus de facto processerunt, revocamus, caffamus, irritamus, & annullamus, viribufque, & effectu penitus, & omnino vacua mus in omnibus, & per omnia perinde acfi nunquam facta fuiffent, nec eveniffent, neque unquam fierent, vel evenirent.

Ea omnia, & fingula revocat, & caffat.

§. 4. Quo circa Michaeli, ac Ignatio, & Jofepho, aliifve quibufvis laicali auctoritate, ut præfertur nominatis, & deputatis prædictis, & eorum cuilibet in virtute Sanctæ obedientiæ, ac fub obteftatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, necnon fub excommunicationis majoris, & privationis dignitatum, & Beneficiorum Ecclefiafticorum quorumcumque per eos refpective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia fimilia, vel diffimilia quæcumque inpofterum quomodolibet obtinenda ipfo facto abfque alia declaratione incurren. pœnis, districte prohibemus, & interdicimus, ne nominationis, feu deputationis hujufmodi, aliorumque præmifforum vigore ullam jurifdictionem, poteftatem, vel auctoritatem Ecclefiafticam, & fpiritualem in Civitate, vel Diœcefi, aut Provincia Cæfarauguftana prædictis exercere, ullumve actum jurifdictionalem facere audeant quovis modo, feu præfumant.

DD. Vicario Capitulari, aliifque Officialibus in virtute S. Obedientiæ prohibet ne aliquem actū Jurifdictionalem ibi exerceant fub pœnis, prout in rubrica.

§. 5. Eos quoque qui illis, vel eorum alicui fcienter in præmiffis paruerint, vel auxilium, confilium, vel favorem quovis modo præftiterint, cujufcumque ftatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, fimilibus pœnis eo ipfo innodamus, & innodatos fore, ac dignitates, & Beneficia hujufmodi, quorum privationis pœnam propter tranfgreffionem præfentis prohibitionis per præfatos quomodolibet incurri contigerit, ipfo facto abfque declaratione vacare, illaque per quofcumque impetrari poffe decernimus, & declaramus; necnon eorumdem Beneficiorum, & dignitatum fic vacantium collationem, provifionem, & omnimodam difpofitionem, ac præfatarum pœnarum abfolutionem, feu relaxationem nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiftenti dumtaxat fpecialiter refervamus.

Eifdem pœnis afficit eos, qui dd. Deputatis fcienter paruerint, vel auxilium, confilium, vel favorem quovis modo præftiterint.

Beneficiorum fic vacantium collationem, aliarumque pœnarum abfolutionem feu relaxationem S. Sedi fpecialiter refervat.

§. 6. Et quia Sede Archiepifcopali Cæfarauguftana, ut præfertur, vacante, Officialis, feu Vicarius infra octo dies poft mortem Archiepifcopi à Capitulo dictæ Metropolitanæ Ecclefiæ Cæfarauguftanæ, ad quod ea res juxta Decreta Concilii Tridentini fpectabat, conftitutus, vel confirmatus non fuit, Jus deputandi Officialem, feu Vicarium hujufmodi juxta eadem Concilii Tridentini Decreta ad Ven. Fratrem Epifcopum antiquiorem ex Suffraganeis dictæ Provinciæ Cæfarauguftanæ devolutum effe harum ferie declaramus; ipfique Epifcopo Suffraganeo antiquiori terminum decem dierum à die quo præfentium literarum notitiam habuerit computandum, quo durante aliquem qualitatibus per prædicta Concilii Tridentini Decreta requifitis præditum, qui tamen non fit ex illis, qui laicali auctoritate ut præfertur temere, & nulliter deputati fuerunt, aut fic deputatis auxilium, vel favorem in præmiffis præftiterunt, vel præftiterint in Officialem, feu Vicarium dictæ Metropolitanæ Ecclefiæ Cæfarauguftanæ quamdiu præfens ipfius Ecclefiæ vacatio duraverit in officio duraturum, cum omnibus, & fingulis facultatibus, quæ ejufmodi Officialibus, feu Vicariis de jure, ac juxta Concilii Tridentini Decreta hujufmodi competunt, conftituere, & deputare debeat, auctoritate Apoftolica tenore præfentium ftatuimus, & affignamus. Quod fi idem Epifcopus Suffraganeus antiquior Officialem, feu Vicarium hujufmodi intra dictum terminum non deputaverit, lapfo eodem termino jus illum deputandi ad hanc Sanctam Sedem Apoftolicam illico devolvatur, ac devolutum effe intelligatur.

A Capitulo d. Metropoliticæ Ecclefiæ infra octo dies ab obitu Archiepifcopi non fuit provifum de Vicario Capitulari.

Declarat hoc Jus deputandi Vicarium Capitularem effe devolutum antiquiori Suffraganeo dict. Provinciæ, eique ftatuit decem dies ad illum deputandum.

Defignat qualitates Vicarii Capitularis deputandi.

Si intra dictum tempus Vicarium ut fupra non deputet hoc Jus voluit S. Sedi devolutum.

§. 7. Cæterum de falute Dominici Gregis paterna charitate foliciti, omnibus, & fingulis utriufque fexus Chriftifidelibus, tam Ecclefiafticis, Sæcularibus, & cujufvis Ordinis, Congregationis, vel Inftituti Regularibus, quam laicis harum ferie denunciandum, ac ad eorum notitiam deducendum effe cenfuimus, prædictos Michaelem, ac Jofephum, & Ignatium, aliofque forfan laicali auctoritate, ut præfertur nulliter, & de facto nominatos, & deputatos, nullam jurifdictionem, aut poteftatem Ecclefiafticam, & fpiritualem habere, vel habuiffe, nec ullam circa Confeffariorum approbationem, Verbum Dei prædicandi licentiam, Ecclefiarum, & Locorum piorum Vifitationem, illorumque regimen, & adminiftrationem, Caufarum cognitionem, Officialium, & Miniftrorum deputationem, Cenfurarum fulminationem, & ab eis abfolutionem, cæteraque Forum confcientiæ, vel contentiofum quomodolibet concernentia auctoritatem interponere ullo modo valide poffe, nec potuiffe, ac proinde eis præfertim fignificandum effe duximus, invalidas effe Confeffiones, quas Presbyteri Sæculares, vel regulares vigore licentiæ, & approbationis à prædictis Officialibus laicali auctoritate deputatis conceffarum audiverint, & audient in futurum, pœnitentefque ab eis ex defectu jurifdictionis invalide abfolutos fuiffe, & fore: invalida quoque effe, & fore Matrimonia, fi quæ coram Officialibus, feu Vicariis laicali auctoritate, ut præfertur deputatis, aut coram Sacerdote non Parocho, cui licentiam ad id dederint, forfan contracta fuerint, aut impofterum contrahantur; & fic conjunctos debitum conjugale abfque mortalis peccati reatu petere, vel reddere non poffe: ac pari nullitatis, atque invaliditatis vitio laborare concurfus ad Parochiales Ecclefias, & concurrentium examina, collationefque ipfarum Parochialium per concurfus hujufmodi, prætenfa auctoritate, feu de mandato Vicarii, feu Officialis fic auctoritate laicali deputati factos, & facta, ac faciendos, & facienda, & Provifos de ipfis Parochialibus Ecclefiis intrufos effe, & fore: fimiliterque invalidas effe, & fore licentias ingrediendi Claufuram Monafteriorum Monialium à Vicario, feu Officiali hujufmodi conceffas, & concedendas, ac illos, qui ejufmodi licentiis ufi fuerint excommunicationem per Decreta d. Concilii Tridentini inflictam incurriffe, & incurfuros effe. Nec poffe contra hæc allegari, vel prætendi excufationem ex communi errore, cum abufus Sæcularis poteftatis in deputatione Vicariorum, feu Officialium prædictorum fere omnibus generaliter innotuerit, communique recte fentientium horrore, & deteftatione reprobatus fuerit, prout illum ab omnibus damnari, & reprobari volumus.

Omnibus utriufque fexus Chriftifidelibus denunciat dd. Vicarium Capitularem, aliofque Officiales nullam Jurifdictione habuiffe, vel habere.

Actus Jurifdictionis ab eis exercitos tam in foro contentiofo, quam confcientiæ declarat fuiffe, effe, & fore nullos, & invalidos quos refert in rubr.

Ingreffos, vel i. gredientes claufuram Monialium cum licentia d. Vicarii declarat incurriffe, & incurfuros in Cenfuras.

Tollit excufationem à communi errore.

§. 8. Decernentes eafdem præfentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod fupradictarum Curiæ, & Regiæ Audientiæ Officiales, & Miniftri, ac Michael, Jofephus, & Ignatius, cæterique Deputati prædicti, & alii quilibet in præmiffis, feu eorum aliquo Jus, vel intereffe habentes, feu habere quomodolibet prætendentes cujufcumque ftatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiftant, & alias fpecifica, & individua mentione, & expreffione digni, illis non confenferint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Caufæ propter quas præfentes emanarint fufficienter adductæ, verificatæ, & juftificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantum-

Supplet omnes defectus.

quantumvis juridica, & privilegiata Causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari; impugnari, infringi, invalidari, retractari, & ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse.

Decretum irritans.

§. 9. Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis amplissime derogat.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon prædictarum Ecclesiarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, quomodolibet qualificatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Novembris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto. Dat. 3. Nov. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. 5. diversor. fol. 207.

LXIX.

PRO NUNTIO HISPANIARUM.

Facultas deputandi Officialem, seu Vicarium Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Sede Archiepiscopali vacante.

Ven. Fratri Galeatio Archiepiscopo Corinthi apud Charissimum in Christo. Filium nuncupatum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum, Nostro, & Apostolicæ Sedis Nuntio.

CLEMENS PAPA X.

Ven. Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Refert quæ in præcedentibus literis disposuerat.

§. 1. Cum Nos nominationem, & deputationem Doctoris Michaelis Martæ Gomez, & Mendoza in Vicarium Capitularem Civitatis, & Diœcesis Cæsaraugustanæ ad effectum ibidem exercendi Jurisdictionem ordinariam in prima Instantia, & Metropoliticam in gradu appellationis, ac Josephi Peralta in Officialem majorem, & Judicem Metropolitanum præfatarum Civitatis, & Diœcesis, ac Provinciæ Cæsaraugustanæ, necnon Doctoris Ignatii Cipres in Officialem Causarum piarum, & Judicem Decimarum, & Primitiarum durante præsenti Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ per obitum bo. mem. ultimi Archiepiscopi Cæsaraugustan. vacatione, aliorumque forsan Officialium ad exercendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem à Curia Judicis *Justitiæ* nuncupati, vel Regia Audientia Regni Aragoniæ, seu eorum respective Ministris, sive aliis Judicibus, Magistratibus, vel Tribunalibus laicalibus temerario, detestabilique ausu factas, cum omnibus, & singulis inde secutis, & secuturis nullas penitus, atque irritas, & invalidas, nulliusque roboris, & momenti esse, & perpetuo fore declaravimus, & decrevimus, illasque damnavimus, & reprobavimus: Et quia Sede Archiepiscopali præfata, ut præfertur, vacante Officialis, seu Vicarius infra octo dies post mortem dicti Archiepiscopi, à Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, ad quod ea res juxta Concilii Tridentini Decreta spectabat, constitutus, vel confirmatus non fuit, Jus deputandi Officialem, seu Vicarium hujusmodi ad Ven. Fratrem Episcopum antiquiorem, ex Suffraganeis dictæ Provinciæ Cæsaraugustanæ devolutum esse declaravimus, ipsique Episcopo Suffraganeo antiquiori terminum decem dierum ad faciendam deputationem dicti Officialis, seu Vicarii statuimus, itaut elapso dicto termino, nec facta deputatione hujusmodi, Jus deputandi eumdem Officialem, seu Vicarium ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam illico devolvatur, & devolutum esse intelligatur, & alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur:

§. 2. Hinc est, quod Nos pro commissa nobis divinitus omnium Ecclesiarum solicitudine Ecclesiæ prædictæ Cæsaraugustanæ, illique subjecti

Dominici

Dominici Gregis necessitatibus, in eventum quo deputatio Officialis, seu Vicarii hujusmodi a dicto Episcopo Suffraganeo antiquiore intra terminum prædictum non fiat, quantum Nobis ex alto conceditur salubriter providere volentes, ac de spectata fraternitatis tuæ fide, prudentia, integritate, sapientia, & honoris Dei zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eidem fraternitati tuæ, si Officialem, seu Vicarium præfatum a memorato Episcopo Suffraganeo antiquiore intra terminum decem dierum ei ad id Statutum, ut præfertur minime deputari, ac proinde Jus deputandi Officialem, seu Vicarium hujusmodi ad Sedem Apostolicam præfatam juxta literarum Nostrarum supradictarum dispositionem devolvi contigerit, aliquem qualitatibus per Decreta dict. Concilii Tridentini requisitis prædictum, in Officialem, seu Vicarium dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ quamdiu præsens ipsius Ecclesiæ vacatio duraverit in Officio hujusmodi duraturum cum omnibus, & singulis facultatibus, quæ ejusmodi Officialibus seu Vicariis de Jure, ac secundum Decreta Concilii Tridentini hujusmodi competunt, auctoritate Nostra Apostolica constituendi, & deputandi plenam, & amplam facultatem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Si Suffraganeus antiquior Vicarium Capitularem non deputet Nuntio Ap. illius deputationem committit.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas & illarum vigore a te faciendas constitutionem, & deputationem Officialis, seu Vicarii hujusmodi firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, vel Ordinationibus, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis Nostris præfatis voluimus, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Novembris 1674. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 3. Nov. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secret. Brevium lib. 5. diversor. fol. 225.

LXX.

Confirmatio Chirographi ad favorem Protomedici, ejusque Consiliariorum, & Collegii Medicorum Urbis, quo decernitur litem super taxa rerum ad Pharmaciam spectan. a prædictis facta contra eos pro parte Collegii Pharmacopolarum motam, aliasque lites super taxis hujusmodi imposterum faciendis, quandocumque monendis agi, & peragi debere impensa Cameræ Urbis, & Populi Romani, per Procuratores, & Advocatos ab eadem Camera deputandos, cum assistentia tamen prædictorum, cum diversis aliis Ordinationibus.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nos alias per quoddam Chirographum manu Nostra subscriptum, & per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 26. Maii 1673. expeditas literas confirmatum, in executionem cujusdam concordiæ dudum inter Collegia Medicorum, & Pharmacopolarum hujus Almæ Urbis Nostræ stabilitæ, & a fel. rec. Greg. PP. XIII. Prædecessore Nostro per quasdam suas pariter in forma Brevis Literas, sive Cedulam motus proprii confirmatæ, taxam rerum ad pharmaciam spectantium quotannis fieri, illisque pretium imponi mandavissemus, modumque, & formam ac tempus ei rei præscripserimus cum diversis ordinationibus, & Decretis, & sub diversis pœnis, & alias prout in Chirographo, & Literis Nostris præfatis plenius continetur; & dilecti filii Protomedicus, ejusque Consiliarii d. an. 1673. in executionem eorumdem Chirographi, & literarum taxam hujusmodi fecissent.

Pontifex mādavit quot annis fieri taxam rerum ad Pharmaciam spectantium.

Hanc taxam an. 1673. Protomedicus, ejusque Consiliarii fecerunt.

§. 1. Et cum dilecti etiam filii Consules dicti Collegii Pharmacopolarum eidem taxæ consentire recusantes, quippe qui se per eam gravatos esse prætenderent, ea super re Judicium contra eosdem Protomedicum, ejusque Consiliarios coram altero ex Locumtenentibus dilecti filii Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris intentassent, ac Protomedico, suisque Consiliariis prædictis, ne expensis, atque incommodis litis hujusmodi subjacerent in causa minime comparentibus, ad diversos actus processum fuisset, ita ut Causa ipsa in limine expeditionis reperiretur.

Ad ea Consules Collegii Pharmacopolarum appellarunt ad A. C.

§. 2. Nos publicæ utilitati, simulque Protomedici, ejusque Consiliariorum, & Collegii Medicorum præfatorum indemnitati consulere cupientes, litem hujusmodi super taxa præfata pro supradicto, ac currenti annis facta, ut præfertur, introductam, aliasque lites quascumque, quas super similibus taxis in futurum quandocumque faciendis, seu illarum occasione moveri contigerit, per Procuratores, & Advocatos a Camera Urbis præfatæ deputandos, cum assistentia eorumdem modernorum, & pro tempore existentium Protomedici, ejusque Consiliariorum, ac Collegii Medicorum hujusmodi, impensa tamen ejusdem Cameræ Urbis, & Populi Romani agi, & peragi debere ordinavimus, & expresse mandavimus, cum diversis Decretis, declarationibus, & ordinationibus, & alias prout uberius continetur in alio Chirographo manu Nostra pariter subscripto, & dilecto filio Nostro Paluzio Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato S. R. Eccl. Camerario directo, tenoris, qui sequitur videlicet.

Provisio desuper capta.

§. 3. *Rmo Card. Camerlengo — Avendo con Nostro special Chirografo dei 13. Maggio 1673. a Voi diretto, e roborato con Nostre Lettere in forma di Breve sotto li 26. del medesimo, per osservanza del Moto proprio di Gregorio XIII. Nostro Prædecessore, confermativo della concordia altre volte seguita tra il Collegio de' Medici, e quello de' Speziali di Roma, comandato sotto gravissime pene, che ogn'anno inviolabilmente si facci, e si rinovi la Tassa a tutte le robbe di Speziaria, e che a singoli capi di esse s'imponga il giusto prezzo, secondo la Santa mente di esso Gregorio da Noi spiegata, e dichiarata con diverse ordinazioni, e con prescrivere il modo, e la forma, & il tempo, che dovrà farsi, come più ampiamente apparisce dal Chirografo, e Breve sudetti, & essendo*

Tenor Chirographi.

che

che in esecuzione di quelli il Protomedico, e suoi Consiglieri l'anno prossimo passato 1673. facessero la detta Tassa, e i Consoli degli Speziali, ricusando di consentirvi, per stimarsi da quella gravati, in virtù della facoltà da Noi concessali di potere appellare nel solo devolutivo, abbino introdotta l'appellazione nel Tribunale dell' A. C. avanti Monsig. Panciatici, e quivi più, e diverse volte informato in voce, e in scritto con Avvocati, & Procuratori, citati a tutti, e singoli atti li detti Protomedico, e suoi Consiglieri, che mai sono comparsi, per non voler soggiacere alle spese, e incommodi di detta lite, sia la Causa in limine di spedizione, e corra pericolo, che per non eßer la d. Tassa difesa, nè sentite le ragioni di essa, Monsig. Panciatici astretto per parte di detti Consoli, e Collegio di Speziali, sia per dar la Sentenza a loro favorevole, una tantum parte audita.

§. 4. Per tanto considerando Noi non essere giusto nè ragionevole, che il Protomedico, e suoi Consiglieri, per obedire a gl'ordini Nostri, e della fel. me. di Gregorio XIII. Nostro Predecessore, oltre il peso di fare ogn'anno la detta Tassa per solo benefizio del publico, debbano soggiacere agl' incommodi della lite, e alli danni delle speze in caso di soccombenza, dal che potrebbe nascere, che questa giusta, e santa disposizione restasse infruttuosa, mentre li Protomedici, e Consiglieri pro tempore, per isfuggire questi incomodi, spese, e pericoli, o trascureranno la Tassa, come è stato fatto per il passato, o la rinoveranno a prezzi alterati, secondo la volontà di detti Speziali, il che ridonderebbe in gravissimo pregiudizio del Pubblico. All'incontro riflettendo, che nessun' altro può difendere le ragioni di dette Tasse, e dedurre le loro giustificazioni, fuorche il Protomedico, e suoi Consiglieri, e Collegio de' Medici, come informati de' prezzi delle robbe, e di tutte le considerazioni, che devono aversi sopra le spese di fabbricarle, e tenerle, per queste, ed altre cause, che hanno mosso l'animo Nostro, ci siamo disposti di provvedere all'indennità degl' uni, e degl' altri, e ad effetto, che tanto la Tassa dell'anno 1673., e 1674., quanto tutte l'altre da farsi nell'anni avvenire in perpetuo siano debitamente difese, e le ragioni di esse giuridicamente dedotte:

§. 5. Di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della potestà Nostra Apostolica ordiniamo, ed espressamente comandiamo sotto l' istesse pene contenute nelli detti Breve, e Chirografo, ed altre a vostro arbitrio, e de' vostri Successori pro tempore, che li Protomedici, e loro Consiglieri, ed il Collegio respettivamente de' Medici, debbano assistere a dette liti, e alla difesa di dette Tasse, con somministrare le ragioni, e giustificazioni di esse con esattezza, e diligenza alli Procuratori, ed Avvocati, che saranno costituiti dalla Camera di Campidoglio, quale a quest' effetto graviamo non solo di assistere con detti Avvocati, e Procuratori unitamente co i detti Medici a detta lite introdotta avanti Monsig. Panciatici per detta Tassa dell' anno 1673., e 1674., e a tutte, e singole altre liti future in perpetuo, che per le Tasse in avvenire saranno mosse da i sudetti Consoli, e Collegio de' Speziali mediante simili appellazioni interposte, e da interporsi, ma di somministrare ancora tutte, e singole spese in dette liti tanto attive necessarie, & opportune per sostenimento, e difesa di dette Tasse, quanto passive in caso di soccombenza, essendo giusto e ragionevole, che la rinovazione di dette Tasse, e loro difesa, mentre ridonda a benefizio principalmente del Nostro Popolo di Roma si faccia a spese di esso Popolo, e della Camera del suo comune, e che il Protomedico, e Consiglieri, e Collegio de' Medici, oltre la fatiga, e personale loro assistenza, non soggiaccino anche all' incomodo, e al danno di dette spese, dalle quali però in avvenire espressamente da questo giorno li liberiano.

§. 6. Togliendo, & annullando per tale effetto ogni azione, che alli Consoli, e Collegio de' Speziali sudetti potessero contro di loro in qualsivoglia modo competere, e riservandone il loro esercizio contro la sola Camera di Campidoglio, purchè il Fiscale di detta Camera per l'interesse della medesima in tutti, e singoli atti venga citato, con facoltà al d. Fiscale di poter sostituire in suo luogo uno, o più Procuratori a rispondere, dichiarando, che per questa Nostra disposizione non intendiamo di togliere, nè di abrogare al Collegio, e Consoli de i Speziali sudetti alcun Jus, o ragione, che avessero, o potesse competergli in qualsivoglia modo, o maniera contro il Protomedico, Consiglieri, e Collegio de' Medici, nè per avergli costituita particolar contradittrice la Camera di Campidoglio pregiudicargli nell' atti, e prove, che sin a questo giorno han fatto legittimamente nel detto giudizio, e derogare alla concordia stabilita tra detti Collegii, che però dichiaramo dover restar tutto nel suo pristino, e pieno vigore senza minima alterazione, come se il presente Chirografo rispetto a dette cose non fusse da Noi stato segnato, e così, e non altrimente ordiniamo a Voi di fare eseguire quelle provvisioni, che giudicarete essere necessarie, & opportune, che tale è mente, & volontà Nostra espressa. Volendo, e decretando, che il presente Nostro Chirografo con la semplice nostra sottoscrizione vaglia sempre, ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore, ancorchè detta Camera di Campidoglio, e suo Fiscale, ed altri Ministri di essa, detti Consoli, e Collegio de' Speziali, e qualsivoglia altra persona non siano stati citati, chiamati, nè sentiti, e che il presente Nostro Chirografo non s'ammetta in Camera, e non si registri ne' suoi Libri, conforme le Costituzioni di Pio IV., e sotto tali, ed altri pretesti, e ragioni di qualsivoglia sorte, ancorchè maggiori dell'espresse non possa, nè debba in alcun tempo esser impugnato, moderato, revocato, o ridotto a termini, e via di ragione, anche sotto pretesto di lesione, ancorchè enormissima, di obrezione, e surrezione, difetto d'intenzione Nostra, e vizio di nullità, e così, e non altrimente debba esser sempre giudicato, interpretato, e definito tanto da Voi, e Successori Vostri, quanto dalla Nostra Camera, e Rota, da Monsig. A. C., e qualsisiano altri Giudici Ordinarii, e Commissarii anche EE. e R̃mi Cardinali di Latere Legati, togliendo ad essi, e a ciascuno di loro facoltà di giudicare, o interpretare altrimenti, dichiarando irrito, e nullo tutto quello, che contro la forma del presente Nostro Chirografo si faceße, non ostante le cose predette; e qualsivoglia ragione, che aveßero, e potessero avere, e detta Camera, suoi Ministri, e sudetti Consiglieri, e Collegio de' Speziali, la detta lite pendente, la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore de Registrandis, la Nostra Regola di Cancellaria de Jure quæsito non tollendo, e qualsivoglia altre Costituzioni, ed Ordinazioni Nostre, e de' Nostri Predecessori, specialmente la detta Concordia tra i due Collegj de' Medici, e de' Speziali, confermata, come sopra, per quello fosse contraria alla Nostra presente dichiarazione; confermandola, ed approvandola nel restante, Leggi civili, e Canoniche, Riforme, e Statuti di Roma, di detta Camera di Campidoglio, di d. Collegj, benche fermati, e roborati con giuramento, e confermazione Apostolica, Usi, Stili, Consuetudini, e tutte altre cose, se bene contenessero Clausole, e Decreti insoliti, e derogatorie di derogatorie, e bisognasse di quelle farne special menzione, che facessero, o potessero in qualunque modo fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendo i loro tenori per espressi, ed inserti in questo a sufficienza di parola in parola per questa volta sola, e a quest' effetto solo specialmente, ed espressamente deroghiamo. Dato nel Nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 22. Settembre 1674.

Clemens PP. X.

§. 8. Nunc autem firmiori præmissorum robori, firmitati, & efficaciæ providere cupientes,

tes, ac præfatos Protomedicum, ejusque Consiliarios, & Collegium Medicorum specialis favore gratiæ prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, non ad illorum, aut cujusquam alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Chirographum præinsertum, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, ac inde cæteroqui legitimè secuta, & secutura quæcumque, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus.

Absolutio a Censuris.

Motu proprio d. Chirographum, & omnia in eo contenta confirmat.

§. 9. Ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, ac Urbis prædictæ, aliorumve quorumvis Statutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, eorumque reformationum, & novarum additionum, aut Decretorum, Privilegiorum, & Indultorum quorumcumque præscripto, quam de stylo, usu, & consuetudine, sive alias quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet, etiam quantumvis magnos, & substantiales, ac incogitatos, & inexcogitabiles defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliqui principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Supplet omnes defectus.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas, ac Chirographum præinsertum, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod personæ quælibet Collegiorum præfatorum respective, ipsaque Collegia, ac dilecti etiam filii Conservatores Cameræ Urbis præfatæ, & Procurator Fiscalis Curiæ Capitolinæ, cæterique Cameræ, & Urbis, ac Curiæ hujusmodi Officiales, & Ministri, ac quicumque alii, etiam cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis justa, Juridica, legitima, & privilegiata Causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali defectu, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirente, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas, vel illud aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, vel impetrato, seu etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes ac Chirographum præinsertum, omniaque, & singula in eis contenta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

Observantiã præsentium literarum, ac Chirographi mandat quibuscumque non obstantibus.

§. 11. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ generales Auditores, & ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ præfatæ Præsidentes Clericos, Urbis Senatorem, aliosque eorumdem Urbis, & Cameræ Officiales, & Ministros, cæterosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi potestate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 12. Non obstantibus præfatæ, & aliarum quarumvis litium pendentia, aliisque præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac rec. me. Pii PP. IV. prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse d. Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Cam. intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes Literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis, & Cameræ, necnon Collegiorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam Urbi, & Cameræ præfatæ, ac Collegiis præfatis, necnon Populo Romano, eorumque respective Officialibus, & Ministris, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries approbatis, confirmatis, & innovatis; nec non omnibus, & singulis illis, quæ in Chirographo præinserto voluimus non obstare. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 13. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pascatoris die 12. Novembris 1674. Pontificatis nostri Anno quinto.

Dat. 12. Nov. 1674. An. 5.

I. G. Slusius.

Registr. in Secret. in Libro Brevium Mensis Januarii par. utraque fol. 53.

LXXI. Absolutio Marci de Valimbert, Joannis Chassignet, Claudii Francisci Dorival, & Philippi Louvet Canonicorum Ecclesiæ Bisuntin. a censuris, & pœnis per eos incursis, ex causa temerariæ electionis Decani dictæ Ecclesiæ, contra mandata Alexandri VII., attenta eorum pœnitentia.

Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Bisuntin.

Edita An. D. 1674.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Alexand. VII. Decanū Ecclesiæ Bisuntinæ in illius Archiepiscopum præfecit reservata provisione Decanatus S. Sedi.

§. 1. Alias postquam fel. rec. Alex. PP. VII. prædecessor noster Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin. Pastoris solatio tunc destitutæ, tunc in humanis agentem Joannem Jacobum Fauche de Domprel, qui Decanatum primam post Pontificalem in eadem Ecclesia Dignitatem obtinebat, in Archiepiscopum, & Pastorem Apostolica auctoritate præfecerat, ac Decanatus dignitatem hujusmodi Apostolicæ provisioni affectum sibi specialiter reservaverat, & hujusmodi reservationem Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ per quasdam suas in forma Brevis die 26. Februarii 1661. expeditas literas insinuaverat, illosque monuerat, ut personas optime meritas, & servitio Dei, Ecclesiæque aptiores sub suo testimonio eidem Alexandro prædecessori referrent, quarum uni ea Dignitas probe conferri posset, prout ipse Alexander prædecessor se, omni personarum acceptatione postposita, collaturum affecuraverat. Illis interea specialiter inhibens, ne quod circa dictum Decanatum, aut Decani electionem agerent, vel attentarent, cujuscumque prætensæ facultatis, Indulti, Privilegii, & consuetudinis, vel alio titulo, nisi eorum juribus (si quæ prætenderent) ad audientiam ejusdem Alexandri prædecessoris relatis, ipsiusque Alexandri prædecessoris declaratione, atque institutione expectata, quæ præcedente cognitione, & deliberatione matura, ad ipsorum notitiam delata fuisset: Declarando irritum, & inane quidquid secus in præmissis ab eis, vel aliquo, seu aliquibus eorum quomodocumque, & qualitercumque contingeret fieri, vel attentari.

Hanc reservationem insinuavit Capitulo, monuitque ut ei referrent personas, quarum uni d. Decanatus conferri posset.

Eidem Capitulo inhibet, ne quid desuper attentet.

Capitulum eidem Pontifici unanimē obedientiam profitetur.

§. 2. Literis hujusmodi per eos receptis, Capitulum, & Canonici prædicti specialem Nuntium ad dictum Alexandrum prædecessorem miserant Claudium Antonium Reud. ex eorum gremio delectum, qui ipsius Alexandri prædecessoris præsentatus conspectui, literisque Capituli redditis, quæ die 26. Aprilis ejusdem anni datæ fuerunt, per quas suam erga eumdem Alexandrum prædecessorem, & Apostolicam Sedem devotionem, & obsequium contestantes ipsius Alexandri prædecessoris mandatis super præmissis unanimem obedientiam profitebantur, benigne exceptus, ac subinde quatuor Romanæ Curiæ Prælatos doctrina, & integritate præstantes informare jussus fuerat, ut eorum auditis votis certius reciperet Justitiæ complementum.

Idem Pontifex committit quatuor Prælatis examen Jurium d. Capituli.

Capitulum dein devenit ad Electionem Decani.

§. 16. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 8. Febr. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Febr. 1675. Pontificatus nostri Anno quinto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Februarii par. 2. fol. 169.

LXXX.

Breve, quo declaratur tam PP. Capuccinis, quam PP. Tertiariis Gallicanæ Congregationis, licere Personas Sæculares utriusque sexus admittere ad Tertium Ordinem a D. Francisco pro Fidelibus in Sæculo degentibus institutum, rescissis, & revocatis quibuscumque Literis, & Statutis in contrarium decernentibus.

In hac Constit. revocatur quidquid statutum fuerat in Constit. 27. in Append. Tom. VI. pag. 31. Exponi nobis, hujus Pontif.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ Regimini, Divina dispositione, præsidemus, Nos admonet, ut Christifidelium Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, aspirante superni favoris aura, proferre jugiter satagentium, quieti, & Religiosæ tranquillitati consulere studentes, ea, quæ litium dirimendarum, amabilisque concordiæ stabiliendæ studio inter eos provide conventa esse noscuntur, quo firmius perennent, nec reciduis conventionibus umquam agitari possint, Apostolici muniminis patrocinio constabiliamus.

Exponitur controversia inter fratres Capuccinos, & fratres 3. Ord. S. Francisci Congr. Gallicanæ.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Bonaventura a Recineto Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, & Fratr. Tertii Ordinis ejusdem S. Francisci Congregationis Gallicanæ, quod cum dudum inter Fratres Minores Capuccinos ex una, & Fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanæ hujusmodi ex altera partibus, controversia super jure conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci personis sæcularibus utriusque sexus extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum Jurisdictionis subditis, exorta fuisset, variaque Decreta a Congregationibus S. R. E. Cardinalium, ac etiam Literæ Apostolicæ ad Partium præfatarum favorem desuper respective emanassent, nec tamen controversia hujusmodi adhuc conquievisset: eædem Partes, Fraternæ charitatis inter Ordines præfatos conservandæ studio, accedentibus etiam exhortationibus dilectorum filiorum Nostrorum Jacobi Rospigliosi, & Cæsaris Destrees nuncupatorum ejusdem S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, ac intercessiona dilecti filii Nobilis Viri moderni Ducis Destrees pro Cha-

rissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoris, ad concordiam super præmissis (servato tamen desuper Nostro, & d. Sedis Beneplacito) devenerunt; *ut scilicet tam præfatis Fratribus Capuccinis, quam dict. Fratribus Tertii Ordinis d. Congregationis Gallicanæ liceat habitum præfatum Personis Sæcularibus utriusque sexus juxta usum apud suos respective receptum conferre*, & alias, prout plenius continetur in scriptura desuper confecta, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Super hoc Partes devenerunt ad Concordiam sub beneplacito S. Sedis.

Tenor ejusdē Concordiæ.

§. 2. *In nomine Domini coram Emis Cardinalibus infranominatis anno Domini 1675. die 6. Februarii confectum* est Romæ præsens Instrumentum, & ab utraque parte acceptatum in sequenti forma. Cum jam diu Patres Capuccinos inter, & Tertiarios Regulares, quæstio nata sit de, & super jure conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci personis Sæcularibus utriusque sexus extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum Jurisdictioni subditis, eaque controversia multis intercedentibus Emorum Cardinalium, tum Sacri Concilii interpretationi, tum Episcoporum, & Regularium Consultationibus præpositorum Decretis, ac SSmorum Pontificum Brevibus, nondum penitus composita sit: ne diuturniore contentione pax, & charitas inter dd. Ordines labefactari queat, utriusque Ordinis Procuratoribus, pietatis, & concordiæ studio, accedente auctoritate, & exhortationibus Emorum Cardinalium Rospigliosii, & Destrees, necnon Excellentissimi Ducis Destrees ad S. Sedem Extraordinarii Regis Christianissimi Oratoris, eam exortas illa de re lites componendi, & futuras in posterum amputandi, optimam rationem inire placuit, *ut scilicet tum Patres Capuccini, tum Tertiarii Sæcularibus utriusque sexus habitum S. Francisci conferant utrique, juxta usum apud suos receptum, & Jura quibus hactenus gaudere consueverunt* -- Salva, & reservata super præmissis, S. Sedis Apostolicæ confirmatione, pro qua enixe supplicatur, super his silentio imposito F. Amadeus Bajocensis Capuccinus Procurator, F. Bartholomæus Veronensis Procurator Provinciæ S. Ivonis Tertii Ordinis, Cæsar Cardinalis Destrees, Jacobus Cardinalis Rospigliosius.

Preces utriusque Partis.

§. 3. Quare exponentes præfati Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur ipsos Exponentes specialibus gratiis, & favoribus prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac supradictorum Decretorum, & Literarum Apostolicarum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, concordiam inter Partes prædictas initam, ut præfertur, confectamque desuper scripturam præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & proinde perpetuum super controversia prædicta utrique Partium silentium eadem auctoritate, harum serie imponimus.

Absolutio a Censuris.

D. Concordiam auctoritate Apostolica confirmat.

Supplet defectus, & utriq; Parti silentiū imponit.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Congregationis Gallicanæ, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 20. Febr. 1675. Pontificatus Nostri Anno Quinto. Dat. 20 Febr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Reg. in Sec. in lib. Brevium Mensis Februarii.

LXXXI.

Confirmatio Decreti Emorum Cardinalium Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe Protectorum ut imposterum nullus, vel Convictor, vel Alumnus recipiatur in dictum Collegium, qui non habeat qualitates in Bulla Constitutionum ipsius Collegii requisitas, & sit natus, & educatus in Provinciis in dicta Bulla expressis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposuerunt Nobis nuper Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectores, quod dudum fel. rec. Gregorius PP. XIII. Prædecessor Noster dictum Collegium fundavit, illudque à Seminario Romano, in quo Alumni, & Convictores Itali educantur, separando, ordinavit, ut nemo in Alumnum, vel Convictorem ejusdem Collegii admitteretur, qui ex Provinciis, & Circulis Germaniæ in literis Constitutionum ipsius Collegii expressis non esset.

Ordinatio Greg. XIII.

§. 1. Et subinde cum cubicula in dicto Collegio nonnullis Convictoribus Italis variis temporibus concessa fuissent, ab ejusdem S. R. Eccl. Cardinalibus Protectoribus, & Superioribus Collegii præfati tunc existentibus cognitum fuit, ejusmodi nationum diversitatem, disciplinæ, & gubernio Alumnorum multum obesse, ac finem fundationis ejusdem Collegii impedire; Unde iidem Cardinales Protectores expresse decreverunt, ne Convictores in Collegium hujusmodi, nisi juxta dispositionem literarum præfati Gregorii prædecessoris reciperentur.

Contravētio.

Decretum Cardin. Protectorum.

§. 2. Verum

Nova Contraventio.

§. 2. Verum progressu temporis cum aliqui Convictores Itali, propter vehementes personarum potentium commendationes, in Collegium prædictum introducti fuissent, qui nimis libere, ac modo ab instituto ejusdem Collegii omnino diverso vivebant, rec. me. Innocentius Papa X. etiam prædecessor Noster incommodorum, quæ inde nascebantur, conscius, mandavit dilecto Filio Joanni Paulo Olivæ Præposito Generali Societatis Jesu tunc dicti Collegii Rectori, ne in ipsum Collegium amplius admitterentur sub quocumque prætextu Convictores ex Nationibus per præfati Gregorii prædecessoris literas, & Cardinalium Protectorum decreta hujusmodi exclusis; & vigore mandati hujusmodi, ejusmodi Convictores, qui ibi tunc erant, inde dimissi fuerunt.

Innoc. X. mandatum.

Vigore hujus mandati Cōvictores Itali eo tunc fuerunt dimissi.

Postea dispēsatum fuit.

§. 3. Cumque Collegium ipsum, existentibus in eo solis Alumnis, & Convictoribus, quos literæ Apostolicæ admitti præscribunt multos per annos optima disciplina, atque pace gavisum fuisset, subinde cum nonnullis Convictoribus Italis dispensatum fuit, ut in illud admitterentur, atque ita præteritæ inquietudines, non sine magno divini servitii detrimento, atque molestiis Superiorum, qui abusus, & incommoda inde subnascentia impedire nequibant, renovatæ fuerunt.

Tenor Decreti per Card. Protectores ejusdem Collegii edit. die 29. Jan. 1675.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Collegium præfatum ab ejusmodi præjudicii, atque incommodis liberum de præsenti reperiatur, & ne in ea deinceps relabatur, Cardinales exponentes prædicti, Decretum ediderint, tenoris qui sequitur videlicet: Nos Franciscus Cardinalis Barberinus, Nicolaus Cardinalis Ludovisius, Flavius Cardinalis Chisius, Jacobus Cardinalis Rospigliosius, Palutius Cardinalis Alterius, Collegii Germanici, & Hungarici Cardinales Protectores bene perspectis dicti Collegii Constitutionibus, quodve pro subveniendo spiritualibus Germaniæ, & Hungariæ necessitatibus juxta finem Constitutionis Collegii, consultum magis, atque utile futurum sit diligentius attendentes rationum momentis utrinque perpensis unanimi consensu statuimus, atque decernimus, ut in posterum nullus, vel Convictor, vel Alumnus recipiatur in Collegium: qui non habeat qualitates in Bulla Constitutionum requisitas, & sit natus, & educatus in Provinciis in dicta Bulla expressis, & indicatis, ut melius sublata Nationum diversitate, & incommodis exinde oriri solitis ejusdem Collegii Alumni possint unanimiter in solidæ pietatis, & literarum studia incumbere, & finem assequi, ad quem Collegium ad majorem Dei gloriam, & Animarum salutem institutum fuit, atque ita executioni mandari ab ejusdem Collegii Rectore: hoc scripto manu Nostra firmato statuimus, decernimus, & mandamus supplicando SSmo Dño Nostro Clementi X. ut dignetur hoc Nostrum decretum sua auctoritate confirmare. Dat. Romæ hac die 29. Januarii 1675. -- Franciscus Episcopus Ostien. Cardinalis Barberinus. -- F. Cardinalis Chisius. -- IC. Cardinalis Rospigliosius. -- P. Card. de Alteriis.

Preces Card. Protectorum.

§. 5. Nobis propterea iidem Cardinales Exponentes humiliter supplicarunt, ut Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum Cardinalium votis hac in re favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præinsertum, omniaque, & singula in ea contenta, & expressa, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Pontifex dict. Decretum Ap. auctoritate confirmat.

Supplet in omnes defectus.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Collegii, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 4. Martii 1675.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Martii 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. Mensis Martii part. utraque fol. 101.

LXXXII.

Indultum quod in universo Ordine Fratrum tam Calceatorum, quam Excalceatorum, & Monialium Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum celebretur sub ritu duplici de præcepto Officium, & Missa omnium Sanctorum, & Sanctarum dicti Ordinis die 13. Novembris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolicæ servitutis officium, quod ineffabilis divinæ Majestatis Clementia humilitati nostræ imponere dignata est, exigit, ut Sanctorum in Cœlesti Hierusalem, cum Christo Jesu Domino nostro regnantium cultum, & venerationem in terris quantum Nobis ex alto conceditur promovere, atque ampliare studeamus.

Preces.

§. 1. Itaque piis dilecti filii nostri Petri tituli Sancti Marci S.R.E. Presbyteri Cardinalis Ottoboni nuncupati Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, precibus, benigne annuentes, ac etiam supplicationibus dilecti filii Francisci a Sancto Marco Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Excalceatorum nuncupatorum ejusdem Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ipsumque Franciscum Procuratorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat

Absolutio a Censuris quo ad d. Procuratorem Generalem.

consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ut in futurum omnes, & singuli tam Calceati, quam Excalceati Fratres, & Moniales Ordinis præfati semel in anno, nempe die decima tertia Mensis Novembris Officium, & Missam Omnium Sanctorum & Sanctarum ejusdem Ordinis juxta Rubricas Breviarii, & Missalis ipsius Ordinis sub ritu Duplici recitare, & respective celebrare, & quoad dispositionem dicti officii se concessioni alias videlicet die 11. Octobris 1671. Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini factæ, conformare, omniaque in calendario Breviarii, & Missalis Ordinis primo dicti de præcepto apponi, & imprimi curare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indultum recitandi, & celebrandi Officium, & Missam omnium SS. in universi Ordinis B. Mariæ de Mercede.

Dispositio Officii.

Quod omnia in Calendario Breviarii, & Missalis Ordinis de præcepto apponi, & imprimi possint.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Martii, millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 27. Martii 1675.

I. G. Slusius.

LXXXIII.

Erectio Hospitii pro noviter conversis ad Fidem.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter alia gravissima onera, quibus Nos premit Pastoralis Officii cura, illud cætera superat, oves ab ovili Sanctæ Fidei orthodoxæ Romanæ devias in fautibus lupi hæresis inhærentes, ac ad portas æternæ damnationis pergentes, ad ejusdem S. Matris Ecclesiæ, in qua tantummodo, ut in Arca Noe vera salus reperitur, vias rectas remittere, & reducere.

§. 1. Super hoc igitur acies nostræ mentis tuto debito zelo dirigentes, ac quod Divina pietas proprie numquam in hoc deficienti assistentia hoc nostrum sanctum propositum confovere non dedignaretur confidentes, ea auxilia, & media, quæ operi adeo digno muneri Pastorali Nostro præstari necessaria, & debita dignoscuntur, quantum in Nobis est præparare non distulimus: sane ad effectum prædictum, & ut isti Filii novi ejusdem S. Matris Ecclesiæ recipi possent, mediante dilecto Filio Nostro Bernardino S.R.E. Cardinali Roccio nuncupato tunc Archiepiscopo Damasceno, & Palatii Nostri Apostolici Præfecto, cui super hoc vices Nostras dedimus, Domum ad Nationem Picenam alias S. Domus Lauretanæ de Urbe prope Ripettam spectantem de propriis nostris pecuniis, ac pretio septem millium scutorum monetæ, cum illius nationis Ecclesia, aliisque appendiciis emi curavimus, & subinde decem millia scuta in emptionem tot Locorum Montium Cameralium non vacabilium de Urbe prædicta eroganda donavimus.

Pro hæreticis conversis ad fidem emit domum prope Ripettam.

Donat scut. 10. m.

§. 2. Interim vero, sicut Nobis innotuit, auxiliante Domino, unum parvum Hospitium sub cura, & directione dilecti Filii Mariani Succini Presbyteri Congregationis S. Philippi Nerii de eadem Urbe, suffragante ei ope aliorum duorum piorum Presbyterorum apertum, & præparatum fuit, illudque ex eleemosynis piorum Christifidelium non satis laudabilis charitas manutenere, eique de necessariis subvenire non deficiebat, pro cujus quidem pii operis majori progressu eisdem Presbyteris Adjutores in hoc se se præbuerant dilecti Filii Marchio Horatius de Spadis, necnon Marchio Ferdinandus de Mutis, ac Lucas Abbas Millinus, & Stephanus Ricciardus Presbyter J.U.D., ac Curiæ Capitolinæ de præsenti secundus Collateralis, ac Ferdinandus Capponus, Joseph de Comitibus, Franciscus Spentner, Josephus Melgarini, Guillelmus Lesleus, Hieronymus Berti, Mathias Peroni, aliique pii Viri Clerici, seu Laici insimul Congregationem super hoc opere pio construentes respective, cum notabili operis pii hujusmodi augmento, itaut, sicut accepimus, biennio adhuc non completo, qui perfida hæresi per eos abjurata, ad gremium ejusdem S. Matris Catholicæ Ecclesiæ, Divina favente Clementia, recurrerunt, usque ad numerum nonaginta duorum ascendunt, inter quos nonnulli Regularium strictioris observantiæ statum amplexi fuerunt.

Pro eisdem Conversis aperitur Hospitium.

Illius sustentatio.

Ibi biennio 92. Conversi ad Religionē Catholicam fuerunt recepti.

§. 3. Propterea que Nos, quibus semper cordi est omnium præcipue istius proficui operis augmentum, quique licet ut opus istud adeo pium, & pietate Catholica dignum, majus in dies susciperet incrementum, & majori commoditati habitationis, ac alias consultum fuisset istis, qui sponte veniunt ad fidem noviter conversis in aliqua Palatii Nostri præfati parte locum præbere ardenti desiderio, ut inibi paternum refugium invenirent, optaverimus:

Desiderium SS. Pontificis.

§. 4. Nihilominus, quia possibile non fuit aliquam d. Palatii portionem ad hunc effectum separare, loca, seu situs eidem Palatio proximiora, seu proximiores considerando, & examinando satis aptum, & valde commodum Nobis visum fuit Hospitium B. Mariæ Virginis Gratiarum nuncupatum prope Portam Angelicam, & Palatium Nostrum Apostolicum S. Petri, quod sub protectione dilecti Filii Nostri Palatii Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum S.R.E. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, reperitur, & in quo de præsenti nonnulli pauci in numero existentes Eremitæ reperiuntur, quibus ad observantiam alicujus ex tribus substantialibus votis per alios Religiosos observari, seu profiteri debitis minime adstrictis tantummodo ex eorum Instituto onus quæstuandi eleemosynas pro substentatione tresdecim pauperum, recipiendi Infirmos, ad effectum illos ad Hospitalia transmittendi, & Eremitas per aliquod temporis spatium Hospitio recipiendi incumbit, illudque ad utrumque effectum satis capax, & sufficiens, ac ab aliis habitationibus sæcularium, & populari strepitu separatum, & divisum, existimamus.

Designatur Hospitium B. M. Virginis gratiarum prope Portā Angelicam, & Palatium Ap. S. Petri.

Institutum Eremitarum, qui in d. Hospitio degebant refertur.

§. 5. His igitur, & aliis de causis adducti valde utiliter de eo, ut infra, disponere cupientes eo magis, ut in illo antiquus, & pius usus receptionis Pauperum in receptione hujusmodi Pauperum conversorum, qui ex eo, quod Patriam, Parentes, Consanguineos, & bona ad orthodoxam Sanctam Fidem amplectendam relinquunt, & quo magis sufferunt adeo gravia incommoda pro amplectendis veræ Fidei dogmatibus eo magis misericordi, & paterno affectu Nostræ solicitudinis digniores efficiuntur, manuteneatur, seu quatenus opus sit magis atque magis renovetur, & augeatur, inibique Fidei Catholicæ Alumni recipi, & sublevari valeant quarumcumque aliarum literarum a Nobis quomodolibet in favorem Hospitii hujusmodi super erectione, aut alias a Nobis concessarum, seu emanatarum, etiam per viam confirmationis, necnon Instrumentorum in favorem hujusmodi Hospitii per quosvis celebratorum,

Pontifex de illo disponere intendit favore dd. Conversorum.

torum, aliorumque supradictorum tenores, etiam veriores, ac dat. præsentibus pro expressis habentes, ac omnes, & singulos ejusdem Hospitii Administratores, & Ministros, seu Deputatos, in eoque degentes, & inservientes, & eorumque singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Absolutio à Censuris.

Erectio novi Hospitii.

§. 6. Motu proprio, non ad alicujus Instantiam, sed ex Nostris scientia, liberalitate, & deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, præcipuamque illorum, qui, ut præfertur, veniunt ad Fidem, salutem, & commodum unum Hospitium sub invocatione B. Mariæ Virginis Gratiarum, & Sancti Michaelis Archangeli in prædicto Hospitio, seu Cœnobio Eremitarum ejusdem B. Mariæ Virginis Gratiarum ad Portam Angelicam, in quo ii, qui sponte venerunt ad Fidem Romanam advenientes gratuito, & urbane recipiantur, inibique per tempus designandum, & prout recipiendorum hujusmodi utilitas suaserit, & necessitas arbitrio Congregationis prædictæ duraturum, alantur, ut durante dicti temporis spatio cujuslibet illorum voluntas cuinam iidem, ut supra recepti, arti, seu exercitio, aut statui, qua, seu quo mediante, postquam e dicto Hospitio dimissi fuerint, sustentari possint, operam dare in mente, & intentione gerant, explorari valeat adhoc, ut facta per illos declaratione eorum voluntatis in ea arte, seu exercitio, aut statu, omni cura & sedulitate dirigi, & applicari possint.

Tempus quo Conversi ibi retineri debeant relinquitur arbitrio Congregationis.

Mandat Eremitas ibi tunc degentes non esse removendos.

§. 7. Eremitis in dicto Hospitio ad præsens & pro tempore degentibus minime remotis eorumque Instituto, & habitu, uti prius in suis juribus, & redditibus, aliisque observari solitis, semper, & perpetuo remanentibus, ac salva dicta protectione, sub qua, ut præfertur, eorum Hospitium, iidemque Eremitæ reperiuntur perpetuo erigimus, & instituimus, illique sic erecto, & instituto pro illius dote, & manutentione, ac onerum sustentatione prædicta loca Montium, & Domum prædictam a dicta Natione Picena emptam, mediantibus prædictis summis per Nos, ut præfertur, erogatis, ac domunculam prope dictam Domum olim ejusdem Nationis emptam sub die prima Decembris Anno Domini 1674. per acta Nicolai Mazzeschi Notarii publici Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris majores in dies proventus favente Domino, assignaturi, ac etiam omnia, & quæcumque bona, redditus, eleemosynas eidem novo Hospitio a quibusvis Christifidelibus elargita, donata, & relicta, ac acquisita, quorum quantitates, qualitates, & valores pro expressis haberi volumus, ac quæ de cætero elargienda, donanda, & relinquenda ab eorumdem Christifidelium pietate, & charitate, ita quod liceat Congregationi prædictæ nomine dicti Hospitii, illorumque corporalem, realem, & actualem possessionem apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, cujusvis licentia desuper minime requisita, etiam perpetuo applicamus, & assignamus.

Dotem huic novo Hospitio assignat, prout in rub.

Declarat esse Membrum Palatii Apostol. & ab ipso omnino dependens.

§. 8. Ac idem novum Hospitium, cum illius Ecclesia, aliisque membris, & dependentiis, ac juribus, & bonis, in omnibus, & per omnia Palatii nostri Apostolici membrum efficimus, ac etiam ab eodem omnino dependere declaramus, ac semper, & quandocumque esse, & censeri, ac uti tale respici, & considerari volumus, & mandamus, illudque una cum supradictis, necnon Hospites, Ministros, illusque bona jurisdictioni moderni, & pro tempore existentis Palatii Apostolici Præfecti etiam perpetuo motu pari subjicimus, ponimus, & collocamus.

Subjicit Jurisdictioni Præfecti Palatii Apostolici.

§. 9. Quia vero pietas, prudentia, & fidelitas ejusdem Congregationis Nobis satis nota existit, administrationem illius, tam quoad regimen, disciplinam, & victum Hospitum, quam circa receptionem, & dimissionem illorum, & cujuslibet Ministrorum, necnon etiam redditũum, bonorum, aliorumque præmissorum, ut supra, & in alios usus convertentes, & erogantes, cum hoc tamen, quod vigore mandatorum Palatii Apostolici Præfecti, cui bis in quolibet Anno, & quoties ei magis libuerit, ratio administrationis redditũum hujusmodi reddi debeat eidem Congregationi, concedimus, & tribuimus, ac reservamus: & insuper eidem Congregationi pro felici directione, & gubernio ejusdem Hospitii per Nos erecti quæcumque statuta, & Ordinationes Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aliisque constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis minime contraria faciendi, decernendi, eaque cum opus fuerit, revocandi, immutandi, & corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ posteaquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta, ac de novo condita fuerint, perinde habeantur, & observentur, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata essent, prout illa ab omnibus, ad quos spectabit, haberi, & inviolabiliter observari mandamus.

Committit administrationem illius Congregationi prout in rub.

Facultates Præfecti Palatii Apost.

Dat Congregationi facultatem condendi statuta.

§. 10. Et insuper eidem Hospitio, illiusque Hospitibus, & Ministris, aliisque personis in eo pro tempore degentibus, & existentibus, ut omnibus, & quibuscumque Privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & Indultis, quibus Palatium Nostrum Apostolicum, Nobisque, ac Romanis Pontificibus inibi inservientes, & assistentes, ac in eo degentes, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus quomodocumque utuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si novum Hospitium hujusmodi, ac Ministri, & Hospites, & in eo degentes intra dicti Palatii limites permanerent, etiam concedimus, & indulgemus.

Cõcedit omnia Privilegia, exemptiones, & Indulta quibus gaudent Palatium Ap. & Romanis Pontificib. pro tempore inservientes.

§. 11. Postremo, ut temporalibus commodis spiritualia quoque munera conjungamus, quibus Fidelium devotio eis munita crescere magis, & augeri possit de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus recipiendis Hospitibus destinatis, & Ministris, aliisque in d. Hospitio degentibus in ipso ingressu, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pias ad Deum preces pro hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, ac inter Christianos Principes facienda, & fovenda Pace, ac Romani Pontificis salute effuderint, ac etiam quos in eodem Hospitio decedere contigerit, si pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, si id commode fieri poterit, ac saltem contriti in eorum mortis articulo dulce nomen Jesu corde si ore nequierint devote invocando, plenariam omnium, & singulorum suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem perpetuo concedimus.

Indulgentia plen. omnibus recipiendis Hospitibus, & Ministris, aliisque in d. Hosp tio degentibus in ipso ingressu, prout in rubrica.

Item in dicto Hospitio decedentibus prout in rubrica.

§. 12. Decernentes prædicta omnia subsistere, necnon præsentes literas ex quovis capite, etiam juridico, & legitimo, pio, privilegiato,

Supplet omnes defectus.

speciali nota digno, ac de necessitate juris, vel facti omnino exprimendo, aut, alias nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ defectu, etiam forsan ex eo, quod in præmissis interesse habentes, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari, aut adversus eas quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium, seu oris aperitionem impetrari, vel etiam Motu simili concedi numquam posse, illasque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede Apostolica emanatis, & in posterum emanandis minime comprehendi posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, eidemque Hospitio plenissime suffragari: sicque, & non alias in præmissis, & circa ea per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 13. Quocirca dilectis filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac ejusdem Cameræ nostræ Thesaurario, necnon nostri Palatii Apostolici Auditori Decano, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, ubi, & quando pro parte ejusdem Hospitii Administratorum, & Ministrorum, seu Deputatorum pro tempore existentium, aut alicujus eorum requisiti fuerint solemniter publicantes, ac eis in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, & memoratos Hospitii Administratores, & Ministros, seu Deputatos prædictos, aliosque pro tempore interesse habentes hujusmodi, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Nos enim præfatis Auditori, Thesaurario, & Decano, & eorum cuilibet omnes, quos opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, citandi, illisque, & eorum cuilibet etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis inhibendi, Contradictores, servata forma Concilii Tridentini incidisse declarandi, gravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii Sæcularis, etiam ad hoc, si opus fuerit invocandi, aliaque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus.

Exequutores designat.

§. 14. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, fel. rec. Pii Papæ IV. prædecessoris nostri de registrandis gratiis interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus, necnon Regula nostra, seu mandato de non tollendo jure quæsito, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, aliisque specialibus, vel generalibus Conciliis editis, vel edendis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Hospitalium, & Xenodochiorum Urbis, & Congregationis Eremitarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, & eorum cuilibet, & quibusvis aliis Superioribus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in contrarium præmissorum, ac etiam in favorem aliorum Hospitiorum, aliorumque Superiorum, & Personarum in genere, vel in specie quomodolibet, etiam pluries concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac etiam de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime, & validissime, ac specialiter, & expresse motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, ac quatenus opus sit piæ me. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas ad judicium vigore præsentium non trahatur, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis latissime derogat.

§. 15. Volumus autem, quod præsentium transumptis eadem prorsus fides adhibeatur, tam in Judicio, quam extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, assignationis, subjectionis, exemptionis, liberationis, concessionis, communicationis, Indulti, Constitutionis, deputationis, Decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1675. tertio Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 30. Mar. 1675. An. 5.

G. Card. Prodatarius.

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LXXXIV.

Confirmatio, & innovatio Privilegiorum per Julium III., Gregorium XIII., Clemen. VIII., Gregorium XV., & Clemen. IX., Collegio Germanico, & Hungarico de Urbe concessorum cum prohibitione Episcopo Lauden. ne in Ecclesia Parochiali, & Monasterio Sancti Petri Laudi Veteris Ordinis S. Benedicti, ejusque annexis, & dependentibus olim plenarie unitum eidem Collegio ullam potestatem, aut jurisdictionem tam ordinariam, quam delegatam exerceat usque ad beneplacitum S. Sedis, translata interim Jurisdictione hujusmodi in Metropolitanum Mediolanensis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exposuerunt nobis nuper Venerabiles Fratres nostri S.R.E. Cardinales Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe Protectores, quod licet dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor

Gregor. XIII. Monasterii S. Petri Laudi Veteris Ord. S. Benedicti Lauden.

Diœc. univit Collegio Germanico.

decessor noster Monasterium S. Petri Laudi Veteris Ordinis S. Benedicti Lauden. Diœc. quod Conventu Regulari carebat, & in quo præter Vicarium perpetuum, qui curam animarum Parochianorum illius Ecclesiæ, quæ etiam Parochialis erat, exercebat, alii duo, vel tres Servientes presbyteri Sæculares dumtaxat, iique ad nutum amovibiles, ad celebranda ibi divina Officia, residebant (nomine tantum, & denominatione Abbatis, ac dignitate Abbatiali, nec non Ordine, ac omni statu, & essentia, Regularibus, auctoritate Apostolica, perpetuo suppressis, & extinctis) cum Ecclesia, ædibus, ædificiis, proprietatibus, prædiis, possessionibus, bonis, juribus, jurisdictionibus, & actionibus, ac illi annexis quibuscumque d. Collegio eadem auctoritate sub certis modo, & forma tunc expressis eisdem perpetuo univerit, annexuerit, & incorporaverit, perpetuamque in eadem Ecclesia Vicariam cum dote congrua pro uno Vicario perpetuo, qui curam Animarum dd. Parochianorum exerceret, erexerit, & instituerit.

In Ecclesia Parochiali d. Monasterii erexit Vicariam perpetuam.

Exemptio Collegii Germanici.

D. Greg. XIII. Cardinales d. Collegii, personarum, & bonorum Protectores constituit cum facultatibus, prout in rub.

§. 1. Et subinde postquam tam rec. me. Julius Papa III. etiam prædecessor noster, quam prædictis Gregorius prædecessor Collegium prædictum, ac illius Scholares, & ministros pro tempore existentes, eorumque bona in d. Urbe, vel extra eam ubicumque locorum consistentia ab omni jurisdictione & correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate quorumcumque Judicum, & Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes, & exemptos, ac libera, immunia, & exempta fecerant, & constituerant, necnon eos, & ea sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione susceperant; dictusque Gregorius prædecessor nonnullos in humanis agentes ejusdem S. R. E. Cardinales dicti Collegii, ejusque Collegialium, ac personarum, & bonorum quorumcumque Protectores constituerat, & deputaverat, illisque omnes, & singulas causas civiles, & criminales, meras, & mixtas dicti Collegii, illiusque Collegialium, Scholarium, Rectorum, aliorumque Ministrorum, & Officialium pro tempore existentium in rebus, & bonis Collegium supradictum, ac illius res, jura, & actiones, ac bona concernen. tam active, quam passive per seipsos, aut alium, seu alios, qui eis viderentur etiam manu regia, ac omni, & quacumque appellatione remota audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, aliaque faciendi, & exequendi liberam facultatem concesserat:

Ampliatio d. exemptionis facta per Clementem VIII.

§. 2. Piæ me. Clemens Papa VIII. prædecessor noster ad tollendam tunc exortam quandam dubietatem Motu proprio, ac ex certa scientia, atque Apostolicæ potestatis plenitudine statuerit, & ordinaverit, & ita etiam prædictorum prædecessorum mentem, & intentionem fuisse declaraverit, quod præter prædictos Collegii Germanici, & Hungarici hujusmodi Protectores nullus alius Judex quacumque auctoritate, privilegio, & facultate munitus, tam Ecclesiasticus, quam Sæcularis, ac tam Ordinarius, quam Delegatus, tam in dicta Urbe, quam extra eam in causis, & negotiis ad Collegium prædictum, illiusque personas, res, & bona, ac jura quomodolibet ex quovis Capite spectantibus, & pertinentibus, tam præsentibus, quam futuris, sive active, sive passive, tam in prima, quam in secunda, & ulteriori instantia quomodolibet exercere valeret; sed quod omnis jurisdictio, & superioritas in omnibus, & singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus, & criminalibus, meris, & mixtis ipsum Collegium, ac illius Scholares, Ministros, officiales, & personas, eorumque bona, res, & jura quæcumque, aut alias quomodolibet concernentibus ad prædictos, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, seu Judices, deputatum, seu deputatos, vel deputandum, seu deputandos pleno jure, & in quacumque instantia, etiam privative quoad omnes alios quoscumque Judices, etiam quoad illarum finalem, & totalem executionem cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque Judicibus introductas, & pendentes reassumendi, ac illis inhibendi, aliisque facultatibus, clausulis, & decretis in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper expeditis latius contentis, & expressis.

§. 3. Ac postmodum accepto per similis rec. Greg. Papam XV. etiam prædecessorem nostrum, quod licet stantibus præmissis, omnis jurisdictio, & superioritas in singulis causis hujusmodi Protectoribus prædictis competere nosceretur, ac etiam præfatus Gregorius XIII. prædecessor per alias suas literas spiritualem jurisdictionem, & animarum curam, quam Ecclesiæ d. Collegio unitæ habebant, totam ad ipsius Collegii Protectores pertinere, & siquid forte in prædicti Collegii Constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret, vel ambiguum, id Protectores, & Superiores prædictos re mature deliberata ex communi omnium consensu supplere, & declarare, ac ad alia extendere posse voluisset, & desuper Collegium, illiusque Protectores Collegiales, personæ, & ministri hujusmodi molestari non deberent; nihilominus nonnulli contra mentem, & intentionem prædecessorum prædictorum se se in jurisdictione hujusmodi intromittere præsumebant, & procurabant, ac tunc forte lites desuper introductæ reperiebantur:

Privilegia Collegii Germanici referuntur.

Dubia exorta super hujusmodi Jurisdictione.

Gregor. XV. omnia antedicta Privilegia confirmavit, & lites super eis introductas extinguit.

§. 4. Ipse Gregorius XV. prædecessor in præmissis omnem dubitandi occasionem tollere volens, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus prævia privilegiorum anteriorum confirmatione, ac quarumcumque litium, & causarum super præmissis, seu eorum aliquo quomodolibet introductarum, ac etiam in Auditoris causarum Palatii Apostolici vel alibi coram quibuscumque Judicibus pendentium avocatione, illarumque suppressione, & extinctione, ac perpetui silentii impositione inter alia statuerit, & ordinaverit, & ita eorumdem prædecessorum, & suæ mentis, & intentionis fuisse, & esse declaraverit, quod præter prædictos, & pro tempore existentes Collegii Germanici, & Hungarici hujusmodi Protectores nullus alius Judex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, & facultate munitus, tam Ecclesiasticus quam Sæcularis, ac tam Ordinarius quam delegatus, tam in dicta Urbe quam extra eam in causis, & negotiis ad præfatum Collegium, illiusque personas quascumque res, bona & jura ex quovis capite spectantibus, & pertinentibus, tam præsentibus, quam futuris quovis modo se intromittere, vel alias actum aliquem jurisdictionis, tam civilis, quam criminalis, tam circa res, bona, & jura ipsius Collegii, quam illius personas:

Aliæ ejusdem Pontificis Declarationes referuntur.

§. 5. Necnon Parochiales, ac sine cura Ecclesias, seu Cappellas, Cappellanias, & Beneficia quæcumque dicto Collegio quomodolibet unita, seu annexa, aut ab eo ratione Monasteriorum, Prioratuum, seu Ecclesiarum ipsi incorporatarum quocumque modo dependentia, ac Presbyteros, Vicarios, Cappellanos, & Ministros quomodolibet nuncupatos illis pro tempore etiam in cura, & exercitio Parochialibus, ac divinis deservientes ad nutum Protectorum, vel aliorum Superiorum, aut Collegialium d. Collegii, prævia tamen Ordinarii approbatione, ponendos, & amovendos, ac etiam perpetuos quomodolibet exercere posset, & valeret:

§. 6. Curamque omnium, & singularum Ecclesiarum Parochialium, & Curatarum ad prædictum Collegium quomodolibet spectan-

tium

tium ab omnimoda jurisdictione, superioritate, & Dominio quorumcumque Ordinariorum penitus, & omnino (præterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis) perpetuo exemerit, & liberaverit, ac omnem jurisdictionem, & superioritatem in omnibus, & singulis causis suprascriptis, & aliis quibuscumque civilibus, & criminalibus, meris, & mixtis ipsum Collegium, & ejus Scholares, ac Ecclesias eidem Collegio unitas, Ministros, Officiales, & personas, eorumque bona, res, & jura, & Curam animarum, illiusque exercitium, ac Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem, aut alias quomodolibet concernentibus ad præfatos, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, seu Judices deputatum, seu deputatos, vel deputandum, seu deputandos pleno jure in quacumque instantia, & privative quoad Vicarium Urbis, & quoscumque locorum Ordinarios, & omnes alios quoscumque Judices prædictos etiam quoad illarum totalem, & finalem executionem, cum diversis facultatibus spectare, & pertinere in omnibus, & per omnia perpetuo debere voluerit, seu indulserit, eisque liberam, plenam, amplam, & omnimodam desuper facultatem, & auctoritatem impertitus fuerit:

Clemens IX. omnia supradicta Privilegia pariter motu proprio confirmavit.

§. 7. Licet quoque similis me. Clemens Papa Nonus pariter prædecessor Noster omnia, & singula privilegia, facultates, jurisdictiones, superioritates, prærogativas, gratias, & indulta memorato Collegio, ejusque personis, rebus, & bonis, ac S. R. E. prædictæ Cardinalibus ejusdem Collegii Protectoribus, ac alias quomodolibet a præfatis Julio III., Gregorio XIII., Clemente VIII., & Gregorio XV. prædecessoribus per eorum literas super præmissis emanatas respective concessa, & attributa, & confirmata, & approbata, dictasque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, ac inde legitime secutis, & secuturis quibuscumque motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus perpetuo approbaverit, & confirmaverit, & memoratos Cardinales dicti Collegii Protectores tunc, & pro tempore quandocumque existentes omnem superioritatem, omnemque jurisdictionem eis, sicut præmittitur concessam, & attributam in quibusvis causis, litibus, & controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, & mixtis, etiam privative quoad omnes, & singulos Judices supradictos, & alias in omnibus, & per omnia, prout in literis d. Gregor. XV. prædecessoris expressum est, circa Ecclesias, & Monasteria, & signanter circa supradictum S. Petri Laudi veteris Lauden. Diœc. eorumque Ecclesias, Cappellas, Cappellanias, & Beneficia, ac membra, expendentia, bona, prædia, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque dicto Collegio dudum Apostolica auctoritate perpetuo unita, annexa, & incorporata, & ab eo quomodolibet expendentia, ac in alia quæcumque Monasteria, Prioratus, & Ecclesias, & Beneficia, quæ eidem Collegio pari auctoritate in futurum quandocumque uniri, annecti, & incorporari contingeret, eorumque respective personas, Presbyteros, Cappellanos, Vicarios, & Ministros quoslibet libere, ac sine ullo prorsus impedimento exercere, cæteraque omnia eis per præfatas literas quovis modo concessa facere, & exequi posse, ac debere motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus decreverit, & declaraverit:

Alia declaratio præd. Pontificis.

Summus Pontifex omnia suprad. Privilegia pariter motu proprio confirmavit, & approbavit.

§. 8. Ac demum Nos motu similiter proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfata omnia, & singula privilegia, facultates, Jurisdictiones, superioritates, prærogativas, gratias, & indulta prædicto Collegio ejusque personis, rebus, & bonis, ac Cardinalibus illius Protectoribus, & alias quomodolibet concessa, & attributa, ac confirmata, & approbata pariformiter cum omnibus inde legitime secutis, & secuturis approbaverimus, & confirmaverimus, ac innovaverimus, rataque, & grata habuerimus, ac illis omnibus, & singulis perpetuæ, atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præsidium adjecerimus, & alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis die 3. Novembris proxime præteriti, ac singulis prædecessorum prædictorum super præmissis respective expeditis literis, quarum omnium, & singularum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Attentata Episcopi Lauden.

§. 9. Nihilominus Venerabilis Frater Bartholomæus Episcopus Lauden. non attentis, nec ea qua decet reverentia servatis privilegiis, & facultatibus hujusmodi eisdem Cardinalibus Protectoribus per præfatos Romanos Pontifices Nostros, ut præfertur, concessis, & per Nos confirmatis, & innovatis, ipsorum Cardinalium Protectorum, ac Judicum ab eis deputatorum jurisdictionem perturbare, ac Vicarii, & Cappellanorum ad exercendam in supradicta Parochiali Ecclesia S. Petri Laudi veteris animarum curam, necnon concionatoris ad prædicandum ibidem Verbum Dei deputationem ad se spectare prætendit, ac concionatori per eosdem Cardinales Protectores, seu eorum jussu, vel auctoritate deputato benedictionem concedere recusavit, itaut anno proxime præterito millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto ad Ven. Fratrem Archiepisc. Mediolan. Metropolitanum recursum haberi oportuerit, qui benedictionem concionatori sic deputato concessit, & ipse concionator subinde Sacr. Conciones in eadem Ecclesia habuit.

Concionatori ibidem deputato ad prædicandũ a dd. Cardinalibus Protectoribus benedictionẽ concedere recusavit.

Pro hujusmodi effectu mittitur ad Archiepiscopum Mediolanen.

Novum attentatum præd. Episcopi.

§. 10. Quinimo idem Bartholomæus Episc. dilectum Filium Jo. Baptistam Manusardum Ecclesiæ S. Petri eidem Collegio unitæ Cappellanum, qui dum Procurator dicti Collegii literas Nostras prædictas super confirmatione, ac innovatione privilegiorum hujusmodi emanatas, necnon literas deputationis de persona dilecti Filii Caroli Francisci Cevæ Canonici Ecclesiæ Mediolan. in Judicem Monasterii, ac Parochialis Ecclesiæ hujusmodi, eisque annexorum a prædictis Cardinalibus Protectoribus factæ in actis ejus Curiæ Episcopalis Lauden. insinuabat præsens aderat, sub certis prætextibus capi, ac maletractari, & in carcerem detrudi curavit, & subinde visitationem dictæ Ecclesiæ Parochialis, ejusque Cappellarum, seu Oratoriorum ab illa dependentium, seu intra illius fines consistentium, ac personarum illis inservientium, quam dilectus Filius Carolus Franciscus Ceva Judex ab eisdem Cardinalibus deputatus illorum jussu obibat per suos Ministros turbare;

Aliud consimile attentatum.

Aliud consimile attentatum.

§. 11. Ac ipse postmodum assumpta militari manu, & velut insultabundus eamdem Parochialem Ecclesiam, illiusque Presbyteros, seu Cappellanos, & personas modis incongruis visitare, eisque terrorem incutere, & qui ad ejus mandatum se se ejus violentiis non sistebant a divinis suspendere, seu ut se sisterent sub pœna suspensionis a divinis hujusmodi mandare, ac interdictum, quod dictus Carolus Franciscus Judex a prædictis Cardinalibus Protectoribus deputatus propter excessus a Confratribus cujusdam Confraternitatis intra limites prædictæ Parochialis Ecclesiæ erectæ commissos canonice tulerat, violare, seu violari curare, aliosque excessus committere præsumpsit, in gravissimum Collegii prædicti detrimentum, ac jurisdictionis, & potestatis dictis Cardinalibus Pro-

Interdicti violatio.

tectoribus

tectoribus ab Apostolica Sede attributa vilipendium, contemptum, necnon in libertatis, & immunitatis Ecclesiæ damnum, præjudicium, & gravamen:

Preces Cardinalium Protectorum.

§. 12. Nobis propterea dd. Cardinales Protectores humiliter supplicarunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ne interea dum super præmissis, & illorum occasione inter præfatos Cardinales Protectores ex una, ac dictum Bartholomæum Episcopum ex altera partibus disceptatur, alia, & forsan graviora nascantur incommoda, ex commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito providere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac præfatis, aliisque justis, & rationabilibus ex causis nobis notis adducti, & controversiarum hujusmodi, litiumque desuper forsan exortarum, & pendentium statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, ut pendentibus controversiis, seu litibus hujusmodi, & interim ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum pro parte eorumdem modernorum, & pro tempore existentium dicti Collegii Protectorum, ac Vicariorum, seu Provicariorum, aliorumque Presbyterorum, seu Cappellanorum, & Ministrorum quorumcumque ad curam animarum, ac Divina Officia in supradicta Ecclesia Parochiali, illique annexis, ac intra illius fines consistentibus, & a prædicto Monasterio quomodolibet dependentibus Ecclesiis, seu Cappellis, & Oratoriis, aliisque locis piis quibuscumque exercenda, & obeunda respective, necnon Concionatorum ad verbum Dei inibi prædicandum per eosdem Cardinales deputatorum, & deputandorum pro ipsorum Vicariorum, seu Provicariorum aliorumque Presbyterorum, seu Cappellanorum, & Ministrorum approbatione, pastoralique benedictione per Concionatores hujusmodi obtinenda, ac pro aliis, si quæ sint pro quibus ad memoratum Bartholomæum Episcopum Lauden. etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegatum, ac etiam juxta prædictorum privilegiorum, & literarum Apostolicarum tenorem, & dispositionem recurrendum esset, non ad dictum Bartholomæum, seu pro tempore existentem Episcopum Lauden. sed ad Venerabilem Fratrem modernum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Mediolanen. Metropolitanum recurri libere, & licite possit, & debeat.

Provisio capta per Papā ad suum, & S. Sedis beneplacitum durante hac controversia.

§. 13. Itaut idem Archiepiscopus Vicarios, seu Provicarios, aliosque Presbyteros, seu Cappellanos, & Ministros hujusmodi approbare, pastoralem Concionatoribus prædictis benedictionem impertiri, aliaque præmissa facere, & exequi valeat in omnibus & per omnia, perinde ac si loci Ordinarius existeret, auctoritate Apostolica tenore præsentium, sine ullo tamen partium præfatarum, aut alterius earum præjudicio, concedimus, & indulgemus. Nos enim eidem moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo præmissa omnia, & singula faciendi, & exequendi, ac etiam præfatos Presbyteros, seu Cappellanos, aliosque Clericos dictæ Parochiali Ecclesiæ, aliisque Ecclesiis, Cappellis, & Oratoriis a dicto Monasterio dependentibus inservientes a prædictæ suspensionis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis in eos a dicto Bartholomæo Episcopo propter præmissa, seu illorum occasione quomodolibet latis, seu comminatis, quatenus opus sit absolvendi, & totaliter liberandi, ac eis desuper opportune dispensandi, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi, ac executioni mandari curandi, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem durante beneplacito hujusmodi dumtaxat duraturam eadem auctoritate harum serie concedimus, & impertimur.

Committit Archiepiscop. Mediolanen. omnia gerere, quæ posset ibidem Episcopis Lauden.

§. 14. Districte propterea inhibentes tam dicto Bartholomæo, & pro tempore existenti Episcopo Lauden. sub interdicti ingressus Ecclesiæ, quam ejus Vicariis, Procuratoribus, Fiscalibus, Actuariis, Notariis, Bariscellis, aliisque ejus Curiæ Episcopalis Ministris, & Officialibus quibuscumque nunc, & pro tempore existentibus sub excommunicationis latæ sententiæ ipso facto absque alia declaratione incurren., & indignationis Nostræ, aliisque Nostro, & pro tempore existen. Rom. Pontific. arbitrio imponendis pœnis ne d. beneplacito durante se se in visitatione, correctione, jurisdictione, cura, & gubernio, superioritate, aliave quacumque, tam ordinaria, quam delegata potestate, & auctoritate super præfatam Ecclesiam S. Petri Laudi veteris, aliasque Ecclesias, seu Cappellas a præfato Monasterio quomodolibet dependentes, ac Oratoria intra fines ejusdem Parochialis Ecclesiæ, & Monasterii hujusmodi existentia, & Confraternitates laicorum in eis erectas, aut electione, deputatione, examine, approbatione Vicariorum, seu Provicariorum, aliorumque Presbyterorum, seu Cappellanorum, aut Clericorum, aliorumque Ministrorum, & Concionatorum ibidem nunc, & pro tempore curam animarum ad Divina Officia, aliasque functiones Ecclesiasticas, & Verbi Dei prædicationem respective obeuntium, seu exercentium, ipsorumque Concionatorum benedictione, aliisque quibuslibet actibus jurisdictionalibus se se ullo modo ingerere, aut jurisdictionem quamcumque, seu auctoritatem, & potestatem etiam delegatam ibidem, seu contra personas prædictas exercere, ullumve actum jurisdictionalem facere, aut Vicarios, seu Provicarios, Presbyteros, Cappellanos, Concionatores, aliosque Ministros Collegii prædicti quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio, directe, vel indirecte, seu alias quomodolibet molestare, perturbare, vel inquietare audeant quovis modo, seu præsumant.

Prohibitio facta Episcopo Lauden.

§. 15. Ac decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Bartholomæus Episcopus, & alii præfati, seu alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquod jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, aut justificatæ fuerint, vel ex alia quacumque etiam quantavis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, & incogitato, ac inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo minime posse, sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit

Præsentium literarum observantiam demandat, ac supplet omnes quoscumque defectus.

in

in futurum plenissime suffragari, ac ab eis respective in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

Decretum irritans.

§. 16. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque contrariis amplissime derogat.

§. 17. Non obstantibus quarumcumque litium pendentia, aliisque præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisve Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, & usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis etiam Ecclesiæ Lauden. ejusque Præsulibus, & aliis personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in contrarium præmissorum in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales eidem importantes mentio, seu quævis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 9. April. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

LXXXV.

Exemptio Antonii Vieyra Lusitani Presbyteri Regularis Societatis Jesu ad ejus vitam a quacumque Jurisdictione Tribunalis S. Officii Portugalliæ, ac immediate subjecto Congregationi S. Officii de Urbe in quibusdam causis ad d. Tribunal spectantibus, quæ con. d. Vieyra ex quacumque causa moveri possent in d. Tribunali S. Officii Portugalliæ.

Dilecto Filio Antonio Vieyra Lusitano Presbytero Regulari Societatis JESU.

Edit. An. D. 1675.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Religionis zelus, sacrarum literarum scientia, vitæ, & morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita Nos adducunt, ut quieti tuæ benigne consultum velimus. Cum itaque (sicut accepimus) Tu, qui Presbyter Regularis Societatis Jesu existis, ac in alma Urbe nostra de præsenti degis, ejusdem Urbis aerem temperamento tuo contrarium experiaris; ac proinde jam gravis annis, & nonnullis corporis infirmitatibus obnoxius, pericula valetudini tuæ imminentia præveniendi gratia in Lusitaniam Patriam tuam prope diem, benedicente Deo, reverti intendas:

Absolutio a Censuris.

§. 1. Hinc est, quod Nos justis de causis animum Nostrum moventibus religiosæ tranquillitati, atque securitati tuæ, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Te a quacumque Jurisdictione, potestate, & auctoritate Venerabilis Fratris Petri Archiepiscopi Sinden. Generalis, ac dilectorum Filiorum reliquorum Inquisitorum adversus hæreticam, & apostaticam a Christiana Religione, fideque Catholica pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis auctoritate Apostolica deputatorum nunc, & pro tempore existentium, illorumque respective Vicariorum, Commissariorum, Assessorum, cæterorumque Officialium, & Ministrorum quorumcumque, itaut illis tam conjunctim, quam divisim, eorumque quilibet ex quacumque causa, etiam specifica, & individua mentione digna, ac de necessitate specialiter exprimenda, tam de præsenti, quam de præterito, vel de futuro nullam in se jurisdictionem, potestatem, vel auctoritatem exercere, nullumque actum jurisdictionalem, sive judicialem, sive extrajudicialem contra Te facere, decernere, mandare, vel exequi; neque Te quovis quæsito colore, prætextu, ingenio, causa, vel occasione, directe, vel indirecte, aut alias quomodolibet molestare, perturbare, vel inquietare possint, tenore præsentium ad tui vitam plenarie eximimus, & totaliter liberamus, ac exemptum, & liberum esse, & fore decernimus, & declaramus.

Exemptio Antonii Vieyra Societatis Jesu a Jurisdictione Inquisitionum Regni Portugal. & Algarb.

Eum subjecit supremæ, & Generali Inquisitioni Urbis.

§. 2. Teque in omnibus, & quibuscumque Causis ad Tribunal S. Officii Inquisitionis hæreticæ, & apostaticæ pravitatis quomodolibet spectantibus, quæ contra te ex quacumque ratione, seu causa, etiam, ut præfertur de necessitate specifice, & in individuo exprimenda tam de præsenti, quam de præterito, & de futuro seu alias quomodolibet moveri, seu intentari possent, ac etiam forsan in Tribunali S. Officii Inquisitionis dd. Regnorum jam motis, & intentatis immediatæ jurisdictioni, potestati, & auctoritati Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana generalium Inquisitorum adversus hæreticam, & apostaticam pravitatem hujusmodi ab hac Sancta Sede specialiter deputatorum, coram qua dumtaxat in omnibus, & singulis Causis prædictis, tenearis de Justitia respondere, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus itidem ad tui vitam harum serie subjicimus, & supponimus, ac subjectum, & suppositum esse, & fore decernimus similiter, & declaramus.

Supplet omnes defectus.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Generalis, & alii Inquisitores, cæterique præfati, & alii quicumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, neque Causæ propter quas præsentes emana-

verint adductæ, specificatæ, verificatæ vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, detrectari, vel invalidari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse, sed ipsas præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, necnon Generalem, cæterosque Inquisitores præfatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari: & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis amplissime derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis etiam in favorem S. Officii Regnorum præfatorum, illiusque Inquisitorum, etiam generalium, & Officialium, & Ministrorum quorumlibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & quantiscumque vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto. — Dat. 17. Apr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. 5. Brevium diversor. fol. 343.

LXXXIV.

Alia absolutio Joannis Baptistæ Sauvage, & Francisci Perinet Canonicorum Ecclesiæ Bisuntin., a censuris, & pœnis quibus propter temerariam electionem Decani dictæ Ecclesiæ ab Alexandro VII. innodati, & de ejus ordine, & mandato denunciati fuerant.

Seriem hujusmodi Censurarum, & pœnarum, necnon causas, ob quas latæ fuerunt, videas in Constitutione hujus Pontificis incipien. Alias postquam.

VEN. FRATRI PETRO ARCHIEPISC. BISUNTIN.

CLEMENS PAPA X.

Edita An. D. 1675.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm Nos per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 16. Novembris proxime præteriti expeditas literas Tibi dederimus in mandatis, ut quatuor ibidem nominatos Canonicos istius Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin., qui una cum aliis ejusdem Ecclesiæ Canonicis dudum Decanatus Dignitate prima post Pontificalem in Ecclesia hujusmodi per promotionem bon. mem. Joannis Jacobi Fauche de Domprel ad dictam Ecclesiam Bisuntin. Pastoris solatio tunc destitutam a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædecessore Nostro factam vacante, & per eumdem Alexandrum prædecessorem suæ dispositioni specialiter reservata, contra ipsius Alexandri prædecessoris mandata eis intimata Guillelmum Humbertum a Præcipiano in Decanum ejusdem Ecclesiæ nulliter, ac temerarie eligere, & illum in possessionem Decanatus hujusmodi intrudere, aliosque excessus committere ausi fuerant, eaque de causa ab ipso Alexandro prædecessore per quasdam suas pariter in forma Brevis literas diversis censuris, & pœnis Ecclesiasticis innodati, dictique Alexandri Prædecessoris jussu publice denunciati, nec unquam a censuris, & pœnis hujusmodi canonice absoluti, sed illis adhuc illaqueati reperiebantur, attenta eorum persistentia de dicta electione sic per eos temerarie facta, quam uti a Sede Apostolica damnatam damnaverant, & damnabant, & quantum in ipsis erat retractaverant, & retractabant cum juramento, quod dictum Guillelmum Humbertum in legitimum Decanum nunquam agnituri, sed pro tali dilectum filium Joannem de Watteville a Sede Apostolica de dicto Decanatu legitime provisum habituri essent, a censuris, & pœnis hujusmodi auctoritate nostra Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis absolveres, & cum eis opportune dispensares, & alias prout in eisdem nostris literis, quarum, ac præfatarum Alexandri prædecessoris literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces.

§. 1. Et sicut pro parte Joannis Baptistæ Sauvage, & Francisci Perinet Canonicorum ejusdem Ecclesiæ Bisuntin. Nobis nuper expositum fuit, ipsi quoque de præfatis excessibus plurimum dolentes, ac sincero corde, & reverenti gratiam hujus S. Sedis humiliter implorantes, parati sunt coram Te confiteri, & declarare, se ex animo

pœnitere dictæ electionis ab ipsis factæ die 23. Augusti 1661. de Persona præfati Guillelmi Humberti a Præcipiano in Decanum dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin., eamque electionem, uti a Sede Apostolica damnatam, damnare, & reprobare, ac quantum in ipsis est illam, omniaque contra Sedis Apostolicæ jussa inde secuta retractare, ac polliceri, & jurare, se eumdem Guillelmum Humbertum nunquam agnituros in legitimum Decanum, sed pro tali habituros memoratum Joannem de Watteville a Sede Apostolica legitime provisum de dicto Decanatu, ac proinde sibi pariter de absolutionis beneficio, & dispensationis gratia, in præmissis a Nobis provideri summopere desiderent:

Benignitas Sedis Apost.

§. 2. Nos qui illius vices gerimus in terris, cujus proprium est misereri semper, & parcere, attendentes, quod dictæ Sedis Apostolicæ copiosa benignitas filiis post excessum ad matris charitatem cum humilitate recurrentibus gremium minime claudere, sed eos obviis ulnis amplecti consuevit, ac proinde eosdem exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis, præterquam præmissorum occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito Tibi de narratis, eosdem Joannem Baptistam Sauvage, & Franciscum Perinet, si hoc a Te humiliter petierint, imposita eorum singulis pro præmissis arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari, ac facta prius per eos coram Te declaratione pœnitentiæ de dicta electione per eos, ut præfertur facta, ipsaque electione cum omnibus inde contra dictæ Sedis Apostolicæ jussa secutis damnata, reprobata, & quantum in ipsis fuerit retractata; necnon præstito per eos in manibus tuis juramento, quod præfatum Guillelmum Humbertum a Præcipiano in Decanum dictæ Ecclesiæ Bisuntin. nunquam agnituri, sed dictum Joannem de Watteville pro legitimo Decano ejusdem Ecclesiæ agnituri sint, confectoque super his publico Instrumento, quod tuo sigillo clausum, & obsignatum ad Nos, & hanc S. Sedem quam primum transmitti debeat; ab excommunicatione, ac suspensione, ab executione Sanctorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque Officiorum, ac privatione vocis activæ, & passivæ; & omnium fructuum eorum Præbendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac quotidianarum etiam distributionum, aliisque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostra Apostolica arbitrio pariter tuo in utroque foro absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas, necnon fructus, & distributiones hujusmodi per eos propter eadem præmissa forsan indebite perceptos, ita tamen ut fructus quidem, qui juxta præfatarum Alexandri prædecessoris literarum dispositionem in pauperum eleemosynas distributi, & erogati fuerint, distributiones vero, quæ cæteris Ecclesiæ deservientibus accreverint & inter eos etiam distributæ reperientur, repetere nullo modo possint, eis, & eorum cuilibet dicta auctoritate gratiose remittas, & condones.

Absolutio a Censuris ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum.

Committit Archiepiscopo Bisuntino eorum absolutionem, & sub qua forma.

Condonatio fructuum, & distributionum, prout in rubrica.

Dispensatio super irregularitate hac occasione contracta.

§. 3. Ac cum eis, & eorum quolibet super irregularitate per eos qui a censuris hujusmodi propter præmissa innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia divina Officia celebraverunt, & alias in Ordinibus suis ministrarunt, quomodolibet contracta, itaut illa, & iisdem præmissis non obstan., dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter alias rite minoribus, & sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus uti, & quatenus illos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant respective, ac ad alium quemcumque effectum, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignum, auctoritate, & arbitrio præfatis dispenses, omnemque inhabilitatis, & aliam quamcumque maculam, sive notam contra eos ex præmissis quomodolibet insurgentem, seu resultantem ab eis, eorumque quolibet penitus, & omnino abstergas, & aboleas: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem Tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impertimur.

prout in rubrica.

Ab eis omnem inhabilitatis, & aliam quamcumque maculam abstergat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis Alexandri Prædecessoris, & Nostris respective concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Cæterum non intendimus per præsentes literas cuiquam eorum, qui a præfatis Joanne Baptista, & Francisco Canonicis earumdem præsentium vigore absolvendis, seu eorum aliquo ex causa, seu electionis supradictæ, seu eorum quæ inde secuta sunt, aut emerserunt, aliquo damno, vel detrimento affecti fuerint, ullum, etiam minimum, præjudicium inferre, aut inde quoquomodo inferri posse, sed unicuique jura sua salva, & illæsa remanere declaramus.

Per præsentes literas non intendit præjudicare eis, qui a Canonicis absolvendis aliquo damno affecti fuerunt.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. April. 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 19. Apr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Regiſtr. in Secr. Brev. in lib. 5. diver. fol. 267.

LXXXV.

Confirmatio Decreti Congregationis SS. Rituum ne liceat Fratribus Trinitariis Redemptionis Captivorum habere Imagines cum eorum habitu depictas, vel sculptas B. Petri Paschasii Martyris Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium ab instantia Frat. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

NUper ad instantiam dilecti filii Mathiæ de Cordona Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præposita decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Valentina Censurarum, & picturarum pro parte, & ad instantiam Patris Magistri Fratris Mathiæ de Cordona Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, tam nomine proprio, quam suæ Religionis instatum fuit apud Sac. Rituum Congregationem pro relaxatione Censurarum contra Patres Conventus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Civitatis Valentiæ, eo quod habuerunt recursum ad Judices laicos Tribunalis Valentiæ, & ab eo inhibitionem extraxerunt contra prædictos Patres de Mercede ad impediendum ne isti uterentur decretis ejusdem Sacræ Congregationis, & Brevibus Aposto-

licis pro celebratione diei Festi Beati Petri Paschasii Martyris olim Episcopi Giennen.; & Religiosi Professi Ordinis de Mercede depicti, & sculpti a præfatis Fratribus Trinitariis in eorum habitu.

Contraria instantia Fratr. Trinitariorum.

§. 1. Et viceversa supplicantibus Patribus Trinitariis præfatis (absolutis prius a censuris & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet propter recursus habitos ad Judices laicos) pro concessione literarum Remissorialium; & Compulsorialium ad effectum ser. ser. examinandi Testes, & compulsandi scripturas, tam respectu possessorii, quam petitorii, & probandi Beatum Petrum Paschasium prædictum fuisse filium Religionis Trinitariæ, & alias latius, prout ex rationibus tam in facto, quam in Jure ab utraque parte hinc inde plene informante allegatis deductis, atque discussis proponente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Portocarrero:

Decretum Congregationis SS. Rituum.

§. 2. Et eadem Sacra Congregatio inhærendo decretis alias in causa prædicti Beati editis tertia Septembr. 1661., & trigesima Maji 1670. censuit literas Remissoriales non esse concedendas, & picturas dicti Beati Petri Paschasii depictas, & sculptas a prædictis Fratribus Trinitariorum in horum habitu esse delendas, & ita declaravit, atque decrevit die trigesima Martii 1675. V. Episcopus Portuen. Cardinalis Carpineus loco ✠ Sigilli.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

§. 3. Cum autem sicut dictus Mathias Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Mathiæ Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Absolutio a Censuris.

Confirmatio Apost. supradicti Decreti salva tamen auctoritate ejusdem S. Congregationis.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 20. Apr. 1675. An. 5.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

I. G. Slusius.

LXXXVI.

Statutum, ut in Congregatione Cassinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti omnino serventur Constitutiones, & literæ Apostolicæ circa promotiones ad Abbatias titulares, ac Decanatus gradum; necnon Decanorum numerum, & promovendorum qualitates de cætero exacte, & inviolabiliter observari debere; nec expectativas ad Prioratus, & Abbatias aliasque dignitates, vel gradus dictæ Congregationis primo vacaturos cuiquam posthac nullo modo concedi posse.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiæ solio meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Clementiæ abundantiam constituti, ad ea peculiares vigilantiæ Nostræ curas propensis studiis convertimus, per quæ prospero, felicique religiosarum Congregationum; earum præcipue, quæ prisco Disciplinæ Monasticæ splendore conspicuæ, multiplicibus in Ecclesiam Dei meritis fulgere noscuntur, regimini, atque progressui consulitur; ut radicitus evulsis, quos insana honorum cupiditas invenit, abusibus, Congregationes ipsæ laudabilibus suis institutis firmiter insistentes, illibatam antiquæ observantiæ gloriam servent, & bono Christi odore de bona conversatione flagrantes, lætis in dies Domino benedicente proficiant incrementis.

Constitutiones Cassinenses quoad Electiones Abbatum Titularium.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) licet per Constitutiones Congregationis Cassinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti Apostolica auctoritate confirmatas caveatur expresse, ne quis eligi possit in Abbatem cum solo titulo, nisi prius fuerit Abbas cum regimine; vel saltem Prior Claustralis, qui per expletum quinquennium in Prioratus regimine se laudabiliter gesserit, & per quasdam fel. recor. Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri literas die 14. Septembris 1610. expeditas præscriptus fuerit Decanorum ejusdem Congregationis numerus, ut scilicet pro quinque Monachis professis unus Decanus, computatis Cellariis, ac Novitiorum Magistris, Confessariis Monialium, ac Doctoribus, aliisque Officialibus assignaretur; itaut ipsi Decani numerum trecentorum non excederent; ac per easdem Constitutiones expresse quoque prohibitum reperiatur, ne ullus Monachorum possit ad Decanatum (qui primus est superioris gradus) promoveri, nisi decimum sextum annum in Congregatione præfata compleverit, neque in Decanos hujusmodi eligi, seu assumi possint, de quorum doctrinæ sufficientia, & vitæ merito non constet per Testimonium a Visitatoribus medio eorum juramento coram Diffinitoribus in Capitulo Generali ferendum, præviis quoad literarum scientiam in actu Visitationis diligenter examine, & quoad morum probitatem exacta inquisitione prout statuitur in literis rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri die 6. Mart. MDXCIII. & dicti Pauli prædecessoris die XXI. Martii 1608. respective in simili forma Brevis emanatis, ac prævia etiam attestatione de hujusmodi vitæ integritate, & sufficientia per Prælatum, qui pro tempore præerit Monasterio professionis promovendi, in Diffinitorio cum juramento facienda.

Paul. V. præscripsit numerum Decanorum in d. Congreg. Cassinen.

Per dd. Constitutiones, & literas Apost. Clem. VIII. & Pauli V. in præfata Congreg., qui possint eligi, vel assumi in Decanos.

Ambitus Monachis d. Congregationis districte prohibetur.

§. 2. Nihilominus nonnulli ejusdem Congregationis Monachi propriæ professionis, quæ eos in humilitatis spiritu continere deberet, immemores, ac censuras, & pœnas per quandam Constitutionem Apostolicam, qua dictæ Congregationis Monachis ambitus districte prohibetur, inflictas, damnabiliter incurrere minime

formidantes, emendicatis per importunas preces Principum Sæcularium, ac etiam Prælatorum Ecclesiasticorum favoribus, atque intercessionibus, Abbatiæ titularis honorem, & gradum Decanatus hujusmodi a Capitulis Generalibus, & dictis Congregationis præfatæ contra Constitutionum, & literarum Apostolicarum prædictarum dispositionem, quasi violenter extorquere satagunt, multique iisdem mediis etiam expectativas ad gradus, & dignitates primo vacaturas itaut eis interim currat tempus requisitum a Constitutionibus ad consecutionem Prioratus, ac Abbatiæ respective, necnon decreta connumerationis inter Priores regiminis cum simili clausula, quod eis currat tempus ad Abbatiam, reportare procurent; Unde justitiæ distributivæ ordo pervertitur, cum gravi Monachorum religiosis meritis conspicuorum, detrimento, & Congregatio magnopere perturbatur, perniciosisque abusibus, & corruptelis hujusmodi, nisi mature recidantur, in maximum relaxationis malum prolabi posset.

Abusus, qui interim irrepserunt.

§. 3. Hinc est quod Nos pro commissa Nobis divinitus Pastoralis Officii cura abusus prædictos penitus, & omnino evellere, illis ansam in futurum præcidere, ac ejusdem Congregationis tranquillitati, quantum Nobis ex alto conceditur consulere, monasticamque observantiam, & in distribuendis secundum cujusque merita honorum præmiis, Justitiæ normam in ea stabilire, atque solidare cupientes, necnon præfatarum Constitutionum, & literarum Apostolicarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænarratas Constitutiones, & literas Apostolicas circa electiones, & promotiones ad Abbatiæ titularis honorem, ac Decanatus gradum, necnon Decanorum numerum, & promovendorum qualitates, de cætero exacte, ac præcise, & inviolabiliter observari debere, nec expectativas ad Prioratus, & Abbatias, aliasque dignitates, vel gradus dictæ Congregationis primo vacaturos, seu vacaturas cuiquam posthac ullo modo concedi posse, tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus, ac decernimus & declaramus.

Pontifex motu proprio statuit dd. Constitutiones, & literas Apostolicas esse inviolabiliter observandas.

Tollit expectativas.

§. 4. Districte prohibentes tam cuicumque Capitulo Generali, vel Dietæ, quam quibuslibet Abbatibus, & Superioribus Congregationis præfatæ etiam specifica, & individua mentione dignis, sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac dignitatis Abbatialis ipso facto absque alia declaratione incurrendæ, aliisque Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendis pœnis ne Constitutionibus, aut literis Apostolicis præfatis, vel præsentibus literis sub quovis colore, vel prætextu, directe, vel indirecte, aut alias quomodolibet, etiamsi desuper Nostrum, vel hujus Sanctæ Sedis beneplacitum reservaretur, contravenire audeant, seu præsumant.

Prohibet dd. Constitutionibus, & literis Ap. contravenire etiam cum reservatione Apostolici Beneplaciti sub certis pœnis.

§. 5. Ac decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari, neque ipsis præsentibus per quascumque clausulas generales, nisi toto tenore inserto, & consentientibus Superioribus dictæ Congregationis Cassinen. derogari posse.

Mandat præsentium literarum observantiam non obstante quocumque defectu.

Eis mandat derogari non posse nisi toto tenore inserto, & consentientibus superioribus dictæ Congr.

§. 6. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, sive quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1675. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 24. Apr. 1675. An. 5.

I. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium Mensis Aprilis part. utraque fol. 785.

LXXXVII.

Prohibitio ne Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Eremitarum S. Augustini transeant ad Statum Clericalem, seu ad Ordines promoveantur etiam vigore Indultorum Apostolicorum, nisi petita, & obtenta in scriptis licentia tam Provincialis, quam Generalis, & servata forma eorumdem Indultorum sub

pœna

pœna perpetuæ suspensionis, & redactionis in numerum Conversorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Dominicus Valvasorius Mediolanen. Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod in eodem Ordine nonnullis abhinc annis, non sine ingenti ipsius Ordinis detrimento serpere incœpit ambitionis morbus, quo plures Fratres Laici, seu Conversi propriæ vocationis obliti, ac humilem pertæsi conditionem, qua Regulari se manciparunt doctrinæ, a Laicali statu ad Clericalem transire, ac ad Sacros Ordines promoveri impotenter pertentant, & à vilioribus exercitiis ad Sacri Altaris Ministeria ascendere, quinimo pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta administrare, necnon Animarum curam exercere minime verentur: & quia non facile in ea Provincia, in qua tanquam Laici ad Religionem admissi fuerunt, voti compotes fieri possunt, ideo nonnulli eorum de loco ad locum, ac de Provincia in Provinciam vagantes commigrant, & aliqui ad remotiores etiam Insulas se conferunt, atque ita quam nequeunt apud legitimos Superiores suos laicalis eorum conditionis conscios facultatem obtinere, ut Sacris initientur Ordinibus, eamdem ab exteris tandem non sine dolo extorquent.

Incommoda, quæ ex hujusmodi transitu suboriuntur.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, innumera ex hac una inobservantia suboriantur incommoda, quandoquidem decursu temporis prædicti Fratres Laici, seu Conversi, jam utcumque ad Sacros Ordines promoti, ad proprias Provincias, & Conventus, in quibus recepti fuerunt, remigrantes in iisdem contendunt aggregationis, & filiationis, ut antea fruebantur, potiri Privilegio, quod quidem juste illis a cæteris Religiosis denegatur, ob indebitam status variationem, & dedecus, quod Religiosis inurunt per eorum inscitiam; quam vel Sacrum facientes, vel Officium Divinum legentes, vel Altaris Ministeria exercentes, aut Sacramenta administrantes patefaciunt; Inde verò lites, & dissidia in Conventibus, & Provinciis Ordinis prædicti succrescere videantur; Nobis propterea dictus Dominicus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut tot malis, ne radices altius agant, opportuno remedio occurrere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis d. Ordin.

Absolutio a Censuris.

2. Postquam omnes sua suffragia dederunt in qualibet Electione, Scrutatores illa ante omnia numerent, attendendo an correspondeant, & aequalia sint numero vocalium: quod si ita est primus scrutator illa reponat in urna, & postea singillatim extrahat, & legat, legendaque praebeat duobus aliis Scrutatoribus, & Secretarius Scrutinii illa singillatim scribat, & numeret; si vero quando Schedulae numerantur, non ascendunt ad numerum vocalium, vel excedunt, comburantur statim sine eo, quod legantur, & iterum de novo suffragia ferantur. Caeterum si aliqua Schedula vacua, seu alba inventa fuerit, vel cum suffragio sub conditione, vel alternativa, vel praestito personae incapaci secundum jus, inhabilitate utique reddente nullam ipso jure electionem; tunc eo casu talis schedula pro nulla, & pro non suffragio reputanda est: ideoque separetur, & regulatio, & numeratio aliorum suffragiorum fiat, & illis solum attendatur ad videndum an sit electio, vel non.

3. Si in primo, vel secundo scrutinio non sit Electio, scrutatores consulant Diffinitorium, & istud (si illi expediens visum fuerit) jubeat, quod suffragia publicentur, & quae quisque habeat manifestetur, ut ita Vocales facilius ad Electionem conformentur.

4. Scrutinio facto, Pronunciator ad id a Capitulo electus juxta dicta *§. antecedenti num.* 12., faciat, & pronunciet electionem pro illo, qui habet omnia suffragia, vel plus quam medietatem, declarando numerum determinatum sequenti forma; quamvis suffragium Electo non dederit -- *Ego Frater N. de N. nomine meo, & omnium Electorum praesentium per decem suffragia,* V.G. *Eligo in Majorem, ac Generalem Ministrum nostrae Religionis, vel in Diffinitorem Generalem, vel in Ministrum Provincialem Provinciae N. vel in Ministrum Conventus, vel Collegii N., vel in Socium Provinciae N. Patrem Fratrem N. de N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

5. Forma ista faciendi, seu pronunciandi quamlibet electionem semper observetur tam in Capitulo, quam in Diffinitorio, vel alia quavis Congregatione: Schedulae autem esse poterunt scriptae propria suffragantis manu, vel aliena. Quae igne comburantur in ipso Capitulo, vel Diffinitorio, vel Congregatione, antequam Vocales surgant.

6. Omnes controversiae, & difficultates ortae in, vel super electionibus, etiam Patris Generalis determinentur per Diffinitorium generale, cujus resolutioni nemo contradicat sub poena ad arbitrium ipsius Diffinitorii infligenda.

§. 6. De modo aliquid proponendi, & decernendi in Capitulo Generali.

1. Ut maturiori consilio determinetur, quod in Capitulo Generali propositum fuerit liceat ipsi Capitulo (si illi expedire videbitur) decisionem differre usque in sequentem diem.

2. Quotiescumque Judicio trium Capitularium conveniens sit proponi, vel determinari rem aliquam in Capitulo, Praeses teneatur illam proponere, ut decidatur; dum tamen non sit novam condere Constitutionem; ad hoc enim proponendum, & conferendum major Capituli pars debet petere, & instare.

3. Praecipimus, ut nullo praetextu a Summo Pontifice postuletur immutatio, seu mutatio in re aliqua Sanctae nostrae Regulae, nisi hoc fiat per Capitulum Generale, concurrentibus omnibus votis, nemine discrepante, & conveniens huic Constitutioni ipso facto privatus sit Officio suo, & inhabilis perpetuo ad quaecumque alia; similiter ne postuletur a Sede Apostolica, nisi per Capitulum Generale, & consentientibus tribus ex quatuor partibus suffragiorum innovatio, alteratio, seu abrogatio quoad totum, vel quoad partem alicujus Constitutionis ex confirmatis ab ipsa Sede Apostolica.

4. Ut aliqua Constitutio de novo concedatur ejus convenientia in tribus Capitulis Generalibus sedulo, ac diligenter expendi, & agitari debet hoc ordine: postquam in Capitulo actum est de re aliqua, si a majori parte suffragiorum approbata fuerit, statim vim habeat ordinationis, & executioni mandari incipiat usque ad sequens Capitulum, in quo mature examinata secundo, si a duabus partibus ex tribus suffragiorum non approbetur, omnino extincta maneat dicta Ordinatio; si autem approbetur a dictis duabus partibus, perseveret ejus executio usque ad tertium Capitulum. In hoc autem iterum, atque iterum expensis convenientibus, vel inconvenientibus repertis in ejus executione; si adhuc approbetur a tribus ex quatuor partibus suffragiorum, habeat deinceps vim Constitutionis; alias non concurrentibus dictis tribus suffragiorum partibus eo ipso revocata, & penitus extincta maneat praefata ordinatio. Declaramus autem, quod quando tres, vel quatuor partes suffragiorum aequales esse non possunt, non attendatur, nec ratio habeatur de votis superabundantibus ad tres, vel quatuor partes aequales.

5. Ad hoc autem, ut aliqua Constitutio ex non confirmatis in specie a Sede Apostolica quovis modo alteretur, vel abrogetur, & ad hoc, ut fiat Constitutio contraria alicui ex eis, eodem modo in tribus Capitulis generalibus examinanda est ejus convenientia, vel inconvenientia, ita tamen ut quamvis in primo Capitulo consentiat major pars Suffragiorum, non statim executioni mandetur, nec suspendatur per illud triennium Constitutio antiqua. Quod si in sequenti Capitulo consentiant duae partes ex tribus suffragiorum,

tunc suspendatur per triennium antiqua Constitutio, & executioni mandetur nova Ordinatio; alioquin ista prorsus extincta maneat; quod si in tertio Capitulo, re diligenter perpensa, consentiant tres partes ex quatuor suffragiorum, aboleatur antiqua Constitutio quoad id, in quo per novam alteratur, innovatur, mutatur, seu in contrarium disponitur, cum indulto tamen Sedis Apostolicæ; si vero in hoc Capitulo, non consentiant dictæ tres partes suffragiorum, præfata ordinatio, eo ipso nulla sit, & omnino maneat extincta: ad Capitulum Generale pertinet dispensare Constitutionibus, dummodo non sint ex confirmatis a Sede Apostolica, ita tamen quod si non pertineant ad universale Ordinis Regimen sufficiat major pars Vocalium; si autem pertineant ad prædictum regimen, dum non sint confirmatæ a Sede Apostolica fieri debet consentientibus duabus ex tribus Capituli partibus.

6. Ad facienda quæcumque statuta, nullatenus tamen nostris Constitutionibus contradicentia, quæ enim habeant Decretorum Capituli Generalis, sufficiat major pars suffragiorum, & ex tunc executioni mandetur; si autem in Capitulo immediate sequenti expresse non confirmentur, eo ipso extincta maneant; & quamvis approbentur ne dum a majori, sed etiam a duabus partibus ex tribus suffragiorum, non ideo censeantur in via ad Constitutiones, nisi ab initio facta fuerint tamquam Ordinationes Capituli in eum finem.

7. Omnia, quæ in Capitulo deciduntur per secreta suffragia, determinentur calculis albis, & nigris.

§. 7. *De pertinentibus privative ad Capitulum Generale.*

1. Ad Capitulum Generale spectat privative facere omnes Electiones Prælatorum Ordinis, admittere renunciationes Prælatorum, quæ in ipso fiunt, condere Constitutiones, juxta dicta *§. antecedenti num.* 4., impetrare a Sede Apostolica concurrentibus omnibus suffragiis, immutationem nostræ Regulæ in re aliqua.

2. Ad illud quoque privative pertinet, consulta prius Sede Apostolica, dividere Provincias, dummodo pro aliqua de novo constituenda sint saltem octo Conventus, ac itidem consulta eadem Sancta Sede, relinquere, & desertas facere fundationes Conventuum jam admissas, & possessas; ac etiam dispensare, consentiente saltem majori parte vocalium in Constitutionibus a Sede præfata non confirmatis, nec spectantibus ad universale Ordinis Gubernium; quod tamen raro fiat, & maturo consilio.

3. Denique ad ipsum attinet disponere, agere, stabilire omnia, quæ secundum nostram Regulam, & Constitutiones ipsi reservantur.

REGULÆ CAPUT LX.

Electio Majoris, ac Generalis.

Ministri de sexennio in sexennium.

CAPUT LX.

De qualitate Eligendorum in Prælatos, ac de eorum, & aliorum Officiis, Jure, & potestate.

§. 1. *De his, qui eligi debent in Prælatos.*

1. Nullus eligatur in Ministrum Conventualem, quin prius per triennium fuerit Vicarius, vel Præses alicujus novæ fundationis, vel Magister Novitiorum, aut recenter Professorum, vel Secretarius Prælati superioris, vel Procurator Generalis, vel Lector Sacræ Theologiæ, vel concionatus fuerit tribus Quadragesimis, itaut in qualibet hebdomada uniuscujusque tres habuerit Conciones, & titulo prædicationis, nec Carnes comederit, nec lineis usus fuerit.

2. Deinde in Superiorem Prælatum nullus eligi possit, qui prius per tres annos non fuerit Minister Conventualis, vel per integrum sexennium Secretarius Patris Generalis, vel Lector Theologiæ Sacræ, vel qui per sex jam annos Officium Procuratoris Generalis laudabiliter non exercuerit: vel qui octo Quadragesimis concionatus non fuerit, laudabiliter etiam, & cum conditionibus, & circumstantiis *num. antecedenti* expressis; qui vero propter fractam, ægramque valetudinem dicta Officia exercere non potuit; si tamen sit persona ætatis provectæ, ac virtute, doctrina, & consilio prædita eligi poterit in Diffinitorem.

3. In Ministrum Generalem, Provincialem, & Conventualem eligi non possit, qui propter fractam valetudinem Choro interesse non valet, vel carnibus vescitur, lineisque utitur; poterit tamen esse Diffinitor, si qualitatibus numero antecedenti designatis præditus fuerit, & cum conditione etiam quod tantum sit unus Diffinitor, qui vitæ Communis austeritatem sequi non valeat.

4. Decernimus, quod nullus eligatur ad duas Prælaturas simul, nec Prælatus aliquis sit simul Procurator Generalis, excepto Ministro nostri Conventus Curiæ Romanæ, nec similiter sit aliquis simul Prælatus, & Redemptor Captivorum.

5. Pater Generalis in Capitulo, in quo expirat non possit reeligi in Generalem, neque in aliam Prælaturam Diffinitorii, videlicet Provincialis, vel Ministri Conventualis usque ad Diffinitorium celebrandum mense Septembris anni immediate sequentis ad celebrationem Capituli, in quo expiravit; similiter, nec eligi possint usque ad prædictum Diffinitorium Diffinitores Generales in Officium Diffinitorum, Provinciales in Officium Provincialium, nec Ministri Conventuales in Ministros earumdem Domorum, si per triennium, vel majorem partem Triennii functi sunt Officio suo. Possunt tamen isti eligi in alia Officia, vel in alia Monasteria: per majorem autem partem triennii intelligimus, quando electi fuerint ante Diffinitorium Generale Mensis Septembris Anni immediate sequentis ad celebrationem Capituli antecedentis.

6. Qui per sex annos continuos, & integros superiori Prælatura functus fuit, non valeat in Capitulo Generali, in quo expirat, eligi in Diffinitorem, vel Provincialem, vel in Ministrum Conventualem. Poterit tamen id fieri in Diffinitorio mensis Septembris anni immediate sequentis ad Capitulum illud. Similiter, qui per sex annos continuos, & integros Minister Conventualis fuit, vel uno triennio Minister, & alio triennio etiam integro Prælatus superior, non possit eligi in Ministrum Conventualem, nisi alicujus Domus ex duabus Matricibus designatis a Capitulo Generali pro qualibet Provincia. Poterit tamen eligi in Diffinitorem, vel in Provincialem pro prima vice tantum. In Generalem vero eligi poterit quilibet ex contentis in hac Constitutione. Per Officia autem continua, & integra intelligamus illa, quæ non vacarunt per tres menses continuos, sive sit in principio Triennii, vel sexennii, sive in medio, sive in fine. In prohibitionibus his non reperendi Electiones, non comprehenditur Minister nostri Conventus Romani.

7. Insuper duo Fratres Germani non possint sibi immediate succedere in eodem Officio Ministri Generalis, Diffinitoris, Provincialis, vel Socii juxta Breve SSmi. Domini Nostri Clementis

X. expeditum die 15. Decembris Anno 1670. incipiens -- *Exponi Nobis &c.* -- nec possint etiam dicti duo fratres Germani simul, seu in eodem tempore, & triennio habere Officia, quibus annexum sit Votum in Capitulo Generali.

8. Eligendus in Ministrum Generalem debet habere ætatis quadraginta, & quatuor Annos; habitus vero sexdecim; in Ministrum Conventualem ætatis triginta, & tres annos, habitus quatuordecim.

§. 2. De Officio Patris Generalis, & his, quæ ad ipsum attinent.

1. Omnes obediant submisse, & humiliter Patri Generali, tanquam Patri, & Pastori totius nostræ Religionis, in quo residet potestas, & Jurisdictio respectu totius Congregationis, sicut in Provinciali respectu suæ provinciæ, & in Ministro respectu sui Conventus; habet præterea potestatem, & Jurisdictionem sibi concessam, sive Jure Communi, sive privilegiis nostræ Religioni concessis, exceptis illis, quæ limitantur per nostras Constitutiones; quare cum illi competat regimen totius Ordinis, vigilare, & curare maxime debet perfectam Regularis disciplinæ observantiam.

2. Hortamur tamen Patrem Generalem, ne se in Officia aliorum Superiorum intromittat, nisi negligentia, vel culpa illorum id exigat, aut aliquando ratio, & prudentia suadeat, semper vero debent omnes illi obedire. Quod si excesserit in dicta intromissione a Diffinitorio submisse, & reverenter moneatur.

3. Numquam aliquid disponat, determinet, aut præcipiat contra id, quod a Provincialibus dispositum, determinatum, aut præceptum fuit, quam prius id notum Provincialibus fuit.

4. Ad Patrem Generalem pertinet præsidere in tota Religione, in Diffinitorio, & in Capitulo Generali proponere tam in isto, quam in illo, quæ in eis agenda, vel determinanda sunt, & executioni mandare, quod ipsis decretum est, & facere, quod observentur disposita in nostris Constitutionibus.

5. Item ad ipsum spectat semel saltem in suo sexennio videre omnia Monasteria totius Ordinis, & inquirere, ac visitare quemcumque Conventum, vel Collegium, prout ipsi conveniens visum fuerit.

6. Ad ipsum quoque pertinet Religiosos ab una in aliam transferre Provinciam, nominare, & designare Lectores, & Collegas tam Philosophiæ, quam Theologiæ Scholasticæ, Expositivæ, & Moralis. Licentiam præstare Lectoribus ad itinera facienda; deputare in qualibet Provincia cum consilio Provincialis respective, Magistros Novitiorum, recenter Professorum, & Collegarum Philosophiæ, & concedere Epistolas Confraternitatis ubicumque, & cuicumque expediens illi videbitur, & cætera omnia, quæ nostræ Constitutiones ei concedunt, & curæ ipsius committunt.

7. Si Officium Patris Generalis ante finitum sexennium vacare contigerit mortis, renunciationis, depositionis, aut alia quavis causa, statim primus Diffinitor Generalis convocet cæteros Diffinitores Generales, & Ministros Provinciales, & dicto primo Diffinitore Generali Præsidente, omnes simul canonice eligant unum Vicarium Generalem, qui eamdem auctoritatem, præeminentiam, vocem, & locum, ac Minister Generalis habeat, ejusque Vicarii Generalis Officium hujusmodi duret usque ad finem primi subsequentis Capituli Generalis, in quo Electio Ministri Generalis fieri debet, prout omnia disponit felic. record. Urbanus Papa VIII. in suo Brevi expedito die 22. Augusti anno 1633. Incipien.—*Injuncto nobis &c.*; Sigilla autem Ordinis in prædicto casu custodiat Secretarius, qui fuit Patris Generalis, & cum primo congregatum fuerit Diffinitorium illa ipsi Diffinitorio tradat, & simul Clavem Archivii Generalis, de qua *§. sequenti num.* 18.

§. 3. De Diffinitorio Generali.

1. Quolibet anno die tertia Maii, & 13. Septembris Patres Diffinitores Generales congregentur ad celebrandum Diffinitorium Generale in Conventu, vel Collegio jam ab ipso Diffinitorio antecedenti deputato, nec ad istud sit necessaria Convocatio, nec admittatur aliqua excusatio, nisi aliquis infirmitate, aut alia causa inevitabili sit impeditus; nec liceat Patri Generali aliquem Diffinitorem occupare, vel impedire, itaut dictis temporibus assistere non valeat Diffinitorio.

2. Si Pater Generalis absens fuerit, infirmus, vel taliter impeditus, ut dictis Diffinitoriis adesse nequeat, congregentur præfatis temporibus Diffinitores, & Præsidente primo ex eis, celebrent Diffinitoria; numquam tamen absente Patre Generali, aliqua fiat electio, vel admittatur renunciatio, vel nova Conventus fundatio.

3. Congregari etiam poterit Diffinitorium, semper ac Patri Generali visum fuerit, qui & illud congregare quoque tenebitur, quando major pars Diffinitorum id postulaverit.

4. Quotiescumque Diffinitorium celebretur, præsente Patre Generali, si vacans fuerit aliquod Officium Diffinitoris, ante omnia eligatur Diffinitor, idemque fiat casu, quo in ipsa actuali Diffinitorii celebratione, tale Officium per mortem, renunciationem, aut aliam justam causam vacaverit; & si electus absens est, prosequatur Diffinitorium, nulla tamen fiat Electio, donec novus Diffinitor perveniat, sine ipsius consensu, si fuerit intra Hispaniam, secus si extra illam fuerit

5. Diffinitorii tempore congregentur Diffinitores semel saltem in die per spatium unius horæ; durabitque Diffinitorii celebratio diebus necessariis pro expeditione rerum, & negotiorum ad arbitrium ipsius Diffinitorii.

6. Semper ac celebretur Diffinitorium, teneatur Pater Generalis proponere Officia tunc vacantia, & ad Diffinitorium pertinentia, ut eorum Electiones fiant, & similiter negotia occurrentia, quæ determinationem Diffinitorii expectant, & per ejus Decreta, & decisiva suffragia judicentur.

7. Quilibet ex Diffinitoribus poterit proponere quamlibet rem ex attinentibus ad Diffinitorium, & si majori illius parti expedire videatur per secreta suffragia decidetur.

8. Res graves, quales sunt Electiones, renunciationum admissiones, & similia proponantur pridie ante decisionem.

9. Quando aliquid determinatum est in Diffinitorio, non agatur iterum de illo, absente aliquo ex eis, qui primo Decreto astiterunt, imo etiam omnibus præsentibus, non controvertatur iterum, nisi concurrentibus tot suffragiis, quot necessaria sunt ad dispensandum.

10. Epistolæ ad Diffinitorium missæ, non aperiantur, nisi coram ipso, & ibi publice legantur, nisi aliter eidem Diffinitorio visum fuerit.

11. Diffinitorium poterit mittere aliquem ad Curias Romanam, & Regiam, & quo illi expediens visum fuerit pro aliquo gravi negotio ad bonum commune Religionis pertinente, dum tamen in hoc conveniant omnes, qui fuerint in Diffinitorio uno dempto.

12. Poterit etiam aliquem ex Diffinitoribus in quolibet gravi negotio occurrente occupare, & mittere quocumque illi conveniens visum fuerit, etiam extra Hispaniam.

13. Non poterit Diffinitorium vices suas concedere Patri Generali seorsim, nisi quando adierit

aliquam

aliquam Provinciam, vel Conventum videndum vel in simili casu raro, & semper cum limitatione ad ea tantum, quæ probabiliter, judicio ipsius Diffinitorii occurrere possunt, designando casus speciales, qui, & in Libro Diffinitorii scripti manebunt.

14. Deputet Diffinitorium in suum secretarium unum ex Partibus Diffinitorii, qui statim ac electus fuerit, juramentum emittat servandi secretum, & fidelitatem, forma præscripta pro secretario Capituli Generalis supra *Capitulo 39. §. 4. num. 9.*

15. Quod actum decisumque fuerit a Diffinitorio in ejus libro scribatur, & in electionibus Canonicis in ipsos factis annotetur numerus suffragiorum, & antequam finiatur Diffinitorium legantur coram ipso, & postea subscribatur a Patre Generali, Primo Diffinitore, & Secretario.

16. Pater Generalis Determinationes, & Decreta Diffinitorii executioni breviter mandari curet, quod si remisse in hoc se gesserit, & reverenter monitus non se emendaverit; Diffinitores primus, & secundus exequi faciant, ea subscribendo simul cum Secretario, & signando Diffinitorii sigillo.

17. Si (quod Deus avertat) Pater Generalis se gereret cum magno Sæcularium scandalo vel Religionem regeret notabili relaxatione, & observantiam in rebus gravibus negligeret, tunc Primus Diffinitor convocet omnes alios, qui omnes simul uniti, & non aliter, ac re mature considerata convocent quatuor, vel quinque Ministros per Capitulum Generale deputatos, & simul cum illis humiliter, & reverenter, vel in scriptis, vel oretenus, bis moneant, & corrigant Patrem Generalem, qui si adhuc ab excessibus, & culpis non cessaverit; omnes dicti Prælati, Diffinitores, utique, & Ministri simul congregati, & majori illorum parte consentiente, & causa cognita judicent, an mereatur deponi, & ita sentientibus, & judicantibus deponatur, & in tali casu, dum Causa agitur, poterunt omnes simul in toto Ordine, cui, vel quibus necessarium fuerit imponere præcepta, & censuras, quæ, & alia quæcumque mandata subscripta a primo, & secundo Diffinitore, & referendata a Secretario fidem faciant, & obligent, & in tali casu poterunt dicti Prælati jubere etiam Patri Generali præceptis, vel Censuris aliisque mediis opportunis, ne dum, causa ipsius agitur, & concluditur, Officium suum exerceat, nec alio sit Conventu præter sibi ab eis designatum.

18. Omnes Processus, & Causæ Criminales custodiantur in Archivio generali Ordinis, & Patres Provinciales, & Visitatores remittant dictas Causas jam absolutas, ut in Archivio reponantur, imo & etiam remittent incœptas, & nondum finitas, si ab ipsis absolvendæ non sunt; idemque faciant Patres nostri de causis ab ipsis inchoatis, & formatis, vel illas remittant ad suum Provincialem, ut de illis judicet. Quo facto ipse eas mittet ad prædictum Generale Archivium, in quo conserventur sub clavi, quæ apud Patrem Generalem, vel ejus Secretarium sit.

19. Et ne decursu temporis Libri Ordinis, Bullæ, Brevia, Privilegia, cæteræque Scripturæ disperdantur, decernimus, quod in nostro Conventu Matriensi sit Archivium generale, in cujus parte separata omnia prædicta reponantur, & custodiantur sub duabus clavibus, quarum altera sit apud Patrem Generalem; altera vero apud unum ex Diffinitoribus designandum a Diffinitorio, & similiter ad eumdem effectum in Conventu nostro Curiæ Romanæ sit aliud Archivium cujus Claves habeant Pater Minister, & Pater Procurator Generalis istius Curiæ; quando vero utrumque munus Minister exerceat, alteram ex his Clavibus habeat Consiliarius antiquior.

§. 4. De spectantibus ad Diffinitorium Generale.

1. Primum pertinet ad Diffinitorium, servatis alias servandis, novas Conventuum fundationes admittere, ex uno situ in alterum jam factas transferre, Conventus unius Provinciæ alteri Provinciæ designare, & adscribere, consulendo tamen in prædictis Provinciales illarum Provinciarum, in quibus aliquid ex dictis faciendum sit.

2. Etiam pertinet ad ipsum punire culpas gravissimas, ut dictum est supra *Cap. 31. §. 2. n. 7.*, facere statuta (quæ acta communiter dicuntur pro reformatione totius Ordinis illa revocare, ac in illis dispensare, declarare dubia erga nostras Constitutiones occurrentia, dispensare in eisdem Constitutionibus ad universale Ordinis regimen non spectantibus, excepto quando id in Constitutionibus Diffinitorio prohibetur (quod tamen raro fiat) & consentientibus omnibus suffragiis præter unum; etiam attinet ad ipsum dispensare in Statutis, seu Decretis Capituli Generalis.

3. Ad Diffinitorium quoque spectat designare tempus, & locum, in quo celebrandum est Capitulum generale, destinare etiam locum, in quo celebranda sunt Diffinitoria, mense Majo, & Septembri.

4. Ad ipsum Diffinitorium etiam spectat admittere renunciationem Patris Generalis, si actualiter tunc non celebratur Capitulum Generale ad cujus admissionem omnia suffragia concurrere volumus, admittere etiam renunciationes extra Capitulum Generale factas, aliorum Prælatorum eligere, & nominare Procuratores Generales, ac deputare Religiosos, qui Redemptionem Captivorum exercere debent; & qui ad Sacramenta ministranda Captivis profecturi sunt, & tam his, quam illis Instructiones præstare, quas observare debent, facultatem concedere Religiosis, ut Romam petant, vel quemlibet alium locum extra Hispaniam.

5. Insuper præbere consensum, ut a Summo Pontifice, vel ejus Sacris Congregationibus licentia obtineatur ut aliquis, seu aliqui Religiosi nostri transitum faciant ad alias Religiones, licentiam concedere, ut libri typis mandentur, sine qua nemo id audeat facere sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ per Triennium.

6. Item facultatem concedere Conventibus, ut hæreditates, seu legitimas renuncient, excepta tamen parte ad Redemptionem Captivorum spectante, & cum conditione, quod si persona, in cujus favorem facta fuerit renunciatio, absque hærede necessario decesserit, ad Religionem legitimam redeat; istæ autem Renunciationes in libro Conventus renunciantis scriptæ in memoriam maneant. Deinde potest etiam Diffinitorium, & ad ipsum spectat licentiam concedere, ut Conventus cum partibus componatur, & ut ad consensum, sive ad damnum pecunias recipiant, obtenta tamen prius super præmissis debita Sedis Apostolicæ licentia.

7. In Electionibus faciendis extra Capitulum a Diffinitorio, quando concurrunt tantum sex Electores, si post tres sessiones, in quarum singulis tria Scrutinia habita sint, electio canonica non sequatur, tunc concurrat cum Diffinitorio, & suffragium habeat ad illius electionis effectum Provincialis Provinciæ, cujus est Officium vacans.

8. Præcipimus omnibus Religiosis, tam Prælatis, quam Subditis, ne recurrant ad Diffinitorium pro expeditione rerum ad alios Superiores pertinentium; qui autem sine debitis circumstantiis recurrit, juxta gravitatem culpæ puniatur.

9. Diffinitorium nihil poterit facere ultra concessum a Regula, & nostris Constitutionibus, nec negotium aliquod, vel Causam ad ipsum non pertinentem poterit sibi arrogare, nisi in casu raro, & omnibus suffragiis concurrentibus.

10. Pater Generalis, & etiam Diffinitorium, quando illis expediens visum fuerit, mittant aliquam instructionem Patribus Provincialibus, quae & pro bono regimine, & reformatione Provinciarum, & pro ipsorum Subditorum profectu deserviat.

§. 5. De Patribus Diffinitoribus Generalibus.

1. Pater Generalis, & Diffinitores, dum post suam electionem primo in Diffinitorio congregabuntur, faciant ante omnia in ipso Diffinitorio juramentum servandi perpetuum secretum de rebus in eo agendis; quod juramentum tunc obliget, quando major pars Diffinitorii declaraverit debere servari secretum in tali, vel tali casu, qui autem illud fregerit, ab eodem Diffinitorio severe puniatur.

2. Patres Diffinitores Generales sex debent esse, juxta Breve felic. record. Alexandri VII. expeditum die 30. Januarii 1658., singulique duo in singulis Provinciis eligantur: Omnes autem sint aequales in potestate, & praeeminentiis, ut ubicumque fuerint, immediate Patri Generali subjiciantur, & in Conventu, in quo Capitulum Generale, vel Diffinitorium celebratur, dum haec durant, sedeant immediate post Patrem Generalem, & omnibus aliis praesideant, etiam Provinciali illius Provinciae, in qua sunt.

3. Habitent in Conventibus a Patre Generali designatis, aptis tamen, ut opportune, & scribere, & recipere Epistolas possint ad suum munus spectantes; Et in omnibus Conventibus, & Collegiis, ubi fuerint, suffragium habeant, sicut caeteri Conventuales, & absente Ministro, si ibi non fuerit Praeses assignatus per Patrem Generalem, vel Diffinitorium, praesideant in actibus, & functionibus Communitatis, signumque faciant, ut moris est; numquam vero se intromittant in regimen Domus, nisi absentibus Ministro, & Vicario; Tunc enim quoad omnia Praesides erunt Conventus, & omnes Religiosi semper, & ubique eamdem observantiam, & reverentiam praestent, ac suis Ministris.

4. In quolibet Conventu, ubi fuerint simul cum Patre Generali ab ipso licentiam, Socium, & Benedictionem accipiant ad exeundum e Domo. Si autem Pater Generalis ibi non est, dicatur Ministro, & cum Socio ab ipso designato, exeant; Socius tamen ipse a Ministro Benedictionem accipiat.

5. Epistolas quibuscumque Religiosis, & Saecularibus scribere, & ab illis Missas recipere liceat Diffinitoribus absque alicujus, etiam Patris Generalis, impedimento, vel examine, etiamque eis liceat sine aliqua licentia alloqui quascumque personas, observando tamen, quod Regula, & Constitutiones disponunt quoad loca, & tempora tacendi, & loquendi.

§. 6. De Officio Patrum Provincialium.

1. Omnes humiliter, & prompte suo Provinciali obediant tamquam Patri, & Pastori, qui & ideo magna solicitudine suae Provinciae invigilet, & in tota illa eamdem habeat potestatem, quam Ministri in suis Conventibus; in eorum tamen Officia non se intromittat, nisi illorum negligentia, & culpa exigente, vel necessitate, & prudentia postulante.

2. Ad Patrem Provincialem spectat concedere licentiam, ut in Religione recipiantur, qui ad Chorum destinantur; Item ut tam isti, quam Laici existentes in anno probationis, seu Novitiatus, (recipiantur suo tempore ad Professionem; Similiter praestare literas, Vulgo -- *Reverendas* --) ut Religiosi Sacris initientur; facultatem, ut concionentur; & licentiam, ut Confessiones audiant virorum, & petere a Diffinitorio licentiam, ut Religiosi Confessiones Foeminarum audiant. Pro his autem omnibus hortamur Patres Provinciales, & eorum conscientias oneramus, ut antequam dictas facultates concedant certam, & plenam notitiam habere curent de virtute illorum, quibus eas concedunt, ac de ipsorum aetate, scientia, & caeteris ad ea requisitis tam a Jure, quam a Bullis Pontificiis, & nostris Constitutionibus, & insuper dum a Diffinitorio postulaverit licentiam, ut aliquis Religiosus Foeminarum excipiat Confessiones, mittat petitionem proprii Ministri ejusdem Religiosi, in qua tam Minister, quam Consiliarii ejusdem Conventus, vel Collegii testificentur de Annis aetatis, Habitus, & Presbyteratus talis Religiosi, & quanto tempore Confessiones Virorum laudabiliter, ac prompte audiverit.

3. Pertinet etiam ad Provincialem suspendere, & tollere, quando conveniens judicaverit, facultates, & licentias praedicandi, & audiendi Confessiones, tam Virorum, quam Foeminarum, deinde impertiri in sua Provincia Benefactoribus, & aliis personis Epistolas Confraternitatis quibus participes fiant suffragiorum, caeterorumque bonorum Operum suae Provinciae, & facultatem praestare Conventibus ad perpetuo alienandas Sepulturas Ecclesiarum, non vero Cappellae Majoris, vel Minoris.

4. Rursus singulis Annis semel saltem visitare omnes Conventus, & Collegia suae Provinciae; Si vero Pater Generalis aliquam illius Provinciae Domum visitavit, tunc Provincialis non teneatur eam pro illo anno visitare; Quod si contigerit aliquem Fratrem Germanum Provincialis esse Ministrum alicujus Domus suae Provinciae non visitet Domum illam ipse Provincialis, sed tunc eo casu illam visitabit Pater Generalis, vel de ejus commissione alter Religiosus. Deinde si Pater Provincialis infirmitate, vel alia justa causa impeditus, non valeat visitare per se, suumque Officium exercere, poterit vices suas alteri Religioso Provinciae suae committere; nunquam tamen nominare, seu instituere Vicarium Provincialem, sive pro tota, sive pro parte suae Provinciae; Hoc enim ad Diffinitorium attineat.

5. Praeterea ad Provincialem spectat suos Religiosos ab uno in alium Conventum transferre, & praebere eis (exceptis Lectoribus, & Studentibus) licentias ad itinera facienda, necessitate exigente, & servatis his, quae dicta manent supra *Cap.* 16. *§.* 1.

6. Suspendere quoque ab Officio Ministrum, qui gubernare nescit, vel qui sua malitia, aut negligentia, vel defectu capacitatis permittit, ansam praebet, & causa est, quod omnes, vel plerique Subditorum vivant irreligiose, laxe, vel sine pace, aliaque inconvenientia tam in Oppido, quam in Conventu sequantur: Quacumque ergo ex istis causis potest Provincialis suspendere aliquem Ministrum quantumvis alias bonis moribus ornatum, consuletque diffinitorium, ut si expediverit praedictus Minister deponatur.

7. Ad Provincialem etiam pertinet nominare, & designare simul cum Ministro Vicarios omnium Conventuum suae Provinciae, & Collegiorum, necnon illos suspendere, imo, & consulto Patre Generali, eos privare, tam in casibus expressis in nostris Constitutionibus, quam si propter alias culpas id mereantur, sine obligatione reddendi causam, & rationem cur ita fiat, nisi Sacrae Congregationi, aut Generali, quando requisitus fuerit. Item admittere

renun-

renunciationes Officiorum, quorum designatio ad ipsum pertinet, tametsi cum Ministro nominatio facta fuerit.

8. Ad ipsum etiam spectat culpas punire usque ad graviorem inclusive, absolvere a censuris ad limites facultatis ei concessæ per Jus commune, vel Pontificia Privilegia.

9. Habeat Provincialis Librum in quo scribat facultates, quas concedit ad concionandum, ad virorum Confessiones audiendas, & Ordines recipiendos, & in eo nedum notet diem, mensem, & annum, & nomen Religiosi, sed etiam ejus Patriam, & Conventualitatem.

10. Non liceat Provinciali absque expressa licentia Patris Generalis contributionem imponere in sua Provincia; possit tamen licentiam concedere alicui Ministro, ut de consensu majoris partis Capituli Conventualis opem ferat alteri Conventui, vel Collegio indigenti. Super quo hortamur omnes Ministros, & Conventus, ut mutuo se adjuvent, ut religiosa, & fraterna charitas ita exerceatur, & conservetur.

11. Provincialis expirans rationem in Capitulo Generali reddat Patri Generali de omnibus expensis ab ipso factis in illo triennio, & in quibus eas fecit: quod si non reddiderit, Pater Generalis eam exigat.

12. Si Provincialis obierit, vel alia de causa ejus Officium cessaverit, Prædecessor immediatus sit ipso facto Vicarius Provincialis, nisi inhabilis, vel impeditus sit; nam tunc Vicarius Provincialis erit Diffinitor primus illius Provinciæ, & in istius defectum secundus, donec Diffinitorium eligat Provincialem.

13. In casu mortis alicujus Provincialis, ejus Secretarius, & Minister, & Consiliarii Conventus, in quo obiit, vel vicinioris, si forte extra Clavium ponant, & custodiant manticas, Codices, & Scripturas, ac alia similia, quæ penes defunctum, & ad ipsum attinentia inventa fuerint, & claves Manticarum apud Secretarium sint, qui etiam unam ex tribus Clavibus Arcæ habebit donec Vicarius Provincialis, vel Provincialis de novo electus accedat, cui omnia cum sigillis, & formulario Officii tradentur, nisi Pater Generalis aliter disposuerit. Et præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ prædictis Ministro, Secretario, ei, & Consiliariis, & omnibus, & singulis aliis Religiosis, ut numquam aperiant, nec aperire permittant dictas Manticas, nec videant, seu legant scripta, quæ apud se Provincialis defunctus habebat.

§. 12. *De modo servando in Visitationibus Conventuum.*

1. Hortamur in Domino Visitatores, ut scopus, ac finis suarum Visitationum semper sit conservare in suo rigore, & perfectione observantiam nostræ Regulæ, Constitutionum Sanctarum consuetudinem, & cæremoniarum, pacem statuere, culpas, & negligentias corrigere, & punire.

2. Pro initio Visitationis jubeat signum fieri ad Capitulum, & omnibus simul junctis, ac genuflexis incipiat Antiphonam -- *Veni Sancte Spiritus,* quam omnes prosequantur, & post eam dicat Versiculum -- *Emitte Spiritum tuum &c.* & Orationes -- *Deus qui corda fidelium* -- *Defende quæsumus Domine Beata Maria &c.* -- *Deus qui per Sanctos Patres nostros Joannem, & Felicem &c.* postea omnes sedeant, & Visitator faciat brevem Concionem Spiritualem ad intentum pro sua Visitatione.

3. Quo facto, imponat præceptum, & censuram, ut omnes ante ipsum dicant, & denuncient quidquid correctione dignum animadverterint tam in Prælato, quam in Subditis omni affectione, amore, odio seclusis, atque in quærendis, separandis, & custodiendis Eleemosynis pro Redemptione Captivorum observentur exacte quæ Leges nostræ disponunt, & ad hoc, ut ante ipsum quoque manifestent omnia quæcumque penes ipsos fuerint, sive pro suo usu, sive pro alio fine, quovisve titulo; Et insuper sub prædicto præcepto, & censura jubeat ab omnibus custodiri silentium in pertinentibus ad ipsam Visitationem, tam inter se, quam inter alios quoscumque, & tam verbis, quam scriptis. Durabit dictum præceptum, & censura per dies necessarios, sed non pauciores, quam quinque.

4. Ante examen Religiosorum visitet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Altaria, Oleum Sanctum, Ornamenta, cæteraque alia ad Cultum Divinum pertinentia.

5. Postea vocando singillatim Religiosos, visitet, examinet, ac diligenter inquirat ab eis primo, quomodo observentur mandata Dei, & præcepta Sanctæ Ecclesiæ, necnon quatuor Vota, Regula, Constitutiones, & Sanctæ Consuetudines Ordinis. Item an fuerit vel sit aliquod scandalum, vel quid habens speciem peccati, tam intra, quam extra Conventum. An sit pax inter Religiosos. An observetur Regularis Disciplina in Officio Divino, Oratione, Silentio, Vita Communi, Clausura, cæterisque obligationibus. An abusus introducatur in vestitu, aliisque rebus. An Prælatus necessaria Religiosis, præsertim Infirmis suppeditet, & an ipse Regulam, cæteraque alia observet.

6. Ut Visitatores hæc adimpleant, necesse est, calleant ea, quæ ad correctionem fraternam attinent, & ad Regulam, Constitutiones, & Consuetudines. Ideoque oportet eos habere Summarium principalium Statutorum, quæ observari debent, ut juxta illud facilius interrogent, & examinent Religiosos.

7. Cellas visitent, & videant, quæ ad usum Religiosi habeant, & quæ paupertati, observantiæque nostræ convenientia non fuerint, amoveant, & necessaria Subditis ministrari faciant.

8. Officinas etiam visitent, & animadvertant, si in illis sint necessaria pro Religiosis, tam valentibus, quam male habentibus, vel aliquid superfluum, & indecens nostro statui. Carcerem quoque visitent, & notent, si in eo sint, quæ debent, juxta disposita supra *Capit.* 31. §. 4. Bibliothecas quoque videant, & examinent an juxta eas, & ejus Libros observentur supra dicta *Capit.* 38. §. 7.

9. Similiter diligenter visitent Libros Conventus tam illos, in quibus bona stabilia, & Census continentur, quam illos in quibus notantur recepta, & expensæ in quacumque specie pecuniæ, tritici, hordei, vini, olei &c. necnon Libros Redemptionis Captivorum, & receptoris ad habitum, & professionem, ab ultima Visitatione, usque ad illam. Et Prælatus contra Bullas, & Decreta Pontificia sive in toto, sive in parte recipiens ad habitum, vel Professionem aliquos Novitios, pœnis impositis in illis, & aliis ad suum arbitrium Provinciales afficiant.

10. Deinde visitent Tabulam, seu Catalogum Religiosorum Defunctorum, Librum etiam, in quo scribuntur Missæ, & alia suffragia, obligationesque perpetuæ Conventus, & videant an illis sit satisfactum; Quod si invenerint aliquem defectum, statim curent plene satisfieri, & severe puniant Superiorem negligentem.

11. Præterea examinent Confessarios, Concionatores, & in Collegiis studentes, juxta supra dicta suis locis.

12. Insuper coram Communitate attente videant habitus, Scapularia, Cappas, & Capu-

tia Religioſorum; & curent, quod exacte obſervent menſuræ diſpoſitæ a noſtris Conſuetudinibus, ſevere puniendo Prælatum in hac parte remiſſum, & negligentem, & Religioſos excedentes.

13. His peractis, iterum in Aulam Capitularem Religioſos convocari jubeant, & exhortationem faciant Spiritualem laudandi virtutes, & obſervantiam, & corrigendo defectus, & culpas omnium in Communi, & ſingulorum in particulari. Ac deinde Religioſi, quibus nulla culpa impoſita eſt, defectus ſuos ipſimet, ut moris eſt, confiteantur.

14. Si Miniſter aliquam commiſerit culpam majori parti Communitatis ignotam, Viſitator illam in publico non reprehendat, ſed ſecreto coram aliquibus ex obſervantioribus, & notitiam habentibus: Similiter ſecreto corripiet ſecretas culpas cæterorum, & publice publicas, ac notorias: Et quando gravitas delicti virgam juſtitiæ exigat, ſemper Viſitator ſimul miſericordia utatur: Hortamurque illum in Domino, ne impunitas relinquat culpas, itaut exinde majoribus exceſſibus occaſio, & anſa præbeatur.

15. Correctione culparum finita, præceptum imponat Viſitator, ut pro tempore juxta prudens ejus judicium neceſſario, omnes, & ſinguli de actis in illa Viſitatione, & ad eam pertinentibus, ſtrictum ſilentium obſervent, tam inter ſe, quam inter alias quaſcumque, & tam verbis, quam ſcriptis. Deinde omnes in communi leviter flagellis cedat, & poſtea ſequenti abſolvat forma videlicet--Omnes proſtrati dicant Confeſſionem generalem, poſtea Viſitator--*Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam &c.*, & confeſtim--*Auctoritate, qua fungor in hac parte, in quantum poſſum, abſolvo Vos ab omni Sententia excommunicationis majoris, vel minoris, ſuſpenſionis, vel interdicti. In nomine Patris* †, *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

16. Si Viſitatori expediens viſum fuerit aliqua facere ſtatuta vulgo--*Acta*--rebus exigentibus, & maturo conſilio perpenſis, illa in ſcriptis faciat, & in Arca trium Clavium cuſtodiantur. Durabunt autem tantum uſque ad ſequentem viſitationem, ſi in ea denuo approbata non fuerint. Omniaque præcepta, & Cenſuræ ceſſent, ceſſante Officio Provincialis, qui ea impoſuit, & ſolum maneant tamquam ſimplicia mandata, uſque ad ſequentem viſitationem: monemuſque Provinciales, ut in primis ſuis viſitationibus ſcire curent præcepta, Cenſuras, acta, & mandata ſuorum Prædeceſſorum, & denuo illa approbent ſi expedire viderint.

17. Si in aliquo Conventu Viſitatores aliquam invenerint culpam excedentem ſuam Juriſdictionem, ſtatim Diffinitorio notitiam præbeant, mittentes Proceſſum (ſi factus fuerit) vel informantes de delicto, quod ſi hoc tale fuerit, quod remedium præſentaneum exigat, apponat neceſſarium, quamvis delictum (ut dictum manet) Juriſdictioni ſuæ non ſubſit.

18. Decernimus, quod quilibet Prælatus poſſit punire, & puniat quaſlibet culpas ad ſuam Juriſdictionem pertinentes, procedendo in earum cognitione ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſola facti veritate inſpecta, juxta conceſſionem motu proprio factam Ordini noſtro a felic. record. Paulo Papa V. die 17. Auguſti anno 1611. incipien. -- *Circumſpecta Sedis Apoſtolicæ &c.*

19. Viſitatores, & alii quicumque Judices in Cauſis, quas formaverint, non manifeſtent reis nomina teſtium, nec circumſtantias aliquas, per quas in illorum cognitionem venire poſſint.

20. Denique Viſitatores poſt finitas ſingulis annis Viſitationes, rationem reddant Diffinitorio de ſtatu Conventuum, & Collegiorum.

§. 8. *De Patribus Viſitatoribus Delegatis.*

1. Qui per Delegationem Patris Generalis, vel Diffinitorii viſitaverint totam noſtram Religionem, vel aliquam illius Provinciam, teneantur in quolibet Conventu viſitando manifeſtare Commiſſionem, quam portant; obedientia tamen eis præſtabitur ſtatim ac primo illam in aliquo Conventu patefecerint, & poſſeſſionem acceperint.

2. Viſitatores prædicti præſideant in omnibus Conventibus, ad quos Juriſdictio ſua ſe extendit, omnibus aliis Religioſis tam Prælatis, quam ſubditis eadem auctoritate, poteſtate, ac præeminentia, qua fungitur qui eos delegavit.

3. Quando vero aliquis pro Conventu Curiæ Romanæ viſitando deſignatus fuerit, tantum præſidebit Religioſis illius a die, qua illis per ſe ipſum notoriam fecerit ſuam Commiſſionem, quæ ſolum durabit uſque ad finem viſitationis, & hac peracta ceſſabit Officium, ſubdituſque manebit Miniſtro dicti Conventus, & eo abſente Procuratori Generali, niſi forte Viſitator alias ſuperior ſit, idemque omnino intelligatur reſpective de Viſitatore Delegato alterius, vel aliorum Conventuum in particulari.

4. In reliquis omnibus Viſitator Delegatus ſervet formam viſitandi *in §. antecedenti* poſitam, niſi aliquid ei in Commiſſione limitetur, & Inſtructionem etiam ſibi datam a Delegante ſub pœna juxta gravitatem culpæ ei infligenda.

§. 9. *De PP. Secretariis Prælatorum Superiorum.*

1. Pater Generalis in ſui Secretarium eligat Sacerdotem, qui ſuo conſilio, prudentia, & viribus valeat illum in ſui muneris onere portando adjuvare; Illum in ſcriptis deſignet præbendo ei Literas patentes ſui Officii, & Secretarius ſtatim ac eas recipiat, juramentum emittat in manibus ipſius Patris Generalis de ſervando ſecretum, & fidelitatem juxta formam præſcriptam pro Secretario Capituli Generalis ſupra *Cap. 39. §. 4. num. 9.*

2. Similiter quilibet Provincialis eligat ſibi Secretarium eiſdem qualitatibus præditum, & ei Literas patentes tribuat, ac Secretarius in manibus ipſius prædictum præſtet Juramentum, ſtatim ac nominatus fuerit.

3. Idem omnino faciat Viſitator delegatus in electione Secretarii, & iſte in emiſſione Juramenti, excepto caſu, quo delegans in Commiſſione deſignavit Viſitatori Secretarium, vel iſte Literas patentes dedit; tamen etiam in iſto caſu Secretarius Juramentum faciet in manibus Delegati, ſi in delegantis prius non emiſit illud.

4. Prædicti omnes Secretarii in quolibet Conventu, vel Collegio Juriſdictionis Prælatorum, quorum Secretarii ſunt, in quo ſimul cum ipſis fuerint, dum eorum Officium duraverit, Conventuales ſint cum voce, & loco, & ad exeundum a domo a ſuis tamen Prælatis, quorum Secretarii ſunt, licentiam, ſocium, & Benedictionem accipiant.

§. 10. *De Officio PP. Miniſtrorum.*

1. Patri Miniſtro humiliter, & reverenter ſui obediant ſubditi. Ad ipſum ſpectat immediate Conventus, vel Collegii Regimen, principalis cura, ſcopuſque illius ſit Spiritualis ſubditorum profectus, præeunte ſemper ipſo Doctrina, & exemplo: quapropter P. Generalis non poterit Miniſtrum aliquem eximere a vita Communi.

2. Ad ipſum etiam attinet hortari frequenter Subditos ad obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum, Sanctarum conſuetudinum, & Cæremoniarum, applicando contravenientibus ſine exceptione perſonarum pœnas per Conſtitutiones noſtras impoſitas, nec permittat Subditos ſe intromittere in negotia ſæcularia. Miniſtrum

autem in executione hujus Constitutionis remissum, P. Provincialis ad arbitrium suum puniat.

3. Disponat, & præcipiat Minister in suo Conventu quidquid illi conveniens visum fuerit ad majorem observantiam, & Subditorum reformationem ac correctionem: quod ut melius ac plenius exequi valeat, decernimus, quod faciat, & substantiet processus, & informationes culparum, ac delictorum commissorum a Religiosis in suo Conventu, vel alio in loco sui confinii, quamvis delicta excedant suam jurisdictionem, puniatque usque ad culpam gravem inclusive; nam graviores, & quibus annexum est scandalum, Provinciali, & Diffinitorio reservantur. Cæterum, si contigerit, quod aliqua culpa suam excedens jurisdictionem brevi indigeat remedio, opportunum adhibeat, illamque puniat: ac statim, sub pœna suspensionis ab Officio per unum mensem, moneat Superiorem, ad quem cura spectat, & cæteras informationes culparum, quas ipse non punierit, mittat Prælato, cui competat Sententiam proferre. Nullus autem Minister poterit sui Conventus visitationem Generalem facere, imponendo præcepta, & Censuras; hoc enim proprium est Provincialis.

4. Sit etiam Minister in temporalibus valde providus, & omnibus suis subditis nihil ex necessariis de victu, & vestitu deficiat; ad quæ distribuenda non expectet Religiosorum petitiones, quando necessitas patuerit; sed eas pastorali solicitudine præveniat, & amore paterno æqualiter omnibus juxta cujuslibet indigentiam subveniat, & sic Religiosi relicta omnium temporalium cura, spiritualibus magis intenti sint, & severe puniatur a Provinciali Minister in hoc deficiens.

5. Disponat etiam, & distribuat in suo Conventu Officia, vel per se solum, vel simul cum Provinciali, aut Capitulo Conventuali, juxta ea, quæ in diversis partibus harum Constitutionum statuuntur, constituendo in illis personas idoneas; Officiales autem omnia sibi a principio tradita juxta eorum Inventarium, suis Successoribus, vel Consiliariis tradant.

6. Curet Minister, quod in omnibus Officinis sui Conventus sint Inventaria, seu Libri, in quibus scripta inveniantur omnia, quæ sunt in dd. Officinis; & bis quotannis cum Consiliariis, & Officialibus respective illas, & libros visitet, ut incrementa scribantur, & de necessariis, quæ defuerint, diligenter provideatur.

7. Quando Superior Prælatus miserit Literas patentes pro transferendo aliquo Religioso in alterum Conventum, non eas subscribant Minister, & Consiliarii, donec talis Religiosus in procinctu sit ad iter arripiendum; eo autem ipso, quod subscribantur, statim cesset ejus Conventualitas, & deinde tamquam hospes habeatur.

8. Si Conventus aliquis pecuniam habeat (etiam obligationum, seu Missarum perpetuarum) conferendam in Censum, Minister (adhuc suffragante Capitulo Conventuali) id facere non valeat sine Patris Provincialis facultate.

9. Nullus Minister, vel particularis Religiosus, quamvis sit Procurator Conventus, seu Administrator bonorum, & facultatum ipsius, destruat, demoliatur aliquam Domum, vel possessionem, nec radicitus evellat Vineas, Oliveta, Arbusta; imo nec Religiosus Agricola, aut Hortulanus arborem (nisi aridam) succidat sine consensu Communitatis, & licentia in scriptis Prælati Superioris, qui illam concedet, majori utilitate inspecta; nec similiter sine præfato consensu, & licentia valeat aliquis ex dictis vendere, aut alienare Ædificiorum dirutorum reliquias, & materias, nec etiam emptas, aut alio titulo receptas pro nova fabrica, aut pro reparatione Conventuum, seu possessionum eorum.

10. Nullus item Minister, aut Præses valeat in toto cujuslibet anni spatio vendere, aut alienare triticum, hordeum, oleum, vinum, & similia, sive sint in propriis prædiis collecta, sive empta, sive pie oblata ultra quantitatem, & valorem quadraginta ducatorum ex unaquaque specie sine consensu majoris partis Capituli Conventualis, & semper in libro expensarum scribatur quantitas, & qualitas venditorum, seu alienatorum, & etiam notetur in eo dictus consensus Capituli Conventualis, quando intervenerit, Contravenientes autem tam isti, quam præcedenti Constitutioni, severe puniantur ad arbitrium Patris Provincialis juxta qualitatem culpæ.

teris derogatum non fuerat literis recor. mem. Alexandri Papæ VII., etiam prædecessoris nostri pariter in forma Brevis expeditis, quibus specialiter prohibetur in Regno Majoricæ aliquem Conventum fundari, nisi servata quinque leucarum distantia ab aliis Conventibus, jam erectis, institerunt acriter pro declaratione hujusmodi subreptionis, & Apostolici Indulti revocatione. Quare proposito, & mature discusso dubio, eadem Congregatio die vigesima septima Januarii 1673. decrevit literas primodictas tanquam subreptitias non esse exequendas, & quicquid vigore illarum erat gestum, tanquam attentatum esse revocandum, ac servandas esse ordinationes, & decreta alias facta; Iterumque proposito dubio die vigesima septima Aprilis ejusdem anni perstitit *in decisis*, & perpetuum imposuit silentium, mandavitque tibi, seu tunc existenti Episcopo Majoricen., ut omnia gesta in executionem primodictarum literarum Apostolicarum, utpote attentata revocari faceres, seu faceret. Quæ quidem ejusdem Congregationis decreta per alias dicti Clementis prædecessoris literas similiter in forma Brevis expeditas approbata, & confirmata fuerunt, & pro prædictorum omnium executione Monitorium a dilecto filio causarum Curiæ Cam. Apost. generali Auditore relaxatum, & ipsis Fratribus Capuccinis intimatum fuit. Verum stantibus præmissis, cum dd. Fratres Capuccini ea qua par est obedientia Apostolicis mandatis obtemperantes, & a prædicta Insula in Hispaniam transfretantes, Conventum, quem, ut supra dictum est, erexerant, vacuum dimisissent, Civitas Majoricen. videns se tam piis Religiosis orbatam, tota in amaritudinem conversa est, & ad memoratum Clementem prædecessorem recursum habuit, humiliter supplicando, ut attento consensu cæterorum omnium Religiosorum Mendicantium supremæ suæ pietatis dona impertiri dignaretur, & iisdem Fratribus Capuccinis specialem gratiam & favorem facere retinendi, seu de novo fundandi ibidem Conventum in quo duodecim Religiosi permanere possent. Ipse vero Clemens prædec. devotis prædictæ Civitatis, & Regni precibus, quantum æquitati consentaneum foret annuere cupiens, prævia oris aperitione, specialem Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum ejusdem S. R. E. Cardinalium benigne deputavit, in qua dum utriusque partis rationum momenta discutiebantur, benedicente Domino, res in pace compositæ sunt, & præfati Fratres Minores Strictioris Observantiæ discretiori consilio Fraternam charitatem exercentes suum præstiterunt consensum. Quare dicti exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Aliud decretum.

Fratres Capuccini Mandatis Apostolicis parent.

Preces Civitatis.

Nonnullorum Cardinalium Congregationi causa cognoscenda remittitur.

Patres concordant.

§. 1. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratæ specialis Congregationis Cardinalium consilio, attentis supra expressis, ac noviter deductis Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut postquam tibi constiterit Fabricam novi Conventus hujusmodi cum Ecclesia, Choro, Sacristia, Dormitorio, Refectorio, aliisque Officinis, hortis, & spatiis esse numeris omnibus absolutam, & supellectilibus tum sacris, tum profanis sufficienter instructam, quodque ex piorum Benefactorum eleemosynis duodecim Religiosi sustentari commode possint, ad prædictam erectionem, & fundationem auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio procedas.

Delegatio fundationis cœnobii.

§. 2. Non obstantibus supradictis Decretis, & Apostolicis in forma Brevis literis, & præsertim dicti Alexandri prædecessoris, aliisque ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno Primo.

II.

Confirmatur decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo statuitur, Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Provinciæ Portugalliæ gradum supernumerarii Magistri Apostolicis literis concessum assequi non posse, nisi in examine idonei comprobentur.

Fratres Redemptionis Captivorum Provinciæ Portugalliæ frui debere omnibus Privilegiis concessis a Sede Apostolica aliis fratribus ejusdem Ordinis Provinciarum Castellæ, Legionis ac Bethicæ statuit Paulus. III. Constitutione quæ incipit Inter Curas, *Bull. Rom. Tom.* 1. *Const.* 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Nov. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti filii moderni Ministri Provincialis Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod cum nonnulli Fratres dictæ Provinciæ gradum Magistrorum supranumerariorum ipsius Provinciæ sibi ab hac Sancta Sede concedi obtinuerint per quasdam literas Apostolicas in simili forma Brevis desuper expeditas, in quibus apposita fuit clausula: *Dummodo prævio rigoroso examine ad id idonei reperirentur*, dictique Fratres per injuriam Ministri Provincialis, qui eamdem Provinciam elapso triennio gubernavit, in possessionem dicti gradus intrusi sint, tametsi juxta præscriptum dictarum literarum rigorosum examen non subiverint secundum Constitutiones Ordinis prædicti a recolendæ me. Alexandro PP. VII. prædecessore pariter nostro in forma specifica confirmatas, id vero in magnum Provinciæ præfatæ præjudicium, & dedecus, & (quod deterius est) in aliquem contemptum, & illusionem præfatarum literarum Apostolicarum cedat, cum id, quod tam juste, & rationabiliter per easdem literas præcipitur, non sit impletum. Idem modernus Minister Provincialis plurimum cupiebat Apostolica auctoritate præcipi, ut dicti Fratres indebite in gradum prædictum hactenus intrusi impleant conditionem in supradictis literis Apostolicis appositam de rigoroso examine, illudque intra mensem, vel alium terminum dictæ Congregationi Cardinalium benevisum subeant in forma præscripta a dictis Constitutionibus, alias

Summa precum.

Causa Decreti ejusque confirmationis.

Preces Ministri Provincialis.

omnino

omnino a prædicto gradu Magiſtrorum tanquam indebite poſſeſſo exturbentur. Emanavit ad ſupplicationem dicti moderni Miniſtri Provincialis ab eadem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, audito P. Procuratore Generali Provinciæ Luſitaniæ, & attenta remiſſione libelli per SS. D. Noſtrum facta, cenſuit ſupraſcriptam conditionem de rigoroſo examine appoſitam in præfato Brevi Apoſtolico eſſe omnino, & rigoroſe ad præſcriptum Conſtitutionis Ordinis obſervandam, prout præſentis Decreti tenore ſtricte obſervari mandat, & præcipit eadem Sacra Congregatio. Romæ 9. Octobris 1676. Cardinalis Gaſpar Carpineus. I. D. Archiepiſcopus Joannen.*

Decretum S. Congregationis Epiſc, & Regul.

§. 1. Cum autem ſicut modernus miniſter Provincialis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi moderno Miniſtro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Apoſtolica ejuſd. Decreti.

§. 2. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 10. Novembris 1676. Pontificatus noſtri Anno Primo.

III. Eccleſia Cathedralis S. Salvatoris Braſilien. ſupplicante Petro Principe, & Gubernatore Portugalliæ & Algarbiorum, & conſentiente Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi, ſalvo jurepatronatus Regio in Metropolitanam erigitur.

Dat. 16. Nov. 1676. An. 1.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter Paſtoralis Officii curas, quo per ineffabilem divinæ Majeſtatis providentiam univerſalis Eccleſiæ regimini præpoſiti ſumus, illam peculiari affectu, & ſolicitudine libenter amplectimur, qua fides Orthodoxa in animis hominum, vel gignitur, vel jam genita nutritur, defenditur, & roboratur, ac Chriſti Oves, & Dominicus Grex, quem Cœleſtis Pater, ſuo ſanguine redemit, & in unius Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ unitatem adunavit ab incurſibus debacchantium Adverſariorum immunes redduntur, quorum, quo major eſt a capite diſtantia, eo vigilantior debet eſſe ſuper eos noſtra Apoſtolica ſolicitudo, propterea eorum Civitates, & loca, quæ poſt longas ignorantiæ tenebras Spiritus Sancti cooperante gratia, verum Chriſti lumen, & cognitionem receperunt, ſpecialibus prærogativis, gratiis, & favoribus proſequi, eorumque Eccleſias jam fundatas dignioribus titulis exornare decrevimus, maxime id ſublimium Principum expoſcentibus votis, prout in Domino ſalubriter expedire conſpicimus.

§. 1. Sane Eccleſia S. Salvatoris Braſilien., quæ de Jure patronatus pro tempore exiſtentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Illuſtrium ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur, & cui bo. me. Stephanus Epiſcopus Braſilien. dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Stephani Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta: Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, providi, vigiliſque Paſtoris more conſiderantes, quod ex omnibus Regionis Braſiliæ locis, quæ Portugalliæ, & Algarbiorum Reges a Barbaris, & Gentilibus, aliiſque feris nationibus habitatæ poſt varios ſudores, & impenſas propterea factas ditioni ſubegerunt, Civitas Sancti Salvatoris in Bahia omnium Sanctorum, ob illius amplitudinem, cultiores civium mores, agri fertilitatem, aeris benignitatem, ac Populi frequentiam, & commercium prima erat, & poſtquam Reges ipſi vaſtiſſimas Provincias, & Oppida, Portus, & loca in illis partibus ſuis viribus, ac diuturnis, & frequentibus bellis, periculiſque feliciſſime acquiſiverant, & ab Hæreticorum Hollandorum manibus recuperaverant, eorumque Populos divini, humanique Juris eatenus expertes opera, & Miniſteria variorum Religioſorum, aliorumque vitæ probatæ virorum, abjectis inde Sathanæ tenebris, ac Idololatriæ, & Gentilitatis, hæreſumque erroribus ad Fidem Catholicam, extra quam nulla eſt ſalus, & cognitionem veri luminis, qui eſt Chriſtus, & Sanctum Baptiſmatis lavacrum, Sanctæque Matris Eccleſiæ gremium allici curaverant dictam Civitatem tanquam Regiam ſuam, & Proregum ſuorum Sedem, illiuſque Diœceſim ſumptuoſis Dei Templis, Monaſteriis, Xenodochiis, & ſacris locis, necnon Miniſtris Eccleſiaſticis locupletaverant, & ornaverant; & dilectus filius nobilis vir Petrus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator, prædictorum Regum veſtigia, & exempla ſecutus, ad illas Regiones plurimos verbi Dei Prædicatores, & alios, doctrina, vitæque integritate inſignes viros pro ſpirituali ſalute animarum præcipua quadam ſolicitudine, & induſtria aſſidue laborantes notabili impenſa ſæpius miſerat, quorum concionibus, exemplis, & monitis converſos in eadem Fide inſtrui, & confirmari ſtuduerat, & a Fide abhorrentes, dum expediebat, vel ſalutaribus armis confuderat, vel procul arcuerat, eiſque rationibus Religio Chriſtiana, Divina favente Clementia, eis in locis, ſic longe lateque propagabatur, ut ad eos adhuc debiles in fide confirmandos, retinendoſque, & in doctrina indigentes, erudiendos, & ad bonum Paſtorem, qui pro eis animam ſuam poſuit, reducendos, majoraque Eccleſiaſtica Seminaria plantanda, novorum Præſulum inſtitutio omnino expediens videatur. Quodque in illis partibus, quantumvis longiſſime, & latiſſime protenderentur, nulla Metropolitana Eccleſia exiſtit, ad quam illarum Incolæ ſuper eorum querelis, & appellationibus, Juſtitiæ complementum obtenturi, recurrere poſſint, ſed illi ad Venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Ulyſſiponen. in Regno Portugalliæ exiſtentem Metropolitanum inde remotiſſimum confugere, vel Jura ſua indefenſa cogun-

Juſpatronatus Regium Eccleſiæ S. Salvatoris Braſilien., ejuſque Vacatio.

Cauſæ erigendi d. Eccleſiam in Metropolim.

tur

tur relinquere, quo fit, ut sæpe numero quam plurimi ad illicita procliviores sint, excessusque, & crimina impunita remaneant.

§. 2. Attendentes igitur, quod tam difficile sit per tam latam, tamque diffusam Diœcesim ad unum tantum pro Justitia consequenda a personis Ecclesiasticis, & secularibus recursum habere, matura super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, necnon prædicto Petro Principe, & Gubernatore supplicante, ac Venerabilis etiam Fratris nostri moderni Archiepiscopi Ulyssiponen. adhoc expresso accedente consensu, dictam Civitatem Sancti Salvatoris, Archiepiscopali, & Metropolitana prælatione, & titulo, dignam judicantes, de consilio, & assensu, & potestate similibus, ad Omnipotentis Dei laudem, & honorem, & Orthodoxæ fidei exaltationem, necnon totius militantis Ecclesiæ gloriam, Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ eatenus suffraganeam Ecclesiam Ulyssiponen. Civitatem, & Diœc. &c. prædictas, & dilectos filios eorum Clerum, & Populum a Provincia Ulyssiponen., cui etiam Metropolitico Jure subesse dignoscuntur, Apostolica auctoritate perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia, & pro tempore existen. Archiepiscopi, & dilectorum etiam filiorum Capituli, & prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen. superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione penitus eximimus, & liberamus, necnon Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ, ut præfertur, vacantem in Metropolitanam, & Sedem Episcopalem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanæ Ecclesiæ Sedem, & Provinciæ caput pro uno Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ nuncupando cum Pallii, & Crucis delatione, ac omnibus, & singulis aliis insigniis, honoribus, Juribus, Privilegiis, & prærogativis Ecclesiæ, & Sedis Metropolitanæ, ac Archiepiscopalis de jure patronatus dicto Petro Principi, & successoribus suis Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus, qui illud deinceps in perpetuum ad eandem Ecclesiam Metropolitanam, ut prius ad olim Cathedralem S. Salvatoris Brasilien. habere debeant, salvo, & illæso remanente, de simili consilio, dicta auctoritate erigimus, & instituimus, ac Archiepiscopalis, Metropolitanæ nomine, titulo, & honore decoramus.

Preces Petri Principis & Gubernatoris Portugalliæ, ac Algarbiorum.

Erectio Ecclesiæ S. Salvatoris in Metropolitanam.

§. 3. Necnon prædictis Ecclesiæ, & Civitati Sancti Salvatoris de Bahia Sancti Sebastiani, & de Olinda nuper Oppida, & per Nos etiam hodie in Civitates, illorumque Ecclesias in Cathedrales erecta, pro suis, & pro tempore existentis Archiepiscopi Sancti Salvatoris de Bahia suffraganeis, qui tanquam membra capiti, eidem Archiepiscopo jure Metropolitico subsint, & Provinciæ Sancti Salvatoris de Bahia Clerum, & Populum universum pro earundem Ecclesiarum S. Salvatoris de Bahia Provincialibus, quorum singulorum causæ ad dictum Archiepiscopum Sancti Salvatoris de Bahia juxta Sacrorum Canonum statuta referuntur, de simili consilio, etiam perpetuo concedimus, & assignamus, & quoad Archiepiscopalia Metropolitica Jura subjicimus.

Novæ Metropoli Ecclesiæ suffraganeæ assignantur.

§. 4. Decernentes ex tunc irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Segregationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionis, assignationis, subjectionis, & Decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

IV.

Oppidum de Olinda a Diœcesi Urbis S. Salvatoris de Bahia dismembratur, & suis præscriptis limitibus Civitas esse decernitur, ejusque Ecclesia Salvatori dicata Cathedralis constituitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Dat. 22. Nov. 1677. An. I.

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Sacram Beati Petri Sedem in plenitudine potestatis meritis licet imparibus assumpti mentis nostræ aciem ad ea potissimum dirigimus, per quæ grata, & accepta sinceræ fidei, & prosperæ devotionis obsequia Christo Domino Regi, & Redemptori Nostro exhibita promoventur, & præcipue cum ab iis, qui valde dissitas ab hac Alma Urbe Regiones incolunt, impenduntur, quorum pietatem in dies magis, ac magis augeri in Domino lætamur, eorumque augmenta Apostolica benignitate, & vigilantia juvare summopere optamus; quapropter cum ad hoc maxime conducat, ut Christifidelium greges aptis Pastorum Ministeriis regantur, ut quo magis eorum numerus crescit, horum etiam cura multiplicetur:

Conditio Oppidi de Olinda exponitur.

§. 1. Sane cum in Regno Brasiliæ in Provincia Pernambuci, ultra alia notabilia Loca unum Oppidum Civitas nuncupatum de Olinda Brasilien. Diœcesis a sex millibus Hispanorum inhabitatum Regum Portugalliæ dominio subjectum, & in eo una major Ecclesia Sancti Salvatoris invocatione, in qua Missæ, & alia divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur, aeris salubritate, ac Populi frequentia, & commercio, pluribusque virorum Monasteriis, Incolisque generis nobilitate, literarum, & armorum gradibus decoratis insigne reperiatur, quod a Civitate Sancti Salvatoris Bahiæ usque adeo remotum sit, & Christianorum multitudo, divino operante Spiritu Sancto, ita coaluerat, ut Episcopus Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existens ad illud, ejusque fines citra periculum transmeare, ac alios singulorum vultus, ut Episcopum decet, inspicere, aliasque partes boni Pastoris in universum gregem Dominicum curæ suæ commissum exercere nequeat; & postquam Reges ipsi vastissimas Provincias, Oppida, Portus, & Loca in illis partibus summis viribus, & diuturnis, & frequentibus bellis, periculisque felicissime acquisiverant, & ab Hæreticorum Hollandorum manibus recuperaverant, eorumque Populos divini, humanique juris eatenus expertes opera, & ministerio variorum Religiosorum, aliorumque vitæ probatæ virorum, abjectis inde Sathanæ tenebris, ac Idololatriæ, & Gentilitatis, hæresumque erroribus, ad Fidem Catholicam, extra quam nulla est salus, & cognitionem veri Numinis qui est Christus, & Sanctum Baptismi lavacrum, sanctæque Matris Ecclesiæ gremium allici curaverunt, dictam Civitatem tanquam Regiam suam, & Proregum suorum Sedem, illiusque Diœcesim sumptuosis Dei Templis, Monasteriis, Xenodochiis, & sacris locis, necnon Ministris Ecclesiasticis locupletaverunt, & ornaverunt; & dilectus filius Nobilis vir Petrus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator prædictorum Regum vestigia, & exempla secutus ad illas Regiones plurimos verbi Dei Prædicatores, & alios doctrina, vitæque integritate insignes viros pro spirituali salute animarum præcipua quadam solicitudine, & industria assidue laborantes notabili impensa sæpius miserat, quorum concioni-

Causæ dismembrationis.

bus, exemplis, & monitis conversos in eadem Fide instrui, & confirmari studuerat, & a Fide abhorrentes, dum expediebat, vel salutaribus armis confuderat, vel procul arcuerat, eisque rationibus Religio Christiana, Divina favente Clementia, eis in locis sic longe lateque propagabatur, ut ad eos adhuc debiles in fide confirmandos, retinendosque, & doctrina indigentes erudiendos, & ad bonum Pastorem, qui pro eis animam suam posuit reducendos, majoraque Ecclesiastica seminaria plantanda novorum Præsulum institutio omnino expediens redderetur.

§. 2. Præterea quod tam difficile sit per tam latam, tamque diffusam Diœcesim ad unum tantum pro Justitia consequenda a personis Ecclesiasticis, & sæcularibus recursum habere; Nos qui hodie ex certis tunc expressis causis, matura super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, necnon prædicto Petro Principe, & Gubernatore per ejus literas Nobis ad hos humiliter supplicante Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ eatenus suffraganeam Ecclesiæ Ulyssiponen., dictas Civitatem, & Diœcesim, necnon dilectos filios earum Clerum, & Populum a Provincia Ulyssiponen., cui tunc Metropolitico Jure suberant, ac Oppidum Sancti Sebastiani cum certis terminis specificandis, & certis limitibus distinguendis ab eadem Diœcesi Sancti Salvatoris Bahiæ ita quod posthac inibi tres Diœceses essent perpetuo segregavimus, divisimus, & separavimus; illaque omnia a pro tempore existentis Archiepiscopi, & Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen., necnon quoad legem diœcesanam Oppidum prædictum Sancti Sebastiani cum sua Diœcesi, ac Clero, & Populo ab Archiepiscopi, etiam pro tempore existentis, ac Capituli, & præfatæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris Bahiæ superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione moderni Venerabilis etiam Fratris nostri Archiepiscopi Ulyssiponen. adhoc accedente consensu prorsus eximimus, & liberavimus; necnon Ecclesiam S. Salvatoris Bahiæ certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam in Metropolitanam, ac Sedem Episcopalem, in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanæ Ecclesiæ Sedem, & Provinciæ caput pro uno Archiepiscopo S. Salvatoris Bahiæ nuncupando; necnon Oppidum S. Sebastiani præfatum, in Civitatem, ac Parochialem Ecclesiam sub invocatione ejusdem Sancti Sebastiani præfati Oppidi ejusdem Sancti Sebastiani in Cathedralem pro uno Episcopo Sancti Sebastiani nuncupando, qui Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existenti Metropolitico Jure subessent ereximus, & instituimus; necnon Sancti Sebastiani sub invocatione ejusdem Sancti Sebastiani Ecclesiæ sic in Cathedralem Ecclesiam erectæ Oppidum Sancti Sebastiani præfatum sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & Districtus dictæ Provinciæ Divi Januarii a Capitania Spiritus Sancti inclusive usque ad flumen de Plata per oram maritimam, & Terram intus pro sua Diœcesi, & illius Clerum, Incolas, habitatores, & Populum pro suis Clero, & Populo concessimus, & assignavimus, prout in diversis etiam confectis literis plenius continetur.

§. 3. Dictum Oppidum de Olinda Episcopali & Civitatis denominatione, & titulo dignum judicantes, de eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, ac præfato Petro Principe, & Gubernatore humiliter supplicante Oppidum de Olinda præfatum cum certis terminis inferius specificandis, & certis limitibus distinguendis ab eadem Diœcesi Sancti Salvatoris Bahiæ, ita quod posthac tres inibi Diœceses existant, auctoritate Apostolica perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia a pro tempore existentis Archiepiscopi, & Capituli, ac præfatæ Ecclesiæ Ulyssiponen., necnon quoad legem Diœcesanam de Olinda Oppidum præfatum cum infrascripta sua Diœcesi, ac etiam Clero, & Populo ab Archiepiscopi etiam pro tempore existentis, & Capituli ac prædictæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris Bahiæ superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione attento consensu dicti moderni Archiepiscopi Ulyssiponen. prorsus eximimus, & liberamus.

Preces Pontifici oblatæ.

Oppidum de Olinda Diœcesi S. Salvatoris dismembratur.

Eximitur a Jurisdictione Archiepiscopi.

§. 4. Necnon Oppidum præfatum de Olinda in Civitatem, & dictam Ecclesiam sub invocatione Sancti Salvatoris prædicti Oppidi in Cathedralem pro uno Episcopo de Olinda nuncupando, qui illi præsideat, & illius structuras, & ædificia ampliari, & ad formam Cathedralium Ecclesiarum redigi faciat, & dictis Ecclesiis Sancti Salvatoris, & Civitati de Olinda, ejusque Diœcesi tot dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura quot in eis pro Divino cultu, & dictæ Ecclesiæ de Olinda servitio, & Ecclesiastici Cleri donec ipsi Episcopo de Olinda videbuntur convenire de præfati Petri Principis, & pro tempore existentium Regum præfatorum consilio, & assensu, prævia cujuslibet congrua dotatione, ab ipso Petro Principe, & Regibus Portugalliæ facienda quamprimum fieri poterit erigat, & instituat; necnon Episcopalem Jurisdictionem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ ordinis, quæque Jurisdictionis, aut cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ alii in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis, & dominiis constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus facere possunt, & debent, facere libere, & licite possit, & debeat, ac in eadem de Olinda sic erecta Ecclesia Episcopalem dignitatem cum sede, præeminentiis, honoribus, privilegiis, & facultatibus, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ hujusmodi de jure, vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum; necnon Episcopali, & Capitulari Mensis, aliisque Cathedralibus insigniis ad Omnipotentis Dei laudem & gloriosissimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, totiusque triumphantis Ecclesiæ gloriam, ac fidei Catholicæ exaltationem, consilio, & auctoritate similibus, perpetuo erigimus, & instituimus, & Sancti Salvatoris de Olinda Ecclesiam Cathedralis, & de Olinda Oppidum hujusmodi Civitatis illiusque incolas Civium nomine, titulo, & honore decoramus.

Constituitur Civitas ejusque Ecclesia fit Cathedralis.

§. 5. Necnon eidem Ecclesiæ S. Salvatoris de Olinda Oppidum de Olinda præfatum sic in Civitatem de Olinda erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & Districtus dictæ Provinciæ de Pernambuco ab Arce Seara inclusive per oram maritimam, & Terram intus usque ad flumen Sancti Francisci, quod inserviet pro termino inter Diœcesim de Olinda, & Diœcesim S. Salvatoris de Bahia pro sua Diœcesi, & illius Clerum, Incolas, & habitatores, & Populum pro suis Clero, & Populo concedimus, & assignamus, non obstante alia separatione, seu dismembratione ejusdem Provinciæ de Pernambuco olim facta cum erecta fuerit in Administrationem spiritualem a san. mem. Paulo V. prædecessore nostro per literas datas 5. Julii millesimo sexcentesimo quartodecimo.

Diœcesis termini designantur.

§. 6. Necnon Ecclesiæ præfatæ S. Salvatoris de Olinda ejusque Mensæ Episcopali præfatæ pro ejus dote redditus annuos duorum millium, & quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ per ipsum Petrum Principem assignatos; quam quidem summam idem Petrus Princeps de suis propriis, ac pro tempore existentium Regum Portugalliæ redditibus, & specialiter de illis, qui

Redditus seu dos Episcopatus.

ex ipsa Regione Brasilien. percipiuntur gratiose, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & solvere quotannis promisit, seu promittit similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Juspatron., & præsentandi intra annum ad Episcopatum Regibus Portugalliæ conceditur.

§. 7. Et insuper Petro Principi, & Gubernatori, ac pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus præfatis Juspatronatus, & præsentandi personas idoneas infra annum ad dict. Ecclesiam de Olinda videlicet nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici tam pro hac prima vice, quam quoties illam deinceps quovis modo etiamsi apud Sedem Apostolicam vacare contigerit per nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi in ejusdem de Olinda Ecclesiæ Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendum. Ad majorem vero post Pontificalem, & principales, & alias dignitates, Canonicatus, & præbendas, necnon Beneficia erigenda, & per Petrum Principem, & pro tempore existentes Reges hujusmodi ex bonis eorum mere laicalibus congrue dotanda tam ab eorum primæva erectione, post quam erecta, & dotata fuerint, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis etiam ex quarumcumque personis, etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit pro tempore existenti Episcopo de Olinda præfato similiter per eum ad præsentationem præfati Petri Principis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum facta infra terminum a jure præfixum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis instituendis eadem auctoritate pariter perpetuo reservamus, ac concedimus.

Etiamsi vacet apud S. Sedem.

Item ad alias Dignitates, & beneficia.

Etiamsi vacent apud S. Sedem.

Declaratur Iuspatr. competere ex dotatione, & fundatione, nec ei esse derogandum.

§. 8. Decernentes Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi præfato Petro Principi, & Gubernatori, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus præfatis ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, neque derogatum censeri, nisi ipsius Petri Principis & Gubernatoris, & pro tempore existentium Regum præfatorum ad id expressus accedat assensus, & si quovis modo derogetur derogationes hujusmodi cum inde sequutis nullius roboris, efficaciæ, vel momenti fore.

Clausulæ.

§. 9. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, & ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque præfatæ Nuncios, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & quibusvis aliis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis, præsertim, quod Ecclesia Sancti Salvatoris Brasilien. præfata vacet, & Pastore suo destituta reperiatur, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, & ab Ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, & Nostra, ac Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ulyssiponen., & Sancti Salvatoris de Bahia Ecclesiarum præfatarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

V.

Erigitur Oppidum S. Sebastiani in Regno Brasiliæ in Civitatem, ejusque Ecclesia Parochialis in Cathedralem.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Dat. 22. Nov. 1676. An. 1.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis Pastoralis solicitudo in supremo Apostolicæ potestatis solio ex Omnipotentis Dei providentia constituta ad ea potissimum dirigitur, per quæ Salvatoris nostri Jesu Christi æternitatis Unigeniti fides, & gloria in dies magis augetur, & multiplicatur, qui ubi messem multam esse conspexit, operariorum penuriam attendens, Ministrorum suorum curas, variis in diei horis ad opera mittere non destitit, cum & ipse, ut homines salutaris vitæ, cœlestis patriæ cultores efficeret, de summis Cœlorum ad hujus Mundi infima, & in Sacrosanctæ Crucis Ara pro nostra salute in pretium immolari dignatus sit, cujus cum licet vices geramus in Terris inter multiplices curas, quæ ex Apostolico munere nobis incumbere dignoscimus, illa præsertim cordi nostro est ut multiplicata messe agri, & dominici cultores multiplicentur, quorum assiduis operibus, & fructuosis Ministeriis fructus spiritualis ad Centesimum usque augeatur, & Populus Christianus eisdem Rectoribus gubernetur, quos Pastor æternus sui operis Vicarios esse disposuit, propterea piissimi Patris familias partes favorabiliter implere exoptamus.

Causæ hujus erectionis.

§. 1. Sane cum in Regno Brasiliæ, in ea parte, quæ Rivus Januarii appellatur, inter cætera unum Oppidum Civitas nuncupatum Sancti Sebastiani Brasilien. Diœcesis quater mille circiter focularibus constans Regum Portugalliæ Dominio subjectum, & in eo una Parochialis Ecclesia sub ejusdem Sancti Sebastiani invocatione, in qua Missa, & alia divina Officia, & Ecclesiastica sacramenta administrantur, aeris salubritate, ac Populi frequentia, & commercio pluribus virorum Monasteriis, Incolisque generis nobilitate, literarumque, & armorum gradibus decoratis insigne reperiatur, quod a Civitate S. Salvatoris Bahiæ usque adeo remotum sit, ut Christianorum multitudo, divino cooperante Spiritu Sancto, ita coaluerit, ut Episcopus Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existens ad illud, ejusque fines citra periculum transmeare, ac aliorum singulorum vultus, ut Episcopum decet inspicere, aliasque partes boni Pastoris in Universum gregem Dominicum curæ suæ commissum exercere nequeat, postquam Reges ipsi vastissimas Provincias, Oppida, Portus, & loca in illis partibus summis viribus, ac diuturnis, & frequentibus bellis, periculisque felicissime acquisiverant, & ab Hæreticorum Hollandorum manibus recuperaverant, eorumque Populos Divini, humanique Juris eatenus expertes opera, & Ministerio variorum Religiosorum, & aliorum vitæ probatæ virorum, & abjectis inde Sathanæ tenebris, ac Idololatriæ, & gentilitatis, hæresumque erroribus ac fidem Catholicam, extra quam nulla est salus, & cognitio veri luminis, qui est Christus, & Sanctum Baptismatis lavacrum, Sanctæque Matris Ecclesiæ gremium allici curaverant, dictam Civitatem tanquam Regiam suam Proregum suorum Sedem illiusque Diœcesis sumptuosis Dei Templis, Monasteriis, Xenodochiis,

& sa-

& sacris locis, necnon Ministris Ecclesiæ locupletaverant, & ornaverant; & dilectus filius Nobilis vir Petrus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator, prædictorum Regum vestigia, & exempla sequutus, ad illas regiones plurimos verbi Dei Prædicatores, & alios doctrina, vitæque integritate insignes viros pro spirituali salute animarum præcipua quadam sollicitudine, & industria assidue laborantes, notabili impensa sæpius miserat, quorum concionibus, exemplis, & monitis, conversos in eadem fide instrui, & confirmari studuerat, & a fide abhorrentes dum expediebat, vel salutaribus armis confuderat, vel procul arcuerat, eisque rationibus Religio Christiana, Divina favente clementia, eis in locis sic longe, lateque propagabatur, ut ad eos adhuc debiles in fide confirmandos, retinendosque, & doctrina indigentes erudiendos, & ad bonum Pastorem qui pro eis animam suam posuit reducendos, majoraque Ecclesiastica Seminaria plantanda novorum Præsulum institutio omnino expediat.

Narratur Ecclesiam S. Salvatoris de Bahia erectam fuisse in Metropolitanam.

§. 2. Præterea difficile redderetur per tam latam, tamque diffusam Diœcesim ad unum tantum pro Justitia consequenda a Personis Ecclesiasticis, & secularibus recursum habere: Nos qui hodie ex certis tunc expressis causis matura super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, necnon prædicto Principe, & Gubernatore per ejus literas nobis ad hoc humiliter supplicante Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ eatenus suffraganeam Ecclesiæ Ulyssiponen., & dictas Civitatem, & Diœcesim, necnon dilectos filios earum Clerum, & Populum a Provincia Ulyssiponen., qui tunc Metropolitico Jure suberant, ac Oppidum de Olinda, cum certis terminis inferius specificandis, & certis limitibus distinguendis ab eadem Diœcesi Sancti Salvatoris Bahiæ, ita quod posthac inibi tres Diœceses essent, perpetuo segregavimus, divisimus, & separavimus, illaque omnia, & pro tempore existentis Archiepiscopi, & Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen., necnon quoad legem Diœcesanam Oppidum prædictum de Olinda cum sua Diœcesi, ac etiam Clero, & Populo ab Archiepiscopi, etiam pro tempore existentis, Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris Bahiæ superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione moderni Venerabilis etiam Fratris nostri Archiepiscopi Ulyssiponen. adhoc accedente consensu, prorsus exemimus, & liberavimus; necnon Ecclesiam Sancti Salvatoris Bahiæ, certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam, in Metropolitanam, & Sedem Episcopalem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanæ Ecclesiæ Sedem, & Provinciæ caput pro uno Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ nuncupando; necnon Oppidum de Olinda prædictum in Civitatem, & Ecclesiam sub invocatione Sancti Salvatoris ejusdem Oppidi de Olinda in Cathedralem pro uno Episcopo de Olinda nuncupando, qui Archiepiscopo Sancti Salvatoris Bahiæ pro tempore existenti Metropolitico Jure subsit, ereximus, & instituimus, necnon Sancti Salvatoris de Olinda Ecclesia sic in Cathedralem Ecclesiam erecta, Oppidum de Olinda prædictum sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus dictæ Provinciæ de Pernambuco ab Arce Seara inclusive per oram maritimam, & terram intus usque ad Flumen Sancti Francisci, quod inserviet pro termino inter Diœcesim de Olinda, & Diœcesim Sancti Salvatoris de Bahia pro sua Diœcesi, & illius Clerum, Incolas, habitatores, & Populum pro suis Clero, & Populo concessimus, & assignavimus, prout etiam in diversis, etiam confectis literis plenius continetur.

Ecclesiam Oppidi de Olinda in Cathedralem.

Diœcesis termini præscribuntur.

Preces Petri Principis, & Gubernatoris Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum.

§. 3. Dictum Oppidum Sancti Sebastiani Episcopali, & Civitatis donatione, & titulo dignum judicantes de eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, & assensu similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac prædicto Petro Principe, & Gubernatore humiliter supplicante Oppidum Sancti Sebastiani prædictum cum certis terminis inferius specificandis, & certis limitibus distinguendis ab eadem Diœcesi Sancti Salvatoris Bahiæ; ita quod posthac tres inibi Diœceses existant, auctoritate Apostolica perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia a pro tempore existentis Archiepiscopi; & Capituli, ac prædictæ Ecclesiæ Ulyssiponen.; necnon quoad legem Diœcesanam Sancti Sebastiani Oppidum prædictum cum infrascripta sua Diœcesi, ac etiam Clero, & Populo ab Archiepiscopi, & pro tempore existentis, ac Capituli, ac pariter Ecclesiæ Sancti Salvatoris Bahiæ superioritate, Jurisdictione, potestate, & correctione, attento consensu dicti moderni Archiepiscopi Ulyssiponen. prorsus eximimus, & liberamus; necnon Oppidum prædictum Sancti Sebastiani in Civitatem; & Parochialem Ecclesiam Sancti Salvatoris ejusdem Sancti Sebastiani prædicti Oppidi in Cathedralem pro uno Episcopo Sancti Sebastiani nuncupando; qui illi præsideat, & illius structuras, & ædificia ampliari, & ad formam Cathedralium Ecclesiarum redigi faciat, & in dicta Ecclesia Sancti Sebastiani, & Civitate, ejusque Diœcesi tot dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura quot in eis pro divino cultu, & dictæ Ecclesiæ Sancti Sebastiani servitio, & Ecclesiastici Cleri decore, ipsi Episcopo Sancti Sebastiani videbuntur convenire de prædicti Petri Principis, & pro tempore existen. Regum prædictorum consilio, & assensu, & prævia cujuslibet congrua dotatione ab ipsis Petro Principe, & Regibus Portugalliæ facienda quam primum fieri poterit erigat, & instituat; necnon Episcopalem Jurisdictionem, & potestatem exercere omnia, & singula, quæ ordinis quæque Jurisdictionis, aut cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ aliis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & dominiis constituti Episcopi in suis Ecclesiis Civitas, & Diœcesis facere possunt, & debent, facere libere, & licite possit, & debeat, ac in eadem S. Sebastiani sic erecta Ecclesia Episcopalem dignitatem cum Sede, præeminentiis, honoribus, privilegiis, & facultatibus, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ hujusmodi de Jure, vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum; necnon Episcopali, & Capitulari Mensis, aliisque Cathedralibus insigniis ad Omnipotentis Dei laudem, & Gloriosissimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, totiusque Triumphantis Ecclesiæ gloriam, & Fidei Catholicæ exaltationem consilio, & auctoritate similibus perpetuo erigimus, & instituimus, & Sancti Sebastiani Ecclesiæ Cathedralis, & Sancti Sebastiani Oppidum hujusmodi Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine Titulo, & honore decoramus.

Erectio d. Oppidi in Civitatem, ejusque Ecclesiæ Parochialis in Cathedralem.

Diœcesis termini assignantur.

§. 4. Necnon eidem Sancti Sebastiani Ecclesiæ Oppidum Sancti Sebastiani prædictum, sic in Civitatem Sancti Sebastiani erectum pro Civitate, aliaque Oppida, Castra, Villas, Territoria, ac districtus dictæ Provinciæ Divi Januarii a Capitania Spiritus Sancti inclusive, usque ad Flumen de Plata per oram maritimam, & Terram intus pro sua Diœcesi, & illius Clerum, Incolas, habitatores, Populum pro suis Clero, & Populo concedimus, & assignamus. Non obstante alia separatione, seu dismembratione ejusdem Provinciæ Divi Januarii olim facta, cum erecta fuerit in administrationem spiritualem a fa. me Gregorio XIII. prædecessore nostro per literas

Dos mensæ Episcopalis.

datas 19. Julii 1576., necnon Ecclesiæ prædicti Sancti Sebastiani, ejusque mensæ Episcopali prædictæ pro ejus dote redditus annuos duorum millium, & quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ per ipsum Petrum Principem assignatos, quam quidem summam idem Petrus Princeps de suis propriis, ac pro tempore existentium Regum Portugalliæ redditibus, & specialiter de illis, qui ex ipsa Religione Brasiliæ percipiuntur, gratiose, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & obtulit, ac solvere quot annis promisit, seu promittit, similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Juspatron. & præsentandi ad d. Ecclesiā Regibus Portugalliæ conceditur.

§. 5. Et insuper Petro Principi, & Gubernatori, ac pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus prædictis Juspatronatus, & præsentandi infra annum personas idoneas ad dictam Ecclesiam Sancti Sebastiani videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici tam pro hac prima vice, quam quoties illam deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi, in ejusdem Sancti Sebastiani Ecclesiæ Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendum: Ad majorem vero post Pontificalem, & principales, aliasque Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, necnon Beneficia erigenda etiam per Petrum Principem, & pro tempore existentes Reges hujusmodi, ex bonis eorum mere laicalibus congrue dotanda, tam ab eorum primæva erectione postquam erecta, & dotata fuerint, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis etiam ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit pro tempore existenti Episcopo Sancti Sebastiani prædicto, similiter per eum ad præsentationem prædicti Petri Principis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum facta infra terminum a Jure præfixum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & præbendis, ac Beneficiis instituendis, eadem auctoritate perpetuo reservamus, & concedimus.

Declaratur Juspatr. competere ex Dotatione, & fundatione, nec ei derogandum.

§. 6. Decernentes Jus Patronatus, & præsentandi hujusmodi Petro Principi, & Gubernatori, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus prædictis ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem, etiam Consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, neque derogatum censeri, nisi ipsius Petri Principis, & Gubernatoris, & pro tempore existentium Regum prædictorum ad id expressus accedat assensus, & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde sequutis, nullius roboris, vel momenti fore: sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem Sanctæ R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos sedisque prædictæ Nuncios, & causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & quibusvis aliis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, præsertim quod Ecclesiæ Sancti Salvatoris Brasilien. prædicta vacaret, & Pastore suo destituta reperiretur, Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, & ab Ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de non tollendo Jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ulyssiponen., & S. Salvatoris de Bahia Ecclesiarum prædictarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, assignationis, applicationis, approbationis, reservationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, Decimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

VI.

Confirmatur Decretum Congregationis Concilii, quo decernitur ad Abbatem Commendatarium pertinere approbare Monachos pro audiendis confessionibus sæcularium in Ecclesiis Monasteriorum S. Scholasticæ, & S. Specus Sublacen. Ordinis S. Benedicti nullius Diœcesis Provinciæ Romanæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Nov. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Emanavit nuper à Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad favorem dilecti filii nostri Caroli Barberini ejusdem S.R.E. Diaconi Cardinalis Caroli nuncupati, perpetui Commendatarii Monasteriorum S. Scholasticæ, & sacri Specus Sublacen. insimul perpetuo unitorum Ordinis S. Benedicti nullius Diœcesis Provinciæ Romanæ, Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: *Sublacen. Jurisdictionis.*

Exemplum supplicis libelli Eminētissimi Commendatarii.

§. 1. Eminentissimus D. Cardinalis Carolus Barberinus modernus Abbas Commendatarius Sublacen. exponit, qualiter Monachi Ordinis Cassinensis degentes in SS. Monasteriis S. Scholasticæ, & S. Specus insimul unitis Abbatiæ Sublacen. pro audiendis Confessionibus sæcularium in Ecclesiis dictorum Monasteriorum consueverunt hucusque approbationem oretenus recipere à Vicario Generali Abbatis Commendatarii pro tempore existentis; quoties enim novus superior Claustralis regimini eorumdem Monachorum præficiebatur, cum primum ipsum Vicarium Generalem inviseret, consuevit semper quosdam ex Monachis, quos ad id munus magis idoneos judicaret, eidem proponere, ut necessariam approbationem pro excipiendis sæcularium Confessionibus, si ita ei videbatur, ab ipso reciperent, prout de facto oretenus, ipsius Vicarii arbitrio recipiebant, duraturam nimirum pro toto tempore regiminis illius superioris, qui illam postulaverat, unde novus superior, novam subinde approbationem pro confessariis petebat.

§. 2. Morem hunc approbandi oretenus Confessarios Eminentissimus Cardinalis Carolus modernus Commendatarius haud satis probavit; ideoque cum illum servari invenisset per ipsius Vicarium, cum cæteris, etiam fere omnibus Confessariis, sive sæcularibus, sive Regularibus suæ Abbatiæ, cupiens pro sua pietate, ac zelo præsertim post editas Constitutiones Synodales consultius procedere, Vicario injunxit, ut in posterum ad earumdem Constitutionum præscriptum, omnibus Confessariis, sive Sæcularibus, sive Regularibus facultatem audiendi Confessiones, non alias quam in scriptis concederet singulis semestribus renovandam. Decretum hoc Eminentiæ suæ paulò post, ut par erat ad praxim deductum fuit ab ejus Vicario respectu Confessariorum Sæcularium, & etiam aliorum Regularium.

§. 3. Verum cum illud quoque quoad Monachos exequi contenderet occasione novæ approbationis, quæ illis juxta prænarratum morem pro excipiendis Sæcularium Confessionibus concedenda erat in mutatione Superioris Claustralis, qui nuper illorum regimini præfectus fuit, iste promptum se quidem exhibuit ad recipiendam approbationem oretenus, sed recusavit illam recipere in scriptis. At cum vidisset eam oretenus nequaquam posse obtinere cœpit ulterius afferere Monachos Sublacen. nullatenus teneri ad dictam approbationem, sive in scriptis, sive etiam oretenus recipiendam, tam ratione cujusdam antiqui Privilegii Martini V. eisdem Monachis concessi pro audiendis quorumcumque Fidelium Confessionibus, quam ratione reliquorum Privilegiorum, & exemptionum, imo etiam prætensi eorum Territorii separati per quod non modo credunt se immunes omnino à Jurisdictione Abbatis Commendatarii, verum etiam opinantur se posse cum Bonis mensæ Conventualis constituere propriam quamdam Diœcesim ab illa ejusdem Abbatis penitus divisam. Perstitit idem novus Superior Claustralis pro quadam urbanitate erga Eminentissimum Abbatem his non obstantibus se recepturum pro Monachis oretenus licentiam audiendi Confessiones, prout reliqui ejus Antecessores consueverant.

§. 4. Verum idem Eminentissimus Abbas nolens ullam Jurisdictionem sibi attribui ex urbanitate Monachorum, sed illam dumtaxat, quæ sibi de Jure competit, cupiens modis consultioribus exercere, monita parte Monachorum ad informandum, petiit per Sac. Congregationem declarari: Primo an Monachi SS. Monasteriorum S. Scholasticæ, & S. Specus Abbatiæ Sublacen. teneantur recipere approbationem pro audiendis Sæcularium Confessionibus in Ecclesiis dd. Monasteriorum ab Eminentissimo Abbate Commendatario, non modo oretenus, prout hucusque consueverunt, verum etiam in scriptis. Præterea cum iidem Monachi consueverint de præterito in propriis sedibus Confessionalibus retinere publice affixas notulas casuum reservatorum eidem Eminentissimo Abbati, ac modo illas non amplius retineant, quatenus ad primum Dubium affirmative respondeatur, consecutive declarari postulat: Secundo, an iidem Monachi teneantur in propriis sedibus Confessionalibus publice affixas retinere notulas casuum reservatorum eidem Eminentissimo Abbati, & quatenus teneantur quibus remediis ad id compelli possint.

Dubia in d. S. Congregatione proposita.

Die 10. Octobris 1676. Sac. &c. ad utrumque Dubium respondit affirmative, & ab Eminentissimo Commendatario procedendum esse Juris remediis contra inobedientes.

Decretum S. Congregationis.

In quorum &c. Dat. Romæ hac die 5. Novembris 1676.

S. Archiepiscopus Brancaccius Episcopus Viterbien. S. C. C. Sec.

§. 5. Cum autem sicut d. Carolus Cardinalis, & Commendatarius Nobis subinde exposuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Carolum Cardinalem, & Commendatarium specialis gratiæ favore prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Apost. præd. Decreti.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Monasteriorum, & Ordinis præfatorum; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno Primo.

VII.

Confirmatio quorumdam Statutorum pro Ordine S. Pauli Primi Eremitæ in Regno Portugalliæ &c.

De hoc Ordine mentionem faciunt Paul. Morig. de histor. Religion. cap. 49., & Sylvest. Marul. in Ocean. Religion. ejusque Privilegia habes in Constit. In supremo *Alex. VII., quoad Monasteria pro studiis Generalibus, & gradibus constit.* Ex injuncto nobis 60. *Clem. X.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 17. Nov. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior Generalis, & Fratres Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ, quod vigore facultatis, quam Constitutiones dicti Ordinis Diffinitorio in Capitulo Generali ipsius Ordinis congregato tribuunt, adjungendi ad Constitutiones hujusmodi ea, quæ pro bono ejusdem Ordinis regimine magis expedire videbuntur, Diffinitorium in Capitulo Generali dicti Ordinis proxime præterito congregatum, statuit, seu decrevit:

Preces Pontifici oblatæ.

§. 1. Primo, ut is Frater, qui per triennium Visitatoris officio functus fuerit, triennio subsequenti in Visitatorem eligi nequeat. Secundo ut Prior, sive Superior Generalis primo anno sui triennii visitet super Processu Visitatoris, qui antecedenti triennio officium suum absolverit, idque faciat per actus separatos, quos deferat ad primam mensam definitionis, ad hoc, ut ibidem judicentur. Tertio, ut in futurum Vicarii Domus Regularis de Valdinfante nuncupatæ in omnibus Capitulis Generalibus Ordinis prædicti vocem habeant, & in omnibus Conventibus, in quibus reperientur, sedere debeant in Refectorio ad mensam, quæ Transversa vocatur.

Statuta, seu Decreta Diffinitorii dicti Ord. in Capitulo Generali.

§. 2. Cum autem sicut eadem Expositio subjungebat, Statuta, seu Decreta hujusmodi bono dicti Ordinis regimini conducibilia sint, & propterea dicti Exponentes illa, quo in futurum tamquam Constitutiones ejusdem Ordinis inviolabiliter observentur, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent:

§. 3. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad præmissorum effectum dumtaxat consequendum harum herie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis expositis, Statuta, seu Decreta supra expressa a Diffinitorio, facta, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & Facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Pontifex cōfirmat dd. Statuta, & Decreta.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis præfati, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno primo.

VIII.

Committitur Nuncio Portugalliæ moderatio inhibitionis factæ Inquisitoribus dicti Regni Portugalliæ in Causa Recursus novorum Christianorum.

Hanc inhibitionem habes supra inter Constit. Clementis X. incipien. Cum dilecti nobis.

Ven. Fratri Marcello Archiepiscopo Chalcedonen. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio.

Dat. 28. Nov. 1676. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ven. Frater salutem, & Apost. Benedictionem.

Causa concessionis prædictæ Inhibitionis.

ALias cum dilecti filii Christiani novi nuncupati, sive ab Hebræis descendentes in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis degentes, qui in carceribus Tribunalium Inquisitionis adversus hæreticam, & apostaticam a Fide catholica, & Religione Christiana pravitatem in Ulyssiponen., Eboren., & Conimbricen. Civitatibus auctoritate Apostolica institutorum propter imputata eis crimina ad Officium Inquisitionis hujusmodi spectantia, de quibus accusati, seu inquisiti respective existebant, detinebantur, ad fel. rec. Clementem Papam X. Prædecessorem nostrum, & hanc Sanctam Sedem recurrissent, conquerentes, bo. me. Petrum Archiepiscopum Siden., qui tunc adhuc in humanis esse credebatur, Generalem, & reliquos Inquisitores adversus hæreticam pravitatem in dictis Regnis auctoritate præfata deputatos, seu eorum aliquos ad novum actum (ut vocant) Fidei contra ipsos, sive ad eorum condemnationem, eorumque ad publice abjurandum coactionem, & in hujus defectum ad diversarum pœnarum inflictionem, atque executionem nimia præcipitatione, quæ Justitiæ noverca esse solet, nec servatis iis, quæ per Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum æquitatem præscripta sunt, devenire velle, non sine Justitiæ subversione, ac ipsorum, totiusque eorum Nationis ruina, & destructione:

§. 1. Idem Clemens prædecessor qui in supremo Justitiæ throno a Domino constitutus, Justitiam omnibus æqua lance administrare tenebatur, eorumdem Christianorum recursum hujusmodi admittens, ac causam, & causas quascumque contra eos, & eorum quemlibet super criminibus, & delictis ad officium inquisitionis hujusmodi quomodolibet spectantibus in præfatis, aliisve Tribunalibus quibuscumque adversus hæreticam, & apostaticam pravitatem prædictam in supradictis Regnis dicta auctoritate institutis, seu eorum aliquo eatenus quovis modo motas, & pendentes, in statu, & terminis, in quibus tunc quomodolibet reperiebantur, ad se, & ad Sedem præfatam avocans, ipsasque causas cum omnibus, & singulis illarum accidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali per Congregationem Ven. Fratrum nostrorum tunc suorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana generalium Inquisitorum adversus hæreticam, & apostaticam pravitatem hujusmodi a Sede præfata deputatorum, cui easdem causas commiserat, & demandaverat, audiri, cognosci, decidi, fineque debito, prout Juris foret, terminari debere omnino volens, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memorato Petro Archiepiscopo Inquisitori Generali, ac reliquis Inquisitoribus præfatis districte inhibuit, ne causa, & causis hujusmodi in præfata Cardinalium Congregatione pendentibus, aut alias quomodolibet donec, & quousque specialis expressa desuper ab ipso Clemente prædecessore, & eadem Sede licentia eis concessa fuisset, ad ullum similem actum (ut vocant) Fidei, ullamve publicationem, promulgationem, aut executionem novarum sententiarum quarumcumque contra præfatos Christianos novos, ut præfertur inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, & in Carceribus prædictis detentos, aut illorum aliquem devenire ullo modo auderent, neque ipsi, aut eorum aliquis, seu ipsorum, & cujuslibet eorum respective Consiliarii, Commissarii, Procuratores Fiscales, Assessores, Notarii, Actuarii, cæterique Officiales, & Ministri contra ipsos, aut eorum quemlibet, illorumve, & cujuslibet eorum respective Advocatos, Procuratores, Solicitatores, Agentes, seu negotiorum Gestores, aut alias quomodolibet pro eis intervenientes quovis modo directe, vel indirecte, seu alias quomodolibet quicquam novi attentare, vel innovare præsumerent.

Inhibitio facta à Clemente X.

§. 2. Ipse enim Clemens prædecessor eisdem Generali, & reliquis Inquisitoribus, eorumque, & cujuslibet eorum respective Consiliariis, Commissariis, Procuratoribus Fiscalibus, Assessoribus, Notariis, Actuariis, cæterisque Officialibus, & Ministris prædictis in virtute Sanctæ obedientiæ districte præcepit, & mandavit, ut quibuscumque mandatis, ordinationibus, & Decretis dictæ Congregationis Cardinalium in Causa, seu Causis hujusmodi eatenus forsan emanatis, &

Contenta in eadem Inhibitione.

inposterum

inposterum usque ad finem, & terminum earumdem Causarum quomodolibet emanaturis, omni mora, dilatione, tergiversatione, oppositione, & contradictione postpositis, & remotis, prompte, sicut devotos dictæ Sedis filios decet, pareat, nec illa, eorumve executionem quomodolibet impedire, aut illis in Judicio, vel extra illud se opponere, aut contradicere ullo modo auderent, seu præsumerent; Alioquin dictus Petrus Archiepiscopus Inquisitor Generalis suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & privationis muneris Inquisitoris Generalis, reliqui vero Inquisitores præfati, eorumque respective Consiliarii, Procuratores Fiscales, Commissarii, Assessores, Notarii, cæterique Officiales, & Ministri excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis officiorum quomodocumque ad Tribunal Sancti Officii spectantium pœnas ipso facto, & absque ulla declaratione se respective novissent incursuros, a quibus absolutionem idem Clemens prædecessor sibi, & dictæ Sedi Apostolicæ specialiter reservavit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Octobris 1674. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Archiepiscopus Bracharen. Generalis Inquisitor a Pontifice constituitur.

§. 3. Cum autem Nos hodie, seu nuper Ven. Fratrem Verissimum Archiepiscopum Bracharen. hæreticæ, & apostaticæ pravitatis hujusmodi Inquisitorem Generalem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis supradictis cum solitis facultatibus in locum præfati Petri Archiepiscopi defuncti per alias nostras in simili forma Brevis literas, quarum tenorem præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, dicta auctoritate constituerimus, & deputaverimus; Causa vero, seu Causæ præfatæ in supradicta Cardinalium Congregatione adhuc pendeant: Hinc est, quod Nos Decretis quibusdam provisionalibus ab eadem Cardinalium Congregatione in Causa Recursus hujusmodi antehac emanatis, & a præfato Clemente prædecessore approbatis, a quibus recedere nullo modo intendimus, inhærentes, ipsaque Decreta renovantes, & donec ea, quæ super dubiis propositis decernenda nobis visa fuerint, statuimus, omnino observari præcipientes:

Pendente d. Recursu Decreta provisionalia Congregat. Cardinalium Generał. Inquisit. servari præcipitur.

Committitur Nuncio moderatio inhibitionis.

§. 4. De præfatorum Cardinalium Consilio, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut inhibitionem a memorato Clemente prædecessore per suas literas præfatas sicut præmittitur factam in omnibus ejus partibus auctoritate nostra Apostolica ita modereris, & reformes, ut Verissimo Archiepiscopo generali a Nobis deputato, & reliquis Inquisitoribus prædictis contra supradictos Christianos novos nuncupatos in dictis Carceribus, ut præfertur detentos, servato juris ordine, ac juxta æquitatis, & Justitiæ regulas liceat procedere ad pœnas & animadversiones debitas, præterquam ultimi supplicii, triremium perpetuarum, & confiscationis bonorum, a quibus eos, & eorum quemlibet donec, & quousque a Nobis, & Sede præfata aliter dispositum fuerit, omnino abstinere volumus.

§. 5. Ac proinde eisdem Verissimo Archiepiscopo Generali, & reliquis Inquisitoribus, illorumque, & cujuslibet eorum respective Commissariis, Consiliariis, Procuratoribus Fiscalibus, Assessoribus, Notariis, Actuariis, cæterisque Officialibus, & Ministris dicta auctoritate districte, & sub pœnis, quæ in præfatis Clementis prædecessoris literis expressæ sunt denuo inhibeas, ne contra eosdem Christianos novos in Carceribus hujusmodi detentos, aut eorum aliquem interea ad ultimi supplicii, vel triremium perpetuarum aut confiscationis bonorum hujusmodi pœnas procedere audeant quovis modo, seu præsumant.

§. 6. Præterea tibi facultatem harum serie tribuimus eadem auctoritate permittendi Verissimo Archiepiscopo Generali, reliquisque Inquisitoribus prædictis, ut prout Justitia exegerit, & ordo poposcerit rationis procedere possint, etiam contra præfatorum Christianorum novorum in dictis Carceribus detentorum Procuratores, Advocatos, Agentes, seu negotiorum Gestores, & alias quomodolibet pro eis intervenientes, dummodo tamen non possit subesse suspicio, hoc fieri in odium recursus supradicti ad hanc Sanctam Sedem habiti, & ab eadem Sede admissi, ad quem effectum dicti Inquisitores acta talium Processorum tibi ad beneplacitum tuum communicare teneantur.

Derogatio.

§. 7. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur, aut adversari dici possent, præfatis Clementis prædecessoris & nostris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Novembris 1676. Pontificatus nostri Anno primo.

IX.

Confirmatio Decreti circa processionalem delationem Cadaverum ad Ecclesias Regularium.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 2. Dec. 1676. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus loci de Binasco Papien. Diœcesis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi alias a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum obtinuerint Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: *Papien. Funerum.* Regulares Minores strictioris Observantiæ S. Francisci Diœcesis Papien. ad aliqua inconvenientia orta occasione defunctorum, qui ad eorum Ecclesiam deferuntur, ubi habent proprias sepulturas, supplicant declarari:

Primo, An Curatus unius Diœcesis quæcumque sit in transitu Cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Diœcesi transeundo per propriam Jurisdictionem, & Parochiam, possit aliquam partem petere Ceræ, & pecuniarum ab hæredibus Defuncti prætendere.

Secundo, An proprius Parochus Defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque Diœcesis ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad Ecclesiam regularium possit libere, & licite per eamdem cum Stola, & Cruce elevata transire, etiam irrequisito Parocho.

Die 28. Novembris 1671. Sacra &c. Ad Primum respondit negative, ad Secundum affirmative -- In quorum fidem &c. Romæ 14. Novembris 1676.

Decretum Congregationis Concilii.

I. M. Brancaccius Episcopus Viterbien.
S. C. C. Secretarius.

Preces.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque

Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Apostolica d. Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Decembris 1676. Pontificatus nostri Anno primo.

X.

Gratiæ, & Privilegia concessa Conclavistis.

Dat. 6. Dec. 1696. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Motu proprio &c. Nos volentes (*omittitur tenor hujus Constitutionis, quia in omnibus convenit cum alia simili Clem. X.*)

FIAT B.

Datum Romæ apud S. Petrum octavo Idus Decembris Anno primo.

Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc, quæ sequuntur.

Magister Cæremoniarum.

Reverendissimus D. Franciscus Maria Phæbeus, Urbevetanus, Archiepiscopus Tarsensis, Archihospitalis S. Spiritus Commendatarius, Sacrarum Cæremoniarum Præfectus.

Sacrista.

Rmus D. Fr. Joseph Eusanius, Aquilanus, Episcopus Porphyriensis, Sacrista.

Carolus Vincentius Carcarasius, Canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Presbyter Romanus.

Fulvius Servantius, Presbyter de S. Severino, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Via lata de Urbe.

Petrus Paulus Bona, Presbyter Romanus.

Petrus Sanctes de Fantibus, Presbyter Camerinensis.

Gabriel Confidatus Servantius, Clericus Assisiensis, Magistri Cœremoniarum.

Secretarius Collegii.

Abbas Guido Passioneus, Clericus Forosempronienfis, sacri Collegii Secretarius.

Conclavistæ.

Franciscus Maria de Alice, Presbyter Mediolanensis, Joseph. Sanctes Flamma Laicus Comensis nostri, dum Cardinalatus honore fungebamur.

Abbas Joannes Baptista de Palagio, Presbyter Romanus, Canonicus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso de Urbe. Philippus Baldassarus, Presbyter Romanus, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. Franciscus Rattus, Clericus Romanus. Francisci Ostien. Barberini.

Abbas Federicus Bonaventura, Clericus Urbinas. Joannes Baptista Sardinius, Presbyter Valturanen. Diœcesis. Antonius Leonus, Laicus Ariminensis. Ulderici Portuen. Carpinei.

Angelus Maria Cirellus, Clericus Januensis. Angelus Michael Astancollus, Clericus Tudertinus. Antonius Cæsar Bustolinus, Clericus Romanus. Julii Sabinen. Gabriellis.

Abbas Octavius Pieritius, Presbyter Bononien. Cæsar Sega, Clericus Bononien. Constantius Accursius, Presbyter Mutinensis. Cæsaris Prænestini Facchinetti.

Bernardinus Rischius, Presbyter Prænestinus, Prior S. Michaelis de Mirabello Diœcesis Aquen. Nicolaus Lusse, Laicus Parisiensis. Hieronymi Albanen. Grimaldi. Venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum S. R. E. Cardinalium.

Angelus Maria Bocconius, Presbyter Regien. Antonius Manfrenatus, Laicus Ferrarien. Caroli S. Laurentii in Lucina Rossetti.

Nicolaus Augustinus, Laicus Foroliviensis. Joannes Baptista Carpanus, Presbyter Vercellen. Diœcesis, Prior S. Bartholomæi de Cherio. Carolus Donatus de Veteribus, Clericus conjugatus Mediolanen. Nicolai S. Mariæ Transtyberim Ludovisii.

Marchio Claudius Pallavicinus, Archidiaconus Parmensis. Joannes de Niserz, Laicus Burburensis, Diœc. Leodien. Joseph de Archangelis, Laicus Æsinus. Alderani S. Praxedis Cybo.

Thomas Piscius, Presbyter e S. Justo Firmanæ Diœc. Aloysius Sigaldus, Laicus Januen. Laurentii SS. Quirici, & Julittæ Raggii.

Dominicus de Malclere a Sommervillers, Clericus Tullen. Carolus Fromentin. Laicus Diœcesi. Suessionensis. Joannes Gobin. Laicus Nanneten. Joannis Francisci Pauli S. Mariæ super Minervam de Retz.

Joannes Baptista Vannius, Clericus Camerinensis. Antonius Piersantes, Clericus de Mathelica Camerinen. Diœcesi. Aloysii S. Alexii Homedei.

Abbas Petrus Bartholus, Presbyter Venetus. Petrus Paulus Pontinus, Clericus conjugatus de Setia Terracinen. Diœc. Dominicus Tagliaferrus, Clericus conjugatus Alatrinus. Petri Sancti Marci Otthoboni.

Carolus de Marchis, Presbyter Asculanæ Diœcesi. Joseph Sfasciamontius, Clericus Montis Alti. Franciscus Venantius, Laicus Sabinen. Francisci SS. Quatuor Coronatorum Albicii.

Jacobus Sorbolongus, Laicus Forosemproniensis. Thomas Emmanuel de Zarate, Clericus Calaguritanæ Diœcesi. Hieronymus Bernius, Presbyter Ferrarien. Caroli S. Chrysogoni Pii.

Abbas Benedictus de Rubeis, Presbyter Firmanæ Diœc. Franciscus Squarcius, Laicus Senensis. Augustinus Lottus, Laicus Romanus. Flavii S. Mariæ de Populo Chisii.

Andreas Mansius Lucensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Lucensis. Lelius Cerchius, Clericus conjugatus Lucen. Paulus de Augustinis, Laicus Fanen. Hieronymi S. Hieronymi Illiricorum Bonvisii.

Abbas Raphael Mazzeus, Clericus Florentinus. Bartholomæus Juliettus, Laicus Anconitanus. Antonii S. Mariæ Angelorum Bichii.

Abbas Sperellus Sperellus, Presbyter Assisien. Joannes Vincentius Sfortia Laicus de Monte Franco Spoletanæ Diœcesis, Jacobi S. Mariæ in Aracæli Fransoni.

Abbas Carolus Felix Matta, Presbyter Cremonen. Julius Burantus, Laicus Callicen. Petri S. Pancratii Vidoni.

Abbas Marcus Antonius Zollius, Presbyter Bergomensis. Henricus Jal, Laicus Bavarus Rosenhemensis Diœc. Frisingen. Gregorii S. Thomæ in Parione Barbadici.

Joannes Vincentius de Cæsaris, Clericus Romanus. Joannes Claudius Laicus Tullen. Hieronymi

ronymi SS. Marcellini, & Petri Boncompagni

Carolus Antonius Airoldus; Presbyter Mediolanen. Canonicus Ordinarius Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanen. Federicus Pusterla; Presbyter Mediolanen. Joannes Franciscus Agliaudus, Clericus Taurinen. Diœc. Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littæ.

Abbas Pranciscus Milonus, Presbyter de Sorpello Vintimillien. Diœcesis. Joseph Bonellus, Clericus Camerinen. Diœcesis. Nerei SS. Nerei, & Achillei Corsini.

Innocentius Torellus, Presbyter Senensis. Petrus Sodus, Clericus Pientinus. Polidorus de Amicis, Laicus Urbinaten. Cælii S. Petri in Monte Aureo Piccolominei.

Fr. Antonius de Ildaris, Eques Hierosolymitanus Bituntinus. Bernardinus Portus, Presbyter Bononien. Joseph de Antoninis, Laicus Alanensis. Caroli S. Mariæ in Via Carafæ.

Fr. Fortunatus de Vecchis Ordinis Hierosolymitani, Prior Senensis. Fr. Ugo Ferretus, Eques Hierosolymitanus. Sallustius Musiottus, Laicus Asculanus. Palutii SS. Duodecim Apostolorum de Alteriis.

Abbas Joseph de Annibaldensis a Molasia, Clericus Romanus. Flaminius Peregrinus, Laicus de Polo Tiburtinæ Diœcesis. Joannis Nicolai S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus.

Comes Antonius de Polcenico, Clericus Concordiensis. Petrus Pontinus, Clericus Romanus. Jacobi S. Mariæ de Pace Ninii.

Abbas Joseph Zaffontius, Presbyter Senensis. Centurio Durantus, Clericus e Castro S.Eliæ Nepesinæ Diœcesis. Valentinus Lancia, Clericus Amerinus. Innici S. Clementis Caraccioli.

Joseph Muzzenius, Presbyter Utinensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Aquilejensis. Marcus Antonius Guizzardus, Clericus Patavinus. Joannis SS. Viti, & Modesti Delphini.

Abbas Alexander Capponus, Clericus Florentinus. Joannes Theodorus Jacquet, Presbyter Rupefortensis Leodien. Diœc. Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracen. Amadeus Capitanei, Laicus Vercellen. Diœcesis. Jacobi SS. Joannis, & Pauli Rospigliosii.

Philippus de Borau de Castellis, Laicus Diœcef. Bajocensis. Franciscus Timolion de Choisii, Abbas S. Sequani Lingonensis Diœc. Parisien. Leonardus Lomestrul, Laicus Diœc. Lemovicensis. Emmanuelis Theodori S. Laurentii in pane, & perna Bullionii.

Joannes Romani a Fonte, Presbyter Oscanus Toletanæ Diœcesis. Petrus a Sagasta, & Zavala, Presbyter Oppidi de Durango Calagurritanæ Diœcesis. Ludovici S. Sabinæ de Porto Carrero.

Marcus Antonius Perfettus, Laicus Sarzanensis. Ægidius Sallecher, Laicus de Seittenstetten. Passavien. Diœc. Caroli S. Hadriani Cerri.

Horatius Cardona, Laicus Camerinensis. Antonius Franciscus Mainardus, Laicus Anconitanus. Franciscus Ferrarius, Presbyter Placentinus, Canonicus insignis Collegiatæ S. Antonii ejusdem Civitatis Placentiæ. Dominicus Fortes, Laicus Asculanus. Lazari S. Mariæ in Aquiro Pallavicini.

Julius Cæsar Grimaldus de Bastia, Clericus Diœc. Marianen. Joannes Antonius Barbatus, Presbyter e Rocca Sicca Terracinen. Camilli S. Eusebii Maximi.

Petrus Franciscus Giampè de Fabriano Camerinen. Diœc. Franciscus Maria de Laurentiis, Presbyter de Serra S. Quirici Camerinen. Diœcesis. Gasparis S. Silvestri in Capite de Carpineo.

Abbas Claudius de Caignon, Presbyter Parisiensis. Joannes de la Chaise, Laicus Parisien. Bernardus Sensè, Clericus Burdigalensis. Cæsaris Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Destroei.

Joannes Vernerus Baro de Plitter Storff, Clericus conjugatus Passavien. Diœcef. Petrus Aloysius de Ruyte, Clericus conjugatus Leodien. Theodorus Holter, Clericus Novesiensis. Gerardus Josephus Hieble, Presbyter Coloniensis. Bernardi Gustavi de Baden.

Bonaventura de la Font, Subdiaconus Tolosanus, Prior Commendatarius S. Leontii ejusdem Civitatis Tolosanæ. Ludovicus Manden. Laicus Clemontensis. Petri Bonsii.

Christophorus Melgarexo, Laicus Civitatis Murfiæ Carthaginen. Diœc. Paulus de Villanova; Clericus Oxomen. Diœcesis. Joannes Angelus Desiderius Malebrius, Laicus Papien. Joannis Everardi S. Bartholomæi in Insula Nidardi.

Franciscus Antonius Puntius, Presbyter Neapolitanus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Gravinen. Abbas Paulus Ferella; Presbyter Muranus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Garganicæ. Fr. Vincentii Mariæ S. Sixti Ursini.

Petrus Dominicus Mennitus, Prior S. Juvenalis Civitatis Urbevetanæ; Presbyter Squillacensis. Franciscus Carpinus, Laicus Firmanæ Diœcef. Jacobus Blattman, Laicus Constantiensis. Federici S. Marcelli Columnæ.

Petrus Paulus Bernasconus, Clericus Beneficiatus Basilicæ Vaticanæ Romanus. Petrus Ferrarius, Laicus Parmensis. Bartholomæus Bellomini, Laicus Montis Ilcinei. Francisci S. Matthæi in Merulana Nerlii.

Joseph Bonjoannes, Presbyter Diœc. Montis Regalis. Guerrinus Bonettus, Laicus Mantuanus. Hieronymi S. Pudentianæ Gastaldi.

Joannes Piolus, Presbyter Romanus. Hieronymus Debbia, Clericus conjugatus de Castellarano Rhigien. Diœc. Alexandri S. Priscæ Crescentii.

Philippus de Castro, Presbyter Romani. Clericus Beneficiatus Basilicæ Vaticanæ. Antonius Duteus, Laicus Faventinus. Galeatii S. Bernardi Marescotti.

Antonius Dentius, Clericus Foroliviensis. Franciscus Bertotius, Clericus Diœc. Januensis. Bernardini S. Stephani in Monte Cœlio Rocci.

Joseph Casavecchia, Presbyter Fulginatensis. Marcus Antonius Albericus de Orciano Fanen. Diœc. Marii S. Joannis ante Portam Latinam Albericii.

Joseph Danesius, Presbyter Januen. Octavius Valletta, Laicus Taurinen. Fabritii S. Calixti Spadæ.

Joannes Lerbone, Presbyter Cicestrensis Diœc. Jacobus Philippus de Annibalis, Laicus a Monte Castro Tudertinæ Diœc. Petrus Smit, Laicus Candaven. Diœc. Fr. Philippi Thomæ Huvard S. Cæciliæ de Nortfolck. Presbyterorum S. R. E. Cardinalium.

Philibertus de Foucher, Eques SS. Mauritii, & Lazari Lemovicen. Diœc. Thadæus Amonius, Presbyter e Castro Bononien. Imolen. Diœc. Joseph Capicius, Laicus Romanus. Francisci S. Mariæ in Via lata Maidalchini.

Carolus Albanus Urbinas. Joannes Cecius, Clericus Abbatiæ Sublacen. nullius Diœc. Dionysius Blasius, Laicus de Stimiliano Sabinen. Diœcesis. Caroli S. Mariæ in Cosmedin. Barberini.

Stephanus Ricciardus; Canonicus S. Adriani, Presbyter Firmanus. Matthæus Passanus; Laicus Tiburtinus. Decii S. Eustachii Azzolini.

Michael Angelus Peregrinus, Clericus Romanus. Joseph Sorace, Clericus S. Christinæ Oppiden. Diœc. Pauli S. Nicolai in Carcere Tulliano Sabelli.

Abbas Franciscus Ridolfi, Presbyter Florentinus. Bernardinus Guerrinus, Laicus Perusinus.

nus. Sigismundi S. Georgii ad Velum aureum Chisii.

Thomas Marchionnius, Presbyter Florentinus. Petrus Ven - Steembeck Bruxellensis Diœcesis Mechlinien. Nicolai SS. Cosmæ, & Damiani Acciajoli.

Fr. Tigrinus Trigrinius, Eques Hierosolymitanus Lucensis. Christophorus Alexandrinus, Laicus Viterbien. Bonaccursii S. Mariæ de Scala Bonaccursii.

Fr. Thomas Bertotius, Eques Hierosolymitanus Fanen. Antonius Ansovinus, Laicus e Nursia Spoletanæ Diœcesis. Felicis S. Angeli in Foro Piscium Rospigliosii.

Dominicus de Benedictis, Clericus de Trebia Spoletanæ Diœcesis. Jacobus Famianus de Caprarola Hortanæ Diœcesis. Hieronymi S. Cæsarei Casanate.

Abbas Petrus Palutius, Presbyter Brixiensis. Dominicus Quartarolus, Laicus Venetus. Petri S. Mariæ in Dominica Basadonna.

Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum.

Confessarius. Fr. Bonaventura de Recineto, Procurator Generalis Ordinis Capuccinorum, Confessarius.

Adjutores. Abbas Dominicus Cappellus de Accumulo, Presbyter Asculanus, Canonicus sæcularis Collegiatæ Ecclesiæ S. Anastasiæ de Urbe, cum prædicto Reverendissimo D. Phæbeo Archiepiscopo Tarsensi.

Fr. Magister Carolus Bonettus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Subsacrista.

Canonicus Joannes Catharinus Constantius, Clericus Aquilanus, cum dicto Rmo D. Episcopo Prorphyriensi Sacrista.

Abbas Vincentius Checchius, Presbyter Ripanus, cum dicto Secretario Sacri Collegii.

Custos Fontis. Abbas Ludovicus Piccinus, Clericus Æsinus, Custos Fontis, & Aquarum Conclavis.

Medici. Joannes Baptista Ferrarius, Laicus Diœcesis Montis Alti. Hieronymus Brasaulus, Laicus Ferrarien. Physici.

Chirurgi. Joannes Baptista Pierius e Scofranio Pientinæ Diœcesis, Chirurgus.

Aromatarii. Jo. Petrus Paulutius Pisauren. Aromatarius. Petrus Corsus de Spetia Sarzanen. Diœcesis. Ludovicus Stamigna de Hispello Spoletanæ Diœcesis, ejus Auxiliatores.

Barbitonsores. Petrus Branca Squillacensis. Antonius Rosellus Firmanus, Barbitonsores. Franciscus Campus Pisauren. Matthæus Zannolius Faventinus, eorum Auxiliatores.

Fabri. Stephanus Baldus Faber Lignarius. Antonius Rinaldus Faber Cœmentarius.

Dominicus Totius Ariminen., famulus Magistri Cæremoniarum.

Scopatores. Joseph Coletta, Paschalis Honorantes, Joseph Trovarellus, Didacus Santillus, Antonius Crovellonus, Antonius Comus, Joannes Franciscus Zonus, Michael Angelus Zonus, Joannes Maria Re, Joseph Morandus, Bartholomæus Onginus, Franciscus Coppa, Dominicus Gionsius, Carolus Antonius Guinettus, Ambrosius Rosatus, Paulus Antonius Brunus, Antonius Piscius, Antonius Paulettus, Gaspar Baldus, Felix Caroli, Petrus Statius, Joannes Baptista Christophorus, Franciscus Catenaccius, Joannes Antonius Catenaccius, Antonius Felicettus, Joannes Nott. Scopatores Conclavis.

XI.

Approbantur Instituta, Constitutiones, & Monasteria Monialium sub denominatione Adorationis perpetuæ Sanctissimi Sacramenti, quæ jam in Regnis Galliæ sunt erecta, & in posterum erigentur, eademque subjiciuntur immediatæ Sanctæ Sedis Apostolicæ Protectioni.

Consimile Institutum Clericorum Regularium Minorum anno 1588. approbavit Sixtus V. in ej us Const. 81. Sacræ Religionis. *Tom.* 2. *fol.* 687.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Dat. 10. Dec. 676. An. 1.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ Regimini meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque Clementiæ abundantiam præpositi, illique pro Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod Dominus noster Jesus Christus in ultima Cœna quando Pascha cum Discipulis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem tanquam passionis suæ memoriale perenne, ut inde arctius charitatis suæ immensitas fidelium cordibus infigeretur, instituit, jugi adoratione in aliqualem blasphemiarum, aut aliarum impietatum, quas nefarii homines contra idem Sacramentum committere non expavescunt, reparationem pia ejusdem Sanctissimi Sacramenti amantium Animarum adinventione instituta dicuntur, non possumus, præsertim cum pia Catholicarum Reginarum vota exposcunt, favorem benevolum non impertiri, eaque, ut firma semper, & illibata perseverent, & quoad fieri poterit majora in dies suscipiant incrementa, Apostolici muniminis præsidio non constabilire, ac Monasteria, in quibus Moniales perpetuæ Sanctissimi Sacramenti adorationi hujusmodi voto speciali se addicunt, jam erecta, atque deinceps Benedicente Domino erigentur, eorumque superiores, & personas quascumque opportunis favoribus, & gratiis non prosequi, prout ad Altissimi laudem & gloriam, & Animarum salutem, ac specialem multorum Christifidelium consolationem, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitio Mariæ Teresiæ Reginæ Christianissimæ.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Teresiæ Franciæ Reginæ Christianissimæ petitio continebat, quod alias claræ memoriæ Anna Austriaca Charissimi similiter in Christo filii nostri Ludovici XIV. Francorum, & Navarræ Regis Christianissimi mater in animo afflicto, & contrito revolvens tempora Bellorum quæ per tot annos Regnum Galliæ, & alias vicinas Christianorum Principum Regiones infestarant, innumera sacrilegia, impietates, prophanationes, & blasphemias ab effrænata militum licentia, & ab impiis hominibus, sceleratisque hæreticis erga Sanctissimum, & Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum commissa, & perpetrata fuisse, & ex perverso jam facto habitu, etiam in dies perpetrari.

Peculiaris devotio Galliæ erga SS. Eucharistiæ Sacramentum.

§. 2. Et considerans, quod Galliæ Populi peculiari semper affectu, & devotione illud Sacramentum venerati fuerant, adeoque aliis Catholicis Nationibus exemplo perviverant, illud in processionibus publicis Populi Catholici adorationi offerendi, & exhibendi voto speciali se adeo adstrinxit aliqualem tot malorum, & impietatum reparationem quantum ipsa Deo auxiliante posset procurando, unde assumptis secum in consilium, & operam nonnullis nobilibus matronis simili devotione erga tantum Sacramentum accensis unum perpetuæ adorationis Sanctissimi Sacramenti nuncupandum Monasterium Sanctimonialium Reformatum Ordinis Sancti Benedicti sub illius primitiva regula de stricta observantia in suburbiis S. Germani a Pratis nuncupati prope Parisios fundavit.

Origo Monasterii Adorationis perpetuæ SS. Sacramenti.

Institutum hujus Monasterii refertur.

§. 3. Quæ quidem Moniales præter tria substantialia Religionis vota aliud quartum votum coram Sanctissimo Sacramento diu noctuque alternis tamen vicibus persistendi, & orandi emittent eo animo, ut continuis hujusmodi orationibus sese tanquam victimas in expiationem

Deo offerentes, sacrilegia, impietates, & alia peccata, quæ ab impiis, & hæreticis patrantur zelanter reparent, & insuper qualibet Feria Quinta non impedita Officium divinum ejusdem Sanctissimi Sacramenti, illud super Altari venerationi fidelium exponendo, decantent.

Hoc Institutum laudatur.

§. 4. Hanc autem fundationem, piumque hujusmodi Institutum præfatus Ludovicus Rex suis patentibus literis laudavit, & commendavit, ac similis memoriæ Margarita Alotharingia Ducissa Donataria Aurilianen. singulari studio ac eximiæ suæ pietatis exemplo promovit, subindeque dilectus filius noster Flavius Tituli Sanctæ Mariæ de Populo Chisius nuncupatus, necnon bon. mem. Ludovicus Tituli Beatæ Mariæ in Porticu de Vandosme, etiam nuncupatus S. R. E. Cardinales tunc apud dictum Ludovicum Regem, & universum illius Regnum Sedis Apostolicæ De Latere Legatis, eorum Brevibus, seu patentibus literis confirmarunt, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecerunt, supplendo omnes, tam juris, quam facti defectus.

A Legatis de Latere Sedis Apost. confirmatur.

§. 5. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, a tempore fundationis hujusmodi dicta devotio Benedicente Domino ita creverit in animis fidelium, ut etiam multi de erigendis similis instituti Monasteriis cogitaverint, numerusque Monialium primo dicti Monasterii, quod in loco salubri & amœno extructum, & multa ædificiorum copia, & venustate perfectum reperitur; adeo evectus fuerit, ut ex illis permultæ ad alias fundationes, quæ in dies offeruntur faciendas habiles, & capaces extrahi, & transmitti possint: & si hoc Sanctum Institutum pro illius firmiori subsistentia, etiam per nos approbaretur, & confirmaretur, aliaque infrascripta concederentur, & approbarentur; ex hoc profecto non solum Divini Cultus incremento, sed etiam ipsius Ordinis S. Benedicti reintegrationi, & propagationi, ac spirituali multorum Christifidelium consolationi peropportune consuleretur, & illud eadem Maria Teresia Regina zeli, & pietatis aliarumque virtutum defunctæ Reginæ ejusdem Ludovici Regis matris æmulatrix totis animi viribus exposcat.

Causæ approbationis, & Confirmationis hujus Instituti.

§. 6. Nobis, propterea pro parte dictæ Mariæ Teresiæ Reginæ, ac dilectarum etiam in Christo filiarum Priorissæ, & omnium Monialium dicti Monasterii fuit supplicatum, quatenus eis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces d. Reginæ necnon Priorissæ, & Monialium d. Monasterii.

§. 7. Nos quibus nihil magis curæ est, quam ut hoc Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum perpetuo adoretur, & qua par est veneratione jugiter colatur Mariæ Teresiæ Reginæ, ac Priorissæ, & Monialium præfatarum piis votis, hac in parte favorabiliter annuentes, eandem Mariam Teresiam, ac Priorissam, & Moniales præfatas, & illarum singulares personas a quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati:

§. 8. Ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum Institutum præfatum sub denominatione adorationis perpetuæ Sanctiss. Sacramenti Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus; necnon primodictum, & alia tria unum videlicet in Civitate Tulen., & aliud in Oppido de Ramteruillen. Tulen. Diœcesis, necnon reliquum in Oppido Naucei dictæ Tulen. seu nullius Diœcesis jam erecta, & quæcumque alia, quæ in posterum Benedicente Domino forsan erigentur Monasteria, illorumque pro tempore existentes Priorissas, & cujusvis nominis Superiorissas Moniales Conventus Superiores, Visitatores, Officiales, Ministros, Servientes, & alias personas quascumque, necnon proprietates, & bona universa mobilia, & immobilia præsentia, & futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, generis, speciei, ac naturæ existentia, & ubicumque consistentia, & alia quæcumque ad illa quomodolibet spectantia, seu ab illis quomodocumque, & qualitercumque dependentia ab omni, & quacumque Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumvis Ordinariorum, seu eorum cujuslibet Officialium & Vicariorum, in spiritualibus Generalium, necnon Rectorum, & Generalium quorumvis Ordinum, jurisdictione, visitatione, correctione, reformatione, subjectione, obedientia, superioritate, & auctoritate, salva tamen semper eorum Ordinariorum jurisdictione in casibus, in quibus juxta Concilii Tridentini Decreta illam in Monasteria quantumvis exempta, & præsertim circa clausuram Regularem exercere possunt, in spiritualibus, & temporalibus penitus, & omnino etiam perpetuo eximimus, & liberamus, & sub Beati Petri, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis protectione, & inviolabili conservatione suscipimus.

Dictum Institutum auctoritate Apostolica confirmatur.

Monasteria jam erecta & erigenda, eorumque personæ & bona eximuntur ab Ordinariorum Jurisdictione.

Excipiuntur casus expressi in Concil. Tridentino.

Eadem Monasteria recipiuntur sub Protectione S. Sedis.

§. 9. Ac correctioni, & obedientiæ, superioritati, & omnimodæ jurisdictioni in eisdem spiritualibus, curæque, & gubernio, regimini, & administrationi in temporalibus trium personarum in dignitate Ecclesiastica constitutarum, quæ quidem conjunctim, vel saltem duæ illarum illa Monasteria gubernare, regere, & administrare possint, & debeant submittimus, & subjicimus, cum hoc, quod personæ illæ ad nominationem dictarum Monialium a congregatione pro tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium hujusmodi præpositorum eligi, & deputari debebunt.

In spiritualibus, & temporalibus subjiciuntur Jurisdictioni trium in Dignitate Ecclesiastica constitutorum.

Qui ad nominationem Monialium debent deputari a Congregatione Episc. & Regul.

§. 10. Præterea eisdem Deputatis, ut supra tum eligendis, & stabiliendis, ut ipsi conjunctim si commode fieri poterit, vel saltem duo eorum unum Presbyterum sæcularem, vel regularem doctrina, vitæque, ac morum probitate præstantem in Monasteriorum hujusmodi Visitatorem generalem, & pro hac vice dilectum filium Henricum de Hanezon. Abbatem regularem Monasterii S. Michaelis de Sancto Michaele ejusdem Ordinis Virdunen. Diœcesis, modo velit, & possit in Officio visitationis cum omnibus facultatibus solitis, & simili Officio annexis, & de jure competentibus ad triennium dumtaxat; ita tamen ut per se ipsum, & non per alium singula Monasteria saltem semel in triennio visitare, necnon in fine triennii suæ visitationis rationem dictis Superioribus reddere debeat; necnon toties quoties expediens videbitur peracto triennio ad aliud triennium posset reeligi, & instituere valeat, seu valeant.

Eisque tribuitur facultas eligendi Visitatorem;

§. 11. Insuper ut iidem deputati omnes, & singulas Constitutiones, & statuta, & præsertim illa quæ a dilecta simili in Christo filia Mechtilda a Sanctissimo Sacramento Moniali primodicti Monasteri super observantia tam primitivæ regulæ S. Benedicti, quam instituti adorationis perpetuæ Sanctissimi Sacramenti condita fuerunt, dummodo illa Sacris Canonibus non sint contraria approbandi, similiter non contraria condendi, seu antiqua quoties expediens videbitur immutandi, corrigendi, moderandi, & in meliora reformandi, necnon quoscumque actus & contractus licitos tamen, & honestos hactenus per Moniales Monasteriorum hujusmodi quomodolibet initos, ac quoscumque habitus dicti Ordinis quibusvis Monialibus, concessiones, & pro-

Approbandi Statuta hujus Instituti,

Actus, & contractus.

fessio-

fessiones inde legitime secutas approbandi, & confirmandi.

Monasterii Superiorissa, seu Priorissa eligenda ad triennium.

§. 12. Praeterea tam quod Superiorissa, seu Priorissa primi Monasterii praefati, quam omnium aliorum Monasteriorum jam erectorum, & in futurum forsan erigendorum Priorissa triennalis eligi debeant, quae tamen ad alia triennia successive toties reeligi poterunt, quoties pro bono Monasteriorum gubernio ita expedire, & necessarium esse videbitur, denuo omnibus, & singulis eorumdem Monasteriorum Priorissis, seu Superiorissis, & Monialibus nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis immunitatibus, privilegiis, libertatibus, gratiis, Indultis, Indulgentiis, & favoribus spiritualibus, & temporalibus S. Benedicti primitivi Ordinis, & Congregationis Montis Cassinen. Monachis, & Monialibus, & praesertim Congregationi Monialium Reformatarum ejusdem Ordinis S. Benedicti Montis Calvariae nuncupatarum, principaliter, & particulariter, vel generaliter, aut accessorie, vel per viam concessionis, & extensionis, aut alias quomodolibet concessis, in iis tamen, quae hujus institutis, statutis, & consuetudinibus non adversantur, & dummodo illa sint in usu, & non sint revocata, aut sub ulla revocatione comprehensa, nec Sacris Canonibus, & Conciliis contraria sint, uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant pariter, ac pariformiter, perinde, ac si illa Monialibus hujus Instituti, ac illius Conventibus, personis, & bonis particulariter, specifice, & expresse, ac nominatim concessa fuissent concedimus, & indulgemus.

Conceduntur omnia Privilegia, gratiae, & Indulgentiae Congregationis Cassinen.

Indulgentia plenaria omnibus Visitantibus certis diebus Ecclesias dd. Monasteriorum.

§. 13. Necnon omnibus, & singulis Monialibus praefatis, ac quibusvis aliis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quaslibet Monasteriorum erectorum Ecclesias diebus festis solemnitatis Corporis Christi, necnon Patroni cujuslibet Ecclesiae devote visitaverint, ibique pro Romani Pontificis salute, fidei Catholicae propagatione, & Principum Christianorum concordia, necnon haeresum extirpatione pias ad Deum preces effuderint; ac cujuslibet ex iisdem Monialibus die qua ipsa habitum illius Ordinis suscipiet, & professionem solemnem emittet si Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum illa die sumpserit, & ut supra oraverit, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem elargimur.

Item Indulgentia Monialibus die qua hab tum suscipient, & professionem emittent.

§. 14. Iis vero Christifidelibus, qui in die octava solemnitatis ejusdem Corporis Christi, & Dominica infra illius octavam, necnon Feria Quinta cujuslibet hebdomadae adorationi Sanctissimi Sacramenti in dictis Ecclesiis interfuerint centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino relaxamus.

Conceditur facultas Visitatori pro tempore ut Moniales absolvere possit a quibusvis casibus etiam S. Sedi reservatis.

§. 15. Et demum earumdem Monialium saluti paterne consulere volentes, illarum visitatori pro tempore existenti, ut easdem a quibusvis casibus etiam Sedi Apostolicae praefatae reservatis absolvere libere, & licite possit, & valeat licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate praefata similiter concedimus, & impertimur, dummodo praefata Monasteria erecta, & in posterum forsan erigenda in Congregationem nunquam aggregentur, aut uniantur, nec alterum alteri subjiciatur, & de Monasteriis, in quae Moniales praefatas introduci contigerit per Sedem praefatam Apostolicam disponi non consueverit, & pro earum Abbatissae electione aliqua confirmatio Apostolica non requiratur.

Conditiones servandae ad effectum gaudendi hujusmodi gratiis.

Clausulae.

§. 16. Decernentes praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aliove quolibet etiam formali, ac substantiali, & inexcogitato individuamque expressionem requirente, & undecumque resultante defectu notari, impugnari, limitari, infringi, modificari, retractari, ad viam seu terminos juris reduci, in controversiam vocari, aliudve quodlibet juris, gratiae, vel facti remedium impetrari, seu intentari, vel impetrato quempiam in judicio, vel extra uti, seu se juvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium dispositionum, ordinationum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus factis, & pro tempore faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illae emanabunt in pristinum, & validissimum statum, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, censeri, firmasque, validas, & efficaces existere & fore, & ab illis ad quos spectat, & quandocunque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in praemissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales judicari, & definiri debere; ac irritum quoque decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, exemptionis, liberationis, indulti, elargitionis, relaxationis, concessionis, & facultatis impertitionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apost. ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, quarto idus Decembris, Pontificatus nostri Anno primo.

XII.

Conceduntur Privilegia, Exemptiones, & Indulta ab Innocentio XI. Dapiferis, qui in Conclavi suae Assumptionis S. R. Ecclesiae Cardinalibus inservierunt.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 4. Jan. 1677. An. I.

Exordium.

Motu proprio &c. Nos volentes (*Omittitur tenor, quia habetur in alia simili Clem. X. Motu proprio &c.*).

FIAT B.

Datum Romae apud Sanctum Petrum pridie Non. Januarii Anno Primo.

Nomina Eminentissimorum DD. Cardinalium, & Dapiferorum sunt haec, quae sequuntur.

Benedictus Odescalcus nunc Innocentius XI. Comensis.

Petrus Joannes Bernardus de S. Paulo Vencien., Diac. Noster, dum Cardinalatus honore fungebamur.

EPISCOPI V.

Franciscus Episcopus Ostien. S. Collegii Decanus Card. Barberinus S. R. E. Vicecancellarius & Summista, Florentinus.

Uldericus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinal. Carpineus, Urbinas.

Julius Episcopus Sabinensis S. R. E. Card. Gabriellius, Romanus.

Caesar Episcopus Praenestinus S. E. R. Card. Fachenettus, Episcopus Spoletanus, Bononiensis.

Hieronymus Episc. Albanen. S. R. E. Card. Grimaldus, Archiepiscopus Aquensis, Genuensis.

Episcoporum supradictorum quinque Dapiferi.

Abbas Carolus Francionus J. U. D. Neapolitanus, atque Romanus.
Aldericus Pazzaglia, Romanus.
Thomas Antaldus, Urbinaten.
Petrus Franciscus Gianinus, Presbyter, ac Prior S. Bernardi, Forolivienfis.
Carolus Rischius, Prænestinus.

PRESBYTERI L.

Carolus Tituli S. Laurentii in Lucina, Prior Presbyterorum S. R. E. Card. Rosettus, Episcopus Faventinus, Ferrariensis.
Michael Bordussius, Mutinensis. Dapif.

Nicolaus Tituli S. Mariæ Transtyberim S.R.E. Presbyter Card. Ludovisius, Major Pœnitentiarius, Bononiensis.
Joannes Baptista Gianna, Presbyter, ac Prior Sancti Petri Vintimilien. Dap.

Alderanus Tit. S. Praxedis S. R. E. Presbyter Card. Cybo, Januensis.
Stephanus Ceccoperius de Massa Lunen. Sarzanen. Diœcesis. Dap.

Laurentius Tit. SS. Quirici, & Julitæ Sanctæ S. R. E. Presbyter Card. Raggius, Genuensis.
Julius Clemens Matthæjus Romanus. Dap.

Joannes Franciscus Paulus Gondus Tituli S. Mariæ super Minervam, S. R. E. Presbyter Card. de Retz nuncupatus, Gallus.
Abbas Cæsar Nicolaus Marsilius Romanus. Dap.

Aloysius Tit. S. Alexii S. R. E. Presbyter Card. Homodeus, Mediolanen.
Canonicus Stephanus Torrettus de Calderola Camerinen. Diœc., atque Romanus. Dap.

Petrus Tituli S. Marci S. R. E. Presbyter Card. Othobonus, Venetus.
Joannes Franciscus Mazzinus, Clericus Romanus. Dap.

Franciscus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Card. Albitius, Cæsenaten.
Marcellus Scarlattus Romanus. Dap.

Carolus Tit. S. Chrysogoni S. R. E. Presbyter Card. Pius, Ferrarien.
Abbas Euander de Advocatis, Nobilis Tiburtinus. Dap.

Flavius Tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presbyter Card. Chisius, Archipresbyter Basilicæ Lateranen. S. R. E. Bibliothecarius, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, Senensis.
Philippus Rasponus, Ferrariensis. Dap.

Hieronymus Tit. S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presbyter Card. Bonvisius, Episcopus Lucæ, Lucensis.
Joannes Masserottus, Lucensis. Dap.

Antonius Tit. S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyter Card. Bichius, Episcopus Auximanus, Senensis.

Fr. Paulus de Passioneis, Eques Hierosolymitanus, Forosempronienfis. Dap.

Jacobus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Card. Fransonus, Episcopus Camerinensis, Genuensis.
Comes Raymundus Ranuccius de Marsciano, Urbevetanus. Dap.

Petrus Tit. S. Callisti S. R. E. Presbyter Cardinal. Vidonus, Cremonensis.
Carolus Agapetus Appollonius J. U. D. Clericus Prænestinus. Dap.

Gregorius Tit. S. Thomæ in Parione S. R. E. Presbyter Card. Barbadicus, Episcopus Patavinus, Venetus.
Joannes Carolus Lassius J. U. D. Fulginaten. Dap.

Paschalis Tit. S. Balbinæ S. R. E. Presbyter Card. de Aragonia, Archiepiscopus Toletanus, Hispanus.
Flaminius Marionus, Clericus Bononien. Dap.

Hieronymus Tit. SS. Marcellini, & Petri S. R. E. Presbyter Card. Boncompagnus, Archiepiscopus Bononiæ, Bononiensis.
Abbas Laurentius Dominichellus è Fossis Papirianis Sarzanen. Diœc. Dap.

Alphonsus Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Litta, Archiepiscopus Mediolani, Mediolanensis.
Thomas Burali, Eques S. Stephani, Aretinus. Dap.

Nerius Tit. SS. Nerei, & Achillei S. R. E. Card. Corsinus, Episcopus Aretinus, Florentinus.
Theodorus Franciscbinus, Clericus Senogalliensis. Dap.

Cœlius Tit. S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Presbyter Card. Piccolomineus, Archiepiscopus Senarum, Senensis.
Simeon Morettinus, Neapolitanus. Dap.

Carolus Tit. S. Susannæ S. R. E. Presbyter Card. Caraffa, Neapolitanus.
Joannes Benedictus de Passioneis, Nobilis Forosempronien. Dap.

Palutius Alterius Tit. SS. Duodecim Apostolorum S. R. E. Presbyter Card. Alterius, ejusdem S. R. E. Camerarius, Romanus.
Paulus Bertonus, Presbyter de Polo Tiburtinæ Diœcef. Dap.

Joannes Nicolaus Tit. S. Mariæ Transpontinæ S. R. E. Presbyter Card. de Comitibus, Episcopus Anconitanus, Romanus.
Alexander Ninius, Senensis. Dap.

Jacobus Tit. S. Mariæ de Pace S. R. E. Presbyter Card. Ninius, Senensis.
Dionysius Brutus, Justinopolitanus. Dap.

Julius Tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Card. Spinula, Episcopus Sutrinus, Januensis.
Silvius Vincenti, Senensis. Dap.

Innicus Tit. S. Clementis S. R. E. Presbyter Card. Caracciolus, Archiepiscopus Neapolis, Neapolitanus.
Abbas Joseph Patritius Guarinus, Privernas Terracinen. Diœc. Dap.

Joannes Tit. SS. Viti, & Modesti S. R. E. Presbyter Card. Delphinus, Patriarcha Aquilejensis, Venetus.
Abbas Curtius Trenta Lucensis. Dap.

Jacobus Tit. SS. Joannis, & Pauli S. R. E. Presbyter Card. Rospigliosius, Archipresbyter Basilicæ S. Mariæ Majoris, Signaturæ Sanctissimi, sive Gratiæ Præfectus, Pistorien.
Fr. Christophorus Vertona, Eques Hierosolymitanus, Bergomensis. Dap.

Emmanuel Theodosius Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna, S. R. E. Presbyter Card. Bullionius, Gallus.
Joannes Antonius de Vrreax, Hispalensis. Dap.

Ludovicus Tit. S. Sabinæ S. R. E. Presbyter Card. de Portocarrero, Hispanus.
Michael Marchesius, Clericus Forolivien., Dap.

Carolus Tit. S. Adriani S. R. E. Presbyter Card. Cerrus, Episcopus Ferrarien., Romanus.
Joseph Maria Martellus, Prior Perusinus. Dap.

Laurentius Tit. S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Presbyter Card. Pallavicinus, Genuensis.
Abbas Cæsar Mazzamius Bononien. Dap.

Camillus Tit. S. Anastasiæ S. R. E. Presbyter Card. Maximus, Romanus.
Fabius Veneruccius, Urbinaten. Dap.

Gaspar de Carpineo Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Card. Gaspar nuncupatus, SSmi D. N. Vicarius Generalis, Romanus.
Gilbertus Chanellieres, Gallus Francopolis Bellicensis. Dap.

Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Presbyter Card. Destreus, Episcopus Laudunensis, Gallus.
Joannes Baptista Novellius, Romanus. Dap.

B. Bernardus Gustavus Ordinis S. Benedicti Tit. S. Susannæ S. R. E. Presbyter Card. de Baden, Germanus.
Petrus Caignart S. Quirini in Viromandio Diœc. Dap.

Petrus Tit. S. Honuphrii S. R. E. Presbyter Card. Bonsius, Archiepiscopus Narbonensis, Florentinus.
Ludovicus Hotriz de Leon, Presbyter Hispalen., Consultor S. Officii, Cantor, & Canonicus Cathedralis Pacen. Dap.

Joannes Everardus Tit. Sancti Bartholomæi in Insula, Presbyter Card. Nidardus, Hispanus.
Abbas Antonius Sanctarellus, de Saxo Ferrato. Dap.

Fr. Vincentius Maria Ursinus Ordinis Sancti Dominici Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinal. S. Sixti nuncupatus, Archiepiscopus Sipontinus, Neapolitanus.
Antonius Leporus Sacerdos de Gorinia Diœcef. Aquilejæ. Dap.

Franciscus Tit. S. Matthæi in Merula Sanctæ R. E. Presbyter Card. Nerlius Archiepiscopus Florentiæ, Florentinus.
Brunus Anibaldensis de Molaria, Eques S. Stephani, Romanus. Dap.

Hieronymus Tituli S. Pudentianæ S. R. E. Presbyter Card. Gastaldus, Januensis.
Fr. Marcus Antonius Galleonus Eques Hierosolymitan. Niciensis. Dap.

Alexander Tit. S. Priscæ S. R. E. Presbyter Card. Crescentius, Episcopus Recineti, & Laureti, Romanus.
Carolus Andreas Sinibaldus, Eques S. Jacobi de Spatha, Faventinus. Dap.

Galeatius Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Card. Marescottus, Romanus.
Abbas Julius Pegna, Romanus. Dap.

Bernardinus Tituli S. Stephani in Monte Cœlio S. R. E. Presbyter Card. Roccius Episcopus Urbevetanus, Romanus.
Joannes Baptista de la Porta, Lucensis. Dap.

Marius Tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Presbyter Card. Albericius, Episcopus Tiburtinus, Neapolitanus,
Joseph Puteobonellus, Clericus Romanus, Dap.

Fabritius Tit. S. Calixti S. R. E. Presbyter Card. Spada, Romanus.
Abbas Paulus Æmilius Mondelli J. U. D. Tranensis. Dap.

Fr. Philippus Thomas Huvard de Nortfolck Ordinis Prædicatorum Tit. Sanctæ Cæciliæ S. R. E. Presbyter Card. Huvardus, Anglus.
Robertus Harpur Clericus Anglus, Leodien., Dap.

DIACONI XI.

Franciscus Sanctæ Mariæ in Via lata Primus Diaconus S. R. E. Card. Maidalchinus, Viterbien.
Paulus Maffeus, Clericus, Volterranus, Eques Sancti Stephani. Dap.

Federicus S. Agathæ S. R. E. Diaconus Card. de Hassia, Episcopus Uladislajen. Germanus.
Robertus Andertonus Anglicanus Loncastren. Diœc. Dap.

Carolus Barberinus S. R. E. Diaconus Card. Carolus nuncupatus, Archipresbyter Basilicæ S. Petri, Romanus.
Archangelus Spagna, Presbyter Viterbien. atque Romanus. Dap.

Decius S. Eustachii S. R. E. Diaconus Cardinal. Azzolinus, Firmanus.
Canonicus Joannes Antonius de Philippis Veliternen., atque Romanus. Dap.

Paulus S. Nicolai in Carcere Tulliano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardin. Sabellus Perettus, Romanus.
Fr. Philippus Altovitus, Eques Hierosolymitanus, Florentinus. Dap.

Sigismundus Chisius S. Georgii, S. R. E. Diac. Card. Sigismundus nuncupatus, Senensis.
Sperandeus Riccionus de Podio...... Clericus Sabinen. Dap.

Nicolaus Sanctorum Cosmæ, & Damiani S. R. E. Diaconus Card. Accajolus, Florentinus.
Abbas Aloysius Bonaccursius, Maceraten., Dap.

Bonaccursius Sanctæ Mariæ de Scala S. R. E. Diaconus Card. Bonaccursius, Maceraten.
Felix Alfarolus, Pistorien., Dap.

Felix Rospigliosius S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconus Card. Felix nuncupatus, Pistorien.
Julianus Borgnia, Clericus Civitatis Castellanæ, Dap.

Hieronymus S. Mariæ in Porticu S. R. E. Diaconus Card. Casanate, Neapolitanus.
Bernardinus Galantus Clericus conjungatus Toletanus, Dap.

Petrus S. Mariæ in Domnica S. R. E. Card. Basadona, Venetus.

XIII. Confirmatur Breve Gregorii XV. jam ab Urbano VIII., Clemente IX., & X. confirmatum, quo concessa fuerunt Hospitali B. Mariæ Theutonicorum privilegia Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Dat. 8. Jan. 1677. An. I.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

MIlitantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio præsidentes, privilegia, gratias, & Indulta Militiis, & Hospitalibus quibuscumque ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Christianæ Reipublicæ decus, & præsidium, fideique Catholicæ defensionem pio salubrique consilio erectis, & institutis, ac personis in eis Christo militantibus, & famulantibus per Romanos Pontifices prædecessores Nostros, & Sedem Apostolicam prudenti liberalitate concessa, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici roboris præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter communimus.

Summa Brevis Gregorii XV. Ordini Theutonicorum dati.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Gregorius XV. prædecessor noster omnia, & singula privilegia, Indulta, facultates, & gratias tam per se, sedemque Apostolicam, quam per rec. me. Leonem X., Clemen. VII., Paulum III., Pium IV. Pium V., Gregorium XIII., Gregorium XIV. Clementem VIII., & Paulum V. Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros dilectis filiis magno Magistro, & Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, illiusque Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, Commendatariis, Fratribus Militibus, Subditis, Vasallis, Colonis, & Presbyteris curam animarum exercentibus concessa, & respective confirmata, Hospitali Domus Beatæ Mariæ Theutonicorum, ejusque Magistro, Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, Commendatariis, Fratribus Militibus, Subditis, Vasallis, Colonis, ac Presbyteris curam animarum exercentibus concessit, decernens Hospitale B. Mariæ Theutonicorum, illiusque Magistrum, Priores, Bajulivos, Præceptores, Commendatarios, Fratres Milites, Subditos, Vasallos, Colonos, ac Presbyteros nullis aliis privilegiis, gratiis, & Indultis quatenus in hujusmodi concessione non comprehenderentur quovis prætextu, & ex quacumque causa uti, frui, & gaudere posse, nec debere, quinimo illa omnia cessare, ac irrita, & nulla, nulliusque roboris, & momenti esse & fore, prout in dictis Gregorii prædecessoris in forma Brevis desuper sub die 23. Decembris 1622. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur, Et subinde piæ mem. Urbanus VIII., Clemens IX., & Clemens X. Romani Pontifices etiam prædecessores nostri per suas pariter in forma Brevis die 19. Januarii 1624., & die 9. Junii 1668., ac die 30. Augusti 1670. respective expeditas literas, quarum tenores præsentibus itidem haberi volumus pro expressis, jam dictas Gregorii prædecessoris literas sub certis modo, & forma tunc expressis confirmarunt, & approbarunt.

Illud fuit confirmatum Brevibus Urbani VIII., Clementis IX., & X.

Preces M. Magistri, & Fratrum d. Ordinis.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Magni Magistri, & Fratrum Militum dicti Hospitalis B. Mariæ Theutonicorum, Nobis nuper expositum fuit prædictæ quidem Gregorii XV., ac Urbani VIII., Clementis IX., & Clementis X. prædecessorum literæ in viridi sint observantia; quia tamen firmiora sunt ea, quæ frequentiori Sedis Apostolicæ præsidio roborantur, iidem Magnus Magister, & Fratres Milites literas hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsorum Magni Magistri, & Fratrum Militum votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine porrectis inclinati, præfatas Gregorii XV., ac Urb. VIII., Clementis IX., & Clementis X. prædecessorum literas, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illasque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Prædictorum Pontificum Brevia confirmantur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod Locorum Ordinarii ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari ullatenus posse, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse: Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, ac definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Moguntin., & Pragen. Archiepiscopis, ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Magistri, & Militum ac fratrum dicti Hospitalis B. Mariæ Theutonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præsentium literarum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdi-

ctumque Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii saecularis.

§. 5. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae dicti Gregorius, ac Urbanus, Clemens IX., ac Clemens X. praedecessores in suis literis praedictis respective voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Eorumdem autem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, volumus, quod Pii V. 22. Septembris anno Sexto, ac Gregorii XIII. sub Annulo Piscatoris 25. Novembris anno Nono, necnon Gregorii XV. praedecessorum praedictorum sub Datum Nonis Februarii anno Secundo Pontificatuum suorum expeditis literis in suo robore, & efficacia permanentibus, praesentes literae non comprehendant, neque Ecclesias, neque personas, in his, quae ad curam animarum pertinent, in quibus Decreta Concilii Tridentini, ac in praedicta Gregorii XV. Constitutione contenta omnino servari debeant. Ac quod praesentium literarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis in judicio, & extra illud ubique locorum plena, & indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Excipiuntur literae S. Pii V. Gregor. XIII. & XV.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris VIII. Januarii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XIV. Declaratur ad Fratres Minores Reformatos non pertinere legatum Arelatense Fratribus Minoribus de Observantia adscriptum.

Dat. 22. Febr. 1677. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gaspardus de Varadier de S. Andiel Archidiaconus Ecclesiae Metropolitanae Arelaten., quod alias nempe anno 1587. tunc in humanis agens Franciscus de Veradier ejusdem Ecclesiae Archidiaconus, cujus dictus Gaspardus (ut asserit) haeres existit, in suo Testamento, seu alias ultima voluntate quamdam pecuniae summam Hospitali Arelatensi legavit cum onere praestandi quotannis sexaginta libras monetae Galliarum Religiosis ex infrascriptis Ordinibus de triennio in triennium ordine successivo ad Sacrae Theologiae studia mittendis, nempe primo loco uni ex Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, deinde Ordinis Minorum, ejusdem Sancti Francisci Conventualium respective nuncupatorum, post vero Ordinum Beatae Mariae de Monte Carmelo, & Eremitarum Sancti Augustini, ac tandem Praedicatorum, ad hoc ut ejusmodi pauperes Religiosi necessaria pro victu haberent, & inde facilius in studiis hujusmodi proficere possent: quae quidem omnia Religiose semper observata fuerunt usque ad annum 1605. Quo anno Fratres Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, expulsis e Civitate Arelaten. Fratribus Minoribus de Observantia, renunciaverunt inter manus Capituli, & Canonicorum, seu aliarum personarum saecularis, & Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris nuncupat. dictae Civitatis Arelaten. omnia Capitalia, redditus annuos, ac fundationes debit. dictis Fratribus de Observantia, cum onere satisfaciendi omnibus obligationibus, quibus satisfacere tenebantur ipsi Fratres Minores de Observantia, nec interea ullus dictorum Fratrum Recollectorum ad dicta studia cum eleemosyna sexaginta librarum hujusmodi mitti petiit, nisi ab aliquot annis. Unde cum a pluribus dubitaretur, an ipsi Fratres Recollecti, seu reformati possent habere aliquod Jus ad dictam eleemosynam, seu redditum annuum, & licite studere extra sua professoria in quibus nihil datur ab ipsis fratribus; dictus Gaspardus, ad quem (ut pariter asserit) jus nominandi singulis trienniis aliquem capacem, qui dicta eleemosyna seu reddituannuo utatur, spectat, ea omnia quae a dicto Testatore ordinata sunt, observare desiderans, recursum habuit ad Ministrum Generalem dicti Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, qui die 29. Augusti 1675. respondit attenta voluntate testatoris expresse legantis pro Religioso Arelatensi, & Fratribus Minoribus de Observantia cum solutione stipendii per modum eleemosynae, ad studium mittendo, se censere & actionem, vel solutionem talis legati non competere Recollectis (quamvis alias possent licito modo esse capaces legatorum) sed competere Fratribus de Observantia Provinciae Arelaten., & maxime quando inter ipsos reperiri potest Religiosus naturalis dictae Civitatis Arelaten. cum requisitis conditionibus sufficientis observantiae, & approbationis. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nulli amplius sint in d. Civitate Arelaten. Fratres Minores ordinis S. Francisci de Observantia nuncupati, dictusque Gaspardus propterea plurimum cupiat declarari an possit licite denegare Fratribus Recollectis praefatam annuam eleemosynam sexaginta librarum, dando illam aliis Regularibus, quibus illius praestatio de jure competit, saltem per triennium intra spatium quindecim annorum:

Ex judicio Ministri Generalis Fr. Minorum de Observantia legatum debetur duntaxat Fratribus suis Arelatensis Provinciae.

Preces Gaspardi de Veradier Haeredis.

§. 1. Nos ipsum Gaspardum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, supradictos Recollectos non esse comprehensos in legato praemisso auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus.

Declaratur a Pontif. Fratres Reformatos in legato non comprehendi.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCLXXVII. Pontificatus nostri anno primo.

Com-

XV.

Committitur Episcopo Alexandrino Causa inter Principem Messerani Sedis Apostolicæ Feudatarium, & Communitates d. Loci Messerani, Crevacore &c.

Ven. Fratr. Episcopo Alexandrin. Provinciæ Mediolanen.

Dat. 12. Apr. 1677. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ven. Frater Salutem, & Apost. Benedictionem.

Controversiæ ortæ sunt inter d. Principem, & suos Subditos.

CUm sicut accepimus inter dilectum filium nobilem virum Franciscum Ludovicum Ferrerium Fliscum Principem Messerani nuncupatum, & Sedis Apostolicæ Feudatarium ex una, necnon dilectos Filios ejusdem Francisci Ludovici Subditos, seu Vasallos præsertim Terrarum Messerani, & Crevacore Incolas ex altera partibus nonnullæ controversiæ, seu quæstiones sint exortæ.

Mandatur Episcopo Alexandrino, ut in Causa procedat usq; ad sententiam exclusive.

§. 1. Nos diligentem illis informationem capi, processumque desuper confici volentes; Fraternitati tuæ, de cujus prudentia, fide, integritate, rerum agendarum peritia, & dexteritate plurimum in Domino confidimus per præsentes committimus, & mandamus, ut de, & super controversiis, seu quæstionibus hujusmodi diligentem cognitionem capias, ac Processum, seu Processus fabrices, & conficias, exactamque Facti instructionem, & informationem sumas, aliaque desuper necessaria, & quomodolibet opportuna facias, geras, mandes, & exequaris usque ad Sententiam exclusive, dantes tibi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem substituendi vice tua ad præmissa peragenda aliquam Personam idoneam Ecclesiasticam, vel Sæcularem, attento quod, (ut pariter accepimus) eædem controversiæ, seu quæstiones super negotio vere temporali, & profano vertuntur.

Item, ut acta in authentica forma transmittat.

§. 2. Cæterum volumus, ut Informationes, & Processus, quas, & quos vigore præsentium ceperis, & confeceris, seu Persona a te substituenda ceperit, & confecerit, in forma authentica sub tuo sigillo clausas, & clausos ad Nos tuto transmittas, ut quod in præmissis statuendum fuerit, matura deliberatione adhibita decernamus.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit supradictarum Terrarum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDCLXXVII. Pontificatus Nostri anno Primo.

Prætermittitur Bulla in Cœna Domini, quam Pontifex die 15. Aprilis hoc anno publicavit cum eam pluries repetitam habeas in præcedentibus Tomis hujus Bullarii, & quoad materias in ea contentas satis est videre Scholia ad Constitut. 63. Pauli V. tom. 3., & Constitut. 16. Alexand. VII. tom. 6.

XVI.

Confirmatur Decretum Ministri Generalis, & Commissarii Indiarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Compromissariorum, quo stabilita fuit alternativa Electionum in Provinciis Indiarum Occidentalium.

Similem alternativam inter Fratres Indos, & Fratres Hispanos, in Indiis tamen ad habitum admissos, Ordinis Eremitarum S. Augustini executioni mandari jussit Urbanus VIII. Constit. 90. Alias a fel. record., *&* 91. Alias fel. record. *Bullar. Roman. tom. 5. pag. 156.*

Dat. 26. Junii 1677. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ILlius qui charitas est, & Deus pacis, vices licet immeriti, gerentes in terris, illa quæ pro stabilienda inter Religiosos viros Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ regula mancipatos animarum concordia, felicique eorum gubernio provide constituta esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio; cum id a Nobis petitur libenter corroboramus.

Species facti breviter hic descripti, sed fusius in sequenti Decreto.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum in Indiis Occidentalibus consistentium Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod alias postquam in Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1664. celebrato, auditis partibus contendentibus, declarata fuerat certa alternativa in electione Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum in dictis Provinciis in posterum observanda, partes recursum habuerunt, una ad fel. rec. Alexandrum PP. VII. Prædecessorem nostrum pro confirmatione dictæ alternativæ, altera vero hanc impugnando ad Congregationem S. R. E. Cardinalium tunc existentium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, unde una eademque die 20. Junii dicti anni emanarunt a dicto quidem Alexandro Prædecessore literæ in simili forma Brevis pro dicta Alternativa, a præfata vero Cardinalium Congregatione, Decretum de nihil super ea innovando.

Cumque in Capitulo, etiam Generali ejusdem Ordinis anno 1670. auditis similiter partibus, iterum statutum fuisset Alternativam hujusmodi debere observari, nec tamen observatum, altera ex partibus obedire renuente; novissime in proxime præterito Capitulo Generali Ordinis hujusmodi causa iterum proposita, ejus resolutio a Generali Diffinitorio compromittente dilectis filiis Ministro Generali dicti Ordinis, & Commissario Indiarum in Curia Madritensi residenti ejusdem Ordinis fuit commissa, & præfata Cardinalium Congregatio die 12. Junii 1676. commisit eisdem, ut etiam auctoritate ipsius Congregationis, litibus finem imponerent, & prout secundum Deum judicavissent expedire providerent.

Decretum Compromissariorum.

§. 2. Unde ipse Minister Generalis, & Commissarius Indiarum vigore compromissi, & auctoritate Congregationis hujusmodi die 26. Aprilis proxime præteriti Decretum tulerunt, cujus de Hispanico idiomate in latinum versi tenor est qui sequitur videlicet: Nos Fr. Joseph Ximenes Samaniego totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Fr. Joannes Luengo Indiarum Commissarius Generalis Compromissarii Capituli Generalis Romæ celebrati sub festo Pentecostes anni præteriti 1676. vigore Decreti sequentis: Pro Causis Provincias Indiarum Occidentalium concernentibus, quæ in hoc Capitulo fuerunt propositæ Diffinitorium Generale compromittit in Rmum P. Nostrum Ministrum Generalem, & Rmum Patrem Commis-

sarium Generalem Indiarum in Curia Regis Catholici consistentem, ut habitis earum notitiis, quæ in Capitulo desiderabantur, provideant & disponant, prout in Domino magis expedire judicaverint. Pro cujus Compromissi adimplemento in hoc Conventu S. Francisci Madriti convenimus, ad decidendum, & determinandum dictas Causas, & id decernendum quod Religionis bono magis expedire judicaremus. Cumque Causarum in dicto Capitulo Generali propositarum una sit stabiliendi, vel revocandi alternativam officiorum in Provinciis duodecim Apostolorum Liman., & S. Antonii delas Charcas, inter Religiosos ex Hispania oriundos, & Indiarum nativos; comperimus in forma sequenti processum fuisse.

Compromissum præcipue spectabat causam firmandi, vel revocandi alternativam in Provinciis Indiarum Occidentalium.

Quid in hac Causa hinc inde antea gestum fuerit.

§. 3. Quod in Capitulo Generali Romæ de anno 1664. ad instantiam, & exhibitionem Patrum Custodis Limani, Custodis delas Charcas, Prominiſtri, & Custodis de Quinto, Prominiſtri, & Custodis Sanctæ Fidei, & Prominiſtri de Chile Provinciarum Peruan. die 5. Junii in Diffinitorio Generali emanavit Decretum sequens -- Supposita Provinciarum petitione, conceditur alternativa, sicut in nova Hispania uti solet, & quod pro parte Patris Prominiſtri Limani habitus fuit recursus ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, ut dicti Decreti executio impediretur, & citatis partem facientibus supradictis die 29. Junii ejusdem anni, & die 20. immediate sequenti hujusmodi recursus in dicta Congregatione admissus fuit, mandatumque -- Supersederi in executione præfati Decreti omnino -- quodque sub eadem data 20. Junii ad instantiam dictorum Prominiſtrorum, & Custodum obtentum fuit Breve ab Alexandro Papa VII., quo dictum Alternativæ Decretum confirmari, & executioni demandari injunxit. Et quod Rmus Pater Frater Andreas Guadalupe Commissarius Generalis Indiarum visis dictis Brevi, & Decreto per suas patentes jussit executioni quoque demandari, authenticatoque toto negotio per Regium Indiarum Consilium actum fuit desuper in Diffinitorio Provinciæ Limanæ prædictæ 30. Septembris 1666., & majori votorum suffragio resolutum fuit, quod desuper fieret supplicatio, præfixo ad id per Commissarium Generalem Provinciæ biennii termino, ut exhiberentur inconvenientia allegata; subindeque in Capitulo generali Vallisoletano anno 1670., iterum stabilita fuit dicta Alternativa generaliter pro Provinciis Indiarum Occidentalium Reverendissimo Indiarum Commissario Generali dato in mandatis, ut illam ad executionem deduci procuraret in illis Provinciis, quibus effectum sortita non fuerat.

Quid decretum fuerit in Congregat. Episc. & Regul.

Quid in Brevi Alex. VII.

Quid in Diffinitorio Provinciæ Limanæ.

Quid in Capitulo Generali Vallisoletano.

Cumque in dictis Provinciis Limana, & de Charcas sequuta non fuisset executio pro eo, quod allegabant non adfuisse proponendorum supplicationis, & motivorum opportunitatem in Congregatione generali Toletana anni 1673. jussum fuit Diffinitoria dictarum Provinciarum suas proximo Capitulo Generali informationes exhibere, suspensa interim dictorum Statutorum executione, ad cujus jussionis normam in proximo Capitulo Generali Romano 1676. exhibitæ fuerunt informationes dictorumDiffinitoriorum ex una, & altera partibus cum Instrumentis facultativis Religiosorum in Hispania progenitorum, aliæ itidem allegationes, & Informationes, & quia opus erat quibusdam notitiis hac in Curia procurandis Diffinitorium generale fecit in nos Compromissum, prout in supra scripto Decreto. Tandemque, ne resolutioni obstaret Sacræ Congregationis Regularium inhibitio anno 1664. ad eamdem recursum fuit facta relatione Commissionis nobis super hac Causa a Capitulo generali proximo Delegatæ, institumque fuit revocari dictum inhibitivum Decretum, nobisque committi Causam. Unde ab eadem Congregatione emanavit sequens Decretum --- Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, veris existentibus narratis, & prævia suprascripti Decreti ab ipsa Sac. Congregatione de anno 1664. emanati revocatione, censuit committendum, prout præsentis Decreti tenore committit Patri Ministro Generali Ordinis, & Patri Commissario Generali Indiarum, ut conjunctim procedentes ad præscriptum Decreti Capituli Generalis circa Jus prædictæ alternativæ id statuant, atque decernant, quod pro eorum arbitrio, & prudentia, quieti, & beneficio præfatæ Provinciæ Limanæ in D. magis expedire censebunt. Non obstantibus quibuscumque, Romæ 12. Junii 1676.

Quid in Congregat. Generali Toletana.

Tandem in altero Capitulo Generali Romano constituti fuerunt Compromissarii Magister Generalis, & Commissarius Indiarum. Eisdem a Congregat. Episc., & Reg. commissum fuit, ut causa finiretur.

§. 4. Quibus omnibus per nos inspectis ex Instrumentis authenticis nobis exhibitis, visisque partium hinc inde informantibus, ponderatisque utrinque allegatis, aliisque omnibus pro firmiori resolutione considerandis auctoritate nobis concessa non solum ex compromisso prædicto Diffinitorii Capituli Generalis, verum etiam ex relato Sacræ Congregationis Regularium Decreto ordinamus, & mandamus stabiliri, & observari in dicta Provincia duodecim Apostolorum Limana Alternativam officiorum inter illius Religiosos in Indiis procreatos, & in Hispaniis progenitos, & de facto illam stabilimus forma sequenti.

A Compromissariis firmata est alternativa in Provincia Limana.

§. 5. Quod Provincialis uno triennio eligatur, & sit ex una parte, adeout si obierit, aut alia de causa durante triennio vacaverit Minister Provincialis, Vicarius usque ad celebrationem Capituli fit, & eligatur ex eadem parte, alioque triennio eligatur, & sit ex alia, servata eadem forma. Custos vero si adfuerit eligatur, & sit ex illa parte, ex qua non est Provincialis in dicta forma, & ex quatuor Diffinitoribus duo semper ex una, & duo reliqui ex altera partibus sint, & eligantur. Quo vero ad Guardianos, & alia officia de voto, eligantur indifferenter ex utraque parte secundum qualitatem, merita, & idoneitatem personarum, itaut Guardianus Domus Principalis semper alternetur ex utraque parte de Triennio in Triennium, & omni tempore (præter Provincialem, aut Custodem, & duos Diffinitores) eligantur, & adsint ex minori parte saltem decem cum Guardianatibus, & Officiis de voto ad hoc ut ex illis majori libertate possint eligi duo Diffinitores. Quo ad lecturas autem, & alia officia tam honoris, quam oneris eligantur indifferenter servata justitia distributiva, & habito respectu majorum meritorum, & majoris idoneitatis juxta Constitutiones generales Ordinis, super quo conscientias Electorum oneramus.

Modus servandus in d. Alternativa Officiorum.

§. 6. Quoad Provinciam Sancti Antonii delas Charcas vigore ejusdem compromissi ordinamus, statuimus, & mandamus observari eamdem Alternativam inter Religiosos natos in Indiis, & natos in Hispaniis eadem forma, qua statuimus, & ordinavimus pro d. Limana Provincia, præterquam quod attento pauciori numero Officiorum de voto ordinamus, quod decem Officia de voto, quæ pro Provincia Limana mandavimus eligi saltem ex parte minori in Provincia delas Charcas sint sex ad hoc, ut cum libertate eligantur duo Diffinitores ex gremio Capituli, & observetur quantum fas erit justitia distributiva.

Eadem alternativa statuta est in Provincia S. Antonii delas Charcas.

§. 7. Insuper cum altera ex Causis in dicto Capitulo Generali Romano proximo propositis, & pro qua Diffinitorium generale compromissum fuit in nos, fuerit, quod cum in Provincia Sancti Josephi de Tuetan tria Religiosorum genera reperiantur, quorum alii, qui post susceptum in Hispania habitum emissarii Cachupines, alii, qui in Hispania progeniti in ipsa Provincia Indiarum habitum susceperunt Provinciæ filii; alii, qui in Indiis ex Parentibus, seu Descendentibus progeniti

In Provincia S. Josephi de Tuetan stabilita est alternativa inter Filios Provinciæ, ac Cachupines ex una partes, & Criollos ex altera.

niti Criollos nuncupantur. Cumque in dicta Provincia adsit alternativa stabilita, & executioni demandata, unam illius partem constituunt nuncupati Criollos, & filii Provinciæ, quamvis soli Criollos filiis Provinciæ, & Cachupines vocatis simul junctis numero majores existant. Unde cum ista dispositio sit minus conformis justitiæ distributivæ, institum fuit pro parte Provinciæ, ut filii Provinciæ aggregarentur illis Cachupines vocatis adhoc, ut taliter distribuerentur Officia Provinciæ in partes æquales, aut quasi æquales; quo per nos inspecto, captisque convenientibus Informationibus vigore dicti Compromissi, ordinamus, statuimus, & mandamus, quatenus dicti filii Provinciæ se aggregent Cachupinis, & ex hujusmodi aggregatione una pars constituatur, solis Criollis alteram facientibus, inter quas observetur alternativa modo quo in dicta Provincia stabilita est, juxta Constitutiones generales Ordinis pro Indiis Occidentalibus.

§. 8. Quas resolutiones, & Decreta per nos statuta, & ordinata mandamus in virtute S. Obedientiæ ab eis, ad quos pertinet executioni respective demandari in dictis Provinciis sub pœna nullitatis contrafaciendorum, revocantes ad hunc effectum præcise quamcumque aliam Ordinis Constitutionem, quatenus opus fit, ac mandantes, quod principium detur dictæ Alternativæ in dictis Provinciis de Lima, & Charcas eligendo Provincialem illius partis, ex qua actualiter (quando præsentes intimabuntur) non fuerit Provincialis actualis, qui pro tempore rexerit. Ita decernimus, ordinamus, statuimus, & mandamus in supradicto Conventu Sancti Francisci Madriti 26. Mensis Aprilis 1677.

Joseph Ximenes Samaniego Minister Generalis.

Fr. Joannes Luengo Commissarius Generalis Indiarum.

Preces fratrum in Provinciis Occidentalib.

§. 9. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat omnia in decreto hujusmodi contenta sint justa, & rationi consentanea, nec aliter melius, quam per eorum observantiam paci, ac quieti dictarum Provinciarum consuli posse credatur: nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 10. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii Prioris Generalis dicti Ordinis eisdem Cardinalibus facta, præinsertum Decretum a dictis Ministro Generali, & Commissario Indiarum Compromissariis, auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium factum, illiusque tenorem, & dispositionem circa electionum Alternativam auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac Apostolicæ auctoritatis præsidio munimus, itaut in omnibus plenarium sortiatur effectum, & aliis, ad quos spectat, inviolabiliter observetur.

Confirmatur a Pontifice Decretum de alternativa.

Clausulæ.

§. 11. Irritum enim, & inane, quidquid secus attentatum fuerit, declaramus, & eos, qui Decreti firmitatem, sub quovis prætextu infringere præsumpserint, pœnis privationis vocis activæ, & passivæ, privationis officiorum, aliisque arbitrio nostro imponendis subjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 12. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis præfatarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XVII.

Permittitur Prioribus Localibus Congreg. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, ut consentiente Eremi Capitulo per se valeant sibi subditis Eremitis dare licentiam pernoctandi extra Eremos intra spatium quinquaginta milliarium.

Vide Constit. 4. Clem. X., quæ incip. Ut in Congregatione. *Tom. VI. in Append. fol.* 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 15. Julii 1677. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Maria a Neapoli Major Congregationis Eremitarum Camaldulen. Montis Coronæ quod cum fel. record. Clemens Papa X. prædecessor noster per quasdam suas, in simili forma Brevis literas, inter alia præceperit, & mandaverit, ut postquam a Capitulo generali, vel Majore, & Visitatoribus dictæ Congregationis familiarum, in singulis Eremis ipsius Congregationis assignatio facta, & illi qui toto anni decursu, cum debitis Priorum localium licentiis, propter urgentem aliquam necessitatem, Eremis per quinquaginta milliarium spatium, juxta præscriptum Constitutionum ejusdem Congregationis, a rec. me. Clemente Papa Nono prædecessore pariter nostro specifice confirmatum egredi possunt, deputati fuissent, nec ullis Prioribus localibus, nec ullis Deputatis ad negotia sine licentia Majoris, & Visitatorum prædictorum, semel in anno obtinenda intra spatium quinquaginta milliarium hujusmodi, neque ullis dictorum Priorum subditis, sine speciali eorumdem Majoris, & Visitatorum licentia, toties quoties impetranda, Eremis egredi, ac extra illos pernoctare, de cætero ullo modo liceret,

Prioribus autem localibus, ex aliqua urgenti necessitate extra Eremos existentibus eorum Vicarii, sive Superiores in Eremis remanentes nullam haberent facultatem concedendi aliis, quam Oblatis non professis licentiam egrediendi, & pernoctandi extra Eremos, & alias prout in dictis literis plenius continetur; enatum est dubium, an penes Priores locales dum praesentes sunt remanserit facultas intra minus spatium, quam quinquaginta milliarium hujusmodi concedendi Eremitis sibi subditis licentiam pernoctandi extra Eremos prout ejusmodi facultas eis per Constitutiones praedictas concessa reperitur. Quia vero dd. Priores locales quoad hanc partem in praedictis literis nominati non sunt, nec facultas praedicta eis quoad minus spatium, quam quinquaginta milliarium expressè sublata est, videntur ipsi Priores remanere cum jure eis per dictas Constitutiones concesso dandi eorum subditis professis licentiam pernoctandi extra Eremos intra minus spatium, quam quinquaginta milliarium hujusmodi, occurrentibus multis negotiis, quae Oblatis committi nequeunt, nec dilationem patiuntur cum exquiri, & expectari non possit licentia Majoris, & Visitatorum, praedictorum tum propter longinquam eorum in Eremo Montis Coronae residentiam, tum etiam quia majore anni parte per longinquas Provincias etiam extra Italiam Eremos dictae Congregationis visitandi gratia iter agunt. Quare praedictus Josephus Maria Major nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Quaeritur, an Prioribus Localibus d. Congregat. etiamnum competat facultas sibi a Constitutionibus concessa.

Videtur competere ob nonnullas rationes.

Preces Majoris ejusdem Congregationis.

§. 1. Nos igitur ipsius Josephi Mariae Majoris votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolven., & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, ut Priores locales praedicti cum consensu tamen Capituli, suarum respective Eremorum; Eremitis Professis sibi subditis, propter occurren. necessitates licentiam pernoctandi extra easdem Eremos, intra quinquaginta milliaria in eorum Hospitiis, & locis per Constitutiones praedictas praescriptas, absque alio consensu Majoris & Visitatorum praedictorum concedere libere, & licite possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus: Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Conceditur dicta facultas dummodo adsit consensus Capituli Eremi.

Clausulae.

§. 2. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, & validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem fides in Judicio, & extra illud habeatur, quae praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Julii MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XVIII.

Erigitur Confraternitas Almae Domus Lauretanae nationis Picenorum de Urbe in Archiconfraternitatem, eique conceditur facultas ad se aggregandi alias ejusdem Instituti Confraternitates, nec non his impartiendi suas Indulgentias.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Julii 1677. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres Confraternitatis Christifidelium Nationis Picenorum in Alma Urbe nostra commorantium sub denominatione Almae Domus Lauretanae canonice erectae, quod dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. praedecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 14. Aprilis 1633. expeditas literas eandem Confraternitatem sub denominatione praefata auctoritate Apostolica perpetuo erexit, & instituit, ac illi sic erectae, ejusque Confratribus, & Consororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes sub certis modo, & forma tunc expressis itidem perpetuo concessit, & alias prout in eisdem literis uberius continetur.

Preces Confraternitatis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Confraternitatem hujusmodi Archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Hujusmodi supplicationibus inclinati, Confraternitatem praedictam in Archiconfraternitatem cum omnibus, & singulis praerogativis, juribus, honoribus, & praeeminentiis solitis, & consuetis auctoritate praefata tenore praesentium, sine cujusquam praejudicio perpetuo pariter erigimus, & instituimus; Ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectae Officialibus, & Confratribus praesentibus, & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem Instituti extra Urbem praedictam ubicumque locorum existentes eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis rec. me. Clementis PP. VIII. praedecessoris pariter nostri desuper editae aggregare, illisque omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi Confraternitati sic in Archiconfraternitatem a nobis erectae a memorato Urbano praedecessore concessas communicare libere, & licite possint, & valeant auctoritate, & tenore praedictis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus.

Erigitur Confraternitas Picenorum in Archiconfraternitatem.

Ei permittitur, ut valeat alias ejusdem Instituti Confraternitates aggregare, cumque illis suas Indulgentias communicare.

Clausulae.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus,

& per

& per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, ſupradictæ Confraternitatis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque Indultis; & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Julii MDCLXXVII. Pontificatus noſtri Anno Primo.

XIX. Reducuntur ad antiquam formam Immunitates, ſeu Franchitiæ Gabellarum in Dohana Urbis.

Dat. 14. Aug. 1677. An. I.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex omnium Chriſtifidelium Pater, & Paſtor a Domino conſtitutus, ſicuti Paſtoralem vigilantiam, ſpiritualiumque providentiam Catholicæ Eccleſiæ quantum divina bonitas largitur, aſſidue repræſentare ſtudet, ita & temporalium circumſpectione ſuorum, & Apoſtolicæ Sedis, etiam quoad temporalia Subditorum indemnitati conſulere, eaque de cauſa abuſus in grave Cameræ Apoſtolicæ, publicæque utilitatis detrimentum introductos reſecare ſatagit, prout æquitatis, & juſtitiæ ratio ſuadet, reique publicæ ſalus expoſcere comperitur.

Cauſa Conſtitutionis. §. 1. Ad noſtram ſiquidem notitiam pervenit, quod Gabellæ, & Dohanæ Almæ Urbis noſtræ, & membrorum illis annexorum, propter exceſſivas immunitates, ſeu franchitias Miniſtrorum Cameralium, & aliorum exemptorum, in maxima perturbatione verſantur. Et quia, niſi ejuſmodi incommodis occurratur, inde grave, atque irreparabile damnum, non ſolum d. Cameræ, ſed etiam toti Urbi prædictæ; ac temporali S. R. E. ditioni, quinimo, & exteris Montiſtis, & aliis Creditoribus, quibus redditus Dohanarum, & Gabellarum hujuſmodi obligati ſunt, naſceretur. Ideo nos antiquos Gabellarum hujuſmodi appaltus, & quomodo tunc temporis immunitates, ſeu franchitiæ prædictæ procederent, diligenter exquiri mandavimus: repertum autem fuit ſæculo proxime præterito, & præſertim in appaltibus, qui ſub fel. rec. Paulo III. anno 1535., Paulo IV. anno 1555., & Pio IV. anno 1564., Gregorio XIII. annis 1577., & 1583., Sixto V. anno 1585. & Clemente VIII. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, anno 1593. reſpective facti fuerunt, nulla in anteceſſum ſuperſtite in contrarium memoria, ac etiam per quædam capitula ſuper reformatione Dohanarum hujuſmodi edita, & per recol. me. Julium PP. III. prædeceſſorem pariter noſtrum Motu proprio confirmata, diſpoſitum fuiſſe, ut ejuſdem S. R. E. Cardinales, ac Theſaurarius generalis, Clerici Præſidentes, & Miniſtri Cameræ prædictæ, omneſque alii exempti ratione mercium, & rerum quæ pro eorum proprio uſu advenirent, & non aliter a Dohanis, & Gabellis hujuſmodi exempti eſſe deberent, ejuſmodi autem res cum eorum mandatis, propria eorum manu ſubſcriptis, relaxarentur, prout ſolitum eſſe ibi narratur, utque eædem res ſic abſque ſolutione Gabellarum relaxatæ, vendi nequirent, niſi facta ejuſmodi venditionis notificatione Dohaneriis, ſive Dohanarum redemptoribus, ut illis Dohana refunderetur, alioquin fraus commiſſa cenſeretur. Verum ab aliquo citeriori tempore, nempe circa finem Pontificatus Clementis prædeceſſoris prædicti, ſive per incuriam, ſive per inconſultam facilitatem illorum Miniſtrorum Cameralium, quibus ex officii debito capitula appaltus formare, ac indemnitati Cameræ prædictæ conſulere incumbebat, ampliari cœptas fuiſſe immunitates, ſeu franchitias ad res, quas dicti exempti in tabernis mercatoriis, apothecis, & repoſitoriis, ſive ut vulgariter dicitur -- *Nelli Fondachi, Botteghe, e Magazzeni* -- emerent. Abuſus poſtea introductus.

Mos antiquus utendi Franchitiis Gabellarum in Dohana Urbis.

§. 2. Cum autem experientia compertum ſit, detrimenta, quæ per exceſſivas immunitates, ſeu franchitias hujuſmodi Cameræ prædictæ inferuntur, ex inconſulta, nec ullo titulo ſuffulta ampliatione hujuſmodi, quæ etiam Legum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitioni adverſatur, oriri; hinc eſt, quod nos incommodis prædictis occurrere, ac dictæ Cameræ, & privatorum intereſſe habentium, prout ſumma juſtitiæ, æquitatiſque ratio poſtulat, indemnitati providere cupientes, ac omnium, & ſingulorum appaltuum, Dohanarum, & Gabellarum hujuſmodi hactenus factorum, etiam auctoritate Apoſtolica confirmatorum, inſtrumentorumque publicorum deſuper celebratorum, necnon quarumcumque conceſſionum, immunitatum, & exemptionum a dictis Dohanis, & Gabellis S. R. E. Cardinalibus, ac Theſaurario Generali, Clericis præſidentibus, aliiſque Miniſtris Cameralibus prædictis, ac aliis exemptis quandocumque, & quomodocumque factarum, Literarumque Apoſtolicarum, tam ſub plumbo, quam in ſimili forma Brevis, Cedularum Motus proprii, & Chirographorum cujuſvis Romani Pontificis prædeceſſoris noſtri manu ſubſcriptorum, ac aliarum, Literarum, & ſcripturarum tam publicarum, quam privatarum deſuper quomodolibet emanatarum, ac pluries, & quantiſcumque vicibus confirmatarum, & innovatarum tenores, etiam veriores, & datas, cauſas, & occaſiones, aliaque omnia, & ſingula, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digna præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, & exactiſſime, & accuratiſſime ſpecificatis habentes: Motu proprio, non ad cujuſquam nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac alias omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus firmius, & validius facere poſſumus, uſum illum antiquiorem, qui circa immunitates, ſeu franchitias prædictorum Cardinalium, & Theſaurarii generalis, Clericorum præſidentium, aliorumque Miniſtrorum Cameralium, ac aliorum exemptorum ſub Pontificatibus memoratorum, Pauli III., Julii III., Pauli IV., Pii IV., Gregorii XIII., Sixti V., Clementis VIII. prædeceſſorum, ut præfertur, ſervabatur, tenore præſentium innovamus, & reducimus, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere ſtatuimus, decernimus, & ordinamus. Inconſultam verò, nec ullo titulo ſuffultam ampliationem, & innovationem prædictam, quam quidem ſub Conſtitutionibus exemptionum, & franchitiarum revocatoriis ſimilis memoriæ Pauli V., Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VIII., Clementis IX., & Clementis X. Romanorum Pontificum prædeceſſorum pariter noſtrorum, ac etiam noſtra comprehenſam eſſe

Firmatur mos antiquus Franchitiarum.

Revocantur omnes immunitates, quoad abuſum recenter introductum.

præ-

prætendi posset, itidem perpetuo cassamus, irritamus, tollimus, perimimus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus. Adeo ut inposterum omnes præfati, & quicumque alii immunes, & exempti, etiam quavis nota speciali digni sint, ac esse debeant immunes, & exempti pro illis tantum mercibus, bonis, & rebus, quæ ab extra pro solo eorum usu, ut supra, & infra, per eos introducentur.

Injungitur Ministris Cameralibus, ut antiquam formam servent in Capitulis Dohanarum.

§. 3. Ac propterea dilectis filiis modernis, & quandocumque futuris nostro, & S. R. E. prædictæ Camerario, Vicecamerario, Thesaurario Generali, Præsidentibus Clericis, Commissario Generali, cæterisque dictæ Cameræ Officialibus, & Ministris, ad quos ea res spectat, & pro tempore spectabit, harum serie in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendis pœnis districte præcipimus, injungimus, & mandamus, ut deinceps tam in primo, quam successive quandocumque faciendis appaltibus Dohanarum, & Gabellarum Urbis prædictæ, illisque annexorum circa immunitates, exemptiones, & franchitias ejusdem S. R. E. Cardinalium, tam Cameralium, sive eorum, qui in Camera prædicta sederunt, seu pro tempore sederint, quam non Cameralium, ac Vicecamerarii, Thesaurarii Generalis, Clericorum Præsidentium, Commissarii Generalis, cæterorumque Officialium, & Ministrorum dictæ Cameræ, & aliorum quorumvis exemptorum, immunium, & privilegiatorum, etiam specifica, & individua mentione dignorum, ac etiam Personæ nostræ, & Romani Pontificis pro tempore existentis, necnon Palatii Apostolici, pacta, seu capitula eo modo forment, & formari curent, quo antiquitus, ut præfertur, formabantur: ita scilicet, ut prædictis exemptis, & immunibus illæ dumtaxat merces, & res, in quibus immunitates frui consueverunt, sine Gabellarum, & Dohanarum hujusmodi solutione, quas proprii usus gratia, & non aliter advehi curaverint. Ac etiam hæc cum mandatis per ipsos principales, non autem per eorum ministros subscriptis, & eorum sigillo munitis relaxari, nec hujusmodi mandata aliter subscribi, seu aliter expedita admitti debeant: quinimo etiamsi mandata ipsa sub hac forma expedita fuerint, admittantur tamen solummodo pro illis mercibus, & rebus, quæ in ea sint quantitate, ut verisimile sit eas usui proprio mandantis exempti, non autem ejus consanguineorum, vel affinium, aut aliorum, etiam in ejus domo habitantium, servituras esse. Res autem sic introductæ, & sine Gabellarum solutione admissæ nequeant vendi, aut donari, vel alio quocumque modo concedi, etiam consanguineis, vel affinibus, licet exempto, seu privilegiato in ejus domo cohabitantibus, multoque minus mercatoribus, tabernariis, sive apothecariis, cauponibus, stabulariis, scrutariis, propolis, aliisve quibuslibet personis, præterquam propriis famulis veris, & actualibus, vel consanguineis, aut affinibus, qui ex obligatione ipsorum exemptorum, seu privilegiatorum impensis sustententur, itaut si quocumque modo distrahantur, & de eo sufficienter constiterit juxta alia mandata, quæ hodie dilecto filio Magistro Joanni Ginetto Cameræ prædictæ Thesaurario Generali dedimus, eo ipso fraus commissa censeatur, & res ipsæ in commissum cadant. Porro formam circa mandatorum hujusmodi subscriptionem, illorumque admissionem per præsentes præscriptam ex nunc perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & adamussim servari, nec mandata ipsa aliter admitti volumus: quod si mandata quidem ipsa secundum formam prædictam concepta fuerint; incidere vero possit dubium, utrum sint excessiva, & inverisimilia, ejus rei cognitio, & decisio non ad Thesaurarium, vel Commissarium Generales prædictos, aut Dohanerios, seu Dohanarum, & Gabellarum hujusmodi Conductores spectet, sed illius declaratio, & determinatio privative ad quoscumque alios ad Congregationem Cameralem a nobis erectam, & deputatam tantisper pertinere debet, donec, & quousque taxa immunitatum, sive franchitiarum hujusmodi pro unoquoque exempto, sive immuni nostro, seu Romanorum Pontificum Successorum nostrorum jussu facta fuerit, quam subinde perpetuo servari volumus. Ut autem ab eadem Congregatione cognosci, & judicari possit, an res, quæ introducentur sint proportionatæ proprio usui introducentis, vel excessivæ, aut in fraudem introductæ, mandamus, & decernimus, ut Dohanerii, eorumque Ministri revidere possint, imo debeant, vidulos, involucra, capsas, & arculas, aliaque, quibus res hujusmodi inclusæ fuerint, eodem modo, quo fieri solet circa res illorum, qui nullo immunitatis, vel exemptionis privilegio suffulti sunt: si vero res fuerint ejusmodi qualitatis, ut id sine detrimento, vel incommodo fieri nequeat, eo casu immunes, seu exempti bona fide quantitatem, & qualitatem rerum in capsis, & aliis prædictis contentarum declarare, & specificare debeant.

Præscribitur modus observandus in mandatis ab Exemptis faciendis pro usu proprio tantum.

Prohibetur exemptis venditio, & donatio rerum introductarum.

Cognitio, an merces excedant usum exemptorum, committitur Congr. Camerali.

Conceditur Dohaneriis facultas recognoscendi involucra, capsas &c.

Si vero ex recognitione merces patiantur detrimentum, standum fidei exemptorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod Camerarius, aliique Cardinales, Vicecamerarius, Thesaurarius Generalis, Præsidentes Clerici, Commissarius Generalis, cæterique dictæ Cameræ Officiales, & Ministri, aliive quicumque exempti, & privilegiati, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, specificatæ, vel ullatenus justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; neque ipsas præsentes Literas sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, & Ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus quandocumque, & quomodocumque, etiam per viam legis, & Constitutionis generalis, seu Statuti perpetui faciendis, unquam comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub data posteriore concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, &

adim-

adimpleri; sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri.

§. 5. Atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, ipsorumque Cardinalium Collegium, ac Vicecamerarium, Thesaurarium, Præsidentes Clericos, Commissarium, cæterosque dictæ Cameræ Officiales, & Ministros, & quoscumque, quavis potestate, praeminentia, & auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, & prædicti Pii IV. prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Cameræ prædictæ, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stylis, & usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, Chirographis, Cedulis motuum propriorum, instrumentis Appaltuum, aliisque scripturis, & literis Apostolicis prædictis, & aliis quibusvis, etiam quantumcumque qualificatis, & speciali mentione dignis personis, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac mentis attestativis, restitutoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam contractus jurati cum dicta Camera initi, & Camerali obligatione vallati vim habentibus, aliove quovis robore, & cautela munitis, ac alias de necessitate exprimendis, seu alias quovis modo, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones, ac causas præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso expressis, & insertis, ac servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus pariter illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 8. Utque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Aug. MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XX.

Dismembratur Oppidum S. Ludovici de Maragnano a Diœcesi Brasiliensi, & Civitas esse decernitur, ejusque Ecclesia D. Victoriæ dicata Cathedralis constituitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Dat. 29. Sept. 1677. An. I.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SUper universas Orbis Ecclesias, Deo disponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam sine meritis constituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos nostræ Mentis more pervigilis Pastoris inspecturi quid Provinciarum, & locorum quorumlibet statui, & decori, quidve incolarum animarum saluti congruat, disponi debeat, divinoque fulti præsidio dignum quin potius debitum arbitramur in irriguo militantis Ecclesiæ agro novas Episcopales Sedes plantare, ut per hujusmodi novas plantationes Popularis augeatur devotio, divinus floreat cultus, Ecclesiastica administrentur Sacramenta, ac animarum ipsarum salus subsequatur, Locaque ipsa dignioribus titulis illustrentur, & Populi eorum Præsulum assistentia, regimine, & doctrina suffulti, cum Apostolicæ auctoritatis amplitudine, & Orthodoxæ fidei augmento proficiant semper in Domino, & quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus, præsertim cum id piorum, ac nobilium Principum devotio exposcit.

Causa hujus Dismembrationis.

§. 1. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Petrus Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator, pio præponderans affectu, quod Populi illius partis Basiliæ, quæ nuncupatur Provincia de Maragnano, attenta longissima distantia a Civitate Bahiæ omnium Sanctorum residentia Episcopi Basilien., cujus est Diœcesis, & ad illam difficillimo accessu multa incommoda præcipue circa confectionem Olei Sancti, administrationem Sacramenti Confirmationis, & exercitium officii Pastoralis passi jam sunt, & in dies patiuntur, & opera, ac ministerio variorum Religiosorum, & aliorum doctrina insignium, & vitæ approbatorum virorum, quos idem Petrus Princeps Progenitorum suorum vestigia secutus nullis parcens laboribus, & expensis ad verbum Dei inibi, illarumque partium Incolas, & habitatores ad fidem Catholicam, extra quam nulla est salus perducendos studiosissime transmitti curaverit, Divina cooperante gratia infinitæ propemodum gentes Divini, humanique Juris eatenus expertes, discussis inde Sathanæ tenebris ad agnitionem veri luminis, & Sanctum Baptismatis lavacrum, Sanctæque Matris Ecclesiæ gremium accesserunt, & in dies magis accedunt, eisque rationibus Religio Christiana in illis partibus sic longe, lateque propagata sit, ut Episcopus Brasilien. pro tempore existens ad illam, ejusque fines citra grave periculum transmeare, ac singulorum vultus, ut Episcopum decet, inspicere, aliasque partes boni Pastoris in Universum exercere nequeat:

Oppidum S. Ludovici describitur.

§. 2. Attendens quod in dicta Provincia Maragnani ultra alia notabilia loca, reperiatur unum Oppidum Civitas nuncupatum Sancti Ludovici a bis mille Christifidelibus inhabitatum, & Regum Portugalliæ dominio subjectum, aeris salubritate, ac Populi frequentia, & commercio, pluribusque virorum Monasteriis insigne, cujus Incolæ generis nobilitate, literarumque, & armorum gradibus decorantur, & in dicti Oppidi Sancti Ludovici una Ecclesia Matrix, & prin-

cipalis

cipalis alteris inibi existentibus major, sub invocatione Nostræ Dominæ Victoriæ, in qua per Vicarium, & nonnullos Presbyteros propriis redditibus ex ærario Regio viventes, Missa, & alia Divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur jampridem erecta, & fundata existit; propterea que dictum Oppidum Sancti Ludovici a Diœcesi Brasilien. dismembrari, & in Civitatem, dictaque Ecclesia in Cathedralem erigi, & in ea Catholicum Antistitem, & Pastorem proprium institui, qui illos, adhuc debiles in ipsa fide, confirmare, & majora Ecclesiastica Seminaria plantare, Dominicisque ovibus septa ædificare, cæteraque Pontificalia omnia in illis partibus exercere possit, & debeat omnino expediret, cum præsertim in compluribus Oppidis, & locis ejusdem Provinciæ de Maragnano multæ, & diversæ Ecclesiæ, ac Virorum Monasteria, aliaque Sacra loca fundata, & erecta reperiantur, devotionis suæ zelo ductus, Populisque in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset:

Preces Petri Principis, & Gubernatoris Regnor. Portugalliæ, & Algarbior.

§. 3. Nos matura super his cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habita deliberatione, dicto Petro Principe, & Gubernatore per ejus literas Nobis ad hoc humiliter supplicante, Oppidum prædictum Sancti Ludovici Episcopali, & Civili titulo dignum judicantes, piisque dicti Petri Principis votis libenter annuentes, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, & assensu, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Oppidum Sancti Ludovici prædictum cum dicta Provincia Maragnani, ac omnibus suis Castris, Oppidis, Villis, Territoriis, & Districtibus Ecclesiasticis, & personis tam Sæcularibus, quam Ecclesiasticis ab ordinaria Jurisdictione Episcopi Brasilien. perpetuo segregamus, dividimus, & separamus, illaque omnia quoad legem Diœcesanam ab Episcopi Brasilien. superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus; ac Oppidum Sancti Ludovici prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine, titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem, quæ Sancti Ludovici denominetur, & in eo dictam Ecclesiam Nostræ Dominæ Victoriæ dicatam in Cathedralem Ecclesiam, sub invocatione ejusdem nostræ Dominæ Victoriæ pro uno Episcopo Sancti Ludovici nuncupando, qui illi præsit, ac Ecclesiam ipsam, seu illius structuras perficiat, & ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat, nec non in ea, & dicta Civitate, ac ejusdem Ecclesiæ Diœcesi tot Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quot inibi Divino cultui, & dictæ Ecclesiæ servitio, ac Ecclesiastici cleri decori sibi videbuntur convenire, de prædicti Petri Principis, & pro tempore existentis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis consilio, & assensu, & prævia eorum congrua dotatione ab ipsis Petro Principe, & Regibus Portugalliæ pro tempore existentibus facienda, quam primum fieri poterit, erigat, & instituat.

Oppidum S. Ludovici cum Provincia Maragnani a Diœcesi Brasiliensi dismembratur, & ab illius Episcopi jurisdictione eximitur.

Oppidum in Civitatem, ejusque Ecclesia in Cathedralem eriguntur.

Instituitur Episcopatus cum omnibus juribus, & privilegiis aliorum Episcoporum.

§. 4. Necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ ordinis, quæque Jurisdictionis, & cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ alii in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & dominiis constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus facere possunt, & debent, facere libere, & licitè possint, & debeant, ac in eadem sic erecta Ecclesia Episcopalem dignitatem cum Sede, præeminentiis, honoribus, privilegiis, & facultatibus, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ hujusmodi de Jure, vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, necnon Episcopali, & Capitulari Mensis, aliisque Cathedralibus insigniis ad Omnipotentis Dei laudem, & Gloriosissimæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, totiusque triumphantis Ecclesiæ Gloriæ, & fidei Catholicæ exaltationem de similibus consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

§. 5. Ac eidem sic erectæ Ecclesiæ, Oppidum S. Ludovici prædictum in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus dictæ Provinciæ de Maragnano a capite Horte per oram Maritimam, & Terram intus usque ad arcem de Scata exclusive pro Diœces., necnon Ecclesias prædicto pro Clero, & Sæculares personas in Civitate, & Diœcesi hujusmodi pro tempore degentes pro Populo de consilio, potestate, & auctoritate similibus etiam perpetuo concedimus, & assignamus.

Diœcesis termini describuntur.

§. 6. Civitatemque, Diœcesim, Clerum, & Populum Episcopo Sancti Ludovici quoad Episcopalem ordinariam, quo vero ad Metropolitanam jurisdictionem, & Superioritatem eo quod a præscripta Ecclesia Sancti Ludovici longe facilius atque expeditius iter sit Ulyssiponem, quam Bahiam omnium Sanctorum habita ratione præcipue commodioris commercii, unde sequitur major opportunitas regimini Animarum Archiepiscopo Ulyssiponen. de dictorum fratrum Consilio, & potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo subjicimus, necnon Mensæ Episcopali Sancti Ludovici hujusmodi pro ejus Dote redditus annuos duorum millium, & quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ per ipsum Petrum Principem assignandorum, quam quidem summam idem Petrus Princeps de suis propriis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum redditibus, & specialiter de iis, quæ ex ipsa Regione Brasilien. percipiuntur, gratiose, & irrevocabiliter donavit, & obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Subjicitur Metropolitanæ jurisdictioni Archiepiscopi Ulyssiponen.

Redditus seu Dos Episcopatus.

§. 7. Et insuper Petro Principi, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regi prædictis, Juspatronatus, & præsentandi infra annum personam idoneam ad dictam Ecclesiam Sancti Ludovici videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici hujusmodi in ejusdem Ecclesiæ Sancti Ludovici Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendum; ad majorem vero post Pontificalem, & principales, & alias dignitates, Canonicatus, & Præbendas, necnon beneficia erigenda, & per Petrum Principem, & pro tempore existentes Reges hujusmodi congrue dotanda, tam ab eorum primæva erectione postquam erecta, & dotata fuerint, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis, & quorumcumque Personis, etiam apud Sedem eamdem, vacare contigerit, Episcopo Sancti Ludovici pro tempore existenti præscripto simili per eum ad præsentationem prædicti Principis Petri, & pro tempore existentium, Portugalliæ, & Algarbiorum Regum factam intra terminum a Jure præfixum in ipsis Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ex Beneficiis instituendis, eadem auctoritate pariter perpetuo reservamus, & concedimus, ac Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi Petro Principi, & pro tempore existenti Regi prædicto, ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri Principis, & pro tempore existentis Regis prædicti ad id expressus accedat assensus, & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutis nullius roboris efficaciæ, & momenti fore.

Juspatronatus & præsentandi intra annum ad Episcopatum Regibus Portugalliæ conceditur.

Item ad alias dignitates, & beneficia.

Etiamsi vacent apud S. Sedem.

Declaratur juspatr. competere ex dotatione, & fundatione, nec ei esse derogandum.

§. 8. Sic-

Clausulæ.

§. 8. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus Lateranen. Concilii novissime celebrati ab Ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo Jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; Quibus omnibus, & singulis, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, decoris, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, applicationis, approbationis, reservationis, concessionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, Tertio Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

XXI.

Permittitur Cardinali Protectori, & Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum potestas dividendi binas Bononiæ, & Marchiæ Provincias in quatuor; ab eisque segregandi nonnulla, vel ad eas aggregandi quædam contiguarum Provinciarum Cœnobia.

Eamdem potestatem fecit Clemens X. Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum in Lusitania. Constit. Pastoralis Officii quo, *Tom. XI. Bull. Rom.*

Dat. 17. Nov. 1677. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Injuncti nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam Religiosorum virorum suave Christi Jugum sub arctioris vitæ instituto laudabiliter portantium curam gerentes, felici prosperoque illorum regimini, & gubernio quantum nobis ex alto conceditur providere jugiter studeamus.

§. 1. Exposuit siquidem Nobis nuper dilectus filius noster Nicolaus S. R. E. Diaconus Cardinalis Acciajolus nuncupatus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, quod cum Provinciæ Bononien., & Marchiæ dicti Ordinis propter multitudinem Conventuum, & amplitudinem circuitus utriusque illarum, aliasque difficultates, quæ in dies insurgunt, vix possint a suis respective Ministris Provincialibus bis quotannis totæ, sicut Constitutiones Ordinis præfati præscribunt, & spiritualis Religiosorum utilitas exigeret, visitari; ipse Nicolaus Cardinalis Protector de statu Provinciarum hujusmodi, ex Superiorum, aliorumque Fratrum qualificatorum ejusdem Ordinis relationibus edoctus, recto earumdem Provinciarum Gubernio, regularisque observantiæ in eis conservationi plurimum conducibile fore existimat, si utraque illarum in duas dividatur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ejusmodi Provinciarum divisiones absque speciali nostro, & hujus Sanctæ Sedis Indulto fieri nequeant. Nobis propterea dictus Nicolaus Cardinalis, & Procurator humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa divisionis.

Divisio Provinciarum fieri nequit absque speciali Indulto S. Sedis.

Preces Card. Protectoris.

§. 2. Nos igitur ipsius Nicolai Cardinalis, & Protectoris votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Nicolao Cardinali, & Protectori, ac dilecto filio Ministro Generali dicti Ordinis, ut ipsi per se ipsos, vel per aliquos fratres expresse professos Ordinis prædicti, quos ad id censuerint delegandos, utramque ex Provinciis Bononien., & Marchiæ prædictis in duas dividere, ac quoscumque fratres cujuslibet ex Provinciis hujusmodi respective ad concursum passivum ad Diffinitoratum in Capitulo dicti Ordinis proxime celebrando, prout secundum Deum expedire eis videbitur pro hac vice tantum habilitare, necnon sive in actu divisionis hujusmodi, sive postea secundum temporis exigentiam, auctoritate nostra Apostolica segregare ab eisdem Provinciis, & aggregare aliis contiguis, ac etiam segregare a Provinciis contiguis Ordinis hujusmodi, & aggregare illis Provinciis, quæ per divisionem hujusmodi noviter formabuntur, illos Conventus, quos ita respective segregari pro majori bono ejusdem Ordinis expedire judicaverint, ac aliam quamcumque provisionem, & dispositionem, circa divisionem, formationem, & gubernium earumdem Provinciarum, quam qualibet emergens causa requirere posset, secundum datam sibi a Domino prudentiam, & pro eorum arbitrio facere libere, licite, & valide possint, & valeant, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam auctoritate Apostolica præfata tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Permittitur Card. Protectori, & Ministro Generali Capuccinorum, ut utramque Provinciam Bononiæ, & Marchiæ in duas partiri valeant.

Item impertiri vocem passivam quibuslibet Fratribus dictarum Provinciarum.

Necnon ab illis Provinciis segregare, vel ad eas aggregare Cœnobia.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Novembr. MDCLXXVII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXII.

Reducuntur Magistri, aliive Graduati Ordinis Prædicatorum ad numerum in suis Capitulis Generalibus definitum, & Magistris Generalibus interdicitur, ne in posterum supernumerarios eligant, ab eisque speciales Gratiæ contra

Constitutionum, & Capitulorum generalium dispositiones concessæ revocantur.

Dat. 20. Nov. 1677. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

IN supremo militantis Ecclesiæ solio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus collocati, muneris nostri partes esse intelligimus, ut ea, quæ Religiosorum virorum ordinibus in Ecclesia Dei pie, sanctequé institutis detrimentum adferre, regularemque in eis disciplinam perturbare noscuntur, ad æquitatis, & Justitiæ terminos reducere satagamus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & religionis felicem progressum, ac incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa Reductionis.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) Magistri, aliique Graduati Ordinis Fratrum Prædicatorum, propter assiduum Ministerium, quod eis exhibetur, necnon expensas, quas Communitatibus occasione Capitulorum Provincialium afferunt, ac exemptionem a Choro, aliasque prærogativas, quibus fruuntur, Provinciis ipsius Ordinis valde onerosi existant, & licet certus ejusmodi Magistrorum & Graduatorum pro unaquaque Provincia numerus per Capitula generalia dicti Ordinis, ad petitionem ipsarum Provinciarum, quæ propriarum virium conciæ ita ordinari desideraverant, stabilitus reperiatur, cum expressa prohibitione, ne eædem Provinciæ alios petere valeant, neve hujusmodi numerus unquam excedatur, nisi in casu quo Magister Generalis Ordinis prædicti pro tempore existens ex aliqua urgente causa aliter disponeret: nihilominus Magistrorum, aliorumque Graduatorum hujusmodi multitudo in dicto Ordine absque ulla urgenti causa per nimiam præteritorum Magistrorum Generalium ipsius Ordinis facilitatem, atque indulgentiam adeo excreverit, ut Provinciis prædictis intolerabilis existat, & quod pejus est, inter eos nonnulli reperiantur ad magisterium, aliosque gradus promoti, qui officia per Constitutiones Ordinis præfati ad id præscripta non exercuerunt, sed cum quibus perinde ac si officia hujusmodi exercuissent dispensatum fuit.

Numerus Magistrorum, aliorumque Graduatorum fuit in Capitulis Generalibus unicuique Provinciæ præscriptus.

Magistro Generali facta fuit potestas eligendi supranumerarios.

Hinc nimium auctus Graduatorum numerus.

§. 2. Hinc est, quod Nos ejusdem Ordinis, illiusque Provinciarum levamento, & commodis, prosperoque, & felici regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur providere, regularisque disciplinæ vigorem tueri, & sicubi collapsus sit, restituere cupientes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Magistros, aliosque Graduatos dicti Ordinis ad numerum per Capitula generalia pro unaquaque Provincia respective stabilitum, ut præfertur, itaut in eo numero in singulis Provinciis hujusmodi respective connumerati remaneant; antiquiores tamen, qui functiones, & munera per Constitutiones, & Capitula generalia hujusmodi præscripta realiter, & cum effectu exercuisse reperiuntur, sine ullo tamen præjudicio illorum, qui a Sede Apostolica immediate promoti sunt, quos suis prærogativis supra numerum hujusmodi gaudere volumus, tenore præsentium reducimus.

Reducuntur Magistri, aliique Graduati ad numerum in unaquaque Provincia a Capitulis Generalibus stabilitum.

Excipiuntur supernumerarii a S. Sede promoti.

§. 3. Porro circa supranumerarios a præfatis Magistris Generalibus promotos, harum serie mandamus dilecto filio moderno Magistro Generali dicti Ordinis, ut adhibito maturo Religiosorum gravium consilio, illorum qualitates, & sufficientiam examinet, & quatenus eos habiles, ac omnia officia per dictas Constitutiones præscripta exercuisse repererit, illos titulo tantum gaudere faciat, quousque secuta vacatione juxta ordinem antiquitatis gradus suscepti ad fruitionem integrarum prærogativarum subintrent: Si vero eos inhabiles, aut munera, seu officia a memoratis Constitutionibus requisita non exercuisse compererit, illos Magisterio, aliove gradu quem obtinent omnino privatos declaret, donec, & quousque studiosis laboribus meritum hujusmodi gradum respective sibi comparasse reperiantur.

Alii vero examini subjiciendi, & merentes reperti statim titulo, ac postea data occasione etiam prærogativis Graduatorum fruantur.

§. 4. Præterea ad evitandum in futurum Provinciarum, & Communitatum hujusmodi gravamen, præfato moderno, & futuris dicti Ordinis Magistris Generalibus in virtute sanctæ Obedientiæ prohibemus, & interdicimus, ne de cætero Magisterii, aliosve gradus supra numerum sicut præmittitur præscriptum conferre, nec ullam cujusvis generis exemptionem concedere audeant quovis modo, seu præsumant illis Fratribus, qui realiter, & cum effectu laudabiliter non exercuerint illa officia, & non supportaverint illa onera, quæ juxta Constitutionis Ordinis præfati ad obtinendos gradus, & exemptiones hujusmodi respective necessario præcedere debent.

Prohibetur ne Magistri Generales in posterum supernumerarios instituant, nec exemptionem eis concedant, quibus Constit. Ord. non suffragantur.

§. 5. Cæterum quia (sicut pariter accepimus) plurimi in Ordine prædicto reperiuntur Fratres, qui vigore gratiarum specialium a Magistris Generalibus supradictis concessarum, exemptionibus a choro, ac prærogativis loci Baccalaureorum, & vocis in Capitulis Provincialibus contra formam Constitutionum, & Capitulorum Generalium præfatorum fruuntur, in gravissimum dictarum Communitatum, nonnullorumque Fratrum privatorum præjudicium:

Quamplurimæ tribuuntur speciales gratiæ a Magistris Generalibus contra Capitula Generalia, & Constit. Ordinis.

§. 6. Nos opportunum his quoque abusibus remedium adhibere, & ne in futurum suboriantur, providere volentes, omnes, & singulas gratias speciales hujusmodi motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac in futurum dispositiones Constitutionum, & Capitulorum generalium hujusmodi inviolabiliter observari præcipimus.

Revocantur hujusmodi speciales Gratiæ, & omnino standum decernitur dispositionibus Constit. & Capitulorum Generalium.

Clausulæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, quod cum quorumdam perpetuorum cum cura, & sine cura Beneficiorum Ecclesiasticorum intra limites Jurisdictionis Monasterii Abbatiæ nuncupati S. Rufilli Terræ Foripompilii nullius Diœcesis Provinciæ Ravennaten. eidem Basilicæ Apostolica auctoritate perpetuo, ut asseritur, uniti consistentium, dum pro tempore vacant, collatio, cessantibus tamen reservationibus, & affectionibus Apostolicis, canonice spectet ad Capitulum, & Canonicos ipsius Basilicæ pro tempore existentes, qui illa turnatim per hebdomadas conferre consueverunt: ipsi Exponentes die 22. Novembris proxime præteriti Capitulariter Congregati, ut subditorum dicti Monasterii commodis consulerent, eosque ad clericalium virtutum, atque ministeriorum studia propositis præmiis incitarent, decreverunt, ut Beneficia hujusmodi imposterum per hebdomadarios Clericis Monasterio prædicto, sive illius Jurisdictioni subditis quando reperirentur idonei, exclusis exteris, conferrentur, & alias prout plenius continetur in eorum Decreto Capitulari desuper emanato, tenoris, qui sequitur, videlicet. Fidem facio per præsentes Ego Notarius publicus, & ad curam Archivii Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe deputatus infrascriptus qualiter in libro Decretorum Capitularium ejusdem sacrosanctæ Basilicæ fol. 90. inter cætera legitur, ut infra videlicet -- Die 22. Novembris 1677. fuit Capitulum, & interfuerunt RR. DD. Josephus Maria Suaresius Episcopus olim Vasionen. Vicarius, Nestor Rita Archiepiscopus Sebasten., Franciscus Maria Scottus, Thomas Vanninus, Joannes Vincentius Arata, Alexander Casalius, Ludovicus Lensius, Bonamens de Augustinis, Marius Columna, Michael Angelus Zacharia, Leonardus Marsilius, Julius Riccius, & Marcus Antonius Mariscottus omnes Canonici supradictæ Sacrosanctæ Basilicæ capitulariter congregati decreverunt, quod quæcumque beneficia curata, & non curata vacantia in Abbatia S. Rufilli Foro Pompilien. conferantur imposterum per DD. Hebdomadarios illis de eadem Diœcesi, quando reperiantur idonei, exclusis exteris, unde iidem de Diœcesi gaudeant in Clericatu profecisse, & inde servitium Ecclesiæ, & decus Abbatiæ augeantur. In quorum &c. Dat. hac die 13. Januar. 1678. Ita est Josephus Balduinus Presb. Rom. pub. Apostolica auctoritate Notarius, & ad curam Archivii Secretariæ Basilicæ S. Petri deputatus.

Collatio beneficiorum Abbatiæ S. Rufilli spectat ad Capitulum S. Petri de Urbe.

Causa Decreti Capitularis.

Decretum, quo statutum fuit, ut beneficia d. abbatiæ conferrentur per Hebdomadarios Clericis ejus Subditis, si essent idonei.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dilectus filius noster Carolus Barberinus S. R. E. Cardinalis Carolus nuncupatus dictæ Basilicæ Archipresbyter non solum Decreto hujusmodi consenserit, sed etiam dictis Exponentibus significaverit gratum sibi fore si etiam ipsius nomine confirmatio ejusdem Decreti a Nobis, & hac Sancta Sede obtineretur: Nobis propterea

Preces Archipresbyteri, & Capituli.

ipsi

ipsi Exponentes etiam ejusdem Caroli Cardinalis, & Archipresbyteri nomine, humiliter supplicari fecerunt, ut pro Decreti hujusmodi in Divini Servitii incrementum vergentis perpetua firmitate, & ne unquam ab ullis Capitularium tam præsentium, quam futurorum illius observantia, sub prætextu quod illi non ligentur, seu quod illi non consenserint, aut ex alio quocumque titulo, & capite, etiam validitatem, & justitiam ipsius Decreti concernente, in controversiam vocari possit, opportune sibi in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatur prædictum decretum.

§. 2. Nos igitur Carolum Cardinalem, & Archipresbyterum, ac Exponentes præfatos specialis favore gratiæ prosequi volentes, ipsorumque exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum Capitulare præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, ipsumque Decretum a præfatis modernis, & pro tempore existentibus Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis Basilicæ prædictæ, eorumque singulis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari debere.

Clausulæ.

§. 3. Præsentes vero literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Basilicæ, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Februarii MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXII.

Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis S. Antonii Viennen. in festis SS. Antonii Abbatis, S. Augustini, & S. Monicæ.

Dat. 25. Febr. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CŒlestium munerum Thesauros, quorum Dispensatores Nos esse voluit Altissimus, cum ad Christianæ pietatis incrementum, & animarum Christi fidelium salutem profuturos speramus, libenter elargimur.

Preces Abbatis Generalis.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Ordin. S. Antonii de S. Antonio Viennen. sub regula S. Augustini nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis hujusmodi hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in Sancti Antonii Abbatis, ac S. Augustini, & S. Monicæ festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis Annis devote visitaverint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio d. Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Februarii MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXIII.

Transfertur Indulgentia Plenaria Perpetua in alium diem pro Ecclesiis Fratrum, & Monialium Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Etruria.

Dat. 4. Mart. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Valvasorius Vicarius Generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod alias fel. rec. Clemens Papa Decimus prædecessor noster, supplicationibus Venerabilis Fratris Josephi Eusanii Episcopi Porphyriensis Sacrarii Nostri Apostolici, tunc sui Præfecti, nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus; Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui missæ solemni in quacumque Ecclesia, tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti quotannis die vigesima Octobris, qua officium de Nomine Beatæ Mariæ Virginis, cum lectionibus, & officio in Toletana Diœcesi die decimaseptima Septembris recitari solitis ab omnibus tam Fratribus, quam Monialibus ejusdem Ordinis in universo Orbe existentibus recitari consuevit, celebrandæ interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sub certis modo, & forma tunc expressis, in perpetuum concessit, & alias, prout ipsius Clementis prædecessoris literis in simili forma Brevis die sexta Augusti 1672. desuper expeditis, quorum tenorem præsentibus pro sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

Concessa fuit a Clemen. X. Indulgentia plenaria omnibus adstantibus Missæ solemni in Ecclesiis tam fratrum, quam Monialium Ordinis Eremit. S. Augustini die 20. Oct.

Causa translationis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in omnibus Ecclesiis tam Fratrum,

quam Monialium, ac etiam sæcularium Clericorum in tota Etruria existentibus, Officium prædictum de Nomine Beatæ Mariæ Virginis, Dominica prima post Octavam Festivitatis Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, ex concessione, seu Indulto Apostolico, recitari soleat, ac propterea dictus Dominicus Vicarius Generalis Indulgentiam prædictam, quoad Ecclesias Fratrum, & Monialium Ordinis prædicti in Etruria consistentes, ad dictam Dominicam transferri plurimum desideret:

Preces Vicarii Generalis.

§. 2. Nos supplicationibus ejusdem Dominici Vicarii Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Indulgentiam plenariam prædictam, a die 20. Octobris, ad primam Dominicam post octavam festivitatis Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, itaut Christi fideles, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, dictæ Missæ solemni Dominica prædicta, in quacumque Ecclesia tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti in Etruria existen. celebrandæ, interfuerint, & ut supra oraverint, eamdem indulgentiam consequantur quam consequerentur, si Missæ hujusmodi dicta die 20. Octobris interessent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, servata tamen in reliquis prædictarum Clementis prædecessoris literarum forma, & dispositione, perpetuo transferimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transfertur Indulgentia ad primam Dominicam post octavam Nativitatis B. M. V. in Ecclesiis d. Ordinis in Etruria.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Martii MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXIV.

Supprimitur Collegium Secretariorum Apostolicorum a Callixto III. aliisque Romanis Pontificibus institutum.

Dat. 1. Aprilis 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI

Procemium.

Romanus Pontifex ex debito Pastoralis officii illi divinitus injuncti, non solum ad ea, quæ Universi Christiani Gregis animarum salutem respiciunt; verum etiam, quæ ad Sedis, & Cameræ Apostolicæ, cui diversa onera incumbunt necessitatibus jugiter imminentibus, indemnitatem pariter, & sublevamen pertinere noscuntur, vigilantiæ suæ aciem dirigens, ea, quæ certis suadentibus causis per suos prædecessores in erectione officiorum Romanæ Curiæ fuerunt ordinata, & instituta, interdum ex aliis non minus rationabilibus causis immutare, & quandoque ad pristinum statum reducere, aut etiam in totum supprimere consuevit, prout rebus diligenter, & mature discussis, & examinatis, ac rerum necessitas, & temporum vicissitudo requirunt, sicque conspicit in Domino salubriter expedire.

Ortus & progressus Collegii.

§. 1. Dudum siquidem consueverant ab antiquo tempore Romani Pontifices prædecessores nostri, ut promptos haberent viros industriosos quorum opera in magnis, & arduis Apostolicæ Sedis negotiis uti possent, ac etiam pro celeriori eorumdem negotiorum expeditione quamplures eligere, ac deputare Secretarios, quos fel. rec. Callixtus III., & Pius II. prædecessores nostri ex certis causis ad numerum sex reduxerunt; postmodum fel. rec. Innocentius VIII. similiter prædecessor noster, ut decori, & universitati ejusdem Sedis & Curiæ, ac faciliori, celeriori, diligentiori, & magis accuratæ expeditioni Brevium, aliarumque literarum Apostolicarum opportune consuleretur, ac etiam ut aliquibus tunc nimium urgentibus Cameræ Apostolicæ indigentiis occurreretur, decem, & octo alios elegit, seu assumpsit, ac deputavit, adeout insimul cum præfatis sex jam extantibus Collegium viginti quatuor Secretariorum constituerent, eidem Collegio, & Secretariis diversos annuos redditus, & emolumenta inter singulos Secretarios pro tempore existentes æquis portionibus dividenda, & distribuenda, assignando, & applicando, eosque etiam creando veros Palatii Apostolici Prælatos, ac familiares, & continuos Commensales, aliasque plures eis concedendo prærogativas, & præeminentias latius contentas in ejus Constitutione sub datum Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ Incarnationis 1487. pridie Kal. Januarii Pontificatus Anno Quarto.

§. 2. Et quoniam intuitu dictorum emolumentorum eidem Collegio applicatorum ab illo pro subventione dictarum urgentium necessitatum Cameræ, & Sedis Apostolicæ, fuerat persoluta summa sexaginta duorum millium, & quatuor centum florenorum, seu ducatorum auri de Camera, idcirco idem Innocentius prædecessor statuit, & decrevit, quod in eventum, in quem præfati Officii revocatio, aut alteratio sequeretur, restitui deberet integra dicta summa sexaginta duorum millium, & quatuor centum ducatorum de Camera, in quibus nullo modo imputari possent emolumenta interim percepta sibi reservata facultate alium deputandi in Secretarium domesticum, ut pariter latius in eadem Constitutione continetur; quia vero nonnulli cupiebant variis modis ad antecedens Officium Secretariatus ascendere, præter ejusdem Pontificis desiderium, ac voluntatem, quæ fuit, ut ad illud non admitterentur, nisi personæ qualificatæ tam ætate, quam doctrina, quemadmodum ipsum Officium requirit; idcirco idem Innocentius per alias ejus literas in forma Brevis sub datum Romæ apud S. Petrum prima Februarii 1488. anno pariter 4. statuit, quod nullus ad idem Officium assumatur, nisi prius ab eodem Collegio, prævio examine approbatus, & acceptatus fuerit, cui quidem Collegio alii Romani Pontifices successores, & similiter prædecessores nostri præfata privilegia, & prærogativas confirmarunt. Exortisque deinde aliquibus controversiis pro illarum compositione, & terminatione fel. rec. Pius V. itidem noster prædecessor per ejus motum proprium sub datum Romæ apud Sanctum Petrum pridie nonas Maii anno sexto quamplura ejusdem Collegii favore statuit, & decrevit præsertim, ut hæc Officia nullo unquam tempore per Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui possent, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integre, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit. Demum vero aliis exortis controversiis inter idem Collegium, & præfatum Secretarium domesticum fel. rec. Sixtus V. prævia narrativa quod in dicto Collegio virtutibus, experientia, ac usu rerum, & negotiorum ad Romanam Curiam confluentium, ad dictum Officium pertinentium insignes viri connumerabantur, præfatum Secretarii domestici Officium suppressit, & extinxit, illudque Collegio univit, & incorporavit cum ejus emolumentis, quorum intuitu ab eodem Collegio soluta fuerunt nostræ Cameræ Apostolicæ scut. viginti quinque mille auri in auro, plura desuper statuendo, atque plures etiam prærogativas hujusmodi Secretariis concedendo, & præsertim, quod essent Prælati utriusque Signaturæ Referendarii, atque locum in Pontificia Cappella haberent, ut latius continetur in ejusdem Sixti literis in forma Brevis sub Datum Romæ apud S. Petrum 1. Aprilis 1586. ejus Pontificatus anno Primo.

Ejus privilegia.

§. 3. Collegium vero præfatum pro congerendo summam scut. viginti quinque millium auri, seu illius valorem ad effectum illam solven-

Item oner

di Ca-

di Cameræ prædictæ ex causa d. applicationis, & assignationis emolumentorum dicti Secretarii domestici, vigore licentiæ, & facultatis per eumdem Sixtum concessæ, & de qua in ipsius literis in forma Brevis expeditis sub die 17. Februarii dicti anni 1586., erexit unum montem super proprietate, & grossa, seu massa ejusdem Collegii cum obligatione, ac promissione illum infra sexennium extinguendi; & amplius cum idem Collegium ab eodem Sixto etiam obtinuerit similem suppressionem alterius Secretarii domestici Brevium, quæ Principibus scribuntur, & concessionem, ac assignationem illius emolumentorum ad ejusdem Collegii favorem, & commodum, persolutis Cameræ nostræ scutis duodecim millibus auri de licentia, & facultate ejusdem Sixti erexit, seu auxit montem in summa dictorum scutorum duodecim millium auri, sexennio prædicto, ut infra quod dictus Pontifex primum montem extingui voluerat, ad aliud sexennium prorogato, itaut mons primo erectus, & respective auctus fuerit in ducentis septuaginta octo locis, ad rationem scutorum centum monetæ pro quolibet loco, & in aliis centum viginti locis ad rationem scutorum centum auri in auro pro quolibet locorum; ac postmodum vigore alterius facultatis, & licentiæ concessæ per fel. rec. Clementem IX. pariter nostrum prædecess., ad effectum extinguendi præfatum montem, erexit, ac constituit alterum novum montem locorum quadringentorum quinquaginta octo ad rationem pretii centum, & fructus annui scutorum quatuor monetæ Romanæ pro quolibet loco, adjecta tamen simili lege, præfatum novum montem infra duodecim annos, ab illius erectione computandos, extinguendi, prout latius in literis in forma Brevis dicti Clementis prædecessoris sub datum Romæ die 4. Januarii 1669., & respective Instrumento d. erectionis die 16. Maii dicti anni per Petrum Gentilem Catalanum, tunc dictæ nostræ Cameræ Notarium rogato, continetur.

Causæ ejus extinctionis.

§. 4. Cum autem inter quamplura ad utrumque spirituale, ac temporale regimen pertinentia, quorum notitiam, exactamque informationem initio nostri Pontificatus, ut par erat, habere curavimus, illa per Nos fuerit habita super hujusmodi Collegio Secretariorum, atque desuper deputata Congregatione particulari nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, cum interventu Ven. Fratris nostri Alderani S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati ab eadem Nobis relatum fuerit per Collegium præfatum nullatenus adimpleri eos fines, & effectus, pro quibus, ut præmissum est, erectum, & institutum, ac confirmatum fuit, dum negotiorum ei, ut supra demandatorum administratio, cura, & expeditio incumbunt, & respective exercentur, ac adimplentur per duos ejusdem Romanæ Curiæ Prælatos extra dictum Collegium per Romanum Pontificem pro tempore existentem deputari solitos, quorum unus *Secretarius Brevium*, *alter Secretarius Brevium ad Principes* nuncupat. adeout præfatum Collegium prorsus inutile, & superfluum evaserit, ac remaneat; e converso autem inter illud, ejusque Secretarios ex una ac dictam Cameram ex altera partibus, plures tam antiquo, quam moderno tempore controversiæ fuerint exortæ, itidemque hujusmodi Officia valde notabile eidem Cameræ præjudicium, & detrimentum afferre, & causare dignoscantur, proindeque omnino expediens, & opportunum sit, dictum Collegium, ejusque Officia supprimere, & extinguere, restituto possessoribus eorumdem Officiorum illo pretio, quod restituendum esse justitiæ ratio exigit, atque requirit; proptereaque eidem Congregationi, aliisque Prælatis per Nos additis, ac deputatis injunximus, ac demandavimus, ut discutere, & examinare, Nobisque postmodum referre deberent quidnam juxta prædictæ justitiæ limites, & rationem, ut unicuique quod suum est, & debetur, tribuatur, restituendum sit; cumque insimul cum dicto Venerabili Fratre nostro Alderano, pluries congregati partibus interesse habentibus etiam auditis, non fuerint unanimes, & concordes in eorum suffragiis, & votis, itaut totalis conclusio, & resolutio valde differri possit in magnum, ac evidens præjudicium, ac detrimentum dictæ nostræ Cameræ, ac jam cessantibus rationibus, & causis, ut supra existentiæ, & perseverantiæ ejusdem Collegii, sicque nullo modo justum, & rationabile sit, ut incerti, ac illiquidi pretii restitutio ipsius jam conclusæ, & determinatæ suppressionis, & extinctionis substantiam, ac effectum impediat, decrevimus exinde ad easdem suppressionem, & extinctionem devenire, demandata pro nunc restitutione prompte, ac statim facienda illarum pecuniarum, quas constiterit Nostræ Cameræ præfatæ, ex causa singulorum Officiorum hujusmodi persolutas vere, & realiter fuisse, ad ejusque manus, sive ejus officialium pervenisse; cognitionem vero, ac terminationem, an, & quid etiam ultra prædictas pecunias legitime, & ad ejusdem justitiæ limites, & rationem restituendum, seu persolvendum sit nostro Thesaurario Generali de voto nostræ Rotæ, ut ita ob peculiarem hujusmodi Tribunalis stylum, & onus edendi, & promulgandi Decisiones omnibus causæ, ac rationes justitiæ, & resolutionum pateant, omni appellatione remota, & alias prout infra committere, & mandare &c.

§. 5. Nos igitur præmissa attendentes ex causis prædictis, & aliis animum nostrum moventibus cum opportuno remedio, ut supra, providere volentes, ac literas Apostolicas erectionis Collegii Secretariorum hujusmodi, aliarumque quarumvis concessionum, gratiarum, & prærogativarum illis a prædictis, & quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris desuper quomodolibet emanatarum, etiamsi specialem, & individuam mentionem requirerent totos, & integros tenores præsentibus pro expressis, & insertis haben. Motu simili, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine Collegium præfatum, ac omnia, & singula dilectorum filiorum Secretariorum hujusmodi Officia per quoslibet quantumvis expressa, & speciali nota dignos possessa, etiam illa tria, quæ in perpetuum concessa, atque assignata fuerunt; unum videlicet per Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, & aliud per S. Spiritus in Saxia Hospitalia, sive illorum pro tempore existentes Officiales, & Administratores, atque reliquum Officia hujusmodi per Capitulum, & Canonicos sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Eustachii de Urbe dilectos filios respective possessa, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo supprimimus, extinguimus, & abolemus, una cum illorum Collegii Juribus, prærogativis, & privilegiis, adeout simile Collegium Secretariorum hujusmodi omnino cesset, & amplius in rerum natura non existat. Omnia vero eorumdem Officiorum Secretariorum, & Collegii hujusmodi per præsentes suppressorum emolumenta, jura, obventiones, & alios quoscumque proventus, quæ, & quos volumus, & intendimus semper salva, & illæsa, & salvos, & illæsos remanere ad commodum Sedis Apostolicæ, adeout ab iis, qui hactenus illa, & illos solverunt, adhuc debeantur, & solvantur, nihilque penitus censeatur ac sit quoad illa, & illos innovatum perinde, ac si præsens motus proprius minime emanasset, & non alias &c. ab hodie pleno jure nil penitus excepto Cameræ nostræ prædictæ appropriamus, applicamus, & incorporamus, ac

Collegium supprimitur, & penitus extinguitur.

Omnia illius emolumenta adscribuntur Rev. Cameræ Apost.

pro

pro appropriatis, applicatis, & incorporatis haberi volumus.

Præcipitur, ut reddatur Officialibus pecunia Rever. Cam., vel Datariæ soluta, & si quid aliud eis, vel aliis debeatur.

§. 6. Et insuper per præsentes statuimus, & mandamus omnes illas pecunias prompte, ac statim restitui, seu persolvi per dictam nostram Cameram, quas dicto Thesaurario nostro legitime constiterit vere, & realiter, & cum effectu per ipsorum Officiorum nunc suppressorum titulares, seu possessores, sive eorum auctores, aut illos, quibus facultas disponendi de prædictis Officiis, seu eorum aliquo in toto vel parte Apostolica auctoritate prædicta concessa fuerit, eidem Cameræ, sive Datariæ Apostolicæ, illarumque Ministris, & Officialibus tam in causam, & sub nomine pretii, quam pro expeditione fuisse solutas, adeo ut ne quidem in nihilo respectu earundem pecuniarum Cameræ, seu Datariæ hujusmodi solutarum de proprio damnificati remaneant, & donec receperint, ad eorum creditum, & liberam dispositionem penes Nostrum Montem Pietatis de Urbe describi debere decernimus. Volumus quoque, & mandamus, ut dictus modernus noster, & pro tempore existens, Thesaurarius Generalis de voto nostræ Rotæ ut supra, omnibus illius Auditoribus suffragium præstantibus, ac ferentibus super præfatis articulis, scilicet, an, & quid etiam ultra dictas pecunias respectu omnium possessorum eorumdem Officiorum, & interesse habentium restituendum, & persolvendum sit, aliisque incidentibus, emergentibus, annexis, connexis, & dependentibus, totoque negotio, citato, & audito dictæ nostræ Cameræ Commissario Generali audiat, cognoscat, & justitiam faciat, & administret, omni appellatione, restitutione in integrum, recursu, & reclamatione penitus remotis, atque sublatis. Et quia etiam dubitari continget, an per hujusmodi suppressionem, ac abolitionem Collegii præfati onus prædictæ extinctionis dicti novi Montis per idem Collegium ut supra, ultimo loco erecti, & solutionis illius fructuum usque ad actualem, & effectivam ejusdem Montis extinctionem remaneat & sit penes ipsos Secretarios ejusdem Collegii; ideo pro potiori cautela tam dictæ nostræ Cameræ, quam ipsius Collegii, ejusque Secretariorum per præsentes suppressorum declaramus, & decernimus, per suppressionem, & abolitionem hujusmodi neutri partium, nostræque Cameræ ullum præjudicium, neque minimum inferri, nec illatum fore, juraque utriusque, etiam quoad repetitionem soluti integra, & in totum reservata esse, prout reservamus, illaque experiri posse, ac dicto Thesaurario nostro Generali, qui etiam in hujusmodi articulo de voto dictæ nostræ Rotæ procedat, audiat, & cognoscat, ac justitiam faciat, appellatione remota, & in omnibus, & per omnia, ut supra, quoad alios articulos decrevimus, & mandavimus. Interim vero, ne Montistæ dicti Montis solutione, & consecutione debita fructuum locorum Montium ad singulos spectan., & pertinen., suis loco, & tempore privati remaneant, volumus, & decernimus pro nunc, & per modum provisionis, & sine præjudicio jurium ut supra, per dictum nostrum Thesaurarium illos persolvi fieri de emolumentis, & proventibus ejusdem Collegii dictæ nostræ Cameræ, ut supra, applicatis, & appropriatis. Cæterum, quia, ut præmisimus, inter possessores dictorum Officiorum adsunt præfata loca pia, nempe Capitulum Ecclesiæ Sancti Eustachii, & Hospitale S. Spiritus in Saxia, quæ eadem Officia in perpetuum ex causa onerosa, & correspectiva Apostolica auctoritate obtinent, ideo præcipimus, & mandamus eidem nostro Thesaurario, quod præfato Sancti Eustachii Capitulo, ejusque Canonicis persolvi faciat ad effectum reinvestiendi illud pretium, quod in casum suppressionis, vel extinctionis conventum fuit restitui, & persolvi debere, idemque pretium, & in eadem summa persolvi pariter, ac restitui dicto Hospitali S. Spiritus, salvis utriusque juribus coram eodem nostro Thesaurario de eodem voto Rotæ cognoscendis, & decidendis, quoad illud plus, seu aliam majorem summam, quod, seu quam persolvi, & restitui debere pro eorum parte prætendatur. Quo vero ad prædictum aliud Hospitale S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, quod ex gratia Sedis Apostolicæ aliud simile Officium, ut supra obtinet, per modum provisionis, & donec per eumdem Thesaurarium de eodem voto, ut supra, decidatur, & terminetur an, & quod restituendum, seu persolvendum sit, & nostra liberalitate, & munificentia, ac pauperum infirmorum subventione, ex eadem massa, seu grossa dictorum emolumentorum, & proventuum singulis mensibus summam per Nos in speciali ordine, & mandato declarandam præstari, ac persolvi jubemus, volumus.

Clausulæ.

§. 7. Præsentes quoque etiam ex eo, quod singuli nominati prædicti præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis, etiam quantumvis magno, & inexcogitato, & substantiali defectu, etiam ex quo super præmissis solemnitates, & alia quævis servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta minime fuerint, aut ex alio quolibet capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis prædictorum, specialiter, ac individue exprimenda foret, aut, quod de voluntate nostra hujusmodi, vel aliis superius expressis, seu illatis nihil ullibi apparente, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, Gratiæ, seu Justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu, & potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, aut concesso quempiam uti, seu se juvari in judicio, & extra posse; neque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non alias in præmissis per quoscumque Judices, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate earundem tenore præsentium decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obstantibus præfatorum fel. record. Callixti III., Pii II., Innoc. VIII., Pii V., Sixti itidem V., Gregorii XV., ac Clementis IX., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Indultis, privilegiis supradicto Collegio, illiusque singula-

ribus perſonis quomodolibet conceſſis, necnon piæ mem. Pii Papæ IV., etiam prædeceſſoris noſtri gratias, Cameram prædictam concernentes in eadem Camera omnino regiſtrari debere diſponen., ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conſiſtorialibus deſuper in genere, vel in ſpecie editis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & quibuſcumque, etiam quantumvis efficaciſſimis clauſulis, & Decretis, etiam irritantibus roboratis, ac alias in contrarium prædictorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac ſuperius innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, ac derogatum eſſe volumus, & decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 9. Et quod ſingulorum officiorum prædictorum conceſſionum, & titulorum tenores, etiam veriores, ac earum dat. habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in literis, & de perpetuis, ſuppreſſione, abolitione, extinctione, reſtitutione, applicatione, incorporatione, conceſſione, voluntate, & ſingulis Decretis, derogatione, aliiſque præmiſſis, quæ hic pro ſufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut ſupra in literis, & cum clauſula ad perpetuam rei memoriam latiſſime extenden., & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum etiam denominat., qualitat., nuncupat., innovat., aliorumque neceſſariorum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in literis. Volumus autem, quod ſola Motus proprii noſtri hujuſmodi Signatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra illud quacumque clauſula contraria, & cæteris quibuſcumque, ut ſupra non obſtantibus, ſeu ſi videbitur per Breve noſtrum, ſeu Officium de Curia expediri poſſint.

Reſtitutio ſoluti pretii nonnullis facienda non eſt.

§. 10. Per præſentes vero non intendimus ſub præmiſſa pretii reſtitutione Officiorum hujuſmodi, poſſeſſoribus libere facienda, comprehendi illum, ſeu illos, qui ratione gravis ætatis juxta noſtræ Datariæ ſtylum, & obſervantiam ad Officii reſignationem admittendi minime eſſent, cui, vel quibus remaneant ſalva eorum jura, pariter a præfato Theſaurario de voto Rotæ examinanda, & decidenda.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kal. Aprilis 1678. Anno Secundo.

XXXV.

Confirmantur Confraternitates omnes ſub titulo Nominis Dei in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum duntaxat exiſtentes, etſi de earum Canonica erectione non conſtet.

Dat. 18. April. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Huic Confraternitati conceſſæ fuerunt nonnullæ Indulgentiæ a Pio IV.

CUM dudum fel. rec. Pius Papa IV. Prædeceſſor noſter Confraternitati ſub vocabulo Nominis Jeſu inſtitutæ, & ubivis terrarum, & locorum, tunc & pro tempore diffuſæ utriuſque ſexus Confratribus in illa, tunc, & pro tempore deſcriptis ubilibet conſtitutis, ſive ſub ejuſdem Confraternitatis regula prius edita, ſive ſub alia ſimili comprehenderentur, certa tunc expreſſa pietatis opera peragentibus nonnullas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, nec non alias gratias, facultates, & privilegia conceſſerit: Et ſubinde accepto per rec. mem. Pium Papam Quintum Prædeceſſorem noſtrum, quod licet Societas Nominis Dei, ſive juramentorum, originem, & ortum habuiſſet ab Ordine Fratrum Prædicatorum, & quod ab ejuſdem Ordinis profeſſoribus fuiſſet inſtituta, & aucta, necnon interventu Fratrum dicti Ordinis, multæ Indulgentiæ, aliaque privilegia, & favores dictæ Societati ab Apoſtolica Sede fuiſſent conceſſa; tamen multi Clerici, & Parochi in ſuis Eccleſiis dictam Societatem erigere ſtudebant, itaut aliquando eſſent plures in eadem Civitate Societates, ſeu Confraternitates dictæ invocationis Nominis Dei, & juramentorum, in diminutionem obſervantiæ, & devotionis, quæ ex frequentia convenientium oriri ſolebat, & non ſine aliqua confuſione, quæ ob prædictam cauſam in die Circumciſionis Domini, quando feſtum prædictæ Societatis, ſeu Confraternitatis celebrari debebat, accidere conſueverat; Idem Pius Quintus prædeceſſor noſter motu proprio non ad alicujus ſibi ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia ſua, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod in Civitate, Oppidis, & Locis totius orbis Chriſtiani, in quibus eſſent Eccleſiæ Ordinis Prædicatorum, ibi tantum, vel hujuſmodi Civitatibus, Oppidis, & Locis, & in dictis Eccleſiis Ordinis Prædicatorum dumtaxat dicta Societas, ſeu Confraternitas erigi poſſet, nec deinceps nova Societas, ſeu Confraternitas hujuſmodi inſtitueretur in Civitatibus, Oppidis, aut Locis, in quibus non eſſet dicti Ordinis domus, aut in finitimis Eccleſiis, abſque licentia Prioris Provincialis, ſeu Conventualis dicti Ordinis, in cujus diſtrictu ſita eſſet Eccleſia, in qua dicta Confraternitas, ſeu Societas erat, vel foret erigenda; quod ſi ſecus factum fuiſſet Confratres taliter admiſſi dictæ Confraternitatis, ſeu Societatis Indulgentias non conſequerentur, nec favoribus, aut privilegiis gauderent, quæ Confratribus legitime ſcriptis per Sedem prædictam concedebantur perpetuo ſtatuerit, & ordinaverit, ac etiam diſtrictius inhibuerit, ſicque voluerit, & præceperit, & alias prout in eorundem Pii Quarti, & Pii V. Prædeceſſorum literis deſuper expeditis uberius dicitur contineri. Ac poſtmodum piæ mem. Gregorius Papa Decimus tertius prædeceſſor pariter noſter prædictas Pii Quarti, & Pii Quinti prædeceſſorum literas confirmaverit, & approbaverit, aliaſque indulgentias Confratribus dictæ Confraternitatis elargitus fuerit, prout in diverſis ipſius Gregorii prædeceſſoris literis deſuper emanatis etiam dicitur plenius contineri: Sed ſucceſſive ſimilis rec. Paulus Papa Quintus etiam prædeceſſor noſter, qui certas unicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus de cetero frueretur duxerat præſcribendas, revocatis, & annullatis, ac nullius roboris & momenti in poſterum fore declaratis omnibus, & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus Confraternitati Sanctiſſimi Nominis Dei, in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum canonice inſtitutæ, & illius Confratribus, & Conſororibus eatenus per quoſcumque Romanos Pontifices ejus prædeceſſores conceſſit, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus hanc Confraternitatem de cetero ingreſſuris, ac tam ipſis de tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, qui

Statutum fuit a Pio V. ut in ſolis Eccleſiis Fratrum Prædicatorum, in aliis vero cum eorum permiſſione dicta Confraternitas erigi poſſet.

Literæ Pii IV. & V. confirmatæ fuerunt a Greg. XIII. & indulgentiæ auctæ.

Quibus omnibus revocatis a Paulo V. aliæque ab eodem conceſſæ fuerunt.

certa

certa tunc præſcripta pietatis opera peragerent, certas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes in perpetuum conceſſerit. Nec non Magiſtro Generali dicti Ordinis Prædicatorum, & illo abſente ejus Vicario in Urbe commoranti, ut Confraternitates extra Urbem prædictam ubique locorum erigere, & inſtituere, illiſque omnes Indulgentias, & gratias ſpirituales, in ipſius Pauli prædeceſſoris literis deſuper emanatis expreſſas ſervata forma tradita in Conſtitutione ſimilis mem. Clementis Papæ Octavi prædeceſſoris pariter noſtri ſuper Confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus edita communicare libere, & licite valeret, auctoritate Apoſtolica facultatem conceſſerit, & impertitus fuerit; ac inſuper ipſe Paulus prædeceſſor, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in aliqua ex Confraternitatibus in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum canonice inſtitutis dumtaxat tunc deſcriptis, & pro tempore deſcribendis vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui proceſſioni ſecunda Dominica cujuſlibet menſis per dictas Confraternitates celebrari ſolitæ devote interfuiſſent, & pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, ac Chriſtianorum Principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino elargitus fuerit; & ſubinde illis non ſolum in ſecunda hujuſmodi, ſed in una ex aliis menſis Dominica, juxta locorum conſuetudinem proceſſionem prædictam celebrantibus, illiſque intereſſentibus, plenariam indulgentiam, & remiſſionem hujuſmodi, ut præfertur, in ſecunda Dominica conceſſam ſuffragari voluerit, ipſiſque denuo, quatenus opus eſſet miſericorditer in Domino, ſervata in reliquis prioris conceſſionis forma conceſſerit, & alias prout in terminis ipſius Pauli prædeceſſoris literis die trigeſima prima Octobris 1606. ac die vigeſima octava Septembris 1612., & die prima Aprilis 1613. reſpective in ſimili forma Brevis deſuper expeditis, quarum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur.

De canonica ab initio erectione nonnullarum Confraternitatum ſub invocatione Nominis Dei non conſtat.

§. 1. Verum ſicut pro parte dilecti filii Magiſtri Generalis dicti Ordinis nobis nuper expoſitum fuit, multæ in Eccleſiis ejuſdem Ordinis Confraternitates ſub titulo, ſeu invocatione Nominis Dei, ſive ante, ſive per emanatam prædictam Clementis prædeceſſoris Conſtitutionem inſtitutæ, ſeu introductæ reperiantur, quarum quidem Confratres, & Conſorores ſolitas ejuſmodi Confraternitatum functiones, multaque pietatis, & Chriſtianæ charitatis opera exercere conſueverunt, ſed de illarum canonica ab initio erectione, & inſtitutione non conſtat, & licet in Capitulo Generali Ordinis prædicti, quod anno 1600. Neapoli celebratum fuit, declaratum fuerit, quod in omnibus Eccleſiis ejuſdem Ordinis, in quibus Fratres ipſius Ordinis officia, vel miſſas ordinarie celebrabant, erectæ intelligerentur, & inſtitutæ Societates Sanctiſſimi Nominis Dei, non tamen appareat tunc temporis eidem Capitulo, vel antea Superioribus, vel Fratribus dicti Ordinis ejuſmodi Confraternitates erigendi facultatem a Sede Apoſtolica conceſſam fuiſſe: nec dictæ Confraternitates ante editam Clementis prædeceſſoris Conſtitutionem prædictam inſtitutæ, ſeu introductæ novas erectiones, & inſtitutiones intra tempus ab eadem Conſtitutione præſcriptum, & juxta illius formam obtinuerint; Quinimmo ut in illis quidem quæ poſt emanatam Conſtitutionem hujuſmodi erectæ, & inſtitutæ forſan fuerunt, ejuſdem Conſtitutionis formam in earum erectionibus, & inſtitutionibus, prout memoratus Paulus prædeceſſor ordinaverat, ſervatam fuiſſe appareat: Nobis propterea dictus Miniſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Magiſtri Generalis.

§. 2. Nos igitur ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; omnes, & ſingulas Confraternitates ſub titulo, ſeu invocatione Nominis Dei in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis dumtaxat ubicumque locorum de præſenti exiſtentes, tametſi de earum canonica ab initio erectione, & inſtitutione minime appareat, nec ipſæ Confraternitates novas erectiones, & inſtitutiones juxta formam ſupradictæ Conſtitutionis Clementis prædeceſſoris obtinuiſſe reperiantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & validamus, eaſque in ſtatu valido eſſe, & fore decernimus, & declamus, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi illas omnes, & ſingulas ab ipſo initio canonice erectas & inſtitutas fuiſſe, novaſque erectiones, & inſtitutiones ſuo tempore, juxta formam memoratæ Conſtitutionis Clementis prædeceſſoris obtinuiſſe conſtaret, & quatenus opus ſit, illas omnes, & ſingulas, ſervata tamen ceteroqui prædictarum Pauli prædeceſſoris literarum, ac conſtitutionum, ſeu decretorum hujus Sanctæ Sedis præſertim circa diſtantiam locorum in erectione Confraternitatum ſimilis inſtituti ſervandam emanatorum forma, & diſpoſitione, de novo erigimus, & inſtituimus. Ac ipſarum Confraternitatum ſic a nobis confirmatarum, & validatarum, & de novo reſpective erectarum Confratribus, & Conſororibus, ut omnibus, & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus a prædicto Paulo prædeceſſore per ternas ſuas literas ſupradictas conceſſis, non autem ullis aliis, ſervata tamen pariter earundem Pauli prædeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione, uti, frui, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus. Porro eidem Magiſtro Generali harum ſerie injungimus, ut tam præſentium, quam ternarum Pauli prædeceſſoris literarum prædictarum tranſumpta, ſeu exempla authentica ad ſingulas domos regulares dicti Ordinis in quarum Eccleſiis Confraternitates hujuſmodi exiſtunt, quantocitius fieri poterit tranſmitti illaque Confratribus, & Conſororibus ipſarum Confraternitatum notificari curet, ad hoc ut unuſquiſque illorum ſciat, quibus indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus ex hujus Sanctæ Sedis benignitate frui de cetero valeat. Ceterum in erectione, & inſtitutione ſimilium Confraternitatum, nec non indulgentiarum, & gratiarum communicatione illis per Magiſtrum Generalem Ordinis prædicti, & illo abſente per ejus Vicarium in Urbe prædicta commorantem de cetero, juxta facultatem a prædicto Paulo prædeceſſore, ſicut præmittitur conceſſam faciendis, formam in ſupradictam Clementis prædeceſſoris Conſtitutione præſcriptam adamuſſim ſervari volumus, alioquin erectiones, & inſtitutiones, ac indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium communicationes hujuſmodi nullius omnino ſint roboris, & momenti.

Prædictæ omnes Confraternitates in Eccleſiis Prædicat. erectæ confirmantur; dummodo ſervatæ fuerint literæ Pauli V. & decreta S. Sedis.

Mandatur, ut in novis erectionibus.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſor-

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad instar, nec non prædicta Clementis prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. April. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXVI. Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo statutum fuit, ut Commissarius Terræ Sanctæ Ord. Minorum S. Francisci Neapoli degens, si fuerit de Observantia in Conventu S. Mariæ Novæ; minime vero, in Altero SS. Trinitatis Reformatorum commoretur.

Dat. 25. Maji 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Ministri Provincialis Provinciæ Terræ Laboris fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Nobis exposito, quod cum dilectus etiam filius modernus Commissarius Terræ Sanctæ, qui est frater de Observantia dicti Ordinis in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Neapolitan. fratrum de Observantia dicti Ordinis, habitaret, ejusmodi autem fratrum de Observantia commoratio in Conventibus Fratrum Reformatorum maximis incommodis causam præberet, cum gravissimo regularis disciplinæ, ac instituti reformationis detrimento; ipse Minister Provincialis plurimum cupiebat a Nobis ordinari, ut præfatus Commissarius, una cum omnibus aliis Fratribus de Observantia, quos tanquam socios suos secum in supradicto Conventu Fratrum Reformatorum habet, inde migraret ad aliquem ex tribus Conventibus Fratrum de Observantia dictæ Civitatis Neapolitan., in quo futuri Commissarii, si essent Fratres de Observantia pariter habitare deberent, quando vero essent ex Fratribus Reformatis, vel Discalceatis Provinciæ S. Petri de Alcantara, in supradicto Conventu Fratrum Reformatorum commorarentur. Nos instantiam Nobis a dicto Ministro Provinciali super præmissis factam remisimus ad venerabilem fratrem nostrum Franciscum Episcopum Ostien. S. R. E. Cardinalem Barberinum nuncupatum Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem, qui desuper opportune provideret; unde idem Franciscus Episcopus Cardinalis, & Protector Decretum edidit, tenoris, qui sequitur, videlicet -- *Attentis expositis, auctoritate Nobis a SSmo D. N. attributa, illique inhærendo &c. Commissarium Terræ Sanctæ in Civitate Neapolis degentem, si fuerit de Observantia, assignamus de familia in Conventu S. Mariæ Novæ Fratrum similiter de Observantia; si autem fuerit ex Reformatione, vel ex Fratribus Discalceatis Hispaniæ, in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Reformatorum ejusdem Civitatis Neapolis Provinciæ Terræ Laboris; præcipientes per Sacram Obedientiam, & sub privatione actuum legitimorum, nec non sub aliis pœnis Nobis arbitrariis F. Joanni Andreæ de Lacumarvino ad præsens Commissario Terræ Sanctæ in Regno Neapolitano, quatenus una cum suis Sociis, aliisque Fratribus Ordinis de Observantia in prædicto Conventu Sanctissimæ Trinitatis Ordinis Reformatorum degen., ut continuo de eodem Conventu discedant, & ad supradictum Conventum Sanctæ Mariæ Novæ Ordinis Minorum Observantiæ ejusdem Civitatis se transferant, ibique in posterum commorentur. In quorum &c. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apostolicæ hac die 10. Maji 1678.* -- F. Cardinalis Barberinus Protector. -- *I. B. Archiepiscopus Januen. Secretarius.*

Decretum Card. Protectoris auctoritate à SSmo receptum editum.

Preces Ministri Provincialis Ordinis S. Francisci Reformat.

§. 1. Cum autem sicut Minister Provincialis prædictus Nobis subinde denuo exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Ministrum Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Francisco Episcopo Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, omniaque, & singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatur prædictum Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXV. Maji MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXVII. Committitur Episcopo Malacinano erectio Cænobii Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum in Civitate Malacæ secundum Constitutiones Apostolicas facienda.

Dat. 3. Sept. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Vener. Frater Salutem, & Apost. Benedictionem.

Causæ erigendi nova Cœnobia.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ferdinandus de Villadiego, & Peralta Frater expresse professus, & in Romana Curia Procurator Provinciæ Sancti Petri de Alcantara in Hispania Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci strictioris observantiæ sive Discalceatorum nuncupatorum, quod cum Fratres dictæ Provinciæ Deo in spiritu Evangelico servire, Regulam dicti Ordinis accurate servare, populos bono exemplo ædificare, omnemque operam pro spirituali Christi fidelium consolatione, atque utilitate impendere assidue satagant, ideo multi ex dictis populis novos Conventus instituti dictorum Fratrum Discalceatorum erigere cupiunt, dictaque Provincia ejusmodi Conventibus magnopere indiget, quippe quæ licet per tria Regna, Granatense scilicet, Murciæ, & Giennense dilatata sit, tredecim tamen dumtaxat Conventus habet, quorum aliqui cum ab aliis Conventibus longe distent, incommoda redditur Ministro Provinciali illorum visitatio, & Fratribus dum ab uno ad alium Conventum transferentur, non minus incommodum est tantum itineris pedibus juxta eorum Institutum peragere, quinimo nonnunquam extra proprios Conventus pernoctare coguntur, paremque incommoditatem sustinent illi Fratres, qui ad aliquas Terras distantes ab illis, ubi eorum Conventus positi sunt. Quibus omnibus incommodis remedium adhiberetur, si Provincia prædicta plures haberet Conventus; Verum licet magna sit illorum indigentia, & quorumdam populorum pietas novos Conventus hujusmodi dictæ Provinciæ offerat, ipsa tamen Provincia illos fundare nequit propter quasdam fel. record. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri literas in simili forma Brevis die 11. Julii 1601. ad instantiam Fratrum Minorum Provinciæ Carthaginen. Ordinis ejusdem Sancti Francisci de observantia nuncupatorum expeditas, quibus cavetur, ut Fratres Minores Discalceati Conventus eorum instituti inter spatium quatuor leucarum a Conventibus ipsius Provinciæ Carthaginen. fundare nequeant; quæ literæ a rec. mem. Alexandro Papa VII. prædecessore pariter nostro per suas pariter in forma Brevis die vigesima Octobris 1661. seu alio veriori tempore emanatas literas confirmatæ, & ad Provinciam Granaten. Fratrum Minorum itidem de Observantia dicti Ordinis contra Provincias Fratrum Discalceatorum ampliatæ fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, literæ præfatæ ad instantiam dictorum Fratrum de Observantia; non auditis Fratribus Discalceatis, emanaverint, idque facile factu fuerit, quia Procurator Generalis dicti Ordinis, qui in Romana Curia residet, semper est ex Fratribus de Observantia; nulla vero adsit ratio solido nixa fundamento, propter quam in magna Regnorum supradictorum parte impediri debeat propagatio Instituti dictorum Fratrum Discalceatorum, qui Regulam prædictam stricte servantes Dei gloriam, & Religionis decorem promovere semper studuerunt, populorumque ædificationi operam dederunt, & proinde dictus Ferdinandus Procurator plurimum cupiat præfatæ Provinciæ Sancti Petri de Alcantara indulgeri, ut non obstantibus literis supradictis, tres novos Conventus, unum scilicet in ista Civitate Malacitan. Regni Granaten., alterum in Oppido Civitate nuncupato de Baeza Regni Giennensis, & reliquum in Villa de Auxad ejusdem Regni Granaten. ad Montes Alpuxarras nuncupati, servatis tamen de jure servandis quoad reliqua, & accedente consensu illorum, quorum consensus accedere debet, erigere valeat; attento quod nullum exinde injustum præjudicium aliis Regularibus proventurum est, cum supradictæ duæ Civitates sint populo frequentissimæ, ac amplæ, & opulentæ, dictaque Villa paris sit conditionis, locorum vero Ordinarii, & alii, quorum consensus ad novorum hujusmodi conventuum erectionem requiri solet, non sint permissuri, ut illi erigantur, nisi prius bene examinata illorum necessitate, atque utilitate, cognoverint, illos nec regularibus præjudicium, nec populis gravamen afferre posse. Nobis præterea prædictus Ferdinandus Procurator humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Ferdinandum Procuratorem spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & accedente consensu interesse habentium, petitam Conventus erectionem in Civitate Malacitana tantum auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & conscientia concedas. Ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Constitutiones Apostolicas circa hujusmodi novorum Conventuum erectiones præscripta sunt, religiose serventur; ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Obstant nonnullæ Pontificum literæ.

Cur eæ non sint attendendæ.

Preces Procuratoris Provinciæ.

Committitur Episcopo Malacitano, ut veris expositis, & servatis Constitutionibus Apostolicis, Malacæ tantum Cœnobium constituat.

§. 1. Non obstantibus literis prædictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Septembris MDCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXVIII. Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua bis in anno, ac septem annorum, & totidem quadragenarum in reliquis mensibus, etiam per modum suffragii applicanda, iis qui interfuerint orationi semel in mense pro moribun-

dis in Ecclesiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis fieri solitæ.

Dat. 26. Sept. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CŒlestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, cum ad Catholicæ Religionis, & Christianæ pietatis incrementum, & animarum salutem profecturos speramus, libenter elargimur.

Preces Præpositi Generalis.

§. 1. Itaque supplicationibus dilecti filii Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœniten. & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui orationi semel in mense pro decedentibus, in qualibet Ecclesia Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, fieri solitæ devote interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon felici Agonizantium transitu, pias ad Deum preces effuderint, plenariam bis in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem per quemcumque Christi fidelem lucrifaciendam misericorditer in Domino concedimus. In cæteris vero anni mensibus ejusdem Christifidelibus præmissa peragentibus septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, quas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicari posse indulgemus.

Prædictæ Indulgentiæ conceduntur.

Clausulæ.

§. 2. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXIX.

Confirmatur decretum Congregationis Indulgentiarum, quo Confraternitates SS. Sacramenti fiunt participes Indulgentiarum Archiconfraternitatis ejusdem nominis in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe institutæ, & alia insuper Indulgentia conceditur comitantibus idem Sacramentum ad Infirmos pro Viatico delatum.

Dat. 1. Oct. 1678. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti nobis cœlitus pastoralis Officii debitum exigit, ut ad augendam fidelium religionem, promovendamque animarum salutem pia charitate jugiter intenti, ea, quæ ab hac Sancta Sede ad incitandam, fovendamque eorumdem fidelium erga SSmum, Augustissimumque Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum pietatem, atque devotionem salubriter emanasse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio roboremus, ejusdemque SSmi Sacramenti cultum, & venerationem prudenti cælestium munerum dispensatione, quantum nobis ex alto conceditur, ampliare studeamus.

Decretum Congregationis, in quo etiam referuntur aliquæ mutationes harum Indulgentiarum.

§. 1. Dudum siquidem de mandato fel. rec. Clementis Papæ X. prædecessoris nostri emanavit e Congregatione tum existentium S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis Præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Licet fa. mem. Paulus Papa III. per binas suas Constitutiones concesserit, ut Sanctissimi Corporis Christi Confraternitates omnes, & singulæ, ubivis locorum institutæ, ac instituendæ, iisdem Privilegiis, concessionibus, Indulgentiis, gratiis, & Indultis, quæ Confraternitati Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe erectæ largitus fuerat, ac in posterum largiretur, uti, potiri, & gaudere possent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt; præsertim vero per similis memoriæ Clementis VIII. Constitutionem de Aggregationibus editam, facultates, & Indulgentiæ, tam supradictæ Sanctæ Mariæ de Minerva, quam cæteris omnibus Confraternitatibus antea concessæ, aut abrogatæ, aut saltem moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium revocari posse videatur, an hujusmodi Pauli III. concessiones pristinum suum robur adhuc retineant; Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis Præfectorum optans summopere Sacratiss. Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, & ob eam causam hujusmodi Societatem in omnibus Ecclesiis Parochialibus erigi, atque ad id Christifideles præcipuis gratiis excitari, speciali ordine habito vivæ vocis oraculo a Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa X., fel. recordationis Pauli V. vestigiis inhærente, decrevit, ac declarat, juxta easdem Pauli III. Constitutiones, Confraternitates, & singula Sanctissimi Corporis Christi, ubique terrarum hactenus Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectas aut posthac erigendas, absque nova, aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione fore, & esse debere participes quorumcumque privilegiorum, concessionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & Indultorum ab eodem Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerva per Breve Datum Romæ apud S. Petrum die 3. Novembris 1606. nominatim, & expresse concessorum, ac in posterum, a Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus, & singulis uti, potiri, gaudere posse, ac debere statim atque Confraternitatum earumdem erectio Apostolica, vel Ordinaria auctoritate facta fuerit, servata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis VIII. Constitutione. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis de Indulgentiis adinstar non concedendis, nec aliis contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 23. Aprilis 1676. -- C. Cardinalis Maximus -- Loco ✠ Sigilli -- Michael Angelus Riccius Secret.

Confirmatur relatum decretum.

§. 2. Quare nos perpetuæ ejusdem Decreti firmitati consulere cupientes, Decretum ipsum præinsertum, cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Insuper conceditur Indulgentia comitantibus SS. Sacramentum ad Infirmos delatum.

§. 3. Præterea omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam in alma Urbe nostra, quam alibi ubicumque locorum degentibus, qui præfatum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad Infirmos pro Viatico defertur, devote comitati fuerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione,

ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; quacumque vice id egerint, si cum lumine, septem annos, & totidem quadragenas; si vero sine lumine illud, ut præfertur, comitati fuerint, quinque annos, & quinque quadragenas respective de injunctis eis, aut alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino relaxamus. Præsentem autem Indulgentiarum concessionem, seu pœnitentiarum relaxationem non cumulative cum aliis similibus, quæ præmissa peragentibus antehac; & præsertim a recol. mem. Clemente PP. VIII. prædecessore pariter nostro concessæ reperiantur, sed privative ad illas unicuique fidelium præfatorum suffragari posse, & debere declaramus.

Et ea privative unicuique suffragatur.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, & validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis, adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 1. Octob. MDCLXXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XL. Dat. 10. Oct. 1678. An. 2.

Tassa Innocenziana per il Foro Ecclesiastico, ovvero Dichiarazioni per li emolumenti, che trarre si possono dalle cause, e materie Ecclesiastiche, o spirituali.

Nell' Italia fù di nuovo comandata l'osservanza di questa Tassa da Benedetto XIII. nel Concilio Romano al tit. de For. compet. cap. unico.

Cagioni di questa Tassa, e dichiarazioni.

Essendosi avuto ricorso alla Santità di Nostro Signore Innocenzo XI. per molti Vescovi, Arcivescovi, e Prelati zelanti, acciò per sicurezza della loro coscienza, e per togliere ogni occasione di dubbio, che potesse nascere dalle diverse Consuetudini delle Diocesi, ed anche acciò non siano ingannati da' loro Vicarii, Cancellieri, ed altri Ministri, e famigliari, si stabilisca una Tassa generale, ed uniforme per il Foro Episcopale, ovvero Ecclesiastico, nè mancando i ricorsi de' Cleri, e de' Popoli, ha perciò la Santità Sua deputata una Congregazione particolare di due Signori Cardinali Prefetti delle Congregazioni del Concilio, e de' Vescovi, e di quattro altri Signori Cardinali delle medesime Congregazioni, e di due Monsignori loro Secretarii, e delli Monsignori Datario, e Auditore della Santità sua, e da questa si è risoluto, non potersi nelle cause contenziose civili, criminali, e miste venire alla sudetta Tassa generale, senza la precedente notizia delle Tasse particolari di ciascheduna Diocesi, o Provincia, potendo giuridicamente quella esser varia secondo la diversa consuetudine regolata dalla diversità de' Paesi, e de' luoghi. Bensì doversi con qualche maggior chiarezza per togliere tutti i dubbii, e gli equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in più tempi, e diverse occasioni si son fatte dalle Sacre Congregazioni del Concilio, e de' Vescovi nelle materie Ecclesiastiche, ovvero meramente spirituali, acciò in tal modo sappia ciascuno quel che sia illecito, e si tolga ogni scusa, o pretesto d'ignoranza, o di consuetudine, dovendo in sì fatte materie l'osservanza essere da per tutto uniforme per la generalità de' Canoni, e Concilj, e particolarmente del Tridentino, in modo che deve dirsi reproba, ed illecita ogni contraria consuetudine, ò Tassa diversa in qualunque modo per l'addietro fatta o conforme dalla medesima Congregazione si è stabilito, in modo che le seguenti dichiarazioni debbono osservarsi da per tutto senza eccettuazione alcuna, sotto le pene contenute ne' Sacri Canoni, e Concilj e d'altre ad arbitrio del Sommo Pontefice che sarà pro tempore, e nascendo qualche dubbio in contrario, se ne debba consultare la sudetta Sacra Congregazione del Concilio, e non altrimente.

Si comanda la di loro generale osservanza sotto molte pene.

Dichiarazioni per gli Ordini.

§. 1. Nella materia degli Ordini Sagri, e Minori, e prima Tonsura, così per la collazione, come per la facoltà, che ad altro si dia di conferirli, ed anche per il loro esercizio, e per la facoltà di esercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo, si stabilisce la regola generale da non ricevere altra eccettuazione, che quella si dirà di sotto, e che nè il Vescovo, o altro Prelato, nè il suo Vicario generale, o Foraneo, Cancelliero, ed altr' Officiale qualsivoglia, nè Parenti, e Familiari, o servitori possano esigere, e ricevere emolumento, e cosa alcuna sotto qualsivoglia colore, o pretesto di atti per la giustificazione de' requisiti, ovvero di tovaglia, forbici, pettine, ed altro, nè sotto titolo di regalo, o di mancie, anche se spontaneamente si offerisse, e desse, eccetto che l'Ordinante possa ricevere l'oblazione della candela, secondo dispone il Pontificale, a libero arbitrio dell' Ordinato circa la qualità, e peso; ed il Cancelliero, secondo la disposizione del Sacro Concilio di Trento per le lettere testimoniali della collazione dell' Ordine già dato, ovvero per le lettere dimissoriali per la collazione da farsi per un altro Vescovo, possa ricevere solamente la decima parte d'un scudo di moneta Romana, cioè un giulio, ovvero l'equivalente nella moneta del Paese, e non più, da persone, le quali abbino l'uso del denaro, non già da quei Religiosi, i quali non ne hanno l'uso, come sono i Capuccini, e i Minori Osservanti, eccetto che nella Collazione del Subdiaconato per gli atti, che si debbono fare per la giustificazione della verità, e sufficienza del Patrimonio, ovvero del Beneficio, a titolo del quale si deve promovere, possa esigere quell'emolumento che sia proporzionato alla mera fatiga personale per la scrittura, e carta, senzachè il Vescovo, o Vicario, o altr' Officiale nè direttamente, nè indirettamente ne possa participare in modo alcuno, purchè detto emolumento, non possa, nè debba eccedere un scudo d'oro, ma se la fatiga richiede minor mercede, si debba esigere solamente quel meno. Ma rispetto agli altri Ordini, e alla prima Tonsura, non possa esigere cosa alcuna, sotto pretesto di registratura de Brevi, e Dispense, e di altre Scritture, o di presentata, e di qualunque altra giustificazione, e solennità, o remozione d'impedimento.

Con dichiarazione, che se le sudette lettere testimoniali, ovvero dimissoriali contengono piu

ordini, tuttavia non si possa esigere altra mercede, che la sudetta di un giulio, sicchè non si possa multiplicare a ragione di ciascun ordine. Non sia però tenuto il Cancelliero a far una sola scrittura per piu ordini, quando questi siano stati conferiti in diversi tempi, e diverse ordinazioni, ma volendo possa farle separate, non già rispetto a quegli ordini, che si conferiscono in un'istesso giorno, come segue ne'Minori, ne'quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali, che si diano per l'ordinazione da farsi per un altro Vescovo a piu ordini, parimente non si possano moltiplicare scritture, nè possa esigere cosa alcuna per il rogito della Collazione degli ordini, ovvero al luogo dell'ordinazione; con altro pretesto anche di mancia, e di regalo.

Per li Benefizj, che si conferiscono da' Vescovi, o altri inferiori Collettori.

§. 2. Nella materia de Benefizi Ecclesiastici, quando si tratta di quelli, come di libera collazione, ovvero come devoluti si conferiscono dal Vescovo, o altro ordinario Collatore, parimente si stabilisce la regola generale, che nè il Vescovo, o altro Collatore, nè il suo Vicario, o altro qualsivoglia Officiale, nè il Cancelliero, o Parenti, Familiari, Servitori possano esigere, e ricevere emolumento alcuno, ed altra cosa sotto qualsivoglia colore, e pretesto anche di mancia, o regalo, e volontario donativo; così se siano Curati, o residenziali, come semplici, o non residenziali, ed anche se siano Cappellanie manuali, ma solamente il Cancelliero per le lettere della Collazione, compresa carta, sigillo, corde, ed ogn'altra cosa, possa esigere la mercede proporzionata alla scrittura, e materia, purchè non ecceda la somma di giuli dieci di moneta Romana, ovvero l'equivalente nella moneta del Paese, senza che si possa pretendere altra mercede, sotto qualsivoglia pretesto, e particolarmente par l'approvazione, per elezione ne' concorso alle Chiese Parochiali. E per il possesso il Vescovo, o Vicario, o altr'Officiale non possa esigere cosa alcuna, e il Cancelliero, se sarà dentro la Città, possa per il rogito, ed ogn'altro atto esigere giulj tre, se ne'Borghi, ovvero Suburbj giulj quattro, & se in altro luogo, i medesimi giulj quattro il giorno, e le spese di vitto, e viatico; Bensì, che se nel luogo del Benefizio vi sarà il Cancelliero del Vicario foraneo, o altro Notaro, si dovrà il possesso comettere al Vicario foraneo, e suo Cancelliero, senza la necessità del viaggio del Cancelliero Episcopale.

Per li Benefizj di provvisione Apost.

Quanto a'Benefizj di provvisione Apostolica, perchè siano riservati, ovvero affetti avanti la loro provisione così ne' benefizj Curati, ne' quali per l'ordinario si danno le lettere testimoniali alla Dataria dell'approvazione, e della preelezzione nel concorso, secondo la forma del Concilio di Trento, come anche negli altri benefizj non curati, e particolarmente ne'residenziali, per i quali si sogliono dare le attestazioni alla Dataria sopra la vita, costumi, e idoneità de'concorrenti per le dette lettere, non si possa esigere, o ricevere mercede, ed emolumento alcuno in denaro, o in altre cose sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo, ma si devono dare affatto *gratis*.

Per l'esecuzione delle lettere Apost.

E doppo la provvisione per l'esecuzione delle lettere Apostoliche quando siano nella forma graziosa, non possano il Vescovo, o altro Prelato ordinario del luogo, o suo Vicario, e Cancelliero, ed altr'Officiale pretendere di doverne essere per necessità Esecutori, ma sia in arbitrio de'Provvisti l'elegersi l'Esecutore, ed il Notaro per il possesso, ma se il Provvisto elegesse l'ordinario Officiale, e il suo Cancelliero, o veramente se le lettere fossero nella forma, che si dice *dignum*, indrizzate all'Ordinario, ovvero al suo Vicario, il quale perciò ne fusse necessariamente l'Esecutore, così nell' uno, come nell'altro caso, non essendovi altro contradittore, in modo che l'Esecutore sia mero, parimente il Vescovo, o altro Prelato, e il suo Vicario, o altr'Officiale, e suoi famigliari, e servitori, e attinenti non possano, ne debbano esigere, e ricevere emolumento alcuno, in quell'istesso modo, che di sopra si è detto ne' Beneficj d'ordinaria collazione; ma il Cancelliero possa per la copia, o registro delle lettere Apostoliche, ed altri atti, ricevere la mercede proporzionata alla fatica per la scrittura, purchè non ecceda in tutto uno scudo d'oro; Et essendovi contradittore, ficche convenga di far processo giudiziale, la mercede del Cancelliero per la sua fatiga si possa stendere a due scudi d'oro, e non più, senza che il Vescovo, o altro Officiale possa esigere, e recivere emolumento alcuno, mentre nelle cause Ecclesiastiche, e spirituali, ordinano i Sagri Canoni, che non ostante qualsivoglia consuetudine, il giudizio si debba interporre *gratis*. E per il possesso si osservi quell' istesso, che si è detto di sopra, ne' Benefizi conferiti dall' ordinario collatore.

Per li Benefizj di Patronato.

Nelli Benefizj di Patronato nascendo dubbio sopra l'esistenza del Patronato, con il Procuratore Fiscale, ovvero col provvisto, che ne pretenda la libertà, si debba in tutto, e per tutto observare quell'istesso, che di sopra si è detto ne' benefizj di libera collazione col contradittore; ma se non controvertendosi l'esistenza, sia la controversia tra' Compatroni, ovvero presentati da essi sopra la pertinenza, in tal caso si reputi come causa civile profana, e per consequenza si osservi la solita Tassa di ciascuna Curia, fino a tanto che si faccia l'altra Tassa delle cause profane, Civili, Criminali, e Miste.

Per le Cappellanie Manuali, e fundazioni de' Benefizj, e Confraternità.

§. 3. Generalmente così nelle Cappellanie manuali, come nelle nuove fondationi, ed erezioni de Benefizj, Cappellanie, Confraternità, Congregazioni, ovvero fondazioni, benedizioni, e Consegrazioni, e respettivamente visite, ed approvazioni di Chiese, e di Oratorii, così con l'autorità Apostolica, come con l'ordinaria, il Vescovo, o altro Prelato, e suo Vicario, e qualunque Officiale, non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, ma solamente il Cancelliero possa esigere quella mercede che sia porporzionata alla sua fatiga per la scrittura, purchè non possa eccedere in tutto uno scudo d'oro, ma sia meno, se minore sarà la fatiga.

Per le Cause Matrimoniali, esecutioni di Dispense, e Licenze.

§. 4. Nelle Cause, e materia, che riguardano il matrimonio, e gli sponsali, così per l'esecuzione delle Dispense Apostoliche matrimoniali, come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia canonico impedimento, ed anche per la Dispenza alle publicazioni, o per la licenza di potersi contrarre in Casa, o in altro luogo, o tempo insolito, e proibito, o che si possa contrarre in presenza d'altri che del Paroco, ed ogni altro atto che occorresse fare, il Vescovo, ed il suo Vicario, ed ogni altro Officiale, o Ministro, o Familiare non possa sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di mancia, e di volontario donativo, esigere, e ricevere emolumento alcuno, nè in denaro, nè in altre cose, ma solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, cioè nell'esecuzione delle dispense giulj tre, e per i testimonj sopra lo stato libero, o che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purche in tutto non si ecceda un scudo di moneta Romana, cioè dieci giulj, o vero il loro equivalente nella moneta del Paese: Non comprendendosi le cause contenziose, tra i conjugi sopra la validità del matrimonio, o vero sopra la separazione del Toro, stimandosi questa causa giudiziale profana, nella quale si osservarà la Tassa di ciascun Tribunale finchè si provveda.

Per li Monasterj di Mo-

§. 5. Generalmente in tutto quello che riguarda i Monasterj delle Monache, ed i con-

servatori

nache, e Conservatorj.

servatorj di quelle Donne, le quali a guisa di Monasterj, e Monache respettivamente vivono ritirate, il Vescovo, o altro Prelato, il Vicario così Generale, come particolare, e qualunque altro Officiale, o Deputato, ed il Cancelliero, & anche i parenti, ed i familiari del Vescovo, o Prelato, e de' suoi Officiali, non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro, & in altre cose, eccetto che quelli comestibili, che siano proporzionati all'uso, e consumo proprio dentro tre giorni, anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'abito Monastico, per l'approvazione del deposito della dote, per la Professione, per l'ammissione dell'Educande, ed altre Donne Secolari, per le renunzie, che si fanno dalle Novizie, per l'elezione dell'Abadessa, o altra Superiora, per le licenze de' Medici, Chirurghi, e Operarj, per le licenze di parlare alle Monache, ed altre che sono nel Monasterio, per la deputazione de' Confessori, Cappellani, Procuratori, Esattori, ed altri Ministri, e generalmente per ogn'altro atto, che riguarda al governo, ma solamente il Cancelliero per il rogito delle renunzie, e per gli atti che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj cinque moneta Romana, o vero l'equivalente nella moneta del Paese.

Per l'Amministrazione de'Sagramenti.

§. 6. Parimente per una regola generale da non soggiacere à limitazione alcuna, il Vescovo, o altro Prelato, suo Vicario generale, o particolare, Cancelliero, e qualunque altro Officiale, Ministro, e familiare, anche sotto nome di mancia, o volontario donativo, non potrà esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa in tutto quello, che riguarda l'amministrazione de' Sacramenti, del Battesimo, della Cresima, della Penitenza, dell'Eucharistia, e dell'Estrema Unzione, anche per l'esame, ed approvazione, o licenza d'amministrarli: Anzi s'incarica à Vescovi, e Prelati, e loro Vicarj, & Officiali, che non lo permettano a' Curati, ed a' Confessori, ed altri Ministri, e particolarmente nel prendere il piatto, o altro Vase, nel quale sia riposto il Vase dell'Oglio Santo per l'Estrema Unzione, o del Crisma nel Battesimo, o vero tovaglie, fazzolletti, ed altre cose, dichiarandosi tutto cio illecito. Come anche a non chiedere, nè esigere cosa alcuna per la benedizione delle Donne infantate, quando doppo il parto secondo il Rito Ecclesiastico per la prima volta che entrano in Chiesa.

Per li Testamenti di quelli, che mojono ab intestato.

§. 7. In quelle Diocesi, nelle quali regna l'antica consuetudine, che il Vescovo, o altro Prelato, ed Officiale faccia il Testamento per l'Anima di quelli, i quali muojono ab intestato di quella somma moderata, nella quale secondo i Decreti della Sagra Congregazione, può esercitare tal facoltà, non possano esso, e suoi Officiali, Ministri, Parenti, e familiari participare in modo alcuno, sotto qualsivoglia colore, o pretesto, anche di povertà, ma in tutto si debba effettivamente applicare ad usi, ed opere pie, ne per l'adempimento di tal disposizione si possano in modo alcuno impedire, e ritardare la Sepoltura, e l'Esequie, o funerale al defonto, dovendosi esercitare giuridicamente l'azioni sopra i beni ereditarj, e si debba osservare la lettera Circolare della Sacra Congregazione de' Vescovi sotto li 19. Agosto 1678.

Per le Sepolture, Esequie, Funerali, e trasportazione de'Cadaveri.

Come anche in modo alcuno si possono impedire, o ritardare la Sepoltura, e l'Esequie, o funerali a' Defonti così Cittadini, come forastieri per il pagamento di quegli emolumenti, che dal Vescovo, dal Capitolo, o dal Curato, e qualunque altro per la consuetudine del Paese si pretendano, ma parimente rimangano illese le azioni giuridiche ne' beni, sopra i quali si dovranno esercitare, senza che in modo alcuno si faccia represaglia al cadavere, o vero che si diano molestie personali a' figli, moglie, e parenti; Ed ancora non si possa esigere cosa alcuna per la licenza di trasportare i Cadaveri, o vero di sepelirli più in un luogo, che nell'altro.

§. 8. Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, e indiretto, per consequenza se ne proibisce al Vescovo, o Prelato, suo Vicario, e Cancelliero, ed ogni altro Ministro, e familiare, ogni esazione sotto qualsivoglia pretesto, anche di mancia, o donativo nell'infrascritte cose, cioè.

Per varie licenze, ed attestazioni.

Per la licenza, o patente di predicare, così nella Quadragesima, nell' Avvento, come in tutti gli altri tempi, e in qualsivoglia luogo.

Per la licenza di lavorare nelle Feste, anche per applicarsi ad usi pii, sichè si dia onninamente gratis, e quanto alle contravenzioni d'aver lavorato, le pene tutte si applichino effettivamente ad opere, ò luoghi pii senza participazione alcuna benchè minima, eccetto che all' Esecutori, e Ministri inferiori, volgarmente *Shirri*, per la cattura si dia la mercede proporzionata alla diligenza e fatiga, purchè non ecceda tre giulj in tutto.

Per la revisione de' conti de' luoghi pii.

Per la recognizione, ed approvazione, e pubblicazione delle Reliquie, dell'Indulgenze, e Altari Privilegiati.

Per la licenza di questuare.

Per l'attestazione della povertà, ò altro requisito, eccetto che il Cancelliero possa esigere in tutto, e per tutto un giulio di moneta Romana, o l'equivalente.

Per la licenza d'esser assente dalla residenza, generalmente per le dimissorie, che si sogliono concedere a quelli, li quali partono di Casa per andar in altro Paese.

Per li monitoriali, per le rivelazioni di scomuniche, così quando si diano da essa Curia, ed Ordinario, come quando si pubblicano le lettere Apostoliche, eccetto che il Cancelliero possa per la mercede della Scrittura esigere un giulio solamente.

Per la dichiarazione dell'incorso nelle censure, per la percussione de' Cherici, ed altre somiglianti cause, e per la loro assoluzione, eccetto che il Cancelliero per la fatiga della scrittura possa esigere giulj due, eccetto che nell' esecuzione de'Brevi della Penitenziaria, nel qual caso per quel che appartiene all'assoluzione ne anche il Cancelliero possa esigere cosa alcuna.

Per la facoltà d'esercitar i Pontificali.

Per l'esecuzione de' Brevi Apostolici, o vero licenza della Sacra Congregazione nell' alienazione de' beni di Chiesa, luoghi Pii, o vero imposizione de' censi, solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj diece di moneta Romana, o suo equivalente, come anche per tutto quello che appartiene alla difesa dell'Immunità Ecclesiastica, così personale, come reale, e locale, e particolarmente di quest'ultima non si possa in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto ricevere, ed esigere mercede, o vero emolumento, ma il tutto si debba fare gratis.

Per le Pene, e Composizioni.

§. 9. Le pene, le multe, e le composizioni si applichino per intiero ad uso de' luoghi Pii, senza che il Vescovo, o Vicario, e suoi Officiali direttamente, nè indirettamente, ne abbiano participazione alcuna.

Per il sussidio Caritativo.

§. 10. Il sussidio Caritativo in quelle Diocesi nelle quali sia solito esigersi, e non altrimente si esigga solamente per una volta nel primo in-

gresso

gresso del Vescovo secondo la Tassa solita antica d'anni quaranta indietro, si che non s'attenda il solito più moderno da detto tempo in giù, ne si possa più esigere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo.

Per la Visita della Diocesi, e Chiese.

§. 11. Quanto alla visita, si osservino inviolabilmente il Decreto del Sac. Concilio di Trento, e le dichiarazioni della Sagra Congregazione; e particolarmente da quelli, i quali concorrono alle spese de' Cibarj, nè mediatamente, nè immediatamente si possino ricevere regali, e donativi, anche di cose comestibili; Ed ancora non si possa esigere emolumento alcuno per gli atti della visita, decreti, e presentate di scritture, ovvero per la revisione de' Decreti delle Visite antecedenti, e della loro osservanza, mentre da quelli i quali sono visitati si ricevono le spese del vitto.

Approbantur a Pontifice præd. Declarationes, & mandatur, ut eæ publicentur.

Die prima Octobris 1678. facta per me infrascriptum istarum resolutionum, seu declarationum relatione Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. mediante illarum lectura de verbo ad verbum, Sanctitas sua laudavit, approbavit, ac servari mandavit, earumque observantiam, & publicationem injunxit Sacræ Congregationi Concilii.

Jo. Baptista de Luca præfati Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Papæ XI. Auditor, & Secretarius Memorialium.

Decretum S. Congreg. Concilii.

Die 8. Octobris 1678. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ censuit præmissam taxam, seu declarationes Typis dandas esse, & per literas Circulares ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas; ut eas in Cancellaria in loco omnibus patente retineri faciant, easdemque adamussim observent, & faciant observari.

F. Card. Columna Præf.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterbien. Secret.

XLI. Dat. 3. Octob. 1678 An. 2.

Dismembrantur ex Archiepiscopatu Bituricensi sex Ecclesiæ, ex quibus novus constituitur Archiepiscopatus Albiensis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

TRiumphans Pastor æternus, gloriosa dictante sanctorum directione Patrum, ut suum salvaret populum, decretis in monte colloquiis, in eruditione Sanctuarii, inter alia ministeria permisit, quod ignis in Altare Sacerdotis confoveretur, & ut sine intermissione combureretur, ligna eis subjicere, ut illius non cessaret ministerium studiosum. Altare quippe Dei, cor fidelis habetur cujuslibet, in quo ipsius ignis ardor indesinenter expetitur, quo velut flamma-ardentis charitatis incendatur. Sancta vero, & immaculata, quam pastor ipse, adveniente temporis plenitudine, ejus Unigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis fundari, consecrari, & æternaliter stabilire censuit, Ecclesia, ignis seu sacri flaminis splendore induta, quos regeneravit in Christo, ipsius charitatis nexu, & compage fideles stringit universos, & Ecclesias suas alias tanquam adolescentulas, ignis ejusdem confovet ardoribus, & fibris exornat charitatis. Nos itaque illius summi directione Pastoris, qui Ecclesiarum, & fidelium omnium nostræ commisit insufficientiæ curam, Nosque licet immeritos, in ipsius montis vertice ad summum Sacerdotii pontificium conscendere voluit, hujusmodi instructi documentis, easdem Ecclesias, earumque Pastores in partem solicitudinis consilii cœlestis dispositione vocatos, in charitatis visceribus ardentius complectentes, nostros continuo revolvimus cogitatus, ut ea in operam nostri ministerii dona congeramus, per quæ ad Ecclesiarum, & illis præsidentium Prælatorum dispendiis, & necessitatibus occurratur, ac litium anfractibus, innumeris incommodis, aliisque infortuniis provideatur accommode, ipsæque Ecclesiæ invicem charitatis nexu conjunctæ votivæ prosperitatis incrementa suscipiant.

Causæ dismembrationis.

§. 1. Sane providi vigilisque Pastoris more, considerantes Ecclesiam Bituricensem Archiepiscopo de præsenti viduatam, quæ una ex antiquissimis Regni Franciæ Metropolitanis Ecclesiis existit, undecim Sedes complecti Episcopales, sibi suffraganeas, easque maxime insignes; nimirum Claramontensem, Sancti Flori, Mimatensem, Aniciensem, Ruthenensem, Vabrensem, Caturcensem, Albiensem, Ruthenensem, Castrensem, Caturcensem, Vabrensem, & Mimatensem, seu earum plerasque ab ipsa Bituricensi sua Metropolitana distare plus centum leucis, earumque partem multo majorem sitam esse in locis montanis, & propemodum, hiberno saltem tempore, inaccessibilibus, tantamque distantiam, & itinerum difficultatem multis incommodis locum præbere, ac communicationem membrorum in capite impedire, nec posse easdem Ecclesias suffraganeas, illarumque diœcesanos, quandocumque opus est, sui Metropolitani Bituricensis opem implorare, & consequi, & hinc multos Beneficiatos, & Ecclesiasticos arripere occasionem vagandi, suas Ecclesias deserendi, & ab eis diu emanendi. Præterea, tametsi Jurisdictio Ecclesiastica cum civili nunquam sit confundenda, distantiam tamen dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bituricensis a suis suffraganeis, jurisdictionum, & subordinationum seriem, atque ordinem ab Ecclesia universali præscriptum intervertere, cum nimiæ hujusmodi distantiæ difficilisque ad Metropolitanarum recursus obtentu, multa inordinate fiant, & casibus, in quibus solus Metropolitanus adeundus esset, Ordinarii viciniores falcem in messem alienam immittendo, providere, Beneficia conferre, Sacramenta administrare, Ecclesias curandas committere, censuras relaxare, seu iis innodatos absolvere, aliosque ejusmodi actus jurisdictionis, in alienos subditos contra sacrorum Canonum dispositionem exercere præsumant; inde autem lites enasci immortales, multa animarum pericula suboriri, rerum sacrarum profanationes, offensiones, & deplorandas morum corruptiones provenire, Ecclesiasticam disciplinam multipliciter perverti, ac perturbari: quinimo Archiepiscopis Bituricensibus suos suffraganeos ad Concilia provincialia vocantibus illos non comparere, nec interesse, nimiam scilicet, & dispendiosam causantes locorum distantiam, & itinerum asperitatem, ac pericula, sed mittere procuratores, qui quantumvis scientia, & pietate, & probitate egregii, non eum tamen afferunt Ecclesiis fructum, quem a suorum Episcoporum præsentia merito sperare possent.

Preces Regis Christianissimi.

§. 2. De his vero similibusque edoctum charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum, & Navarræ Regem christianissimum, pro eximia sua in Deum pietate, ac in res Ecclesiasticas studio, remedium tot detrimentis, & offensionibus in dies succrescentibus a Sede Apostolica enixis precibus flagitavisse, & flagitare, nec aliud remedium præsentius, meliusque videri, quam si tam late patens Provincia Ecclesiæ Bituricensis divideretur, separatis, seu dismembratis ab ea ex supradi-

Modus dividendi Provinciam Bituricensem.

ctis suffraganeis Ecclesiis, & ex illis una, videlicet Albiensis, in Metropolitanam cui reliquae, nempe Mimatensis, Ruthensis, Castrensis, Caturcensis & Vabrensis in suffraganeas assignarentur, erecta, cum praesertim Ecclesia ipsa Albiensis sita sit in Civitate, quae est caput Provinciae Albiensium, & juxta eorumdem Sacrorum Canonum praescriptum, Sedes Archiepiscopales in Civitatibus praecipuis sint collocandae, ipsaque Ecclesia Albiensis aditu sit percommoda, quippe in meditullio ceterarum jam dictarum Ecclesiarum constituta, accessu admodum optimo instructa, & proinde Ecclesia Bituricensis detrimentum, quod ex distractione, seu dismembratione sex Ecclesiarum suffraganearum hujusmodi acciperet, facilius reparare valeat.

§. 3. Nos itaque ad Ecclesias praedictas, illarumque Praesules, & universos Cleros, & Populos earumdem, quos non immerito affectu prosequimur in visceribus charitatis, paternae dirigentes considerationis intuitum, ac sperantes, quod qui bonorum largitor est omnium, & prout vult sua dispensat bona gratiarum, dirigente Domino, erectio hujusmodi in praedicta Provincia ad Ecclesiarum praedictarum, illarumque Praesulum, & incolarum universorum in d. Provincia consistentium, aedificationem de virtute in virtutem, tranquillumque, & prosperum sub timore Domini confovendum statum, mutua charitatis vicissitudine fructus dietim afferet ampliores, ipsique Praesules, & incolae tanto Apostolicam Sedem, in qua coelestis Clavigeri Apostolorum Principis successores existimus, puris jugiter corde, & animo venerari, & pro illius votivis successoribus opem, & operam accuratioribus studiis impendere debeant efficaces, quanto Sedem ipsam de eorum statu prospero, & tranquillo solertius cogitare cognoverunt; Matura super his cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione praehabita ad enixas ejusdem Ludovici Regis preces, de eorum fratrum consilio, & assensu, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, praedictas sex Ecclesias, earumque Civitates, ac Dioeceses, videlicet Albiensem, Castrensem, Mimatensem, Ruthenensem, Caturcensem, & Vabrensem, illarumque Cleros, & Populos a Provincia Bituricensi, ac superioritate, & potestate pro tempore existentis Archiepiscopi Bituricensis, cui Metropolitico Jure subsunt, perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus, illasque omnes, & singulas pro tempore existentes Archiepiscopi, & Capituli, ac praedictae Ecclesiae Bituricensis superioritate, jurisdictione, potestate, visitatione, & correctione, ac jure Metropolitico hujusmodi prorsus eximimus, & liberamus; necnon dictam Ecclesiam Albiensem tunc per obitum bon. mem. Gasparis olim Episcopi Albiensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destitutam, Metropolitanam, & Sedem Episcopalem Albiensem in Archiepiscopalem, Archiepiscopalisque, & Metropolitanae Provinciae Sedem pro uno Archiepiscopo Albiensi nuncupando, cum Pallii, & Crucis delatione, ac omnibus, & singulis aliis insigniis, honoribus, privilegiis, & praerogativis Ecclesiae, & Sedis Metropolitanae, & Archiepiscopalis; (jure nominandi Personam idoneam ad ipsam Ecclesiam Albiensem, sic in Metropolitanam erigendam, vigore Concordatorum Galliae dicto Ludovico Regi, ejusque successoribus Francorum Regibus pro tempore existentibus salvo, & illaeso remanente) ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriosissimae ejus Genitricis Virginis Mariae, totiusque triumphantis Ecclesiae gloriam, & fidei Catholicae exaltationem, de consilio, & potestatis plenitudine similibus perpetuo erigimus, & instituimus, ac Ecclesias Castrensem,

Separantur sex Ecclesiae a Provincia Bituricensi, & ab hujus Archiepiscopi jurisdictione eximuntur.

Ex iis Ecclesia Albiensis in Metropolitanam erigitur.

Servatur Regi, ejusque successoribus jus nominandi Archiepiscopum.

Mimatensem, Ruthenensem, Caturcensem, & Vabrensem praedictas illarumque Civitates, & Dioeceses, cum omnibus, & singulis illarum terminis, Territoriis, Castris, Villis, & Locis, necnon Clero, Populo, & personis, ac Ecclesiis, Monasteriis, & locis Piis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, saecularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, in eisdem Civitatibus, & Dioecesibus consistentibus Archiepiscopo Albiensi, & earum Metropolitano itidem perpetuo subjicimus, & supponimus, ac subjacere volumus.

Ecclesiae suffraganeae designantur.

§. 4. Et attento, quod fructus mensae Archiepiscopalis Albiensis, multo pinguiores sunt fructibus Ecclesiae Bituricensis, ut Archiepiscopo Bituricensi pro tempore existenti, cujus mensa Archiepiscopalis, sicut accepimus, redditibus ad sustinendam Archiepiscopi Dignitatem satis instructa non est, detrimentum, quod ex dismembratione sex suffraganearum Ecclesiarum hujusmodi passurus est, congruenti, quantum fieri potest, ratione reparetur, supplicationibus praedicti Ludovici Regis nobis super hoc porrectis inclinati, ac de expresso Venerabilis Fratris nostri Hyacinthi nuper Episcopi Mimatensis, ad dictam Ecclesiam Albiensem ab eodem Ludovico Rege nominati consensu, annuam summam quindecim millium librarum Turonensium ex Decimis ad Mensam olim Episcopalem nunc Archiepiscopalem ejusdem Ecclesiae Albiensis legitime spectantibus, & per Commissarium, seu Commissarios a nobis ad id deputandum, seu deputandos assignandis, juxta existimationem Peritorum ab eodem Commissario, seu Commissariis eligendorum percipiendum, ab eadem Mensa Archiepiscopali Bituricensi, Apostolica auctoritate itidem perpetuo separamus, & dismembramus; illamque sic separatam, & dismembratam, & nunc prout ex tunc, postquam assignatio hujusmodi per Commissarium, seu Commissarios praedictos juxta mandatum Apostolicum facta fuerit, Mensae Archiepiscopali Bituricensi, & Archiepiscopo Bituricensi pro tempore existenti ad tuendum Archiepiscopalis Dignitatis decus, & alios omni meliori modo, & forma, perpetuo dicta auctoritate, unimus, annectimus, & incorporamus, ac concedimus, & assignamus, volentes, & pari auctoritate decernentes, ut Capitulum Ecclesiae Albiensis in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae, adveniente quomodolibet, & quandocumque Sedis Archiepiscopalis Albiensis vacatione primo anno cujuscumque vacationis hujusmodi sive per obitum, sive alias, omnibus, & singulis superioritatis, jurisdictionis, & sigilli, ac redditUum utilium, juribus, quae ratione Dignitatis Archiepiscopalis recens acquirentur dicto Archiepiscopo Albiensi, fruatur, & gaudeat in futurum, quemadmodum etiam in pari casu vacationis Sedis Archiepiscopalis Bituricensis, Capitulum Ecclesiae Bituricensis pendente primo anno cujuscumque vacationis per obitum, vel alias etiamsi ipsa Sedes intra ipsum annum repleatur, dictis annuis quindecim millibus librarum Mensae Archiepiscopalis Bituricensis, ut praefertur, unitis fruatur, & gaudeat cum eorum oneribus, eodem prorsus modo, quo ipse Archiepiscopus Bituricensis illis gavisus fuerit, itaut ipsi Capitulo Bituricensi damnum ex separatione, & dismembratione supradictarum sex Ecclesiarum acceptum resarciatur.

Consulitur damno illato Mensae Archiepiscopali Bituricensi summa librarum quindecim millium ex decimis Mensae Ecclesiae Albiensis.

Primo anno cujuslibet vacationis Sedis Albiensis omnia jura, & redditus Archiepiscopi Capitulo conceduntur.

Item pendente primo anno vacationis Sedis Bituricensis adscribitur Capitulo praedicta summa quindecim millium librarum.

§. 5. Decernentes quoque praesentes, ac praemissa omnia, & singula, cum omnibus & singulis inde caeteroqui legitime secutis, tametsi supradictae Ecclesiae Bituricensis, & Albiensis suis Pastoribus respective viduatae sint, & defensionibus careant, nec desuper quorumcumque interesse habentium, seu habere praetendentium consensus accesserit, nihilominus semper, &

Clausulae.

perpe-

perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illos, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 6. Sicque, & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, & dismembrationibus perpetuis committendis ad partes vocatis, quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuæ, nisi in casibus a Jure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis illis, eorumque Præsulibus, superioribus, & Capitulis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem illiusque Legatos etiam motu, scientia, & plenitudine similibus etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, & iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata inserti essent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

§. 8. Præterea etiam volumus, quod taxa fructuum, reddituum, & proventuum Mensæ olim Episcopalis nunc Archiepiscopalis Albiensis, in Libris Cameræ descripta, propter separationem, & dismembrationem annuarum quindecim millium librarum hujusmodi, diminui, seu alterari nullo modo possit, sed in ea quantitate in qua hactenus fuit perpetuo remanere debeat, & e contra Ecclesiæ Bituricensis taxa propter novum hoc redditunm augmentum amplianda non sit; cum antea inopiæ Mensæ Archiepiscopalis congrueret.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, institutionis, subjectionis, suppositionis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, Decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, quinto nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

XLII.

Præcipitur septem Presbyteris Societatis Jesu Missionariis apud Sinas, ut accedant ad Urbem, & Missionariis omnibus formula quædam juramenti, quod præstare debeant, præscribitur.

De his Missionariis vide Constit. Decet Romanum 50., Illius qui 51., Injuncti nobis 52., Quoniam ea 60., *&* Christianæ Religionis 63. *Clem. X. in hoc Volum.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Oct. 1678. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constitutionis.

CUM hæc Sancta Sedes Apostolica paucis abhinc annis ad Synas, Tunchinum, & Cochinchinam, Cambojam, Sianum, aliaque vicina Regna, & Provincias Indiarum nonnullos miserit Episcopos Vicarios Apostolicos, ut fides Catholica ibidem benedicente Domino propagaretur, & ex Christianis indigenis, seu Incolis illarum partium instituerentur Clerici, & Sacerdotes, atque ita crescente fidelium numero disciplinæ Ecclesiæ usus, & veritas introduceretur, ipsi vero Episcopi Vicarii Apostolici omnibus operariis, qui illic in vinea Domini laborarent præessent. Verum istorum Operariorum aliqui proprii officii immemores, se dictis Vicariis Apostolicis, eorumque Provicariis, & Ministris, ac illorum auctoritati acerrime opponendo dissensiones, rixas, divisiones, & fere nova Schismata suscitaverint in magnum Christianæ Religionis detrimentum, atque perniciem, nec pluribus Constitutionibus Apostolicis, & Decretis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum ad occurrendum hujusmodi malis opportune promanatis debitam obedientiam præstare voluerint.

Mandatur, ut septem Presbyteri Societatis Jesu ad Urbem accedant, nec interim munus aliquod exerceant sub certis pœnis.

§. 1. Hinc est, quod nos ex commissi nobis cœlitus Pastoralis officii debito efficaciora tanto malo remedia adhibere volentes, de nonnullorum ex memoratis Cardinalibus super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui dilectos filios Presbyteros Regulares Societatis Jesu, & præcipue Præpositum Generalem, & Secretarium ejusdem Societatis, tam viva voce, quam in scriptis super præmissis informantes pluries audierunt, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut illico ad hanc Almam Urbem nostram accedant dilecti etiam filii Josephus Tessavier, Emmanuel Ferrere, Dominicus Fucitus, Philippus Marinus, Thomas Valgarveira, Josephus Candonus, & Bartholomæus a Costa Presbyteri Regulares dictæ Societatis Jesu, nec a die intimationis præsentis Mandati ipsi, eorumque ullus audeat ullo modo exercere quodcumque Munus Missionarii sive ex facultatibus dictæ Sedis Apostolicæ, sive ex privilegiis prædictæ Societatis Jesu, sive ex facultatibus ab alio quocumque, aut omnibus, aut singulis ipsorum quovis titulo concessis, nec Confessiones audire, concionari, aut quæcumque Sacramenta quomodolibet administrare, etiam tanquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis Indiarum, neque tanquam simplices dictæ Societatis Jesu Sacerdotes, & Religiosi, nec alio quocumque titulo, causa, seu facultate, de quibus expressa specialis, & specialissima esset facienda mentio, sub pœnis infra exprimendis.

Intimetur mandatum,

§. 2. Hoc autem præceptum, & Mandatum nostrum prædicto Præposito Generali Societatis

& unica intimatio utcumque facta sufficiat.

Jesu quantocitius per dilectum filium Magistrum Urbanum Cerrum in utraque Signatura nostra Referendarium, ac prædictæ Congregationis Cardinalium Secretarium intimari volumus, ac eidem Præposito Generali harum serie injungimus ut scribet supradictis Josepho, Emmanueli, Dominico, Philippo, Thomæ, alteri Josepho, & Bartholomæo, ac Superioribus dictæ Societatis in illis partibus degentibus ad hoc ut præceptum, & Mandatum nostrum hujusmodi omni postposita mora, & cum debita obedientia exequantur, cum declaratione, quod unica intimatio præcepti præscripti, etiam rejecta, & quovis prætextu, aut colore non acceptata, sive etiam sub quavis conditione, modificatione, vel formalitate acceptata obliget absolute, & in totum omnes ad parendum, & ad incursum pœnarum; Nos enim præceptum hujusmodi haberi volumus pro legitime intimato omnibus Presbyteris Regularibus supranominatis, & unicuique eorum eo ipso quod Præposito Provinciali, aut alteri ejus vicesgerenti, sive Rectoribus Collegiorum, aut Superioribus quocumque nomine appellentur, intimatum fuerit. Et quatenus intimationem hujusmodi modo præscripto personaliter fieri commode non posse dicti Vicarii Apostolici, aut eorum Provicarii, vel Ministri, ut supra deputati arbitrentur, fiat illa per affixionem ad valvas Ecclesiarum, seu Domorum Clericorum, seu Presbyterorum Regularium dictæ Societatis Jesu. Si autem juramenta per quoscumque Missionarios tam Sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam dictæ Societatis Jesu Regulares in manibus memoratorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum Provicariorum, vel aliorum ab eis respective deputandorum sicut præmittitur præstanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla per eosdem Vicarios Apostolicos ad prædictam Congregationem Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositam transmittantur, si autem & in hoc sit aliqua difficultas, fiat affixio ad Valvas Ecclesiarum, seu Domorum prædictorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum Provicariorum, & semper unica intimatio ejusdem præcepti quocumque modo facta, sive per præfatum Præpositum Generalem, sive per Vicarios Apostolicos, sive per eorum deputatos sufficiat, & obliget omnes ad observantiam ipsius præcepti, & ad pœnas infrascriptas irremissibiliter incurrendas.

Juramenta transmittantur ad Congr. de Propaganda Fide etiam a Superioribus Regularibus qui debent a suis subditis ea exigere, & ipsi itidem facere.

§. 3. Ac ut ejusmodi dissentionibus, dissidiis, & scissuris ansa in futurum præcidatur, eadem auctoritate harum serie perpetuo statuimus, & ordinamus, ut omnes, & singuli Ecclesiastici, tam Sæculares, quam cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam prædictæ Societatis Jesu Regulares in prædicta Regna, & Provincias ab eorum Superioribus missi, & mittendi, sive a prædicta Congregatione Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, vel ipsamet Sede Apostolica deputati, & deputandi, sive etiam cujusvis tituli magis privilegiati, ac speciali, & specialissima mentione digni, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint sub infrascriptis pœnis Juramentum juxta formulam in calce præsentium literarum annotandam in manibus Superiorum suæ Religionis, & iterum in manibus Vicarii Apostolici, in cujus jurisdictione quocumque titulo commorabuntur, sive ejus Provicarii, aut alterius ab eo deputati præstare omnino debeant, & teneantur; Itaut ante præstationem juramenti hujusmodi, & subscriptionem sub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipsum præstiterit propria manu faciendam, nullis omnino facultatibus uti valeant, sed quo ad eos præter, & ultra pœnas prædictas, omnes, & singulæ facultates hujusmodi, sive a Sancta Sede Apostolica, sive ex privilegiis dictæ Societatis Jesu, sive alio quocumque titulo, ut supra etiam particulari nomine concessæ, cessent omnino, ac nullius roboris, atque abolitæ sint, & esse censeantur, etiamsi per Apostolicas in simili forma Brevis literas concessæ fuerint, nisi in eis præsenti Constitutioni in specie, & nominatim derogatum reperiatur. Hujus autem Juramenti præstationis, & subscriptionis executionem quoad Clericos, sive Presbyteros Regulares dictæ Societatis specialiter committimus, & demandamus dilectis pariter filiis Visitatori, & Præpositis Provincialibus Provinciarum Japoniæ, & Sinarum ejusdem Societatis nunc, & pro tempore existentibus, qui primo Juramentum hujusmodi præstare, & illius formulæ subscribere tenebuntur sub eisdem pœnis, quas incurrent tam dicti Visitator, & Præpositi Provinciales si negligent obedire, & formulam prædictam inferioribus intimare, eorumque Juramentum, & subscriptionem exigere, & cum effectu habere, quam Religiosi quicumque ut supra, qui jurare, & formulæ prædictæ subscribere detrectabunt.

Omnes Missionarii tenentur præstare juramentum in manibus suorum superiorum, & Vicariorum Apostolicorum sub certis pœnis.

§. 4. Omnia vero Juramenta hujusmodi per quoscumque ut supra quantocitius fieri poterit transmittantur. Quinimo Superiores quoque Regulares nempe Visitatores, & Provinciales Japoniæ, & Sinarum tam dictæ Societatis Jesu, quam aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum pro tempore existentes sub eisdem pœnis teneantur non solum Juramentum prædictum præstare in manibus pariter Vicariorum Apostolicorum, vel Provicariorum, illiusque formulæ subscribere, sed etiam illius præstationem, & subscriptionem a suis respective Subditis exigere, ac authentica ea super re confecta documenta quamprimum transmittere ad suos respective Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium statim tradere debebunt.

§. 5. Præterea mandamus supradicto Præposito Generali Societatis Jesu, ut loco Missionariorum, qui ad Urbem, ut præfertur, vocantur alios deputet, & coram dilecto Filio nostro ejusdem S. R. E. Cardinale prædictæ Congregationis Cardinalium Præfecto præsentari faciat, in cujus manibus cum assistentia Venerabilis Fratris Francisci Episcopi Heliopolitani unius ex prædictis Vicariis Apostolicis, ac memorati Secretarii ejusdem Congregationis Cardinalium tam ipsi sic deputandi, quam alii Missionarii dictæ Societatis posthac ad illas partes destinandi pariter cum assistentia ejusdem Francisci Episcopi, si tunc temporis adhuc in hac Alma Urbe fuerit, præstare, & subscribere tenebuntur Juramentum prædictum, ac etiam jurare obedientiam, & subordinationem eidem Francisco Episcopo, aliisque Vicariis Apostolicis, in quorum Jurisdictione, respective morabuntur, quoad omnia negotia, & directionem Missionum: Et fiat postea in calce de omnibus narratio, & attestatio subscripta ab eodem Cardinale Præfecto, cui subscribant etiam dicti Franciscus Episcopus tanquam præsens, & Præpositus Generalis tanquam particeps, testando sibi omnia prædicta constare, suisque paritionem injungendo, atque hujusmodi Juramenta ita subscripta consignentur eidem Francisco Episcopo postquam tamen in actis dictæ Congregationis Cardinalium registrata fuerint. Porro iisdem Missionariis mittendis præcipimus pariter, & mandamus, ut cum Indias attigerint præscriptos sibi Ordines præsentemque Constitutionem omnibus suæ Societatis Religiosis patefaciant, & per plures vias si fieri possit iter ad Indias arripiant, quorum duo dictum Franciscum Episcopum usque ad Indias sub ejus obedientia comitentur, ubi de ipsius Francisci

Præcipitur Superiori Generali Societatis Jesu, ut alios deputet Missionarios, qui admittendi erunt secundum præscripta, & mittendi cum nonnullis ordinationibus sub pœna excommunicationis majoris.

Episcopi licentia ad loca sibi præscripta proficiscantur.

§. 5. Contrafacientes autem præsenti Constitutioni in toto, vel in parte, aut aliter quomodocumque illi non obedientes, incurrant in omnibus casibus in ea expressis, eorumve quolibet, in pœnam excommunicationis majoris ipso facto absque ulla etiam declaratoria Sententia Sedi Apostolicæ reservatæ, itaut nemo ab illa absolvere possit nisi in mortis articulo constitutos, & in generali concessione facultas ab illa absolvendi concessa non intelligatur, etiam vigore literarum concessionis Jubilæi Universalis, & insuper incurrant in alias quoque pœnas, etiam corporales, & afflictivas arbitrio prædictæ Congregationis Cardinalium imponendas.

Injungitur superioribus omnibus Generalibus pro tempore existentibus, ut præsentem Constitutionem executioni mandari curent, ne incurrant indignationem Apost., aliasque pœnas.

§. 6. Demum tam supradicto Præposito Generali Societatis Jesu, quam aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Superioribus Generalibus nunc, & pro tempore existentibus præcipimus similiter, & mandamus, ut omnia in præsenti Constitutione contenta executioni omnino demandari faciant, jubeantque ad se transmitti Juramenta præstita, & subscripta, prout in formula infra annotata, atque dictæ Congregationi Cardinalium consignent, ac omnium executionem, & implementum injungant, etiam omnibus Missionariis Societatis, ac Ordinum, Congregationum, & Institutorum suorum respective in futurum ad Indias mittendis, & ab iisdem Juramentum observantiæ, præfatæque formulæ subscriptionem exigant. Si autem ipsi præmissa exequi omiserint, ac de executione quotiescumque occasio se obtulerit mutationis Missionariorum, qui transmittentur, ac notificationis, & Juramenti prædicti publica documenta non tradiderint, indignationis nostræ, aliasque pœnas nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendas se noverint incursuros. Hoc autem præceptum nostrum, etiam absque ulla annotatione in solitis libris, & actis Societatis, aliorumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi respective omnes, & singulos in Generalatibus Successores perinde afficere volumus, ac si illorum unicuique personaliter intimatum fuisset, ipsosque Præpositos, & Superiores Generales Successores si præsenti Constitutioni contravenerint eisdem pœnis subjacere.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti, & alii quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni eisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quantumvis justa, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon cujusvis ordinis, Congregationis, & Instituti etiam Societatis Jesu, ac quarumvis Ecclesiarum, & aliis quibuslibet, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis præfatis, aliisque quibusvis personis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis, & locis quibuslibet, etiam specifica, & individua mentione dignis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis ac pluries innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Formula autem Juramenti sicut præmittitur præstandi est, quæ sequitur videlicet: Cum Summus Pontifex supremam, & independentem pro spirituali animarum regimine in universo Terrarum Orbe habeat auctoritatem, nec ad mittendos operarios, qui Religionem Christianam Fidemque Catholicam apud Infideles, & nominatim in Sinarum, Tunchini, Chochinchinæ, Camboiæ, Siami, aliisque vicinis Regnis, & provinciis prædicent, annuncient, roborent, & promoveant, illius fidelis, vel infidelis, cujusvis status, gradus, conditionis, ac dignitatis, etiam Regiæ existat, licentia, vel consensu indigeat, Ego N. fideliter incumbam officio meo in missione juxta Sanctæ Sedis Apostolicæ mandata, & facultatem ab ea præscriptam. Quod si Ordinarii Indiarum, vel Principes, aut Reges Catholici, vel alii de administratione missionum in illis partibus, suaque jura, & privilegia violari conquesti fuerint, meumque consilium, & auxilium desuper requisiverint, ei rei me nullo modo ingeram, sed muneri mihi incumbenti tantum operam dabo. Prædicationem verbi Dei, Sacramentorum administrationem, aliudve Ecclesiasticum munus quodcumque in locis Vicariorum Apostolicorum curæ commissis nunquam exercebo, quibuscumque privilegiis propriis, vel

meæ

meæ Religionis, vel aliis quibusvis munitus existam, nisi prius ab ipsis Vicariis Apostolicis fuerim approbatus, & ab iisdem licentiam in scriptis acceperim. In examine Bullarum, Constitutionum, seu aliarum quarumcumque Literarum Apostolicarum, vel Sacræ Congregationis de Propaganda fide, aut quorumcumque Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis nunquam me intromittam, vel impediam, sub quovis prætextu, aut etiam legitimæ subreptionis, vel obreptionis causa, vel alia quacumque, sed easdem literas, & Decreta quæcumque semper cum debita reverentia recipiam, iisque ut par est obediendo Sanctæ Sedi Apostolicæ postmodum exponam si quæ contra earumdem literarum, vel decretorum usum opportuna videbuntur, nunquam tamen retardata executione. Ordinationes dictæ Sedis, & signanter Constitutiones Summorum Pontificum Alexandri VII. Clementis IX., & Clementis X. omni qua decet reverentia recipio, & amplector, ac nominatim Literas Apostolicas in forma Brevis expeditas quarum initium: *Decet Romanum Pontificem &c.* Dat. die 23. Decembris 1673., quibus confirmantur Brevia, & Constitutiones, ac etiam Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide ad favorem Vicariorum Apostolicorum apud Sinas deputatorum emanata alias incipientes *Illius qui charitas est &c.* expeditas eadem die 23. Decembris 1673. quibus declaratur Ordinarios Indiarum non posse exercere actus Jurisdictionales in dictos Vicarios Apostolicos, eorumque Provicarios, & operarios in Provinciis sibi assignatis, sed eisdem Vicariis in dictis Provinciis jurisdictionem privative quoad omnes competere, ac alias quarum initium: *Christianæ Religionis, & Catholicæ fidei &c.* emanatas die 8. Junii 1674. quibus etiam severe prohibetur omnibus Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus ne quisquam emendicet, procuret, vel acceptet ab Ordinariis Indiarum literas quascumque pro exercenda Jurisdictione in locis iisdem Vicariis commissis. Et demum non solum præfatis omnibus Constitutionibus, & in eis contentis Decretis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, sed etiam aliis quibuscumque, quæ in futurum ad favorem, etiam Vicariorum Apostolicorum emanabunt Constitutionibus, & Decretis fideliter, & integre parebo. Præmissa omnia, & singula inviolabiliter observabo, & absque ulla tergiversatione adimplebo; si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim me toties quoties devenerit pœnis tam per prædictas Constitutiones, quam per novissimam SSmi D. Nostri Innocentii divina providentia Papæ XI. Constitutionem qua præsentis juramenti formula præscripta est respective impositis sponte, & libere subjicio ita tactis Sacrosanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Locus subscriptionis. Ego N. Manu propria.

§. 10. Cæterum volumus, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1678. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLIII. Dat. 15. Oct. 1678. An. 3.

Decreta S. Rituum Congregationis de iis, quæ in causis Beatificationum, & Canonizationum Sanctorum servanda sunt, approbantur.

Causæ horum Decretorum.

SAnctissimus D.N. Innocentius XI. provide considerans, quod in tota Ecclesiæ gubernatione nihil majus, aut gravius sit, quam homines declarari pro Sanctis, eosque uti tales colendos, & venerandos decernere, & perpendens, quod licet fel. rec. Urbanus VIII. de consilio Congregationis Sanctissimæ Inquisitionis nonnulla super hoc ediderit Decreta, subindeque Sacra Rituum Congregatio alias Ordinationes fecerit secundum casuum contingentias à Summis Pontificibus approbatas; nihilominus experientia docuit, quod adhuc nonnulla desiderantur pro meliori Causarum hujusmodi directione; idcirco jussit materiam diligenter discuti, primum in Congregationibus particularibus, deinde vero in generalibus prout factum fuit, & sub diebus 9. Julii, & 6. Augusti 1678. emanarunt Resolutiones sequentes, si eidem Sanctissimo placuerit publicandæ.

Decreta Congreg. Rituum.

§. 1.

De actis auctoritate ordinaria faciendis.

Primo. Animadvertens eadem Sac. Congregatio, quod necessarium sit, ut Processus auctoritate Ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, censuit mandari Ordinariis Locorum, ut ultra Testes inductos a Postulatoribus teneantur ipsi quoque inquirere, ac examinare alios Testes bene instructos super vita, & moribus Servi Dei, etsi aliquid repererint in contrarium: quod ipsis videatur relevans supersedeant in ulteriori inquisitione, donec Sac. Congregatio ab eis certiorata per Literas, mandet quid agendum sit.

Item de aliis auctoritate Apostolica.

Secundo. Hujusmodi diligentias servari vult etiam in Processibus auctoritate Apostolica faciendis a Judicibus Delegatis, quibus per Literas particulares Sacræ Congregationis enixe commendari debeat: & idem faciat Promotor Fidei in Literis scribendis Subpromotoribus.

De Actorum custodia, & secreto servando sub excommunicationis pœna.

Tertio. Et pro majori cautela præscribi debeat in Literis remissorialibus, quod non solum Interrogatoria retineantur semper clausa, & sigillata cum sigillis eorumdem Judicum, non aperienda, nisi in actu examinis, & claudenda in fine, sed ulterius depositiones ipsæ, antequam Processus sit absolutus, in fine cujuslibet sessionis claudi, & signari debeant cum sigillis Judicum, nec possint aperiri, nisi in præsentia ipsorum in principio cujuslibet examinis, & sessionis, ac hujusmodi diligentiæ fieri debeant etiam in Processibus fabricandis in Curia. Iidemque Judices, prout etiam Subpromotores, & Notarii, tam in partibus, quam in Curia, ac Testes, & in Curia etiam Protonotarius, debeat ante inchoationem Processuum præstare Juramentum de servando servatum religiose sub pœna excommunicationis ipso facto in casum contraventionis incurrendæ juxta formulam ejusdem Juramenti imprimendam in fine Decretorum, & pro omnimoda observantia transmittendam Judicibus Delegatis in ipsis Literis remissorialibus, & Subpromotoribus in Literis Promotoris.

De Interprete actorum extero sermone descriptorum, horumque versionum Examinatore.

Quarto. Considerans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in Causis Beatificationum, & Canonizationum constitui debent in fideli interpretatione Processuum extero idiomate confectorum, & quod licet ex laudabili observantia interpres semper fuerit electus ab Eminentissimo Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore; nihilominus super hoc Decreta generalia nihil disponunt. Idcirco decrevit, quod in posterum in qualibet causa Interpres eligatur ab eminentiss. Cardinali Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore, & pro majori cautela, postquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo Viro probo, & perito, qui secrete ad hoc Officium assumatur ab eodem Eminentissimo Ponente, & si reperiatur aliquis error substantialis, Interpres severe puniatur arbitrio Sacræ Congre-

gationis, per quem Eminentissimum deferri debeat tam Interpreti, quam Revisori juramentum de fideliter sibi munus commissum adimplendo, quibus etiam eadem Sacra Congregatio assignavit mercedem pro suis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, itaut facies sit linearum 24., & linea syllabarum 26.

De hisce omnibus diligenter servandis in Archivio S. Cōgregationis.

Quinto. Advertens etiam quam necessaria sit diligens custodia Processuum originalium, decrevit, quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum, qui sunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivio Sacræ Congregationis in Vaticano in loco clauso, & separato ab aliis scripturis, nec possint amoveri, nisi de ordine Eminentissimi Cardinalis Ponentis vel ad instantiam R.P. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus sit, & deinde reportandi, cujus Archivii duæ sint claves, una penes Pronotarium Apostolicum, qui pro tempore intervenerit Sacræ Congregationi, & altera penes Secretarium, & clavis loci, in quo custodiuntur dicti Processus, stet penes eundem Protonotarium; alterius vero, in quo retinentur aliæ scripturæ Sacræ Congregationis penes Secretarium.

De quatuor inventariis actorum omnium faciendis.

Sexto. Idemque Protonotarius etiam habeat facultatem revidendi Inventarium dd. Processuum, & quatenus non adesset, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una stet penes eundem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, & quarta in eodem Archivio, & in fine anni iidem Protonotarius, Promotor, & Secretarius revidere debeant dictum Inventarium, & conferre cum Processibus, ad effectum recognoscendi, an aliquid deficiat, & curandi, ut reportentur, & Secretarius referat in prima sequenti Congregatione.

De tempore quo committenda sit causa S. Congregationi.

Septimo. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum pagina 28., quod non prius Sedes Apostolica moveri soleat, quam Reges, Principes, & aliæ Personæ authenticæ, & honestæ instanter supplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non statim, sed expectare, quod diu pulsetur, nam si perdurabunt miracula, & supplicantium instantiæ, tum Summus Pontifex, si ei videbitur, committit Causam Sacræ Congregationi: Ideo si ista Sanctissimo visum fuerit, censuit eadem Sacra Congregatio Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die præsentationis Processus auctoritate Ordinaria fabricati, & cum præcedenti rigorosa discussione ejusdem Processus cum Scriptura, & Summario, & insuper habitis post decennium a die fabricationis illius novis literis Episcoporum circa percrebescentiam famæ sanctitatis, & miraculorum ac devotionis Populi exixe pro Beatificatione, & Canonizatione instantis. Nisi tamen in aliqua causa ex peculiaribus circumstantiis Sacra Congregatio existimaverit anticipari posse tempus in discussione Processuum, auctoritate ordinaria confectorum, & Sanctissimus hoc approbaverit.

De Causis ante Decreta Urbani VIII. introductis.

Octavo. In causis Servorum Dei ante Decreta fel. record. Urbani VIII. introductis, non signentur Commissiones reassumptionis, nisi prius per Sacram Congregationem examinatis Processibus, tam auctoritate ordinaria confectis, quam auctoritate Apostolica, quatenus adsint.

De extrajudicialibus testificationibus a nemine exquirendis.

Nono. Cum in Decreto approbato à fel. record. Urbano VIII. die 12. Martii 1631. impresso in libello pagina 57. Sacra Congregatio cognoscens, quod in hac re, utpote gravissima, rite, sancteque procedendum est, prohibuerit omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se, vel per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio ipsius Sacræ Congregationis infligendis, illud confirmando jussit, quod hujusmodi extrajudiciales attestationes non solum exquiri, aut obtineri non valeant, sed rursus quod hactenus obtentæ, sive in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in Processibus, tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate fabricandis.

De oneribus, & stipendio Subpromotoris fidei.

Decimo. Subpromotor Fidei a Reverendo Patre Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco spoliandi, & examinandi Processus (ex quibus pendet Beatificationum & Canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujusmodi munus diligentissime, ac cum omni rigore adimplere, ac Summaria, quæ solent a Procuratoribus fieri antequam Typis mandentur, conferat cum Processibus, subsecuta attestatione, quod fuerint per ipsum revisa, & in quolibet folio se subscribat, eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat postquam fuerint impressa cum iterata subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio, & Sigillum Secretarii, nec ante prædictas subscriptiones possint tam Summaria, quam Informationes publicari sub gravissimis pœnis, tam quoad Postulatores, quam etiam quoad Impressorem, arbitrio Sacræ Congregationis, seu Eminentissimi Cardinalis Præfecti infligendis. Idemque Subpromotor (quatenus ipse D. Promotor ex diligenti, & accurata revisione Processuum, quam facere solet, necessarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium objectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod Sacra Congregatio plurimum expedire cognoscit, ad hoc, ut veritas magis elucescat. Et pro quolibet Processu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet Dubio, persolvatur ei stipendium decem ducatorum auri præscriptum in Decretis generalibus pag. 62., cum declaratione tamen quod respectu Processuum auctoritate Apostolica in specie, qui pluries ad diversum effectum examinari debent, dictum stipendium debeatur pro tribus dubiis tantum, nempe prima vice quando disputatur validitas, secunda vice quando disputatur de virtutibus, seu de Martyrio, & causa Martyrii, & tertia vice quando disputatur de Miraculis, quamvis disputationes alicujus ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, seu eadem dubia in diversas inspectiones pro faciliori resolutione dividantur.

De Procuratoribus dumtaxat eligendis ex Collegio S. Paul. Ap.

Undecimo. Et quia materiæ gravitas, & dignitas exposcit, ut pertractetur, & dirigatur a Viris notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ, censuit Sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam Informationes in facto, quam Summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum Procuratores Collegii Sacri Palatii Apostolici, tribuendo Postulatoribus libertatem eligendi ex dicto cœtu quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non possit eodem tempore patrocinari plures causas, quam quatuor, adhoc, ut eis facilius operam dare possint, sub pœna inhabilitatis amplius scribendi in casum contraventionis, & liceat Partibus in quocumque statu causæ, rationabiliter tamen, & prævia licentia Eminentissimi Ponentis mutare Procuratorem dummodo alias in ejus locum subrogandus sit de eodem Collegio, & non habeat in totum plures causas, quam quatuor.

De Advocatis seligendis ex iis Collegii Cōsistorialis

Duodecimo. Advocati vero ad scribendum in Jure assumi debeant ad libitum Postulatorum, dummodo sint ex Collegiis Sacræ Consistorialis

Aulæ,

Aulæ, vel ex duodecim approbatis a S.Congreg.
De mercede Procuratorum, Advocatorum, & Notarii.

Aulæ, vel ex duodecim aliis approbatis a Sacra Congregatione, ita tamen, ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit.

Decimo tertio. Pro Mercede autem prædictorum, ac etiam Notarii, Sacra Congregatio jussit servari Taxas ab ea diligenter revisas, quæ, ut omnibus innotescant Typis mandari debeant, & in fine Decretorum inseri.

De scripturis Medicorum, vel Chirurgorum.

Decimo quarto. Cum etiam observatum fuerit sæpe Postulatores dare Scripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, & ex alia parte non fuerit solitum responderi per Peritos ejusdem professionis. Ideo videtur necessarium, ad hoc, ut respondeatur secundum Artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex Officio, secreto, & prævio juramento alium Medicum, vel Chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate, ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturæ.

§. 2.

Prædicta Decreta confirmantur a Pontifice.

Die 15. Octobris 1678. facta per me infrascriptum relatione Sanctissimo præfatorum Decretorum cum eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, & approbavit, atque servari mandavit, & publicari.

Joannes Baptista de Luca Auditor, & Secretarius Memorialium.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congregationis Secretarius.

§. 3.

Formula Juramenti Judicum ante inchoationem Processuum.

Ego infrascriptus tactis Sacrosanctis Evangeliis coram me positis juro, & promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus in Causa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. juxta formam Decretorum Sacræ Congregationis Rituum, & præcipue novissimorum, quæ confirmata fuerunt à Sanctissimo D. N. Innocentio XI. Necnon juro, & promitto religiose servare secretum, tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem, & super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis aliis Judicibus, & Subpromotore, ac Notario pro eodem Processu deputatis, & in Curia excepto etiam Protonotario, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ Sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim: Et ita promitto, & juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Idem Juramentum præstabitur a Subpromotore, & Notario, & in Curia etiam a Protonotario, mutatis mutandis.

§. 4.

Formula Juramenti Testium.

Ego infrascriptus tactis Sacrosanctis Evangeliis coram me positis, juro dicere veritatem, tam super interrogatoriis, quam super articulis, super quibus examinabor, necnon servare secretum, nec alicui penitus revelare, tam contenta in iisdem Interrogatoriis, quam responsiones, & depositiones à me factas, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ Sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim: Et ita promitto, & juro; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

§. 5.

Tassa per gli Avvocati, e Procuratori, che patrocinano le Cause di Beatificazione, e Canonizzazione nella Sac. Congregazione de' Riti, rinovata, e stabilita dalla medesima Sac. Congregazione.

Mercede per lo spoglio di Processo.

Primo. Per lo Spoglio universale, che si fa *pro una vice tantum* si osservi la Tassa del 1658. al §. 3., ove si dice, che non si possi dare più di sc. 4. per ogni centinaro di fogli di esso Processo ridotto, cioè, che il foglio sia due facciate, e ciascheduna facciata sia di linee 24., e la linea di sillabe 16.

Per le Scritture ne' dubbj principali.

Secondo. Per le Scritture ne i due soliti dubbj principali, cioè *super virtutibus, & miraculis*, si possino dare scudi venti per ciascheduna, e non più.

Per le Risposte, ed altre Scritture.

Terzo. Per le Risposte ne i medesimi dubbj si possono dare sc. 10., e per tutte l'altre scritture, che risguardano fatica considerabile in tutti gl'altri dubbj, si possono dare sc. 15. per ciascheduna Scrittura, e non più.

Per le Scritture d'introduzione, e reassunzione di Cause.

Quarto. Per le Scritture d'Introduzione delle Cause nuove, e di reassunzione di quelle introdotte avanti li Decreti del 1642., ad affetto di segnarsi nell'une, e nell'altre la Commissione, si possino dare sc. 15., e non più.

Per le Copie originali.

Quinto. Per le Copie originali di tutte le Scritture, si paghino bajocchi 15. il foglio ridotti come sopra.

Per il Sommario.

Sesto. Per il Sommario, che si farà sopra ciascun dubbio, si diano cinque bajocchi per carta dell'istesso Sommario, che sara fatto, ridotte le carte, come sopra.

Per li Memoriali.

Settimo. Per li memoriali di qualsivoglia sorte, o grandi, o piccoli, che sieno non si diano più di giulj 12. per ciascheduno, eccettuate le scritture di reassunzione, o introduzione delle Cause, quali sogliono andare sotto nome di Memoriali per li quali si osservi ciò, che s'è disposto di sopra al num. 4.

Per la Copia originale de' Sommarj, e Memoriali.

Ottavo. Per la prima copia originale, tanto delli sopraddetti Sommarii, quanto de i Memoriali, si dia solo bajocchi sei, la carta ridotta, come sopra.

Per l'Informazione a voce.

Nono. Per l'Informazione in voce, quando s'informa tutta la Congregazione con l'intervento de' Consultori, non si diano più di sc. 30. tra il Procuratore, e gl'Avvocati, quando s'informa la sola Congregazione ordinaria, si dia la metà.

Per l'Avvocato.

Decimo. L'Emolumento degli Avvocati sia di sc. 10. per la Scrittura, e per l'Informazione in voce sia il medesimo, che si dà a' Procuratori.

Per la Minuta di qualsivoglia Commissione.

Undecimo. Per la minuta di qualsivoglia Commissione, non si paghi più di giulj 15., e per le due copie da darsi al Sig. Cardinal Ponente, al Segretario, si paghi a ragione di bajocchi sei, il foglio ridotto, come sopra.

Per il Procuratore.

Duodecimo. Per l'accesso del Procuratore al Sign. Cardinal Ponente, ed al Promotore, e per la minuta, o copia originale del fatto concordato, non si paghi più di giulj 12.

Per l'Informazione a voce a N. S., e suo Uditore.

Decimoterzo. Per l'Informazione in voce di Nostro Signore, e dell'Auditore di Sua Santità, si diano al Procuratore scudi tre moneta, ed altrettanti all'Avvocato, se informerà anch'esso.

Per le Citazioni, ed Intimazioni.

Decimoquarto. Per le Citazioni, e Intimazioni non si paghi cos'alcuna, e per l'esecuzione di esse, si paghi a ragione della Tassa de' Cursori.

Per le Copie dell'Opposizioni del Promotore.

Decimoquinto. Le copie dell'Opposizioni del Promotore, eccetto la prima originale, si faccino fare dalle Parti, le quali fatte, che saranno,

ranno, dovranno portarle al Promotore, che sigillate le darà alle medesimo Parti per distribuirle alli Signori Cardinali, Protonotario, e Segretario, e Consultori.

Per la fatica, o Scrittura qui non espressa.

§. 1. Cum autem sicut dilectus Filius Josephus de Copons, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Josephum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatur prædictum Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLIX.

Conceditur Fratribus Capuccinis, ut Provinciam Comitatus Burgundiæ unire queant Lugdunensi, & hujus nonnulla Cœnobia Custodiæ Campaniæ, hancque in novam Provinciam erigere.

Dilectis Filiis Ministro Generali, & Ludovico de Jully Diffinitori Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Febr. 1679. An. 3.

Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Preces Regis Christianissimi.

CUM sicut pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, ipse Ludovicus Rex Provinciam Comitatus Burgundiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum Provinciæ Lugdunensi ejusdem Ordinis uniri, & quia hæc Provincia per unionem hujusmodi adeo ampla evaderet, ut difficile foret eam ab uno Ministro Provinciali visitari, aliquos Conventus ab illa dismembrari, eosque cum Custodia Campaniæ dicti Ordinis conjungi, ac novam exinde ejusdem Ordinis Provinciam formari plurimum desideret.

§. 1. Nos piis ipsius Ludovici Regis votis in præmissis quantum cum D. possumus favorabiliter annuere, ac felici prosperoque dictarum Provinciarum, & Custodiæ statui, regimini, & gubernio optime consultum esse cupientes, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de vera fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, & Religionis Zelo plurimum habentes in D. fiduciam vobis tam conjunctim, quam unicuique vestrum separatim, & in solidum supradictam Comitatus Burgundiæ Provinciam memoratæ Provinciæ Lugdunensi auctoritate nostra Apostolica perpetuo uniendi, annectendi & incorporandi, ab ipsa autem Provincia Lugdunensi, ne propter ejus amplitudinem nimis difficilis reddatur uni tantum Ministro Provinciali illius Visitatio, eos Conventus quos secundum datam vobis a D. prudentiam separandos esse judicaveritis, seu alter vestrum judicaverit dicta auctoritate itidem perpetuo separandi, & dismembrandi, ipsosque Conventus, sic separatos, & dismembratos cum præfata Custodia Campaniæ conjungendi, ac novam exinde dicti Ordinis Provinciam formandi, ac cum omnibus, & singulis juribus, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, privilegiis, gratiis, & Indultis solitis, & consuetis auctoritate præfata etiam perpetuo erigendi, & instituendi, aliaque omnia, & singula, quæ circa dispositionem Provinciarum hujusmodi necessaria, & opportuna fore censueritis, seu alter vestrum censuerit faciendi, mandandi, decernendi, & exequendi, ac executioni mandari curandi plenam, & amplam, ac quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Permittitur Ministro, & Diffinitori Generali potestas conjungendi Provincias prædictas duas, & constituendi novam aliam Campaniæ quorundam Cœnobiorum additione.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ordinis, & Provinciarum, ac Custodiæ, & Conventuum præfatorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis ha-

bentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Februarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

L.

Permittitur, ut in posterum nullus Canonicus Regularis Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Regno Portugalliæ votum habeat in Capitulis Generalibus ante expletum decennium ab emissa Professione.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 1. Martii 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Alexander ab Ascensione Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Joannis Evangelistæ in Regno Portugalliæ, quod cum in dicta Congregatione vigore antiqui usus, aut peculiaris Decreti Capituli generalis, non autem vigore Constitutionum Apostolicarum, aut Constitutionum ipsius Congregationis, votum in generalibus Capitulis haberet quicumque Sacerdos habitum gestavisset per sex annos; id vero cederet in damnum Congregationis, dum isti inexperti, & sæpe passionibus ducti non respiciebant ad bonum Congregationis: Capitulum generale ejusdem Congregationis anno 1677. celebratum decrevit, quod ingressuri in posterum d. Congregationem non haberent votum nisi postquam in ipsa Congregatione permansissent per annos vigintiquinque.

Preces Procuratoris Generalis pro confirmatione Decreti Capituli Generalis de voto non concedendo iis qui non permansissent in Congreg. 25. annos.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Alexander Procurator Generalis, ut Decretum hujusmodi inviolabiliter servetur, licet in tribus Capitulis generalibus confirmatum non fuerit, plurimum cupiat illud Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri: Nos ipsius Alexandri Procuratoris generalis votis hac in re quantum cum D. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris Marcelli Archiepiscopi Chalcedonen. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis nostri, & Apostolicæ Sedis Nuntii eisdem Cardinalibus super præmissis facta, ut in posterum ad d. Congregationem admittendi votum non habeant nisi expleto decennio post emissam Professionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Denegatur votum dumtaxat ante expletum decennium ab emissa Professione.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis S. Joannis Evangelistæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LI.

Dat. 4. Mart. 1679. An. 3.

Declarantur scandalosæ, & in praxi perniciosæ plurimæ propositiones in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio Divina Providentia Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus Dominus Noster Innocentius PP. XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a felic. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel Libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde EE. & RR. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis eorumdem EE. Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem SS. D. N. re postea mature considerata, statuit, & declaravit pro nunc *sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet.* Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

Post Alexandrum VII. quamplures aliæ propositiones examini subjectæ sunt.

Damnatæ vero insequentes.

Primo. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Circa probabilitatem.

Secundo. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Tertio. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Quarto. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

Quinto. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Dilectionem Dei.

Sexto. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

Septimo. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

Finem agendi.

Octavo. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Nono. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

Charitatem proximi.

Decimo. Non tenemur proximum diligere actu interno formali.

Undecimo. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Duodecimo. Vix in Sæcularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

Decimo tertio. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Decimo quarto. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

Decimo quinto. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpatrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

Fidem.

Decimo sexto. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

Decimo septimo. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

Decimo octavo. Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Decimo nono. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Vigesimo. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

Vigesimo primo. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Vigesimo secundo. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii non autem explicita Remuneratoris.

Vigesimo tertio. Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

Juramentum, & mendacium.

Vigesimo quarto. Vocare Deum in Testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

Vigesimo quinto. Cum causa licitum est jurare sive animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Vigesimo sexto. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

Vigesimo septimo. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

Vigesimo octavo. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habitu respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Vigesimo nono. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Homicidium.

Trigesimo. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

Trigesimo primo. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Trigesimo secundo. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

Trigesimo tertio. Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

Trigesimo quarto. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Trigesimo quinto. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Furtum.

Trigesimo sexto. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Trigesimo septimo. Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Trigesimo octavo. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

Trigesimo nono. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Contractum.

Quadragesimo. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito, cum intentione lucri.

Quadragesimo primo. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

Quadragesimo secundo. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.

Detractionem.

Quadragesimo tertio. Quid ni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

Quadragesimo quarto. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Simoniam.

Quadragesimo quinto. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit so-

lum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

Quadragesimo sexto. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

Electionem.

Quadragesimo septimo. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

Appetitus.

Quadragesimo octavo. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Quadragesimo nono. Mollities jure naturæ prohibita non est; Unde si Deus eam non interdixisset sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Quinquagesimo. Copula cum conjugata, consentiente Marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Quinquagesimo primo. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne Domo expellatur.

Quædam præcepta.

Quinquagesimo secundo. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

Quinquagesimo tertio. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

Quinquagesimo quarto. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

Quinquagesimo quinto. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Sacramentum Pœnitentiæ.

Quinquagesimo sexto. Frequens confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Quinquagesimo septimo. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Quinquagesimo octavo. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Quinquagesimo nono. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

Sexagesimo. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

Sexagesimo primo. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Sexagesimo secundo. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Sexagesimo tertio. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

Sexagesimo quarto. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

Sexagesimo quinto. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Prohibetur, ne quis relatas propositiones utcunque defendat.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. (Item ne iis in praxi utatur.) Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.

In alias vero propositiones adhuc a S.Sede non proscriptas, ab omni convicio, & censura abstineat.

Franciscus Riccardus S. R., & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Fides publicationis.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda; die vero 4. Mensis Martii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Innocentii, Divina Providentia Papæ XI. anno Tertio supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

LII.

Permittitur, ut Festum B. M. V. de Monte Carmelo cum Officio, & Missa propria Fratrum Carmelitarum celebretur ab omnibus in Regnis, & Dominiis Coronæ Portugalliæ subjectis.

Die 24. Septembris 1726. Benedictus XIII. hoc Festum cum Officio ab ipso approbato extendit ad Urbem, & Orbem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 24. Mar. 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ bonitatis altitudo humilitati nostræ,

meritis

meritis licet, & viribus longe impari committere dignata est, salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes piis Christifidelium, & præsertim personarum in sublimitate positarum, magnoque virtutum fulgore conspicuarum votis ad augendam in Terris augustissimæ, Sanctissimæque Deiparæ Virginis Mariæ cultum, & venerationem laudabili studio tendentibus favorabilem assensum paterna benignitate libenter præbemus, sicut ad augendam Christiani Populi devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Preces Reginæ Portugalliæ.

§. 1. Cum itaque sicut nomine Charissimæ in Christo Filiæ nostræ Mariæ Franciscæ Elisabethæ Portugalliæ, & Algarbiorum Reginæ illustris Nobis per Venerabilem Fratrem Ludovicum Archiepiscopum Bracharen. dilectissimi in Christo Filii nostri Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, ipsa Maria Francisca Elisabetha Regina pro peculiari sua erga Beatissimam Virginem præfatam devotione festum ejusdem Sanctissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo quotannis die 16. Julii, seu alia die intra illius octavam cum eodem officio ac Missa propria, quibus Fratres Ordinis ejusdem Beatae Mariæ Virginis de Monte Carmelo ex Indulto Sedis Apostolicæ prædictæ utuntur, in Regnis, & Dominiis Coronæ Portugalliæ subjectis celebrari posse summopere desideret: Nos ipsius Mariæ Franciscæ Elisabethæ Reginæ votis hac in re quantum cum Domino possumus paternæ charitatis studio annuere cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut festum gloriosissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur in omnibus Ecclesiis præfatorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, ac Provinciarum, & Ditionum quarumcumque Coronæ Portugalliæ subjectorum annis singulis die 16. Julii, seu alia die intra illius octavam cum officio, & Missa propria, quibus Fratres prædicti sicut præmittitur, utuntur, celebrari libere, & licite possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Prædictum Festum cum Officio, & Missa propria die 16. Julii vel alia intra octavam celebrandum extenditur ad omnes Ecclesias in locis Coronæ Portugalliæ sitas.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LIII.

Confirmatur Decretum, quo specialis Congregatio segregavit quatuor Cœnobia a Provincia Bavariæ Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 14. Apr. 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Decreti.

Nuper ad tollendas in posterum occasiones discordiarum, & scandalorum, quæ a plerisque annis in Provinciam Bavariæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini irrepserant, Congregatio nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus super negotiis dictæ Provinciæ a Nobis specialiter deputata, in vim facultatis sibi a Nobis attributæ, Conventus Salisburgensem, Dissembergensem, Ratembergensem, & de Schefel ab eadem Provincia Bavariæ segregavit, & dismembravit, eosque segregatos, & dismembratos esse voluit, & declaravit, uni, vel pluribus dicti Ordinis Provinciis adjacentibus commodioribus, vel magis opportunis per eamdem Congregationem opportuno tempore aggregandos, & incorporandos, relictis ipsi Provinciæ Bavariæ omnibus Conventibus, quæ in Bavaria existunt, quive in ea erigentur, ac insuper Conventu Ratisbonen. dicti Ordinis, ut Provinciam Bavaricam in posterum constituerent, ac integrarent, & alias prout uberius continetur in literis dilecti filii Nostri Palutii ejusdem S. R. Eccl. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, ejusdem Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris deputati emanatis, tenoris, qui sequitur, videlicet —

Literæ Emi Protectoris, in quibus refertur Congregationis Decretum.

§. 1. Palutius Tit. Sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Alteriis S. R. Eccl. Camerarius, ac totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini apud Sanctam Sedem Protector. Cum in Sacra Congregatione deputata per Sanctissimum D. N. Innocentium XI. feliciter regnantem pro negotiis Provinciæ Bavariæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini sub die 17. Martii 1679. in Domo Emi Domini Vidoni cum interventu EE. DD. Fachenetti, Franzoni, Carafæ, nostri de Alteriis, Columnæ, & ejusdem Vidoni, ad tollendas in posterum occasiones discordiarum, & scandalorum, quæ a plerisque annis irrepserunt, resolutum fuerit consulendum esse Sanctissimum, ut ex nimium justis, & rationabilibus motivis, & causis in eadem Congregatione mature perpensis, & examinatis dignaretur dismembrare a dicta Provincia Conventus Civitatis Salisburgensis, loci Dissembergh ejusdem Diœcesis Salisburgen., ac etiam Conventus de Rattembergh, & de Schefel in Tyrolensi Ditione, eosque aggregare uni, vel pluribus Provinciis adjacentibus commodioribus, vel magis opportunis; ita ut ipsa Bavarica Provincia constituatur in posterum ex solis Conventibus in ipsa Bavaria existentibus, aliisque in ea, ut speratur erigendis, necnon ex Conventu Ratisbonensi, qui in ea remaneat. Cumque relatione sibi facta, Sanctitas Sua hanc Congregationis resolutionem laudaverit, & approbaverit, eique opportunam ad id facultatem benigne fuerit elargita: Propterea eadem Sacra Congregatio, Pontificia auctoritate, præfatos Conventus Salisburgensem, Dissembergensem, Rattembergensem, & de Schefel a præfata Provincia Bavariæ segregat, & dismembrat, eosque segregatos, ac dismembratos esse vult, & declarat uni, vel pluribus Provinciis, ut supra opportuno tempore

Sejuncta fuerint a Provincia Bavariæ quatuor cœnobia postea a Congregatione adjungenda aliis Provinciis, in quibus Fratres

Bavarici servare poterant suos gradus, & prærogativas.

pore per eamdem Sacram Congregationem aggregandos, & incorporandos, relictis omnibus Conventibus, qui in Bavaria extant, quique in ea erigentur, ac insuper Conventu Ratisbonensi, ut Provinciam Bavaricam in posterum constituant, ac integrent: Ita tamen, ut Religiosi omnes prædictorum Conventuum Salisburgensis, Dissembergensis, & Rattembergensis, & de Schefel quamvis ratione originis Bavari sint, in eodem statu, & respective gradibus, in quibus reperiuntur; gaudeat omnibus prærogativis in Provincia, aut Provinciis, cui, vel quibus aggregabuntur, proinde ac si ab initio in iis professionem emisissent, absque ulla prorsus differentia. Eadem vero Sacra Congregatio nobis tamquam præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectori benigne commisit, ut hanc dismembrationem, ac segregationem Conventuum a se factam notificaremus, prout per præsentes notificamus, simulque vigore facultatis a Sanctissimo D. N. super hoc negotio specialiter Nobis factæ, præcipimus omnibus, & singulis PP., ac FF. præfatæ Provinciæ Bavariæ cujuscumque status, gradus, & conditionis existentibus in meritum salutaris obedientiæ, sub privationis utriusque vocis, graduum, & Officiorum, & in subsidium sub excommunicationis latæ sententiæ, quam hac una pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, aliisque nobis reservatis, & ipso facto incurrendis pœnis, ne sub quovis prætextu, aut quæsito colore, per se, vel per alios, directe, vel indirecte impedimento sint, quo minus præfata Conventuum dismembratio, ac segregatio executioni mandetur. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 25. Martii 1679. I. Cardinalis de Alteriis Protector.

Præcepta fuit d. segregationis executio sub certis pœnis.

Preces Superiorum, & fratrum d. Provinciæ Bavaricæ.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum dictæ Provinciæ Bavariæ nobis subinde expositum fuit, ipsi præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, segregationem, & dismembrationem supradictorum quatuor Conventuum a præfata Provincia Bavariæ, aliaque præmissa, tam a memorata Cardinalium Congregatione, quam a præfato Palutio Cardinale, & Protectore respective facta, & ordinata, ut præfertur, expeditasque desuper ejusdem Palutii Cardinalis, & Protectoris Literas præinsertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Congregationis Decretum, & Protectoris literæ confirmantur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Aprilis MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LIV.

Confirmatur regia electio S. Josephi in Patronum, & Protectorem omnium Regnorum ac Dominiorum Regis Catholici, & in ejus Festo Indulgentia plenaria conceditur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 19. Apr. 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Eximia pietas in Deum, ac erga Beatos Cœli incolas cum Christo regnantes, devotionis, aliarumque regiarum virtutum decora, cum præclaris in Ecclesiam Dei meritis, singularique in Nos, & Apostolicam Sedem fide conjuncta, quibus Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum multipliciter insignivit Altissimus, paternam nostram in eum charitatem adducunt; ut pia illius vota ad augendam in terris Sanctorum venerationem laudabiliter tendentia libentissime exaudiamus, cœlestiumque gratiarum dispensationi nostræ divinitus creditarum muneribus decoremus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Sanctorum honorem, Christianique populi præsidium, atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Preces Regis Hispaniarum pro confirmatione factæ ab ipso electionis S. Josephi in Patronum, & Protectorem suorum Regnorum.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius nobilis Vir Gaspar de Haro y Gusman, Marchio de Carpio pro dicto Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator Nobis nuper exponi fecit, idem Carolus Rex pro peculiari sua erga gloriosum Patriarcham Sanctum Josephum, Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ Sponsum devotione, universa Regna, & Dominia sua illius patrocinio, atque protectioni commiserit, ipsumque Sanctum Josephum in Patronum, & Protectorem eorundem Regnorum, & Dominiorum elegerit, cupiatque propterea opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri.

§. 2. Nos pium, & religiosum dicti Caroli Regis animum plurimum in Domino commendantes, supplicationibus ejus nomine Nobis per præfatum Gasparem Marchionem super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, electionem memorati Sancti Josephi in Patronum, & Protectorem Regnorum, & Dominiorum præfatorum factam, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; & de prædicto Sancto Josepho in Patronum, & Protectorem sic electo prærogativas omnes ejusmodi Patronis, & Protectoribus Regnorum, & Dominiorum com-

Confirmatur prædicta electio, & Sancto conceduntur prærogativæ omnes Patronis, & Protectores.

petentes

petentes decernimus, juxta tamen Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, & ad formam Constitutionis fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri super observatione Festorum die decima tertia Septembris 1642. emanata.

Item visitantibus Ecclesias d. Patroni in ejus festo conceditur Indulgentia Plen.

§. 3. Præterea ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, & Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui die Festo Sancti Josephi prædicti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi quascumque Ecclesias in Regnis, & Dominiis dicti Regis, Deo in honorem ejusdem S. Josephi hactenus dedicatas, & in futurum quandocumque dedicandas, earumque quamlibet quotannis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus quibuscumque Decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus generalibus, vel specialibus, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. April. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVI.

Confirmatur Decretum Definitorum Congregationis Camaldulensium de alternativa quatuor præcipuorum Officiorum in quatuor eorum Provinciis servanda.

Similis alternativa in Provincia Quitensi Eremitarum S. Augustini confirmata fuit ab eodem Pontifice in Constit. 29. *quæ incip.* Pro parte charissimi. *in hoc Volum. pag.* 223.

Dat. 22. Apr. 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM (sicut accepimus) in Dieta Congregationis Monachorum Camaldulensium Ordinis S. Benedicti die 23. Aprilis 1676. factum fuit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Ut servetur æquitas, & Justitia distributiva in electione Generalis, Procuratoris generalis, & Visitatorum unanimi consensu, & per vota secreta statuerunt; & decreverunt RR. PP. Definitores, ut in posterum in futuris Capitulis generalibus supradicta quatuor Officia alternatim distribuantur per quatuor Provincias Romandiolæ, Venetæ, Etruriæ, & Marchiæ, adeo quod unicuique Provinciæ unum ex prædictis quatuor Officiis conferatur tali ordine, & dispositione, ut postquam una ex prædictis Provinciis Generalatum obtinuerit, non possit iterum obtinere, nisi postquam per alias tres Provincias Generalatus fuerit distributus, & sic dispositum intelligatur de aliis tribus officiis.

Decretum Dietæ de alternativa electionum Generalis, Procuratoris Generalis, Visitatorum, & Definitorum in Provinciis Romandiolæ, Venetæ, Etruriæ, & Marchiæ.

Confirmatur relatum Decretum.

Nos Decretum hujusmodi rationi consentaneum, illiusque observantiam multum utilitatis dictæ Congregationi allaturam esse reputantes, de Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum consilio, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus; & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Cui additur, ut alternativa Generalatus incipiat a Provincia Etruriæ, & Marchiæ.

§. 1. Præterea considerantes, quod Provinciæ Etruriæ, & Marchiæ dictæ Congregationis Camaldulen. jam a multis annis Generalatu ejusdem Congregationis honoratæ non fuerunt, in proxime futuro ipsius Congregationis Capitulo generali unum Monachum expresse professum Provinciæ Etruriæ, vel Marchiæ hujusmodi qualitatibus ad id per Constitutiones dictæ Congregationis requisitis prædictum in Abbatem Generalem ejusdem Congregationis, servatis alias servandis, eligi, quoad reliqua vero tria Procuratoris, scilicet Generalis, & duorum Visitatorum Congregationis præfatæ munera dispositionem Decreti præinserti observari debere, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Camaldulen., ejusque Provinciarum, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Aprilis MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVI.

Extenditur Festum Patrocinii B. M. Virginis ab Alexandro VII. institutum in Regnis Hispaniarum ad omnia Dominia Regis Catholici.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Maii 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXimia, & Orthodoxæ fidei cultore, & assertore Rege digna Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici

erga Augustissimam, atque Gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio promeretur, ut piis illius votis ad augendam, & propagandam in Terris Cœli Reginæ super Choros Angelorum exaltatæ venerationem laudabili studio tendentibus favorabilem assensum paterna benignitate libentissime præbeamus.

Precibus Philippi IV. festum Patrocinii cum determinato Officio, & Missa cœptum fuit celebrari etiam a Regularibus in omnibus Hispaniarum Regnis.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexandro Papa Septimo pro parte claræ memor. Philippi Quarti dum vixit earundem Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod ipse Philippus Rex ad augendas Beatissimæ Virginis Mariæ præfatæ gratias pro plurimis beneficiis, quæ ab illa accepisse pro affectu profitebatur, unum festum particulare patrocinii Beatissimæ Mariæ Virginis nuncupandum in omnibus Hispaniarum Regnis aliqua die Dominica Mensis Novembris annis singulis celebrari summopere desiderabat; Idem Alexander prædecessor, supplicationibus præfati Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Clero, etiam Regulari præfatorum Regnorum Hispaniæ, ut aliqua die Dominica Mensis Novembris per Ordinarium loci designanda annis singulis festum Patrocinii ejusdem Beatæ Mariæ Virginis cum Officio duplici, quod recitatur die quinta Augusti in festo Dedicationis Sanctæ Mariæ de Nives, exceptis lectionibus secundi Nocturni, quæ sumerentur ex sermone Sancti Joannis Chrysostomi, *Dei filius &c* quæ habetur die duodecima Septembris, quinta infra Octavam Nativitatis ipsius Beatæ Mariæ Virginis, necnon cum Missa, quæ celebratur dicta die cum Gloria, & Credo, celebrare libere, & licite possent, & valerent, auctoritate Apostolica concessit, & indulsit: Præterea omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Missæ Solemni in die prædicta interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die vigesima octava Julii 1657. expeditis quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, plenius continentur.

Item concessa Indulgentia Plenaria adstantibus solemni Missæ Festi in aliqua Dominica Novembris celebrandi.

Preces Caroli II. Regis Hispaniarum.

§. 2. Cum autem sicut pro parte præfati Caroli Regis Nobis per dilectum filium Nobilem virum Gasparem de Haro y Gusman, Marchionem de Carpio ipsius Caroli Regis apud Nos & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, idem Carolus Rex paternæ pietatis exemplo, enixe cupiat concessam a memorato Alexandro prædecessore gratiam ad omnia, & singula ejus Dominia extendi, & ampliari: Nos pium ejus desiderium hac in re plurimum in Domino commendantes, illique quantum Nobis ex alto conceditur paterno affectu obsecundare cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis per præfatum Gasparem Marchionem super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ut Patrocinii Beatissimæ Virginis Mariæ festum hujusmodi cum Officio, & Missa, juxta formam, & tenorem præfatarum Alexandri prædecessoris literarum in posterum annis singulis aliis Dominiis eidem Carolo Regi subjectis celebrari libere pariter, & licite possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus similiter, & indulgemus. Ac etiam plenariam indulgentiam ab eodem Alexandro prædecessore concessam, ut præfertur ad omnia, & singula alia Dominia prædicta, servata tamen in reliquis supradictarum Alexandri prædecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate, & tenore præfatis extendimus, & ampliamus.

Extenditur festum prædictum una cum Indulgentia ad omnia dominia eidem Regi subjecta.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Alexandri prædecessoris literis concessa sunt, non obstantibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Maji MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVII.

Declaratur, Inquisitores Portugalliæ incurrisse in suspensionem Officiorum ob denegatam obedientiam præcepto Pontificis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Maji 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

CUm nos per nostras in simili forma Brevis die 24. Decembris proxime præteriti expeditas literas Venerabili Fratri Verissimo Archiepiscopo olim Bracharen tunc temporis munere Inquisitoris Generalis adversus hæreticam pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ex concessione, seu delegatione Apostolica fungenti in virtute Sanctæ obedientiæ districte præceperimus, & mandaverimus, ut intra terminum decem dierum, a die quo eædem literæ ei per Venerabilem Fratrem Marcellum Archiepiscopum Chalcedonen. nostrum, & Apostolicæ Sedis in Regnis præfatis Nuncium præsentatæ fuissent, computandum quatuor vel quinque Processus Originales in Tribunali Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem hujusmodi in eisdem Regnis auctoritate Apostolica instituto contra Reos de Judaismo inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, qui etiam tanquam negativi in pœnam ordinariam condemnati fuerant jam finitos, & terminatos in manibus ejusdem Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii realiter, & cum effectu consignasse, & tradidisse omnino deberet, alioquin elapso dicto termino, nec sequuta effectiva consignatione Processuum hujusmodi eo ipso tam ipsum Verissimum Archiepiscopum ab Officio Generalis Inquisitoris hujusmodi sibi a nobis per alias nostras pariter in forma Brevis emanatas literas demandato, omnique, & quacumque auctoritate sibi per easdem literas quomodolibet attributa, quam omnes, & singulos alios Inquisitores in eisdem Regnis a dicto Verissimo Archiepiscopo ejusque prædecessoribus Inquisitoribus generalibus respective electos, seu deputatos, vel confirmatos a suis pariter muneribus, omnique potestate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium in præfatis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis quovis modo spectantibus, donec, & quousque aliter a nobis, & Sede Apostolica præfata dispositum, vel ordinatum fuisset penitus, omnino suspenderimus, ac ipso facto suspensos fore, irritumque, & inane, si quid subinde desuper tam a præfato Verissimo Archiepiscopo, quam ab aliis Inquisitoribus prædictis, vel eorum aliquo quomodolibet, & quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigisset, & tam ipsum Verissimum Archiepiscopum, quam cæteros omnes, & singulos Inquisitores præfatos, si præceptum nostrum hujusmodi transgredi, aut alias quomodolibet primo-

Mandatum fuit Inquisitori Generali, ut acta quædam traderet Nuncio Apostolico.

Sub pœna suspensionis officiorum, quam alii Inquisitores statim incurrissent.

Item sub pœnis Canonicis S. Sedi reservatis.

dictis literis contravenire ausi fuissent, ipso facto in pœnas canonicas, ipsum quidem Verissimum Archiepiscopum tunc Inquisitorem Generalem in pænam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, cæteros vero Inquisitores prædictos in excommunicationem majorem respective absque alia declaratione incursuros esse decreverimus, & declaraverimus; Absolutionem autem ab iisdem pœnis Nobis, & huic Sanctæ Sedi specialiter reservaverimus, & alias prout in primodictis literis nostris, quorum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Verum (sicut accepimus) idem Verissimus Archiepiscopus olim Inquisitor Generalis mandato, & præcepto nostris sibi per easdem literas minime paruerit, & proinde tam ipse, quam cæteri olim Inquisitores prædicti suspensionem a suis respective muneribus præfatis, omnique potestate, & auctoritate agendi, seu procedendi; aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium quovis modo spectantibus incurrisse reperiantur: Hinc est, quod Nos præmissa ad omnium, quorum interest, & in futurum intererit, notitiam, nequis illorum ignorantia forsan decipiatur, deduci volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, cæterosque præfatos ob non præstitam mandato, & præcepto nostris hujusmodi circa consignationem Processuum supradictorum in manibus prædicti Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii, ut præfertur, faciendam, in termino supra expresso debitam paritionem, eo ipso suspensionem prædictam incurrisse; ac proinde statim elapso termino hujusmodi eos omnes, & singulos nullam omnino in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium quomodolibet pertinentibus jurisdictionem habuisse, nec de præsenti habere: & propterea omnia, & singula per eosdem gesta post incursum dictæ suspensionis, & si quæ forsan per eos inposterum agentur in Materiis Sancti Officii hujusmodi ob defectum Jurisdictionis penitus, & omnino nulla, & invalida fuisse, & esse, ac fore tenore præsentium declaramus.

Ob inobedientiam Inquisitores omnes declarantur suspensi ab Officio, & eorum acta nulla.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, aliive quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant; in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, nec causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali; ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, moderari, limitari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos; etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in literis supradictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus literis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Maji MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVIII.

Permittitur Superiori Generali Presbyterorum Missionis facultas condonandi ex Assistentium consensu novæ probationis tempus, reddendique jus electionum, & prærogativas redeuntibus ad Congregationem.

Constitutiones hujus Congregationis confirmatæ fuerunt à Clem.X. Const. 2., quæ inc. Ex injuncto nobis, *pag.6. & Const. 5. quæ inc.* Alias fel.rec. *pag. 10. in hoc Vol. qua statutum fuit a Summo Pontifice, & Superiore Generali dumtaxat commutari, aut dissolvi posse vota in eadem Congregatione emissa.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 5. Junii 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior Generalis, & Presbyteri Congregationis Missionis, (quod, cum alias, videlicet die 18. Januarii 1673) in Conventu Generali dictæ Congregationis, qui tunc habebatur, propositum fuisset dubium -- An eos, qui post emissa vota egressi ex eadem Congregatione, cum dispensatione postea regrediuntur, oporteat denuo biennium in Seminario, antequam ad vota admitterentur, nullo excepto, exigere. Præterea: Utrum anni ad deputationes, atque electiones requisiti a votis posterioribus tantum in fine biennii post regressum emissis computandi essent, nulla habita ratione prioris temporis in Congregatione ante egressum transacti: remissa fuit ad diem sequentem dubiorum hujusmodi resolutio, eoque die repetita desuper tractatione placuit Conventui, ut ad tollendam omnem dubietatem a Sede Apostolica pro Superiore Generali dictæ Congregationis peteretur facultas, primo dispensandi ex toto, vel ex parte in præfato biennio cum illis, ad quorum probationem hoc tempus necessarium non esse judicaret; deinde restituendi omnino, vel partim in jus deputationum; atque electionum, tam activarum, quam passivarum, aliasque prærogativas, illos, qui per antiquorum votorum dissolutionem eo exciderant; ita tamen ut Superior Generalis neque dispensaret, neque restitueret, nisi de consensu suorum Assistentium ad plura medietate suffragia cum sua ipsius prærogativa. Quare exponentes prædicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superioris Generalis, & Presbyterorum.

§. 1. Nos

§. 1. Nos igitur specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfato moderno, & pro tempore existenti Superiori Generali dictæ Congregationis, ut de consensu suorum Assistentium ad plura medietate suffragia cum sua ipsius prærogativa illis, qui post emissa vota prædicta ex eadem Congregatione egressi fuerint, ut præfertur, & subinde ad illam redierint, biennium Seminarii, sive novæ probationis hujusmodi in totum, vel pro parte, prout secundum datam sibi a Domino prudentiam expedire judicaverit, auctoritate nostra Apostolica remittere, seu desuper cum illis opportune dispensare, ac etiam illos ad jus deputationum, atque electionum tam activarum, quam passivarum, aliasque prærogativas, quibus ante eorum egressum fruebantur, omnino, vel partim dicta auctoritate restituere, & reintegrare libere, licite, & valide possit, & valeat, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Conceditur d. Superiori, ut queat remittere partem, vel totum Seminarii biennium, sicut & jura, & privilegia restituere Presbyteris revertentibus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Junii 1679. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LIX.

Confirmatur Decretum Cardinalis Protectoris, quo vetatur sub Excommunicationis pœna, ne Fratres laici Tertii Ordinis S. Francisci in provincia Siciliæ præcedant Clericos etiam professione posteriores.

De præcedentia inter Fratres Laicos professos, & Clericos Novitios Capuccinorum, vide quid statutum fuit ab Urb. VIII. Constitut. quæ inc. Nuper pro parte.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 9. Junii 1679. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Nuper pro parte dilecti filii Bonaventuræ Rossi Procuratoris, & Commissarii Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationi venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito, quod cum in Provincia Siciliæ dicti Ordinis inoleverit abusus antiquus, ut Fratres Laici quo ad præcedentiam cum Fratribus Clericis etiam Diaconis juxta antiquitatem professionis concurrerent, non sine manifesta indecentia, & depressione conditionis Ecclesiasticæ, & Sacrorum Ordinum, ipse Bonaventura plurimum cupiebat ordinari, ut Fratres laici dictæ Provinciæ in posterum professuri locum Clericis etiam posterioribus cedere deberent, alioquin ad professionem non admitterentur, quemadmodum apud Fratres Minores Capuccinos nuncupatos, aliorumque Ordinum Religiosos, ac etiam in aliis Provinciis Tertii Ordinis prædicti observare dicebatur, eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 23. Martii proxime præteriti emanatum, attenta relatione venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Ostien. ejusdem S.R.E. Cardinalis Barberini nuncupati, præfati Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, supplicem Libellum super præmissis porrectum remisit eidem Francisco Episcopo Cardinali, & Protectori, ut præfatum abusum in prædicta Provincia etiam sub pœnis ipsi benevisis omnino tollerent, Ipse vero Episcopus, & Cardinalis Protector auctoritate sibi per præfatam Congregationem attributa, Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet. Attentis expositis, auctoritate Nobis a Sacra Congregatione attributa, illique inhærendo &c. de cætero Fratres Laici, seu Conversi, qui in posterum ad habitum, seu Professionem in prænarrata Provincia Siciliæ Tertii Ordinis S. Francisci admittendi erunt quovis sub prætextu, quæsito colore, vel ingenio, etiam ratione antiquioris suæ ad habitum Regularem dicti Ordinis receptionis, aut in eo emissæ professionis, seu cujusvis consuetudinis, Fratres Clericos ejusdem Ordinis in quibusvis functionibus tam publicis, quam privatis, necnon in locis, & actibus quibuscumque præcedere, & ne quicumque Superiores ejusdem Ordinis id deinceps quoquo modo permittere audeant, vel præsumant sub excommunicationis pœna ipso facto pro contrafacientibus incurrenda, tenore præsentium statuimus, ordinamus, & prohibemus, in contrarium prænotata consuetudine, & aliis quibuscumque non obstan. In quorum &c. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apostolicæ hac die 19. Aprilis 1679. A Cardinalis Barberinus Protector – Loco Sigilli.

Decretum Protectores auctoritate Congregationis editum, ne in posterum Conversi ob quamlibet causam, & quocunque in loco Clericos præcedere audeant.

§. 1. Cum autem sicut præfatus Bonaventura Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Bonaventuram Procuratorem, & Commissarium generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Francisco Episcopo Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eo contentis

Preces Procuratoris, & Commissarii Generalis.

Confirmatur relatum Decretum.

tentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatæ Provinciæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LX.

Confirmantur Confraternitates omnes sub titulo SS. Rosarii, tametsi de canonica aliquarum institutione non constet, nec eæ unquam innovatæ juxta Constitutionem Clementis VIII. vel contra formam in ea præscriptam erectæ fuerint.

Similem Confirmationem Confraternitatum S. Scapularis in Ecclesiis Carmelitarum existentium habemus in 66. Clem. X. Const. quæ incip. Exponi Nobis *in hoc Volum. pag. 101.*

Dat. 15. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Montoii Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet multæ in dicti Ordinis, aliisque Ecclesiis, seu Oratoriis existant Confraternitates utriusque sexus Christifidelium sub titulo Sanctissimi Rosarii, quæ suas functiones adinstar similium Confraternitatum obtinent, multaque pietatis, & Christianæ charitatis opera exercent, de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio institutione forsan non constat, & in aliarum erectionibus, & institutionibus præscripta per Constitutionem fel. rec. Clementis PP. VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit. *Quæcumque a Sede Apostolica &c.* die 7. Decembris 1604. editam forsan servata non fuerunt, & aliæ ante emanatam Constitutionem hujusmodi erectæ, & institutæ, novas erectionum, & institutionum hujusmodi, ac communicationis Indulgentiarum, facultatum, & privilegiorum literas intra tempus ab eadem Constitutione præfixum, seu etiam postea, impetrasse minime reperiuntur. Nobis propterea dictus Antonius Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Magistri Generalis Ord. Prædicatorum.

§. 1. Nos igitur ipsum Antonium Magistrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas Confraternitates prædictas sub titulo Sanctissimi Rosarii in quibusvis tam dicti Ordinis quam aliis Ecclesiis, seu Oratoriis ubicumque locorum de præsenti existentes, tametsi de eorum canonica ab initio erectione, & institutione non appareat, nec ipsæ Confraternitates novas erectionum, & institutionum, seu communicationis Indulgentiarum facultatum, & privilegiorum hujusmodi literas intra tempus a præfata Clementis prædecessoris Constitutione præfixum obtinuisse reperiantur, nec in earum erectionibus, & institutionibus præscripta per easdem Constitutiones servata fuerint, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & validamus, easque in statu valido esse, & fore decernimus, declaramus in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illas omnes, & singulas ab ipso initio canonice erectas, & institutas fuisse, novasque erectiones, & institutiones suo tempore juxta formam memoratæ Constitutionis Clementis prædecessoris obtinuisse constaret, & in reliquis ejusdem Constitutionis forma in illarum erectionibus, & institutionibus respective servata fuisset, omnesque, & singulos Juris, & facti defectus, qui propter præmissa desuper quomodolibet intervenerunt, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus; & quatenus opus sit ipsas Confraternitates omnes, & singulas servata tamen cæteroqui Constitutionum, & Decretorum hujus Sanctæ Sedis præsertim circa distantiam locorum in erectione Confraternitatum similis instituti servandam emanatorum, forma, & dispositione, de novo erigimus, & instituimus. Cæterum in erectione, & institutione similium Confraternitatum de cætero faciendis, formam in supradicta Clementis prædecessoris Constitutione præscriptam adamussim servari volumus, alioquin erectiones, & institutiones hujusmodi nullius omnino sint roboris, & momenti.

Firmantur a Pontifice prædictæ Confraternitates nunc existentes, dummodo serventur S. Sedis Decreta.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac præfata Clementis prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Vo-

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXI.

Permittitur, ut quædam Indulgentiæ a tribus Pontificibus, & duobus Legatis S. Sedis Confraternitatibus SS. Rosarii concessæ describi possint in Summario Indulgentiarum dictarum Confraternitatum, tametsi earum originales literæ non reperiantur.

Dat. 16. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentiæ concessæ ab Alexan. Nuncio in Germania.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Montoy Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet dudum bon. mem. Alexander dum vixit, Episcopus Forolivien. tunc Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de Latere per totam Germaniam Nuncius omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus Confraternitatis SSmi Rosarii Confratribus, & Consororibus in singulis quinque Bmæ Mariæ Virginis præcipuis Festivitatibus, scilicet Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis centum, & quoties per se, vel per alios Rosarium Virginis, quod quinquagies salutationem Angelicam, & quinquies orationem Dominicam complectitur, legissent, vel legi fecissent, aut in die Sabbati feriali, vel festivo, quando *Salve Regina* caneretur post completorium apud Fratres Ordinis Prædicatorum coram Altari Clementissimæ Virginis, ubi præfata Confraternitas instituta erat, præsentes adstitissent, quadraginta dies de Indulgentia singulis vicibus, quibus id fecissent, pro injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxaverit, ac postmodum, accepto per fel. rec. Six. PP. IV. prædecessorem nostrum, quod in Ecclesia Domus Ordinis Prædicatorum Civitatis Colonien. erat quædam Confraternitas utriusque sexus fidelium *de Rosario B. Virginis* nuncupata ad honorem Angelicæ salutationis instituta, cujus Confratres, & Consorores intra spatium trium dierum cujuslibet hebdomadæ Orationem Dominicam quindecim, & Angelicam salutationem centum quinquaginta vicibus ad honorem ejusdem B. Virginis Mariæ juxta ipsius Confraternitatis instituta dicere consueverant, quas quidem Orationes, & salutationes *Rosarium* appellabant, & extra d. Civitatem Colonien. in aliis Civitatibus, & locis erant quamplures utriusque sexus ejusdem Confraternitatis Confratres, & Consorores: idem Sixtus prædecessor voluerit, & ordinaverit, quod omnes, & singuli Confratres, & Consorores Confraternitatem prædictam servantes, tam in dicta Civitate Colonien., quam & alibi ubicumque locorum tunc, & pro tempore existentes vere pœnitentes, & confessi, qui Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam prædictas modo præmisso dicerent, in singulis Nativitatis, Annunciationis, & Assumptionis B. M. Virginis Festivitatibus Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum consequerentur: & insuper bo. mem. Raymundus tit. S. Mariæ Novæ Presbyter Cardinalis tunc per Germaniam dictæ Sedis Legatus eisdem Confratribus, & Consororibus pro quolibet Rosario centum dies Indulgentiarum perpetuo concesserit, originales tamen Literæ super concessionibus Indulgentiarum hujusmodi emanatæ de præsenti non reperiuntur, quamvis de ipsis concessionibus, & Literis rec. mem. Leonis PP. X. prædecessoris pariter nostri, quæ incipiunt, *Pastoris æterni &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1520. pridie nonas Octobris sub plumbo expeditis, per quas Indulgentiæ præfatæ ab eodem Leone prædecessore approbatæ, confirmatæ, & innovatæ, ac de novo perpetuo concessæ fuerunt.

A Sixto IV.

A Raymundo Legato Germaniæ.

A Clem. VII.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, subinde piæ mem. Clemens PP. VII., etiam prædecessor noster quasdam Literas, per quas similis rec. Adrianus PP. VI. pariter prædecessor noster Confratribus, & Consororibus Confraternitatis ad Altare in Cappella *de Rosario* nuncupata B. M. Virginis situm in Ecclesia Domus S. Dominici Oppidi de Victoria d. Ordinis Calaguritan. Diœcesis institutæ, qui in eadem Cappella, seu Ecclesia hujusmodi unam quinquagenam *Rosarium, seu Psalterium* nuncupatam recitassent, pro qualibet die, qua id fecissent, quinquaginta annos de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxaverat, auctoritate Apostolica extenderet, & ampliaret, ad hoc ut prædicti Confratres dictæ Confraternitatis tunc, & pro tempore existentes, qui d. Psalterium in aliqua Ecclesia, seu Oratorio cujusvis loci, in quo eos pro tempore residere contingeret, devote recitassent, quoties id fecissent, Indulgentias præfatas consequerentur, quas consequuturi fuissent, si in d. Ecclesia S. Dominici juxta tenorem concessionis d. Adriani prædecessoris id recitassent, prout uberius contineri dicitur in Literis ipsius Clementis prædecessoris sub Plumbo desuper anno Incarnationis Dominicæ 1525. pridie nonas Aprilis emanatis, quæ quidem originales non inveniuntur, sed in quodam Libro in Hispania dudum cum approbatione tunc existentis Nuncii Apostolici in Regnis Hispaniarum residentis impresso leguntur. Cumque pariter non reperiantur originales Literæ similis mem. Gregorii PP. XIII. etiam prædecessoris nostri die 24. Octobris 1577. (ut ex illarum exemplis Bononiæ impressis apparet) expeditæ, per quas idem Gregorius prædecessor universis, & singulis utriusque sexus Confratribus tunc pro tempore existentibus Confraternitatis Rosarii Gloriosissimæ Virginis Mariæ in Cappella familiæ de Guidottis sita in Ecclesia Domus S. Dominici Ordinis Prædicatorum Bononiæ canonice institutæ pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui singulis annis solemni Processioni prima Dominica cujuslibet mensis in dicta Ecclesia celebrandæ interfuissent, & d. Cappellam devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, & unione, ac hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, necnon in singulis Festivitatibus ejusdem B. M. Virginis eamdem Cappellam pariter visitassent, & ut præfertur oravissent, quo die prædictorum id fecissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

A Gregorio XIII.

Preces Magistri Generalis Ord. Prædicatorum.

§. 2. Quia vero de præsenti conficitur summarium Indulgentiarum Confratribus, & Consororibus Confraternitatum SSmi Rosarii concessarum, & respective auctoritate Apostolica extensarum, & ampliatarum, prævia Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum approbatione ad communem utilitatem publicandum, ne de supra expressis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, pœnitentiarum relaxationibus dubitari contingat, præfatus Antonius Magister Generalis opportune in præmissis a nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos piis ipsius Antonii Magistri Generalis votis hac in re quan-

tum

tum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; de memoratorum Cardinalium consilio, ut omnes, & singulæ Indulgentiæ, ac peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes supra narratæ in summario prædicto apponi, & exprimi possint, ac Confraternitatum hujusmodi, & Confratribus, & Consororibus suffragentur, & suffragari debeant in omnibus, & per omnia proinde ac si originales Literæ præfatorum Sixti IV., Clemen. VII., & Gregorii XIII. prædecessorum nostrorum, ac Alexandri Episcopi Nuntii, & Raymundi Cardinalis Legati super earum concessionibus emanatæ apparerent, & exhiberentur; auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus; & indulgemus. Ac ad majorem cautelam; & quatenus opus sit, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes modo, & forma supra expressis harum serie de novo in perpetuum concedimus.

Permittitur, ut in Summarium inferi possint prædictæ Indulgentiæ, quæ etiam denuo conceduntur.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXII.

Confirmantur, & innovantur duo Brevia Urbani VIII. pro Provincia S. Josephi Ordinis Minorum Discalceatorum adversus Fratres aliarum Provinciarum ad Curiam Matriti accedentes.

Dat. 17. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

In primo Brevi, statutum fuit, ne fratres Discalceati ad Aulam Regiam Matriti accedentes in alia, quam in una ex eorum duabus domibus morarentur, nec eleemosynam peterent sub certis penis.

Dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster motu suo proprio, ac ex certa scientia omnibus, & singulis cujusvis Provinciæ Hispaniarum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Fratribus Discalceatis, qui de suorum Superiorum licentia ad Aulam Regiam Matriti pro rebus, & negotiis ibidem gerendis pro tempore se conferrent, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis suæ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis præcepit, mandavit, ne in alia, quam in una ex duabus Domibus Regularibus Sancti Ægidii, & S. Bernardini dicti Ordinis in Oppido Matriti in hujusmodi existentibus, arbitrio tamen Ministri Provincialis Provinciæ S. Josephi eorumdem Fratrum diversarentur, neve cujusvis generis eleemosynam in præfata Aula sub quovis prætextu, aut quæsito colore petere auderent, seu præsumerent, dummodo in eisdem Domibus Regularibus omnia necessaria ipsis Fratribus juxta regularis observantiæ normam subministrarentur, & alias prout plenius continetur in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Urbanus PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus, licet ex omnibus Provinciis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum in Regnis Hispaniarum existentibus, Fratres ad S. Ægidii, & S. Bernardini Domos Regulares ejusdem Ordinis Oppidi Matriti Toletanæ Diœcesis, pro negotiis, aliisque eorum rebus gerendis se recipere soleant, & illis quo tempore in eisdem Domibus regularibus commorantur, de omnibus rebus ad eorum sustentationem necessariis provideatur, interdum tamen in Domibus Regularibus Fratrum dicti Ordinis non Discalceatorum diversantur, eleemosynisque Benefactorum prædictarum duarum Domuum regularium utuntur, exindeque Benefactores ipsi plus æquo gravantur, nulla habita per eosdem Fratres eleemosynarum ratione, quas a prædictis Benefactoribus primo dictæ duæ domus regulares dietim recipiunt, quo fit, ut non leve felici prædictarum duarum Domorum regularium gubernio præjudicium inferatur, quæ nullam aliam eleemosynæ assignationem habent, præter eam, quam in dies quærunt, & quæ illis datur, quandoquidem pia Missarum celebratione nullius generis eleemosynam accipiant, sed illæ pro Benefactoribus celebrantur. Quare nos præmissis quantum cum Domino possumus obviare, ac primodictarum duarum Domorum regularium indemnitati consulere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia nostra omnibus, & singulis cujusvis Provinciæ Hispaniarum Ordinis prædicti Fratribus Discalceatis hujusmodi, qui de Superiorum suorum licentia ad Aulam Regiam Matriti pro rebus, & negotiis hujusmodi pro tempore se conferent in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis per præsentes præcipimus, & mandamus, ne in alia, quam in una ex primodictis duabus Domibus regularibus arbitrio tamen dilecti filii Ministri Provincialis Provinciæ S. Josephi eorumdem Fratrum diversentur, neve cujusvis generis eleemosynam in prædicta Aula sub quovis prætextu, aut quæsito colore petere audeant, seu præsumant, dummodo in primo dictis duabus Domibus regularibus omnia necessaria Fratribus prædictis juxta regularis observantiæ normam subministrentur; in eventu vero, in quem iidem Fratres aliqua re indiguerint, ad Guardianum alterius ex primodictis duabus Domibus regularibus, in qua diversabuntur, non autem ad alios Superiores, seu dicto Guardiano inferiores recursum habeant. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Primum Breve Urb. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXVIII. Julii MDCXXXVI.

Pontific. nostri Anno Decimotertio M. A. Maraldus. Loco ✠ Sigilli.

In secundo Brevi confirmatum fuit Decretum Ministri Generalis Ordinis, quo inter alia injungebatur Guardiano, ne permitteret, prædictos fratres morari Madriti ultra 20. dies.

§. 1. Et subinde pro parte tunc existentium Fratrum dictæ Provinciæ S. Josephi d. Urbano Prædecessori exposito, quod pro felici præfatarum Domorum Regularium, seu Conventuum S. Ægidii, & S. Bernardini regimine, & gubernio, tunc existens Minister Generalis dicti Ordinis inter alia statuerat, & ordinaverat, ut exteris Fratribus ad Conventus hujusmodi pro tempore venientibus, tempus viginti dierum pro terminandis, expediendisque eorum negotiis assignaretur, & quatenus intra dictos viginti dies negotia hujusmodi non expedirentur; iidem Fratres exteri è dicta Curia migrare, & ad suas Provincias regredi deberent, relicta penes Procuratorem Conventus negotiorum hujusmodi expediendorum, & exactè solicitandorum cura: Præfatus Urbanus prædecessor Statuta, & Ordinationes hac super re ab eodem Ministro Generali facta auctoritate Apostolica confirmavit, & approbavit; & propterea omnibus, & singulis Ordinis, & Conventuum hujusmodi Superioribus quocumque nomine nuncupatis tunc, & pro tempore existentibus in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, vocisque activæ, & passivæ, ac suorum officiorum privationis, aliisque arbitrio suo pœnis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis mandavit, ut præfata Statuta, & Ordinationes exacte, & accurate observarent, ac ab aliis observari curarent, & facerent, & alias prout uberius, etiam continetur in aliis ejusdem Urbani Prædecessoris literis pariter in forma brevis emanatis, tenoris qui sequitur videlicet. Urbanus PP. VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Provinciæ S. Josephi, quod pro felici, prosperoque Conventuum S. Ægidii, & S. Bernardini dicti Ordinis Oppidi Matriti Toletanæ Diœcesis regimine, & gubernio dilectus Filius Joannes Merinero Ordinis hujusmodi Minister Generalis, sub die 10. Januarii præsentis anni 1642. statuit, & ordinavit, ut ab exteris dicti Ordinis, aliarum Provinciarum Religiosis Discalceatis hujusmodi, qui in dies pro suis, aut suorum Parentum, seu consanguineorum negotiis ad Curiam Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici se conferunt, ne Conventus præfatos in aliquo gravent, neve disciplinam Regularem inturbent in ipso eorum adventu Guardianus primodicti Conventus S. Ægidii pro tempore existens, obedientiales literas, quas deferunt petere, & quænam venerint negotia tractaturi, sciscitari, & quærere teneatur; Si vero compererit negotia hujusmodi non multum urgere Fratres Discalceatos exteros hujusmodi ad dictam Curiam sic accedentes non ultra biduum inibi consistere, & detineri curet; Si tamen negotia hujusmodi seria, & urgentia fuerint eisdem Fratribus Discalceatis exteris tempus viginti dierum pro terminandis, expediendisque eorum negotiis assignet, illosque è Conventu in quo degunt egredi, non cum sociis, quos secum duxerint, sed cum Procuratore Conventus, aut cum socio dicti Procuratoris, jam ad id a Provincia designari faciat: si vero contingat intra dd. viginti dies negotia hujusmodi nullatenus expediri, eosdem exteros Fratres Discalceatos hujusmodi e dicta Curia migrare, & ad suas Provincias regredi curet, firma remanente penes eumdem Priorem negotiorum hujusmodi expediendorum, & exacte solicitandorum cura, ad quem effectum idem Joannes Minister Generalis in virtute S. Obedientiæ, & Spiritus Sancti injunxit eidem Guardiano ut præmissas ordinationes, & mandata irremissibiliter exequatur, exteris autem Fratribus Discalceatis hujusmodi, ut Guardiano ejusdem Conventus S. Ægidii nunc, & pro tempore existenti uti eorum Prælato, & Commissario in omnibus, & singulis dictam dispositionem concernentibus pareant, & obediant, ac insuper obedientiam, necnon mandata a dilecto Filio Ministro Provinciali ejusdem Provinciæ pro illius bono regimine emanata, quæ illis ubi primum ad Conventum pervenerint, notificari debeant, observent; voluitque idem Minister Generalis, ut Fratres Discalceati exteri dicti Ordinis, qui ad eamdem Curiam accedunt, nec ad Conventum S. Francisci dicti Oppidi Ordinis hujusmodi nec ad personarum Sæcularium Domos divertere, nec ibi pernoctare ullatenus possint, sed in eisdem SS. Ægidii, & Bernardini Conventibus commorari teneantur, quodque, nec per se, nec per interpositam personam cujusvis generis eleemosynas quoquo modo quærere audeant, nisi re prius eidem Guardiano Conventus Sancti Ægidii hujusmodi communicata, & obtenta desuper ab eodem licentia. Ne vero præfatæ ordinationes, & Statuta a quoquam d. Ordinis Superiore alterari possint; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut illa confirmationis nostræ patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Statuta, & Ordinationes d. Joannis Ministri Generalis præfata Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti quantumvis substantiales, & formales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Mandantes propterea omnibus, & singulis dicti Ordinis, & Conventuum hujusmodi Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute S. Obedientiæ, ac sub excommunicationis, vocisque activæ, & passivæ, ac suorum officiorum privationis, aliisque arbitrii nostri pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis, ut præfatæ ordinationes, & Statuta exacte, & accurate observent, & ab aliis observari curent, & faciant, ac decernentes præsentes Literas validas semper, & perpetuo firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari debere; irritumque, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Ordinis, Provinciæ, & Conventuum hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, aut de verbo ad verbum, non autem per

Alterum Breve Urb. VIII.

clau-

clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Dec. 1642. Pontificatus nostri Anno vigesimo -- M. A. Maraldus loco ✠ Annuli Piscatoris.

Causæ confirmandi, & innovandi relata Brevia.

§. 2. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum dictæ Provinciæ S. Josephi Nobis nuper expositum fuit, literæ præinsertæ temporis progressu in desuetudinem abierint, nec accurate observatæ fuerint, propter recursus, quos Fratres illas eludendi gratia ad personas primarias habuerunt, mediaque efficacissima, quæ adhibuerunt, unde magnum eidem Provinciæ enatum est detrimentum: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superiorum, & fratrum Provinciæ S. Josephi.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes:

Confirmantur, & innovantur Brevia, eorumque executio omnibus præcipitur sub certis pœnis.

§. 4. Hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas binas Urbani Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illas ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, exacte, & accurate observari præcipimus, & mandamus, necnon omnes, & singulos tam Fratres, quam Superiores, qui literis præinsertis, etiam una vice, contravenerint, eo ipso excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum per eos obtentorum pœnas, & præsertim Superiores qui Fratres prædictos in duobus Conventibus supradictis, vel eorum altero contra dispositionem literarum præinsertarum ultra viginti dies retinuerint, seu morari permiserint, absque alia declaratione incursuros esse declaramus.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Junii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regular.; quo declaratum fuit, Fratres Discalceatos Ordinis S. Augustini non habere jus aggregandi ad Confraternitatem Cinturatorum, posse tamen eos Confraternitates Corrigiatorum erigere.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Julii 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- *In Causa Augustinianorum verten. inter Patrem Generalem totius Ordinis Sancti Augustini ex una, & Patres Vicarios Generales Discalceatorum Congregationum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Lusitaniæ altera ex partibus &c.-- Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus auditis referente Eminentissimo Crescentio, censuit non licere Discalceatis Jus aggregandi ad Confraternitatem Cincturatorum Sanctæ Mariæ de Consolatione positam in Ecclesia Sancti Jacobi Bononiæ. Posse tamen erigere Confraternitates Corrigiatorum in propriis eorum Ecclesiis tantum, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Clementis VIII. incipien.* Quæcumque &c. *sub die 7. Decembris 1604., & Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis; Ideoque erectionem factam in Ecclesia Discalceatorum in Civitate Ulyssiponæ esse nullam. Romæ 30. Septemb. 1678.-- Card. Gaspar Carpineus.*

Decretum Congregationis Episcop. & Regul.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Eremit. S. Augustini.

§. 1. Cum autem, sicut Dilectus filius Dominicus Valvasorius Procurator Generalis Fratrum Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Dominicum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatur relatum Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ

munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Junii 1679. Pontificatus Nostri anno Tertio.

LXIV.

Adscribitur in albo Sanctorum Servus Dei Thuribius Archiepiscopus Limanus.

Hic Beatus Sanctorum albo adscriptus fuit a Benedicto XIII. 4. Idus Dec. 1726. in Const. quæ incipit: Quoniam Spiritus.

Dat. 28. Junii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Laudemus Viros gloriosos, qui magni virtute, adepti sunt gloriam in conversatione Gentis, & commissas sibi oves verbo, & exemplo fideliter pascere, Deique Domum ædificare, atque corroborare studuerunt; qui quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, Ecclesiam universam nominis sui celebritate, & spiritualium aromatum odore impleverunt, ac demum feliciter decurso mortalis ævi studio, immarcescibilem justitiæ coronam in æterna Cœlestis Hierusalem stabilitate accipere meruerunt. Quos inter cum Dei Servus Thurribius, olim Archiepiscopus Limanus, charismata meliora æmulatus, ac Theologicarum, Moraliumque virtutum omnium fulgore conspicuus, longe lateque splenduerit; Apostolici muneris, quod viribus licet, & meritis impares, divina dignatione gerimus, ratio exigit, ut illius cultui, & venerationi in terris, ad Dei laudem, ad Ecclesiæ decus, & præsidium, ad Christiani populi spiritualem ædificationem, atque consolationem, potestate nobis a Domino tradita, consulamus.

Declaratum fuit a S Congr. Rituum, dictum Dei servum dignari posse nomine Beati.

§. 1. Cum itaque confectis dudum ex hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia processibus de vitæ sanctitate, heroicisque virtutibus, quibus idem Servus Dei Thurribius multipliciter fulsisse, piisque studiis, quibus Catholicam fidem, Ecclesiasticamque disciplinam per Sanctæ Synodi Tridentinæ Decreta sancitam in nova illa Christianitate stabilivisse, ac miraculis quæ ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, post maturam diligentemque illorum discussionem coram Nobis constituta, auditis eorum Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quandocumque Nobis placeret, ad solemnem ipsius Servi Dei Thurribii canonizationem juxta ejusdem S.R.E. Congreg. Rituum tuto deveniri, ac interim indulgeri, ut nuncupetur Beatus, & de eo tamquam Confessore Pontifice Officium recitetur, & Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebretur.

Preces Caroli Regis Catholici, & aliorum.

§. 2. Hinc est, quod piis, enixisque precibus charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Charissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, ac Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, Cleri, Universitatum, Collegiorum & Populorum tam Hispaniarum, quam Regni Peruani Nobis super hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium unanimi consilio pariter, & assensu, & auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei Thurribius olim Archiepiscopus Limanus in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ Venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu semiduplici in omnibus Ecclesiis tam Sæcularium, quam Regularium utriusque sexus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore Pontifice singulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 27. Aprilis, qua ipsius Servi Dei Corpus translatum, & in Metropolitana Ecclesia Limana repositum fuit, cum spiritum Creatori reddiderit die 23. Martii, quæ feriis Quadragesimæ, vel Festis Pascalibus impedita esse solet. Hæc autem, videlicet recitationem Officii, & Missæ celebrationem fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, nempe in Civitate, & Diœcesi Limana, ubi obiit, in Civitate Majoricæ, in qua natus est, & in Collegio Ovetensi nuncupato, Universitatis Studii Generalis Salmanticen., in quo humanis, divinisque Literis imbutus fuit, & quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Propterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, & quoad Indias die quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Civitatum, & Diœcesis, ac Collegii præfatorum respective solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die ab Ordinariis locorum respective constituta, & intra sex Menses promulganda, postquam tamen eadem solemnia in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint, pariter celebrandi facimus potestatem.

Insignitur Servus Dei Torribius Beati nomine ejusque festum cum Officio, & Missa die 27. Apr. in quibusdam locis celebrari permittitur.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Junii 1679. Pontificatus Nostri anno Tertio.

LXV.

Declaratur, Provinciam S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fr. Minorum Discalceatorum frui debere omnibus juribus, & Privilegiis aliarum ejusdem Ordinis Provinciarum.

Dat. 10. Julii 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Huic Provinciæ a Clem. X. erectæ ab eodem concessa fuerunt jura, & privilegia omnia aliarum Provinciarum præsertim Hispanicarum.

Alias fel. rec. Clemens Papa X. prædecessor noster motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Custodiam Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, quæ in executionem quarumdam ipsius Clementis prædecessoris in simili forma Brevis literarum auctoritate Apostolica erecta, & instituta, variisque gratiis, & ordinationibus pro felici illius gubernio emanatis per alias ternas ejusdem Clementis prædecessoris pariter in forma Brevis literas decorata, atque stabilita fuerat, in novam Provinciam Fratrum Discalceatorum Hispaniæ dicti Ordinis, quæ Provincia S. Petri de Alcantara Regni Neapolis nuncupari deberet, ac Capitula Provinciali pro Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum, aliorumque Officialium ipsius Provinciæ electione, nec non Congregationes, aliosque

que congressus ad instar aliarum Provinciarum Ordinis hujusmodi celebrare, omnibusque, & singulis prærogativis, præeminentiis, juribus, honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ, tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, & possent in futurum pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, ut signanter illis, quæ Provinciis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis prædicti a quibusvis Romanis Pontificibus ejus prædecessoribus, ac præsertim a recolendæ memoriæ Urbano Papa VIII. per quasdam suas in forma Brevis literas, quarum initium, *Cum ea &c.* die 25. Junii 1639. expeditas concessa sunt, nec non omnibus, & singulis indultis, privilegiis, & gratiis custodiæ præfatæ ab ipso Clemente prædecessore per quinas suas literas quomodolibet concessis, & quibus Custodia ipsa eatenus gravisa erat, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite posset, & valeret, ita tamen ut nova Provincia hujusmodi facultate fundandi, & erigendi novos Conventus de sola Ordinariorum licentia, quæ dictæ Custodiæ auctoritate Apostolica concessa reperiebatur, non nisi in locis, in quibus Fratres de Observantia, vel Reformati nuncupati Ordinis prædicti non essent, uti valeret, sine cujusquam præjudicio in perpetuum erexit, & instituit, & alias prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 7. Februarii 1675. expeditis, quarum, & aliarum literarum præfatarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Referuntur Pontifices, a quibus concessa fuerunt prædicta jura, & privilegia.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Joannes a Sancta Maria Custos, & nuper primus Minister Provincialis dictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis Nobis exponi fecit præcipua privilegia, gratias, & indulta dictis Provinciis Hispaniæ concessa à rec. mem. Gregorio XIII. per suas, quarum initium, *Adhuc Nos Dominus &c.* die 12. Novembris 1677. ad favorem Provinciæ S. Josephi, & Clemente VIII. per suas proxime dictarum confirmatorias, quarum initium *Dudum &c.* die 25. Martii 1592. ad favorem ejusdem Provinciæ S. Josephi, & a dicto Urbano VIII. tam per supradictas ad favorem Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ, quam alias suas, quarum initium, *Alias fel. rec. Gregorius PP. XIII. &c.* ad favorem omnium Provinciarum Discalceatorum die 8. Aprilis 1642., ac alias, quarum initium, *Alias postquam per re. me.* die 30. Julii 1642. ad favorem earumdem Provinciarum, & alias incipientes; *Alias pro felici, prosperoque regimine &c.* confirmatorias præcedentium die 22. Decembris ejusdem anni 1642. ad favorem Provinciarum hujusmodi, & alias quarum initium, *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus &c.* die 7. Februarii 1643. ad favorem Provinciæ S. Gabrielis, ac alias incipientes, *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus &c.* confirmatorias præcedentium die 4. Martii ejusdem anni 1643. ad favorem omnium Provinciarum Discalceatorum, & reliquas suas, quarum initium, *Religiosorum &c.* die.... Februarii 1642. ad favorem Provinciæ S. Didaci, nec non Alexandro VII. Romanis Pontificibus etiam prædecessoribus nostris per suas, quarum initium, *Cum sicut dilecti filii &c.* die 18. Martii 1649. ad favorem dictarum Provinciarum S. Josephi, & S. Joannis Baptistæ, & alias incipientes, *Exponi nobis nuper fecerunt &c.* per quas privilegia per Præfatos Gregorium XIII. Clementem VIII., & Urbanum VIII. prædecessores eisdem duabus Provinciis S. Josephi, & Sancti Joannis Baptistæ concessa ad omnes alias Provincias Discalceatorum extendit, die 5. Novembris 1665. respective expeditas in simili forma Brevis literas emanaverint:

Causa hujus Declarationis.

§. 2. Et licet dubitari non possit, quin privilegia, gratiæ, & indulta hujusmodi a memorato Clemente X. prædecessore præfatæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, cui ad servandam cum aliis Provinciis uniformitatem, tuendamque in ea Regularis disciplinæ, quæ in ea benedicente Domino viget, observantiam, atque Religiosam tranquillitatem omnino necessaria sunt, satis superque communicata fuerint, & proinde Provincia ipsa illis frui, & gaudere possit; quia tamen in præfatis Clementis X. prædecessoris literis super erectione Provinciæ hujusmodi emanatis de præfatis prædecessoribus nostris, eorumque literis super enunciatis specifica mentio facta non fuisset, fieri possit, ut humani generis hoste superseminante zizania eidem Provinciæ semper usu, & fruitione privilegiorum, gratiarum, & indultorum hujusmodi controversia moveatur, aut impedimentum aliquod præstetur, tametsi eadem privilegia, gratiæ, & indulta nec in toto, nec in parte hactenus revocata reperiantur, sed plenam roboris obtinent firmitatem. Nobis propterea dictus Joannes Custos, & Exprovincialis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Custodis, & Exprovincialis.

§. 3. Nos igitur eamdem Provinciam in pacis amœnitate, regularisque observantiæ vigore conservare, ac præfati Joannis votis favorabiliter annuere volentes, eumque, & omnium, & singulorum Superiorum, & Fratrum Provinciæ singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, nec non literarum præfatarum tenores, & datas etiam veriores, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam Provinciam S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, omnesque, & singulos ejus Conventus, ac Superiores, & fratres præsentes, & futuros omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, favoribus, gratiis, & indultis, quæ dictis Provinciis Hispaniæ, seu earum alicui, illarumque respective Superioribus, & Fratribus quibuscumque a præfatis Gregorio XIII. Clemente VIII. Urbano VIII., & Alexandro VII. prædecessoribus per eorum literas supra enunciatis respective quomodolibet concessa, & attributa, seu confirmata, & concessa fuerunt, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa omnia, & singula ipsi Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, illiusque Conventibus, ac Superioribus, & Fratribus prædictis nominatim, & in individuo per memoratum Clementem prædecessorem in suis literis super erectione Provinciæ hujusmodi emanatis concessa reperiantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, atque decernimus. Et quatenus opus sit ipsi Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, ejusque Superioribus, & Fratribus præfatis, ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, juribus, honoribus, gratiis, & indultis hujusmodi, nec non illis, quæ eis a præfato Clemente X. prædecessore, sicut præmittitur, concessa fuerunt, uti, potiri, & gaudere libere, pariter, & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis de novo concedimus, & indulgemus.

Extenduntur jura, & privilegia omnia aliarum Provinciarum ad Provinciam Neapolitanã, cui etiam, si opus est, ea denuo conceduntur.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper

semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præfatorum prædecessorum nostrorum literis supradictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die X. Julii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXVI.

Conceditur Privilegium præscriptionis centenariæ Canonicis Regularibus S. Joan. Evangelistæ in Lusitania.

De horum Congregatione vide Constit. ..... quæ incipit: Exponi nobis. *ad vero facti intelligentiam vid. Pauli III. Constit. quæ incipit:* Benignitas.

Dat. 2. Sept. 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

PRo parte dilectorum filior. Canonicorum Regularium Congregationis S. Joan. Evangelistæ in Lusitania Nobis nuper expositum fuit, quod dudum eo tempore, quo Congregatio Cassinen. Monachorum Ordinis Sancti Benedicti fruebatur Indulto Apostolico, ut contra ipsam non curreret præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum, fel. rec. Paulus Papa III. Prædecessor Noster, communicando dictæ Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Lusitania Privilegia præfatæ Congregationis Cassinen., communicavit expresse inter cætera Privilegium præfatum. Et quia prædictus Paulus Prædecessor communicavit non solum Privilegia usque tunc concessa, verum etiam in posterum concedenda dictæ Congregationi Cassinen., etiam per modum extensionis; Cassinensi autem Congregationi idem Paulus Prædecessor concessit Indultum centenariæ, seu præscriptionem sexaginta annorum extendit ad centum, iidem Exponentes plurimum cupiant a Nobis declarari, competere etiam ipsorum Congregationi privilegium centenariæ, vel quatenus opus sit de novo concedi, ut ita in posterum occupantium iniquitati obvietur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Precesdictorum Canonicorum.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardin. Concilii Tridentini Interpretum, qui primodictam Congregationem stantibus præmissis, dicto privilegio non indigere censuerunt, consilio, eidem Congregationi Canonicorum Regularium Sancti Joannis Evangelistæ in Lusitania Privilegium centenariæ Præscriptionis hujusmodi iisden omnino modo, & forma, quibus supradictæ Congregationi Cassinen. a memorato Paulo Prædecessore concessum fuit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Conceditur eis prædictum privilegium ad instar illius Monachorum Cassinensium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ præfatus Paulus Prædecessor in suis Literis super præmissis respective emanatis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Jupicio quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die II. Septemb. MDCLXXIX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Extenduntur Indultum de Altari Privilegiato, & Indulgentia Plenaria ad decennium concessa in die Commemorationis Defunctorum pro Regnis Hispaniarum, ad alia Regna, & Dominia Regis Catholici in perpetuum.

LXVII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 20. Sept. 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, cui spiritualium gratiarum dispensationem commisit Altissimus, Christifidelium devotionem ad Christianæ pietatis, atque charitatis opera uberiori in dies cœlestium thesaurorum elargitione libenter incitat, ac confovet, sicut pia Catholicorum Regum Orthodoxæ fidei tuendæ, & propagandæ zelo, aliisque præclaris virtutum decoribus ac in Ecclesiam Dei meritis fulgentium vota flagitant, & ipse personarum, rerum, temporum, & locorum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad gloriam Omnipotentis Dei, ac Animarum salutem, piorumque, & religiosorum operum incrementum, ac spiritualem Christiani Populi consolationem, atque ædificationem cognoscit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Alias siquidem supplicationibus Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis per dilectum filium

nobilem

nobilem virum Gasparem de Gusman Haro Marchionem de Carpio, pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Regnis Hispaniarum degentibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Parochialem suam respective Ecclesiam die Commemorationis defunctorum a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei inclusive annis singulis devote visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate, conjunctæ ab hac luce migravissent, per modum suffragii applicare possent, misericorditer in Domino concessimus. Præterea, ut omnes, & singulæ Missæ, quæ eodem die Commemorationis defunctorum per quoscumque Sacerdotes, tam sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, vel Instituti Regulares, in prædictis Hispaniarum Regnis ad quæcumque Altaria celebrarentur, animabus fidelium defunctorum, pro quibus celebratæ fuissent, perinde suffragarentur, ac si ad Altaria Privilegio Apostolico pro animabus defunctorum decorata celebratæ fuissent, auctoritate Apostolica indulsimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die decimaquinta Martii proxime præteriti expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluimus, & quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Precibus Caroli Regis concessa fuit prædicta Indulgentia visitantibus Parochialem Ecclesiam.

Item Indultum quo Missæ omnes censerentur dicto die veluti celebratæ in altari privilegiato.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte memorati Caroli Regis Nobis per prædictum Gasparem Marchionem ejus Oratorem nuper expositum fuit, idem Carolus pro eximia sua pietate literas nostras prædictas ad reliqua omnia sua Regna, status, ditiones, & dominia ampliari, ac in perpetuum extendi plurimum desideret: Nos religiosum ejusdem Caroli Regis desiderium hujusmodi luculentiori, atque largiori paternæ nostræ Charitatis benignitate quantum Nobis ex alto conceditur, prosequi, enixisque illius precibus Nobis super hoc per eumdem Gasparem Marchionem devota humilitate porrectis favorabiliter annuere cupientes, Indulgentiam plenariam, & indultum, aliasque gratias a Nobis per literas nostras prædictas pro Regnis Hispaniarum ad decennium tantum concessa, ut præfertur, ipsasque literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, ad reliqua omnia, & singula Regna, status, ditiones, & dominia dicti Caroli Regis, servata tamen in reliquis earumdem literarum forma, & dispositione, auctoaitate prædicta tenore præsentium extendimus, & ampliamus; ipsasque literas sic extensas, & ampliatas perpetuis futuris temporibus valere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia suffragari debere decernimus, & declaramus.

Aliæ preces Caroli Regis.

Extenduntur Indulgentia, & Indultum ad alia regna, & dominia in perpetuum.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Septembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXVIII.

Permittitur, ut translato Festo S. Benedicti, transferatur etiam Indulgentia Plenaria eo die concessa visitantibus aliquam sui Ordinis Ecclesiam.

Eam Indulgentiam concessit Clemens X. Constit. quæ incip. Commissæ Nobis. *ut supr. Tom. VI. pag. 378.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Sept. 1679. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM dudum fel. rec. Clemens Papa X. prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum tam Monachorum, quam Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium eatenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo ejusdem Sancti Benedicti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitavisset, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserit, prout in ipsius Clementis prædecessoris literis, desuper in simili forma Brevis die decima nona Decembris 1671. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur. Et sicut pro parte dilectorum filiorum Procuratorum Generalium Cassinensis, & Hispaniæ Congregationum Ordinis Sancti Benedicti, Nobis nuper expositum fuit, mobilitatem festivitatis Paschatis Resurrectionis Dominicæ festum ejusdem Sancti Benedicti interdum in hebdomadam majorem incidat, eaque de causa in alium diem transferatur, ac propterea dicti Procuratores Generales opportune super hoc a Nobis, provideri, & ut infra indulgeri plurimum desiderent: Nos eorumdem Procuratorum generalium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque memoratum festum Sancti Benedicti ex causa prænarrata ad aliam diem transferatur, Christifideles prædicti qui aliquam ex Ecclesiis supradictis eo die, ad quem translatio hujusmodi facta fuerit, devote pariter visitaverint, cæteraque omnia in literis præfatis præscripta adimpleverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem a præfato Clemente prædecessore, sicut præmittitur, concessam consequantur in omnibus & per omnia, perinde ac si præmissa omnia in ipso festo non translato adimplevissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium in perpetuum concedimus, & indulgemus.

A Clemen. X. concessa fuit illa Indulgentia plenaria in festo S. Benedicti.

Causa translationis prædictæ Indulgentiæ.

Preces Procuratorum Generalium.

Transfertur Indulgentia ad quemcumque diem, quo celebrabitur festum S. Benedicti.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides

ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Sept. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXIX. Confirmatur Protestatio Fratrum Minorum de Observantia circa Regulæ executionem, & nonnullæ declarationes, ac Ordinationes motu proprio adduntur.

Dat. 20. Nov. 1679. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo pastoralis officii quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, nos urget, atque impellit, ut Religiosorum Virorum Ordines ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Animarum salutem sapienti pietate ab hac S. Sede institutos, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentes, in sanctis, ac primævis eorum Institutis confovere, & conservare, ac a noxiis, quæ primigeniæ religiositatis Spiritum, atque rigorem extinguere, & relaxare possent, tueri, & præmunire, felicibusque illorum in via Mandatorum Dñi progressibus consulere, quantum nobis ex alto conceditur, studeamus.

Dicta protestatio pluries emissa est in Capitulis General., & ultimo in Vallisoletano.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) in pluribus Capitulis generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, & novissime in Vallisoletano, quod anno 1670. celebratum fuit, unanimi omnium Fratrum vocalium consensu declaratum, & protestatum fuerit, in nullo Regulæ eorumdem Fratrum Minorum præcepto eatenus cum Fratribus Minoribus de corpore observantiæ, sive Observantes, sive Reformati, sive Discalceati, sive Recollecti dicantur, dispensatum fuisse, nec ipsum observantiæ corpus ullam unquam admisisse, vel admittere dispensationem in Regula, sed potius velle pro viribus, Domini favente auxilio, illam pure observare juxta Summorum Pontificum declarationes a Fratribus Observantibus, seu de Observantia in suis statutis generalibus, recapitulatis pro cismontanis anno 1663., & pro ultramontanis anno 1621. ac a Reformatis, Discalceatis, & Recollectis in suis particularibus Constitutionibus respective admissas, & receptas.

Confirmatio hujus Protestationis.

§. 2. Nos pro majori hujus protestationis firmitate, & ut in Ordine præfato status, & Regula Fratrum Minorum pure observetur, singulisque Fratribus prætextus eam transgrediendi præcludatur, eamdem protestationem, & declarationem supra expressam harum serie auctoritate Apostolica approbantes, & confirmantes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium declaramus, omnes, & singulos Fratres de Corpore Observantiæ dicti Ordinis teneri in conscientia observare Regulam Fratrum Minorum S. Francisci, & præcepta a fel. rec. Nicolao III., & Clemente V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris exposita, & numerata, ad normam Constitutionum prædictarum respective, & signanter præter præcepta, quæ non ita frequenter occurrunt, & recitationem Divini Officii, teneri ad jejunia præcepta in Regula, nisi excuset necessitas; ad incedendum sine Calceamentis, hoc est absque aliquo, quod pedem cooperiat, cujuscumque illud materiæ sit, nisi adsit vera necessitas à Prælato approbanda; ad non equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas judicio Superiorum probata excuset; ad vilitatem vestium juxta prædictas Constitutiones respective; ad non utendum pluribus vestimentis, quam illis, quæ Regula præscribit, nempe una Tunica cum caputio, & alia sine caputio, chorda, & fœmoralibus: nam aliud quodvis vestimenti genus ultra prædicta (excepto Mantello ab initio Religionis licito) ut indusia, seu camisiæ, sudariola, tunicellæ, & similia sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans a præcepto per Prælatum approbata; ac demum teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis denariis per se, vel per interpositam Personam. Aliarum enim rerum necessariarum possunt Fratres Minores de corpore observantiæ hujusmodi habere usum, licet non dominium, denariorum autem nec dominium, nec usum: & proinde quævis contractatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit pure naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, cujuscumque Domini sint denarii, seu pecunia, Fratribus Minoribus Observantibus, seu de Observantia est omnino prohibita. Ac propterea omnes, & singulas dispensationes, concessiones, & consuetudines, si quæ contra præmissa in corpore observantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino revocamus, ac revocatas, cassatas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuas esse, & perpetuo fore decernimus, & declaramus. Declarantes tamen pariter, quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus pro puriori illius observatione, sive ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III., & Clementis V. Prædecessorum præfatorum, sive secundum dispositionem Constitutionum rec. me. Martini IV. & Martini V., ac Pauli IV. prædecessorum pariter nostrorum, prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respective fuerit receptus.

Declaratur, singulos teneri in conscientia ad observantiam Regulæ, & præceptorum quorum nonnulla hic referuntur.

Dispensationes, & consuetudines in contrarium tolluntur.

Usus tamen Syndici Apostolici non censetur Regulæ contrarius.

Observanda in receptione ad habitum, & professionem.

§. 3. Ut autem in ingressu Religionis unusquisque de obligationibus, quas assumere vult, plene informetur, statuimus, ut nullus recipiatur ad habitum regularem in eodem ordine, nisi prius plene informatus sit de prædictis præceptis Regulæ obligantibus in conscientia, & prævia hac notitia, velit probationem subire, nec quisquam admittatur ad professionem regularem, nisi prius examinatus sit de intellectu Regulæ, & præceptorum ejus juxta prædicta, & deinde immediate ante illam coram tota Communitate fiat ei protestatio, quod ad observantiam Regulæ cum omnibus ejus præceptis, tunc enumerandis, & exprimendis, obligetur in professione, eamque protestationem admittat, & sub ea professionem faciat.

Qui eligi nequeant in Superiores.

§. 4. Quia vero efficacius prædicta observandi medium est exemplum Prælatorum, sive Superiorum, ideo statuimus pariter, neminem eligi posse in Prælatum, sive Superiorem in ordine prædicto, qui vitam Communem observantiæ non sequatur, hoc est, qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat, qui Indusiis, seu Camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui Jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non observet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitati Chori, Refectorii, & aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Porro electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda ut a

Electio aliter facta quomodo reprobanda.

Prælato,

Prælato, sive Superiore Generali, capta Informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu Judicii, cum Consilio tamen; & assensu trium Fratrum, qui Ministri Provinciales; vel saltem Definitores Provinciæ sint, vel fuerint; ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur, qui eam non observet, oneramus.

Prohibetur administratio bonorum, & redditum cujuscunque sub certis pœnis.

§. 5. Demum, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælatis, sive Superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nullo Religioso ejusdem Ordinis permittant administrationem Fundorum, redditiuum, aut quarumcumque aliarum rerum, & Bonorum Mobilium, vel immobilium cujuscumque Domini illa sint, & signanter ut nulli Religiosorum Ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus Monasterii Monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam eo, quod Superiores, & Fratres Ordinis prædicti, aliique quilibet cujuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis veridica, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis; vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, & incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controversiam vocari, aut ad terminos juris, seu statutorum, & Constitutionum dicti Ordinis reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, Facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio; vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia; & potestate fungentes, & functuros; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate; & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis; ejusque Congregationum, Reformationum, Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, aliisve quibuslibet etiam Juramento; confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, ejusque Superioribus, Fratribus, & Personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, aliisque Decretis in genere; vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter; & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis; approbatis; & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores; hujusmodi formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus; si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Novem. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXX.

Confirmantur quædam Statuta Fratrum Minorum de Observantia a S. Sede prius ad examen revocata.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Nov. 1679. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio præpositi, illa, quæ pro felici prosperoque Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei pie sancteque institutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium gubernio, & progressu provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

Hujusmodi Statuta emanarunt a Capitulo Generali, & a Cardin. Protectore, aliisque ad meliorem formam redacta fuere, ut infra.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Ximenes de Samaniego Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod pro felici dicti Ordinis, ejusque Fratrum regimine, & directione nonnulla statuta in Capitulo Generali ipsius Ordinis, quod novissime videlicet anno 1676. in hac Alma Urbe celebratum est, edita fuerunt, quæ cum Nobis pro parte ipsius Josephi Ministri Generalis exhibita fuissent, nos illa Ven. Fratri nostro Alderano Episcopo Prænestin. S. R. E. Carolo Cybo nuncupato, Ordinis

dinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, ac nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis revidenda, & ubi opus foret corrigenda, & supplenda commisimus. Illi vero mandatis nostris parentes, eadem Statuta mature, ac diligenter discusserunt, multisque correctis, emendatis, aptatis, suppletis, & additis ac nonnullis omissis illa redigerunt in formam tenoris, qui sequitur videlicet *Statuta pro utraque Familia.*

De Congregationibus Intermediis.

§. 2. Ad evitandas graves, & inutiles expensas, aliaque incommoda, quæ ex celebratione Congregationum Generalium intermediarum omnium vocalium unius Familiæ sequuntur, decernitur præfatas Congregationes Generales ulterius celebrandas non esse. Cum autem juxta Bullam Leonis X., quæ dicitur *unionis*, officium Commissarii Generalis Familiæ, de qua Minister Generalis assumptus non est per triennium tantum durare debeat, statuitur, quod in fine triennii convocatis per Ministrum, aut Vicarium Generalem totius Ordinis, Patribus Diffinitorii Generalis illius Familiæ, ex qua Commissarius Generalis eligendus est per ipsum Ministrum, seu Vicarium, aut ipso legitime impedito per suum Commissarium ad hoc specialiter delegatum, & per Patres, qui sunt de corpore Diffinitorii Generalis prædictæ Familiæ in Vigilia Pentecostes, per Schedulas secretas, nullo proponente, fiat electio novi Commissarii Generalis, usque ad Capitulum Generale duraturi; Diffinitores vero Capituli præteriti præfatæ Familiæ per sexennium usque ad Capitulum Generale immediate sequens durabunt: sicut Diffinitores Generales Familiæ, ex qua assumptus est Minister Generalis durant. In Congregatione autem præfato modo celebranda, lites per sententias dirimi, declarationes dubiarum Constitutionum fieri, & decreta per triennium subsequens duratura edi valeant; leges autem, seu Statuta, aut Constitutiones in perpetuum duraturæ condi non poterunt, nec antiquæ abrogari.

De Suffragiis.

Et ut etiam in Capitulis Generalibus, inutiles expensæ, & alia incommoda, quæ ex nimia Fratrum accedentium multitudine oriri solent quantum fieri potest, vitentur, omnino prohibetur sub nullitatis pœna, vota, seu suffragia Provinciarum Titularium, quæ actu non subsistunt suppleri, aut substitui, per Ministrum, aut Vicarium Generalem Ordinis, revocata quacumque consuetudine in contrarium, statuitur, duos Secretarios Generales Ordinis, qui Ministro, aut Vicario Generali pro una, & altera Familia assistere debent, ex vi officii habere imposterum suffragium in Capitulo Generali tantum, sublato omnino tertio Secretario linguarum.

De Sociis.

Item præcipitur sub pœna privationis suffragii, quod Minister, seu Prominister, & Custos uniuscujusque Provinciæ simul ad Capitulum Generale iter faciant cum unico tantum Socio Religioso pro utroque, & si expensæ aliquæ in itinere ex necessitate faciendæ sint, *adducant* secum Tertiarium, qui Syndici Apostolici substitutus sit, & ipsius nomine expensas prædictas inevitabiles faciat.

De Thesibus, & Concionibus.

Insuper serio Prælato Generali commendatur, ut Præsidentiam Thesium, & Conciones, quæ in Capitulis Generalibus habendæ sunt, vocalibus quantum cum honore Religionis stare possit, distribuant.

De promotione ad dignitates Ecclesiasticas.

Ut maxima incommoda, & turbationes Religionis, quæ ex promotione Ministrorum Generalium ad dignitates Ecclesiasticas extra Ordinem lamentabili experimento comprobata sunt, omnino evitentur, decernitur, ut statim, ac Minister Generalis electus sit, & antequam suum officium ullo modo exerceat, teneatur emittere in manibus Præsidis coram toto Capitulo Generali votum de non ambienda, procuranda, nec acceptanda dignitate Episcopali, Archiepiscopali, vel Patriarchali toto tempore sui Ministeriatus, nec ante emissum prædictum votum, censeatur in officio confirmatus. Quod si aliquando contingat in prædicto voto dispensari, vel aliter quomodolibet fieri, statuitur illum Ministrum Generalem acceptantem aliquam ex prædictis dignitatibus, vel præsentationem, seu nominationem ad illam, statim ac eam acceptasse constiterit, non esse amplius pro Religionis Prælato agnoscendum: Religiososque Ordinis ab illius obedientia exemptos esse, nec posse ulterius ipsi sub pœna excommunicationis obedire. Porro in illo casu Pater ille qui servata Statutorum serie, & Familiarum concordato dignior respective reperietur, Generali illo excluso, convocabit, juxta præscriptum in Constitutionibus, Electores pro nova Vicarii Generalis electione, in qua idem Minister Generalis, nec votum habere poterit, nec ullam aliam actionem, revocata quacumque Constitutione Ordinis in contrarium, & sublata omnino electoribus facultate aliter operandi, aut permittendi sub pœna nullitatis facti: Idemque Statutum de Vicario Generali totius Ordinis factum intelligatur.

De titulo *Reverendissimi:*

Nemini deinceps Vicariorum, aut Commissariorum delegatorum a Rmo Ministro Generali ad regendam Familiam, vel Nationem, liceat sub pœna privationis suæ delegationis, sibi usurpare, vel acceptare titulum *Reverendissimi*: Quod Statutum sub eadem respective pœna extenditur ad Commissarios Generales in Partibus Indiarum Occidentis, & Orientis, ac ad Guardianum Hierosolymitanum, seu Custodem Terræ Sanctæ, revocata, quoad hunc Constitutione in proximo Capitulo Generali Vallisoletano edita.

De Instantiis in causis Servorum Dei.

Declaratur ad Procuratorem Generalem Ordinis spectare instantias, quæ fieri solent in Cappella Suæ Sanctitatis pro actu Beatificationis, vel Canonizationis Servorum Dei ex nostra Religione cujuscumque ipsi Servi Dei Familiæ extiterint. Deinde præcipitur omnibus Procuratoribus particularibus Causarum Beatificationis, vel Canonizationis, ut nihil in ipsis agere præsumant, inconsulto Procuratore, vel Commissario Curiæ respective, quod intelligendum est etiam de Reformatis quoad suum Procuratorem Generalem.

De Lectoribus.

In Studiis Generalibus Cismontanæ Familiæ, & in gravioribus Ultramontanæ habentibus tres Theologiæ Lectores, semper sit unus Lector, qui Sacram Theologiam dogmaticam legat, ille scilicet, qui antiquior est in lectura, gaudeatque omnibus Privilegiis in ordine ad jubilationem, si constiterit eum prædictam facultatem dogmaticam continuo legisse, sicut alii speculativam, alias nullo Privilegio gaudeat, quod etiam apud Reformatos observandum est.

Pro Familia Ultramontana.

De Votis, seu Suffragiis.

Ut in Conventibus ex introductione, vel concessione suffragiorum pro Capitulis Provincialibus præter antiqua Ordinis Statuta emergentibus occurratur; Auctoritate Apostolica abrogantur Vota, seu suffragia pro Capitulis Provincialibus respective Agentium Ministri Generalis, Commissariorum Curiarum particularium, Commissariorum Terræ Sanctæ, Visitatorum Tertii Ordinis Sæcularium, Magistrorum Novitiorum, & Confessariorum, seu Vicariorum Monialium; ne illa in suis respective Provinciis in posterum ferre possint, exceptis solum Confessariis Monialium, qui sex ad minus Fratres sub se habeat, quibus ut Superiores præsint, & Commissarii Curiarum, ubi Reges, vel Principes absoluti Aulam suam tenent; In quarum singulis unus tantum Commissarius cum suffragio esse possit, a Superiore Generali ex Provincia illius Dominii, quam maluerit, eligendus.

Nec

Nec in posterum Provinciæ possint suffragia pro suis Capitulis concedere,

De Processionibus.

Statuitur, quod in quacumque Civitate, vel Oppido Hispaniæ consistant Conventus Observantium, & Discalceatorum, quorum Communitates Processionibus generalibus interesse contingat, ambæ Communitates sub una, eademque Cruce intermixtæ incedant; itaut semper Observantium Guardianus, sive Præses, primum, seu digniorem locum teneat, & immediate Guardianus, seu Præses Discalceatorum subsequatur; alii vero Fratres juxta antiquitatem habitus, vel gradum qualitatis, permixtim incedant, præcedente semper in eodem gradu Observante: atque ita ab omnibus, ad quos spectat observari præcipitur juxta antiquam, & laudabilem Ordinis Nostri consuetudinem: sub pœna privationis Officiorum Guardianis, aut Superioribus prædictam dispositionem innovare, vel alterare præsumentibus.

De ascriptionibus.

Ad evitanda gravia præjudicia, & detrimenta, quæ Provinciis Indiarum, earumque Religiosis ex incorporationibus a Commissariis illarum partium pro libito factis, provenire solent; statuitur, ne in posterum Commissarii Generales prædicti Indiarum Occidentalium possint sub quovis prætextu, suos Secretarios, Socios, aut alios Religiosos, quos in suo Comitatu assumpserint, incorporare in aliqua Provincia suæ Commissionis, irritum declarando, si quid in contrarium attentetur, aut fiat.

De Monialibus.

Omnino interdicitur Ministris Provincialibus se ingerere in imminuendis Monialium Dotibus, aut alimentis Sæcularium educationis causa, vel alia, in Monasteriis commorantium. Hinc Provincialibus ipsis sub pœna suspensionis sui officii per semestre, Abbatissis vero, & Discretis Monasterii sub privationis suorum Officiorum pœna præcipitur, ne prædictas Dotes, aut alimenta taxata minuant, aut minui permittant. Eisdemque tum Provincialibus, tum Monialibus sub eadem pœna præcipitur, ne ullam pro Moniali indotatam recipiant sub quovis prætextu aut titulo, nisi Causa in Sacra Congregatione deducta, ab eaque licentia obtenta.

Pro Familia Cismontana.

De Cœnobiis *Recollectionis.*

Pro meliori Novitiorum, & recenter professorum educatione, & ut Fratres illi, qui majori Spiritus quieti, & strictiori Regulæ nostræ observantiæ incumbere desiderant id præstare possint in propriis Provinciis, absque eo, quod hujus studii prætextu, aut ad alias transire, aut novas reformationes, & scissuras in ordinem invehere moliantur, statuitur, quod in singulis hujus Familiæ Provinciis de Observantia instituantur tres aut quatuor Conventus Recollectionis, qui sint primi, & secundi Novitiatus, ut simul, & loca spiritualis quietis, & perfectionis Seminaria pro tota Provincia esse valeant.

De eorum erectione.

Ad hunc finem eligi, & deputari debent Conventus commodiores pro Regulæ observantia, & Novitiorum educatione, quorum consignatio committitur Commissario Generali Familiæ cum consilio Diffinitorii cujuscumque Provinciæ respective. Cui Generali Commissario etiam committitur prima Guardianorum, & Magistrorum Novitiorum eorumdem Conventuum institutio, cum facultate, ut si in Provincia aliqua non fuerint Religiosi pro his Officiis in nova recollectionis erectione idonei, ex aliis Provinciis, vel Observantibus, vel Reformatis, immo, & ex alia Familia possint eos adducere. Et insuper eidem committitur prima in eisdem Conventibus eorum Fratrum collocatio, qui ad formationem prædictæ Recollectionis fuerint necessarii.

De eorum numero.

Et ut incommoda ex multiplicatione horum Conventuum alias experta evitentur, omnino interdicitur, ne in qualibet Provincia plures quam quatuor, paucioresve, quam tres Recollectionis Conventus esse possint, sublata facultate cuilibet Superiori Ordinis super hoc statuto dispensandi; & ut nunquam separari a Provincia possint, decernitur, ut in nullo Conventu Provinciæ, qui hujusmodi recollectionis non fuerit, possint induci Novitii, nec probationis annum agere. Atque ita Provinciæ inseparabiliter sint incorporati, ut sine ipsis, utpote Domus receptionis, Provincia ipsa subsistere non possit.

De eorum conditione.

Conventus autem prædicti distribuentur sic, ut in Provinciis magnis, duo illorum sint primi Novitiatus; duo vero Professorii, seu Novitiatus secundi; in minoribus autem aut unus erit primi Novitiatus, & duo secundi, aut e converso pro commoditate Conventuum, aut Provinciæ. Et quia in nullo prædictorum Conventuum studium facultatis literariæ collocandum est, aut permittendum, statuitur, quod Professi antequam ad professoria, in quibus sunt artium literalium studia transmittantur; in Conventu Recollectionis secundi Novitiatus ad minus per annum integrum collocentur, ut in spiritu in Novitiatu concepto, antequam ad studia transeant confirmentur, & roborentur.

Forma autem vivendi in prædictis Recollectionis Conventibus, sequens erit.

De Oratione.

Primo. Officium Divinum statutis indispensabiliter horis, graviter, & devote persolvatur, & Orationi Mentali duabus horis cum dimidia omnino vacetur, itaut post Matutinum (quod indispensabiliter media nocte persolvendum est) una hora post primam dimidia, post Completorium hora altera in Oratione mentali persistant. Sed a Resurrectione, usque ad Exaltationem Sanctæ Crucis propter noctium brevitatem, hora post Matutinum Orationis, in horam ejusdem post sextam, & ante prandium habendam commutetur.

De Silentio.

Secundo. Silentium, ac lectio spiritualis in Refectorio nulla Causa dispensetur; in Dormitoriis autem, claustris, & Sacristia ita silentium observetur, ut tantum omnino necessaria, & submissa voce Fratres loquantur.

De Sæcularibus.

Tertio. Sæculares, nisi Officiales Conventus sint, ad interiora Conventus non admittantur, sed pro rebus necessariis cum ipsis tractandis in Claustro inferiori, Camera aliqua, honeste disponatur, in qua prædicta præstari possint.

De Congregationibus.

Quarto. Communitates Chori, & Refectorii omnes Fratres sequantur, nec ullus ab aliqua, sine expressa Guardiani licentia excusetur.

Ad prælectiones.

Quinto. Tribus diebus in hebdomada, nempe feria secunda, quarta, & Sabbato post Vesperas immediate assistentibus Prælato, & omnibus Fratribus, lectio expositionis Regulæ, aut Theologiæ Mysticæ habeatur, itaut duobus ex prædictis diebus exponatur Regula, altero vero de Theologia Mystica, seu de vita spirituali tractetur: ad hoc instituatur unus Lector, qui sit in Theologia morali, & Mystica versatus; cui ut tempus pro lectionibus conficiendis habeat, conceditur, ut a prima, & oratione post ipsam excusetur. Qui post expletam expositionem Regulæ poterit Decalogum clare, & breviter pro instructione Juvenum explicare.

De Capitulo culparum.

Sexto. Guardianus ad minus semel in Mense feria sexta post Completorium celebrabit Capitulum culparum, eo modo, quo in Constitutionibus generalibus præscribitur, habita ad Fratres spirituali collatione, in qua ad perfectionem, & spiritualem profectum excitentur, & animentur.

De paupertate.

Septimo. Paupertas nostri status quantum fieri potest stricte in communi observetur. Et ut ita etiam fiat in particulari, Guardiani de omnibus necessariis ad usum strictum Seraphicæ paupertati congruum, Fratribus provideant; itaut recursus particularium ad Benefactores, aut amicos spirituales via omnino præcludatur. Nullusque quidquam ad usum suum habeat sine expressa licentia Guardiani, qui usum rei, & su-

pelle-

pellectilis non necessariæ, nulli concedat, aut permittat; quod ut exactius observetur, nullus quidquam ad proprium usum clausum habeat, & ad cujuscumque Cellam semper aditus Superiori pateat, & tam Novitiis, quam cæteris Religiosis usus duarum Tunicarum Talarium, quarum una erit cum Capuccio, & alia sine Capuccio, juxta Regulæ præscriptum concedat, nec cuiquam permittatur, ut Sudariæ, Sachetos, aut alia quævis non concessa in Regula sub prætextu portationis solius habitus deferat.

De Guardianis.

Octavo. Postquam prædicta Recollectio per triennium firmata fuerit, nullus possit institui Guardianus in prædictis Conventibus, qui in aliquo illorum per biennium immediate, vitam communem recollectionis sequens, commoratus non fuit.

De Religiosis

Nono. Nullus Religiosus cujuscumque qualitatis sit in Conventu Recollectionis de Familia collocari possit, aut in eo commorari, qui Regulæ præcepta observare non possit: nempe jejunia, excalceationem, duarum tantum tunicarum usum, Prædicationem Chori die noctuque, cæterarumque communitatum sequelam. Cum pro non valentibus adeo stricte vivere, cæteri Provinciæ Conventus expediti maneant, & tam Guardianus ipse, quam cæteri omnes Fratres hebdomadam sine exceptione suo ordine faciant.

De criminosis.

Decimo. In præfatis Conventibus, nullus Frater criminosus, aut pro luenda pœna collocari possit, nec quisquam a quocumque Prælato missus recipi debeat, nisi de consensu Guardiani, & majoris partis Discretorum Conventus admittendus judicetur.

De admittendis.

Undecimo. Nullus Religiosus cujuscumque qualitatis sit possit recreationis, aut alterius cujusque negotii causa ad prædictos Conventus divertere; nisi quis ad exercitia spiritualia per aliquos dies facienda cum sequela omnium communitatum, & rigoris vitæ recollectæ admitti valuerit; nec Minister Provincialis, quando ad prædictos Conventus causa visitationis, vel alia accesserit, possit sub pœna suspensionis sui Officii per bimestre Sæculares, aut alios Fratres secumferre præter suum Secretarium, & Socium, cui Provinciali plurimum in Domino commendatur, ut in Conventibus Recollectionum in omnibus se ipsum præbeat exemplum bonorum operum, & regularis disciplinæ.

De licentia egrediendi.

Duodecimo. Discursus Fratrum extra Conventum quantum fieri possit evitentur: & ut Fratres addicti Choro extra Conventum non vagentur, statuitur, ut in quolibet prædictorum Conventuum, præter Officiales pro interiori gubernio necessarios, collocentur Fratres Laici spirituales, & devoti, qui continuo extra Conventum eleemosynas pro necessitatibus Fratrum temporibus opportunis petant, & in hoc Deo inserviant, dum alii divinis laudibus, orationi, & Spiritualis vitæ quieti incumbunt. Fratribus autem Choro addictis raro exeundi extra Conventum licentia concedatur, nec unquam nisi duo extra ipsum esse possint. Novitiis autem, & Clericis in nullo casu, nisi in Communitate exeundi è Claustro licentia concedi possit, sub pœna privationis Officii eam concedenti.

De observantia Constitutionum.

Ultimo. In prædictis Conventibus, quoad reliqua ad vitam Monasticam spectantia Constitutiones generales exacte ab omnibus observentur, ut cæteris exemplo, & ædificationi in pura observantia sint.

Item prædictorum statutorum.

Curent itaque Commissarius Generalis, & Provinciarum Diffinitoria, ut prædicti Recollectionis Conventus in prædicta vivendi forma erigantur, & componantur. Dum enim per attestationem prædicti Commissarii Generalis, & Diffinitorii Provinciæ, & Discretorum illorum Conventuum juramento firmatam, de tali erectione, & compositione constiterit, SSmus D. Noster pro sua benignitate licentiam inducendi Novitios in illis Conventibus sic efformatis, concedat. Quod si post primam concessionem prædicta vivendi forma in ipsis Recollectionis Conventibus exacte, & rigorose non observetur, licentia ulterius induendi in illa Provincia non concedetur. Unde Provinciæ ipsæ sibi consulant, nam si medio adeo ad bonum, & stabilitatem Religionis conducente non utatur, omnino successu temporis extinguentur.

De Reformatis.

Quantum ad Provincias Reformatas, cum forma vivendi, & Regulam, ac disciplinam regularem observandi in statutis pro ipsis Reformatis de anno 1642. contenta satis stricta sit, solummodo præcipitur, ut in Conventibus Noviciatus, & Professorii (præter institutiones san. mem. Clementis VIII. pro omnibus Regularibus in Decretis incip. *Cum ad Regularem* editis die 19. Martii anni 1603., & contenta in Decretis san. mem. Innocentii X. pro Minoribus Observantibus, & Reformatis incipien. *Ad propagandam* edit. 15. Octobris anni 1654., & ordinata in Brevi san. mem. Urbani VIII. pro Reformatis incipien. *Militantis Ecclesiæ* sub dat. die 1. Octobris anni 1641., quæ omnia omnino observanda sunt sub pœnis in eisdem literis Apostolicis conten.) prædicta statuta quantum ad omnia ad strictiorem Regulæ observantiam, regularem disciplinam, frequentiam Chori, & Mentalis Orationis assistentiam, omnium Communitatum die, noctuque omnino, & indispensabiliter ab omnibus in prædictis Conventibus commorantibus observentur, ita ut in illis nullus non valens propter infirmitatem communem illam vitam sequi possit collocari, & qui in prædictorum observatione defectuosus fuerit, ab ipsis expellatur. Monentur autem Provinciales, quod dum non constiterit indubitatis testimoniis in prædictis Conventibus reformationem esse in pristinum statum restitutam, & in eis prædicta omnia adamussim observari, licentiam Novitios induendi non obtinebunt.

De electione Prælatorum.

Quia ex bona Prælatorum electione præcipue pendet Religionis Reformatio, districte præcipitur, ut Guardianatus, cæteraque regiminis officia omnino distribuantur prout ratio meritorum (supposita corporis valetudine) cujuscumque promovendi, & Bonum Provinciæ exegerit, nullo habito respectu ad Patres quoscumque, qui officio functi sunt, vel funguntur, sub pœna Provinciali aliter proponenti suspensionis ab officio per semestre, Patribus autem sive de corpore Diffinitorii, sive extra illud exigentibus Guardianatum, aut aliud Officium suæ satisfactionis, sub pœna proprietariis præscripta. Quod ut exactius observetur, & contrariæ relaxationi remedium apponatur, de novo admittitur, & intimatur Constitutio san. mem. Urbani VIII., quæ incipit *Militantis Ecclesiæ* sub data die 1. Junii anni 1640. pro restituendo candore, communiter appellata cum omnibus facultatibus tum Eminentissimo Cardinali Protectori, tum Ministro, & Commissario Generalibus, in ea pro prædicto remedio efficaciter apponendo concessis.

De Cellis.

Item præcipitur omnibus, & quibuscumque Patribus, & Fratribus, cujuscumque sint conditionis, & qualitatis sub pœna privationis actuum legitimorum per sexennium, ut nullus eorum possit habere ad suum usum nisi unicam Cellam, nempe illius Conventus, in quo moratur de Familia, sive Subditus, sive Prælatus. Guardiani autem sub pœna privationis Officii Cellam cujuscumque Patrum in Conventu suo de Familia non commorantium alteri Religioso sibi subdito concedant, quæ omnia Minister Provincialis in suis visitationibus omnino observari faciat sub pœna suspensionis officii per sex menses.

De Prælatorum qualitatibus.

Item statuitur, quod nullus eligi possit in Prælatum, qui vitam communem non sequatur,

hoc

hoc est, qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione peditandi excusetur, habeat, qui camisiis, aut lineis utatur, vel apud se, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non observet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter sit defectuosus in assistendo Communitatibus Chori, & Refectorii, ac aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Electio autem illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur irritanda sit a Prælato Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia, sine strepitu Judicii, cum consilio tantum, & assensu trium Patrum, qui Provinciales, vel ad minus Diffinitores Provinciæ sint, vel fuerint, super quo eorum conscientias oneramus, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequitur, aut ille confirmetur, qui illam non observat.

De Electoribus.

Item, ut majori circumspectione electiones Prælatorum fiant, præcipitur Electoribus, sub pœna non suffragandi, ut antequam ad electionem Ministri, Custodis, Diffinitorum, & Guardianorum procedant, singillatim juramentum præstent coram Ven. Crucifixi Imagine, præsente Præside se eum electuros in quolibet prædictorum Officiorum respective, quem in conscientia, & omnibus æqua lance libratis digniorem judicabunt.

De Prælatorum cura circa necessaria.

Item præcipitur omnibus Prælatis localibus, ut singulis suis subditis provideant de omnibus necessariis tam in victu, & vestitu, quam in quolibet alio juxta nostrum statum in propria specie, sub pœna privationis Guardianis negligentibus. Et de hoc puncto teneantur Provinciales, & Visitatores in suis visitationibus specialiter inquirere, & ad Diffinitorium proximum in Congregatione, aut Capitulo referre, in quo constante Guardiani negligentia, in Officio continuare non possit. Et ut frivolæ Guardianorum excusationes præcludantur, præcipitur Provincialibus Ministris, ut quam primum hæc statuta publicata fuerint, congregent Diffinitorium, & cum eo juxta S. C. Trid., & Apostolicas Constitutiones taxent numerum Fratrum, qui per consuetas eleemosynas, provisis omnibus necessariis juxta nostrum statum sustentari possint, & in libro Provinciæ prædictam taxam scribant, & in nullo Conventu plures Religiosos collocare possint; quam taxa præscripserit, nec possit petere licentiam induendi, nec jam obtenta uti, nisi simul transmittant testimonium Juramento firmatum, quod Provincia non habeat plures Fratres supra numerum in prædicta taxatione præfixum. Post quod statutum adimpletum nulla excusatio Guardianorum non providentium Subditis de necessariis admittatur, sed absolute in prædictis Congregationibus priventur.

Preces Ministri Generalis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Josephus Minister Generalis statuta hujusmodi quippe ad conservandum, & solidandum in ordine prædicto Regularis Observantiæ rigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentia, exactiorique observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Josephi Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes; eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula statuta præinserta, in eisque contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & Facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus.

Omnia, & singula relata statuta confirmantur.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac Statuta præinserta semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque preeminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Novembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXI.

Conceduntur Lectoribus jubilatis Fratrum Minorum de Observantia privilegia omnia Doctorum artium, & Magistrorum in Theologia.

De his vide Const. præcedentem, de Fratrum vero Minorum Observantium a Conventualibus separatione, cujus mentio fit in præsenti Brevi, vide Leonis X. Constitut. editam anno 5., die 29. Maji 1517.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 27. Nov. 1679. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

Nonnulli contendebant dicti Ordinis Lectoribus, utpote nomine Doctoris, aut Magistri non donatis, neque horum prærogatives competere.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Celsus Maria Billo Commissarius Generalis curiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dudum statim atque dictus Ordo ab Ordine Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum auctoritate Apostolica separatus fuit, Fratres Minores de Observantia hujusmodi, ut quidquid mundani fastus, atque ambitionis incentivum inducere posset, a se procul amoverent, ad gradus Doctoratus Artium, & Magisterii in

Sacra Theologia promoveri, ac Doctores, & Magistri vocari desierunt, nihil tamen minus ejusmodi scientiarum studiis operam dederunt, sed qui in illis tantum progressi erant, ut alios docere possent, solo contenti fuerunt, & adhuc sunt nomine, & titulo Lectorum actualium, & habitualium, qui etiam post peractam juxta Apostolicas, & Ordinis sui Constitutiones saltem triennio Philosophiæ, & decennio Sacræ Theologiæ lecturam, Lectores jubilati vocati fuerunt, & vocantur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet ejusmodi Lectores jubilati quoad rem ipsam, nempe literarum scientiam, a Magistris in Sacra Theologia, & Doctoribus Artium differre non videantur, quia tamen inter eos est nominum, titulorumque diversitas, nonnulli prætendant, ac etiam per sententias judicialiter definiant, illos Doctoribus, & Magistris hujusmodi in ordine ad aperiendas, & executioni mandandas literas per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ expeditas, quæ ejusmodi Doctoribus, seu Magistris super absolutione, dispensatione, votorumque, seu aliarum obligationum commutatione dirigi solent, ac quoad alias prærogativas, pares non esse. Nobis propterea dictus Celsus Maria humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Commissarii Generalis Curiæ.

§. 1. Nos igitur Ordinis prædicti decori, & honorificentiæ quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsumque Celsum Mariam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Lectoribus jubilatis præsentibus, & futuris, ut quascumque literas per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ hujusmodi pro tempore expeditas, quæ Doctoribus Artium, seu Magistris in Sacra Theologia directæ fuerint, recipere, aperire, ac juxta illarum formam, & tenorem executioni mandare; nec non quoad alias functiones Ecclesiasticas, & literarias quaslibet, omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus Fratres expresse professi aliorum Ordinum Doctores Artium, & in Sacra Theologia Magistri, tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterint in futurum, pari modo uti, frui, & gaudere libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Cæterum non intendimus per præsentes literas privilegia, exemptiones, prærogativas, gratias, & Indulta, quæ præfatis Lectoribus jubilatis per Apostolicas, & Ordinis primodicti Constitutiones concessa sunt, ullo modo augere, vel minuere, sed illa in statu, & terminis in quibus de præsenti reperiuntur, remanere volumus.

Permittitur, prædictis Lectoribus, ut executioni mandent literas S. Pœnitentiariæ, necnon gaudeant privilegiis aliis Doctorum, & Magistrorum, non immutatis propriis.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ Apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Novembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXII.

Permittitur, ut in Provincia S. Petri de Alcantara Discalceatorum in Regno Neapolitano locum habere possint Fratres ejusdem Ordinis Provinciarum Hispaniæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 29. Nov. 1679. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. record. Clementi PP. X. prædecessori nostro pro parte dilecti filii nobilis viri Petri de Aragonia Ducis Segobricæ, & Cardonæ tunc Regni Neapolis Proregis, exposito, quod cum Custodia S. Petri de Alcantara in dicto Regno Neapolis Fratrum minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum in executionem quarumdam ipsius Clementis prædecessoris in simili forma Brevis literarum die 30. Septembris 1670. expeditarum perpetuo erecta, & instituta fuisset, eo præcipue fine, ut illius Fratres instructioni, aliisque spiritualibus necessitatibus militum Hispanorum in eodem Regno pro tempore degentium operam darent, idem Petrus Dux, & Prorex nonnulla sine quibus finis hujusmodi obtineri nequibat, nec custodia ipsa in sui Instituti rigore & puritate conservari potuisset, statui, & indulgeri plurimum desiderabat: Idem Clemens prædecessor supplicationibus ipsius Petri Ducis, & Proregis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod ejusdem Custodiæ Custos, & Conventus S. Luciæ de Monte nuncupat. Civitatis Neapolitan. ad ipsam Custodiam spectantis Guardiani natione Hispani semper esse deberent; Ex quatuor vero Definitoribus ipsius Custodiæ saltem duo semper essent Hispani, etiam in casum subrogationis, & Superiores ejusdem Custodiæ, præter, & ultra præfatos Hispanos in dicto Conventu Sanctæ Luciæ saltem Concionatores, & duos Confessarios pariter Hispanos pro Concionibus ad præfatos milites Hispanos habendis, eorumque Confessoribus audiendis habere semper tenerentur, ne unquam in futurum in Custodiam præfatam recipi posset ullus Frater in alia Provincia, vel Custodia professus, sed quando aliquem admitti expediens, vel necesse fuisset, is immediate a sæculo ad habitum recipi, & in dicta Custodia, ejusque Domo No-

Ortus, & progressus hujus Provinciæ cum suis statutis.

vitiatus educari deberet, auctoritate Apostolica inter alia statuit, & ordinavit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 28. Augusti 1673. emanatis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut pro parte Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici per dilectum filium nobilem virum Gasparem de Haro y Guzman pro eodem Carolo Rege apud nos, & Sedem Apostolicam Oratorem Nobis nuper expositum fuit, Custodia præfata subinde in Provinciam auctoritate Apostolica erecta fuerit, & Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita declaraverit Ministrum Provincialem novæ Provinciæ hujusmodi natione Hispanum esse debere, quemadmodum de Custode in ultimo dictis Clementis prædecessoris literis statutum reperiebatur, verum si prohibitio recipiendi in dictam Custodiam nunc Provinciam Fratres in alia Provincia, vel Custodia professos, generaliter etiam quo ad fratres Discalceatos Provinciarum Hispaniæ dicti Ordinis observaretur, nec dicta nova Provincia diu conservari, ne finis propter quem prima Custodiæ prædictæ erectio facta est, obtineri, neque supra expressæ ordinationis Clementis prædecessoris executioni mandari valerent, & cum sperari non possit tot a sæculo in eamdem novam Provinciam receptum iri in Fratres Hispanos, quot pro adimplendis statutis, & ordinationibus hujusmodi sufficiant. Nobis propterea ejusdem Caroli Regis nomine per præfatum Gasparem Marchionem humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Caroli Regis Catholici.

§. 1. Nos igitur ipsius Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut Fratres Discalceati expresse professi Provinciarum Hispaniæ Ordinis prædicti, cum debitis suorum Superiorum licentiis in præfatam Provinciam S. Petri de Alcantara in Regno Neapolis, servatis servandis recipi, & admitti, illique incorporari libere, licite, & valide possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Præterea, ut Minister Provincialis, ac duo saltem Definitores, & Guardianus dicti Conventus Sanctæ Luciæ ejusdem Provinciæ pro tempore existentes natione Hispani, nempe ex utroque Parente Hispano nati semper esse, cæteraque omnia, & singula in ultimodictis Clementis prædecessoris literis disposita, in Provincia hujusmodi semper observari debeant, auctoritate, & tenore præfatis statuimus pariter, & ordinamus.

Permissio prædicta, & statutum servandi in reliquis Clem. X. literas pro dicta Provincia editas.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus quo ad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur præfatis Clementis prædecessoris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, & exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Novembris MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXIII.

Revocatur concessio facta Vicecancellario quamplurium Officiorum vacabilium, quæ denuo Cameræ Apostolicæ restituuntur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 14. Dec. 1679. An. 4.

Exordium.

Motu proprio &c., Divina disponente clementia ad summi Apostolatus apicem meritis licet imparibus assumpti, inter cætera cordis Nostri desiderabilia illud intensis exoptamus affectibus, ut ea, quæ Sedis, & Cameræ Apostolicæ, cujus affectus, redditus, & proventus a nonnullis Romanis Pontificibus temporum, & rerum qualitatibus id tunc permittentibus concessi, atque assignati fuerunt, commodum, & utilitatem respiciunt, Nos urgentibus causis novis restituamus, & ad statum primævum reducamus, sive de novo applicemus, & attribuamus, aliaque desuper opportune disponamus, & ordinemus, prout majori ejusdem Sedis, & Cameræ sublevamini conspicimus expedire.

A quibus facta ejusmodi concessio.

§. 1. Cum itaque rec. memor. Prædecessores nostri Sixtus PP. IV., Leo Papa X., Paulus Papa III., & forsan alii infrascripta officia vacabilia ad Sedem, & Cameram Apostolicam pertinentia, ex certis expressis causis, & præsertim ob aliquam Cancellariæ emolumentorum diminutionem resultantem ab aliquibus Privilegiis, quæ Officialibus de novo erectis concessa fuerunt, S.R.E. Vice-Cancellario tunc, & pro tempore existenti, ejusque Vice-Cancellariatus Officio in perpetuum concesserint, assignaverint, forteque donaverint, & elargiti fuerint atque pariter rec. mem. Sixtus PP. V. similiter Predecessor noster concessiones, & assignationes hujusmodi confirmando, & approbando, aliorumque Officiorum concessionem de novo faciendo tunc, & pro tempore existenti Vice-Cancellario amplam dederit facultatem, & potestatem de eis quandocumque, & quomodocumque casus eorum vacationis evenerit libere disponendi, ac personis sibi bene visis ad vitam, etiam per viam venditionis, & recepto pretio concedendi, & conferendi simili modo, quo Romanus Pontifex de aliis Romanæ Curiæ Officiis vacabilibus disponere solebat, & solet, ut ex præfatorum, aliorumque Romanorum Pontificum Motibus propriis, seu Literis, & Provisionibus, quorum tenores ex certa scientia pro expressis, atque in præsenti Motu proprio pro insertis haberi volumus, ipsaque Officia sunt, nempe unum Regentis ejusdem Cancellariæ, sex majoris, & quindecim minoris Præsidentiæ Abbreviatorum, viginti quinque Solicitatorum Literarum Apostolicarum, duodecim Notariorum Causarum Palatii Apostolici, ad unum dumtaxat per rec. mem. Clementem PP. X. etiam Prædecessorem nostrum reducta, tria Cubiculariorum, septem Scutiferorum de numero Participantium, viginti sex S. Petri, tresdecim S. Pauli, duo de Lilio, & viginti Piorum Militum, necnon Custodis, Notariatusque, & Ostiarii ejusdem Cancellariæ, unum Notariatum Contradictarum, & aliud *De consuetis* nuncupatum, nonnullaque forsan alia Officia hujusmodi vacabi-

Concessa Officia recensentur.

lia, quæ pariter in præsenti Motu proprio pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus.

Causæ revocationis.

§. 2. Nos occasione vacationis præfati Officii Vice-Cancellariatus per obitum bo. me. Francisci, dum viveret S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati, Sacri Collegii Decani, ac Ostien., & Veliternen. Episcopi ejus possessoris nuper sequutæ, considerantes præfatum Vice-Cancellariatus Officium cum aliis emolumentis, quibus ejus Possessor potiri solet, juxta modum in ejus collatione, & provisione a Nobis decernendum, congruam, sufficientemque provisionem habere, omnemque justitiæ, æquitatis, & congruentiæ rationem exigere, ut præfata officia, & alia, si quæ sint similia incremento, & sublevamini cedant prædictarum Sedis, & Cameræ Apostolicæ, quæ de præsenti magis gravibus, & urgentibus necessitatibus premuntur, atque eis quod jam suum erat, restituere. Hinc rebus mature, & diligenter examinatis, ex præmissa, aliisque rationabilibus causis, animum nostrum moventibus Motu simili, & ex certa scientia, maturaque animi Nostri deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula præfata, & quævis alia cujusvis generis, & qualitatis, ac quomodolibet nuncupata Officia vacabilia, & vendi solita, si quæ sint, alias superius non expressa, eidem S. R. E. Vice Cancellario concessa, assignata, applicata, & appropriata, aut etiam donata, ut præmittitur, ab eodem Vice Cancellariatus Officio, Apostolica auctoritate dismembramus, & separamus, illorumque omnium, & singulorum sic dismembratorum, & separatorum Officiorum concessionem, & assignationem, omnimodamque illorum dispositionem cum primum, ac deinceps semper, & quotiescumque illa per cessum, vel decessum, aut promotionem, privationem, seu quamvis aliam dimissionem, illa pro tempore quantumvis personarum, etiam speciali nota dignarum obtinentium, vacare contigerit, ex tunc plene, & perfecte Sedi præfatæ, nobisque, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, restituimus, & quatenus opus sit concedimus, assignamus, & incorporamus, atque ad easdem Sedem, & Cameram pleno jure spectare, & pertinere, perpetuis futuris temporibus, ad instar aliorum Officiorum vacabilium Romanæ Curiæ in omnibus, & per omnia eadem auctoritate volumus, statuimus, & ordinamus.

Fit revocatio, & una simul Cameræ Apostolicæ restitutio prædictorum officiorum, ubi primo vacaverint.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes eumdem S. R. E. Vice-Cancellarium pro tempore existentem super eorumdem Officiorum dispositione nullo modo se immiscere posse. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; irritumque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis, necnon Callisti III., Sixti IV., Leonis X., Pauli III., Sixti V., ac Gregorii XIII., & Urbani VIII., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum; necnon Pii IV., etiam Prædecessoris nostri gratias præfatam Cameram concernentes, in eadem Camera omnino registrari debere, disponentibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus desuper quomodolibet in genere, vel in specie editis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac quibuscumque, etiam quantumvis efficacissimis clausulis, & Decretis etiam irritantibus roboratis, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & quavis concessione hujusmodi, ex causa refectionis damnorum, vel alia quavis, etiam onerosa, & correspectiva factæ sint, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad id observanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, & potestatis plenitudine præfatis derogamus, & derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio B.

Motus proprius.

§. 5. Et quod singulorum Officiorum prædictorum, concessionum, assignationum, & donationum tenores, etiam veriores, ac earum datæ habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in literis. Et de perpetuis dismembratione, separatione, voluntate, statuto, ordinatione, singulorum Decretorum derogatione, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut supra, in literis, & cum clausula ad perpetuam rei memoriam latissime extendendis. Volumus autem, quod sola præsentis Nostri Motus proprii Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra, etiam regula contraria, & cæteris quibuscumque, ut supra, non obstantibus, seu si videbitur literæ Apostolicæ desuper cum præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque necessariorum, majori, & veriori expressione per Breve Nostrum, seu Officium de Curia expediri possint, ejusdemque Motus proprii, seu Literarum desuper conficien. exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, seu munitis, eadem prorsus fides in judicio, vel extra ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur eidem Cedulæ, seu Literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum XIX. Kal. Januarii Anno Quarto.

Confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, jam ante a S. Congregatione recognitum, & approbatum. LXXIV.

Quoad has Confraternitates omnibus Indulgentiis generaliter revocatis illas confirmavit Paulus V., & alias de novo concessit Clemens X. Constit. 37. Alias Nos. *sup. pag.* 58.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 10. Febr. 1680. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Monier Procurator Generalis Ordinis Fratrum SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum nonnullæ Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxa-

Nonnullæ Indulgentiæ cõcessæ fuerunt dictis Cõfraternitatibus, & in Summariis redacta, ut infra.

relaxationes Confratribus utriusque sexus Christifidelium sub titulo, seu invocatione ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum a Superioribus dicti Ordinis; ex Indulto Sedis Apostolicæ erectis, & erigendis Apostolica auctoritate concessæ reperirentur, illarum Summarium confectum, ut a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum recognitum, & approbatum fuit, tenoris qui sequitur videlicet--

§. 1. Summarium Indulgentiarum a Summis Pontificibus Confraternitatibus ab Ordine SSmæ Trinitatis Redemptionis Fidelium Captivorum erectis, & institutis concessarum.

Ordo hujusmodi laudibus ornatur.

Qui Ordo non sine Divina revelatione a Gloriosis Sanctis Joanne de Matha, & Felice de Valois fundatus fuit, easdemque Confraternitates, quamplurimi Reges, Principes, Nobiles, & innumeri utriusque sexus Christifideles ingressi sunt, qui ad tam frequentes, & numerosas redemptiones a dicto Ordine ab initio illius fundationis usque ad præsens factas liberalibus eleemosynis cooperati sunt. Indulgentiæ vero sunt infrascriptæ, omissis revocatis a B. Pio V., quæ manus adjutrices requirebant, postea a Paulo V., qui revocatis antiquis novas concessit, & postremo a Clemente X., qui omnes generaliter exceptis in hoc præsenti folio contentis, nonnullis confirmatis, & aliis prout in Brevi sub Datum 3. Junii 1673. de novo concessis revocavit.

Indulgentiæ a Paulo V. *dictis Confratribus, & Consororibus concessæ.*

I.

Indulgentia plenaria in die ingressus.

Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœniten., & confessis ac Sacra Communione refectis prima die, qua in dicta Confraternitate adscribentur, ac habitum, seu Scapularium manu ejusdem Superioris dicti Ordinis benedictum susceperint, absque voti emissione, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit.

II.

Invocantibus nomen Jesu.

Eisdem Confratribus, & Sororibus nunc, & pro tempore existentibus Scapularium supradictum deferentibus, si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Sanctissimum Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde in cujuslibet eorum mortis articulo devote invocaverint.

III.

In festo SS. Trinitatis.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Ecclesiam, aut Cappellam, vel Oratorium Ordinis, aut Confraternitatis die festo Sanctissimæ Trinitatis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam.

IV.

Iter facientibus Redemptionis gratia.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui ad partes Infidelium Captivos redimendi gratia se transtulerint, ac prius vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

V.

Captivis redemptis.

Ipsismet Captivis redemptis, qui infra mensem a die eorum reductionis computan., vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

VI.

Septem anni, & totidē quadragenæ recitantibus sexies in die *Pater*, & *Ave*, cum *Gloria*.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui supradictum habitum, sive Scapularium benedictum Redemptionis signo munitum pro cordis affectu detulerint, ac semel in die sexies Orationem Dominicam, cum versiculo *Gloria Patri*, ac etiam sexies Salutationem Angelicam cum eodem versiculo *Gloria Patri*, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione recitaverint, septem annos, & totidem quadragenas.

VII.

In nonnullis festis.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui supradictas Ecclesias, vel Cappellas, aut Oratoria Ordinis, vel Confraternitatis hujusmodi in Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, in Assumptionis Beatæ Virginis Immaculatæ Festis diebus, ac Sanctæ Agnetis secundo (quo die revelatione Divina prædictus Ordo Redemptionis Captivorum fuit institutus) visitaverint, ac prædictas Orationes pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione recitaverint septem annos, & totidem quadragenas.

VIII.

In die Processionis Scapularii.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confessi processioni *Scapularii* nuncupatæ de licentia Ordinarii in una Dominica cujuslibet mensis a Superioribus dicti Ordinis designanda interfuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

IX.

Exercentibus se in piis operibus.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui opera pia tam spiritualia, quam temporalia in remissionem peccatorum suorum, ac pro redemptione Captivorum a servitute Turcarum, & aliorum Infidelium exercuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

X.

Recitantibus quotidie per annum ter *Pater* &c. septen. anni.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti quotidie per annum ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, & in fine semel versiculum *Gloria Patri*, cum versiculis, & Responsoriis, & Orationibus a prædictis Superioribus assignatis recitaverint, & pro Captivis apud Turcas retentis, ne nomen Domini Nostri Jesu Christi abnegent, sed constantes in fide persistant, & quantocius liberentur, oraverint, semel quot annis, & quo anni die maluerint, septem annos.

XI.

Comitantibus redemptos.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui confessi, vel saltem firmum propositum confitendi habentes Captivos redemptos, processionaliter receperint, & ad Ecclesiam, Cappellam, vel Oratorium d. Ordinis, vel Confraternitatis comitati fuerint, septem annos, & totidem quadragenas.

XII.

Item Sacramentum Eucharistiæ, quinque anni, & totidem quadragenæ.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui cum lumine, si potuerint, vel absque lumine Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum cum ad Infirmos defertur, comitati fuerint, & pro his oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.

XIII.

Rursus Defunctos centum dies.

Eisdem Confratribus, & Sororibus quoties defunctorum corpora tam Confratrum, & Sororum, quam aliorum, dum ad Sepulturam deferuntur, comitati fuerint, & pro his oraverint, centum dies.

XIV.

Adstantibus Missis, vel Officiis &c.

Eisdem Confratribus, & Sororibus, qui Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesiis, vel Cappellis, aut Oratoriis prædictæ Confraternitatis celebrari solitis, vel Congregationibus publicis, aut privatis ejusdem interfuerint; vel pauperes hospitio susceperint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum operum centum dies.

XV.

Supradictæ Indulgentiæ concessæ fuerunt a fel. rec. Paulo V. anno 1608. die 6. Augusti per Breve, quod incipit *Cœlestes Ecclesiæ thesauros.*

Idem Pontifex anno 1620. die 6. Novembris per Breve, quod incipit -- *Pias Christifidelium Confraternitates*, sequentem Indulgentiam plenariam concessit.

XVI.

In Dominica Processionis Indulgentia plenaria.

Confratribus, & Sororibus Confraternitatis SSmæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ de Remedio in Ecclesiis dicti Ordinis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti processioni in una Dominica cujuslibet mensis in dictis Ecclesiis Ordinis fieri solitæ interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem.

XVII.

Recitantibus quotidie per annum *Salve Regina* septem anni.

Et quia ad consequendas Indulgentias, de quibus numero x. ordinat Summus Pontifex, ut post tres Orationes Dominicas, & tot Salutationes Angelicas, cum versiculo *Gloria Patri*, etiam versiculi, & nonnulla responsoria dicantur a Superioribus prædicti Ordinis assignata, poterit dici una Salve Regina.

Indulgentiæ a fel. rec. Clem. PP. X. concessæ.

In quibusdam festis Indulgentia plenar.

Clemens PP. X. Confratribus, & Sororibus vere pœniten., & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, aut Confraternitates, vel Oratorium ejusdem in quibuslibet infrascriptis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pro Captivorum libertate, & eorum in fide perseverantia pias ad Deum preces effuderint, scilicet in Nativitatis, & Purificationis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, in Sanctorum Michaelis Archangeli, Clementis Papæ & Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ Festis diebus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem. Similiter in Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois Patrum nostrorum diebus Festis Ecclesias Ordinis visitantibus Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem.

Visitantibus Ecclesias Ordinis &c. Indulgentia Stationum.

Idem Clemens PP. X. Confratribus, & Sororibus Ecclesias Ordinis, aut Confraternitatis, vel Cappellas, aut Oratoria ejusdem visitantibus, Indulgentias Stationum Urbis in Missali Romano expressarum, in diebus earumdem Stationum concessit.

Translatio Indulgentiarum ad alios dies.

Denique Indulgentiæ plenariæ in S. Michaelis Archangeli, S. Clementis PP. & Martyris, Inventionis S. Crucis, ac Nativitatis S. Joannis Baptistæ Festis diebus pridem concessæ modo ad alios quatuor, videlicet, diem Cinerum, secundam Dominicam Octobris, Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris, & S. Agnetis secundo dies translatæ fuerunt, prout ex Brevi SSmi Domini Nostri Innocentii PP. XI. sub die 14. Decembris 1678. expedito constat.

Confratrum, & Sororum Obligationes.

Gestare debent Scapularium.

Confratres, & Sorores nostri habitum, seu Scapularium parvulum ex lana alba, Cruce rubra, & cerulea munitum ab aliquo ejusdem Ordinis Superiore benedictum sumere, & super se gestare debent, quando vero Scapularium scissum erit, ejusque amissa forma, renovatur, eique nova Crux apponitur, & de novo benedicitur, prout quando novum sumitur.

Tenentur servare tantum mandata Ecclesiæ.

Ad prædictas Indulgentias consequendas, non tenentur Confratres, & Sorores prædicti ad emissionem voti, carnis abstinentiam, & jejuniorum observantiam ultra ea, quæ ab Ecclesia mandantur.

Ut prædictas Indulgentias consequantur, præstare debent a Pontificibus præscripta.

Ut eædem Indulgentiæ lucrifiant orationes recitare, & opera a Pontificibus præscripta exercere necesse est, diversæ Indulgentiæ pro diversis Orationibus, & operibus conceduntur. Itaque Confratres, & Sorores quotidie quasdam Indulgentias lucrari facile poterunt, si tamen preces recitare, vel opera prædicta exercere omiserint, non peccabunt.

Curent interesse Benedictioni, & Absolutioni generali.

Quinque dies benedictionis, & absolutionis generalis (licet a culpa proprie non absolvatur, juxta declarationem fel. rec. Clementis VIII.) sunt feria quarta Cinerum, feria quinta majoris hebdomadæ, S. Catharinæ Virginis & Martyris, SSmæ Trinitatis, & S. Agnetis secundo dies Festi, in quibus bona, & suffragia Religionis communicantur solis Confratribus, & Sororibus Confraternitatis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti genuflexi hujusmodi functioni in Ecclesiis Ordinis peragendæ interfuerint. Quia vero Confratres, & Sorores Schedulis impressis, vel manuscriptis invitari non solent suo tempore, & debita præparatione convenire procurent, ut tot bonorum participes fiant, Clemens VIII. Const. 85., formam vero benedictionis generalis præscripsit Clemens PP. X., prout in Brevi XI. Febr. 1673.

Approbatio Sacræ Congregationis.

§. 2. Die 28. Novembris 1679. Sacra Congregatio Summarium hoc a se recognitum approbavit.

A Card. Homodeus. Loco ✠ Sigilli. Michael Angelus Riccius Congregationis Secretarius.

Preces Ministri, & Procuratoris Generalis Ordinis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolicæ Sedis præfatæ munimine corroborantur; nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis, dilecti etiam filii moderni Ministri Generalis Ordinis præfati nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur ipsos Ministrum Generalem, & Josephum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertum Summarium Indulgentiarum a memorata Cardinalium Congregatione recognitum, & approbatum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus pariter, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio Pontificis relati Summarii.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium Literatum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Febr. MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXV.

Extenditur Festum B. Mariæ de Mercede cum Officio, & Missa Religiosorum ejusdem Ordinis ad universum Clerum Regnorum Hispaniarum, & Provinciarum Regis Catholici.

Dat. 15. Febr. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ORthodoxorum Regum de Ecclesia Dei multis nominibus optime meritorum studia ad promovendam in suis Regnis, & Ditionibus pietatem laudabiliter tendentia paterna charitate libenter exaudimus, ac favoribus, & gratiis prosequimur opportunis.

Preces Caroli Regis Catholici.

§. 1. Cum itaque sicut pro parte charissimi in Christo filii Caroli Hispaniarum Regis Catholici nobis per dilectum filium nobilem Virum Gasparem de Haro, y Guzman Marchionem de Carpio pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit ipse Carolus Rex pro summo pietatis studio, quo Sanctissimam Virginem Dei Genitricem Mariam prosequitur, festum ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede, cum Missa, & Officio proprio sub ritu duplici, quibus Religiosi Ordinis de Mercede Redemptionis Captivorum ex indulto Sedis Apostolicæ, & juxta approbationem Officii hujusmodi noviter a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum die decima octava Martii proxime præteriti emanati utuntur, in omnibus Hispaniarum Regnis, Ditionibus, Dominiis, & Provinciis sibi subjectis quotannis celebrare posse plurimum desideret. Nos piis ejusdem Caroli Regis votis, & supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, quibus etiam accesserunt preces dilecti filii Josephi Linas in Sacra Theologia Magistri, dicti Ordinis Procuratoris Generalis; quas ejusdem Ordinis super ea re quoque nobis humiliter porrexit favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio, ut Missa, & Officium hujusmodi sub ritu duplici singulis annis Dominica proximiori Calendis Augusti ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tam sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur in omnibus Hispaniarum Regnis, Ditionibus, Dominiis, & Provinciis prædicto Carolo Regi subjectis celebrari, & recitari respective libere, & licite possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Item Procuratoris Generalis Ordinis.

Extensio prædicti festi Dominica proximiori Kalendis Augusti ab omnibus celebrandi.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Februarii MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de Cadaveribus eorum, qui sibi sepulturam elegerunt in Ecclesiis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ.

Dat. 11. Mar. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Precibus Procuratoris Generalis emanavit.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, ad supplicationem dilecti filii Caroli Felicis a Sancta Teresia Procuratoris Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum; Decretum tenoris qui sequitur; videlicet. Sacra Rituum Congregatio ad preces Patr. Fr. Caroli Felicis a Sancta Teresia Procuratoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ, porrectas per Eminentissimum & Reverendissimum D. Cardinalem Alterium, inhærendo Brevi fel. rec. Urbani Octavi sub dat. die 24. Julii 1641., & Decreto ejusdem Sacræ Congregationis emanato die quarta Martii 1673. ad favorem Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini gratiam benigne extendendo concessit, ut in posterum Corpora Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ Sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam Parochialem deferenda, sed Parochos teneri Cadavera suorum Parochianorum levare e loco ubi asservantur, & associare usque ad portam Ecclesiæ præfatorum Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus, nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem Cadaveribus officium, in Ecclesiis præfatorum Regularium; sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare, & pertinere. Et ita in omnibus, & singulis Conventibus præfatorum Regularium Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ ubique existentibus servari mandavit, quibuscumque decretis ejusdem Sacræ Congregationis, & aliis in similibus editis in contrarium non obstantibus. Hac die vigesima septima Januarii 1680. Cæsar Cardinalis Fachenettus. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

Decretum Congregationis, quo statutum fuit, prædictorum cadavera deferenda esse a Parochis ad Ecclesiam Religiosorum, ad quos dumtaxat spectat reliqua peragere.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut dictus Carolus Felix Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi; quo firmius subsistat, & servetur exactius; Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Carolum Felicem Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes; & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas

semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Martii MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXVII. Conceduntur privilegia Cappellanis communibus Sanctitatis suæ.

Huic similes sunt Constitutiones Clem. X. die 6. Octobris anno 1670. ut supr. Tom. VI. pag. 325. & Alexandri VIII. die 2. Augusti anni 1690., inf. in Tom. XII. sive Continuat. Part. VI. pag. 22.

Dat. 13. Mar. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nomina Cappellanorum.

Grata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joachinus Tenacciolus Presbyter Civitatis Castelli, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, ac Carolus Emidius Ridolphus Asculanus, Joannes Pasqua Anagninus, Hieronymus Ferrarius, & Hercules Torniellus Novarien. respective Civitatum, vel Diœcesum, ac Joannes Dominicus Cozzardus Romanus, Presbyteri moderni Cappellæ nostræ Pontificiæ Cappellani, familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est, *quæ sequuntur vide in laudatis Constitutionibus.*

Datum Romæ apud S. Petr. sub Annulo Pisc. catoris die XIII. Martii MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXVIII. Confirmantur Statuta Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium Sancti Augustini de acceptione Beneficiorum in titulum, & ab iisdem amotione.

Dat. 15. Maji 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis Officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum solicitat, ut conservandæ, atque solidandæ inter veros Religiosos vota sua Altissimo in sanctitate, & Justitia reddere satagentes, regulari disciplinæ peculiari studio incumbamus, ac proinde ea, quæ ab illorum Superioribus consimili statuta esse dicuntur consilio, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter corroboramus.

Causæ Statutorum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Gauhior Procurator Generalis Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini; quod cum Parochiales Ecclesiæ, aliaque beneficia Regularia Ordinis, & Congregationis hujusmodi magno numero in Gallia reperiantur, quæ per Canonicos Regulares ipsius Congregationis in titulum obtineri solent, quia tamen ad tuendam regularem observantiam, promovendamque Christifidelium spiritualem utilitatem, atque ædificationem magnopere expedit ejusmodi beneficiis per personas idoneas, ac doctrina, & vitæ, morumque probitate conspicuas deserviri, nec ullam aliquibus dictæ Congregationis Canonicis Regularibus, qui disciplinæ regularis, debitæque erga suos Superiores observantiæ forsan pertæsi sint, relinqui occasionem per favores, aliasque vias minus canonicas procurandi, ut ad dicta beneficia promoveantur, illaque retineant, tametsi qualitatibus ad id requisitis præditi non sint, eisque eorumdem Superiorum voluntas hac in re adversetur. Ideo per Constitutiones Congregationis prædictæ, ac pluries per Decreta Capitulorum generalium ipsius Congregationis communi consensu statutum fuit, ut nullus Canonicus Regularis ejusdem Congregationis debeat, nec possit obtinere, nec acceptare quodcumque Beneficium absque licentia, & obedientia sui Superioris Generalis, utque quilibet Canonici regulares Beneficiati, qui ab eodem Superiore Generali, etiam non dictis causis, revocati fuerint, obedire, & reverti debeant.

Statuta, ne quis beneficia acceptet sine licentia Superioris Generalis, neque huic ab eis amoventi reluctetur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, statuta hujusmodi Constitutionibus fel. rec. Clementis III., Cœlestini III., & Benedicti XII. Sixti IV. Julii II., & Urbani VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ad favorem Congregationis, & Ordinis præfatorum respective emanatis, aliisque literis Apostolicis pro Ordine Præmonstraten. editis, necnon Concilii Tridentini Decretis conformia, ac ad conservandum in præfata Congregatione Gallicana regularis disciplinæ vigorem perutilia, immo necessaria existant: Nobis propterea præfatus Joannes Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Congruentia sunt Constitutionibus Apostolicis, & Concilio Trident.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 3. Nos igitur ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio statuta præfata, utpote rationabilia, atque ad restaurandam, retinendamve Regularem disciplinam opportuna auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus: Illorum autem Canonicorum Regularium dictæ Congregationis Gallicanæ, qui statuta hujusmodi transgredi præsumpserint, beneficia ipso facto vacare, ac de illis per Sedem Apostolicam, vel alios, ad quos id de jure spectet, libere disponi & providere posse, debere, & auctoritate, & tenore prædictis, decernimus, & declaramus.

Sub pœna privationis Beneficiorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere,

re, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dictæ Congregationis Gallicanæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorem effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Maji MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXIX. Confirmatur iterum, & extenditur Card. Protectoris Decretum de nihil agendo contra statuta a Sede Apostolica pro Provincia Neapolitana S. Petri de Alcantara Discalceatorum, ipsa prius non audita, tum etiam adversus Decreta a dictæ Sedis Tribunalibus, & Ministris emanata.

De erectione hujus Provinciæ, & aliis ad eam spectantibus vide adnotata in Constit. 78. *Clem. X., quæ incip.* Sacrosancti Apostolatus. *sup. pag.* 119. *Prædicti vero Decreti confirmationem reperies in Constit.* 18. *quæ incip.* Exponi nobis. *sup. Tom. VI. in Append. pag.* 23. *Tandem statuta ab Innoc. XI. habes in ejus Constit.* 65. Alias fel. rec. *sup. pag.* 268.

Dat. 12. Junii 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Prædictum Decretum primo confirmatum fuit a Clem. X., ut infra.

DUdum fel. rec. Clemens PP. X. prædecessor noster quoddam Decretum a bon. mem. Francisco dum vixit Episcopo Ostien., & Veliterno S. R. E. Cardinale Barberino nuncupato, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, nuncupatorum apud Sedem Apostolicam Protectore ad favorem Custodiæ S. Petri de Alcantara Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis in Regno Neapolitano auctoritate Apostolica institutæ, quæ postmodum in provinciam pari auctoritate erecta fuit, emanatum specifice confirmavit, & approbavit per quasdam suas in simili forma Brevis die 8. Julii 1672. desuper expeditas literas tenore qui sequitur, videlicet: Clemens Papa X. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt &c.

Confirmatio Clem. X.

Preces Custodis & Exprovincialis dictæ Provinciæ.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Joannes a Sancta Maria modernus Custos, & Exprovincialis dictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Nobis nuper exponi fecit, multa alia subinde ab hac Sancta Sede per literas pariter in simili forma Brevis emanatas ejusque Tribunalibus, & ministris per decreta, aliasque Scripturas ad favorem ejusdem Provinciæ pro recto illius gubernio, ac quiete, perfecta regularis disciplinæ observantia in ea stabiliendis, & conservandis, constituta & ordinata fuerint, quæ per importunas quorumdam religiosæ tranquillitati dictæ Provinciæ insidiantium suggestiones convelli, aut perturbari possent, in maximum ejusdem Provinciæ, ac Regularis observantiæ, quæ in ea Domino Benedicente, viget, præjudicium, & detrimentum. Nobis propterea Joannes præfatus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Joannis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac præinsertas Clementis prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis harum serie confirmantes, & approbantes, omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus tam majoribus, quam minoribus Superioribus, & Fratribus dicti Ordinis quocumque nomine nuncupatis, sub pœnis supra expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte præcipimus, & mandamus, ne adversus prædictam Provinciam, aut in præjudicium, seu contra tenorem literarum Apostolicarum, ac ordinationum, & decretorum quorumcumque ad illius favorem ab eadem Sede, ejusque Tribunalibus, & Ministris hactenus quomodolibet emanatorum quicquam, etiam minimum, sive in Romana Curia, sive extra eam, directe, vel indirecte per se ipsos, vel alios tam judicialiter, quam extrajudicialiter petere, attentare, vel facere audeant quovis modo, vel præsumant, nisi prius de omnibus, & singulis diligenter informato Venerabili Fratre nostro Alderano Episcopo Tusculano ejusdem S. R. E. Cardinale Cybo nuncupato moderno, & pro tempore existente Ordinis supradicti apud Nos, & Sedem præfatam Protectore, qui de illis certiorem reddere debebit Ministrum Provincialem ejusdem Provinciæ pro tempore existentem, ad hoc ut defensioni ipsius Provinciæ consulere valeat: quod si quicquam secus agi, vel attentari, aut etiam obtineri contigerit, id totum nullum, & subreptitium, nulliusque roboris, & momenti existat, nec cuiquam suffragetur.

Altera confirmatio, & extensio præfati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces pariter existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; ac Provinciæ præfatæ, ejusque Superioribus, & Fratribus quibuslibet in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in Literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ habe-

retur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1680. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LXXX. Confirmatur Decretum Congregationis, quo definitum fuit, solum Priorem Generalem Eremitarum S. Augustini habere jus aggregandi ad Archiconfraternitatem Cincturatorum; Vicarios vero Generales Discalceatos erigere posse Confraternitates Corrigiatorum.

Aliud consimile Decretum d. Congreg. Episcop., & Regular. confirmatum fuit Constit. 63. Alias emanavit. *infra pag. 267.*

Dat. 5. Julii 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Facultatem a Greg. XIII. Priori Generali concessam sibi vindicarunt Vicarii Generales.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Valvasorius Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod licet dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster literas Patentes unionum, & aggregationum Confraternitatum, seu Societatum Cincturatorum, quæ de cætero fierent Confraternitati S. Jacobi Civitatis nostræ, tunc suæ Bononien., sub nomine Prioris Generalis dicti Ordinis tantum expediri mandaverit: nihilominus nonnullis abhinc annis Vicarii Generales Congregationum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Lusitaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis prædicti jus aggregandi hujusmodi Confraternitates ad Archiconfraternitatem Cincturatorum in Ecclesia ejusdem S. Jacobi Bononien. institutam, non obtenta super hoc a Priore Generali ejusdem Ordinis facultate, sibi competere prætenderunt: Ortaque, & diu ventilata super præmissis lite, Congregatio Ven. Fratrum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum desuper edidit tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Augustinianorum verten. inter Patrem Generalem totius Ordinis S. Augustini ex una, & Patres Vicarios Generales Discalceatorum Congregationum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Lusitaniæ altera ex partibus -- Sacra Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus auditis, referente Emo Crescentio, censuit non licere Discalceatis Jus aggregandi ad Confraternitatem Cincturatorum Sanctæ Mariæ de Consolatione positam in Ecclesia S. Jacobi Bononiæ; posse tamen erigere Confraternitates Corrigiatorum in propriis eorum Ecclesiis tantum, servata tamen forma Constitutionis fa. me. Clem. VIII., incipien. *Quæcumque &c.* emanat. sub die 7. Decembris 1604., & Decretum ejusdem Sacræ Congregationis, ideoque erectionem factam in Ecclesia Discalceatorum in Civitate Ulyssiponis esse nullam. Romæ 30. Septembris 1678. G. Cardinalis Carpineus.

Decretum S. Congregationis, ex quo sequebatur, nullam ei erectionem Ulissipone factam.

Preces d. Prioris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Dominicus Prior Generalis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri, ac alias opportune in præmissis a nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret; Nos ipsius Dominici Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis, & Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium. Præterea ne pia Christifidelium devotio in acquisitione Indulgentiarum decipiatur, memoratis Vicariis Generalibus harum serie injungimus, ut Confraternitatum Cincturatorum hujusmodi jam erectarum, & per eos, seu eorum Antecessores supradictæ Archiconfraternitati sine sufficienti facultate aggregatarum aggregationem a præfato Dominico, seu pro tempore existente Priore Generali Ordinis prædicti quantocitius fieri poterit, petant, ac tam præfatas Gregorii prædecessoris literas, quam præinsertum dictæ Congregationis Decretum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observent, sub pœnis nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis.

Confirmatio dicti Decreti.

Vicarii Generales petant a Priore Generali aggregationem Confraternitatum jam erectarum, & erigendarum sub arbitrariis pœnis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Junii 1680. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXXI. Confirmantur quædam Ordinationes Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini circa Electiones Superiorum, & Officialium in Quitensi, aliisque Indiarum Provinciis.

Hac de re vide Constit. Exponi Nobis, *& Constit.* In supremo Militantis.

Dat. 8. Aug. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ sequentium ordinationum.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod ad tollendas omnes

contro-

controversias, quæ in Quitensi, aliisque Indiarum Provinciis dicti Ordinis circa electionum confirmationes a Præsidentibus, seu Confirmatoribus faciendas oriri possent, dilectus etiam filius Dominicus Valvasorius Prior Generalis d. Ordinis nonnullas ordinationes fecit, per quasdam suas patentes Literas, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Statutum fuerat a Pontifice, ut validæ censerentur electiones omnes confirmatæ a Præsidentibus donec innotesceret definitio Prioris Generalis.

§. 1. Magister Frater Dominicus Valvasorius Mediolanensis totius Ordinis Eremitarum Sancti P. N. Augustini Prior Generalis -- Et si ad tollendam a Subditis occasionem insurgendi contra Patrem Provincialem, seu Rectorem Provinciæ, & alios Superiores in Capitulis Provincialibus, vel alias in Quitensi, & aliis Indiarum Provinciis respective electos, & confirmatos, eisque debitam obedientiam sub motivo nullitatis electionis denegandi per Constitutionem SSmi D. N. D. Innocentii Papæ XI. feliciter regnantis sub die 24. Mensis Martii 1678. incipien. *Exponi Nobis &c.* ad nostram Instantiam emanatam satis opportune inter alia perpetuo statutum sit, quod si in prædictis Quitensi, & aliis Indiarum Provinciis Electiones P. Provincialis, & aliorum per scrutinium secretum a majori parte Electorum factæ, & a P. Præsidente confirmatæ fuerint, omnes, & singuli alii defectus, etiam substantiales Juris, & facti, si forte in prædictis Electionibus, & confirmationibus intervenerint suppleri intelligantur, & pro suppletis habeantur, interim & quousque super prædictarum Electionum validitate, vel nullitate ad prædictas Quitensem, seu alias Indiarum Provincias respective nostra, vel successorum nostrorum, determinatio perveniat, prout in prædicta Constitutione Innocentiana latius continetur, ad quam &c. Quia tamen Patribus Præsidentibus, seu Confirmatoribus post prælaudatæ Constitutionis emanationem, nondum præscriptum est, quomodo, & qualiter auctoritatem confirmandi Electiones exercere debeant, ex quo in Partibus tam remotis faciliter contingi potest, ut prædicti Præsidentes, seu Confirmatores, sive ex officio, sive ad Instantiam Partis vel Partium, sub variis motivis, causis, vel prætextibus in gravissimum tranquillitatis, & pacis, immo & observantiæ Regularis, necnon tam Eligentium, & Electorum earumdem Provinciarum, quam nostræ auctoritatis præjudicium, confirmationem, vel confirmationes Electo, vel Electis denegare, vel retardare, & consequenter salubrem effectum, & efficaciam antedictæ Constitutionis frustrare, vel impedire possint.

At Præsidentibus præscriptus non fuerat modus confirmandi electiones.

§. 2. Nos propterea eidem Constitutioni Innocentianæ inhærentes, atque in hac parte hujusmodi Provinciarum Religiosæ tranquillitati, & paci consulere, ac tot malis imminentibus de remedio opportuno providere volentes, tenore præsentium, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio Ad. RR. PP., qui Nobis assistunt, perpetuo declaramus, statuimus, & ordinamus, quod si in prædictis Quitensi, & aliis Indiarum Provinciis in personam, vel personas, quæ tempore electionis, seu Electionum in quasi possessione saltem probabili vocis passivæ respective, sive Electio, vel Electiones Patris Provincialis, seu Rectoris Provinciæ, Diffinitorum etiam additorum Visitatorum, Priorum localium, Vicariorum, Priorum, Judicum Causarum, & Scrutatorum Diffinitorii, item ac Discreti Capituli Generalis, necnon aliorum quorumcumque Officialium quocumque nomine nuncupatorum vocem activam in Capitulis Provincialibus habentium per scrutinium secretum, prout de jure faciendum a majori parte omnium Electorum in Capitulo Provinciali, aut in quocumque Diffinitorio, vel alias quomodolibet respective factæ fuerint, Patres Præsidentes Capituli, PP. Provinciales, & alii quicumque Superiores, in quibus auctoritas ordinaria, vel delegata confirmandi pro tempore quomodocumque resideat, prædictos omnes, & singulos Electos ut supra, eorumque singulares Electiones sine retardatione confirmare omnino teneantur, non obstante quocumque defectu, etiam substantiali, vel quacumque protestatione, vel appellatione, sive ante, sive post hujusmodi Electionem, vel Electiones facta, vel interposita, etiam de Jure. Quod si nihilominus hujusmodi confirmationem denegaverint, vel aliquo modo retardaverint, tunc hujusmodi Electus, vel Electi, eorumque singulares Electiones præsentium vigore toties quoties perpetuis futuris temporibus opus fuerit, confirmati respective sint, ac pro confirmatis habeantur, eodem prorsus modo, ac si a prædictis Patribus auctoritatem confirmandi habentibus, confirmati fuissent, quatenus sine obice suam respective auctoritatem, Officia, & dignitates libere, & licite exercere possint, & valeant in eo interim quod ad præscriptum prælaudatæ Constitutionis Innocentianæ super prædictarum Electionum validitate, vel nullitate ad prædictas Quitensem, & alias Indiarum Provincias nostra, vel successorum nostrorum determinatio respective perveniat, legitimeque intimata fuerit. Declarantes præterea, prout tenore præsentium declaramus privative quoad aliam quamcumque auctoritatem, seu Jurisdictionem prædictarum respective Provinciarum, etiam P. Præsidentis, & Judicum Causarum, atque cujuscumque Diffinitoris, etiam Capituli Provincialis, ad nos, & successores nostros pro tempore existentes tam Congregationem, quam determinationem super nullitate cujuscumque Electionis, ut supra factæ, etiam ipso Jure contra tam ante, quam post confirmationem deducta, vel quomodocumque cognita dumtaxat pertinere.

Ideo declaratur, debere Præsidentes immediate confirmare electiones, semel ac factæ fuerint a majori parte Electorum.

Alias earum literarum vigore eæ tanquam confirmatæ censeantur.

Quarum cognitio seu determinatio privativé ad Priorem Generalem pertineat.

Clausulæ. Præcipitur præsentium observantia sub certis pœnis.

§. 3. Præcipimus omnibus, & singulis RR. PP., ac Venerabilibus Fratribus cujuscumque qualitatis, conditionis, & dignitatis, etiam Provincialatus, & Præsidentis Capituli in prædictis Quitensi, & aliis Indiarum Provinciis nunc, & pro tempore existentibus in meritum salutaris obedientiæ sub privationis vocis activæ, & passivæ per decennium, ac excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam hac una pro trina Canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti ferimus, ipso facto incurrendis pœnis, ne sub quovis motivo, causa, vel prætextu impedimento sint, quominus præsentes literæ, quas semper firmas, validas, & efficaces existere, & perpetuo fore decernimus, & declaramus suum integrum, ac plenarium in omnibus, & per omnia sortiantur effectum, nec eas de obreptionis, vel subreptionis vitio, aut de alio quocumque defectu, etiam auctoritatis, vel intentionis nostræ notare, seu impugnare audeant, vel attentent; sed potius statim ac hujusmodi literæ ad prædictas Quitensem, & alias Indiarum Provincias respective pervenerint, sub ejusdem privationis, & excommunicationis pœnis omni, & quacumque appellatione, & supplicatione remota, eas in quocumque Diffinitorio, etiam privato integre respective recipiant, in omnibus, & singulis casibus emergentibus ad literam observent, ac executioni mandent: Sicque in præmissis per quoscumque prædictarum Provinciarum, & Ordinis nostri Judices, & Superiores ordinarios, & delegatos, necnon per quæcumque Tribunalia, & Definitoria judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione, decernentes, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit.

§. 4. Non obstantibus quibuscumque prædictarum Provinciarum Definitionibus, Actis, statutis,

tutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon nostris, vel prædecessorum nostrorum Declarationibus, Statutis, Decretis, & Ordinationibus in contrarium præmissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, concessis, innovatis, & emanatis. Quæ omnia, & singula inquantum præsentibus literis adversantur, seu contrariantur expresse revocamus, derogamus, & annullamus; ac revocata, annullata, derogata, & nulla nulliusque roboris, & momenti esse volumus, & declaramus, cæterisque contrariis quibuscumque &c. Datum Romæ in Conventu nostri Sancti Patris Augustini die ultima Mensis Junii 1680. -- F. Dominicus Valvasorius Mediolanensis Generalis licet indignus Ordinis Eremitarum S. P. Augustini -- Magister F. Carolus Maria Perusia Mediolanensis Secretarius Ordinis -- Loco ✠ Sigilli -- Registrat. lib. 2.

Dat. 30. Junii 1680.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut literæ præinsertæ firmius subsistant, & in Partibus adeo remotis executioni mandentur, ac serventur exactius, præfatus Procurator Generalis illas Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui memoratum Procuratorem Generalem audiverunt consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Palutii S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris eisdem Cardinalibus super præmissis facta, præinsertas patentes literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & Facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio præinsertarum ordinationum.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXXII.

Conceditur Indulgentia Plenaria Perpetua semel in Mense Confraternitatibus Cordigerorum in Ecclesiis Conventualium S. Francisci erectis in die solitis Processionibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Augu. 1680. A. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Precibus Procurat. Gener. Conventualium conceditur prædicta Indulgentia Confratribus, & Consororibus.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dilecti filii Joannis Franchini Mutinen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus Confraternitatum sub titulo, seu denominatione Funiculi ejusdem S. Francisci, sive Cordigerorum in Ecclesiis dicti Ordinis hactenus erectarum, & in futurum erigendarum vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui, & quæ Processioni per easdem Confraternitates semel in Mense fieri solitæ devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice præfatarum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulæ.

§. 1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Augusti MDCLXXX. Pontif. nostri Anno Quarto.

LXXXIII.

Conceditur Indulgentia Plenaria Perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis Fratrum, vel Monialium Ordinis S. Francisci in Festivitatibus dicti Sancti, necnon Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Episcopi, Bernardini, ac S. Claræ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Aug. 1680. An. 4.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Causa Indulgentiæ.

CUM a primæva Institutione Regulæ Beati Francisci, tam ob illius, & Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Episcopi, & Confessoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Sanctæ Claræ, aliorumque ejusdem Ordinis se-

quacium

quacium sanctitatem, & miraculorum multitudinem, quam etiam ob multorum ipsius Religionis Summorum Pontificum prædecessorum nostrorum merita, ingens ubique Christifidelium multitudo singularem erga quemcumque dictorum Sanctorum gerat devotionis affectum, Nos, ut ipsorum Fidelium devotio hujusmodi non modo conservetur, sed in dies magis augeatur, animarumque saluti uberius consulatur, precibus etiam dilecti filii Joannis Franchini Mutinen. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Procuratoris Generalis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & singulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de Observantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quam cæteris utriusque sexus Christifidelibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione refecti diebus festis Sanctorum Francisci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Episcopi, & Confessoris, ac Bernardini prædictorum eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de Observantia, necnon die Festivitatis S. Claræ Monialium dicti Ordinis Monasteriorum ubilibet constitutorum Ecclesias tam erectas, quam erigendas, vel earum aliquam a primis vesperis usque ad occasum solis eorumdem dierum singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris: non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentes literæ ad ipsorum Christifidelium notitiam facilius, citiusque perveniant, volumus, quod earum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Minor. Conventualium.

Concessio Indulgentiæ prædictæ.

Clausulæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Augusti 1680. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXXIV.

Statuitur, ut tam Capitulum Generale, quam Dieta Intermedia Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti ante triennium non celebretur.

Hac de re vide Clem. X. Const. 14. editam anno 1670. die 22. Augusti, Pont. 1. sup. Tom. VI. pag. 314. Item Const. 88. Innoc. XI. editam anno 1680. die 22. Novembris Pont. 5. inf. pag. 354. necnon Const. 5. Inn. XII. editam anno 1691. die 28. Julii Pont. 1. sup. Tom. VII. pag. 139. in quarum prima celebrari debebat Capitulum post triennium, altera confirmata fuerunt statuta Cassinensium, & postrema immutatum fuit tempus Dietæ.

Dat. 9. Sept. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM (sicut accepimus) Dudum felic. rec. Clemens Papa X. prædecessor noster quoddam decretum a Capitulo Generali Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti Mantuæ in Monasterio ejusdem S. Benedicti celebrato factum, ut ad evitandas expensas, ac itinerum incommoda Capitulum Generale ipsius congregationis, quod à Constitutionibus ejusdem Congregationis singulis annis celebrandum mandabatur in posterum altero quoque anno ad mentem rec. me. Alexandri Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri cogi deberet Apostolica auctoritate inter alia, confirmaverit, & approbaverit, prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 22. Augusti 1670. expeditas, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur:

Ex Constitutionibus celebrabatur Generale Capitulum singulis annis, sed postea ex Decreto Generalis Capituli a Clem. X. confirmato altero quoq; anno.

§. 1. Nos considerantes Congregationem prædictam, ejusque Monasteria, & personas, propter nimis frequentes Capitulorum Generalium, & Dietarum intermediarum celebrationes, expensis, & itinerum incommodis adhuc nimium gravari, ac proinde illorum utilitati, & commoditati peramplius, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero tam Capitulum Generale, quam Dieta intermedia præfatæ Congregationis Cassinen. quolibet triennio a proxime futuro Capitulo Generali, quod Tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ anni proxime venturi 1681. celebrandum est, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de triennio in triennium continuando, celebrentur: ita scilicet, ut Dieta hujusmodi octodecim Mensibus post celebrationem cujuscumque Capituli Generalis pro rebus, & negotiis, quibus interea consulendum fuerit, ante tamen festum Circumcisionis Domini immediate sequens, & non aliter haberi debeat. Visitatores vero, qui juxta Constitutiones prædictas eidem Dietæ interesse debebunt, in accessu ad ipsam Dietam, & in reditu ab illa visitationes Monasteriorum sibi respective assignatorum terminare, & absolvere teneantur tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Causa tertii Statuti.

Statut. prædictum, & præcise definitur tempus Capituli, & Dietæ, cujus occasione visitationes absolvendæ sunt.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi

Clausulæ.

terpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Monasteriorum, & aliis quibusvis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Decretis, & usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Monasteriis, Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime servatis, insertis, expressis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Septembris MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXXV. Extenditur Decretum Prioris Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini de consanguineis, & affinibus Religiosis, ad Discalceatos Congregationis Hispaniæ, & Indiarum ejusdem Ordinis.

De hoc Decreto extat duplex confirmatio, una in Const. Clem. VIII. edita ,altera vero in Const. Inn. X. ad an. 1647. d. 23. Febr. Pont. IV.

Dat. 14. Sept. 1680. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decretum hujusmodi primo confirmatum fuit a Clem. VIII., & postea ab Innoc. X., ut infra.

Dudum fel. rec. Innocentius PP. X. prædecessor noster quoddam Decretum a quon. Andrea Fivizano dum vixit Priore generali Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini pro felici ejusdem Ordinis regimine inter alia editum auctoritate Apostolica confirmavit per suas in simili forma Brevis die 23. Februarii 1647. desuper expeditas literas, tenoris, qui sequitur videlicet. Innocentius PP. X. Ad perpetuam rei memoriam. Injuncti Nobis (reliqua legi possunt suo loco.

Preces Vicarii Genera. dd Fratrum Discalceatorum, & c. fa extensio nis Decreti

§. 1. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes a Præsentatione Vicarius Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, & Indiarum dicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Nobis nuper exponi fecit, eadem Congregatio ad observantiam Constitutionum Fratrum Calceatorum Ordinis præfati non teneatur, ac proinde dubitari possit illam nec Decretum prædictum servare teneri. Ipse vero Joannes Vicarius Generalis pro felici, & prospero suæ Congregationis præfatæ regimine, & gubernio Decretum hujusmodi sublato quocumque usu, vel consuetudine, qui, vel quæ in contrarium allegari posset in eadem Congregatione observari plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Joannis Vicarii Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati Decretum præinsertum a memorato Andrea Fivizano Procuratore Generali editum, & a præfato Innocentio prædecessore confirmatum, ut præfertur, in universa Congregatione prædicta Fratrum Discalceatorum Hispaniæ, & Indiarum, ac ab omnibus, & singulis ipsius Congregationis Superioribus, & Fratribus, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, sublato quocumque usu, vel consuetudine, qui, vel quæ in contrarium quovis modo allegari valeret, de cætero inviolabiliter observari debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Extensio Decreti ad præfatam Congregationem.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ Apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Septembris MDCLXXX. Pontif. nostri Anno Quarto.

Confir-

LXXXVI. Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo declaratum fuit, non licere superioribus Ord. B. M. de Mercede delegare auctoritatem conferendi habitum Tertiariorum utriusque sexus; posse tamen eos horum curam probo Religioso committere.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat.30.Sep. 1680. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Josephi Linas Fratris expresse professi, & Procuratoris Generalis Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magistri Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositae, exposito, quod cum in dicto Ordine essent quamplurimi Tertiarii, & Tertiariae, seu Pizochae sub Tertiariorum Regula, ex habitu ejusdem Ordinis pie, & laudabiliter viventes, dubitatum aliquando fuerat, an pertineret privative ad Superiores ipsius Ordinis praedictis Tertiariis habitum conferre, an verò possent delegare aliquem virum Religiosum, probataeque virtutis, ut illis habitum hujusmodi conferret, curamque eorum haberet precipue circa Regulae observantiam; ideoque pro ipsius Josephi parte praefatae Cardinalium Congregationi supplicato, ut pro majori securitate dubitationem hujusmodi resolvere dignaretur: eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 11. Augusti proxime praeteriti emanatum supplicem Libellum sibi super praemissis porrectum remisit dilecto filio Nostro ejusdem S. R. E. Presbytero Cardinali Otthobono nuncupato d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, ut veris existentibus narratis circa ejusdem Josephi Procuratoris Generalis preces id statueret, quod pro suo arbitrio, & conscientia in Domino expedire censuisset. Porro idem Petrus Cardinalis, & Protector in vim facultatis sibi per Decretum hujusmodi attributae, super praemissis Decretum edidit tenoris, qui sequitur videlicet. Vigore retroscriptae facultatis Sac. Congregationis S. R. E. Cardinalium Negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositae, recognito supplici libello a Procuratore Generali exhibito, & re mature considerata declarandum, & statuendum duximus: Non licere superioribus localibus Religionis, delegare auctoritatem conferendi habitum Tertiariorum praedictis utriusque sexus Tertiariis, sed ad illos hoc privative spectare: posse tamen semel indutis in illorum curam circa observantiam Regulae Virum Religiosum ejusdem Religionis probataeque virtutis destinare, prout praesenti Decreto auctoritate qua supra decernimus, statuimus, & declaramus. In quorum fidem &c. Datum ex aedibus nostris hac die 14. Septembris 1680. Cardinalis Otthobonus totius Ordinis B. Mariae de Mercede Protector.

Propositum fuit dubium S. Congregationi Episc., & Reg.

Remissum fuit ad Card. Protectorem.

Ejus Decretum.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Josephus Prior Generalis Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Josephum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum a memorato Petro Cardinale, & Protectore editum, ut praefertur, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulae.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ordinis praedicti, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXX. Septemb. MDCLXXX. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Confirmantur quaedam Decreta Capitulorum Fratrum S. Francisci Strictioris Observantiae Provinciae S. Petri de Alcantara in Hispaniae a S. Congregatione approbata, nec non aliud Card. Protectoris pro eorum Decretorum executione. LXXXVII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat.25. Oct. 1680. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Ferdinandi de Villadiego, & Peralta Fratris expresse professi, & in Romana Curia Procuratoris Provinciae S. Petri de Alcantara in Hispania Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci strictioris Observantiae, sive Discalceatorum nuncupatorum nomine dictae Provinciae Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositae exposito, quod in quodam libro Actorum, & Decretorum Capitulorum Provincialium, Congregationum intermediarum, & coadunationum particularium Diffinitorii praefatae Provinciae aderat Decretum Capituli Provincialis in Conventu Granaten S. Antonii Patavini die 20. Octobris 1663. celebrati folio 17. appositum, tenoris, qui sequitur videlicet. Item totum Capitulum Provinciale decrevit, quod rescripta, seu Instrumenta autentica capitulationum, pactorum, seu concordiarum

Species facti.

Decretum Capituli Provincialis, de exhibitione

Capitulationum, & pactorum, seu concordiarum.

obtenta, vel futura cum Ecclesiasticis, sive cum Saecularibus, ut robur, consistentiam, & firmitatem habeant totius Diffinitorii auctoritate, & consensu exhibeantur coram Testibus, & sub Tabellionis publici, vel Notarii Apostolici subscriptione; quaelibet autem Instrumenta, quae cum eadem solemnitate, & per solum Ministrum Provincialem fuerint exhibita, etiamsi ipse Minister testetur se ad hoc habuisse consensum unanimem totius Diffinitorii nullius roboris, validitatis, & substantiae sint -- Fr. Gaspar Garcia Minister Provincialis, Fr. Prancifcus de Morales Pater, & Diffinitor -- Fr. Andreas de Alarcon Custos -- Fr. Ildefonsus de Monte Alegre Definitor. -- Fr. Salvator de Robles Diffinitor -- Fr. Didacus Peroz Diffinitor. Ac similiter in praefato libro fol. 160. reperiebatur aliud Decretum die 27. Februarii 1680. editum, tenoris sequentis videlicet: in ipsa supra relata die 23. Februarii 1680. suas Diffinitorium conferens Capitulares sessiones, in hac novissima, subsequens Decretum, seu statutum condidit. Cum ex libro Capitulari hujus Provinciae pag. 17. constet capitulum Provinciale in hoc Granatensi Conventu D. Antonii Patavini die 20. Octobris 1663., celebratum decrevisset, quod Patentes, & authenticae literae Capitulorum, vel concordiarum, sive cum Ecclesiasticis, sive cum Saecularibus, ut firmitatem, & subsistentiam habeant Diffinitorio pleno, nemine discrepante, & unanimiter consentiente firmentur, & cum solemnitate Juris authentice subscribantur; si autem Instrumenta praefata, quantumvis authentica, solum Ministri Provincialis placito, Juramento, & subscriptione afficiantur, licet ipse testetur totum Diffinitorium erga praedicta, suum consensum praestasse, irrita sint, & invalida, quare Instrumenta hujusmodi, si nunquam quibunt obstare nostrae juri Provinciae, cujus praesens, & antiqua Sanctio, seu Constitutio recta, idoneaque videatur ad inconvenientia, quae ex opposito possunt oriri, procul releganda, & ita peroptans Diffinitorium praedictum hanc rectam, idoneamve constitutionem, seu determinationem, omnimoda subsistere firmitate, ne umquam illa pacta Concordiae, seu Capitulationes praefatae absque matura, & necessaria deliberatione, consilioque sufficienti solemniter, & authentice fiant, decrevit, quod tam hujus sanctionis, seu determinationis a praesenti Diffinitorio factae, quam alterius a toto Capitulo Provinciali exhibitae demandentur exempla, seu integra transumpta, & a Tabellione publico, vel Notario Apostolico subscripta, & ita praesentari coram Sac. Episcoporum, & Regularium Congregatione ipsius Confirmationem efflagitando: qua obtenta, exponatur suppliciter cum praemissis Sanctae Sedis Apostolicae ad roborationis effectum obtinendae, ut omnia praemissa communita patrocinio Apostolicae Confirmationis, subsistant firmius, & serventur exactius, quo tam haec ultima sessio, quam hujus reliquae intermedii Capituli finitae fuere, ac propriis subscriptae manibus eodem die, mense, & anno, ut supra -- Fr. Petrus de Cordova Lector Sacrae Theologiae, Minister Provincialis -- Fr. Ildefonsus de Segura Pater, & Diffinitor -- Fr. Salvator Aguary Pater, & Diffinitor -- Fr. Franciscus Lopez Custos, & Sacrae Theologiae Lector -- Fr. Antonius Albertus Diffinitor -- Fr. Antonius Matamoros Diffinitor.

Aliud simile Decretum de confirmatione a Sede Apost. obtinenda.

§. 1. Et proinde pro parte d. Ferdinandi Procuratoris praefatae Congregationi Cardinalium supplicato, ut Decreta Provincialia hujusmodi confirmaret: eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die VI. Septembris proxime praeteriti emanatum, attenta super praemissis relatione Ven. Fratris nostri Alderani Episcopi Tusculan. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati Ordinis praefati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, petitam confirmationem Provinciae praedictae benigne concessit, illiusque executionem, & observantiam arbitrio, & prudentiae ejusdem Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris remisit; qui subinde auctoritate sibi per praedictam Congregationem Cardinalium attributa, Decretum edidit, tenoris qui sequitur, videlicet: Alderanus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Cybo, Seraphici Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protector. Ex quo Sacrae Congregationi Episcoporum, & Regularium placuit retroscripta Decreta Provincialia approbare, & confirmare, eorumque executionem, & observantiam Protectioni nostrae committere. Nos ejusdem S. Congregationis auctoritatem modernis, & pro tempore existentibus superioribus praefatae Provinciae districte praecipimus, & mandamus quatenus supradicta Decreta, illorumque tenorem perpetuis futuris temporibus fideliter observent, & exequantur, ac ab omnibus aliis observari, & exequi faciant, nec illa sub quocumque praetextu infringere, mutare, aut etiam diversimode interpretari Nobis, & pro tempore existente Ordinis Protectore inconsultis audeant, & praesumant, seu ab aliis mutari, infringi, aut diversa interpretatione retorqueri permittant sub poenis adversus contrafacientes privationis officiorum, vocis activae, & passivae, aliisque arbitrio nostro, & pro tempore existentis Protectoris infligendis non obstantibus quibuscumque &c. Romae die 11. Septembris 1680. -- A Cardinalis Cybo Protector. Jo. Baptista Rusca &c.

Confirmatio Congregationis, & commissio facta Card. Protectori pro executione.

Ejus Decretum sub certis poenis.

Preces Procuratoris Generalis d. Provinciae.

§. 2. Cum autem sicut praefatus Ferdinandus Procurator Nobis postmodum exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Ferdinandi Procuratoris votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinserta duo Decreta Provincialia a memorata Cardinalium Congregatione, ut praefertur confirmata, nec non pro eorum executione, & observantia emanatum a praefato Alderando Episcopo, & Protectore Decretum itidem praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio praeinsertorum Decretorum.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciae, & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodo-

libet

libet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Octobris MDCLXXX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXXVIII. Confirmantur tam Declarationes ad Regulam, quam Constitutiones Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti.

Plura statuta habentur in Clem. X. Const. edita an. 1670. Aug. 22. Pont. I. Const. ed. 1670. Septemb. 9. Pont. I. Const. ed. 1675. Apr. 24. Pontif. V. Item Inn. XI. Const. ed. 1676. Nov. 17. Pont. I. Const. ed. 1680. Septem. 9. Pont. IV., Et Const. ed. 1681. Janu. 10. Pont. V.

Dat. 22. Nov. 1680. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ meritis licet, & viribus longe impari imponere dignata est, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, Monasticos Ordines in Ecclesia Dei pie, sancteque institutos, ac annosa, celeberrimaque sanctitatis, & religiositatis laude fulgentes in salutari eorum vivendi norma, monasticaque observantia confovere, atque conservare omni studio connitimur; ac proinde ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio, provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, ut serventur exactius, & perenni stabilitate persistant, Apostolici muniminis patrocinio libenter corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, & felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Declarationes, & Constitutiones prædictæ ad examen revocatæ emanarunt, ut infra.

§. 1. Cum itaque dudum a Monachis Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti factæ fuerint nonnullæ declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac Constitutiones pro felici ejusdem Congregationis gubernio, ejusque Monachorum in via mandatorum Domini directione, quæ jussu nostro a quibusdam Viris, pietate, prudentia, rerum usu, & sacrarum literarum scientia eximie præditis diligenter revisæ, & discussæ, ac ubi opus esse visum est, opportune correctæ, & ad præsentem rerum statum aptatæ fuerunt, ac in unum volumen collectæ sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 2. *In nomine Domini Nostri Jesu Christi, Sancti Monachorum Patris Benedicti in Regulam suam Prologus.*

Ausculta, o fili, præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui: & admonitionem pii Patris libenter excipe, & efficaciter comple, ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, quo per inobedientiæ desiderium recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Christo, vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumis, in primis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici, instantissima oratione deposcas: ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari, ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est: ut non solum iratus Pater, non aliquando filios suos exhæredet; sed nec ut metuendus Dominus, irritatus malis nostris, ut

Implorandum Dei auxilium pro profectu in bonis operibus, sine quibus Regnum Cælorum ingredi nequimus.

nequissimos servos, perpetuam tradit ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam. Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos scriptura, ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere; & apertis oculis nostris ad Deificum lumen, attonitis auribus, audiamus, divina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; & iterum: Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Et quid dicit? Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos; currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens Dominus in multitudine Populi, cui hæc clamat, operarium suum, iterum dicit: Quis est homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Quod si tu audiens, respondeas, Ego; dicit tibi Deus, si vis habere veram, & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & sequere eam. Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos, & aures meæ ad preces vestras. Et antequam me invocetis, dicam: Ecce adsum. Quid dulcius Nobis hac voce Domini, invitantis nos fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ. Succinctis ergo fide, vel observantia bonorum actuum, lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus, ut mereamur eum, qui nos vocavit, in regno suo videre, in cujus regni tabernaculo, si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minime pervenitur: sed interrogamus cum Propheta Dominum, dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Post hanc interrogationem, fratres audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius Tabernaculi, ac dicentem: Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo: Qui non egit dolum in lingua sua, qui non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximum suum. Qui malignum Diabolum aliqua suadentem sibi, eum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus ejus tenuit, & allisit ad Christum. Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputavit, dicens: Gratia Dei sum, id quod sum; & iterum ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur, unde ei Dominus in Evangelio ait, Qui audit verba mea hæc, & faciet ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt Domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram. Hæc complens Dominus, expectat nos quotidie, his suis sanctis monitis factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum hujus dies vitæ ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam prius Dominus dicit; nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore Tabernaculi ejus audivimus habitandi præceptum, sed si compleamus habitatoris officium erimus hæredes Regni Cælorum. Ergo præparanda sunt corda, & corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura; & quod minus habet in Nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiæ suæ jubeat nobis adjutorium ministrare; & si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat, &

in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis viam vacat implere currendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat.

Hinc opportunum erit, Scholam bonorum operum instituere, quæ tamen dura non præscribat.

(*a*) Constituenda est ergo a nobis Dominici Schola servitii, in qua institutione nihil asperum, nihilque grave nos constituturos speramus, sed & si quod paululum restrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conservationem charitatis processerit, non illico pavore perterritus, refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu vero conversationis, & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum Dei: ut ab ipsius nunquam magisterio discedentes in ejus doctrina usque ad mortem in Monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemus, ut & Regni ejus mereamur esse consortes.

PROLOGUS

Declarationum Patrum Congregationis Cassinensis.

Abbatis jussiones sint moderatæ, cujusmodi erunt sequentes Declarationes.

(*a*) Finis, & perfectio legis charitas; charitas autem benigna est: ideoque discretissimus æque, ac sanctissimus Legislator noster monet, ita ab Abbate disponenda omnia, ac moderanda ut debiles non refugiant, sed alacri obedientia, salutem operentur animarum. Hac nos doctrina instructi, & Apostolica auctoritate muniti, quædam in Regula benignius declarabimus, aliqua modernis Ecclesiæ legibus, & ritibus componemus, cuncta demum sic temperabimus, ut nihil nimis arduum, & onerosum injungendo, iter Evangelicæ perfectionis, & observantiæ Regularis in unitate spiritus, & in vinculo pacis dilatato corde curramus.

Incipit Regula S. Patris Benedicti.

De Generibus Monachorum.

CAPUT I.

Quatuor sunt genera Monachorum, Cœnobitarum nempe, Anachoretarum, Sarabaitarum, & Gyrovagorum.

Monachorum quatuor esse genera manifestum est, primum Cœnobitarum, hoc est Monasteriale, militans sub Regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est Eremitarum, horum, qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum multorum solatio jam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine consolatione alterius sola manu, vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. Tertium vero Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in Plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, qui bini, aut terni, aut certe singuli, sine Pastore non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, putant non licere. Quartum vero genus est Monachorum, quod nominatur Gyrovagum, qui tota vita sua per diversas Provincias ternis, aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, & propriis voluptatibus, & regulæ illecebris servientes, & per omnia deteriores Sarabaitis, de quorum omnium miserrima conversatione melius est silere, quam loqui. His ergo omissis ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus.

Qualis debeat esse Abbas.

CAPUT II.

Abbas præcepta Christi tantum proponat, idque verbis, & factis.

Abbas, qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen majoris factis implere. Christi enim agere vices in Monasterio creditur quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater: ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut vel constituere, vel jubere; sed jussio ejus, vel doctrina, fermentum divinæ justitiæ in Discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo Judicio Dei facienda erit discussio. (*a*) Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ovibus Pater familias utilitatis minus potuerit invenire. Tantum iterum liber erit, si inquieto, vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita. Pastor earum in judicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors. Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est omnia bona, & sancta, factis amplius, quam verbis ostendere, ut capacibus Discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde, & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret: (*b*) omnia vero quæ discipulis docuerit esse contraria in suis factis indicet non agenda, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur; ne quando illi dicat Deus peccanti: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecti sermones meos post te: Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo proprio trabem non vidisti! non ab eo persona in Monasterio discernatur, non unus plus ametur, quam alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non convertenti ex servitio præponatur ingenuus, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita justitia dictante, Abbati visum fuerit, & de cujuslibet ordine id faciat, sin alias propria teneant loca: quia sive Servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus: & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus: quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis, & humiles inveniamur. Ergo æqualis sit omnibus ab eo charitas: una præbeatur omnibus secundum merita disciplina.

Arguere, obsecrare, & increpare debet.

In doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa, idest miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta: dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum, idest indisciplinatos, & inquietos debet durius arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, ut melius proficiant, obsecrare; negligentes autem, & contemnentes ut increpet, & corripiat, admonemus (*c*) neque dissimulet peccata delinquentium: Sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet: memor periculi Heli Sacerdotis de Sylo. Et honestiores quidem, atque intelligibiles animos prima, vel secunda admonitione, verbis corripiat: Improbos autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes verberum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterum: Per-

cute filium tuum virga, & liberabis animam ejus a morte.

Meminisse debet semper Abbas, quod est: meminisse quod dicitur, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur: sciatque quam difficilem, & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus. (*d*) Et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, & secundum uniuscujusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet, & aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur; verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne dissimulans, aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis, & terrenis, atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suas suscepit regendas, de quibus, & rationem redditurus est. Et ne causetur forte de minori substantia, meminerit scriptum: Primum quærite Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis: Et iterum: Nihil deest timentibus eum, sciatque quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die Judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio additam & suæ animæ. Et ita timens semper futuram discussionem Pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis solicitus. Et cum de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

Solicitus magis sit de salute animarum, quam de rebus terrenis.

DECLARATIO.

Ibi, sciatque Abbas culpa Pastoris.

Curet, ne Fratres spiritualia exercitia negligant.

1. (*a*) Considerent maxima cum attentione Prælati doctrinam hujus capitis, curentque omni vigilantia, ut Fratres ad regularem observantiam, ad Sacras item lectiones, meditationes, ac orationes sedulo incumbant, SSma Sacramenta, celebrationesque Missarum devote frequentent; ac præsertim invigilent, ne Officiales, tam Monachi, quam Commissi, qui extra Monasteria ob curam rerum temporalium degunt, propter hujusmodi administrationes spiritualia exercitia prætermittant.

Ibi, omnia vero.

Functionibus omnibus intersit.

2. (*b*) Prælati, ut Subditos reddant in obsequendo promptiores, ipsi forma Gregis fiant, & Duces agendorum. Ergo regularibus observantiis Chori, Refectorii, cæterisque semper intersint. Blandissime quippe jubetur exemplo.

Ibi, neque dissimulet.

Ne Indulgentia foveat peccata sub gravibus pœnis.

3. (*c*) Zelum disciplinæ exigens Dominus a Prælatis: Noli (inquit) quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, nimirum docens, non levis culpæ reum se constituere, qui cum pro suo munere, sibique tradita potestate peccata compescere, & emendare debeat, dissimulando & connivendo, fovet & auget. Hoc ergo Divinum pariter, & regulare documentum satagant Patres studiosius adimplere, ne propter correctionis omissionem vitia, & peccata succrescant, quinimo contra criminosos procedant, etiam ex officio. Quod si in gravioribus causis neglexerint, severe in ipsos a Diffinitoribus, vel a regimine pro modo culpæ animadvertatur.

Ibi, & alium quidem blandimentis.

Maximam prudentiam adhibeat.

4. (*d*) Hinc noverint Abbates quanta indigeant prudentia in regendis Subditis, & qua discretione, ac flexibilitate se debeant uniuscujusque naturæ aptare, ut animas lucrifaciant. Nullum enim animal lenius, atque morosius tractandum est, quam homo præsertim ingenuus.

De adhibendis ad Consilium Fratribus.

CAPUT III.

Abbas in præcipuis agendis audito Fratrum omnium consilio definiat.

(*a*) Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio (*b*) convocet (*c*) Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium Fratrum, tractet apud se, & quod utilius judicaverit, faciet. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpe Juniori Dominus revelet, quod melius est. Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio: ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant: Sed sicut Discipulis convenit obedire Magistro, ita, & ipsum provide, & juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam: neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nullus in Monasterio sequatur cordis proprii voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterve intus, aut foris Monasterium contendere, quod si præsumpserit regulari disciplinæ subjaceat, ipse tamen Abbas cum timore Dei, & observatione Regulæ omnia faciet: Sciens se procul dubio de omnibus Judiciis suis æquissimo Judici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, (*d*) Seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, post factum non pœnitebis.

Nec cum eo quisquam contendat sub disciplinæ pœna.

In minoribus vero rebus seniores tantum convocet.

DECLARATIO.

Ibi, aliqua præcipua.

Recensentur res præcipuæ.

1 (*a*) Inter præcipua, in quibus maximè totius Congregationis, sive Conventus cujuscumque Monasterii consilia, & vota requiri debent, sunt, receptio Novitiorum ad professionem, Collatio Beneficiorum, (ubi consuevit Conventus intervenire hujusmodi collationibus) Syndicatus, locationes ad longum tempus, acceptatio Missarum perpetuarum, & alia hujusmodi; quælibet etiam alienatio rerum Ecclesiasticarum, immobilium, & pretiosarum mobilium; Hæc enim per Sacros Canones sine facultate Summi Pontificis omnino fieri prohibentur.

De ratione servanda in alienationibus.

4. (*b*) Ut autem ad praescriptum Regulae Decani constituantur, statuimus, neminem posse eligi in Decanum, nisi qui saltem per biennium continuum tempore sui Sacerdotii observantiae regulari vacaverit (exceptis Lectoribus, & Praedicatoribus, de quibus infra num. 11.) quique sufficienti literatura, ac probis moribus praeditus sit, & bonum testimonium habeat a Praelato, in cujus Monasterio saltem per annum integrum, tempore quo ad Decanatum promovendus erit, commoratus fuerit, vel ab iis Praelatis; sub quorum cura eo anno, licet in diversis Monasteriis vixerit, & praesertim de cujus doctrinae sufficientia, & vitae merito constet per testimonium a Visitatoribus medio eorum juramento coram Diffinitoribus, & Capitulo Generali ferendum: praeviis quoad literarum scientiam in actu visitationis diligenti examine, & quoad morum probitatem, exacta inquisitione, prout statuitur in literis in forma Brevis Clementis VIII. sub die 6. Martii 1593., & Pauli V. die 21. Martii 1608. Ac praevia etiam attestatione de hujusmodi vitae integritate, & sufficientia per Praelatum, qui pro tempore praeerit Monasterio professionis ejusdem promovendi (cujus nomine ad Decanatum proponi, & promoveri debet) in Diffinitorio cum juramento facienda. Qui Praelatus si ad Capitulum non accesserit; teneatur praedictam attestationem in scriptis medio suo juramento, subscriptione; & sigillo roboratam, ad Diffinitores transmittere, & in casu mortis a Priore, & senioribus, ipsorum pariter juramento, subscriptionibus; & sigillo Conventus munita, transmittatur, alias hujusmodi electiones, seu promotiones, quae non servata forma praesentis Constitutionis, fieri contigerit, nullas, & invalidas esse ipso facto decernimus, & declaramus. Si qui autem inter Decanos reperiuntur, qui ad suum munus peragendum, ob aliquam infirmitatem, vel alios defectus impotentes, seu inhabiles sint; absolvantur a Regimine, & inter Decanos cum Titulo (si in reliquis fuerint emeriti, & bonum testimonium habuerint a Praelatis suis) numerentur: Sin minus a Titulo, & Regimine removeantur, & alii sufficientes in locum illorum substituantur. Qui omnes, ut in studio regularis disciplinae sint soliciti, ac Fratres ad eam amplectendam (ut ex officio tenentur) excitare non negligant, quotannis in Capitulo Generali novae electionis judicio subjiciantur, & pro singulis a Diffinitoribus suffragia ferantur, ac si nunquam antea fuissent electi ut eo pacto in officio retineantur, prout decernitur in praefato Brevi Clementis VIII.

De Decanis impotentibus.

Decanorum electiones innoventur singulis Capitulis Generalibus.

De electione, & auctoritate Magistri Novitiorum illi Decanorum non multum absimili.

5. Magistri etiam Novitiorum eligantur moribus, & aetate omnino maturi, sufficienti literatura praediti, & apti ad lucrandas animas, instruendosque Discipulos, qui a saeculo convertuntur, in Monastica, & Regulari disciplina. Quae omnia eo diligentius executioni mandanda sunt, quo cognoscimus in his robur, & fundamentum observantiae Regularis esse positum.

6. Et quamvis ad Novitios instituendos dicti Magistri praecipue debeant incumbere, culpas tamen & ipsi in capitulo omnium Monachorum audiant, sicut & alii Decani, silentiumque, & alias disciplinae Regularis observantias servari procurent.

Decani absente Superiore, ejus vices gerant, & mandata servent.

7. Hospitibus (aliis superioribus absentibus; vel occupatis) Decani occurrant, Regulas, & Constitutiones penes se habeant, ut Fratres instruere possint: In suis vero admonitionibus, & correctionibus caveant, ne sint nimis tepidi, aut austeri, haec omnia faciant, vel omittant, juxta suorum Praelatorum dispositionem, contra quorum mandata nihil penitus attentent.

Ad Decanatum sexdecim, & ad Magisterium Novitiorum octodecim requiruntur anni Religionis.

8. Nec praemissis omnibus stantibus ullus Monachorum nostrorum amodo possit ad Decanatum (qui primus superioritatis gradus est) promoveri nisi decimum sextum, nec ad curam Novitiorum, nisi decimum octavum annum in Congregatione compleverit. Quod etiam de iis; qui ad Religionem Sacerdotes venerint, intelligendum est.

In quovis Monasterio unus, & in tota Congregatione trecenti dumtaxat Decani eligantur.

9. Ordinamus insuper, quod in unoquoque Monasterio pro quinis quibusque Monachis Professis viventibus, unus tantum Decanus, Computatis Cellerariis, Magistris Novitiorum, & aliis, constituatur, ita tamen, ut ipsi Decani numerum trecentorum in tota Congregatione non excedant, sicuti praescribitur in praefato Brevi Pauli V.

Dignus Decanatu, si non vacat, donari poterit Decani titulo a Capitulo Generali, vel Dieta.

10. Ne autem alicujus Monasterii Professus alterius Monasterii nomine possit in Decanum eligi, neque sub quovis praetextu quisquam ex Monachis ad Decanatum, vel ex Decanis ad Prioratum, aut ex Prioribus ad Abbatiam ante praefinitum tempus habilitari, districte omnino prohibemus. Si quis autem doctrina, & morum probitate praeditus annum decimum sextum Religionis compleverit, & Decanatus locus in Monasterio suae professionis non vacaverit; vel propter aliquam infirmitatem minus ad Regimen idoneus judicatus fuerit; possit in Capitulo generali a Diffinitoribus, vel in dieta a Praeside, & Visitatoribus eligi in Decanum Titularem.

Lectores vero qui in quibusdam Monasteriis, & Concionatores in praecipuis Urbibus munus suum laudabiliter expleverint, supernumerarii declarari poterunt.

11. Ad animandos vero Monachos ad studium literarum, volumus eos, qui Sacrae Theologiae cursum honorifice expleverint, & Lectoris munere in Monasteriis pro studio infra designandis, saltem per triennium continuum laudabiliter functi, & per Examinatores a capitulo deputatos admissi, & approbati fuerint (modo probitate morum, & aliis praefatis requisitis praestent) post decimum sextum annum supranu-

merarios, quando non est locus in Monasterio suæ professionis ad Decanatum promoveri posse. Idem dicimus de Concionatoribus, dummodo cursum Theologiæ serio, & cum profectu percurrerint, & admissi ab Examinatoribus nostræ Congregationis per triennium in præcipuis Urbium Ecclesiis Quadragesimale concionum studium confecerint. Statuentes facultatem creandi, seu eligendi Decanos, quæ antea ad Capitulum Generale unice spectabat, etiam ad Regimen, seu Dietam imposterum pertinere.

Decani post quinquenniũ ascẽdere possunt ad Prioratum Claustralem, sed inter eas potior sit ratio Decanorum, Magistrorũ, Priores vero ad Abbatialem dignitatem nonnisi post alterum quinquennium.

12. Decernimus denique, neminem Decanum eligi posse in Priorem Claustralem, nisi, qui simul per biennium observantiæ regulari vacaverit (exceptis Lectoribus, & Prædicatoribus, ut supra statuitur num. 3.) & saltem per quinquennium expletum in Decanatu laudabiliter vixerit. Præponendos tamen omnino censemus eos cæteris omnibus, qui officio Magistri Novitiorum saltem per triennium cum laude functi fuerint, dummodo in Decanatu idem quinquennium compleverint; Priores vero in Abbates eligi non possint, nisi per quinquennium expletum in Prioratu laudabiliter se gesserint, & per biennium permanserint in sua residentia.

Superiores Vocales silentium servent sub certa pœna.

13. Pro charitate autem, & pace servanda, & ut liberius superiores a Prælatis convocati vota sua exprimere possint; ordinamus, quos si quis eorum revelaverit aliquid ex tractatis inter eos, itaut scandalum oriri possit, ipso facto a cæterorum superiorum consortio in agendis anno integro privatus existat.

Priores, & Decani donec morẽtur in proprio Monasterio audire possĩt Cõfessiones.

14. Prior autem, & Decani ad aliud Monasterium mutati, postquam sibi de sua mutatione innotuerit, possint audire Confessiones Discipulorum suorum, ac Sacerdotum, ut prius dum illuc moram trahunt, ipsisque Beneficium absolutionis impendere, nisi superior prohibuerit.

Quomodo dormiant Monachi.

CAPUT XXII.

Eodem in loco, singulatim cum senioribus, ardente Candela, & vestiti dormire debeant.

(*a*) Singuli per singulos lectos dormient. Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem Abbatis sui singuli accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant: si autem multitudo non sinit, deni, aut viceni cum Senioribus suis, qui super eos soliciti sint, pausent, (*b*) Candela jugiter (*c*) in eadem Cella ardeat usque mane. (*d*) Vestiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus, & cultellos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnium vulnerentur, dormientes; & ut parati sint Monachi semper, & facto signo, absque mora surgentes festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate, & modestia. Adolescentiores Fratres juxta se non habeant Lectos, sed permixti cum Senioribus. Surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur, propter somnolentorum excusationes.

DECLARATIO.

Ibi: Singuli per singulos Lectos.

Assignatur unicuiq; Cella, & cur?

1. (*a*) Secundum modernum morem, propter honestatem, & ut liberius Fratres in Orationibus, & aliis spiritualibus valeant se exercere, ac ut vitetur curiositas: Dormitorium divisum est in diversas Cellas, & assignamus unicuique Fratrum Cellam unam, sic, ut singuli in singulis dormiant, etiam Novitii.

In ostiis Cellarum Novitiatus sit foramen, quod nemo inferior aperiat, sub certa pœna.

2. Quælibet autem Cella Novitiatus habeat in superiori parte Ostii foramen coopertum de foris tabella versatili, quæ faciliter hinc inde dimoveri possit, è quo Frater in Cella existens videri queat a Magistro Novitiorum, an se spiritualiter exerceat, vel aliud agat, quod foramen nullus interius operire præsumat sub pœna infrascripta.

Nec quis alterius Cellam ingrediatur sine licentia, vel in ea cum alio maneat non clauso ostio.

3. Nemo Fratris Cellam, etiamsi alterius Monasterii existat ingrediatur, ipso in ea existente, & similiter eo absente sine ejus licentia, aut nisi de licentia Prælati, vel superioris, & quamdiu cum debita licentia simul in Cella sunt, ostium semiapertum teneatur.

Vel externum in propriam admittat.

4. Nec possit Frater quamcumque Ecclesiasticam personam, vel laicam cujuscumque conditionis existat, in Cellam introducere sine licentia superioris Monasterii.

Item non claudat peculiari clave.

5. Nec audeat frater aliquis sine præfata licentia ullo tempore, Cellam claudere, ita quod de foris aperiri non possit Clave communi. Quicumque vero in quolibet supradictorum sex Casuum contrafecerit, jejunet semel pane & aqua in terra in Refectorio.

Potest tamen fratri dare licentiam ingrediendi Cellam.

6. Frater autem extra Cellam suam existens, licentiam dare valeat alteri Fratri, ut Cellam suam aliqua honesta causa ingrediatur.

Et eamclaudere debet Clave communi.

7. Et ne contingat aliquid asportari de Cellis a sæcularibus, qui plerumque curiosi per Monasterium, & Dormitorium vagantur, mandamus, ut ferreæ seræ, quæ clavibus communibus aperiuntur, ostiis Cellarum apponantur.

Nullo vero modo Capsas nisi sit Prior qui communi tantum clave utatur, sub certa pœna.

8. Capsas, seu scabella clavibus obserata habere nemini fas sit, præterquam Priori Claustrali, qui intra octo dies ab Officialium publicatione consimilem clavem Abbati tribuere teneatur. Si secus fecerit, totum Psalterium intra octiduum recitet, cæteri vero arbitrio Superioris puniantur.

De cura adhibenda circa lumen.

9. Quilibet autem Frater caute teneat lumen in Cella, & extinguat, & nullus candelas applicet Lectisterniis, aut parietibus ligneis propter incendii periculum. Si quis vero contrafecerit, dicat suam culpam in Capitulo, graviter puniendus.

De silentio in Dormitorio.

10. Silentium continuum in Dormitorio ab omnibus quovis tempore servetur, nisi quis voluerit aliquid breviter, & submissa voce dicere.

De Confessionibus in eo audiendis.

11. Ordinamus propterea, quoad fieri potest, ne confessiones sæcularium in Dormitorio audiantur a quocumque, nisi Abbas jusserit.

12. Prælati vero, & seniores, Fratrum Confessiones ibi audire, eosque submissa voce exhortari possint.

De rumore, vel strepitu.

13. Fratres incedentes per Dormitorium ita quiete, & in cunctis moderate, & sine strepitu ibidem se gerant, ut alios non inquietent.

De ejus munditie.

14. Singulis hebdomadis ad minus Dormitorium, & Cellæ propter immunditias a Fratribus scopis mundentur.

Ibi: Candela.

Quando accendenda.

15. (*b*) Sive Lucerna, vel lampas, quæ accenditur a Sacrista hora qua pulsantur signa serotinæ Salutationis Angelicæ, & ardeat tota nocte usque ad diem.

Ibi: In eadem Cella.

16. (*c*) Id est in Dormitorio eodem.

Ibi: Vestiti dormiant.

Cum Scapulare, & Caputio dormiendum.

17. (*d*) Vestitos dormire Fratres intelligimus, si teneant Scapulare cum Caputio super tunicellam.

De excommunicatione culparum.

CAPUT XXIII.

Prævaricatores post secundam correctionem excommunicentur, & corporali pœna puniantur.

Si quis Frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in alio contrarius existens sanctæ Regulæ, & præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel, & secundo secrete a senioribus suis; si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subjaceat, si autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

Qualis

Qualis debeat esse modus excommunicationis.

CAPUT XXIV.

Excommunicatio culpæ respondeat.

Secundum modum culpæ, excommunicatio nis, vel disciplinæ debet extendi mensura, qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio; si quis tamen Frater in levioribus culpis invenitur, tantum a Mensæ participatione privetur. Privari autem a Mensæ consortio, ista erit ratio, ut in Oratorio Psalmum, aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post Fratrum refectionem accipiat, mensura, vel hora, qua præviderit Abbas ei competere; ut si verbi gratia fratres reficiunt sexta hora, ille Frater nona, si Fratres nona, ille vespertina, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

De gravioribus culpis.

CAPUT XXV.

Determinatur pœna pro graviori culpa.

Is Frater, (*a*) qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul, & ab Oratorio. Nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in patientiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: traditum hujusmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat mensura, vel hora, qua præviderit ei Abbas competere, nec a quoquam benedicatur transeunte, nec cibus, qui ei datur.

DECLARATIO.

Ibi: qui gravioris culpæ noxa tenetur.

Curent Superiores, ut prævaricatores impositis pœnis faciant satis.

1. (*a*) Quia in his declarationibus, & Constitutionibus plerisque in locis, & casibus pro qualitate, & gravitate culparum certæ pœnæ, ac pœnitentiæ taxatæ sunt, pro pace bonorum, & ad reprimendam improborum audaciam, ut metus pœnæ coerceat, quos Dei, & virtutis amor a malo non revocat; Ideo ordinamus Prælatis, & aliis Superioribus, ut eas inviolabiliter faciant a transgressoribus observari.

Pœna juxta delicti rationem esse debet publica, vel secreta.

2. Quare si delictum, ut transgressio hujusmodi secreta fuerit, secreto quoque impositam pœnitentiam facere non postponat delinquens, nec aliter a quoquam etiam a Prælato proprio dispensari valeat, nisi pœnitentia per Ordinationes statuta, esset publice persolvenda, utpote in terra in Refectorio comedere, quo casu in aliam secretam commutari possit. Si vero delictum aut transgressio manifesta fuerit, publice etiam transgressor, secundum Statuta a Constitutionibus, vel a Superiore pœniteat. Quod si ille facere neglexerit, aut recusaverit, a nemine ut supra dispensari valeat, & si intra triduum publice non pœnituerit, pro hujusmodi contemptu his eandem pœnitentiam facere teneatur: si vero intra aliud sequens triduum pertinaciter distulerit eandem pœnitentiam, etiam tertio cogatur iterare. Demum si aliis adhuc tribus diebus animo (quod Deus avertat) perstiterit contumaci, & indurato, statim tanquam incorrigibilis, rebellis, & obstinatus, ac contemptor Sanctæ Regulæ, & Constitutionum Custodiæ (donec resipuerit, & prædictam pœnitentiam toties facere promiserit, quoties ut supra distulerat, vel recusaverat) mancipetur.

Si ea respuatur primo, & secundo duplicetur, & tertio addatur Custodia.

Nec quisquam ea relaxare poterit.

3. Nec in aliquo præmissorum a Prælato suo, nec ab ullo alio, etiam a Præsidente ipso, nisi forte pro aliqua brevi prædictorum terminorum mora (& hoc ex aliqua rationabili causæ) valeat dispensari, majori quippe vindictæ secundum quod dicit Beatus P. N. Benedictus in Regula subjacere debet, qui non vult humilitate corrigere, quod negligentiæ culpa deliquit.

Imo quarto adhibeatur

4. Quod si nec resipuerit, nec ad cor redierit, tunc demum, ut Regula præscribit, austeriori disciplinæ subjaceat.

etiam austerior disciplina.

5. Igitur Generale Capitulum, & Congregationis Regimen, Monasteriorumque nostrorum Prælati prædicta omnia servent diligenter & ut dictum est curent ab hujusmodi transgressoribus inviolabiliter adimpleri.

Quæ omnia omnino executioni mandentur.

De iis, qui sine jussione Abbatis junguntur Excommunicatis.

CAPUT XXVI.

Hi subjaceant eidem Excommunicationi.

Si quis Frater præsumpserit sine jussione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Qualiter debeat esse solicitus Abbas circa Excommunicatos.

CAPUT XXVII.

Abbas secreto ad eos mittat consolatores, & suasores.

Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus; & ideo uti debet omni modo, ut sapiens medicus, immitteret quasi occultos consolatores Senipetas, idest Seniores sapientes Fratres, qui quasi secrete consolentur Fratrem fluctuantem, & provocent eum ad humilitatis satisfactionem: & consolentur eum ne abundantiori tristitia absorbeatur, sed sicut ait Apostolus: confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet solicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres, & omni sagacitate, & industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: quod crassum videbatis, assumebatis, & quod debile erat, projiciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere, cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

De iis, qui sæpius correcti non emendantur.

CAPUT XXVIII.

Hi excommunicentur, postea verberibus cædantur, deinde adhibeatur pro ipsis oratio, & tandem ejiciantur e Monasterio.

Si quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita se correxerit, aut forte (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua; tunc Abbas faciat quod Sapiens Medicus si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & jam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam quod majus est suam, & omnium Fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam (*a*) utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus: auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat, ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.

DECLARATIO.

Ibi: utatur ferro abscissionis.

Quod ad inemendabiles attinet, serventur Decreta S. Congregat., Fugi-

1. (*a*) In adhibendo contra incorrigibiles nostræ Congregationis Monachos hujusmodi extremum expulsionis remedium, serventur Decreta Sacræ Congregationis Concilii S. D. N. Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis, & ejectis.

Fugitivi vero requirantur, ac detineantur in carcerem, in unoquoque Monasterio ædificando, usque ad sententiam Capituli Generalis.

Fugitivi vero cum omni solicitudine requirantur a Monasteriis Professionis eorum, & in carcerem detrudantur pro modo culpæ puniendi. Propterea districte præcipimus omnibus Monasteriorum nostrorum Prælatis, ut in singulis Monasteriis tutos carceres habeant pro hujusmodi fugitivis, & aliis graviter delinquentibus.

2. Et quoniam ubi major subest culpa, & gravius scandalum, ibi solicitior debet esse cura, ideo declarando ordinamus, ut fugitivi, qui præter fugam, aliquid notabile furto abstulerint, aliudve flagitium perpetraverint, sive ante, sive post fugam, aut vitiose vixerint, omnino non negligantur, sed diligentius non parcendo laboribus, & expensis requirantur, etiam (si aliter fieri non potest) auxilio brachii sæcularis implorato, & ad Monasterium reducantur, in custodiam detrudendi donec per Capitulum Generale, sive Regimen, quid de ipsis agi debeat decernatur.

Licentia transeundi ad aliam Religionem concedatur juxta dicta Congr. Decreta.

3. Licentia vero transeundi ad aliam Religionem nemini ex nostræ Congregationis Fratribus concedatur, nisi servata forma prædicti decreti, seu Congregationis Concilii de Regularibus Apostatis, & ejectis &c.

Commissi eodem modo ejiciantur, quo recipiuntur.

4. Commissi vero nostri incorrigibiles, & contumaces, eo modo, quo recipiuntur expelli possunt. Et si quis eorum, post promissam stabilitatem, vitiosus, aut scandalosus repertus fuerit, servetur circa eum forma Regulæ secundum meritum, usque ad expulsionem inclusive. Ad quam tamen volumus quemquam Prælatorum procedere non posse, nisi servatis, quæ infra in susceptione eorum statuemus, scilicet cum consensu omnium Seniorum, aut duarum ex tribus partibus Conventus. Si Seniores non convenerint, nec amplius possint in aliis Monasteriis nostræ Congregationis recipi, nisi de consensu Prælati, & majoris partis Conventus, a quo recesserint.

Si debeant iterum recipi Fratres exeuntes de Monasterio.

CAP. XXIX.

Redeuntibus Fratribus etiam tertio aditus pateat.

Frater qui (a) proprio vitio egreditur aut projicitur de Monasterio, si reverti voluerit spondeat prius omnem emendationem vitii pro quo egressus est, & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur, quod si denuo exierit, usque tertio recipiatur. Jam vero postea sciat, omnem sibi reservationis aditum denegari.

DECLARATIO.

Ibi: proprio vitio.

1. (a) Quia experientia docti, videmus Fratres Nostros a nobis, ut plurimum non recedere, nisi diabolica suggestione seductos; ideo declaramus, eos quoque proprio vitio egredi, qui accepta licentia transeundi ad arctiorem Religionem, ea abutentes vagantur.

Fugitivi redeuntes recipiantur.

2. Ut autem quæ de his statuta sunt, cuncti sciant, non recedendo a Sacris Canonibus. Primo, si qui fugitivi sponte ad Monasteria redierint, omnes quidem suscipiantur, sed ita, ut quod Dominus jubet, pro mensura peccati sit, & plagarum modus.

Eorum pœnæ.

3. Quicumque igitur intra dies quinque ad Monasteria fuerint reversi arbitrio Prælatorum puniantur, non vero carcere formali pro sola fuga. Transactis autem quinque diebus, carceri mancipentur. Quod si ultra dies triginta redire distulerint, tunc juxta S. P. N. Benedicti Regulam, in ultimo loco, & in carcere recipiantur.

A quibus liberari possint.

4. Horum vero nullus e formali carcere liberari possit, nisi per Diffinitores, aut Regimen, & tunc nonnisi prius desuper legitime formato processu, & accurate perpenso, qua pœna sint rei plectendi.

Quomodo iterum concedi possit eis locus Professionis.

5. Nec sic liberatis locus professionis restituatur, nisi in Capitulo Generali Diffinitores omnes consenserint, & his referentibus ad universos Congregationis Prælatos duæ eorum ex tribus partibus id approbaverint. In qua reintegratione illud tantummodo temporis spatium eis concedendum esse declaramus, quod ante fugam in Congregatione absolverunt; non vero illud, quod in fuga male prodegerunt. Non enim ferendum est, ut qui exempli gratia, decimo professionis suæ anno Religionem deseruit, & anno vigesimo, id est decimo post fugam receptus fuit, eos præcedat, qui integros quindecim, aut novemdecim annos perseveraverunt sub suavi obedientiæ jugo, maxima etenim erga illos Patrum liberalitas erit, si decem anni ante fugam transacti, ipsis post pœnitentiam computentur.

Præter fugam, alia etiam crimina puniantur.

6. Præter hæc si fugitivus habitum dimiserit, ut Apostata juxta Sacros Canones puniatur. Si autem alia quævis præter fugam animadvertenda, tam in Congregatione, quam extra perpetrarit, exactissimam omnium reddat in Judicio rationem, pœnas debitas recepturus pro modo culpæ.

Si resipuerint, ascendere poterunt pedetentim ad pristinos gradus.

7. Quibus omnibus rite peractis, & in acta relatis, si digna deinde pœnitentiæ opera fecerint, laudabiliter in Congregatione vivendo, poterunt (omnibus Diffinitoribus consentientibus) munerum Congregationis, pro subsequentium temporum ratione esse capaces: si trinas Visitatorum approbationes singulis trienniis obtinuerint, ut scilicet post primum reversionis suæ triennium Subdiaconorum gaudeant dignitate, post secundum Diaconorum, post tertium Sacerdotum, ac deinceps etiam ad quascumque fuerint dignitates per ordinem, judicati idonei, dummodo ad singula triennali censura lex Visitatorum (ut dictum est) & novem Diffinitorum suffragiis fuerint approbati. Idemque dicimus de iis, qui in libro irreligiose viventium, tamquam dyscoli fuerint adnotati.

Idem intelligendum de irreligiose viventibus, & carceribus legitime mancipatis.

8. Hoc idem intelligi volumus de Fratribus non fugitivis, qui tamen semel custodiæ fuerint legitime mancipati. Pœna enim legitimi carceris, quam consequitur infamia, & inhabilitas assequendi gradum superioritatis, illis tantum inflicta intelligi debet, qui sive propter fugam, sive ob alia facinora legitime sententiati, carceribus condemnati fuerint.

Discedentes a suo Monasterio sine scripta licentia fugitivi censeantur.

9. Ut autem fugitivi, & suspecti a non suspectis, nec fugitivis dignoscantur, Ordinamus quod Fratres cujuscumque dignitatis, aut conditionis fuerint, qui quacumque de causa a suis Monasteriis ad alia loca pergent, secum deferant literas patentes Superiorum suorum, cum expresso nomine locorum, qua transire debebunt subscriptas, ac sigillo munitas, aliter ubicumque fuerint inventi, tamquam fugitivi custodia mancipentur a quibuscumque Prælatis, aut Superioribus Monasteriorum nostrorum.

Alii Patres certiores fiant de fugitivis, expulsis, & defunctis.

10. Admoneantur etiam Patres Monasteriorum nostrorum de Fratribus fugitivis, expulsis, & licentiatis a Superioribus Monasteriorum, a quibus recedunt (quemadmodum fit de Fratribus Defunctis) ut ab omnibus evitari hi possint, illi requiri.

De Pueris minori ætate qualiter corripiantur.

CAP. XXX.

Pueri, & adolescentiores jejuniis, &c

(a) Omnis ætas, vel intellectus proprias debet habere mensuras, ideoque quoties Pueri, vel

verberibus corripiantur.

vel Adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimis affligantur, aut acris verberibus coerceantur, & sanentur.

DECLARATIO.

Ibi: omnis ætas, vel intellectus.

Nullus admittatur ad probationem ante 15. annum.

1. (*a*) Nullus posthac ad probationem admittendus erit, qui non expleverit decimum quintum annum.

Nec hujusmodi adolescentes severe subjiciantur Regulari disciplinæ.

2. Circa vero Adolescentiores istos, quia experientia didicimus, quosdam ex his incurabiles ægritudines incurrisse ob nimias austeritates; hortamur Prælatos, & Patres Monasteriorum nostræ Congregationis, ut in jejuniis, & vigiliis Regularibus erga hujusmodi adolescentes pium, & discretum habeant intuitum, quatenus in validiori ætate ad Regularis vitæ observantias propensiori animo, & uberiori fructu valeant incumbere.

In Novitiatu quinquennio commorentur, neque ex eo egrediantur ante 19. annum, nisi justa de causa, ut si sint inemendabiles, quo tamen casu puniantur.

3. Mandamus item, ut Juniores in Novitiatibus sub cura Magistri Novitiorum per quinquennium ad minus instituendi, relinquantur, nec inde amoveantur nisi aliqua urgente necessitate. Cum vero amoti a Novitiatu fuerint saltem per biennium, Prioris curæ, ac directioni tradantur, ut quoad fieri potest in eadem disciplina permaneant, in qua Novitiatus tempore adoleverunt. Liceat tamen Prælatis, ex aliqua rationabili causa, ipsorum Judicio, & Superiorum Monasterii consilio approbanda provectiores nondum expleto quinquennio, ex Novitiatu extrahere, dummodo ætatis suæ annum saltem decimum nonum excesserint. Si autem contigerit (quod Deus avertat) ut ex alicujus prævaricatione, cæteri scandalum sumant, ne una ovis morbida totum corrumpat ovile: Statuimus, ut si post adhibitas pœnitentias salutares a Prælato, aliisque Superioribus (Magistro Novitiorum deferente) cognitum fuerit de præfati Juvenis incorrigibilitate, ex Novitiatu, nondum elapso quinquennio extrahi possit. Ne vero commodum ex ipsa malitia reportetur, talibus, sic extractum subjicimus, pœnitentiis. Per totum scilicet reliquum quinquennii tempus sit ei Monasterium, ex cujus Novitiatu extrahitur, pro carcere. Silentium observet cum Sæcularibus, & Monachis (Patre Spirituali excepto, aliisque, quibus Prælatus indulserit) post omnes Professos degradatus maneat: & demum bis in hebdomada in pane, & aqua, cum zona ad collum, comedat in terra in Refectorio.

De Cellerario Monasterii.

CAP. XXXI.

Qualis esse, quid agere, & quomodo se gerere debeat Cellerarius.

Cellerarius Monasterii (*a*) eligatur de Congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbolentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni Congregationi sit, sicut Pater. Curam gerat de omnibus, (*b*) sine jussione Abbatis nihil faciat. Quæ jubentur, custodiat: Fratres non contristet. Si quis autem Frater ab eo forte aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. (*c*) Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici præcepti: Quia qui bene ministraverit gradum sibi bonum acquirit. Infirmorum, Infantium, Hospitum, Pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die Judicii rationem redditurus est.

Omnia vasa Monasterii, cunctamque substantiam, ac si Altaris Vasa sacrata conspiciat. (*d*) Nihil ducat negligendum, neque avaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut extirpator substantiæ Monasterii, sed omnia mensurate faciat, & secundum jussionem Abbatis sui. Humilitatem ante omnia habeat, & cui substantia non est, quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, quia scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia, quæ ei injunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua, a quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo, vel mora offerat, ut non scandalizentur: memor divini eloquii, quid mereatur qui scandalizaverit unum de pusillis. Si Congregatio major fuerit, solatia ei dentur, a quibus adjutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur, quæ danda sunt, & petantur, quæ petenda sunt: ut nemo perturbetur, neque contristetur in Domo Dei.

DECLARATIO.

Ibi: Eligatur.

1. (*a*) A Prælato scilicet de consilio seniorum Diffinitoribus, vel Regimini proponendus, & ab illis promovendus. Sit autem Decanus omnino moribus gravis, & probatus.

Proponatur a Prælato, eligatur a Diffinitoribus, & ipse sit Decanus.

Ibi: Sine jussione Abbatis nihil faciat.

2. (*b*) Et præcipue, ne omnino fabricas construat intus, aut extra Monasterium sine scientia, & voluntate Prælati sui, alias quoque res, quæ fuerint alicujus momenti, puta venditiones frugum, Vini, Olei, & aliarum rerum in quantavis summa, & similium, cum Prælato, vel eo absente cum superiore communicet, nec sine ejus approbatione, & licentia perficiat.

Inconsulto Abbate non ædificet, nec disponat de rebus alicujus momenti; sub certis pœnis.

3. Caveat autem omnino a cujusvis arboris incisione in possessionibus Monasterii, itaut ne unam quidem, inscio, & non probante Prælato aut incidat, aut incidi faciat; serioque examinet, ubi agitur de sylvis, vel arboribus non cæduis quid de jure facere possit, ne limites suæ facultatis excedat, pœnasque, ac censuras extravag. Pauli II., & Decreti Sacræ Congregationis de rebus Ecclesi. non alienan. incurrat, graviter si secus fecerit a Superioribus quoque puniendus, Experientia enim edocti cognoverimus quantum ex arborum incisione Monasteria patiantur detrimentum. Caveat insuper, ne Monasteria debitis aggravet sua incuria, quod si fecerit, deponatur.

Ibi: Animam suam custodiat.

A quibusdam communibus Ordinationibus non eximatur.

4. (*c*) Cellerarii non sic se immergant temporalibus, quin vacent spiritualibus, sed sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna. Et ut facilius spiritualibus exercitiis vacare possint: Volumus omnino, ut in Cella Dormitorii dormiant: negotia tamen Monasterii in Celleraria exerceant, ac saltem singulis diebus festivis Missas celebrent, quoad fieri potest Chorum, & Refectorium frequentent.

Ibi: nihil negligendum ducat.

Singulis mensibus rerum omnium, & in discessu e Monasterio totius administrationis rationem reddet sub certis pœnis.

5. (*d*) Quilibet Cellerarius computa, rationes, debita, credita, expensas quotidianas, & tam nummorum, quam rerum exitus singulo quoque mense ostendat Prælato, & Superioribus, qui omnes illis computis si ea probaverint manu sua subscribant, & mutatus ad aliud Monasterium, priusquam recedat, rationem omnino reddat exercitii sibi commissi, coram Superioribus præfati Monasterii, unde discedit. Quod si non fecerit, jejunet semel in pane, & aqua, ulterius etiam acrius a Visitatoribus puniendus, & corrigendus: Ipsi vero Visitatores, si indulgentiores fuerint a Diffinitorio puniantur.

Nonnisi a Superioribus absolutus, ad Prioratum promoveri poterit.

6. Si autem quavis de causa intra sexennii tempus, vel hujusmodi sexennio completo, ab officio Cellerariæ absolutus fuerit, ad Prioratum tamen (etiamsi habeat alia requisita) promoveri non possit, nisi prius integre, & fideliter co-

ram Prælato, & Superioribus Monasterii, rationem reddiderit suæ administrationis, ac ipsius computa ab eisdem (super quo conscientiam cujuslibet ipsorum oneramus) approbata, subscripta, & legitime solidata fuerint, attestationemque habeat in scriptis de hujusmodi approbatione, prædictorum subscriptionibus, ac juramento validatam, Diffinitoribus, vel Regimini, ut canonice promoveri possit, præsentandam.

Rerum temporalium administratio Monachis, negotia vero Sæcularibus, vel Oblatis committantur.

7. In administratione rerum temporalium, ea cautio adhibeatur, ne Prælati eam per se ipsos exerceant, sed per Cellerarios a Diffinitoribus, vel Regimine deputatos, juxta literas in forma Brevis Clementis VIII., & Pauli V.; temporalia vero negotia Monasteriorum nostrorum per sæculares, aut Commissos potius quam per Monachos tractentur.

Rectoriis præficiantur Monachi ad minus 35. annorum, & Cellerarius solus non incedat.

8. Rectoriis, & membris Monasteriorum nostrorum non deputentur ullo modo Monachi, etiamsi sint Decani, qui non sint provectæ ætatis, adminus annorum 35., & præsertim habiles ad prædicta recte administranda, ac morum honestate conspicui, qui teneantur statutis temporibus Cellerario rationem reddere suarum administrationum, & eidem in his, quæ ad prædictas administrationes pertinent, parere. Quando vero Cellerarius e Monasterio egreditur, nullo modo solus, sed saltem famulo associatus, incedat.

Eligatur fidelis Depositarius omnium pecuniarum quas non solvat sine Officialium mandatis, quæque impendantur, in necessariis dumtaxat sumptibus.

9. In singulis autem Monasteriis, Diffinitores, vel Regimen prout statuitur in prædicto Brevi Clementis VIII., deputent Monachum probatum, ac fidelem in Depositarium, penes quem pecuniæ omnes quacumque ex causa ad Monasterium, tam ex Celleraria, & aliis membris, ac Rectoriis supradictis, vel ex causa cujuscumque canonis, laudemii, census, aut cujuslibet alterius rei, & emolumenti, quam ex Sacristia provenientes, reponantur: cujus Depositarii præcipua cura sit in destinatis rationum Libris fideliter, ac diligenter hujusmodi pecunias describere; earum autem, ne obolum quidem expendat, aut alicui quovis prætextu solvat, nisi cum mandato Cellerarii, aut Vicarii Sacristiæ respective, ipsorum manu, ac Prælati, vel in ejus absentia, Superioris Monasterii subscripto: Hujusmodi autem mandata in præparato codice describantur, expressa in iis summa pecuniæ, cui, & qua de causa fuerit persoluta, ut ex eisdem facilius Visitatoribus innotescat, an hujusmodi redditus in solitis, ac necessariis Monasterii sumptibus, vel forsan in aliis inutilibus, ac superfluis (quod omnino vetitum est) impendantur, & si qui sint abusus tam circa hujusmodi inutiles, & superfluas expensas, quam circa præsentis Constitutionis observantiam, præsertim sub prætextu, quod aliqui redditus ad Cameram Abbatialem pertineant, & de illis Prælati pro libito, in commodum tamen Monasteriorum disponere possint, ab iisdem Visitatoribus serio mandetur, ut omnino tollantur, & hujusmodi redditus in necessarios Monasteriorum usus convertantur.

De Ferramentis, vel rebus Monasterii.

CAPUT XXXII.

Quibus, & qua cautione tradenda cura rerum Monasterii.

(*a*) Substantia Monasterii in Ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus provideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus securus sit, & eis singula, ut utile judicaverit, (*b*) consignet custodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas Breve teneat, ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quod dat, aut quid recipit. Si quis autem sordide, aut negligenter res Monasterii tractaverit, corripiatur, si non emendaverit disciplinæ Regulari subjaceat.

DECLARATIO.

Ibi: Substantia Monasterii.

Rerum omnium inventaria fiant.

1. (*a*) Quilibet Officialis intra mensem a die publicationis suæ faciat Inventarium de rebus Monasterii, quæ pertinent ad suum officium; Et Prælatus habeat apud se Inventarium universale omnium rerum tam mobilium, quam immobilium Monasterii omnino Visitatoribus exhibendum.

2. Omnes vero libri Monasteriorum nostrorum, non solum notentur in Inventario communi, sed ulterius scribatur in singulis nomen Congregationis, & Monasterii, cujus sunt, signato eorum numero in ordine cæterorum.

Res Ecclesiæ quo casu Sæcularibus commodandæ.

3. Tapetia vero Ecclesiarum, & ornamenta Divino cultui dicata, deinceps sæcularibus non commodentur, nisi forte immineret periculum gravioris scandali, quo casu habita discretione personarum, & temporum, Prælati prudenter providere possint.

Ibi: consignet custodienda.

Curent Prælati, ut Cellerarii exigant, Officiales vero reddant exactam rerum rationem, aliter utrosque puniant.

4. (*b*) Diligenti cura faciant Patres hoc Capitulum observari, & ut solicite custodiantur, & conserventur omnia bona mobilia, & immobilia Monasteriorum, invigilent Prælati, ut de hujusmodi Bonis ad singula officia spectantibus ab unoquoque Officiali, expleta ejus administratione integra, & exacta reddatur ratio a Cellerario accurate exigenda. Quod si aliquis ex Officialibus in hujusmodi administrationibus, propter suam incuriam, vel malitiam (quod absit) aliquod grave Monasterio detrimentum intulerit, vel non custodiendo bona ab ipso per Inventarium recepta, vel expleto officio illa successori integre, & fideliter non consignando, a Prælato suo pro modo culpæ severe puniatur. Cellerarii vero in exigenda ratione negligentes, pœna eorum culpis consentanea pariter afficiantur. Adhibeatur tamen a Visitatoribus, cum ad Monasteria visitanda pervenerint, omnis diligentia, ut Abbates, & Cellerarii tam in Monasterio, quam in Curtibus, & Granciis superfluas omnes amputent expensas, maxime vero circa equos, famulos, quadrigas, & alia hujusmodi, iis tantum, quæ Prælatos Regulares, ac Monachos, voto paupertatis adstrictos, decent, contenti. Accurate etiam ipsi Visitatores perpendant, quonam pacto Monasteriorum præfatorum redditus augeri, expensæque minui possint. Pari quoque vigilantia, ac solicitudine inquirant, an Possessiones a Colonis sint diligenter cultæ, arboribusque consitæ, ac etiam Armentis, & cæteris ad culturam necessariis convenienter instructæ; necnon, an ulterioris bonificationis sint capaces, ut Monasteria ære alieno oppressa sublevari queant. Quod si ex avaritia, aut negligentia, damnum aliquod Monasteriis illatum fuisse conspexerint: moneant Abbates, ut contra Cellerarios, & alios Officiales procedant, usque ad Officiorum privationem, & ulterius, si id qualitas delictorum exegerit. In Provincia autem in qua Monasterium aliquod prædictorum officialium incuria, aut infidelitate (quod Deus avertat) in ruinam vergit, teneantur omnes ejusdem Provinciæ Abbates commonefacere præfatos Visitatores, ut valeant ipsi Monasterio jam labenti, de opportuno remedio providere.

Visitatores etiam præsertim in Visitationibus consulant cum Monasteriorum necessitatibus, tum utilitati.

Privilegia summa diligentia ferventur in Archiviis quatuor Monasteriorum.

5. Sane cum privilegia ipsa Congregationis multis, magnisque laboribus, ac difficultatibus impetrata sint, summa diligentia, & custodia conservari mandamus, quæ cum etiam quadruplicata sint, quatuor Monasteriis deputamus custodienda, videlicet Monasterio S. Justinæ de Padua, Sancti Spiritus prope Papiam, Sanctæ Mariæ de Florentia, & Sancti Pauli de Urbe. In quibus Monasteriis maxima cura servari volumus in loco tuto ab igne, & humiditate, a furibus,

in Ar-

in Archivio duabus clavibus obserato, extrahanturque, aut ter in anno novo ære afflandi, ne situ marcescant, & a tineis corrodantur.

Qua ratione amoveri queant.

6. Districtius autem mandamus, & inhibemus, ne inde amoveantur sine speciali licentia Præsidentis, & duorum Visitatorum. Urgente vero necessitate absque eorum licentia ad alia Monasteria nostra tantum transferri possint.

Nonnisi relicta in scriptis memoria, & per spatium unius mensis sub certa pæna.

7. Quia ea requisierint, & acceperint, teneantur (relicto ibi acceptionis Chirographo) illa remittere post eorum usum, intra mensem. Et si is qui acceperit, legitima causa cessante intra mensem remittere distulerit: singulis diebus septem Psalmos pœnitentiales cum litaniis, usquequo remissa fuerint, dicere teneatur. Qualibet vero Monasteria habeant transumpta authentica Privilegiorum saltem usitatorum, quæ accurate custodiantur.

In singulis Monasteriis extant eorū authentica transumpta.

8. Ne arcana, quæ fidelitati Visitatorum committuntur ullo unquam tempore patefieri contingat, assignamus Archivia Monasteriorum illorum, in quibus Capitulum Generale celebrabitur ubi in Capsa, observata clave, quæ semper penes Præsidem pro tempore sit, acta Visitatorum præcedentis anni custodienda erunt. Si quæ autem sunt aliæ scripturæ ad Congregationem nostram spectantes, in Monasterio S. Justinæ de Padua serventur.

Acta Visitationum, & aliæ scripturæ in certis Monasteriis custodiantur.

9. Sigilla Congregationis, tam magnum, quam parvum cautissime custodiantur, ne aliqua fraus inde suboriatur.

Sigilla quoq; diligenter serventur, & si quis ea adulteretur, vel iis abutatur, carceribus mancipetur.

10. Quodlibet autem Monasterium diligenter servet sua Sigilla, sive magnum (quo utuntur cum quid fit nomine Prælati, & Conventus) sive parvum, quo utitur Prælatus in privatis literis. Et nullus alius, nisi de licentia ipsius Prælati, ullo eorum uti possit. Quæ sigilla tam Congregationis, quam Monasteriorum, si quis suadente Diabolo, adulterari, iisque abuti præsumpserit, carceri mancipetur.

Unumquodque Monasterium jura sua tueatur, & quidem propriis sumptibus.

11. Et quia non sufficit custodire scripturas, & Jura Monasteriorum nisi ab Impugnatoribus tuta serventur; idcirco statuimus, quod si aliquando sæcularis, aut Ecclesiastica persona jura, aut privilegia Congregationis in toto, vel in parte infregerit, vel aliquo modo improbe molestare tentaverit; siquidem ipsa injuria in detrimentum particularis tantum Monasterii cesserit, Prælatus illius Monasterii, omni quo voluerit justo remedio, causam suam impigre, prudenterque tueatur, nec aliquo modo jura, ac privilegia ipsa violari permittat; ubi vero se causæ tuendæ imparem viderit, Patri Præsidenti, vel Visitatori; & Priori Generali negotium omne insinuare non negligat, quos omnino volumus causam hujusmodi in se suscipere, & sumptibus ipsius Monasterii in Romana Curia, vel alibi, sicut opus fuerit, tueri.

Vel Congregationis, vel plurium Monasteriorum, quibus tamen definito tempore solvi debent.

12. Si vero Pater Præsidens, aut Visitatores ipsum Monasterium judicaverint impotens ad expensas; fiat sumptibus Congregationis, ad quos restituendos ipsum Monasterium teneatur, nisi ei Capitulum Generale jusserit relaxandos.

13. Poterunt tamen P. Præsidens cum uno Visitatore, vel duo simul Visitatores providere, ut unum, aut plura Monasteria subveniant Monasterio impotenti pro jure suo tuendo, si in Congregatione desint pecuniæ: restitutione tamen facienda de pecuniis commodatis, tempore per ipsos constituendo.

14. At si molestia illata in totius Congregationis redundat jacturam, Pater Præsidens, communibus Congregationis sumptibus, illius jura defendenda curabit.

Habeant unoque Monasteria Regestum Ordinationum cujusque anni.

15. In unoquoque Monasterio sit Regestum in quo, quæ singulis trienniis per Generale ordinantur Capitulum, notentur, videlicet quæ totam respiciunt Congregationem. Et similiter habeatur libellus, in quo notentur ea, quæ specialiter ad illud Monasterium pertinent, prout fuerint per singula trennia per Capitulum Generale, Dietas & Visitatores ordinata.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

CAPUT XXIII.

Nihil habeant, quod Abbas non dederit, & omnia sint communia, aliter puniantur.

Præcipue hoc vitium (a) radicitus amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine jussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus, nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate, omnia vero necessaria a Patre Monasterii sperare, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit, omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est, ne quisquam suum esse aliquid dicat, aut præsumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum, si non emendaverit, correctioni subjaceat.

DECLARATIO.

Ibi: Radicitus.

Nihil concedendum in perpetuum usum.

1. (a) Intentio Regulæ est, quod non solum in exterioribus amputanda sit proprietas, sed etiam quando Prælatus perpendit aliquam rem nimio affectu possideri, ita forte, ut Frater resisteret, si ab eo auferri contingeret, propterea Patres caveant, ne aliquid concedant alicui ad usum in vita ejus, quia talis concessio est valde proprietati similis, sed concedant ad beneplacitum superioris.

Possunt tamen Monachi secum ferre libros.

2. Permittimus autem Monachis nostris, ut habeant libros cum licentia suorum Prælatorum & pro usu suo teneant, etiamsi missi fuerint ad alia loca Congregationis nostræ, restituendos nihilominus post eorum decessum, illis Monasteriis, quibus inscripti fuerint.

Res Defunctorum alicui Monasterio adscriptæ, illius sint; quæ nulli assignatæ sunt, & apud ipsos existentes, cedant eorum Monasterio: aliæ vero, Monasterio Professionis, concedantur.

3. Et quoniam cum aliquis ex nostris moritur extra suæ professionis Monasterium oriri solent lites tum super libris, tum super aliis rebus: ad eas præcavendas, ordinamus, quod tam libri non signati, quam alia omnia, quæ reperta fuerint apud quemvis nostræ Congregationis Prælatum, Monachum, sive Commissum Defunctos, intelligantur esse, & sint ejus Monasterii, in quo talis Defunctus assignatus erat, dummodo illuc pervenerit. Quod intelligendum est de pecuniis, & aliis rebus, quæ cum effectu, & realiter apud ipsos sunt: quæ autem non repe
riuntur apud ipsos cujuscumque generis sint, sive pecuniæ, sive libri signati, sive alia ejusmodi sint, & esse intelligantur Monasteriorum professionis eorum, nisi forte ipse ante mortem ad levandam conscientiam suam, alicui coram testibus dixisset, hanc vel illam rem esse hujus, vel illius Monasterii.

In libris inscribant nomenMonasterii, quos, uti, & alias eorum res dispenset Abbas.

4. In Breviariis, sicut & in aliis libris scribatur nomen monasterii, cui acquisita fuerint, & nomen Cassinensis Congregationis, ut supra Cap. 32. Mandantes omnibus nostræ Congregationis Patribus, ut cum finito Capitulo, ad Monasteria sibi assignata applicaverint, in ipsorum ordinatione: ante, vel post Officialium absolutionem, immediate, Breviaria, & libros, & alia quæcumque si habuerint appretiabilia, sibi ab omnibus denunciari mandent. Quæ omnia ipsorum arbitrio, ac beneplacito sunt dispensanda, ut vitium proprietatis amputetur in Monachis.

Conficiant Inventarium librorum etiam prohibitorum sub certis pænis.

5. Curent etiam, ut singuli Monachi singulis annis conficiant librorum omnium, quos habent Inventarium, quod propriis Prælatis exhibeant, qui diligentissime considerabunt, an in iis sint libri per indicem prohibiti. Insuper omnium Monachorum Cellas ter saltem in anno visita-

bunt,

bunt, inquirentes, an alios habeant libros, præter in Inventario descriptos, quod si quis deprehensus fuerit hujusmodi libros vetitos habere, serventur ea, quæ in Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim ad Officium Sanctæ inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus statuuntur.

A nemine inordinate accipiant pecunias.

1. (a) Cum Sacerdotibus, & Clericis Congregationem nostram ingredientibus, observamus ordinem Professionis.

2. Verum Presbyteros propter Sacerdotii reverentiam super alios Novitios collocamus. Idem quoque potest exequi Prælatus de aliis, si sibi videbitur, aliqua rationabili causa; quibus tamen propter hoc non intendimus præjudicare quoad tempus professionis.

Per aliquod tempus Missas non celebrent.

3. Prohibemus etiam præfatis Sacerdotibus celebrationem Missarum per aliquod tempus arbitrio Abbatis, ut ex hoc eorum humilitas com probetur, & tunc ipsi communicent cum Clericis.

De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur.

CAPUT LXI.

Malos ejiciant, bonos vero recipiant, & precentur, cum licentia tamen Abbatis eorum, si notum fuerit Monasterium.

Si quis Monachus peregrinus de longinquis Provinciis supervenerit, si pro Hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam invenerit, & non forte superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est, quod invenerit: suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua tamen rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne forte eum propter hoc ipsum Dominus direxerit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maxime quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus, aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterii; verum etiam dicatur ei honeste, ut discedat, ne ejus miseria etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis, qui mereatur projici: non solum si petierit, suscipiatur (a) Congregationi sociandus; verum etiam suadeatur, ut stet: ut ejus exemplo alii erudiantur, quia in omni loco uni Domino servitur, & uni Regi militatur. Quem etiam si talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco. Non solum autem Monachum, sed etiam de supradictis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum stabilire potest Abbas in majori quam ingreditur loco, si ejus talem perspexerit esse vitam. Caveat autem Abbas ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis ejus, aut literis commendatitiis, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

DECLARATIO.

Ibi: Congregationi sociandus.

Nunc cum alia sint tempora.

1. (a) Sanctissimus P. N. in Regula videtur concedere Monachos alterius Monasterii suscipi posse, si tamen literas commendatitias habuerint. Verum cum temporibus nostris multæ succreverint Religiones, variique sint earum mores, & ex his plerique levitate potius, quam sanctitatis zelo propria deserentes loca, ad nostraque accedentes, difficillime jam assumptos mores deponere valent, imo in stabilitate sua, vel murmurando, vel detrahendo iis, quæ apud nos vident, sæpissime gregem conturbant, & cum longa experientia didicerimus, raro tales ad profectum de quo sibi blandiuntur pervenisse.

Non recipiantur Fratres mendicantes.

Propterea, ut eorum stabilitati, & nostræ Congregationis paci utiliter consulatur, nullus de ordine Mendicantium suscipi debet in Monachum Congregationis nostræ, quia ex Constitutione Martini PP. V. recipientes, essent ipso facto excommunicati, & ipse receptus cogeretur redire ad suum Ordinem, quorum postremum jubet quoque Pius V.

Professi vero nostri iterum suscipiantur juxta supra statuta.

2. Ordinamus secundo quod Professi in Congregatione nostra, si alibi firmaverint stabilitatem suam, & redire voluerint, recipiantur, sed omnino, observatis quæ in Cap. 29. statuta sunt.

Sed alii Religiosi juxta Const. Pii V.

3. In recipiendis aliis Religiosis de Ordinibus non mendicantium, servanda est Constitutio Pii V., & præterea licentia Capituli Generalis præhabeatur, qua non obtenta, neminem admittendum esse dicimus.

De Sacerdotibus Monasterii.

CAPUT LXII.

Abbas ad Diaconatum, vel Presbyteratum, dignos promoveat, qui tamen non se extollant, aliter puniantur juxta alibi decreta.

Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinare petierit de suis (a) eligat (b) qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem, aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ Regulari subditum, nec occasione Sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam, & disciplinam: sed magis ac magis in Domino proficiat. Locum vero illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium præter Officium Altaris; etsi forte electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam a Decanis, vel Præpositis constitutam sibi servandam sciat: Quod si aliter præsumpserit, non ut Sacerdos, sed ut rebellis judicetur. Et sæpe admonitus, si non correxerit etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic, clarescentibus culpis, projiciatur de Monasterio: Si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi, aut obedire Regulæ nolit.

DECLARATIO.

Ibi: Eligat Abbas.

1. (a) Cum consilio, & consensu majoris partis Seniorum suorum computato voto Prælati.

Ibi: Qui Dignus est.

In Capitulo seniorum, instituto examine, eligendi sunt; nec promovendi sine licentia

2. (b) Ideo volumus, quod Patres Monasteriorum una cum Senioribus prius diligenter promovendos ad Sacros Ordines, maxime vero ad Sacerdotium examinent super sufficientia, & literatura, moresque, & vitam attentius considerent.

apituli Generalis, & Visitatorum.

siderent. Et si (humana tamen fragilitate inspecta) fuerint judicati ad Officium, ad quod assumuntur, idonei, non prius ordinentur, quam obtenta licentia a Capitulo Generali ac etiam a Visitatoribus; quam ipsi dare non possint, nisi in actu Visitationis, ut præsentialiter de eorum vita, & moribus, ac literarum sufficientia indagare, & cognoscere possint.

Urgente vero necessitate sufficit licentia Præsidentis, vel Visitatoris, vel Abbatis, & Seniorum.

3. Casu vero magnæ necessitatis, puta propter mortem aliorum Sacerdotum, vel amotionem, ita quod scandalum esset expectare tempus Capituli, vel visitationis: sufficiat licentia Præsidentis, vel unius Visitatoris, vel (si arctior necessitas urgeret) Prælati, & Seniorum, præmissa, ut diximus, examinatione, & discutione circa Ordinandos.

Sed ab uno ad alium Ordinem biennium fluat, quod immittere potest Capitulum Generale, vel Regimen.

4. Hoc sane ante omnia attendentes, quod nullus etiam his stantibus necessitatibus, ad aliquem ordinem promoveatur nisi de biennio in biennium a die ingressus Religionis sine licentia Capituli Generalis, vel Regiminis, a quibus justas ob causas omnes prædicti poterunt per annum dispensationem obtinere, servatis tamen Sacri Concilii Tridentini, aliisque Apostolicis Decretis, quoad hujusmodi ordinandos.

Vel etiam Visitatores.

5. Visitatores vero possint ex legitima causa dispensare per duos, aut tres menses tantum cum hujusmodi Ordinandis salvis adamussim Decretis Concilii Tridentini, ut supra.

De rejectis in examine, & non idoneis.

6. Si quis autem a Capitulo proxime præterito, aut a Visitatoribus, aut ab Examinatoribus Episcopalibus ad præfatos Ordines ob insufficientiam, vel aliam causam, non fuerint admissi, non possint amplius per integrum annum præsentari, ut promoveantur. Interim teneant locum post eos, qui jam promoti erunt ad eum Ordinem, ad quem ipsi minus idonei fuerunt reperti. Quod non solum de rejectis, sed etiam de non propositis, ob insufficientiam intelligi volumus, ut sic saltem rubore confusi magis soliciti reddantur ad necessaria discenda. Qui deinde cum fuerint ordinati restituantur suo loco Professionis.

7. Et si aliquis (prædictis omnibus non observatis) aut non repertus idoneus fuerit ad aliquem ordinem promotus, non permittatur ei ordinis administratio, donec judicetur idoneus. Et Superior Monasterii, qui voluerit, vel etiam permiserit quempiam promoveri, puniatur judicio Capituli Generalis.

De iis, qui ex uno in aliud Monasterium transeunt.

8. Caveant etiam Patres ne primo anno, quo quis Monachus alicui monasterio deputatur, eum ad Ordines Sacros promoveri faciant, nisi servatis supradictis omnibus, & insuper habito consensu Prælati, & Seniorum Monasterii, in quo prius idem morabatur.

De prima Missa Sacerdotum.

9. Mandantes universis Prælatis nostræ Congregationis quatenus pro missis novis celebrandis, non permittant solemnes invitationes, aut oblationes fieri, sed pure, ac simpliciter, (prout nostræ consuetudinis est) celebrentur, nec Missæ novæ cantentur in alienis quibusvis Ecclesiis, sed tantum in Ecclesia Congregationis.

De non celebrantibus Sacerdotibus.

10. Ordinati Sacerdotes si celebrare noluerint, dicant in choro Antiphonas, sicut Clerici, nisi aliqua legitima de Causa per majoris partis Seniorum judicium approbanda, excusentur.

De Confessoribus publicis, & privatis.

11. Et quia ad Sacerdotis officium pertinet ligare, & solvere in quo auctoritas, & scientia requiritur, injungimus Prælatis, ut ad audiendas Confessiones sæcularium eligant, aut proponant Monachos ad id idoneos, juxta dispositionem Concilii Tridentini, & Constitutiones nostras. Et hoc diligentius attendi volumus, ne (quod absit) in animarum detrimentum, & Religionis confusionem, aliquos ad tantum munus exercendum minus habiles præsentari contingat. Districte prohibentes, ne aliquis ex nostra Congregatione Monachus possit hujusmodi facultatem audiendi Sæcularium Confessiones ab Ordinariis locorum petere, & obtentis licentiis uti absque Abbatis sui licentia. Contra facientes vero graviter puniantur. Deputent insuper in singulis Monasteriis juxta Decretum felicis recordationis Clementis VIII. super casuum reservatione duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori, vel minori; iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui a non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit.

12. Qui ad hoc munus electi studeant diligenter huic tam commendabili officio se aptos reddere, omnemque industriam adhibeant, ut ob Dei honorem, animarumque salutem (qua nihil est Deo acceptius) opus suum utiliter exequantur. Quod ut dignius adimpleatur etiam Visitatores, si opus fuerit, Prælatis hæc omnia exacte servare mandabunt.

Reddent se dignos tanto ministerio.

13. Interdicet etiam Prælatus sub gravi pœna, iis, qui ad audiendas Confessiones sunt deputati, ne quavis occasione, seu prætextu pietatis, & eleemosynæ pauperibus faciendæ, neque etiam pro Missis celebrandis aliquam pecuniam petant, aut oblatam a confitentibus accipiant quovis quæsito colore. Quod si quis ex confitentibus pertinacius insisteret aliquid dare, ad Sacristam Monasterii dirigatur.

Nihil a confitentibus accipiant.

14. Inhibemus Prælatis præterea, & Monachis nostræ Congregationis occasione visitationis, aut assistentiæ infirmorum extra Monasteria dormire.

De visitantibus infirmos.

15. Ad funera, & mortuorum exequias nulli omnino accedere liceat.

De funeribus, & exequiis.

16. Denique Monachis nostris fugitivis si qui fuerint, vel qui extra obedientiam nostram ad sacros Ordines promoventur, si redierint, non permittatur in eis ministrare, nisi per Capitulum Generale cum eis dispensetur, & ex novem Diffinitoribus octo consentiant. Si quis autem in Apostasia, quod Deus avertat, Ordines receperit, ab eorum administratione perpetuo arcendus erit.

De fugitivis, & apostatis Sacerdotibus.

De Ordine Congregationis.

CAPUT LXIII.

Attendatur tempus conversionis, & meritum personarum.

Ordines suos in Monasterio ita conservent, ut conversionis tempus, & vitæ meritum discernit, vel ut Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid: sed cogitet semper, quia de omnibus Judiciis, & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo (*a*) secundum ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi Fratres, si accedant ad pacem, ad Communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum, & in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præjudicet; quia Samuel, & Daniel pueri Presbyteros judicaverunt. Ergo (*b*) exceptis iis, quos (ut diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradaverit, certis ex causis, reliqui omnes, ut convertuntur, ita sint, ut verbi gratia, qui secunda diei hora venerit in Monasterio juniorem se noverit esse illo, qui prima hora diei venit, cujuslibet ætatis, aut dignitatis sit.

De honore, quem deferent inferiores superioribus, eorumque nominibus.

Pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores ergo Priores suos honorent; Priores vero Juniores diligant. In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine, sed (*c*) Priores Juniores suos Fratres nominent: Juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem quia vices Christi agere videtur, Dominus, & Abbas vocetur; non sua assumptione, sed honore, & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. Ubicumque autem sibi obviant Fra-

tres, Junior a Priore (*d*) benedictionem petat. Tranſeunte majore, Junior ſurgat, & det ei locum ſedendi; nec præſumat Junior conſedere, niſi ei præcipiat ſenior ſuus, ut fiat, quod ſcriptum eſt: Honore invicem prævenientes. Pueri parvuli, vel adoleſcentes in Oratorio, vel ad menſam cum diſciplina ordines ſuos conſequantur. Foris autem, vel ubiubi cuſtodiam habeant, & diſciplinam, uſque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

Adoleſcentes ſint ſub diſciplina uſque ad certum tempus.

DECLARATIO.

Ibi: Secundum Ordines, quos conſtituerit.

De ordine inter Superiores ſervando.

1. (*a*) Declaramus ſecundum morem noſtrum antiquum, quod poſt Abbates Regiminis ſint Abbates Titulares, deinde Priores Clauſtrales; Poſt prædictos ſint Priores Titulares, deinde Magiſtri Novitiorum, poſtea Decani; Qui ſecundum ordinem profeſſionis locum teneant inter ſe. Poſt præfatos ſequantur cæteri Monachi, ſecundum ordinem profeſſionis præter eos, qui aliqua de Cauſa degradati fuerint.

2. Quod autem attinet ad Priores, & Decanos Titulares: tituli hujuſmodi de cætero facile non conferantur, ſed iis tantum, qui in illis officiis ſe laudabiliter geſſerint, & propter ætatem, aut valetudinis imbecillitatem, ad illa ſuſtinenda inhabiles ſunt effecti. Locus autem Superior, ut ajunt, neque a Capitulo Generali, neque a Regimine alicui concedatur per totam Congregationem, ſed aliquem in privato Monaſterio aliis præferre in arbitrio ſit Abbatis juxta Regulam Cap. 60.

Si aliter Abbati non placuerit.

3. Qui ad Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum expleto ſecundum Conſtitutiones noſtras tempore non fuerint ordinati quacunque de cauſa culpabili, teneant locum in præcedenti Capite ſibi aſſignatum, poſt promotos ſcilicet ad eum ordinem, ad quem ipſi adhuc promoveri non potuerunt, tranſacto talis promotionis tempore.

De non promotis ſua culpa ad Ordines.

4. Ut autem prædictus ordo melius ſervari poſſit, habeatur in ſingulis Monaſteriis Catalogus omnium Monachorum noſtræ Congregationis Profeſſorum, in quo ſingulis annis ſcribantur, qui profeſſionem emiſerunt, appoſito die & anno.

Fit ubique profeſſorum catalogus.

Ibi: Exceptis iis, quos, ut diximus.

5. (*b*) Ad omnem ambiguitatem tollendam in noſtra Congregatione circa illos, quos altiori conſilio duximus præferendos: Ordinamus, quod Pater Præſidens omni tempore primum locum inter Patres Congregationis, & Sedem Abbatis in Choro, ſi præſens fuerit, teneat in quocumque Monaſterio. Quo abſente a choro liceat Abbati tenere ſedem ſuam. Benedictionem, & omnia ſigna, tam particularia, quam generalia faciat, ubique incipiat: *Te Deum laudamus*, cantet Evangelium ad Matutinum, & Antiphonas duplices.

De loco Præſidentis.

6. Id ipſum concedimus Viſitatoribus, cum in actu viſitationis abſente Præſidente, fuerint, ſed teneant ſecundi chori primam ſedem. Quo viſitationis tempore, (vel ſi forte Præſidens abſit) in ſignum Reverentiæ Prælatus Loci, etiamſi eſſet Viſitator teneat ſecundam ſedem primi chori.

Viſitatorum in actuali viſitatione.

7. Quod ſi Viſitatores fuerint in aliquo Monaſterio, & non viſitationis cauſa: teneant quidem ſemper locum ſuper Prælatum, ſed ſigna dumtaxat præeminentiæ faciant principalia ſibi invicem deferendo, ſecundum Ordinem Profeſſionis ſuæ: niſi forte Prælatus loci eſſet, & ipſe Viſitator, quia tunc in Monaſterio ſuo tantum, etiam ſuper antiquiores Viſitatores locum tenebit, ratione particularis regiminis, extra tamen publicas functiones, hoſpitibus loco cedere urbanitatis officium reputamus.

Viſitatorum non actu viſitantium.

8. Viſitator actu, & non officio, ſi Prælatus extiterit tempore viſitationis tantum præcedat Loci Prælatum, niſi qui viſitatur, eſſet & ipſe Viſitator officio, quo caſu immediate poſt ipſum, locum teneat, & eo abſente, omnia ſigna faciat, ſicut, & cæteri Viſitatores.

Viſitatorum ex non officio.

9. Idem ſervetur in Viſitatore actu, qui non eſſet Prælatus, ut videlicet omnia ſigna faciat abſente Prælato, ſicut cæteri Viſitatores Prælati.

Viſitatorum non Prælatorum.

10. Reliqui vero Prælati faciant ubique in abſentia Prælati Loci, & Viſitatorum ſigna præeminentiæ: ſibi invicem deferendo, ſecundum Profeſſionis tempus.

Aliorum Prælatorum.

11. Prælatus autem Loci ſi præſens fuerit; præcedet & antiquiores; Titulares vero immediate poſt alios Prælatos de Regimine, ita tamen, ut qui fuerunt de Regimine, omni loco; & tempore præcedant eos, qui nunquam fuerunt Abbates de Regimine, ſervantes reſpective Profeſſionis ſuæ tempus, ſibi invicem deferendo, & in eorum abſentia ſigna præeminentiæ faciant. Præfatis Abbatibus Titularibus locum aſſignamus poſt primam ſedem primi chori: Volumuſque eos eſſe ſubjectos Prælatis, cum quibus degunt per omnia ſicuti cæteri Monachi, etiam in ſcribendis, & recipiendis literis, ſicut dictum eſt Cap. 54. & tenere Loca ſuæ Profeſſionis, cum in Capitulo generali cæteri Prælati fuerint abſoluti. Inſuper Abbates Titulares, qui non fuerunt regiminis, genuflectant Abbati Loci de Monaſterio exeuntes, & revertentes; necnon cum tarde ad Chorum, & Refectorium venerint. Habeant veſtiarium ſimplex, ſicut & cæteri Monachi, & famulus, vel Commiſſus eis deputetur ex iis, qui in aliis exercitiis Monaſterii inſerviunt. Omnes autem Titulares, tam qui fuerunt de Regimine, quam qui nunquam fuerunt Regiminis, teneantur revelare pecunias, & res pretioſas, ſi quas habent, Prælato Monaſterii ſub pœnis ab eodem Prælato comminatis. Hortamur autem Prælatos, ut erga Abbates Titulares ætate, & merito venerabiles, officioſe, & diſcrete ſe gerant.

Prælatorum Localium, & Titularium & horum illis obedientia.

12. Seniores vero ſic ſibi invicem deferant, ut Priores Clauſtrales ex ſuo Monaſterio ad aliud euntes, teneant Locum poſt Priorem Clauſtralem Monaſterii, in quo fuerint. Magiſtri autem Novitiorum, ſtent immediate poſt Priorem Clauſtralem: præcedendo omnes alios Decanos, & faciendo ſigna omnia, tam præeminentiæ, quam Juriſdictionis in ſuo Monaſterio. In alio vero Monaſterio ſtet ſuper omnes Decanos, excepto Magiſtro Novitiorum illius Monaſterii, & faciat ſigna tantum præeminentiæ. Similiter Decani poſt Decanos ſecundum profeſſionem ſibi invicem deferentes: Et abſentibus ſuperioribus Monaſterii faciant ſigna, etiam particularia. Similiter, qui non ſunt Superiores abſentibus Superioribus ſuis dignitate, & profeſſione idem faciant.

Reliquorum Superiorum & aliorum Fratrum.

13. Ut autem ſigna, & actus præeminentiæ, & ſigna particularia, ſive Juriſdictionis cunctis perſpicua eſſe poſſint: Declaramus actus præeminentiæ eos eſſe, qui ſolam Perſonæ dignitatem conſequuntur. Hujuſmodi cenſentur benedictiones Lectionum, menſæ, & Completorii: Recitatio orationis Dominicalis in officiis Divinis, præintonationes Cantici *Te Deum laudamus*, & Antiphonarum poſt horas Canonicas, Evangelii Lectio ad Matutinum, aqua luſtrali Monachos, & Fratres poſt Completorium, aſpergere, & ſimilia. Edere item ſigna inchoandi officium, Lectiones, orationes, Comeſtionem: Et officio, ac menſa expletis, ſignum exurgendi, aut diſcedendi dare, præeminentiam ſolam innuunt. At præcipere, quod Lectiones, Capitula, aut Antiphona decantentur; Monachis vero ad chorum, vel ad menſam venientibus eiſdem poſt Lectiones recitatas, aut poſt alias functiones, genuflexis ſignum dare, ut ſurgant, aut errantibus mandare, ut genuflectant, actus ſunt, & ſigna Juriſdictionis. Illa ad Titulares ſuperiores ſpectant: hæc in Superiores regiminis cadunt. Monacho in Capitulo ante Completorium lecturo, ſignum

Recenſentur actus præeminentiæ.

Item actus juriſdictionis.

Ad quos ſpectant.

Lectionis inchoandæ dabit Superior Titularis; Terminandi vero signum Superior Regiminis faciat. Et priusquam Superior Titularis inchoet *Te Deum laudamus*, a Superiore Regiminis sciscitabitur; num cantu; an absque cantu recitandum sit: quod idem intelligimus faciendum diebus; quibus Completorium cantu persolvendum erit, & in aliis similibus casibus.

A supra statutis de loco, excipiuntur Abbas Montis Casini.

14. Abbatem Casinensem propter dignitatem loci, ac reverentiam merito statuimus, ab hac generalitate excipientes; quod in toto Regno Neapolitano præcedat omnes Prælatos etiam loci, & Visitatores (excepto tamen Visitationis tempore) tam in suo Monasterio, quam in aliis. Extra Regnum Neapolitanum præcedat omnes Prælatos exceptis Visitatoribus; & Prælato Loci.

Item Prior.

15. Prior quoque Casinensis in Regno Neapolitano præcedat omnes alios Priores Loci. Extra autem teneat locum suæ professionis.

Abbates Sancti Pauli de Urbe, & SS. Trinitatis Cavæ.

16. Abbates vero Sancti Pauli de Urbe; & Sanctissimæ Trinitatis Cavæ propter spiritualem, & temporalem Jurisdictionem, quam in Castris sibi subjectis exercent in Monasterio, & Locis suis tantum super Visitatores, excepto visitationis tempore locum tenere decernimus. Procurator Generalis in Curia Romana semper, & ubique teneat locum super omnes Abbates; exceptis Visitatoribus, Abbatibus Montis Casini, Sanctissimæ Trinitatis Cavæ, & S. Pauli de Urbe, & Abbatibus Loci.

Ac Procurator Generalis in Urbe.

De ordinationibus, & licentiis Visitatorum, Præsidentis, & Prælatorum post completum eorum munus.

17. Ordinata per Visitatores, & Prælatos Monasteriorum in Monasteriis suis, durant post eorum officium, nisi a Successoribus fuerint revocata, nec ea volumus revocari, nisi justis de causis. Et transgressores graviter puniantur.

18. Licentias autem particulares, aut dispensationes, quæ ultra visitationis tempus sunt duraturæ, Præsidens, seu Visitatores nullas concedant, ne forte confusionem potius, quam pacem in Monasteriis relinquant. Sed illas particularibus Prælatis, qui Animarum sibi commissarum clariorem habent notitiam, relinquant: nisi in casibus, quos ad se rationabiliter pertinere patebit.

19. Et tunc in scriptis dent præfatas licentias cum appositione parvi sigilli Congregationis, aliter eis non adhibeatur fides, nec ipsis uti valeant, qui eas receperint.

Ibi: Priores Juniores suos Fratres vocent.

De horum, & aliorum nominibus.

20. (c) Ex nostra antiqua consuetudine ad differentiam Mendicantium, Monachos nostros appellamus Domnos, sed affectu Fratres Juniores, Seniores suos Patres vocant, Abbas vero Dominus; & Abbas appelletur.

Ibi: Benedictionem petat.

21. (d) Hanc benedictionis petitionem intelligimus signo magis, quam verbo, ideo per inclinationem Capitis fiat.

De Ordinando Abbate.

CAPUT LXIV.

Eligatur Abbas consensu totius Congregationis, vel sanioris partis, & aliquando ab Episcopo, vel aliis Abbatibus, vel Christifidelibus vicinis.

(a) In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio; ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio; secundum timorem Dei; sive etiam pars, quamvis parva Congregationis, saniori consilio, elegerit. Vitæ autem merito; & sapientiæ doctrina eligatur; qui ordinandus est: etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit; & vitia ipsa aliquatenus (b) in notitiam Episcopi (ad cujus diœcesim pertinet Locus ipse) vel Abbatibus; aut Christianis vicinis claruerint; prohibeant pravorum prævalere consensum, & Domui Dei dignum constituant dispensatorem: Scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste, & zelo Dei faciant, sicut è contrario peccatum, si negligant.

Quibus dotibus prædictus esse debeat.

Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus susceperit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ; sciatque sibi oportere prodesse magis, quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum in lege Divina, ut sciat unde proferat nova, & vetera: castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltet misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipsa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis eradere cupit eruginem, frangatur vas: suamque fragilitatem semper suspectus sit: memineritque, calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia: sed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut jam diximus, & studeat plus amari, quam timeri: non sit turbulentus, & anxius; non sit nimius, & obstinatus; non sit zelotypus, & nimis suspiciosus: quia nunquam requiescet. In ipsis imperiis suis sit providus, & consideratus: sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint: opera quæ injungit discernat, & temperet; cogitans discretionem S. Jacob dicentis: Si greges meos plus inambulando fecero laborare, morientur cuncti uno die. Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit, quod, & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipue, ut præsentem Regulam in omnibus conservet: ut dum bene ministraverit audiat a Domino, quod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.

DECLARATIO.

Ibi: In Abbatis ordinatione.

Eligantur Abbates a Capitulo Generali, vel Dieta.

1. (a) Hodie secundum privilegia nostra eliguntur per Capitulum Generale, aut per Dietas, sesqui anno post Capitulum celebrandas; in quibus interveniant tantummodo Prælati Regimen habentes.

Qui eligi possint, vel debeant in Abbates regiminis, vel tituli: nemini tamen concedatur locus inter Abbates.

2. Et nemo deinceps in Abbatem de Regimine eligi possit, nisi prius per quinquennium expletum fuerit Prior Claustralis, & in observantia Regulari immediate exercitatus, præter Cancellarium, & Capsarium, dummodo Priores extiterint, & tempus a Constitutionibus præfixum habuerint. Nec etiam quis eligi possit in Abbatem cum solo titulo, nisi prius fuerit Abbas cum Regimine; vel saltem Prior Claustralis; qui per expletum quinquennium in Prioratus regimine se laudabiliter gesserit. Illa siquidem dignitas talibus debetur, tanquam de Congregatione benemeritis. Locus vero inter Abbates, tam de Regimine, quam cum solo titulo; nemini imposterum concedatur. Si quis autem contra præsentis Constitutionis formam promotus fuerit, eo ipso hujusmodi promotiones nullas, & invalidas declaramus. Prælatorum vero electiones fiant secundum merita, non ad favorem Principum, juxta formam Brevis Apostolici Gregorii XIII.; de quo in prima parte ordinationum; & prævia Visitatorum approbatione. Qui Abbates ex Indulto Sedis Apostolicæ habent omnia privilegia; & insignia; & jurisdictionem; quam Abbates perpetui; & benedicti habere consueverunt. Quod enim nostri nunc; & olim non benedicuntur solemniter, indultum fuit ad favorem Congregationis; non in detrimentum dignitatis, ut ex privilegio Eugenii IV.

Abbatum jura; & privilegia.

Eorum visitatio.

3. Membra Monasteriorum suorum; & beneficia sibi subjecta visitare teneantur.

Nonnulla eis interdicuntur omnino, vel sine licentia.

4. Prohibemus Prælatis ipsis accessum ad Curiam Romanam, nisi de consensu P. Præsidentis, & utriusque Visitatoris suæ Provinciæ, necnon Abbatis S. Pauli, & Procuratoris in Curia.

5. Prohibemus etiam eis executionem ultinarum voluntatum, ut videlicet neque ipsi id exercere, neque Monachos suos ad hujusmodi habilitare valeant, sine licentia Patris Præsidentis, aut Visitatorum, nisi in casu alicujus imminentis necessitatis. Evitent quoque superfluos, & vanos apparatus in cameris, omnemque pretiosam supellectilem statui pauperum minime convenientem. Super quod invigilent PP. Visitatores, & tales excessus (si quos invenerint) referant Regimini, a quo severe erunt puniendi, qui prima vice cum charitate admoniti, non abstinuerint.

Conceditur vero multiplex potestas.

6. Damus eis liberam, & ordinariam potestatem regendi, & gubernandi Monasteria per Capitulum Generale, vel Regimen ipsis commissa: Monachosque, ac Commissos, & Novitios, cæterosque ad Monasteria sibi credita spectantes, tam in spiritualibus, quam in temporalibus secundum S.P.N. Benedicti Regulam, & Constitutiones nostras. Ipsi autem cum in Prælatos eliguntur, aut ad aliud Monasterium mutantur, quamprimum se ab omnibus aliis negotiis expedientes, recto tramite ad sibi assignata Monasteria se conferant. Damus insuper eis potestatem eligendi sibi confessarios, qui eos absolvant, & salutarem eis pœnitentiam injungant, auctoritatem etiam audiendi confessiones omnium Prælatorum, & Fratrum nostræ Congregationis ad eorum Monasteria venientium, vel alicui ex suis Monachis facultatem prædictam committendi.

7. Præterea eis conferimus potestatem examinandi licentias Fratrum nostrorum, & quos repererint non complesse conditiones suarum licentiarum, vel aliter deprehenderint fugitivos, gyrovagos, vel Apostatas capi faciendi, & in custodia retinendi, impetrato etiam, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Ibi: Ad notitiam Episcopi.

Monasteria non sunt subjecta Ordinariorum jurisdictioni.

8. (b) Hodie ex Indulto Apostolico tota nostra Congregatio, & singula Monasteria exempta sunt ab Ordinariorum jurisdictione, & immediate Apostolicæ Sedi subjecta. Quibus autem casibus ad Ordinarios recurrendum sit, jura præscribunt.

De Præposito Monasterii.

CAPUT LXV.

Multa oriuntur mala propter Præpositum, maxime si ab eisdem, ac Abbas, ordinatus fuerit.

Sæpius quidem contingit, ut per ordinationem Præpositi scandala gravia in Monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt, & dissentiones in Congregatione faciunt, & maxime in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod, quam sit absurdum, facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis, materia ei datur superbiendi dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, a quibus & Abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissentiones, exordinationes. Et dum contraria sibi invicem Abbas, Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissentione animas periclitari, & ii, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores.

Hinc tantum necessitate urgente eligatur Præpositus, quem ordinet Abbas, cui ille obediat, alias puniatur.

Ideoque nos prævidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio (a) ordinationem Monasterii sui. Et si potest fieri per Decanos ordinetur (ut antea disposuimus) omnis utilitas Monasterii, prout Abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum consilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reverentia, quæ ab Abbate suo, ei injuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens, quia quantum Prælatus est cæteris, tantum eum oportet solicite observare præcepta Regulæ. Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor Sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater, si non emendaverit, adhibeatur ei correctio disciplinæ Regularis. Quod si neque sic correxerit tunc dejiciatur de Ordine Præpositurae, & alius, qui dignus est in loco ejus subrogetur. Quod si, & postea in Congregatione quietus, & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus Judiciis Deo redditurum rationem, ne forte invidiæ, aut zeli flamma urat animam.

DECLARATIO.

Ibi: Ordinationem Monasterii sui.

Superiores & Officiales omnes singulis Capitulis innoventur.

1. (a) Sicut nobis est curæ, ne Prælati existant perpetui, sed quolibet Capitulo a sua Prælatione absolvantur, ita diligenter intendimus, ne Præpositus Monasterii, qui secundum morem nostrum Prior Claustralis vocatur; Senioresque, ac cæteri Officiales Monasteriorum perpetui videantur.

Quomodo Prælatus deponere, & eligere debeat Officiales.

2. Idcirco statuimus, ut postquam Prælatus ad Monasterium sibi assignatum venerit infra octo dies, si commode fieri poterit, convocatis cunctis Fratribus in Capitulo realiter absolvat omnes habentes aliquod officium, vel administrationem, vel titulum. Ipsique in signum assensus prædictæ absolutionis, inclinato capite reverenter assurgant: accusantesque se de excessibus suis in hujusmodi officiis commissis, veniam prostrati coram omnibus, postulent: clavesque ad ipsa officia pertinentes, si quas habent, Prælato consignent, prætereaque omnia, ut supra in Cap. 33. *si debeant Monachi proprium aliquid habere*, ac locum professionis teneant, nec in ipsis officiis ulterius se intromittant, nisi Prælatus aliter disposuerit, & eorum curam ipsis interim commiserit.

3. Omnes etiam, qui occasione alicujus officii in superiori loco erant constituti per tres saltem dies loca suæ professionis teneant. Prælatus vero, qui ad Capitulum Generale non accesserit, si confirmatus in eodem loco fuerit, id ipsum faciat intra octo dies postquam de ipsa confirmatione certior factus fuerit.

4. Itaque nutu Prælati juxta tenorem Regulæ Præpositus, cæterique Officiales instituantur, & inde rursus amoveantur cum consilio tamen Seniorum suorum.

Ter in anno legantur Ordinationes Capituli.

5. In nova Officialium, vel depositione, vel publicatione, Prælatus legat in Conventu ordinationes, & admonitiones factas in Capitulo Generali, quæ ter in anno legendæ sunt, ne quis de ignorantia se excuset, cum videlicet Prælatus redierit a Capitulo Generali circa festum omnium Sanctorum, & circa Quadragesimam.

Mortuo Prælato, vel absente, vel Capituli tempore Prior præsit regimini juxta illius ordinationes.

6. Constituimus etiam, ut casu, quo Prælatus moreretur, aut ad Capitulum Generale proficisceretur, omnis ejus in spiritualibus auctoritas remaneat penes Priorem. Quæ auctoritas duret, donec ad Monasterium veniat novus Prælatus, vel pristinus revertatur, etiamsi qui loco Prælati relictus fuit, alteri Monasterio fuisset assignatus.

7. Volumus autem eo tempore id observari, quod Prælatus constituerit antequam moreretur,

vel

vel ad Capitulum pergeret. Quod si Prior, vel alius Superior contra fecerit, & scandalum ob id ortum fuerit, deponatur. Si autem res minoris momenti fuerit, stet per mensem in loco suæ Professionis, ut obedientiam, & humilitatem discat.

[Item aliquando Prælato præsente.]

8. Similiter si contigerit Prælatum ad Capitulum non accessisse, cessante causa manifestæ infirmitatis; aut alia legitima causa judicio P. Præsidentis, aut Visitatorum approbanda, ipso facto, ut cæteri Prælati fuerint in Capitulo absoluti, ipse quoque absolutus intelligatur, & in Priorem Claustralem tunc, & eo casu omnis tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, transferatur potestas usque ad novam provisionem Monasterii.

9. Secus autem si cum licentia præfatorum, aut justo infirmitatis impedimento remanserit: tunc enim ei continuatam omnem potestatem usque ad novum Prælatum, vel suam confirmationem, declaramus.

[Ei pareant Cellerarii.]

10. In supradictis casibus Cellerarii, & alii, qui temporalia curant, interim recurrant ad prædictum loco Prælati constitutum, ipsique pareant, & ejus consilio, & assensu omnia faciant.

11. Sed præter casus prædictos, Prælati declarent (dum eos a Monasterio abesse contigerit) quam auctoritatem relinquant suo in loco remanentibus, tam circa reservatos, quam circa reliqua occurrentia.

[Nihil tamen immutet.]

12. Caveant interea Priores Claustrales diligenter, ne Prælatis suis absentibus, æstimantes se secundos Abbates, Fratribusque gratificari cupientes novitates facere, & per ordinationum tenorem, seu rationabilem consuetudinem dispensare, vel recreationes concedere ullo pacto de cætero præsumant: si secus fecerint, graviter puniantur.

[Nec prima vice eligatur Abbas in Monasterio.]

13. Quapropter ordinamus, ne ille immediate Monasterio, in quo quis Prior fuerit, possit in Prælatum deputari, sed si promovendus fuerit, alii Monasterio promoveatur deputandus.

De Ostiario Monasterii.

CAP. LXVI.

[De Ostiarii officio, Cellerarii, & solatio.]

(a) Ad Portam Monasterii ponatur Senex Sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere, cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui Portarius Cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant, a quo responsum accipiant. Et mox, ut aliquis pulsaverit, aut Pauper clamaverit; *Deo gratias*, respondeat, aut benedicat, & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore charitatis. Qui Portarius, si indiget solatio, Juniorem Fratrem accipiat. (b) Monasterium autem, si fieri potest, ita debet construi ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum de ignorantia se excuset.

[In Monasterio sint omnia necessaria.]

DECLARATIO.

Ibi: Ad Portam Monasterii ponatur Senex.

1. (a) Non tam ætate, quam moribus.

Ibi: Monasterium si fieri potest ita debet construi.

[Prælati non facile ædificent.]

2. (b) Quia sæpe ex multa aviditate ædificandi magnas jacturas Monasteria patiuntur, & plerumque ipsa ædificia, regulariter viventibus, minus congrua construuntur, dum pro libito quisque ædificare satagit; idcirco ordinamus, & constituimus, ut ædificia Monasteriorum non facile, aut præcipiantur per Prælatos nostræ Congregationis, aut construantur, aut destruantur.

3. In ipsis igitur ædificiis, si res extiterit quinquaginta scutorum, aut minoris sumptus (dummodo Monasterium non sit ære alieno gravatum) & modicæ novitatis, eam a Prælatis fieri permittimus. Si vero paulo majoris sumptus, & novitatis; faciant cum consensu Seniorum suorum votis secretis.

[Nec sine consensu seniorum.]

[Vel etiam Capituli Generalis, vel Regiminis.]

4. Quod si ædificia ipsa grandis sumptus essent, aut notabilis novitatis, non fiant sine consensu prædictorum Prælatorum, & Seniorum, addita etiam licentia, seu consensu Capituli Generalis, vel Regiminis.

5. Et hæc ipsa notabilitas consideretur secundum conditiones Monasteriorum, habito respectu ad expensas, seu novitates, seu aliam rem nota dignam; quia sepe contingit parvam rem, puta scalam, ostium, & hujusmodi majoris esse novitatis, quam unius, vel plurium Camerarum ædificium.

[Item dicendum de Præsidente, vel Visitatore.]

6. Si autem contigerit, Fabricam aliquam notabilem fieri debere in Monasterio, ubi Prælatus fuerit Præsidens, aut Visitator, advocetur alter Visitator, qui si accedere non possit, advocentur duo Patres viciniores.

7. Cum vero evenerit, Visitatorem discordare a sensu Patris Monasterii, & Deputatorum, aut aliter simul concordare non posse, tunc differatur ad Capitulum, aut recurratur ad Regimen; & audita Sententia Visitatorum, aut aliorum Patrum vicinorum, necnon Prælati, & Seniorum, stetur Judicio majoris partis eorum.

[De modo ædificandi, & modulis conficiendis.]

8. Et prædicta intelligantur non solum de re ædificanda, sed etiam de modo, qualiter scilicet construi debeat.

9. Unde in omnibus Congregationis nostræ Monasteriis, si juxta prædictum ordinem ædificare contigerit, prius moduli fiant arbitrio Præsidentis, & Visitatorum, adjunctis aliis duobus Prælatis.

10. Nullus vero Prælatorum audeat mutare ipsos modulos, aut ædificia per alios incœpta, nisi de Capituli Generalis, vel saltem Visitatorum licentia, addito etiam Peritorum consilio, & si quis voluerit in Monasterio, ubi aliquod hujusmodi incœptum sit, ædificare, teneatur omnino Fabricas cœptas perficere, nec aliunde initium ædificandi sumere possit.

[Absque tamen ornamentis.]

11. In quibus quidem ædificiis ubique vitentur cujusvis generis ornamenta, & præsertim in Cameris, & hospitiis, præterquam in Ecclesiis, rebusque Ecclesiasticis Divino cultui dicatis.

[Nihil agendum de ære alieno sine licentia.]

12. Præterea ordinamus, ne quis Congregationis nostræ Prælatus, Rector, aut Cellerarius, propter hujusmodi ædificia construenda, Monasterium ære alieno gravet, nec ultra Monasterii sui possibilitatem, hoc est annuum proventum, pecuniis alienis sine Capituli Generalis, aut duorum Visitatorum ad minus licentia, quæ non est concedenda nisi in casu evidentis necessitatis, vel utilitatis ædificare, vel emere bona immobilia audeant.

[Idque sub gravibus pœnis.]

13. Constitutioni huic nostræ si quis contra facere ausus fuerit, pœna privationis dignitatis, Regiminis, & officii in proximo futuro Capitulo subjacebit, districte injungentes Visitatoribus, ut supra hujusmodi contraventionibus, petito prius, & accepto in actu visitationis Juramento inquirant. Et informationem desuper captam Diffinitoribus deferant, a quibus culpabiles erunt puniendi pœnis prædictis.

De Fratribus in via directis.

CAPUT LXVII.

[Quid agere debeant in via, & in Monasterio post regressum, nec quicquam referant.]

Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis Orationi se commendent, & semper (a) ad Orationem ultimam operis, commemoratio omnium absentium fiat. Revertens autem de via Fratres ipso die, quo redeunt per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei

prostrati solo Oratorii ab omnibus petant Orationem propter excessus, ne quid forte subripuerit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis, nec præsumat quisquam aliis (*b*) referre quæcumque foris Monasterium viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ Regulari subjaceat. Similiter, & qui præsumpserit claustra Monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quippiam quamvis parvum, (*c*) sine Abbatis jussione facere.

DECLARATIO.

Ibi : Ad Orationem ultimam.

Pro absentibus orent omnes.

1. (*a*) Ob hoc in fine Orationis, quam dicimus in Memoriam B. Mariæ Virginis, quæ est ultima Oratio addimus : *Divinum auxilium &c.*

Ibi : Referre.

Confirmatur Regulæ pœna, & describitur.

2. (*b*) Curent omnino Patres, ut hæc Pars Regulæ observetur, & transgressores graviter puniantur, quia plurima destructio est.

3. Quapropter, si quis in hoc notabiliter excesserit, dicat suam culpam in Capitulo, & comedat in terra in pane, & aqua in Refectorio, arbitrio Prælati toties quoties contravenerit.

Ibi : Sine jussione Abbatis.

Nemo sine licentia egrediatur ex Monasterio.

4. (*c*) Hæc jussio accipitur aliquando pro licentia, ideo inhibemus, ne quis Fratrum nostræ Congregationis sine jussione, vel licentia Abbatis, vel ejus, qui ipso absente, illius gerit vices, extra Monasterium, vel clausuram egredi audeat, graviter si contra fecerit pro qualitate excessus puniendus.

Flexis genibus benedictionem petant.

5. Habita vero licentia, genibus flexis benedictionem petat, tam discedens, quam revertens: qui contra fecerit graviter puniatur.

Licentia adeundi Præsidentem, vel Visitatores.

6. Nullus nostrorum possit accedere ad Præsidentem, seu Visitatores existentes in alio Monasterio, nisi habita licentia a Prælato suo, sive ab ipsis Visitatoribus, & Præsidente.

Procuratio unius Monasterii non valet in altero.

7. Et si quis mutatus habuerit Syndicatum, aut procurationis Mandatum in personam suam a Monasterio a quo recedit, interdicimus, ut penitus non præsumat eo amplius uti, arbitrio Capituli Generalis, vel Regiminis. Si aliter præsumpserit, puniendus. Et ad cautelam volumus omnino, ut in talium mutatione revocentur hujusmodi Syndicatus, & procurationes.

Licentia pro itinere unius diei, vel plurium.

8. Statuimus etiam, quod licentia eundi ad affines, vel consanguineos visitandos, vel ad alia loca recreationis causa, ultra unius diei iter a Monasterio, in quo petens licentiam deputatus fuerit, a nemine possit concedi præterquam a Capitulo Generali. Quod si quis Prælatus voluerit aliquem ex suis Monachis ad aliud quodcumque vicinum Monasterium recreationis, vel negotii privati causa, mittere, non prius id faciat, quam consentiat Prælatus ejus Monasterii, ad quod eum mittere intendit.

Cujus expensis conficiendum iter.

9. Si vero intra annum necessitas accideret aliquibus, ultra unius diei iter eundi, tunc Pater Præsidens, vel primus Visitator illius Provinciæ, in qua non fuerit Pater Præsidens, possit prædictam licentiam concedere : hoc tamen addito quod, cum ad beneficium dictorum consanguineorum ire petierint, de cætero ipsorum consanguineorum expensis, & sumptibus vadant, ne Monasteria nostra graventur.

10. Similiter si Prælatum, vel Monachum prætextu valetudinis, vel negotiorum ad Congregationem non spectantium, apud Consanguineos, vel Amicos diu commorari contigerit, Monasterium nihil illi subministrare teneatur; & si Cellerarius id facere ausus fuerit, Superiores Monasterii ea dispendia, ut illegitima respuant, & Cellerarius severe puniatur.

Post Prælati absentiam trium mensium eligatur Administrator.

11. Quod si Prælati mora extra Monasterium tres menses excesserit, Præsidens, & Visitatores illi Monasterio Administratorem deputent.

Fratres non assumant Sæcularium negotia.

12. Prohibemus autem nostris negotia, & lites Consanguineorum, & Affinium, aliorumve sæcularium amplecti, & præsertim ne ad Tribunalia quævis accedant, nisi ex urgentissima extremæ necessitatis causa a Prælato cognoscenda.

Deferant licentias scriptas.

13. Euntes ultra unius diei iter, portent secum literas testimoniales Prælati sui, sine quibus si fuerint inventi, carceri mancipentur. Quas item literas mutati ad alia Monasteria accipiant a Superioribus Monasteriorum, e quibus mutati sunt.

De Monachis amovendis, eorum itinere, expensis rebus deferendis, & delatis.

14. Curantes quoque, juxta Regulam, omne periculum proprietatis evitare, volumus, quod mutati, cum primum ad locum suæ mutationis pervenerint, pecuniam, resque omnes superiori deferant intra triduum, Depositario consignandas, aliter in pane, & aqua jejunent. Quam pœnitentiam toties iterent, quot diebus id facere distulerint.

15. Et quoniam ex vagatione Monachorum multa oriri possunt scandala, caveant omnino Patres quantum fieri potest, a mutationibus eorum, & præsertim Juniorum, & non Sacerdotum, qui nonnisi ex urgentissima necessitate sunt mutandi, & cum hoc acciderit, ad loca viciniora, nec aliter, aliove modo mutentur. Mutati vero recta via proficiscantur nusquam declinantes, & notent per ordinem omnes expensas, quas in itinere fecerint.

16. Quod si mutati pecuniam pro vestibus acceptam præter necessarias itineris expensas, in aliis superfluis sine licentia Prælati sui expenderint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, non teneatur Prælatus ipsas vestes eis concedere. Et ad evitandas fraudes scriptum habeant a Superiore Monasterii unde recesserint, continens omnia, quæ secum deferunt, tam in pecunia, quam in libris, & vestibus, & cæteris omnibus, reservato Prælati arbitrio circa numerum, & qualitatem librorum ferendorum. Qui sufficientiam, professionem, & indigentiam mutati, necnon distantiam loci considerabit, quod ratio dictabit concessurus. Conficiantque aliud scriptum prædicto simile, quod in Monasterio, unde discedunt, relinquant, quod autem secum deferant Prælato Monasterii ad quod accedunt, statim consignent. Qui contrafecerit jejunet in pane, & aqua in terra in Refectorio, & nihilominus supradicta facere teneatur, nec possint Cellerarii, aut alii accipere a Fratribus, aut retinere pecunias, aut etiam eas describere in libro computorum.

A quibus, & quot pecunias pro itinere sint accepturi.

17. Quo autem ad expensas mutationum, provideatur mutatis a Monasteriis, a quibus recedunt, & servetur modus præscriptus in libello nostro vulgo appellato *la Tariffa*. Ipsi quoque mutati, portent literas Superiorum suorum præscribentes iter, a quo deviare non possint sub pœna carceris. Prælati vero mutati provideantur a Monasteriis, ad quæ tendunt.

Nullus Prælatus eos moretur.

18. Prohibemus insuper ne quovis colore, vel prætextu, Prælati retinere possint Monachos mutatos a quovis Monasterio, quominus ad Monasteria sibi assignata a Capitulo Generali, vel Regimine pergant.

Licentia eundi Venetias.

19. Statuimus etiam, quod si qui Venetias accedere voluerint, necessario ultra licentias Prælatorum Venetiarum, habeant etiam licentiam P. Præsidis, aut Visitatoris unius suæ Provinciæ.

Si quis a nullo recipietur, detrudatur in carcerem.

20. Si qui vero Monachi ob depravatos eorum mores, a Prælatis omnibus recusentur, in carcerem Monasterii suæ professionis detrudantur, donec resipiscant, & benevolos invenerint

receptores,

receptores, prout statuitur in supradicto Brevi Clementis VIII.

Si Fratri impossibilia jungantur.

CAPUT LXVIII.

Primo difficultatem ostendat, dein obediat.

Si cui Fratri aliqua forte gravia, aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium, cum omni mansuetudine, & obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter, & opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat Junior, ita sibi expedire, & ex charitate, confidens de adjutorio Dei, obediat.

Ut in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

CAPUT LXIX.

Id vetatur etiam consanguineis propter scandala, sub gravi pœna.

Summopere præcavendum est, ne quavis occasione præsumat (*a*) alter alterum defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri: etiamsi qualiter consanguinitatis propinquitate jungantur, nec quolibet modo, id a Monachis præsumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri poterit. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

DECLARATIO.

Ibi: Alter alterum defendere.

Extenditur quoque ad Superiores, si non adest justa causa.

1. (*a*) Caveant summopere Abbates omnes occasiones patrocinandi cuiquam ex nostris contra alium, vel Abbatem, aut Superiorem, nisi justis, & urgentissimis de causis: hoc enim est maximum discordiæ, & ruinæ Seminarium in Congregatione; imo etiam, & perniciosissimum inobedientiæ, ac præsumptionis fomentum in Subditis, qui se protectos agnoscentes, audent non audenda, non tentanda tentant. In hoc autem Visitatores maxime invigilent, referantque tales excessus (si quos invenerint) Diffinitoribus, vel Regimini, ut suam auctoritatem pro opportuno remedio interponant.

Ut non præsumat quisquam aliquem passim cædere aut excommunicare.

CAPUT LXX.

Qui, & quomodo cædere, vel excommunicare valeat.

Ut vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus, atque constituimus ut nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare, aut (*a*) cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut cæteri metum habeant: Infantibus vero usque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus. Sed, & hoc cum omni mensura, & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis Infantibus, sine discretione exarserit, disciplinæ Regulari subjaceat quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.

DECLARATIO.

Ibi: Cædere.

Extenditur Regula ad alios minores actus.

1. (*a*) Sed nec etiam increpare tam Professum quam Novitium, seu Commissum, nec alio quam proprio nomine appellare, vel aliter indecenter, & derisorie nominare. Si quis contrafecerit, teneatur dicere suam culpam in Capitulo graviter pro excessus qualitate puniendus.

Revelare tamen possunt

2. Sed si quis aliquid punitione dignum, in aliquo cognoverit, studeat Prælato, aut Senioribus notificare, ad quos hujusmodi correctiones spectare decernimus.

peccata Superioribus.

3. Frater autem Fratrem delinquentem charitative humanis verbis, & cum humilitate admoneat.

Vel peccatores admonere,

4. Et ut pax, & charitas inter nos illibata servetur, & cunctis transgrediendi materia præcidatur, ordinamus, quod si quis ex nostris suadente Diabolo, ausus fuerit in aliquem uti verbis comminatoriis, turpibus, aut injuriosis, dicat suam culpam in Capitulo, comedatque in pane, & aqua in terra in Refectorio cum zona ad collum.

Pœnæ pro iis, qui verbis alios offendunt.

5. Si in personam Superioris deliquerit, ultra dictas pœnas, diebus octo maneat degradatus, si in Prælatum, per mensem.

6. Si quis vero Superiorum infra Prælatum modo quo supra in inferiorem deliquerit, jejunet semel in pane, & aqua in Refectorio comedens in terra cum zona ad collum.

Aliæ pro percutientibus.

7. Et si quis alium suadente Diabolo, percusserit, præterquam quod est ipso jure excommunicatus, illico etiam carceri mancipetur, arbitrio Prælati, & Visitatorum, etiam extra Visitationis tempus pro circumstantiis, qualitate casus extrahendus.

Post contentionem reconciliantur, aliter puniantur.

8. Quoties autem aliqua orta fuerit inter nostros, sive Superiores, aut Prælatos contentio adhibeatur respective per Prælatos, aut Præsidem, vel Visitatores, aut Regimen omnis opera, ut statim reconcilientur; aliter si recusaverint, & admoniti, obstinati perstiterint: si Superiores fuerint omni præterea gradu priventur; si inferiores, carceri mancipentur ad arbitrium Regiminis. Quod si post reconciliationem compertum fuerit, simultates inter se gerere: si privati fuerint de loco suæ professionis post omnes dejiciantur; si Superiores etiam Prælati a gradu, & administratione suspendantur, donec constet, vere reconciliatos esse, & officia charitatis sibi invicem exhibere.

Ut obedientes sint sibi invicem Fratres.

CAPUT LXXI.

Ordine servato inferiores Superioribus obediant, iisque iratis se humilient.

Obedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem, ita obediant Fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam, ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum qui ab eo constituuntur imperio (cui non permittimus privata imperia præponi) de cætero omnes Juniores Prioribus suis omni charitate, & solicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem pro quavis minima causa ab Abbate, vel a quocumque Priore suo corripiatur, quolibet modo, vel (*a*) si leviter senserit animum Prioris cujuscumque contra se iratum, vel commotum, quamvis modice, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat, satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subjaceat, aut si contumax fuerit de Monasterio expellatur.

DECLARATIO.

Ibi: Si leviter senserit animum Prioris iratum, vel commotum.

Confirmatur, & illustratur regula.

1. (*a*) Hanc iram, vel commotionem maxime ex injusta causa, quantum fieri potest, Superiores evitent. Qui tamen si commovebuntur, eorum inferioribus genuflexis, satisfacientibus benignissime ignoscant, ac eis benedicant, sicut Regula dicit. Nec utantur superioritate, & auctoritate sua ad vindictam, præsertim dicendo verba contumeliosa, & provocantia sub

pœna suspensionis a Decanatu per mensem, & amplius secundum qualitatem excessus; Sed omni charitate, & mansuetudine utantur in reprehensionibus, & correctionibus.

2. Si tamen eorum excessus pœnitentiam merebitur, nullus eam, nisi Prælatus, aut aliquis ex Superioribus ad quos spectat, eam delinquentibus imponat.

De zelo, quem debent habere Monachi.

CAPUT LXXII.

Zelus duplex bonus, & malus, & primus, quem sequi debemus, explicatur.

Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo, & ducit ad Infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum, ferventissimo amore exerceant Monachi, idest ut honore se invicem præveniant. Infirmitates suas, sive corporum, sive morum patientissime tolerent. Obedientiam sibi certatim impendant. Nullus, quod sibi utile judicet, sequatur, sed quod magis alii. Charitatem fraternitatis casto impendant amore. Deum timeant: Abbatem suum sincere, & humili charitate diligant. Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

De eo, quod non omnis observatio Justitiæ in hac sit Regula constituta.

CAPUT LXXIII.

Ut perveniamus ad culmen perfectionis; huic Regulæ adjungenda erunt S. Scriptura, Patrum doctrinæ, aliorumque scripta.

Regulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in Monasteriis, aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conversationis, qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim paginæ, aut quis sermo Divinæ auctoritatis, veteris, ac novi Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum, hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? necnon, & Collationes Patrum, & Instituta, & vita eorum, sed & Regula Sancti P. N. Basilii quid aliud sunt, nisi bene viventium, & obedientium Monachorum exempla, & Instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & male viventibus, atque negligentibus, robur confusionis est. Quisquis ergo ad Patriam Cælestem festinas hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adjuvante Christo perfice, & tunc demum ad majora, quæ supra commemoravimus doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies.

DECLARATIO.

Hisce declarationibus consultum est vivis Monachis, nunc consulendum quoque defunctis.

1. Quia tam S. P. N. Benedictus, hanc Regulam scribendo, quam etiam nos, locis congruis, & opportunis declarando, nihil aliud, quam morum emendationem, ac Religiosæ vitæ sanctimoniam, atque eam animæ puritatem, & innocentiam Monachis, dum in hac peregrinatione versantur persuadere intendimus, qua postquam ab hujus exilii ærumnis absoluti fuerint, mox sine Purgatorii pœnis, quantum possibile est ad Auctorem suum læti revertantur: quia tamen humana fragilitate obstante, non semper assequimur, quod intendimus; sed in multis offendimus omnes, & septies in die cadit justus; æquum, & pium est, ut curam, & sedulitatem, quam viventibus ad profectum exibuimus, ita quoque functis serio ad levamen impendamus, ut si quas a prædicti B. Patris, & nostris monitis deviantes, maculas contraxerunt, hujusmodi piis, ac fraternis suffragiis adjuti ad felicem illam requiem, & auctoris sui beatissimam visionem ocius transferantur.

Quæ persolvenda defuncto Fratri in Monasterio suæ mortis, vel sepulturæ.

2. Ideo cum aliquis Monachus, Novitius, vel Commissus, peracto cursu hujus labilis, & ærumnosæ vitæ, Spiritum Domino Creatori suo reddiderit; ut charitas viventi exhibita, etiam defuncto servetur, volumus, ut in loco, ubi Frater in Domino requievit, vel Sepulturæ traditus fuerit, officium totum persolvatur, secundum Rubricam Romanæ Ecclesiæ in die funeris; celebretur etiam solemniter Missa, si fieri potest, & tempus permiserit, alias sequenti die non impedito. Die quoque tertio, septimo, trigesimo, & Anniversario depositionis semel tantum Missa Conventualiter cantetur cum Responsorio: *Libera me Domine*, cum versibus suis, & oratione sicut moris est; dicanturque triginta Missæ in Monasterio, in quo requievit pro Animæ ejus remedio, quarum distribuendarum cura sit Sacristæ ejusdem Monasterii. Pater vero Monasterii ipsius in quo defunctus est Frater, scribat omnino cæteris Prælatis Congregationis notificando diem dormitionis in Domino, & nomen Defuncti, nec omittatur ex negligentia in detrimentum Animæ suæ, & Proximi defuncti.

Item quid in reliquis Monasteriis.

3. Præterea statim ac innotuerit obitus cujuspiam nostræ Congregationis, nisi aliud obstiterit (præterquam quod in omnibus Monasteriis celebranda erit Missa Conventualis pro Anima ejus Defuncti observata illius conditione) suffragia particularia offerenda erunt hoc ordine, videlicet. Pro Abbate Regiminis decem Missæ ab unoquoque Abbate Regiminis, totidemque pro Abbate Titulari, a singulis pariter Titularibus celebrabuntur. Pro Priore Claustrali, sive Titulari, a Prioribus respective Claustralibus, vel Titularibus decem. Tres vero a singulis Decanis pro Decano, & una a singulis Sacerdotibus pro Sacerdote. Pro Clerico autem semel persolvendum officium Defunctorum, duplex a quovis Clerico. Pro Commissis a Commissis coronam majorem de Domina, alias Rosarium dictam, cum *Requiem æternam &c.* in fine cujusvis decadis esse recitandum statuimus. Intendentes etiam, quod singuli Sacerdotes nostri, sive in dignitate, aut gradu constituti, sive non, teneantur admittere ad participationem in triginta Missis quoscumque nostræ Congregationis Defunctos de illis faciendo memoriam expresse, vel secreto. Quod idem injungimus cæteris Monachis in Officiis mortuorum, & Commissis in consueta suarum orationum recitatione per 30. dies.

In Monasterio demortui fiat etiam eleemosyna pro Fratre.

4. Et quia post precum emissiones ad levandos Purgatorii cruciatus, multum confert eleemosyna, ordinamus, quod in Monasterio, in quo Frater decessit e vita, ponantur quotidie in loco ubi sedere solitus erat ad mensam in Refectorio omnes Cibi, & Vinum sicut singulis datur, acsi viveret. Quæ postmodum dentur pro eleemosyna alicui pauperi, vel pluribus pro Anima ipsius Defuncti, aut tantundem, sicut Superior ordinaverit, usque ad 30. dies; nullusque sedeat in loco illo, sed vacuo remanente, apponatur Crux parva lignea super mensam juxta locum vacuum in memoriam Defuncti, ut cæteri memoria Mortis compuncti, & pro ipso ferventius orent, & ad perfectius vivendum excitentur.

Celebrentur singulis annis Missæ nonnullæ pro Monachis Congregationis, aliisque.

5. Ordinamus insuper, quod singulis annis imponantur triginta Missæ cuilibet Monasteriorum in absolutione Capituli Generalis pro habentibus literas gratiosas (quæ imposterum moderate concedantur) qui forte illo anno decesserint, necnon triginta aliæ pro nostris Religiosis Defunctis.

6. Charitatis etiam affectum erga Fratres Congregationis nostræ exercere volentes, universos Parentes, Fratres, Sorores Monachorum, & Commissorum nostrorum præsentium, & futurorum ad participationem omnium bono-

rum, quæ in nostra fiunt, & fient Congregatione (sicut fit cum illis, quibus literæ gratiose conceduntur) admittimus; prohibentes, nequis de cetero pro prædictis literas gratiosas requirat.

SANCTUS GREGORIUS ROMANUS PAPA

Hujus nominis Primus.

De approbatione Regulæ S. P. Benedicti, ex privilegio Monasterio Sublacensi concesso.

EGo Gregorius 5. R. E. Præsul, scripsi Vitam Beati Benedicti, & legi Regulam quam ipse Sanctus manu propria scripsit. Laudavi eam, & confirmavi in Sancta Synodo, & per diversas partes Italiæ, & ubicumque latinæ literæ legerentur, præcepi, ut diligentissime observarent, quicumque ad conversionis gratiam accessuri essent usque in finem Mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quæ ipse Sanctus construxit &c.

PRIMA PARS CONSTITUTIONUM. CONGREGATIONIS CASINEN.

Pro directione Regiminis, & Regularis Observantiæ ejusdem Ordinis.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi.

De Capitulo Generali celebrando, & ejus tempore.

CAPUT I.

1. Antiquorum Patrum sectantes vestigia, & auctoritate Apostolica muniti, ut vigor observantiæ Regularis, fraternaque charitas, & diuturna, ac constans inter nos perseveret in Christi servitute concordia: Statuimus Capitulum Generale per PP. nostræ Congregationis celebrari debere: Ordinantes de cetero ad evitandas expensas, ac itinerum incommoda, ut quod celebrabatur singulis bienniis in posterum celebretur singulis trienniis, juxta Breve SSmi D. N. Innocentii PP. XI. sub datum 9. Septembris 1680., & hoc Dominica tertia, idest vigesima prima die post Resurrectionem D. N. Jesu Christi.

2. Quapropter ad Capitulum venire debentes, tales se præparent tempore opportuno, ut Statuta die esse possint in loco, ubi Capitulum ipsum fuerit celebrandum.

De iis, qui debent venire ad Capitulum Generale.

CAPUT II.

1. Quoniam, ubi nimia multitudo est, ibi plerumque solet esse confusio, & difficultas veritatis assequendæ; idcirco ordinamus, quod infrascripti solum ad Capitulum Generale venire teneantur: videlicet P. Præsidens, cæterique Visitatores quantumcumque a Capituli loco distent, omnes Prælati Regiminis, Cancellarius, & Capsarius.

Item de impeditis, & non vocatis.

2. Quod si legitima de causa continget Prælatos non venire, tunc ipsi Prælati, & Conventus teneantur literas tam bonum Congregationis, quam suorum Monasteriorum, concernentes transmittere per unum ex suis Monachis, eligendum a Prælato, cum consensu Seniorum, aut alium Nuntium fidelem, aut Prælatum propinquiorem, si maluerint.

3. Et ut cuncta, quæ a Visitatoribus in Visitationibus suis provisione digna inventa fuerint, Capitulo Generali innotescant; Ordinamus, quod si quis Visitatorum aliquo impedimento legitimo interveniente ad Capitulum non venerit, per literas significare teneatur ea, quæ gravia, & digna relatu videbuntur, & ipse judicaverit expedire, super quibus ejus conscientiam oneramus.

4. Insuper tam supradicti Prælati, quàm quicumque alii Monachi nostræ Congregationis quocumque officio fungantur, aut dignitate præemineant: quantumcumque a Capituli Loco distent, si a Diffinitoribus, vel Regimine jussi, aut requisiti fuerint, ad præfatum Capitulum Generale venire teneantur.

5. Præter supradictos autem, non præsumant Monachi nostri cujuscumque gradus, seu conditionis existant venire ad Capitulum Generale, seu ad loca circumvicina, nisi habita prius a Diffinitoribus ejus Capituli licentia in scriptis. Quod si contra fecerint, non audiantur a Diffinitoribus, & jejunent ter in pane, & aqua in terra in Refectorio, & statim peracta pœnitentia, dimittantur. Et si fuerint Superiores, eo ipso intelligantur esse suspensi a gradu Superioritatis, saltem per annum integrum. Quod non intelligitur de his, qui a Prælato Monasterii, ubi Capitulum celebrandum est, convocati fuerint ad concionandum, vel disputandum cum licentia Patris Præsidentis.

6. Præterea nullus Prælatus, veniens ad Capitulum secum ducat alium Monachum quovis titulo, etiam Scribæ. Possit tantum Commissum, causa infirmitatis, ætatis aut distantiæ secum ducere. Monachus alius, aut Cellerarius ex quavis causa venire non possit. Quod si computa, aut alia hujusmodi negotia pertractanda erunt in Capitulo, Prælati satisfaciant. Eximitur tamen a prædictis prohibitionibus P. Præsidens, qui secum ducere potest Scribam suum. Ipse autem Præses teneatur quamprimum Prælati ingressi fuerint Capitulum, omnes alios, qui ad locum Capituli venissent, præter prædictos, qui debeant, & possunt venire, ab eodem loco dimittere. Quod si pro aliquo casu necessario, Diffinitores aliquem admiserint audiendum, non permittant, talem morari in Monasterio Capituli ultra diem unum, sed eum audiant, & dimittant. Quod etiam intelligimus de iis, qui forte ab ipsis vocati essent; hos enim statim ac completa sunt ea, ob quæ accedere jussi sunt, dimittendos esse decernimus.

De modo scribendi Capitulo Generali.

CAPUT III.

Item de rebus scribendis, & literis vulgo cæcis dictis.

1. Si quis Monachorum nostrorum voluerit aliqua notificare Capitulo Generali scribat ipse manu propria, & si ipse nequeat scribere, tunc alium Monachum nomine illius scribere posse permittimus, ita tamen, ut constare possit, cujus nomine scriptum fuerit. Qui ne detineat Diffinitores in pluribus inutiliter occupatos, clare, breviter, & succincte scribat, cum subscriptione, vel inscriptione sui nominis, exponendo causas petitionis suæ; alioquin si præfatæ literæ subscriptione, vel inscriptione caruerint a Diffinitoribus non adhibeatur eis fides: sed si ullo unqnam tempore in lucem venerint Auctores talium literarum, carceri mancipentur.

2. Caveant autem Monachi, ne de iis, quæ ante visitationem Monasterii acciderint, Capitulo quidquam scribant. Quod si aliqui ea, quæ Visitatoribus exponere debuerant (qui præsentes omnia cognoscere, & opportuna providere potuissent) ad Capitulum deferre maluerint, nisi urgens causa subsistat, graviter pro modo culpæ puniantur.

3. Nullusque nostrorum, etiamsi de numero Superiorum sit, alterius literis subscribat, aut suis subscribere faciat quovis quæsito colore præterquam si aliqua de causa bonum Monasterii concernente, Superiores omnes ad vitandam multiplicitatem literarum, de communi consensu aliquid insinuandum Patribus judicaverint, nec

alius

alius alium solicitet, aut faciat practicam, ut scribat, aut relationem mittat. Qui contra fecerit ter in pane, & aqua in terra in Refectorio jejunet.

4. Ultimo ordinamus, ne volentes scribere Capitulo inordinatis passionibus seducantur, nec quadam scribendi proclivitate scribant, sed Deum præ oculis habentes ea, quæ fuerint necessaria, & utilia suggerant Patribus cum omni modestia, & gravitate.

5. Quod si quid fuerit scriptum in præjudicium alicujus tertiæ personæ, reserventur illæ literæ, Visitatoribus dandæ, qui diligenter tempore visitationum de contentis in illis inquirent. Qui vero illas scripserint, stent ad pœnam talionis, & si fuerint in dignitate constituti insuper deponantur: si tamen falsa scripsisse fuerint convicti.

6. Ut tamen pax, & benevolentia inter Prælatos, & Monachos nostros conservetur, admonemus Prælatos, ne tempore Capituli, vel Visitationum quærant quovis modo, quis contra eos scripserit, vel ipsos accusaverit, sed potius dissimulent se scire, imo nec moleste ferant; & cum ad Monasteria sua pervenerint, hortentur suos, ut etiam ipsi similiter faciant.

Quæ per Prælatos ad Capitulum venientes sunt deferenda, & in Capitulo petenda.

CAPUT IV.

Deferenda. 1. Prælati nostræ Congregationis, aut qui ab eis eorum nomine missi fuerint, deferant secum venientes ad Capitulum infrascripta: In primis nomina Monachorum, qui illo anno professionem emiserint, ac diem, quo professi fuerint, necnon eorum, qui in Dño quieverint, aut ejecti, aut quocumque modo diminuti fuerint.

2. Portent etiam in scriptis nomina omnium Monachorum Conventus sui, ac locum, annum, & diem, ubi, & quo professi sunt: secundum tamen gradus, & ordines, quos in Monasteriis suis tenent.

3. Portent insuper annuos redditus, & expensas suorum Monasteriorum, ac computa Debitorum, & Creditorum, seriatim descripta, & præsertim rationes taxarum communium. Quoniam vero solutiones taxarum fieri debent singulis quatuor mensibus, vel prout a Capitulo Generali statutum fuerit, Prælati, qui hoc præfixo tempore adimplere neglexerint, voce activa, & passiva ipso facto se privatos esse sciant, & ulterius eorum Monasteria teneantur ad quodcumque interesse inde emergens, pro rata illius debiti. Cellerarii vero, si hoc ipsorum culpa evenerit, pro modo culpæ severe puniantur.

Petenda. 4. Ad officium etiam Prælatorum spectet petere licentias pro illis, qui promovendi sunt tam ad Ordines Sacros, quam ad gradum superioritatis, ac etiam literas gratiosas pro Benefactoribus Monasterii sui, quæ trium numerum non excedant.

5. Et quia Parentibus, Fratribus, ac Sororibus Fratrum Congregationis nostræ per Patres dictæ literæ gratiosæ concessæ sunt generaliter: amodo pro eis non requirantur specialiter.

6. Item ad ipsos spectet petere facultatem proficiscendi ad Balnea pro Infirmis nostris: servatis tamen servandis, prout in declaratorio Regulæ cap. 36. de Infirmis Fratribus.

De forma Capituli Generalis, & primo quibus personis constet.

CAPUT V.

Necnon de Vocalibus absentibus. 1. Declaramus pariter, & ordinamus Præsidentem Regiminis, Visitatores, ac Prælatos habentes titulum, & administrationem, vel principalem tantum administrationem Monasteriorum nostræ Congregationis una cum Cancellario, & Capsario, totum Capitulum Generale constituere, quos intelligimus repræsentare totam Congregationem, ipso durante Capitulo. Volentes quod omnes Prælati vocem tam activam, quam passivam in Capitulo (si tamen præsentes extiterint) habeant; absentes autem a Capitulo nullam vocem habere possint. Cancellarius vero, & Capsarius vocem tantum activam habent per Breve fel. rec. Urbani VIII. illis concessam.

2. Sabbato igitur ante tertiam Dominicam post Pascha, fiat in Missa Commemoratio de Spiritu Sancto, & post Nonam P. Præsidens in Cubiculo suo expedienda absolvat una cum Visitatoribus, vel aliquo eorum absente, cum aliis Prælatis, qui numerum septem Virorum ad integrum Regimen requisitum, vice absentium supplere debent.

3. In loco postea ad id deputato, convocatis omnibus de Capitulo ipsemet Præsidens præmissa prius Oratione Mentali, dicat versus: *Salvos fac Servos tuos.* ℟. *Deus meus sperantes in te.* ℣. *Esto nobis Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie Inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Domine non secundum peccata nostra facias nobis.* ℟. *Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.* ℣. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Domine exaudi Orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra Oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Famulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis filii tui Domini nostri intercessione salvemur.

Intercessio nos quæsumus Domine B. P. N. Benedicti Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Christum Dominum nostrum.

Facta vero per Præsidentem monitione circa ea, quæ necessario pro augmento Regularis observantiæ suggerenda Prælatis judicabit; idem Præsidens, & Visitatores vocent coram omnibus singulos in Catalogo descriptos a Quæstore, & ipse Quæstor fidem scripto faciat de omnibus, qui integre satisfecerint, aut non.

Deinde legere faciat per P. Cancellarium publice audientibus omnibus, sequens Capitulum.

De iis, qui faciunt practicas in Electione Diffinitorum, ex Bulla Leonis X.

CAPUT VI.

1. Decernentes &c. eos, qui circa Diffinitorum electionem per se, vel per alios, directe, vel indirecte quocumque tempore practicas fecerint, seu ab aliis practicari, vel aliter conscii, aut quomodolibet talium practicarum notitiam habentes, & ante non revelantes, excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua nisi a P. Præsidente Regiminis, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, & inhabilitationis ad vocem activam, & passivam in d. Capitulo Generali, & ad Dignitates, gradus, & administrationes in dicta Congregatione pœnis quinquennio duraturis, ipso facto incurrendis, ligari, & involvi: necnon irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, prout in prædicta Bulla continetur. Item de eorum conscìis, & non revelantibus.

2. Ad fervandas vero Abbatum, Monachorum noftrorum confcientias, & omnem ab eis prorfus ambiguitatis fcrupulum removendum declaravit Gregorius Papa XIII.; quod ob fermones, qui invicem non ambitus, vel alterius improbæ, fed bonæ intentionis caufa de idoneitate, vel infufficientia ad Diffinitoriatus officium eligendorum, habiti fuerint, feu quos in futurum haberi continget, fupradictas fententias, cenfuras, & pœnas non incurrerint, aut incurrant.

Alia quæ peragenda funt in Capitulo.

3. Legatur præterea ab eodem Patre Cancellario Breve Apoftolicum ejufdem Gregorii XIII. contra appellantes; ab Urbano VIII. fub die 11. Maji 1638. confirmatum, & ampliatum, necnon & Decretum editum in generali Congregatione S. Romanæ, & Univerfalis Inquifitionis, habita coram eodem Pontifice: Ut omnium Regularium Superiores fuos fubditos, & Religiofos perfæpe commoneant de injuncta omnibus obfervantia, & executione Apoftolicarum Conftitutionum, & Decretorum ad officium Sanctiffimæ Inquifitionis adverfus hæreticam prævitatem pertinentium, quod incipit *S. D. N. Sedulo incumbens &c.* publicatum die 5. Januarii 1633. prout in prædictis Brevi, & Decreto ordinatur. Deinde moneat omnes, ut interfint Miffæ, quæ die fequenti folemniter cantabitur de Dominica, vel de Sancto, fi in illa die Feftum duplex occurrat, cum commemoratione de Spiritu Sancto, ut Dominus illuminare dignetur, & dirigere, in fuo beneplacito corda Patrum, Capitulum celebrare debentium, & recedentibus omnibus qui non funt de Capitulo, Præfidens legat infrafcripta ad electionem fcrutatorum fpectantia; quibus lectis, ad eorum electionem per Prælatos procedatur.

De Electione Scrutatorum.

CAPUT VII.

Item de eorum Officio.

1. Ordinamus primo: ne quis confanguinitate ufque ad fecundum gradum inclufive conjunctus alicui ex Prælatis, ad quos electio fpectat Diffinitorum in Scrutatorem deligatur. Singuli igitur Vifitatores quatuor, qui non fint de Capitulo nominent fecrete in aurem P. Præfidentis, ipfe etiam P. Præfidens quatuor nominare poffit, quos in Schedula confcribat, & eos poftmodum nominet. Qui nominati fecretis omnium Prælatorum fuffragiis exponantur, & illi quatuor, qui plura vota favorabilia habuerint, fint Scrutatores electi in omnibus actibus Capitularibus, durante ipfo Capitulo, & fi fuerint aliqui pares in vocibus, præferantur; qui locum Superiorem in Monafterio tenuerint. Volumus tamen pro pace, & unitate fervanda; ut unus tantum, & non plures in eodem Monafterio profeffi Scrutatores eligantur.

2. Qui Scrutatores teneant fecretiffima, quæ ad officium fuum fpectant; Contra facientes verò fi fuerint graduati, & tranfgreffio manifefta; teneant locum fuæ profeffionis in Monafterio faltem per duos Menfes; fi vero non fuerint graduati; poft omnes profeffos fimiliter per duos Menfes ftent degradati in Monafterio; & infuper eò ipfo fint privati Scrutatorum officio; ad quod deinceps in perpetuum fint inhabiles.

3. Si vero culpa fuerit latens; ter in pane, & aqua jejunent, nec ab aliquo difpenfari poffint.

4. Hoc etiam Capitulum legat P. Præfidens ipfis Scrutatoribus die fequenti coram omnibus de Capitulo antequam ad electionem Diffinitorum procedant.

De abfolutione Præfidentis, & aliorum Prælatorum ab eorum Regimine.

Hoc Capitulum legit P. Præfidens Dominica tertia poft Pafcha, dicta Nona coram omnibus de Capitulo.

CAPUT VIII.

Nec non de eorum loco poft abdicationem.

1. Dominica igitur tertia poft Pafcha; folemniter cantata a P. Præfidente Miffa currente cum commemoratione de Spiritu Sancto, ut fupradictum eft, poft Nonam pulfata Campana, & omnibus; qui funt de Capitulo, in loco ad id deputato; congregatis; genibus flexis; præmiffa mentali Oratione, Præfidens Regiminis omnes de Capitulo hujufmodi alloquatur fermonibus:

2. *Patres dilectiffimi, quia fecundum antiquam; & laudabilem confuetudinem noftram, tempore Capituli Generalis vacare debent omnia beneficia; Dignitates, Prælationes; & officia Generalis Regiminis; Idcirco ego D. N. humilis Præfidens Congregationis Cafinenfis, vice; & nomine totius Capituli Generalis, Apoftolica, ac etiam Conftitutionum noftrarum auctoritate, abfolvò fingulos Vifitatores; Abbates; Adminiftratores; & omnes habentes tam titulum, quam principale Regimen Monafteriorum noftrorum, ab eorum officiis; cura; adminiftratione, titulo, & Regimine, & eos abfolutos pronunciò.*

3. Si vero Præfidens non interfuerit Capitulo antiquior Vifitator qui illic aderit; omnia fupradicta, nomine, & vice Præfidentis, pronunciet. Quia abfolutione facta cæteri omnes; aperto capite furgant, eidem abfolutioni reverenter annuentes, locaque fuæ profeffionis illicò petant.

4. Subfequenter Præfidens dicat: *Et Ego D. N. denuncio me abfolutum, juxta tenorem privilegiorum, Conftitutionum Congregationis noftræ; ab officio Præfidentiæ, & Vifitationis, necnon a titulo; regimine, & adminiftratione Monafterii N. Placeat itaque Paternitatibus veftris die ftatuta providere de magis idoneo.*

5. Poft hæc proftratus coram omnibus de exceffibus, & negligentiis fuis fe accufet, & fubjiciat fe Capituli correctioni, veniam, & orationem pro fe ab adftantibus poftulans, & facto figno ab antiquiore Capituli; furgat & revertatur ad locum fuæ profeffionis.

6. Similiter omnes alii faciant, qui in illo anno Vifitatores fuerint, aut Monafteriorum principale Regimen habuerint, unufquifque fecundum ordinem fuum, incipiendo a majore, & facto figno ab Antiquiore furgant, & ad fuæ profeffionis loca redeant. Quibus peractis, ad electionem Diffinitorum procedatur declarantes poft prædictam abfolutionem Prælatorum Abbates folum titulum habentes, debere tenere locum fuæ profeffionis in Monafteriis, in quibus reperiuntur.

De Electione Præfidentis Capituli, Diffinitorum; & Confervatorum.

CAPUT IX.

Item de iis, qui ad hujufmodi gradus afcendere nequeunt.

1. Quoniam in Capitulo Generali tractanda funt cuncta Congregationis negotia; Si autem iis expediendis integer Patrum cœtus adunari femper deberet, per nimias moras; nec fine tædio, ac difficultate, rerum definitio traduceretur: Idcirco, ut facilius, ac expeditius peragantur; ordinamus juxta privilegia noftra novem tantum Diffinitores eligendos effe ex Prælatis; qui funt in Capitulo; quorum unus eligatur Præfidens Capituli, ut infra præfcribitur num. 6.

2. Ordinamus etiam quemlibet abfentem a Capitulo; neque per Subftitutum; neque per

Epiftolas;

Epistolas, neque per Nuntium vocem in Capituli Actibus habere posse.

3. Admonemus autem, ut unusquisque Deum in hac electione ante oculos suæ mentis habeat, & quos judicio suæ conscientiæ, pro universali Congregationis bono judicaverit utiliores, eligat.

4. In electione vero prædicta, juxta primævam Institutionem fel. rec. Eugenii IV. ab Urbano VIII. per suas literas in forma Brevis die 8. Julii 1637. approbatam, & innovatam, statuimus ut libera sit unicuique Prælatorum nostrorum vocem habentium in Capitulo facultas eligendi quos ex eisdem Prælatis ad Diffinitoriatus officium magis idoneos judicaverit (super quo conscientiam cujuslibet ipsorum oneramus) nulla habita ratione, quod in uno, alterove ex Capitulis Generalibus præcedentibus successive Diffinitores fuerint, quove bis a Diffinitorio non vacaverint, eligi tamen non possint, qui proximo præcedenti Capitulo Visitatores electi fuerint, & Prælati in proxima item Dieta, ad Abbatiam promoti: advertaturque præterea unum tantum, & non plures in eodem Monasterio Professos, vel in eadem Civitate, seu Loco natos, licet ex diversis Provinciis professi sint, simul in eodem Capitulo Diffinitores eligi posse, ita, quod novem Diffinitores singuli in diversis Monasteriis professi eligantur.

5. Modus vero prædictæ electionis faciendæ, erit iste: Ponantur in sacculo, vel urna nomina septem Provinciarum, & Prælati capaces illius Provinciæ, quæ primo extracta fuit, primo suffragiis supponantur; Secundo Abbates capaces illius Provinciæ, quæ secundo extracta fuit; & sic deinceps omnes semper hoc ordine servato.

6. Facto autem scrutinio, illi intelligantur electi, qui majori Suffragiorum numero supra dimidium fuerint approbati. Quod si in primo scrutinio non reperientur novem sortiti suffragia supra dimidiam partem, fiat secundum Scrutinium, in quo si idem evenerit, fiat, & tertium. Si vero nec in eo fuerit novennarius numerus completus, tunc consideratis a scrutatoribus omnibus scrutiniis, illi intelligantur electi, qui in aliquo eorum plura habuerint suffragia, etiam infra dimidium. Rursus de ipsis novem sic electis, fiat scrutinium pro eligendo Præsidente Capituli, & quando citra Alpes deputandus erit prout infra statuitur, de electione Præsidentis Regiminis Cap. 2. num. 2., exponantur votis tantummodo illi quatuor Diffinitores electi pro Provinciis citra, videlicet Sicula, Neapolitana, Romana, & Hetrusca, & e contra, quando ultra Alpes erit deputandus, scrutinio subjiciantur tantum illi quinque electi pro Provinciis ultra, idest Veneta, Lombarda, & Ligura, & ille præsideat, in quem plura suffragia etiam infra dimidium convenerint. Quod si in electione tam Diffinitorum, quam Præsidentis duo, vel plures fuerint in numero suffragiorum pares, antiquiores professione præferantur: Si autem ob quemcumque casum contingeret in aliqua Provincia reperiri unum solum Abbatem, qui in Diffinitorem esset eligibilis, tunc ex Provincia viciniori assumantur per scrutinium duo alii Abbates, qui cum eligibili pro supradicta Provincia concurrant ad Diffinitoriatum; ita tamen ut, qui est solus eligibilis in illa Provincia primis votis committatur, & si sufficientia vota habuerit intelligatur electus absque eo, quod alii duo urnam experiantur. Si vero sufficientia vota non habuerit, tunc suffragiis subdantur; postea, qui per dictum scrutinium electi fuerunt, quorum qui plura vota supra dimidium habuerit, intelligatur Diffinitor pro illa Provincia, quæ unicum habuit Prælatum eligibilem. Juxta præscriptam igitur formam fiant prædictæ electiones, & non aliter, nec alio modo.

7. Electis vero, & pronunciatis Diffinitoribus, & Præsidente Capituli: rursus nomina omnium Prælatorum non Diffinitorum (iis exceptis, qui Superiori Capitulo Diffinitores, & Conservatores, ac illo biennio Visitatores fuerint, & qui Dietis intervenerint, aut in Dieta electi in Prælatos fuerint) in sacculum, seu urnam injiciantur pro eligendis Conservatoribus, & fiat scrutinium, ut supradictum est in electione Diffinitorum; Et illi quatuor (duo videlicet ex Provincia Romana, Neapolitana, Sicula, & Hetrusca: Et duo ex Veneta, Lombarda, & Ligura) in quos plura suffragia convenerint, etiam infra dimidium, intelligantur electi Conservatores, & locum habeant immediate post Diffinitores.

De Diffinitorum auctoritate, & potestate, & de Literarum præsentatione.

CAPUT X.

1. Pronunciata itaque, seu publicata a Superiore ex Scrutatoribus, sociis adstantibus, electione P. Præsidentis, Diffinitorum, & Conservatorum, statim novus Præsidens legat sequens Capitulum coram omnibus. Item de Præsidentis Præeminentiis.

2. Quoniam ad Officium Diffinitorum pertinet cuncta in Capitulo occurrentia, atque de Congregatione disponere: ordinamus, quod Diffinitores Capituli Generalis omnem repræsentantes Congregationem, ipsisque electis intelligatur omnis a Capitulo tributa potestas; Idcirco omnia, quæ fuerint per ipsos in Capitulo diffinita, juxta Privilegiorum nostrorum tenorem, inviolabiliter observentur ab omnibus Prælatis, & Monachis nostræ Congregationis cujuscumque gradus seu conditionis existent.

3. Præsidens etiam Capituli, durante officio suo omnia signa præeminentiæ, tam generalia, quam particularia faciat, & locum Superiorem teneat, cæterique Diffinitores, absente Præsidente, etiam omnia signa faciant, ut supra, & loca superiora teneant, sibi invicem deferendo, secundum professiones eorum.

4. Electis itaque Præsidente, & Diffinitoribus, ordinamus, quod ipsi Præsidenti literæ omnes bonum Congregationis concernentes, quæ fuerint præsentandæ, porrigantur: antequam tamen inde recesserint, fiant per P. Præsidentem infrascriptæ admonitiones.

Admonitiones faciendæ per P. Præsidentem omnibus de Capitulo in principio Capituli Generalis.

5. Ut Capitulum citius possit expediri, Prælati sint breves, tam scriptis, quam voce, nec eadem sæpius repetant, sed superflua, & ad rem non pertinentia, evitent.

6. Soliciti sint circa disciplinam, & Regularem observantiam, & præcipue ad Divina Officia, die, ac nocte, attento, quod Monachi Monasterii sunt in variis exercitiis occupati.

7. Omnes Prælati in Capitulo habeant facultatem eligendi sibi Confessarium. Cæteri vero, qui ad Capitulum accesserint, confiteantur cum Deputatis ad confessionem, tam in Monasterio Capituli, quam alibi.

8. Nullus exeat e Monasterio sine licentia P. Præsidentis, vel Vicarii Capituli, omnesque ad vitam communem in Refectorio conveniant, & omnino tollatur abusus, si quis in contrarium inolevit.

9. Adhortentur Prælati Monachos suos, & Commissos, ut serviant Missis, adjuvent in exercitiis Monachos, & Commissos Monasterii. Admoneant etiam famulos suos, ut sint discreti morigerati, & caveant a contentionibus, quia

inde

inde sæpe scandala oriuntur. Cellerarii vero eis provideant de necessariis.

10. Durante celebratione Capituli in omnibus Congregationis nostræ Monasteriis omnes ad Deum preces effundant, & præcipue Sacerdotes in Missa faciant commemorationem de Spiritu Sancto, & conventualiter fiat oratio ordinaria pro felici directione, & exitu ejusdem Capituli.

Quod nullus Diffinitorum procaciter defendat sententiam suam, aut revelet secreta Capituli.

CAPUT XI.

Idem dicendum de aliis Diffinitoribus vocatis, & de secretis Dietæ.

1. Sane, ut omnia cum Dei timore procedant, & ad laudem ipsius cedant pariter, & honorem: strictius prohibemus, ne aliquis Diffinitorum procaciter suam tueatur sententiam, examinando occurrentes causas. Sed si quid forte dicere voluerit, sua dictante conscientia, ut clarius veritas elucescat, prævia P. Præsidentis licentia cum omni humilitate, & modestia id proponat. Postquam suum emiserit votum, aliorum judicio se submittat. Si contra fecerit, & correctus se non emendaverit, expellatur extra Diffinitorium, ut infra §. 3.

2. Nullus insuper, tam ipsorum Diffinitorum, quam etiam aliorum; quacumque ex causa a Diffinitoribus vocatus, ea, quæ tractantur in Capitulo, sive quæ ibi audierit, revelare audeat, donec fuerit Capitulum absolutum, & ulterius si rei materia poposcerit: quod etiam intelligendum est de iis, quæ in Dietis fuerint tractata.

3. Quod si a quoquam contra factum fuerit, ita quod scandalum oriatur, aut verisimiliter oriri possit (quod arbitrio majoris partis Diffinitorum, si tempore Capituli talis revelatio publicata fuerit, sin autem arbitrio Regiminis, declaretur); si quidem ipse Diffinitor sit, primo sequenti Capitulo non possit eligi in Diffinitorem; & insuper si durante Capitulo de tali revelatione constiterit, expellatur de Diffinitorio; arbitrio tamen Diffinitorum (si eorum majori parti videbitur) revocandus. Si vero is, qui revelaverit, Diffinitor non fuerit, pro qualitate transgressionis arbitrio PP. Diffinitorum, si tempore Capituli, seu Regiminis, si intra annum talis revelatio fuerit publicata, erit puniendus.

De Officio Conservatorum.

CAPUT XII.

Item de eorum potestate puniendi inobedientes.

1. Conservatores, hoc titulo præcipue insigniti, quod Regulam, & Constitutiones Congregationis, necnon Diplomata Pontificia, pro ejus bono Regimine emanata a transgressoribus vindicare debeant: quibus in maxima potestate constitutis, illarum custodia, & executio commissa est, cum primum Magistratum inierint, diligenter perpendant acta omnia, videlicet Decreta nedum pro Congregatione, verum etiam pro singulis Monasteriis, sive publice, sive privatim edita, electiones, & absolutiones Prælatorum, Monachorum promotiones ad Dignitates, & officia, injunctas pœnitentias, facultates, sive licentias concessas, commissiones omnes, ac instructiones Commissariorum, si qui erunt, vel fuerint deputati, vel deputandi respective, & quæcumque alia animadversione digna, quomodocumque per Præsidem, vel Visitatores, aut Regimen in Dieta triennii proxime elapsi gesta, & ordinata, quæ omnia in scriptis optimo ordine digesta a Cancellario Regiminis ad eorum Tribunal per ipsum deferri mandabunt: necnon omnes sanctiones, ordinationes, provisiones, Decreta & acta omnia, quæ per Diffinitores in Capitulo, quod tunc celebratur, edita, & statuta fuerint, a Scriba Capituli in ejus folio annotata, similiter accipiant, ut ea antequam publicentur, accurate examinent, & recognoscant, non quidem tanquam Judices appellationum, sed uti Regulæ, & Constitutionum Conservatores. Et si quid in hujusmodi actibus, tam per præfatos Præsidentem, Visitatores, & Regimen in Dieta triennii modo præteriti, quam per Diffinitores in Capitulo, quod tunc celebratur editis contra Diplomata Pontificia, Regulam, & Constitutiones factum esse repererint; illud absque ulla Indulgentia, & omni penitus rigore, corrigant, revocent, rescindant, & nullum declarent, & cum effectu (prout Justitia dictabit) exequi mandent: nec ullo modo, nisi prædicta omnia ab ipsis Conservatoribus recognita, & approbata fuerint, a Diffinitoribus publicentur, vel executioni mandentur, alioquin nullius intelligantur esse roboris, & validitatis. Et ipsi Conservatores contra inobedientes, etiam Diffinitores, nulla habita Personarum, vel Dignitatum ratione per censuras, & pœnas Ecclesiasticas juxta facultatem sibi per Breve Pauli V. traditam; omnino procedant.

2. Quoniam autem potest contingere, ut decreta omnia, & acta Capituli illius anni non possint in tam brevi tempore a Cancellario registrari; Propterea ordinamus, ut a Conservatoribus futuri Capituli accurate inspiciatur, & examinetur, an fideliter, & diligenter, prout decet, fuerint in Regestro notata, cum cæteris decretis, ac provisionibus factis, tam a Patre Præside, & Visitatoribus, quam a Diffinitoribus, prout supra in antecedenti numero. Et si negligentia notabilis inventa fuerit, instantibus Conservatoribus a Diffinitorio procedatur contra Cancellarium, etiam usque ad privationem officii, si ejus culpa id acciderit.

De electione Scribæ Capituli Generalis, Cancellarii Regiminis, & de pertinentibus ad Officium eorum.

CAPUT XIII.

1. Post electionem Diffinitorum, & Conservatorum eligatur unus ex ipsis Diffinitoribus in Scribam Capituli hoc modo, videlicet. Unusquisque Diffinitorum P. Præsidenti Capituli nominet, quem idoneum judicaverit, qui Præsidens omnes nominatos redigat in scriptis. Postea votis exponantur, & electus remaneat, qui habuerit plures voces; at si plures invenirentur pares in vocibus, iterum suffragiis subdantur, donec unus remaneat; quo electo Præsidens Capituli, propria manu in regestro Actorum ipsius Capituli scribat hac forma videlicet: Item de Scriba, Cancellario, & Coadjutore Cancellarii.

Anno Domini 16... &c. Indictione .... Die... Mensis... S. D. N. PP. N. Pontificatus Anno... Celebratum fuit Capitulum Generale Monachorum Congregationis Casinen. in Monasterio S. N. de N. Diœcesis N., in quo fuit electus in Scribam Capituli D. N. de &c. ab infrascriptis Diffinitoribus ejusdem Capituli, ad cujus rei fidem Ego D. N. Diffinitor, & Præsidens præfati Capituli, hæc manu propria scripsi.

2. Consequenter duo ex antiquioribus Diffinitoribus se subscribant. Postea ipse Scriba, qui eo ipso, auctoritate Apostolica, ut patet per Indultum Pii Secundi Summi Pontificis concessum anno 1461. quoad acta Capituli Notarius publicus censetur; in Regestro scribat nomina Præsidentis, & aliorum Diffinitorum anni illius, & subsequenter omnes alios Officiales, & quælibet acta Capituli annotatione digna.

3. Ad officium etiam Scribæ pertinet literas omnes Capitulo præsentatas coram aliis Diffinitoribus legere, & ea, quæ alicujus ponderis digna conspexerit, in uno folio in modum memorialis notare per Diffinitores postea examinanda Ad ejus etiam officium pertinet publicare Vica-

rium Monasterii, Auditores Causarum, Cancellarium, Depositarium, Ostiarios, & alios Officiales a PP. Diffinitoribus constitutos, schedulamque dd. Officialium Vicario relinquere.

4. Sit etiam solicitus Scriba, terminato per Diffinitores anno præterito, quæ revocata non fuerint, in Regestro describere, & quæ de novo statuentur, diligenter adnotare. Scribi etiam faciat literas gratiosas pro benefactoribus Congregationis, cum appositione sigilli pendentis, quas ipse subscribat. Licentias vero vendendi, seu quovis titulo alienandi per Diffinitores concessas ad effectum obtinendi assensum a Sede Apostolica, de more extendat, subscribat, eodemque Congregationis sigillo communiat. Et ut supradicta commodius valeat expedire, volumus, ut finito Capitulo tribus diebus, & ultra, si opus fuerit, remaneat in Monasterio, ubi Capitulum fuerit celebratum.

5. Verum, quoniam propter ampliationem Congregationis, multæ occupationes, & causæ in dies emergunt, itaut cum difficultate Scriba Capituli omnibus satisfacere possit: idcirco per PP. Diffinitores, vel Regimen eligatur unus Prior Claustralis idoneus, fidus, integerrimus, & peritus, qui Cancellarius Patrum, vel Regiminis vocetur, quique registrandi literas, instrumenta, Decreta, & alias Scripturas ad Regimen attinentes, necnon literas scribendi, & respondendi, quibus opus fuerit, pro dispositione P. Præsidentis, & Diffinitorum ut supra statutum est in præcedenti Capitulo numero primo, & secundo, curam habeat, qui etiam cum cæteris Officialibus publicetur.

6. Præfatus autem Cancellarius apud Præsidentem Regiminis semper maneat, ut in rebus ad Congregationem pertinentibus, illum opera sua juvet. In eo autem officio, si recte se gesserit, usque ad sexennium. arbitrio Regiminis perseveret, ut non solum Præsidi, sed etiam Diffinitoribus, rerum Congregationis, Actorum Capituli, Visitationum, & Constitutionum, & aliarum Scripturarum ad Regimen pertinentium, requisitus, notitiam suggerere valeat. Eaque omnia ita callere debebit, & præ manibus habere, ut quotiescumque opus fuerit e vestigio proferre possit. Ei autem Coadjutor a Diffinitoribus tempore Capituli deputetur, ne multitudine negotiorum obruatur.

7. Præsidens autem in omnibus negotiis ad officium suum, & Congregationis regimen pertinentibus, Cancellario tantum utatur ne res tanti ponderis fidei cujuscumque committat.

8. In negotiis vero Capitularibus expediendis, ut brevitati simul atque ordini consulatur, curabit Cancellarius omnia petitionum Abbatum folia in libro ad hoc præparato agglutinari per ordinem juxta examen Monasteriorum, itaut unicuique folio petitionum vacua libri pagina e conspectu correspondeat, in quo Diffinitores adnotare possint quid super singulis deliberaverint, ut deinde valeant juxta ipsorum sententiam Decreta efformare. Ejusmodi autem liber cum prædictis foliis petitionum propria manu Abbatum subscriptis in acta Capituli referatur, conservandus, ut expresse appareat, de quibus fuerint Diffinitores requisiti, & an opportuna remedia curaverint adhibere.

De Vicario Monasterii, in quo celebratur Capitulum.

CAP. XIV.

Ne pluribus Monachorum, sive Monasterii, in quo celebratur Capitulum, curis distrahi, seu inquietari Diffinitores contingat, ordinamus, quod ipsi Diffinitores per consueta Suffragia, Vicarium Monasterii, si fieri potest, eligant eum, qui ante fuerat Prælatus ejusdem Monasterii, qui rerum, & personarum melius conditionem noverit, seu aliquem alium Abbatem de Capitulo, prout ipsis Diffinitoribus videbitur, qui curam habeat regiminis Monasterii, ac Monachorum, tam ibidem de Conventu existentium, quam aliorum ad Capitulum venientium. Qui Vicarius teneat primum locum post Conservatores, quibus absentibus, omnia signa faciat, & particulares licentias præstet, excepto, quod licentiam eundi extra Monasterium causa recreationis, dare non possit, quæ soli Præsidenti reservatur.

De Auditoribus Causarum pro rebus temporalibus.

CAP. XV.

Item de eorum scriba, & hujus Coadjutoribus, necnon de appellatione ad Diffinitores.

1. Si aliquod Monasteriorum liquido debito teneatur, vel Congregationi, vel particulari Monasterio, in quacumque, sive pecuniarum, sive rerum quantitate, eique a Capitulo, vel a Visitatoribus præfixum fuerit certum solvendi tempus, & Prælatus illius Cœnobii, elapso termino, requisitus de solutione non satisfecerit intra quindecim dies, saltem per depositum reale rerum, vel pecuniarum, ad arbitrium Creditoris, privetur in Capitulo sequenti voce activa, & passiva; Si vero debitum illud fuerit ratione taxarum, solvat cum illo totum interesse, & pœniteat, prout supradictum est; si tamen in culpa ipse fuerit.

2. Si autem Cellerarius a Prælato monitus supradicta adimplere neglexerit, ab officio amoveatur &c.

SECUNDA PARS

CONSTITUTIONUM

CONGREGATIONIS CASINENSIS.

De potestate Præsidentis, & Visitatorum.

CAPUT I.

Item de muneribus ab ipsis non accipiendis.

1. Præsidenti Regiminis tanquam principali Visitatori, & Patri Congregationis deferatur ab omnibus omnis reverentia, & loci præeminentia. Ipse solus in quocumque fuerit Monasterio omnia signa, tam particularia, quam generalia faciat.

2. Teneat penes se sigillum magnum Congregationis, quo utantur Patres, cum aliquid præcipuum nomine Capituli, vel Regiminis fieri contingет. Teneat etiam Regestrum Capituli, aliæ vero Scripturæ Congregationis serventur in Archivio, & Claves Archivii semper sint apud Præsidem, vel Abbatem illius Monasterii, nec possint inde extrahi Scripturæ ullæ, nisi de ejus licentia, aut commissione, relicto etiam ibi ab extrahentibus Chirographo extractorum.

3. Ad ipsum deferantur singula Congregationis, quæ intra triennium occurrerint. Ad eumdem principaliter pertinet exequi ordinata per Capitulum. Quæ duo præmissa, aut solus, aut cum aliis Visitatoribus, secundum rerum qualitatem, & ejus limitatam potestatem faciat.

4. Possit etiam in iis, quæ intra triennium occurrerint pro evitandis scandalis, & pro pace servanda, expedire videbitur, cum uno saltem ex Visitatoribus providere. Cujus provisioni, & deliberationi, omnes, etiamsi Visitator fuerit, obedire teneantur.

5. Caveat etiam ne affectione, aut passione aliqua moveatur; Sed omnia secundum Dei timorem disponere satagat. Quod si aliter (quod absit) fecerit, sciat se per Diffinitores sequentis Capituli puniendum.

6. Titulum vero Præsidentis Generalis, nec ipse sibi arroget, nec ab aliis illi deferatur, sed simpliciter juxta primævum Congregationis ritum, vocetur Præsidens Casinensis.

7. Statuimus etiam quod P. Præsidens non possit accedere ad Curiam Romanam, nisi prius habito consensu utriusque Visitatoris illius Provinciæ, in qua fuerit deputatus.

8. Item, quod nullus Visitatorum ad eamdem Curiam accedere possit, nisi de licentia P. Præsidentis, ac Convisitatoris sui: cæteris vero Prælatis, ac Religiosis nostris prohibemus omnino, ne Romam proficiscantur, nisi accedente consensu P. Præsidentis, & utriusque Visitatoris suæ Provinciæ, vel si periculum esset in mora cum licentia Patris Præsidentis, aut unius saltem dictorum Visitatorum; Necnon Abbatis Sancti Pauli, & Procuratoris in Curia Romana.

9. Liceat præterea eidem P. Præsidenti cum aliquo ex Visitatoribus illius Provinciæ, ubi visitandum fuerit, omnia Congregationis Monasteria, quotiescumque opus fuerit visitare, excepto Monasterio, cui triennio præterito præfuit, & cui aliquis in secundo gradu illi conjunctus præest: Quod idem de Visitatoribus intelligimus.

10. Caveat tamen, ne auctoritate officii sui (quemadmodum, & quilibet Visitator) Religiosum aliquem de quolibet Monasterio Congregationis nostræ removeat, & eum in Monasterio sibi commisso deputet. Sed si aliqua Monachorum indigebit provisione, duo alii Visitatores, aut Præsidens cum uno Visitatore hujusmodi faciant provisionem.

11. Possit autem Præsidens Prælatorum consensu Monachis aliqua justa causa mutationem petentibus licentiam impertiri, quam tamen illis non concedat, quos Capitulum, vel Regimen in Dietis, aut Visitatores in actu Visitationis (cum ab ipsis mutari petiissent) rejecerunt, aut alio quam optassent, mutaverunt, nisi forte urgentissima, & necessaria causa noviter emerserit. Hortamur tamen, ut consensus hujusmodi non tam facile concedat, sed Visitatoribus quantum fieri potest, hanc curam relinquat.

12. Cæterum Præsidens cum duobus Visitatoribus, quoties necessitas postulaverit, ut propter animæ, aut corporis salutem mutatio, fiat alicujus Religiosi intra annum de Monasterio ad Monasterium, disponere super hoc possit, usque ad tempus Capituli, aut Dietæ.

13. Item Præsidens, & Visitatores, vel quilibet eorum in actu Visitationis existens, causas, & lites inter Monasteria, ac personas Congregationis audire, & summarie, facti sola veritate inspecta, terminare; nisi rei gravitas mereatur ad Capitulum, vel Regimen rem deferri. Quod vero Justitia mediante (ut præfertur) judicaverit, vel terminaverit, faciat observari.

14. Item Præsidens omni tempore absolvere potest Religiosos nostros, a casibus in Religione reservatis. Quod idem statuimus de Visitatoribus in actu Visitationis tantum, etiamsi fuerint Visitatores solum actu, non officio.

15. Possit etiam Præsidens in actu Visitationis, ubi ordo Justitiæ exigeret, Monachum aliquem in quocumque Monasterio Congregationis delinquentem corrigere, & in Domum Custodiæ detrudere, etiam (si opus fuerit) invito Prælato, & idem possint Visitatores in actu Visitationis.

16. Demum Præsidens cum omnibus Visitatoribus, quos appellatione Regiminis intelligi volumus, omnem repræsentent Congregationem, & ea exequi possint, quæ infra Cap. 3. determinantur.

17. Habeantque Præsidens, & singuli Visitatores Sigilla singula æqualis omnino formæ, & quantitatis, ejusdemque characteris scilicet *Pax*, quibus utantur in literis particularibus ad officium suum spectantibus. Nec alteri cuivis liceat sigillo simili uti.

18. Literas vero eodem Sigillo signatas, nemini de Congregatione nostra, etiamsi Præsidens, aut Convisitator, vel Prælatus esset aperire concedimus, nisi solis iis, ad quos diriguntur, vel de eorum licentia: præterquam in casu urgentissimæ necessitatis, ut in Declaratorio Cap. 54. n. 4. 5. 6.

19. Ad ipsos etiam Præsidem, & Visitatores pertinet, cum opus fuerit, vel propter scandalum evitandum ordinata per Capitulum de omnium consensu suspendere usque ad tempus Generalis Capituli: Non tamen ex toto revocare. Possint etiam, ubi necessitas urgeret aliquod universale in Congregatione constituere usque ad tempus Capituli dumtaxat servandum.

20. Ordinata etiam per prædictos pro bono Congregationis volumus observari, etiam post eorum officia, nisi revocentur a Successoribus & fuerint approbata, prout supra dispositum est in prima parte Cap. 29. n. 6.

21. Et quia sæpe munera excæcant oculos Sapientum, & subvertunt corda Justorum; Statuimus, juxta Sacrorum Canonum sanctiones, quod nec Præsidens, nec Diffinitores, nec Visitatores, etiam Monialium durante eorum of-

ficio,

ficio, accipere ullo modo possint quæcumque munera a Monachis nostris, vel Monialibus, vel ab aliis quibuscumque personis de Congregatione. Quod si contra fecerint, priventur ipsis rebus, & insuper graviter puniantur, secundum qualitatem delicti, & Personæ.

Quomodo, & qualiter fieri debeant Visitationes.

CAPUT II.

Ubi de Visitatorum officio, & potestate.

1. Ad evitanda Visitatorum incommoda, & Cœnobiorum dispendia decernimus, Visitationes Monasteriorum nostrorum tertio quoque anno peragendas, deputantes tempus prædictarum Visitationum in accessu ad Dietam, & recessu ab ea juxta Constitutionem SSmi D. N. Innocentii PP. XI. sub die 9. Septembris 1680., intra quod Visitatores, nisi ex aliqua infirmitate, vel alio legitimo fuerint impedimento detenti, teneantur suum officium explevisse. Quod si facere neglexerint, in sequenti Capitulo Generali, activa, & passiva voce priventur. Si vero ambos Visitatores tempore præfato, & causa legitima, ut supra impeditos esse contigerit, visitent quamprimum, cessante præfato impedimento. Si autem alter eorum fuerit pariter legitime impeditus, de consensu utriusque eligatur alius Prælatus de Regimine, vel Prior Claustralis, aut saltem Decanus Regiminis, qui actu tantum sit Visitator, & non officio, itaut intra præfatum tempus Visitatio omnino compleatur.

2. Hoc plane volentes, quod Visitator Officio semper præcedere debeat Visitatorem actu, & non officio, licet sit in Congregatione inferior.

3. Caveant ne in eorum audientiæ locis ponantur ulla ornamenta, & post primum diem comedant in Refectorio communem Conventus victum sequentes.

4. Quamprimum igitur Visitatores ad Monasterium, quod visitare intendunt, pervenerint: congruo tempore congregatis Prælatis, & Monachis ipsius Monasterii, aliquam, non in humanæ sapientiæ verbis, sed brevem, & puram in hunc modum faciant exhortationem.

5. Fratres charissimi, cum ex injuncto nobis a Capitulo Generali Visitationis munere, huc accesserimus, ut si quid in hoc Monasterio, tam in capite, quam in membris, vel contra Regularis disciplinæ normam, vel contra rectam temporalium administrationem forsan irrepserit, in spiritualibus, & temporalibus ad bonum Regimen reducatur: idcirco si aliquid correctione dignum ad nostram notitiam pervenerit, omni vigilantia, & studio, prout Nobis desuper datum fuerit, providere curabimus, apud vos per illud temporis spatium, quod suadebit necessitas, commorantes; Si vero nullus vestrum nostra indigebit opera, gratias Deo agite, charitatem continuam in hoc vinculo Pacis invicem servantes; obedientiam, & reverentiam ob Dei amorem Patribus impendentes, disciplinam Monasticam, & Regularem observantiam accensis desideriis confoventes, & si ad alia hujusmodi voluerit breviter exhortari:

6. Consequenter moneant Prælatum, & Monachos; quod si quis pro bono Monasterii sui judicaverit, aliquid insinuandum, libere illud exponat; Quoniam intentio Patrum nostrorum est, quod in Visitationibus vitia tam in Capite, quam in Membris, radicitus amputentur, cum ea tamen, qua decet humanitate, & charitate.

7. Caveat tamen quilibet, ne alicui potissime Prælato, quavis passione seductus, aliquid falsum imponat, seu aliter, quam dictum, factumque fuerit referat: aut suspicionibus, vel leviter dictis, seu factis, aliquem inculpet. Quod si fieri (quod absit) contigerit, diligenter cognita causa, hujusmodi Reus sciat se publice coram Monachis culpam dicturum, ac pœna talionis, aut aliter, prout videbitur, puniendum.

8. Postea vero Visitatores faciant absolutionem mortuorum; Mox visitent Sanctissimum Eucharistiæ Sacrarium, & Reliquias, si quæ sunt ac deinde tempore congruo sint seorsum cum solo Prælato Monasterii, illumque examinent de Seniorum suorum, & cæterorum Monachorum conditionibus, & præsertim si adhibita fuit diligentia necessaria in librorum inquisitione. Si Prior Claustralis, & Decani circa sua Officia videlicet in Divinis Officiis, in custodia Regularis observantiæ, in audiendis Religiosorum confessionibus, in communibus exercitiis, in quotidianis Monasterii Officinarum Visitationibus sint soliciti: Si sibi invicem reverentiam, ac Superioribus obedientiam præstent; Si cæremonias observari curent: Si Monachorum, & Commissorum admonitiones, ac correctiones in Capitulo culparum frequentent: Si in prædictis administrationibus, & correctionibus sint nimis rigidi, aut remissi; Si Magister Novitiorum diligenter Novitios suos instruat in oratione mentali, in spiritualibus exercitiis, in cæremoniis Congregationis, in compositione, tam interioris hominis, quam exterioris: nec non si eos in vilibus servitiis exerceat, & in aliis hujusmodi, quæ in Regula, & Constitutionibus nostris continentur.

9. Inquirant præterea de idoneitate, & conditionibus Novitiorum, ac etiam si in eorum receptione observentur præcepta Regulæ, & Constitutionum nostrarum, & si recipiantur ad professionem secundum privilegia nostra: ulterius quod recipiantur de consensu duarum ex tribus partibus Conventus, & quod profiteantur in manibus, vel in præsentia Prælati; sub Congregatione juxta formam Nobis usitatam.

10. Interrogent etiam ipsum Prælatum, si in administratione temporalium, Cellerarius suum sequatur consilium, & voluntatem: Si nostris potissime infirmis necessaria ministret: Si tam in verbis, quam in factis, & cæteris moribus eos ædificet, & cum sæcularibus sit exemplaris: Si temporalia Monasterii diligenter administret, an procuret, ut possessiones a Colonis sint suis temporibus cultæ, arboribusque consitæ, ac cæteris ad culturam necessariis convenienter instructæ: Si libros computorum, ac rationum Monasterii sui teneat ordinatos: Si Instrumenta, & alia Monasterii Jura diligenter conservari procuret: Si Inventarium omnium rerum mobilium Monasterii, & immobilium habeat: Si aliis Officialibus a Cellerario dependentibus intus, & extra Monasterium, ea, quæ ad eorum Officium spectant, per Inventarium accurate consignet, & ab ipsis expleta administratione integram, & fidelem exigat rationem. An ipse Prælatus viderit præscriptis temporibus, una cum Senioribus, computa Monasterii sui, prout decernitur in Declaratorio Regulæ Cap. 31. Et si Monasterium est debitis aggravatum, in qua summa, & quem habeat satisfaciendi modum. Propter quod volumus, ut Visitatores ante recessum, diligenter videant computa Debitorum, & Creditorum Monasterii, necnon redditruum, & expensas. Quod si viderint Monasterium notabiliter aggravatum juxta eorum providentiam, opportuna remedia adhibeant.

11. Inquirant etiam, si qui sint Monachi, sibi, aut aliis Superioribus rebelles, aut inobedientes: Si vitiosi: Si scandalosi: Si proprietarii: Si mercaturæ, & illicitis negotiationibus dediti: Et si quem per acta Visitationum, in quibus proceditur per viam Inquisitionis generalis de prædictis notorie suspectum, & diffamatum invenerint, tunc Visitatores, habita tali notitia, si

alio

alio opportuniori modo non possunt, debent specialem contra ipsum instituendo inquisitionem, prævio Juramento Testes examinare, & processum, non per apices Juris, sed simpliciter, summarie, de plano, sola facti veritate inspecta, formare, servatis de cætero iis, quæ sunt essentialia Judicii, ut sunt audire defensiones Rei, & citatio ad sententiam. Quod idem in omnibus Causis criminalibus in Congregatione nostra servandum erit, sive per viam inquisitionis specialis, sive denunciationis, aut accusationis procedatur.

12. Præterea inquirant si ea, quæ per Visitatores, aut præcedentia Capitula fuerunt ordinata (quantum scilicet ad eos pertinet) accurate observentur: Si Regularis observantia in suo vigore conservetur: Si Divina Officia ordinate, & morose dicantur: Si jejunia Regularia observentur, & silentia temporibus debitis juxta Regulam, & Constitutiones teneantur: Si invicem reverentiam Monachi sibi exhibeant, & honorem: Si sint compositi, tam in Choro, quam alibi per Monasterium, & potissime coram Hospitibus, & sæcularibus; & si cum eis se immisceant, non vocati: Si hospites cum humanitate, & charitate recipiantur; Si eleemosynæ ordinariæ, juxta facultatem Monasterii, integre, & fideliter erogentur: Si privilegia nostræ Congregationis, quæ in illo sunt Monasterio, ac etiam ipsius particularia caute, & diligenter custodiantur: & ea omnino videant, & de aliis hujusmodi, quæ per Regulam, & Constitutiones, & antiquas Congregationis consuetudines, aut alias, prout eis videbitur, concernerit. Ac denique inquirant cum Juramento de probitate, & sufficientia eorum, qui tam ad Sacros Ordines, quam ad Decanatum, Prioratum, & Abbatiam respective promovendi erunt: Et si cætera requisita habeant juxta formam superius traditam in Cap. 22. primæ partis Constitutionum, & in Declaratorio Cap. 21. num. 3.

13. Consequenter Visitatores, absoluta Prælati examinatione, in ejus absentia inquirant segregatim ab unoquoque supradictorum Seniorum de ipsis invicem, ac de supradictis omnibus, prout viderint cuilibet competere; necnon tam probitatem, & sufficientiam eorum, qui promovendi essent, quam solicitudinem, vel negligentiam promotorum diligenter examinent: Singulorum merita, vel demerita in futuro Capitulo Diffinitoribus narraturi, juxta formam superius descriptam in præfato Cap. 22. primæ partis Constitutionum, ac etiam de qualitate Prælati: Si solicitus sit circa observantiam Regularem, tam in se, quam in Monachis: Si corrigat Religiosorum excessus: Si frequentet Divina Officia, & Capitulum culparum: Si sæpius exeat de Monasterio, aut si est facilis ad dandam licentiam aliis, ut ex levi causa exeant: Si in sua conversatione tam cum Monachis, quam cum Sæcularibus sit exemplaris: Si in eo, aut in aliquo Monacho fuerit aliquis notabilis excessus, tam in vestimentis, quam in aliis quibuscumque: Si confert de agendis Monasterii cum Senioribus: Si sæpius, aut semel in prædictis defecerit: Si demum ipse, aut Cellerarius, vel cæteri Officiales intus, vel extra Monasterium absque Capituli Generalis, sive Regiminis licentia, vel cum Monasterium est ære alieno gravatum, fabricare præsumpserint: Si Regulam, & Constitutiones, ac Decreta omnia, quæ per Regimen aut præcedentia Capitula, promulgata fuerint, ad unguem observet, & observari faciat.

14. Supradicti autem Visitatores interrogent etiam Sacerdotes seniores, zelantes de prædictis; cæteros autem Monachos Juniores non curent interrogare, nisi pro indaganda alicujus rei veritate duxerint necessarium; Si autem ultro aliquid dixerint, benigne eos audiant, ac exhortentur ad obedientiam, & reverentiam erga Prælatum suum, ad fraternam charitatem, & Regularem observantiam.

15. Postea vero iidem Visitatores promovendos ad Decanatum, coram se advocari faciant; & super scientia, quam profitentur, & præsertim super pœnitentiæ Sacramentum, quod ex Officio, ut in Regula dictum est, administrare tenentur, diligenter examinent, ac separatim unicuique ipsorum, nonnullos conscientiæ casus (quibus saltem egregie instructi esse debent, prout statuitur in Brevi Clementis VIII.) in uno folio descriptos exhibeant. Qui in calce ejusdem folii, statim coram iisdem Visitatoribus, non discedendo ab eorum audientiæ loco, & prospectu (ut ex hoc eorum habilitas cognoscatur) in scriptis respondere teneantur. Caveant tamen ipsi Visitatores, ne prædictis examinandis hujusmodi casus quovis modo ante examinationem per se, vel per alios notificent: Illud serio perpendentes, quod de hujusmodi promovendorum doctrinæ sufficientia coram Diffinitoribus in Capitulo Generali attestari cum Juramento debent, prout decernitur in Declaratorio Regulæ Cap. 21. num. 3.

16. Videant insuper Visitatores Schedulam, quam a Scriba habuerunt in Capitulo præterito in examinatione ipsius Monasterii, & diligenter examinent, quæ in ea continentur, si vera fuerint, vel falsa Capitulo Generali relata.

17. Videant præterea Schedulam quam habuit Prælatus a præfato Scriba tempore Capituli, & si quæ in ea continentur executioni mandaverit. Tandem habita de omnibus prædictis prudenti, & diligenti informatione tractent apud semetipsos cum Dei timore, quæ sint monitione, quæ reprehensione, & quæ correctione digna, tam in Prælato, quam in Senioribus, cæterisque Monachis. Advertant autem, ne facile credant omni Spiritui: Sed probent Spiritus, si ex Deo sunt. Nec aliquem ex sola suspicione condemnent, sed de relatis ad eos (si de visu, vel auditu, ab homine gravi, cæterisque circumstantiis consideratis) omnino cum prudentia, & matura deliberatione dijudicent. Et si quos culpabiles, sive Reos deprehendent, simul, aut separatim moneant, increpent, & corripient, juxta excessuum qualitatem, & secundum Constitutiones nostras ordinent in præmissis, quæ fuerint opportuna, itaut suo consilio, & directione, cuncta secundum Deum bene disponant.

18. Possint autem prædicti Visitatores Prælatum, si quem in notabilem excessum, causa cognita, comprehendant incurrisse, itaut non absque manifesto scandalo usque ad Capituli Generalis tempus tolerari possit: dummodo transmissa ab ipsis notitia super qualitate excessus Patri Præsidi, duobus Visitatoribus propinquiorum Provinciarum, & duobus Prælatis item vicinioribus Monasterio, de cujus Prælato agitur, ex eorum literis, sententiæ, ita conformes perspiciantur, ut ex septem Patribus quinque consentiant, suspendere usque ad proxime futurum congressum, nisi opportunius remedium aliud eorum prudentia suggerat.

19. Possint insuper omnes, & singulos Seniores, & Officiales Monasterii ab eorum curis, & officiis suspendere, & si necessarium duxerint, ab eorum Monasteriis removere. Caveant tamen ipsi Visitatores, ut neque inordinata affectione Prælatorum, & aliorum Monachorum vitia, vel excessus dissimulent, neque, inordinata aversione plusquam, & ubi opus non fuerit, aliquem inculpent, seu reprehendant. Nam sicut ordinate, & cum prudentia factæ Visitationes sunt causa observantiæ Regularis, conservandæque Religionis munimenta; ita e contrario imprudenter, & ordinate, sive cum passione

factæ,

factæ, ruinæ occasionem præbent. Idcirco si qui Visitarores in aliquo excesserint, sciant se in Generali Capitulo puniendos.

20. Plane ea quæ Visitatores repererint in suis visitationibus, alicujus ponderis, seu notatu digna, aut quæ ipsi expedire nequiverint, redigant in folio Diffinitoribus tempore Capituli Generalis referenda, ut ea possint, prout Justitia dictabit, terminare.

21. Statuentes, quod si quis Visitatorum aliquo interveniente impedimento ad Capitulum Generale minime venire poterit, per literas significare teneatur ea, quæ gravia, & digna relatione videbuntur: quæque ipse judicaverit expedire, prout dictum est prima part. Constitut. Cap. 2. num. 3.

22. Ergo Visitatores auctoritate, qua maxima pollent in Canonum, & privilegiorum nostrorum, nostræque Congregationis, viriliter constantique animo exequantur Officium suum, corrigenda corrigant, mutandos mutent, suspendendos suspendant, & quæ leviora sunt per verbum monemus, seu hortamur: quæ vero graviora, vel quæ expedit in posterum observari, per verbum imponimus, seu mandamus, & ordinamus; annotata singula digerant in libello, quem secum deferant ad Capitulum a Cancellario inter alia acta Patrum Capituli, vel Regiminis referenda, ut Præsidens, & Diffinitores, per singula Monasteria examinare, & inquirere possint, utrum per eos ordinata Prælati, Cellerarii, & cæteri servaverint. Quod si reperti fuerint præfatis Visitatoribus inobedientes, seu eorum, quæ ab illis ordinata fuerint, transgressores, noverint se pro qualitate excessus, & inobedientiæ puniendos. Ipsi vero Patres Visitatores Dei semper timorem, & communem profectum præ oculis habentes, ita circumspecte, graviter, & religiose se gerant, ut non solum verbis, sed etiam factis ædificent Visitatos; Ideoque Visitatores eligantur Patres gravitate, doctrina, prudentiaque conspicui, ut reverentiam, & obedientiam, quæ debetur officio, merito quoque personarum sibi concilient. Ipsi vero meminerint rationem officii sui Diffinitoribus exactissime se reddituros. In quorum Diffinitorum manibus Visitatores jurent de secretis tenendis iis omnibus, quæ in Visitationibus accipient, præjudicium alicujus personæ continentia. Quod si contigerit ambos Visitatores in Capitulo ad præstandum dictum Juramentum non reperiri, ille, qui abest, priusquam Visitationes incipiantur, juret in manibus sui Convisitatoris. Et idem intelligendum erit, si absente socio, unus Visitator Convisitatorem sibi elegerit.

23. Si quis vero ex ipsis aliquid eorum, quæ in visitatione acceperit, quæ sint alicujus momenti, vel inde scandalum oriatur, aut Testem qui aliquid deposuerit, contra ejus voluntatem revelaverit: ad idem Officium per sequens sexennium continuum assumi non valeat; & insuper a Diffinitoribus pro qualitate excessus, severe puniatur: Prælati vero, & alii Superiores nullo pacto sint curiosi ad quærendum quis contra eos aliquid dixerit, vel deposuerit, graviter ipsi, si contra fecerint, puniendi.

24. Ultimo convocent in Capitulo Prælatum cum cæteris Monachis, quos breviter exhortentur ad mutuam charitatem, & pacem, necnon obedientiam, & reverentiam Prælato &c. ut supra. Et si quid voluerint monere, vel corrigere, id faciant cum omni humilitate, & charitate, & vale facientes pro se orari petant, & data pace, discedant.

25. Licentiæ vero datæ a prædictis nullius sint valoris, & momenti, nec eis ulla fides adhibeatur, nisi sint in scriptis cum affixione Sigilli *Pax*, ut in declaratione Capituli de Ordine Congregationis plenius continetur. Prædicta autem Decreta, & scripturas omnes ad visitationes pertinentes a se subscriptas, consignent Visitatores Cancellario, qui omnia registret, ut supra prima parte Const. Cap. 13. num. 6. statutum est. Sed ut secretum fideliter omnino servetur circa ea, quæ in examine visitationum deponuntur, volumus, quod illarum acta Visitatores apud se durante eorum Officio, caute custodiant, quo peracto in Archivio Monasterii, in quo celebrabitur immediate subsequens Capitulum, reponantur, ea collocando in Arca, cujus clavis semper apud Præsidem pro tempore stet, ut, in declarat. Cap. 32. num. 8. Decreta vero omnia pro singulis Monasteriis in visitatione sancita, & promulgata, describant in folio ab ipsis signato, & Successoribus Visitatoribus tradendo, ut hi possint inquirere, an executioni demandata fuerint.

De amotione, & electione Præsidentis, Visitatorum, & aliorum Prælatorum extra tempus Capituli Generalis, & de Dieta, sive Congregatione intra triennium convocanda.

CAPUT III.

1. Si Præsidens, aut aliquis Visitator (quod Deus avertat) manifestus, & voluntarius prævaricator, criminosus, ac contemptor Sanctæ Regulæ, aut Constitutionum nostræ Congregationis, aut adeo negligens, & remissus repertus fuerit, ut ipsius prævaricatione, vel negligentia, Religionis, & bonorum operum, aut observantiæ Regularis dissolutio, seu scandalum inducatur: moneatur usque quater a Visitatoribus, ut se corrigat, etsi se non emendaverit, moneatur, ut cedat officio. Si vero cedere recusaverit, clarescentibus culpis, assumant secum præfati Visitatores quinque Patres viciniores Præsidenti, si ipse, de quo agitur fuerit Præsidens, vel duos tantum, si fuerit Visitator, quorum Judicio, si duæ ex tribus consenserint, & periculum esset expectare usque ad Capitulum, causa cognita, ab Officio absolvatur. Item Priorum.

2. Quia vero vacante hujusmodi Præsidentatus Officio, ex Constitutionibus Apostolicis, sine auctoritate Præsidentis, nulla provisio fieri potest. Ordinamus, quod quandocumque, & quomodocumque Officium Præsidentis vacare contigerit, antiquior Visitator, sive ille sit ex Provinciis citra, vel ultra, ipso facto remaneat, & sit Præsidens: omniaque peragere possit, & omnem habeat auctoritatem, ac si in Capitulo Generali Præsidens electus fuisset; cæteris in anterioribus Constitutionibus contentis in suo robore permanentibus. Ob nimiam vero locorum distantiam, ne propter hoc Congregationi dispendium aliquod generetur, eo casu, quo Præsidentia Visitatori Siculo, utpote antiquiori contingat, volumus, quod expensis Provinciæ Siculæ in aliquo Monasterio Provinciarum illarum Italiæ, in quibus antecessor residere tenebatur, permanere debet. Et similiter propter easdemmet causas ad Dietam, quæ intra triennium celebranda est, ut infra num. 5. decernimus, quod unus tantum ex Siciliæ Visitatoribus, prout per Diffinitores in Capitulo determinatum fuerit, venire possit.

3. Visitator autem si ob aliquam ex prædictis causis amotus fuerit, consentientibus Præsidente, & cæteris Visitatoribus, vel majori parte ipsorum, ac duobus Prælatis, adhoc ut supra in num. 1. vocatis, alius in eadem Provincia eligatur.

4. Decedente vero aliquo Prælato, administratio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, sit ipso facto, & esse intelligatur apud Priorem Claustralem; cui tamen mandamus, ut omnem adhibeat solicitudinem, (gravius si negligens fuerit puniendus) quo hujusmodi va-

catio celerius nota fiat Præsidenti; aut (si is cujus Monasterium vacare contigerit; Præsidens fuerit) antiquiori Visitatori; ut supra. Qui si forsan, ob rationabiles causas expediens illi videbitur, poterit Monasterio sic vacanti, de consensu tamen Visitatorum ejusdem Monasterii deputare aliquem Prælatum in Administratorem usque ad proximam Congregationem, quæ habebitur, vel per Capitulum, vel per Dietam. Hoc statuentes, quod si talis administrationis tempus ultra sex menses protrahatur, debeat reputari, ac si esset integer annus connumerandus cum præscriptis, tum Regimini Prælatorum unius Monasterii, tum vacationi ab eodem Monasterio, prima parte Constitut. Cap. 21. num. 1.

5. Porro, ut opportune Monasteriis omnibus provideri, & negotiis occurrentibus satisfieri, decernimus, quod elapso a Comitiis Generalibus sesqui anno videlicet ante diem festum Circumcisionis Domini in aliquo Monasterio commodo, Præsidens pro celebranda Dieta, Regimen congregare debeat. Inhibentes ne, vel alio tempore, vel similem aliam Regiminis unionem convocare possit, nisi id maxime necessarium esse, idemmet Præsidens, & quatuor saltem Visitatores judicaverint.

6. Advertant tamen, quod Prælati, qui conveniunt in Dietam, sint diversorum Monasteriorum Professi, itaut duo ejusdem Monasterii professi dictæ Congregationi interesse non possint, & non sint nisi septem, computatis omnibus, ut totum Regimen repræsentent: nempe Præsidens, Visitator ille Siciliæ, quem venire posse Diffinitores decreverint, alii quatuor Diffinitores, Prælatus Loci, nisi, ut comprofessus alicujus ex supradictis, excludi debeat, quo casu, ac etiam aliis Visitatoribus non accedentibus, per alios Prælatos viciniorum Monasteriorum numerus absentium suppleatur; ibique in omnibus expediendis, & quæ tractari contigerit, nisi ex septem quinque consentiant, nihil conclusum censeatur; excepto si (quod Deus avertat), Præsidentem, aut Visitatorem intra triennium amoveri necesse fuerit, in quo casu ordinatio, quæ supra numero primo posita est, servabitur. Ut autem electio sit libera, & legitima, possint Patres convocati pro Monasteriorum vacantium utiliori regimine in Prælatos, quos sibi placuerit, sicut & in Priores vacante tali gradu, dummodo sint habiles, nominare. Quibus in schedulam redactis, votis committantur omnes secundum professionis ordinem, & qui plures voces habuerit, dummodo quinque ex septem Congregatorum Patrum in eum convenerint, cæteris præferatur. In vocum autem paritate, professione Superior præponatur; & non solum in prædictis, sed etiam in quibuscumque aliis, de quibus per P. Præsidentem in Congregatione aliqua tractari contigerit, teneatur ipse Præsidens quæcumque proponere, super quibus ab aliquo congregatorum Patrum fuerit requisitus.

7. Si vero contingat, ut in hujusmodi provisionibus aliquis Prælatus, ejus exigentibus culpis, deponi, suspendi, vel contra ejus voluntatem mutari debeat, id nisi causa cognita, servatoque Juris ordine in Dieta fieri inhibemus. Quod idem volumus observari, ubi procedendum sit ad depositionem Priorum, illorum tamen mutationes, prout occasio exiget, prudenti arbitrio Patrum Regiminis relinquimus. Ne autem in hujusmodi Judicio ferendo, ex inordinata animi propensione erga proprium commodum a recto Justitiæ tramite devietur, districte præcipimus, ut nullus ex Patribus in Dieta congregatis ad regimen illius Monasterii, quod tunc pro Causis prædictis vacare contigerit, neque in Administratorem deputari possit. Si vero vacare contigerit per mortem, vel propter expletum sexennium, aut per voluntariam alicujus Prælati petitionem, ut a Regimine absolvatur, vel ad aliud Monasterium mutetur, tunc in Monasterio sic vacante poterunt Patres prædicti, quem maluerint, & idoneum judicaverint, tam ex eisdem in Dieta congregatis, quam ex aliis Prælatis extra, prout eorum conscientiæ videbitur expedire, servata tamen distributiva Justitia, in Prælatum deputare. Si quæ in prædictis casibus contra hujus Constitutionis formam de cætero fieri contingant, nulla, ac irrita esse decernimus, & declaramus.

8. Nullus autem Prælatus, sive Prior, aut Decanus, vel aliquis ex Monachis, præsumat hujus Congregationis tempore ad Monasterium, in quo celebratur Dieta, vel ad loca circumvicina accedere non vocatus, sub pœnis cuilibet ipsorum, si accesserint, in prima parte Cap. 2. num. 5. taxatis.

9. Ne vero ex hujusmodi vacationibus dispendium aliquod Monasteriis nostris, præsertim in spiritualibus evenire queat; statuimus, ut de cætero in locis sic vacantibus, qui vices Prælati gerunt in ipsis Monasteriis, auctoritatem habeant in spiritualibus, ac temporalibus quam dum viveret, aut præsens erat ipse Prælatus, habebat. Idem quoque censemus, cum Prælati ad Capitulum Generale accesserint; quam auctoritatem in prædictis tantum duobus casibus vices Prælatorum gerentes habere volumus, usque ad instituendi Prælati accessum ad Monasterium, vel jam instituti novam dispositionem, etiamsi talis vicesgerens interea mutatus fuerit. In aliis vero casibus, ne propter Prælatorum absentiam, Monasteria detrimentum maxime in spiritualibus incurrant, ipse Prælatus declaret, qua in ipsius absentia fungi velit auctoritate constitutos Monasterii Officiales, præsertim Priorem Claustralem super casibus reservatis, & aliis ad gubernationem Monasterii spectantibus.

10. Cellerarii, & alii, qui temporalia administrant prædictis temporibus, ad ipsos, ut præmisimus vicem Prælatorum gerentes, recurrant, & obedientes sint: consilioque, & voluntate eorum cuncta faciant, & disponant.

11. Ordinamus autem, quod Prælati ad pacem conservandam inter suos Ministros, ante recessum omnia ita ordinent, & disponant, ut Prior, & Cellerarius sciant quid agendum sit in negotiis Monasterii, & præcipue in vendendis, & emendis rebus.

De Monachorum, & aliorum Religiosorum mutatione.

CAPUT IV.

1. Sicut Prælatorum, ita Monachorum nostræ Congregationis discreta mutatio, plerumque utilis, & necessaria est, tum ad ostendendum nostræ Congregationis individuam unitatem (Multa enim Monasteria in idem corpus, charitatis vinculo coalescere conspiciuntur) tum quia dum de Monasterio in Monasterium Monachi transferuntur, & amor mutuus in plures diffunditur, prudentia, cujus mater est experientia, perficitur, & augetur.

Ideft a quibus, & ob quas causas ipsi amoveri possint.

2. Si quando ergo, etiam extra tempus Capituli Monachorum aliquem (ipso etiam, vel Prælato suo invito) Patres Regiminis ad aliud Monasterium transferendum, & ad ibi commorandum mandaverint, eis omnino parendum jubemus. Similiter, si in visitatione, aut etiam post visitationem alicujus Monasterii, Visitatores id agendum judicaverint, volumus, ut eis obediatur, ut supra in præcedenti Capitulo.

3. Similiter si legitima, & necessaria causa interveniente, utpote pro Monasterio reformando, vel infirmitate urgente, vel propter imminens infirmitatis periculum; si citius mutatio

aeris non succurrat, aut pro vitando scandalo, & similibus, Præsidens, & duo illius Monasterii Visitatores, Monachum aliquem mutandum duxerint (etiam invitis Prælatis, tam mittente, quam recipiente, ac etiam ipso Monacho) eis obediendum mandamus. Urgente vero causa arduæ necessitatis, vel ubi periculum esset in mora, præcipiente tantum uno illius Monasterii Visitatore ei omnino pareatur: prædicta autem usque ad Capitulum, vel Dietam tantummodo servari debeant: quo tempore, vel firmabitur, vel revocabitur mutatio.

4. Ubi autem necessitas, aut manifesta utilitas requireret, possint Prælati invicem transmittere Monachos, ac etiam stabilire, dummodo commoditer fiat, adjuncta tamen Præsidentis licentia, vel Visitatorum.

5. At si quis Monachus intra annum ex manifesta causa periculi Animæ, vel corporis mutari petierit, Visitator ipsius Monasterii, habita informatione a Prælato ipsius Monachi, & si commode fieri poterit, etiam Seniorum (& medici, ubi de corporis periculo agitur) si exposita vera esse repererit, & necessarium esse judicaverit, Monachi petitioni annuat, illique provideat de Monasterio idoneo, cujus Judicio omnino parendum erit.

6. Si autem prædictæ causæ non aderint: Ne occasio detur, sponte vagandi (maxime si importune, aut cum scandalo aliorum Monachorum, seu Monasteriorum impendio, licentia requiratur; quia tunc hujusmodi mutatio, tam ipsis Monachis, quam Monasteriis experientia magistra, ut plurimum noscitur esse damnosa) ei licentia minime concedatur, quod si petere petulanter perseveraverit, & sua importunitate, eam extorquere conetur, non ei annuatur, sed graviter puniatur.

De expensis faciendis in mutationibus Monachorum.

CAPUT V.

1. Circa mutationes Monachorum, declaramus, quod Monasteria a quibus recedunt mutati, ad omnes teneri debeant expensas, ut supradictum est in declaratorio Regulæ Cap. 60.

2. Si vero aliquis propter gravem infirmitatem mitteretur de Monasterio ad Monasterium; vel si contingeret aliquem Monachum adeo esse incorrigibilem (quod Deus avertat) ut in proprio Monasterio propter scandalum, aut legitimam causam in domo custodiæ detrudi, seu puniri non possit, sed in alio Monasterio esset carceri mancipandus, in his casibus Monasterium, ex quo mittitur, ultra expensas itineris, provideat Monasterio, ad quod est missus etiam de aliis illi Monacho necessariis.

De Monasteriis noviter acceptandis.

CAPUT VI.

1. Ne facilitate qualibet, sed mature, & circumspecte in acceptandis Monasteriis procedatur, Capitulum Generale (ad quod solum hujusmodi acceptationes pertinere decernimus) cum de acceptando Monasterio aliquo tractatur: primo inspiciat, an Monasteria Congregationis abundent Patribus, qui deputari possint reformationi Monasterii noviter acceptandi. Qui si suppetunt, mittantur duo graves, & experti Patres ad videndum præfatum Monasterium, & inquirendum, si habet conditiones, quæ requiruntur ad Regularem observantiam, videlicet, quod sit in bono aere, & situ spatioso, solitario, & non tumultuoso: & si in Civitate, vel extra Civitatem prope milliare, vel circa: si non inquietetur bellorum tumultibus: nec graventur Monachi ex itineris longitudine, & in loco, ubi non possint fieri turres, & propugnacula: si sit sine cura Animarum: & habeat officinas utiles, & necessarias ad Regularem Observantiam, vel ad eas facile reduci possit: si habeat libros, & Paramenta, & Calices, & cætera necessaria ad Divinum cultum: si habeat possessiones, sive redditus pecuniarum in loco tuto, & pacifico, quæ sufficiant pro sexdecim saltem personis, & aliis Monasterii oneribus portandis. Quod non sit ære alieno gravatum, & si quæ sunt hujusmodi. Quæ omnia diligenter inspecta, fideliter referant Capitulo, sive Regimini, aut aliter, prout Capitulum decreverit. Quod si omnibus supradictis conditionibus (quas pro majori parte præfatum Monasterium habere volumus) consideratis; ac etiamsi Monasterium sit in Civitate pacifica, ubi verisimiliter speratur Animarum fructus, decreverint acceptandum: non prius mittantur Monachi ad dictum monasterium, quam unitum fuerit Congregationi per Bullas Apostolicas, & nisi officinæ, & mansiones Religiosorum antea fuerint competenter reparatæ.

2. Quod si Capitulo Generali videbitur hujusmodi reformationem intra triennium fieri debere, ipsam committant Regimini, juxta prædictam formam. Quoties autem intra triennium tractandum esset de reformatione alicujus Monasterii, eo quod periculosa esset dilatio usque ad Capituli tempus, habeatur recursus ad Præsidentem, qui si una cum Visitatoribus, & aliis Prælatis, ut supra in Cap. 3. de annotatione Præsidis de communi consensu judicaverint hujusmodi acceptationem esse utilem, & necessariam nostræ Congregationi, mittant duos idoneos Patres ad inquirendum de Monasterii conditionibus, juxta omnia prædicta, & referant Capitulo proxime futuro, si differri poterit. Si autem periculum esset in mora, ut prædictum est, tunc per ipsos dictos PP. Monasterium acceptetur, maxime si tale esset, cujus reformatio cederet in magnum Congregationis commodum, & augmentum. Advertant tamen Regimen, & Patres mittendi ad investigandas Monasterii conditiones, ne aliquid permittant, aut sese cuiquam obligent verbis, sed omnia referant Capitulo, vel Regimini terminanda, ut supra.

3. Cæterum strictius inhibemus, ne aliquod ex nostræ Congregationis Monasteriis dimittatur, aut ab ipsa Congregatione alienetur, nisi ex quatuor, tres partes omnium Patrum, qui habent vocem in Capitulo Generali, consentiant. Hoc tamen non intelligimus fieri posse, nisi in casu permutationis, scilicet si dimittatur unum, ut in eadem Diœcesi aliud acceptetur, & præmissa Apostolica facultate, aliisque circumstantiis, de quibus Cap. 3. Regulæ.

4. Si vero de aliquo Monasterio Monialium sub cura Congregationis, aut particularis Monasterii nostri acceptando tractabitur (quod quantum possibile erit, omnino evitandum est) nisi de consensu duarum ex tribus partibus Prælatorum totius Congregationis, qui in Capitulo Generali intererunt, etiam ad visitationem tantum acceptari non possit.

De Anniversariis perpetuo celebrandis.

CAPUT VII.

1. Ne tantorum Beneficiorum, gratiarum, ac Privilegiorum, quorum munimine Congregatio nostra a fel. rec. Eugenio Papa IV. non modo stabilita, verum etiam plurimum aucta existit, videamur immemores, sed pia grati animi officia ejus memoriæ, quantum in Dño possumus, rependamus, hac præsenti ordinatione statuimus, ut per omnia nostræ Congregationis Monasteria, præsentia, & futura, singulis annis die 23. Februarii, Anniversarium conventualiter pro ejusdem Eugenii Summi Pontificis felici requie celebretur, & aliud consimiliter die 19. Sep-

tembris pro R. P. Ludovico Barbo, nostræ Congregationis præcipuo directore.

2. Fiant præterea annuatim tria Anniversaria conventualiter: unum pro animabus nostræ Congregationis: aliud pro Benefactoribus nostris defunctis: tertium pro Benefactoribus vivis, dicendo Missam pro peccatis, quæ Anniversaria celebrentur per Monasteria nostræ Congregationis post primum diem Septembris diebus, quibus habilius celebrari poterunt.

3. Post festum vero omnium Sanctorum Monachorum prima die non impedita, recitetur conventualiter integrum officium Defunctorum, & Missa item cantetur pro Defunctis nostræ Congregationis.

4. Laudamus item piam eam consuetudinem, quæ in aliquibus nostris Monasteriis jam recepta, & ad ea cætera quoque Monasteria extendi jubemus; ut scilicet singulo quoque anno aliqua die non impedita mensis Decembris conventualiter recitetur integrum Officium Defunctorum, & similiter cantetur Missa pro nostris Religiosis in eodem Monasterio Defunctis &c.

Finis.

Relatæ Declarationes in Regulam, & Constitutiones confirmantur.

§. 2. Hinc est, quod nos perpetuæ, atque inviolabili præinsertarum Declarationum, & Constitutionum firmitati, robori, & efficaciæ, quantum nobis ex alto conceditur providere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas declarationes ad Regulam S. Benedicti, & Constitutiones præinsertas tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes & singulos, tam juris, quam facti, & solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet, etiam quantumvis formales, & substantiales defectus, etiamsi tales sint, ut nonnisi facta de eis specifica, & individua mentione f[illegible]ari possint, si qui in præmissis principaliter, vel accessorie intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi valerent plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, ac Declarationes, & Constitutiones præinsertas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod dilecti filii Superiores, & Monachi dictæ Congregationis Casinensis, aliive quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, legitima, pia, & privilegiata Causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuamque mentionem, & expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 4. Sicque in præmissis, & non aliter censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis, quoque Indultis, & Literis Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Superioribus, Monachis, & personis, aliisve quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias in contrarium præmissorum concessis, ac plaries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Eorum specifica derogatio.

§. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Novembris MDCLXXX. Pontif. nostri Anno Quinto.

LXXXIX.

Mandatur, ut in toto Statu Ecclesiastico serventur statuta successiones ab intestato agnatis masculis deferentia.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Nov. 1680. An. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii debitum, quo universis, præsertim vero populis nostræ curæ, & sollicitudini, etiam in temporalibus creditis tenemur, exigit, ut ea provideri, statui, ordinari, & declarari debeant, per quæ illorum commodis, utilitati, quieti, & tranquillitati consultum sit, litiumque dispendia, & incommoda, quantum fieri potest, tollantur, & cessent.

§. 1. Cum

Præfata Statuta recenſentur.

§. 1. Cum itaque in noſtra Urbe, peneque in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, & locis noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Status, & ditionis temporalis Italiæ ordinata ſint, atque vigeant ſtatuta, ſeu decreta, aliæve leges, & ordinationes, Apoſtolica expreſſa, vel tacita, ſive a jure præſumpta confirmatione, & approbatione munita, per quæ, ut agnationum, & familiarum nobilitas, & decor, mediantibus bonis, & divitiis conſerventur, inteſtatæ ſucceſſiones agnatis maſculis, excluſis fœminis, aliiſque per eas cognatis intra certos reſpective gradus deferuntur. Compertum vero ſit, quod nonnullæ Doctorum, & Tribunalium interpretationes, ac limitationes, vel reſtrictiones præmiſſorum finem a populis, juxta eorum, ac regionis antiquos, & continuatos mores, impediunt, præfataſque leges, ac proviſiones pene inanes reddunt, ſive frequentes producunt lites, perturbationes, incommoda, & diſpendia, adeout quandoque expediat potius non deferri, nec aperiri ſucceſſionis beneficium, quod ita in maleficium, propriique aſſis jacturam convertitur; unde propterea iidem populi præfati noſtri Status Eccleſiaſtici, tam immediati, quam mediati Italiæ apud nos eorum voluntatem, ac deſiderium explicantes, preces porrexerunt, ut deſuper opportune providere dignaremur; præfatorumque ſtatutorum, ac legum, ſeu proviſionum, generalem, ac indefinitam obſervantiam, prout jacent, & diſponunt, demandaremus, quibuſcumque Doctorum, & Tribunalium rejectis interpretationibus, adeout univerſalis, ac uniformis in quolibet loco ſit ordo ſuccedendi ad propriorum reſpective ſtatutorum, & legum normam, ſeu præſcriptum.

Cauſa hujus Conſtitutionis.

Preces populorum Status Eccleſiaſtici.

§. 2. Hinc nos præmiſſorum populorum, qui Nobis, & Apoſtolicæ Sedi etiam in temporalibus, tam immediate, quam mediate crediti ſunt, commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati, quantum fieri poteſt, conſulere cupientes eorumque votis, & ſupplicationibus annuere volentes. Motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnium, & ſingulorum ſtatutorum, decretorum, legum, conſtitutionum, & proviſionum hujuſmodi in dicta noſtra Urbe, & univerſo noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Statu Eccleſiaſtico immediato, & mediato exiſtentium tenores pro expreſſis habentes, perinde ac ſi de illis expreſſa, ſpecialis, & individua mentio facta eſſet, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, mandamus, decernimus, & ſtatuimus, ut in ſucceſſionibus inpoſterum, & poſt præſentium publicationem aperiendis, & deferendis illa ſtatuta, decreta, leges, Conſtitutiones, & ordinationes, quæ in præfatis noſtris Urbe, & Statu Eccleſiaſtico expreſſam in forma ſpecifica, vel etiam in ſola forma communi Apoſtolicam habeant confirmationem, & approbationem, ſive illam habeant tacitam, & præſumptam, quæ ex juris diſpoſitione ob longiſſimi temporis obſervantiam inducitur, generaliter, & indefinite, prout jacent, ac diſponunt ad favorem maſculorum de agnatione, in univerſo aſſe attendi, & ſervari debeant quacumque ſublata conſideratione, vel differentia bonorum, eorumque ſituationis, intra, vel extra territorium, ubicumque exiſtant, & ſive ſint libera, & allodialia, ſeu feudalia, vel emphyteutica, ſeu livelloria, etiam de directo dominio Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, ubi lex inveſtituræ non obſtet, quæ ſalva remaneat. Sublata quoque omni, & quacumque differentia, vel conſideratione ſubjectionis, & reſpective exemptionis perſonarum, tam deſcendentium, quam ſuccedentium, vel excludentium, & excluſarum cujuſcumque ſint ſtatus, gradus, & conditionis, & quamvis agatur de Clericis, vel Regularibus utriuſque ſexus, aut de Eccleſiis, & Monaſteriis, aliiſque perſonis, & locis Eccleſiaſticis, vel alias quomodolibet exemptis, & privilegiatis, quantumvis expreſſa, & ſpeciali nota dignis.

Præceptum ſervandi ubique, & prout jacent dicta ſtatuta.

Nec obſtent bonorum differentia, eorumque ſitus; bene vero lex inveſtituræ, ſi ſit contraria.

Item nec ſubjectio, & exemptio perſonarum cujuſcumque generis.

§. 3. Dum non ex ipſorum ſtatutorum, vel ſtatuentium aliqua juriſdictione, vel poteſtate, ſed ex noſtra dumtaxat Apoſtolica auctoritate hunc ſuccedendi ordinem in dicto noſtro ſtatu immediato, & mediato Italiæ, ex juſtis cauſis animum noſtrum digne moventibus ſervari volumus, ac ſtatuimus, attenta ſolum, ac generaliter naturali qualitate agnationis, & ſexus pro dicto fine aſſequendo. Nullaque etiam ratione habita mixturæ perſonarum non excluſarum in medio exiſtentium, aliave qualitate, ob quam hujuſmodi ſtatutorum, & legum ceſſatio, & reverſio ad jus commune prætendi valeat, adeout unicum, uniforme, ac univerſale ſit jus, & ordo ſucceſſionis ad ipſorum reſpective ſtatutorum præſcriptum, ex præfato agnationis favore. Quodque in quolibet caſu dubio, & quomodolibet diſputabili favore maſculorum de agnatione in excluſionem fœminarum, & cognatorum, tam aſcendentium, etiam matris, quam deſcendentium, & collateralium, hujuſmodi legum & ſtatutorum interpretatio facienda ſit. Ubi vero contingat non verificari ſtatutorum, perſonarum, & bonorum unionem, ſimilitudinem, & combinationem, quam attendi, ac ſervari debere decernimus, vel quod non adſint ſtatuta perſonarum, ſive illa extantia, ob enunciatas Doctorum, & Tribunalium interpretationes, aut alias quomodolibet ſuum non ſortiantur effectum, tunc ſublata (ut præmiſſum eſt) omni differentia exemptionis, & ſubjectionis perſonarum, & bonorum reſpective, generaliter, & prout jacent, attendi, ac ſervari volumus, decernimus, & mandamus ſtatuta locorum, in quibus bona exiſtunt, ac poſſidentur, ſive agatur de bonis ſtabilibus, ſive de mobilibus, cenſibus, locis montium, officiis vacabilibus, nominibus debitorum, juribus, & actionibus, & aliis, quamvis de illis eſſe dignoſcatur, quæ loco non circumſcribuntur, ſed perſonam ſequuntur, & quamvis tam decedentes, quam excludentes, & excluſi exteri ſint, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ in temporalibus non ſubditi, dum etiam exteri acquirentes, ac retinentes præfata bona, & juxta in prædictis Urbe, & ſtatu cenſentur (contraria voluntate expreſſe non declarata) in animo habuiſſe hujuſmodi bonorum, & jurium ſucceſſionem regulari debere, juxta leges, & ordinationes locorum, in quibus exiſtunt, ac retinentur, prout hunc animum præſumendum eſſe decernimus, ſtatuimus, & declaramus. Quæ vero de inteſtatis ſucceſſionibus hactenus, ut ſupra, ſtatuta, & diſpoſita ſunt, in teſtamentariis quoque ſucceſſionibus attendi, & obſervari debere volumus, ac ſtatuimus, quacumque pariter bonorum, & perſonarum differentia, & conſideratione, ut ſupra, ſublatis, in iis caſibus, in quibus eadem ſtatuta, & leges locales in hac ſpecie teſtatæ ſucceſſionis maſculorum de agnatione favore diſponunt; quoties decedentium contraria expreſſa voluntas non adverſetur.

Nec pariter mixtura in medio exiſtentium perſonarum non excluſarum.

Quemadmodum nec etiã dubium.

At ſi deſit combinatio Statutorum uniuſque loci perſonarum, & bonorum, tunc ſerventur Statuta locorum, in quibus ſunt bona.

Cujuſcumque ea ſint generis.

Et perſonarum, dummodo bona habeant in Statu, nec de earum contraria voluntate conſtet.

Prædicta omnia cuſtodiantur etiã in teſtamentariis ſucceſſionibus ſi deſcendentium voluntas expreſſe contraria non fuerit.

§. 4. Non intendimus autem per præſentem Conſtitutionem, atque in ea diſpoſita, in aliquo derogare, & præjudicare Conſtitutionibus Apoſtolicis rec. mem. noſtrorum prædeceſſorum, Sixti Papæ V., Clementis Papæ VIII., Pauli Papæ V. Urbani Papæ VIII. Innocentii Papæ X., & Alexandri Papæ VII., & aliorum, ſi quæ adſunt, ſuper inhabilitatione forenſium dicto noſtro, & Apoſtolicæ Sedis dominio in temporalibus non ſubjectorum, qui ſtatutis temporibus ad habitandum non veniant, & non obſervent ea, quæ in eiſdem Conſtitutionibus diſponuntur, ac

demandantur; sed illæ salvæ, integræ, & in suo robore, ac firmitate permaneant.

Clausulæ.

Eximuntur Constitutiones pro Forensibus.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, & etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, seu Vicelegatos, aut Cameræ Apostolicæ Præsidentes, & Clericos, & quoscumque alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique locorum judicari, & definiri, ac sententiari debere; necnon quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Ut autem præsentes ad notitiam omnium deducantur,

§. 6. Volumus, & eadem auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis manu alicujus Judicis, seu Prælati aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subscriptis, & sigillo alicujus Notarii publicis munitis, quemadmodum adhiberetur originali, si præsentaretur, ubique adhibeatur, tam in judicio, quam extra illud, plena, & indubitata fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCLXXX. sextodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Placet Motu proprio B.

XC.

Confirmantur quædam Constitutiones Monachorum Congregationis Hispaniarum Ordinis Sancti Benedicti.

Hujusmodi Constitutiones immutant antiquas, quæ etiam antea pluries immutatæ fuerunt. Vide Urb. VIII. Const. ed. 1624., Decemb. 3. Ejusdem Const. ed. 1624., Aug. 23., & Clem. IX. Const. ed. 1667. Decemb. 15.

Dat. 30. Jan. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

A Paulo V. confirmatæ fuerunt nonnullæ recentes Constitutiones a Capitulo Generali editæ.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Generalis, & Monachi Congregationis Hispaniarum Ordinis S. Benedicti, quod dudum videlicet die 19. Decembris 1611. nonnullæ recentes Constitutiones, quæ prævia derogatione antiquarum, ex commissione ejusdem Congregationis in Capitulo Generali anno præcedenti 1610. in Monasterio Sancti Facundi de Sahagum celebrato factæ, editæque fuerant, a fel. rec. Paulo Papa V. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis Literas specifice confirmatæ, atque approbatæ fuerunt. Verum quia per rec. mem. Gregorium XIII. quarto idus Februarii Anno Incarnationis Dominicæ 1572., & successive per Urbanum VIII. Romanos Pontifices prædecessores pariter Nostros tertio nonas Julii 1624. ex voto Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ tributa, & respective confirmata, ac de novo concessa fuerat facultas Capitulo Generali dictæ Congregationis Hispaniarum quotiescumque temporum opportunitas, & rerum vicissitudo exposcere videretur, vel experientia ipsa doceret, Constitutiones Capitulares hujusmodi, etiam a Sede Apostolica confirmatas immutandi, & revocandi, aliasque de novo faciendi, quas magis congruere eidem Capitulo videretur, prout in ipsorum Gregorii, & Urbani prædecessorum Literis desuper expeditis dicitur contineri. Ideo inhærendo facultati hujusmodi Capitulum Generale ejusdem Congregationis Hispaniarum nonnullas condidit Constitutiones, per quas aliquæ ex supradictis a Paulo prædecessore confirmatis immutabantur, & alterabantur, quas etiam dictus Urbanus prædecessor die 3. Decembris ejusdem anni 1624. confirmavit. Sed cum postea in sequenti Capitulo recessum fuisset ab illis, & Decretum, quod observarentur dictæ priores Constitutiones a Paulo prædecessore confirmatæ, ita tamen, ut ibi in eisdem prioribus Constitutionibus electio Abbatiarum demandabatur novem tantum Diffinitoribus, in futurum adderentur alii sex Electores, qui forent illi sex Monachi, ad quorum favorem immediate post novem supradictos ad Diffinitoratus gradum plura fuissent data suffragia; hæ pariter Constitutiones die 23. Augusti 1628. ab eodem Urbano prædecessore confirmatæ fuerunt. Cumque etiam inter cæteras Constitutiones a memorato Paulo prædecessore, ut præfertur, confirmatas statutum legeretur, quod Abbatiæ inter unum, vel aliud Capitulum intermediæ vacantes ab Abbate Generali, tribusque Diffinitoribus, una etiam cum Abbate vicinioribus loco ubi Abbas Generalis prædictus de vacatione certior factus fuisset, providerentur: verum pluries experientia Magistra, compertum fuisset, quod propter Diffinitorum distantiam, admodum difficile reddebantur, & in longum protrahebantur hujusmodi electiones: ideo utendo eisdem facultatibus per præfatos Gregorium, & Urbanum prædecessores concessis, eadem Congregatio in sequentibus Capitulis Generalibus disposuit, ac ordinavit, ut supradictæ electiones in casu magnæ distantiæ dictorum trium Diffinitorum, cum voto quatuor solummodo Abbatum loco de quo supra, proximorum, fieri possent, cum declaratione, quod in æquali distantia Diffinitores Abbatibus præferentur; & quod in æquali distantia censeretur esse Diffinitor qui octo tantum leucis plus quam Abbas distaret; quodque absentibus a suis Monasterii Abbatibus, idem votum haberent pro electione dictarum vacationum Monachi Capitulares dictorum proximorum Monasteriorum, qui haberentur in antelationibus juxta suos gradus. Hocque etiam a piæ mem. Clemente Papa IX. prædecessore nostro per quasdam suas pariter in forma Brevis die 15. Decembris 1667. expeditas Literas confirmatum fuit. Porro in vim pariter ejusdem facultatis commutandi Constitutiones a Gregorio XIII. concessæ, & ab Urbano VIII. prædecessoribus nostris præfatis confirmatæ, pluribus in Capitulis Generalibus, comperto per experientiam, quod nonnullæ ex dictis Constitutionibus, ut supra, a Paulo prædecessore confirmatis, & quædam aliæ postmodum factæ, non erant Religioni proficuæ, nec de facili practicabiles, aliæque ex antiquis immutatæ, aliæque noviter confectæ fuerunt Constitutiones, ac etiam diversimode ab aliis, ut supra confirmatis, in eisdem Capitulis pluries fuit observatum, & præcipuè quoad infrascripta, videlicet.

Capitulum jam antea receperat facultatem immutandi, & novas condendi Constitutiones a Greg. XIII. & iterum postea ab Urb. VIII.

Eadem auctoritate novæ quædam Constitutiones conditæ fuerunt a Capitulo, & confirmatæ ab Urb. VIII.

Nova immutatio circa electionem Abbatum ab eodem Urbano confirmata.

Alia innovatio circa eandem electionem Abbatum a Clem. IX. confirmata.

Rursus pluries Constitutiones immutantur, & aliæ de novo conficiuntur, ut infra.

Quot, & qui esse debeant Capitulares.

§. 1. Primo circa numerum Capitularium statutum fuit, ut in antiquis Constitutionibus, & in Brevi Pauli V. illarum confirmatorio, quod non sint plures Capitulares, quam Generalis, qui in illo Capitulo terminat suum Officium; illi etiam, qui Generales extiterunt: qui actualiter sunt Abbates, sive Præsidentes Monasteriorum: Diffinitores immediate præcedentis quadriennii, quod in illo terminatur Capitulo: Magistri, & Prædicatores Generales: etsi aliquis fuerit Concionator Regius, & per Universitatem Salmanticensem de licentia Congregationis, & ejus sumptibus Laureati: & qui in illa fuerint, ut Constitutio disponit Cathedratici: Socius, sive Comes Generalis: ejus Secretarius: Procurator Generalis Romanæ Curiæ in solo Capitulo, quod

fuerit

fuerit immediatum suo ad Hispaniam accessui: Procurator Generalis Curiæ Regiæ, electus tamen a Congregatione: Abbas denique suspensus. Per varias tamen ejusdem Congregationis dispositiones dictus Capitularium numerus auctus est, quia concessum fuit votum perpetuum iis, qui in septem Capitulis illo potiti fuerint. Qui in qualibet Universitate approbata Primariam, aut Vespertinam Cathedram Theologiæ Scholasticæ, vel Expositivæ obtinuerint, si in Collegiis Congregationis per duodecim annos completos Theologiam legerint, dummodo tamen sponte se Cathedra non abdicaverint. Vicario etiam Monialium S. Placidi Matriti, Chronico Generali Ordinis, & aliis denique privatis Monachis.

Procurator Curiæ Regiæ votũ habeat.

§. 2. Procuratori Curiæ Regiæ per Congregationem fuit etiam votum concessum, esto non sit a Congregatione electus, sed a solo Generali.

Quid agendum in morte alicujus Diffinitoris.

§. 3. Post dictas Constitutiones, & Breve earum confirmatorium, disposuit Congregatio, quod decedente inter unum, & aliud Capitulum aliquo ex novem Diffinitoribus, eo ipso succedat in Defuncti locum Elector, qui in præcedenti Capitulo, plura obtinuit suffragia, post novem, qui Diffinitores fuerunt pronunciati, & successive alii quinque Electores, si contingat totidem obire Diffinitores.

Item quid si Diffinitor ad Generalatum promoveatur.

§. 4. Disposuit etiam Congregatio post Constitutiones præfatas, quod si unus ex novem Diffinitoribus in Generalem electus fuerit, postquam talis fuerit pronunciatus, alius ex Monachis in Diffinitorem in Generalis locum per totam eligatur Congregationem.

De Lectoribus Salmanticensibus.

§. 5. Per Constitutiones, ut supra, confirmatas, fuit absolute dispositum, quod habeant votum perpetuum in Universitate Salmanticensi de licentia Congregationis, & ejus sumptibus Laureati. Per novam autem ejusdem Congregationis dispositionem, restrictum est votum ad eos solum, qui in ea duodecim annos integris legerint, & sexdecim resederint in ipsa Universitate.

De Concionatoribus.

§. 6. Absolute etiam conceditur per Constitutiones confirmatas votum perpetuum Prædicatoribus Generalibus, & per novam Constitutionem eis illud aufertur, si concionari noluerint in locis ipsis ab obedientia assignatis.

De Visitatoribus.

§. 7. In dictis Constitutionibus, & Brevi Confirmatorio Pauli V., fuit dispositum, & ordinatum, quod non sint Visitatores, nec suppletores eorum, sed quod Generalis bis visitet Congregationem in quadriennio per se ipsum, si potuerit, sive per suos Commissarios. Postea vero eadem disposuit Congregatio, ut quatuor Visitatores eligantur in quolibet Capitulo, & quod votum habeant in sequenti; in quo terminatur eorum Officium.

De Magistris, & Prædicatoribus

§. 8. Item in Constitutionibus supradictis, & Brevi Confirmatorio Pauli V., ponuntur quatuor Magistri, & totidem Prædicatores Generales, & nunc sex Magistri, & sex Prædicatores Generales potiuntur voto perpetuo.

De ordine in electionibus Abbatiarum servando.

§. 9. In dictis Constitutionibus, & Brevi, fuit statutum, & Diffinitoribus injunctum, ut electiones omnium Abbatiarum, tam Monachorum, quam Monialium celebrent, servato ordine antiquitatis Monasteriorum. Per novam tamen Constitutionem Congregationis iste ordo alteratus est, & statutum, ut idem ordo servetur, præterquam in Abbatiis S. Martini Matriti, Salmanticæ, & Hispalis, quæ primo loco eligantur.

De silentio observando a Diffinitoribus.

§. 10. In eisdem Constitutionibus, & Brevi dispositum fuit, ut Diffinitores Electores, in secreto observent usque ad ultimam Capituli sessionem personas electas in Abbates, & Abbatissas, injunctis illis præcepto formali excommunicatione latæ sententiæ, & pœna perjurii, si quoquo modo illas revelaverint. Quam postea dispositionem alteravit Congregatio, permittens revelationem, eo quia nullum afferens præjudicium, neque inconveniens ad nihilum aliud serviebat, quam ad præbendam occasionem scrupulorum perjurii.

De electione nonnullorum Abbatum.

§. 11. In Constitutionibus per Paulum V. confirmatis dispositum fuit, omnes electiones Abbatiarum vacantium inter medium quadriennii, fieri debere per Generalem, tres Diffinitores, & unum Abbatem, ordine in illa præscripto; postea Congregatio disposuit, quod Abbates Collegiorum, & Monasteriorum tres Monachos non habentium, per solum Generalem eligantur.

§. 12. Circa electionem Generalis, statuerunt dictæ Constitutiones, & Breve illarum confirmatorium, ut illa celebretur in speciali sessione, post electiones Diffinitorum, Abbatiarum, & Secretarii Capituli Generalis, quam dispositionem postea Congregatio alteravit, disponendo, quod illa fiat, & celebretur die Dominico immediato post diem ingressus in Capitulum, & in eadem sessione, in qua eliguntur Diffinitores: & quod non regulentur vota usquedum aliæ Electiones factæ fuerint.

De electione Generalis.

§. 13. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quamvis dicta Congregatio alterationes, commutationes, novasque dispositiones hujusmodi respective facere sibi licuisse crediderit, & adhuc firmiter credat, maxime vigore facultatum a memoratis Gregorio, & Urbano prædecessoribus respective concessarum, & confirmatarum, & continue, ut supra, practicatarum, & observatarum ab eadem Congregatione; attamen nonnulli ex Monachis, & Religiosis illius habuerunt, habeantque scrupulum, dubitantes, ne in omnibus supradictis alternationibus, immutationibus, recentibusque dispositionibus ab Apostolica Sede non confirmatis, invalide processum fuerit, sub prætextu, quod facultas per dictum Gregorium prædecessorem concessa a præfato Paulo prædecessore sublata fuerit, quodque confirmatio a dicto Urbano prædecessore emanaverit in forma communi, nec se ad Constitutiones a dicto Paulo prædecessore confirmatas extendat; multoque magis in eis augeatur scrupulus ex eo, quod idem Urbanus prædecessor in alteris literis supradictis subsequenter editis, Constitutiones jam confirmatas præceperit observari. Et licet credi verisimiliter possit, quod his non obstantibus, Congregatio præfata omnia licite peregerit, attento, quod facultas per Gregorium concessa, & per Urbanum prædecessores præfatos, ut supra confirmata, ad mutationem Constitutionum jam factarum, atque confirmatarum restricta non reperiatur, atque ita ad futuras extendi videatur; quodque sicuti nemo melius, quam Religio ipsa, experientia docta agnoscere potest quænam leges sint magis proficuæ, & quarum usum temporum, atque rerum qualitas permittat, ita quoque expediat, ut ipsasmet Constitutiones, & leges ipsas, quoties expedire agnoscit, valeat in melius commutare: nihilominus ad consulendum paci, & quieti totius Congregationis prædictæ, ac ad tollendam a Monachorum mentibus quemlibet scrupulum, atque suspicionem invaliditatis electionum, aliorumque in præteritum, ut supra gestorum, omniumque exinde subsecutorum, ex quibus tota Religio involveretur, prout etiam ad effectum evitandi infinitas invaliditates, quæ oriri possent, Exponentes prædicti opportune a Nobis in præmissis provideri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut supradictas novas Constitutiones, ut præfertur observatas, tanquam legitime factas vigore dictarum facultatum confirmare, & approbare, ac omne id, quod usque adhuc ab eadem Congregatione factum, atque stabilitum reperitur,

Rationes cõtra valorem relatarum Constitutionum.

Aliæ rationes pro earum valore.

Causa Confirmationis prædictarum Constitutionum.

Preces Abbatis Generalis, & Monachorum.

legitimum declarare de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 14. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eisdem Exponentibus petitam confirmationem, quatenus Constitutiones prædictæ Sacris Canonibus, ac Decretis Concilii Tridentini non adversentur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio dictarum Constitutionum.

Clausulæ.

§. 15. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Palatii Apostolici causarum Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Hispaniarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Jan. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCI.

Permittitur, ut Abbates, & Officiales omnes Congregationis Casinensis pro hac vice tantum ob immutatum Capituli, & Dietæ tempus non amoveantur statim post expletum officiorum curriculum; & Abbati S. Pauli extra Urbem committitur Procuratio Generalis, si quandoque intra triennium vacaret.

Pro secunda parte Constitutionis vide hujus Pontif. Const. edit. 1680. Novem. 22. Pont. V. Item Const. ed. 1687. Martii 21. Pont. XI. ubi confirmatur Decret. pro Ecclesia S. Germani. Necnon Inn. XII. Const. ed. 1691., Jul. 28., Pont. I. pro prima parte.

Dat. 10. Jan. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Definitum fuit, Capitulum generale, & dietam singulis trienniis esse celebranda.

CUm Nos, per quasdam nostras in simili forma Brevis die 9. Septembris proxime præteriti expeditas literas motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuerimus, & ordinaverimus, ut tam Capitulum Generale, quam Dieta intermedia Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, quæ quolibet biennio respective celebrabantur, in posterum quolibet triennio a proximo futuro Capitulo Generali, quod tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime venturum celebrari debet, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de triennio in triennium continuando, celebrarentur, ita scilicet, ut Dieta hujusmodi octodecem mensibus post celebrationem cujuscumque Capituli Generalis pro rebus, & negotiis, quibus interea consulendum fuerit, ante tamen festum Circumcisionis Domini immediate sequens, & non aliter haberi deberet, & alias prout in literis præfatis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Verum sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ex mutatione temporis celebrationis Dietæ hujusmodi, quæ tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ celebrari solebat, necessario consequatur, ut nonnulli Abbates suas residentias sexennales, & pariter aliqui Priores, Magistri Novitiorum, Cellerarii, & alii Ministri Congregationis prædictæ sua respective Ministeria absolvant eo tempore, quo nec Capitulum Generale, nec Dieta ejusdem Congregationis celebretur; atque ita licet juxta Constitutiones ipsius Congregationis auctoritate Apostolica confirmatas a suis respective residentiis, & Ministeriis amoveri deberent, id tamen fieri nequeat, eo quod nullus tunc temporis congressus habeatur, in quo alii eis substituantur. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Mala inde provenientia.

Preces Procuratoris Generalis pro opportuno remedio.

§. 1. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut tam Abbates, qui suas residentias, quam Priores, Magistri Novitiorum, Cellerarii, & alii Ministri Congregationis præfatæ, qui sua respective Ministeria sexennalia eo tempore absolvent, quo nec Capitulum Generale, nec Dieta ejusdem Congregationis celebretur, in suis respective residentiis, seu officiis, & ministeriis, usque ad tunc proxime futurum congressum Capituli Generalis, vel Dietæ hujusmodi dumtaxat constituere, suaque officia, & ministeria respective interea obire, & exercere libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Præterea si quandocumque contigerit officium Procuratoris Generalis Congregationis prædictæ extra tempus celebrationis Capituli Generalis ipsius Congregationis vacare, officium ipsum per Abbatem Monasterii S. Pauli prope, & extra mœnia Urbis dictæ Congregationis pro tempore existentem juxta Constitutiones prædictas, usque ad Capitulum Generale tunc proxime futurum exerceri debere auctoritate, & tenore prædictis declaramus.

Extenditur administratio Prælatorum & officialium omnium pro hac vice ultra præfinitum tempus, ut supra.

Item statuitur, ut si vacaverit intra triennium Procuratio generalis, eam gerat Abbas S. Pauli extra urbem.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sor-

Clausulæ.

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Congregationis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Januarii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCII.

Extenditur Indultum Clementis X. celebrandi festa SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois in tota Hispania ad omnem Galliam.

Festo S. Joannis dies 17. Decembris, festo S. Felicis dies 4. Novem. assignati fuere a Clem. X. Const. ed. 1673., Maii 17. Ab eodem concessum fuit horum festa celebrari posse in tota Hispania ab omnibus Const. ed. 1675., Novem. 14. Dein Cong. anno 1676., Novem. 14. eis adscripsit primos dies non impeditos. Sed iterum ab hoc Pontif. pro S. Joanne dies 8. Feb., & pro S. Felice dies 20. Novemb. determinati fuerunt Const. ed. 1679., Julii 30.

Dat. 28. Maii 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Variæ mutationes circa festa dictorum Sanctorum in Hispania.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius a Sancto Antonio Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor noster die 13. Novembris 1675. indulserit, ut festa Sanctorum Ordinis prædicti Fundatorum, Joannis quidem de Matha die 17. Decembris, Felicis vero de Valois die 4. Novembris quotannis sub ritu Duplici ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, in tota Hispania tantum celebrari possent, cum orationibus, & lectionibus propriis approbatis, & concessis dicto Ordini die 5. Maii 1673. a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, cujus Decretum hac super re emanatum idem Clemens Prædecessor die 17. ejusdem Mensis Maii approbavit; & quia dies præfati sunt impediti, eadem Congregatio Cardinalium die 14. Novembris 1676. ad relationem bo. me. Camilli dum vixit ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Maximi nuncupati, Ordinis prædicti apud Sedem Apostolicam Protectoris concesserit, ut in posterum festa præfatorum Sanctorum Fundatorum, tam in universo Ordine Sanctissimæ Trinitatis, quam extra illum in tota Hispania tantum primis diebus non impeditis ab officio novem lectionum celebrari valerent; Idem Ignatius Procurator Generalis, attento quod memorati Sancti Fundatores in Gallia natales habuerunt, & ibidem prædictum Ordinem fundaverunt, ac proinde illos in eo Regno non minori venerationis cultu honorari decet, indultum, & concessionem hujusmodi ad totam Galliam extendi plurium desideret:

Preces Procuratoris Generalis Galliæ pro celebratione dictorum festorum in tota Gallia.

§. 1. Nos igitur ipsius Ignatii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ut festa supradictorum Sanctorum Fundatorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois annis singulis in tota Gallia pariformiter celebrari libere, & licite possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Extenditur memoratum Indultum.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Maii MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCIII.

Extenditur Festum S. Rosæ Limanæ ad Regna, & Dominia Coronæ Lusitaniæ.

Hoc Festum 1. extensum fuit ad universum Americæ, & Indiarum Clerum a Clem. IX. Const. ed. 1668. Septem. 14. Deinde ad Regnum Poloniæ, & Ducatum Lithuaniæ a Clem. X. Const. ed. 1670., Julii 26. ac postea ad Regna, & Dominia Regi Catholico, ac Aug. Imp., & domui Austriacæ subjecta ab eod. Clem. Const. ed. 1670. Aug. 11.

Dat. 30. Junii 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXigit injunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio, ut piis Christifidelium, præsertim orthodoxorum Principum magno in Ec-

clesiam Dei meritorum fulgore conspicuorum votis ad augendam in terris Sacrarum Virginum cum Cælesti Sponso in beata æternitate regnantium venerationem laudabiliter tendentibus favorabilem assensum paterno affectu libentissime præbeamus.

Variæ extensiones Festi dictæ Sanctæ tertii ordinis S. Dominici.

§. 1. Cum itaque dudum, postquam fe. rec. Clemens PP. IX. Prædecessor noster per quasdem suas in simili forma Brevis die 12. Februarii 1668. expeditas literas servam Dei Rosam de Sancta Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici in posterum Beatæ nomine nuncupari, atque de ea sub ritu Duplici recitari Officium, & Missam celebrari de Virgine non Martyre singulis annis juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 26. Augusti, & hæc quidem in quibusdam locis dumtaxat ibidem expressis, inter alia indulserat, & subinde per alias suas pariter in forma Brevis literas die 14. Septembris ejusdem anni 1668. emanatas Indultum celebrandi Missam, & recitandi officium hujusmodi de eadem Beata Rosa ad universum Clerum, tam sæcularem, quam regularem quarumcumque Provinciarum Americæ, & Indiarum charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico subjectarum extenderat, rec. me. Clemens PP. X., etiam Prædecessor noster ut de cætero perpetuis futuris temporibus ab universo Clero tam sæculari, quam regulari utriusque sexus per omnes Provincias, Regna, Status, Regiones, & Dominia ubivis locorum dicto Carolo Regi, & charissimo etiam in Christo filio nostro Leopoldo Romanorum Regi illustri in Imperatorem electo, Domuique Austriacæ subjecta, Officium & Missam de memorata Beata Rosa Virgine Limana quotannis die 26. Augusti sub ritu Duplici juxta rubricas præfatas recitari, & celebrari respective valerent, Apostolica auctoritate concesserit, prout in ipsius Clementis X. Prædecessoris literis similiter in forma Brevis die 11. Augusti 1670. expeditis uberius continetur. Et sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris, Nobis nuper expositum fuit, ipse quoque, & Christiani populi Coronæ Lusitaniæ subjecti Beatam Rosam præfatam, quæ Sanctarum Virginum Catalogo juxta S. R. E. ritum a præfato Clemente X. Prædecessore solemniter adscripta fuit, peculiari devotionis affectu prosequantur, & propterea idem Petrus Princeps, ad confovendam eorumdem populorum pietatem, opportune a nobis provideri, ac ut infra indulgeri plurimum desideret:

Preces Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum.

§. 2. Nos piis, enixisque precibus ipsius Petri Principis nomine nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac ternarum literarum præfatarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficientes expressis, & insertis habentes, universo Clero tam sæculari, quam regulari utriusque sexus Regnorum, Provinciarum, Statuum, & Dominiorum quorumcumque dictæ Coronæ Lusitaniæ annis singulis die 26. Augusti sub ritu Duplici juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani, ac servata cæteroqui supradictarum literarum forma, & dispositione, recitandi similiter, & celebrandi respective facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Nova extensio ejusdem Festi ad supradicta Regna, & Dominia.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præfatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Junii MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCIV.

Conceditur Rectori Collegii Fratrum Prædicatorum in Quitensi Provincia facultas conferendi publice gradus Scholasticos in nonnullis disciplinis, donec ibidem erigatur universitas Regia.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Die 23. Julii 1681. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, cura, animum nostrum solicitat, ut pia Religiosorum Virorum propriæ, alienæque saluti operam dantium studia ad Christifidelium præsertim in longinquis Regionibus degentium in Doctrina sana institutionem, atque eruditionem laudabiliter tendentia, peculiaribus favoribus, & gratiis, quantum Nobis ex alto conceditur adjuvemus.

Causæ erectionis Collegii.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius de Quassada Diffinitor, & Procurator Provinciæ S. Catharinæ Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacra Theologia Magister, quod cum in illis partibus plurimi sint Infideles, ex quibus multi opera Fratrum dicti Ordinis illic in Vinea Dñi strenue laborantium ad Christianæ Religionis veritatem in dies convertuntur, & longe plures Dño benedicente convertsuri sperantur; verum messis quidem cum multa sit, Operarii autem pauci, qui eos in Doctrina sana instruere, & confirmare valeant: dilecti pariter filii Fratres Provinciæ prædictæ provide considerantes nullam in eadem Provincia studii Generalis Universitatem reperiri, ipsamque Provinciam nongentis a Limana, & ter mille milliaribus a Mexicana Civitatibus, in quibus ejusmodi Universitates studiorum generalium, erectæ sunt, distare, ac proinde studiosos partium illarum Juvenes Sacrarum, aliarumque bonarum Literarum studiis operam dandi, seque ad fidei Catholicæ propagationem habiles, atque idoneos reddendi, peractisque studiosis laboribus, præmium graduum literariorum consequendi gratia, longas, periculosasque peregrinationes subire debere, prævio regio consensu, Collegium sub titulo B. Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati intra, vel extra septa Conventus S. Petri Martyris Civitatis Quiten. dicti Ordinis sua impensa ædificare, in eoque Grammaticam, & Philosophiam publice docere, ac etiam quatuor Cathedras, duas quidem Theologiæ Scholasticæ, aliam Theologiæ Moralis, & quartam Sacræ Scripturæ, quas pro tempore obtinentes S. Thomæ Aquinatis doctrinam Sanctorum Patrum traditionibus, & Universalis Ecclesiæ Decretis conformem docere, erroneasque, & noxias, præsertim in materia morali opiniones, quæ in illis partibus serpere dicuntur, eorumdem Sanctorum Patrum doctrina refellere debeant, de proprio fundare decreverunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Ignatius Collegio hujusmodi, ejusque Rectori, & Cathedraticis pro tempore existen-

Preces Procuratoris Provinciæ S. Ca-

existentibus facultatem conferendi publice gradus Scholasticos in illis scientiis, quæ in ipso Collegio docebuntur, concedi plurimum desideret, similisque facultas aliis Collegiis dicti Ordinis in quibusdam Civitatibus Indiarum Occidentalium, quæ quadringentorum milliarium intervallo ab Universitatibus publicis remotæ sint, existentibus dudum ult. anno 1619. a fel. rec. Paulo V. ad instantiam tunc existentis Regis Hispaniarum Catholici concessa, & subinde ab Urbano VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris confirmata fuerit; ac ejusmodi prærogativa tam Clerici Regulares Societatis Jesu vigore quorumdam privilegiorum, quam Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini in vim quarumdam Apostolicarum in simili forma Brevis literarum in partibus Indiarum hujusmodi de præsenti fruantur: nobis propterea idem Ignatius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

nerinæ de Quito, & causæ Constitutionis.

§. 2. Nos ipsum Ignatium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis ocasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, qui Zelum, pietatemque dictorum Fratrum Provinciæ de Quito Ordinis Prædicatorum commendarunt, consilio, Rectori pro tempore existenti dicti Collegii intra, vel extra septa supradicti Conventus S. Petri Martyris Civitatis Quiten. jam forsan erecti, sive in posterum erigendi gradus Scholasticos in omnibus scientiis Cathedrarum in eodem Collegio jam forsan erectarum, vel in posterum erigendarum quibuscumque studiosis, qui studiorum cursum ibidem peregerint, dummodo tamen prævio rigoroso examine ad id reperiantur idonei, ad formam literarum in simili forma Brevis alias concessarum præfatis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, & Clericis Regularibus Societatis Jesu auctoritate nostra Apostolica conferendi facultatem donec, & quousque publica Universitas regalis, sicut Limana, & Mexicana in dicta Provincia de Quito constituatur, sive erigatur, dumtaxat duraturam, eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Concessio prædictæ facultatis adinstar illius Eremitarum Sancti August., & Clericorum Societatis Jesu.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, aliis Religionibus in ipsa Civitate Quitensi existentibus: etiam Societatis Jesu, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCV.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo etiam ultramontanis Monialibus Conversis S. Francisci de Observantia interdicitur velum nigrum, & quæcunque vox in electionibus denegatur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 24. Julii 1681. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Nuper pro parte dilecti filii Petri Esporrin Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, in Capitulo Generali dicti Ordinis Romæ anno 1639. sub præsidentia bo. me. Francisci dum vixit S.R.E. Cardinalis Barberini nuncupati, ejusdem Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectoris celebrato, quasdam Constitutiones ex antiquis compilatas, & aliquas, seu in illis aliqua de novo addita fuisse pro felici Gubernio Monialium Ordinis prædicti in familia Ultramontana, ipsumque Capitulum Generale non solum easdem Constitutiones approbasse, sed etiam intimari, & observari præcepisse; unam autem ex dictis Constitutionibus Cap. 12. inter alia disponere, quod Moniales Laicæ, seu Conversæ velum nigrum portare non possint, sed album, quodque suffragium non possint dare in electionibus Abbatissæ, Vicariæ, Discretarum, aut majorum Officiorum: & licet hæc omnia in familia Cismontana dicti Ordinis inviolabiliter observentur, aliquam tamen in altera familia notari observantiam, indeque gravissima inconvenientia, & scandala orta fuisse, & novissime maximum in quodam Conventu ex regressu cujusdam Novitiæ Conversæ ad Sæculum, expleto majori sui Novitiatus tempore, & quod cum sub observantia dictæ Constitutionis admissa fuisset, a Monialibus Laicis, seu Conversis professis tantis fuit affecta contumeliis, & minis, ut professionem emittere timuerit; ideoque per dictum Petrum Procuratorem Generalem nomine dilecti etiam filii Ministri Generalis dicti Ordinis præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut Constitutionem prænarratam confirmaret, adhoc ut in toto Ordine uniformiter servaretur, atque ita jurgia, & scandala hujusmodi vitarentur: Eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 13. Maji 1681. emanatum supplicem libellum sibi super præmissis porrectum remisit Venerabili Fratri nostro Alderano Episcopo Tusculano ejusdem S.R.E. Cardinali Cybo nuncupato, Ordinis præfati apud nos, & Sedem Apostolicam Protectori, ut veris existentibus narratis, & quatenus expedire censuisset, petitam confirmationem pro suo arbitrio, & prudentia imperriretur; ipse vero Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Alderanus Episcopus Tusculan. S.R.E. Card. Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector.

Constitutio Capituli Generalis pro Monialibus.

Decretum Congregationis.

Aliud Card. Protectoris.

§. 1. Attenta remissione supplicis libelli vigore retroscripti Decreti Nobis facta Oratoris precibus mature examinatis, atque discussis, decernimus, & declaramus, quod nisi in primæva fundatione, aut in aliquo speciali Statuto a Religione, & a Sede Apostolica approbato Monasteriorum Sanctimonialium Ordinis S. Francisci

expresse cautum sit, quod Moniales Conversæ, seu Laicæ velo nigro, & voce activa in electionibus Superiorissarum, seu officialium, & voce passiva in consequendis dd. Monasteriorum Officiis uti, frui, & gaudere debeant; Constitutio facta in Capitulo Generali Romæ celebrato sub die 11. Junii 1639. executioni omnino demandetur, suumque integrum, & plenarium effectum sortiatur, in quem finem eamdem Constitutionem extra tamen casum præmissum auctoritate non solum, qua fungimur Protectoris, verum etiam ab eadem Sacra Congregatione Nobis attributa, & concessa, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, nullas, irritas nunc pro tunc omnes præfatas electiones, quas cum suffragiis prædictarum Monialium Conversarum adversus præsentem nostram, & Constitutionis prædictæ dispositionem fieri contigerit declarantes, & decernentes. Mandamus igitur omnibus Superioribus regularibus, qui regimini, & gubernio dictorum Monasteriorum præsunt, quatenus hæc omnia sublato Monialibus quocumque alio prætextu, & quæsito colore etiam consuetudinis immemorabilis, & præscriptæ, executioni demandari faciant, & contra inobedientes, ac contumaces suis remediis, & quatenus opus sit censuris Ecclesiasticis animadvertant. Romæ 5. Julii 1681. A Card. Cybo Protector. Jo: Baptista Rusca.

Preces Procuratoris Ordinis.

§. 2. Cum autem sicut præfatus Petrus Procurator Generalis nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: nos ipsius Petri Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Dño possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore editum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio prædicti Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIV. Julii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCVI.

Erigitur Academia Sanctæ Thomæ Ord. Prædicatorum Civitatis Monilan in Insulis Philippinis in publicam studii generalis universitatem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 7. Aug. 1681. An. 5

Ad futuram rei memoriam.

Procemium

INscrutabili divinæ sapientiæ, atque bonitatis arcano ad Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimen, meritis licet imparibus, evecti, sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studia, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mentes veritatis luce illustrantur, & non minus Catholicæ Fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, quam Justitiæ administrationi, aliisque Reipublicæ commodis, & ornamentis, privatorumque utilitatibus consulitur, ubique locorum, & præsertim in remotissimis ab hac S. Sede partibus, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, ac incitare, & confovere studemus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque decus, & præsidium, ac spiritualem temporalemque Christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Qua de causa, & forma erecta fuerit d. Academia

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Innocentio PP. X. prædecessori nostro pro parte claræ mem. Philippi IV. dum vixit Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod in Civitate Monilan in Insulis Philippinis unum sub denominatione S. Thomæ Collegium Ordinis Fratrum Prædicatorum existebat, in quo triginta Alumni sæculares educabantur, & Grammatica, Rhetorica, Logica, Philosophia, ac Theologia Scholastica, & Moralis docebantur, seu legebantur, magna cum Incolarum illarum partium utilitate. Civitas vero Monilan plusquam tribus leucarum millibus a vicinioribus studiorum Generalium Universitatibus, nempe Limana, & Mexicana distabat, & propterea idem Philippus Rex in Collegio præfato Academiam erigi, & institui summopere desiderabat, præfatus Innocentius prædecessor supplicationibus memorati Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, in præfata Civitate Monilan in ædibus dicti Collegii, ubi tunc scholæ erant, seu forsan in ampliorem formam construerentur, Academiam, in qua Religiosi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philosophiam, & Theologiam Scholasticam, & Moralem publice profiterentur, ac Juvenes quoscumque docerentur, duraturam dumtaxat donec, & quousque aliqua publica studii Generalis Universitas in dicta Civitate Monilan, seu illius Provincia Apostolica auctoritate erecta fuisset, eadem auctoritate, sine tamen cujusquam præjudicio, erexit, & instituit; Ipsamque Academiam sic erectam, & institutam curæ, regimini, & administrationi dicti Ordinis, & illius Magistri Generalis pro tempore existentis, seu ab eo deputandi, qui totius Academiæ Rector existeret, præfata

auctoritate suppofuit, ac Rectori ipfius Academiæ, & Collegii pro tempore exiftenti, ut donec hujufmodi Academia, ut præmittitur, duraret, illos quos in ipfa Academia fic erecta per debitum tempus ftuduiffe, ac fcientia, & moribus idoneos effe reperiffet, in præfatis facultatibus, quæ in dicto Collegio, ut præfertur docerentur, feu legerentur, ad Baccalaureatus, etiam formati, ac Licentiaturæ, & Doctoratus, necnon Magifterii gradus, fervata in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendebat, & alias juxta laudabiles aliarum Academiarum confuetudines promovere, & ipforum graduum infignia eis exhibere valeret, dicta auctoritate conceffit, & indulfit, cum diverfis facultatibus, gratiis, & Indultis, & alias prout in ipfius Innocentii prædecefforis literis defuper in fimili forma Brevis die 20. Novembris 1645. expeditis, quarum tenorem præfentibus pro plene, & fufficienter expreffo, & inferto haberi volumus, uberius continetur.

Caufæ erectionis hujus Academiæ in publicam Univerfitatem.

§. 2. Cum autem ficut dilectus filius Alphonfus Sandin Procurator, & Diffinitor Generalis Provinciæ Sanctiffimi Rofarii dictarum Infularum Philippinarum præfati Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, & erectione Academiæ hujufmodi maxima in illis partibus ad Animarum falutem affidue proveniat utilitas, propofitifque ftudiorum præmiis, erexerit ad ipfa amplectenda, & peragenda, præmiaque hujufmodi promerenda ftudiorum alacritas; itaut multiplicatæ reperiantur Perfonæ habiles, & idoneæ ad continuandas Sacras Miffiones, quarum fructus Sancta Mater Ecclefia, Domino benedicente, in dies locupletantur: Verum propter ingentem dictæ Civitatis Monilan a præfatis ftudiorum Generalium Univerfitatibus diftantiam fupradictam, moraliter impoffibile fit, ut Incolæ Civitatis, & Infularum Philippinarum hujufmodi ad eafdem Univerfitates, ut ibidem Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, & Medicinæ ftudiis incumbant, fe conferant; ac proinde plurimum expedire videatur, ut Academia præfata in publicam ftudii generalis Univerfitatem, adhoc, ut in ea Sacri Canones, & Leges Civiles, ac Medicina hujufmodi, quorum fcientia ad bene ornatam Rempulicam etiam neceffaria eft, publice doceri, harumque facultatum Cathedræ a Perfonis fæcularibus peritis regendæ Benefactorum impenfa ibidem erigi, & gradus fcholaftici earumdem facultatum ftudiofis poft peracta ftudiorum curricula conferri valeant, ad inftar Limanæ, & Mexicanæ Univerfitatum præfatarum erigatur. Nobis propterea dictus Alphonfus humiliter fupplicari fecit, ut in præmiffis, opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoftolica dignaremur.

Preces Prioris Provinciæ ... Rofarii Ord. Prædi... in Infulis Philippen.

§. 3. Nos igitur Incolarum Civitatis, & Infularum præfatarum commodis quantum cum Domino poffumus, confulere, dictumque Alphonfum fpecialis favore gratiæ profequi volentes, & a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa, latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes; hujufmodi fupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noftrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpofitorum confilio, & attento, quod præfati Alphonfi inftantia hujufmodi a dilecto filio nobili viro Gafparo de Haro y Gufman Marchione de Carpio Chariffimi in Chrifto filii noftri Caroli Hifpaniarum Regis Catholici apud Nos, & Sedem Apoftolicam Oratore ejufdem Caroli Regis nomine commendata fuit, Academiam in fupradicto Collegio S. Thomæ Civitatis Monilan Ordinis Prædicatorum a memorato Innocentio prædeceffore ad fupplicationem præfati Philippi Regis erectam, ut præfertur, in publicam ftudii generalis Univerfitatem, in qua etiam Sacri Canones, ac Leges Civiles, & Medicina, publice prælegi, & doceri, harumque fcientiarum, five facultatum Cathedræ a perfonis fæcularibus habilibus, & idoneis regendæ, & obtinendæ fundari, & inftitui valeant, ad inftar præfatarum Univerfitatum Limanæ, & Mexicanæ, auctoritate Apoftolica tenore præfentium fine cujufcumque alterius Univerfitatis ftudii Generalis præjudicio erigimus, & inftituimus: Ita tamen, ut Univerfitas hujufmodi fic erecta, & inftituta, donec, & quoufque alia publica Univerfitas Apoftolica, & Regalis ad formam modo dictarum Univerfitatum, & non aliter aut in eadem Civitate Manilan, aut in aliis Regnis viciniori-bus conftruatur, feu erigatur dumtaxat durare debeat; ac eidem Univerfitati ftudii Generalis fic per præfentes erectæ, & inftitutæ, illiufque Rectori, Magiftris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, cæterifque Officialibus, Miniftris, & perfonis, quibufcumque pro tempore exiftentibus, ut omnibus, & fingulis privilegiis, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, quibus præfatæ Univerfitates ftudiorum Generalium Limana, & Mexicana, illarum Rectores, Magiftri, Doctores, Lectores, Præceptores, Scholares, Procuratores, Bidelli, Nuncii, cæterique Officiales, Miniftri, & perfonæ quæcumque refpective tam de jure, ufu, & confuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poffunt, & poterunt in futurum, non folum ad eorum inftar, fed etiam æque principaliter, & pariformiter in omnibus, & per omnia, uti, frui potiri, & gaudere; Rectori autem ipfius Univerfitatis per præfentes erectæ, ut quamdiu Univerfitas hujufmodi ficut præmittitur duraverit, illos, quos in eadem Univerfitate per debitum tempus ftuduiffe, ac fcientia, & moribus idoneos effe repererit in præfatis facultatibus, five fcientiis, quæ in ipfa Univerfitate docebuntur, feu legentur, ad Baccalaureatus, etiam formati, Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magifterii gradus, fervata tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum præfatorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias juxta laudabiles fupradictarum Limanæ, & Mexicanæ Univerfitatum ritus, & confuetudines promovere, folitaque graduum hujufmodi infignia eis conferre, & exhibere; Ipfis vero ad eofdem gradus per illum fic promotis, ut poftea publice, privatimque etiam in omnibus aliis Univerfitatibus ftudiorum Generalium facultates, five fcientias prædictas refpective alios docere, & interpretari, de eis difponere, alio fque actus quofcumque eorum gradibus, convenientes exercere libere, & licite poffint, & valeant refpective, auctoritate, & tenore præfentium concedimus, & indulgemus, falva tamen femper in præmiffis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Erectio d. Academiæ in publicam ftudii generalis Univerfitatē donec alia inftituatur Apoftolica, & Regalis.

Ei conceduntur privilegia, & jura Univerfitati Limanæ, ac Mexicanæ.

Accedit commendatio Regis Catholici.

Claufulæ.

§. 4. Decernentes ipfas præfentes literas firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos fpectat, & pro tempore fpectabit in omnibus, & per omnia pleniffime fuffragari, & ab eis refpective inviolabiliter obfervari. Sicque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Collegii, Provinciæ, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCVII.

Conceduntur Tertiariis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum intra claustra viventibus Indulgentiæ, quibus gaudent Fratres ejusdem Ordinis.

Dat. 8. Aug. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Procuratoris Generalis pro declaratione Indulgentiarum dd. Tertiariorum.

CUm sicut dilectus filius Josephus Linas Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magister, Nobis nuper exponi fecit, multi in eodem Ordine reperiantur Tertiarii, qui vota simplicia emiserunt, & sub Regula Tertiariorum, ac habitu ipsius Ordinis pie, & laudabiliter intra Claustra sub obedientia Superiorum Ordinis hujusmodi vivunt; incertum vero sit quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant, & propterea idem Josephus Prior Generalis illorum spirituali consolationi, & animarum saluti opportune a Nobis provideri plurimum desideret: Nos ipsius Josephi Procuratoris Generalis Urbis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatis Tertiariis præsentibus, & futuris intra claustra, ut præfertur, viventibus, qui vota hujusmodi emiserunt, seu pro tempore emiserint, ut omnibus, & singulis Indulgentiis seu peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus, quibus Fratres Ordinis prædicti utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere, illasque consequi, & lucrifacere libere, & licite possint, & valeant, dummodo tamen ea, quæ pro consequendis Indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac peccatorum relaxationibus hujusmodi præscripta sunt, seu pro tempore fuerint, adimpleant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concessio Indulgentiarum Fratrum d. Ordin. Tertiariis facta.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCVIII.

Declaratur, Tertiarios B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum extra Claustra viventes frui posse Indulgentiis Confraternitatum ejusdem Ordinis.

Dat. 22. Aug. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur Breve præcedens, quo concessæ fuerunt Tertiariis intra claustra viventibus indulgentiæ Fratrum Ordinis.

NUper pro parte dilecti filii Josephi Linas Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magistri, Nobis exposito, multos in eodem Ordine reperiri Tertiarios, qui vota simplicia emiserunt, & sub Regula Tertiariorum, ac habitu ipsius Ordinis pie, & laudabiliter intra claustra sub obedientia Superiorum Ordinis hujusmodi vivunt; incertum vero esse quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant. Nos supplicationibus dicti Josephi Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati prædictis Tertiariis præsentibus, & futuris intra claustra, ut præfertur viventibus, qui vota hujusmodi emiserunt, seu pro tempore emiserint, ut omnibus, & singulis indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus ad instar Fratrum Ordinis prædicti frui valeant sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica indulsimus; & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 8. currentis mensis Augusti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut prædictus Josephus Procurator Generalis Nobis subinde denuo exponi fecit præter supradictos, alii reperiuntur memorati Ordinis Tertiarii, & Tertiariæ, seu Bizzochæ, qui, & quæ licet sub Regula Tertiariorum, & habitu prædictis quoque pie, & laudabiliter vivant, votaque simplicia prædicta emiserint, non tamen intra claustra hujusmodi commorantur; Incertum vero pariter sit quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus hi quoque Tertiarii, & Tertiariæ frui valeant; Nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis pro declaratione Indulgentiarum Tertiariorum & Bizzocarum extra Claustra viventium.

§. 1. Nos igitur ipsius Josephi Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter quoque annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatos Tertiarios, qui vota supradicta emiserunt, & extra Claustra vivunt, Confraternitatibus Ordinis prædicti adscribi, & adscriptos gratiis, & indulgentiis Confraternitatum hujusmodi frui posse d. auctoritate tenore præsentium declaramus.

Declaratur dd. Tertiarios frui posse Indulgentiis Confraternitatum Ordinis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tem-

pore

pore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, quod earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCIX. Conceduntur Fratribus Oblatis Tertii Ordinis S. Francisci Provinciæ Franciæ post decennium a Professione jura omnia antiquorum Fratrum Laicorum.

Oblatis in statu Laicorum constitutis concessum fuit suffragium in solis Professionibus a Clem. X. ed. 1672., Maji 12., Pont. 3. sed postea Const. ed. 1675. Maji 28. tributa fuerunt Oblatis jam admissis ante primam Constitutionem jura omnia Laicorum. Et ab hoc Pont. confirmatæ fuerunt eorum Constitut. Const. ed. 1688. Martii 13., Pont. 12.

Dat. 27. Aug. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur prædictæ binæ literæ Clementis X.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superiores Provinciæ Franciæ Tertii Ordinis Sancti Francisci; quod dudum fel. rec. Clem. PP. X. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis anno 1672. emanatas literas pro bono Regimine Fratrum Oblatorum, seu servientium, & Fratrum Laicorum Congregationis Gallicanæ dicti Ordinis inter alia statuit, ut Fratres præfati, tam Oblati, quam alii, qui ad statum laicalem assumerentur, nullo unquam tempore suffragiorum jure gauderent, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis status; verum earundem literarum executio suspensa fuit per tres annos, quibus elapsis Superiores dictæ Provinciæ Franciæ recursum ad eumdem Clementem prædecessorem habuerunt, & ab eo alias pariter in forma Brevis die 28. Maji 1675. expeditas literas obtinuerunt, per quas omnibus Fratribus Oblatis, seu servientibus, qui in eadem Provincia habitum Religionis ante emanationem primodictarum literarum susceperant, juribus Fratrum Laicorum juxta Ordinis prædicti Constitutiones gaudendi privilegium indultum fuit; dummodo tamen per decennium in statu Oblatorum hujusmodi permanerent, & alias prout in binis literis prædictis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Superiores prædicti per hoc temporis spatium usque ad præsens maximam in dicta Provincia tranquillitatem, & pacem ex concessione præfati Indulti, illiusque observantia animadverterint, & hujusmodi praxim pro conservanda inter Fratres quiete observare peroptent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superiorum memoratæ Provinciæ.

§. 1. Nos igitur eorundem Superiorum votis, quantum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, ut omnes Fratres Oblati præfatæ Provinciæ Franciæ, tam de præsenti existentes, quam in posterum in eadem Provincia recipiendi, postquam tamen, completo novitiatus anno, in suo oblatorum statu per decennium remanserint, juribus antiquorum Fratrum Laicorum Congregationis Gallicanæ, & Ordinis præfatorum gaudere possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, ac concedimus, & indulgemus.

Concessio dd. jurium oblatis facta.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus primodictis Clementis prædecessoris literis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, & quatenus opus sit Provinciæ præfatæ, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 4. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVII. Aug. MDCLXXXII., Pontificatus nostri Anno Quinto.

C. Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis Monachorum Cælestinorum die festo S. Petri Cælestini Papæ V. eorum Institutoris.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 30. Aug. 1681. An. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cælestium munerum Thesauros, dispensationi nostræ a Domino creditos, fideliter erogemus; cum id ad augendam in terris Sanctorum in Cælis cum Christo regnantium Venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Monachorum Cælestinorum nuncupatorum, Ordinis S. Benedicti, nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, ac singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Commu-

Preces Procuratoris Generalis.

Concessio dictæ Indulgentiæ.

nione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum dictæ Congregationis Cælestinorum, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die Festo S. Petri Cælestini ejusdem Congregationis Fundatoris, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula. §. 2. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXX. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CI.

Conceduntur quædam Indulgentiæ Perpetuæ Confraternitatibus Septem Dolorum B. M. V. in Ecclesiis Fratrum Servorum ejusdem B. M. V. erectis.

Concessa fuit Indulgentia Plenaria Confraternitatibus Habitus Servorum B. M. V. ab hoc Pontifice Const. ed. 1678., Janu. 30., Pont. 1. Et Const. ed. 1683., Octobris 24., Pont. 8. confirmatum fuit Summarium Indulgentiarum Confrater. Septem Dolorum.

Dat. 1. Sept. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Commissæ Nobis a Domino dispensationis ratio exigit, ut cælestium munerum thesauros prudenti, fidelique liberalitate erogemus, cum id ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Preces Prioris, & Procuratoris Generalis. §. 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Servorum Mariæ Virginis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus Confraternitatum sub titulo Septem Dolorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, tam hactenus in Ecclesiis dicti Ordinis erectarum, quam deinceps quandocumque erigendarum, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui suæ respective Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium Dominica Passionis a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem Dominicæ annis singulis devote visitaverint, ibique pias considerationes septem Dolorum Beatissimæ Virginis, & præcipue Passionis Domini Nostri Jesu Christi fecerint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer concedimus. (Indulgentia Plenaria die Dominica Passionis.)

Indulgentia 100. dierum per annum. §. 2. Eisdem vero Confratribus, & Consororibus per annum exercentibus se hujusmodi considerationibus, ac meditationibus, ac precibus præsertim, Oratione Dominica, & Salutatione Angelica cum Cantico, *Stabat Mater dolorosa &c.* in Ecclesiis prædictis recitari, aliisque spiritualibus exercitiis ibidem fieri solitis, ac ut præfertur, orantibus, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Indulgentia Stationum. §. 3. Præterea Confratribus, & Consororibus prædictis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium suæ respective Confraternitatis diebus Stationum Almæ Urbis nostræ in Romano Missali descriptis devote pariter visitantibus, & orantibus, ut supra, quod omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si Ecclesias, tam intra, quam extra eamdem Urbem positas ad id destinatas diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitassent.

Facultas eas applicandi per modum suffragii. §. 4. Utque iidem Confratres, & Consorores tam prædictas, quam alias quascumque Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes dictis Confraternitatibus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam forsan a Nobis quomodolibet concessas Fidelium Defunctorum Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, concedimus similiter, & indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulæ. §. 5. Non obstante nostra, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Septembris MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

CII.

Confirmatur Decretum particularis Congregationis, quo declaratum fuit, Congregationem Brigittanorum Novissimorum esse veram Religionem diversam ab ea SS. Salvatoris, seu S. Brigittæ.

Dat. 24. Oct. 1681. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum prædictæ Congregationis. Emanavit nuper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotio Fratrum Brigittanorum Novissimorum specialiter deputata Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Congregatio particularis nonnullorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium super negotio Brigittanorum Novissimorum specialiter deputata ex noviter deductis, & specialiter visis, & mature consideratis Constitutionibus Summorum Pontificum, censuit recedendum esse a Decreto alias die 5. Maji 1677. emanato, ac propterea declaravit Congregationem Brigittanorum Novissimorum esse veram Religionem sub Regula Sancti Augustini a Sancta Sede Apostolica in Congregationem erectam, diversam tamen a Religione Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Brigittæ ab Urbano VI., Martino V., Eugenio IV. erectam, & respective approbatam, & dictæ Religionis Novissimorum professos utriusque sexus esse, & reputari veros Religiosos. Romæ 2. Julii 1681. -- G. Cardinalis Carpineus Archiepiscopus San. Secr.

Preces Prioris Generalis. §. 1. Cum autem sicut dilectus filius Guillenus

nus ab Assumptione Prior Generalis Congregationis dictorum Fratrum Brigittanorum Novissimorum Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Guisleno Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio d. Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Octobris MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CIII.

Componuntur a Pontifice variæ lites ortæ inter Archiepiscopum Mechlinien., & ejus Diœcesis Regulares exemptos.

Dat. 20. Maji 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lites hujusmodi pluries examinatæ fuerunt.

Cum inter Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Mechliniensem ex una, ac dilectos filios Regularium Ordinum Professores Civitatis, & Diœcesis Mechliniensis, qui ab Ordinaria Jurisdictione exempti sunt, ex altera partibus, nonnullæ controversiæ exortæ, & in particulari Congregatione desuper a Nobis deputata pluries ventilatæ fuerint; Ipsæ vero partes, paternæ charitati nostræ ad concordiam inter eas stabiliendam benigne propensæ, humili obsequio morem gerentes, de controversiis hujusmodi inter se amicabiliter convenerint, Nobisque humiliter supplicaverint, ut opportune desuper providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Hinc est, quod Nos specialem Archiepiscopo, & Regularibus præfatis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac controversias prædictas ad Nos harum serie avocantes, omnemque litem super illis, seu earum occasione emanatam extinguentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut in posterum dictus Archiepiscopus non possit exigere a præfatis Regularibus exemptis, & Apostolicæ Sedi immediate subjectis, in eorum promotione ad Ordines, in benedictione Abbatum, & in licentiis prædicandi, & confessiones audiendi, ac in alia quacumque occasione, obedientiam cum juramento fidelitatis, sed tam ab Archiepiscopo, quam a Regularibus debeat accurate in similibus actibus observari forma, & dispositio Pontificalis Romani in Alma Urbe nostra novissime impressi: licitum autem sit iisdem Regularibus gestare in publicis processionibus cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Reliquias, & Imagines Sanctorum, hoc tamen servato, ut dictæ Reliquiæ, & Imagines portentur in principio processionis inter prima lumina, itaut inter ipsas, & Sanctissimum Sacramentum sit rationabilis, & competens distantia. In ipsis vero processionibus procedatur cum omni debita modestia, & devotione, nec illæ fiant per plateas, & vias mercatuum, ac ubi Populus in profanis cœtibus occupatus sit, non tamen liceat dictis Regularibus facere processiones hujusmodi extra Claustra suorum Conventuum, nisi duabus tantum vicibus in anno, una intra Octavam festivitatis Corporis Domini, & altera in una die Dominica, vel festiva de præcepto tantum, determinanda ab iisdem Regularibus, cum approbatione præfati Archiepiscopi, intra terminum unius mensis; cum expressa tamen declaratione, quod quidquid supra stabilitur circa prædictas processiones, non intelligatur suffragari illis Societatibus, & Confraternitatibus, quæ in Ecclesiis ipsorum Regularium erectæ, aut illis adscriptæ sint. Occurrente autem aliqua publica, & gravi causa, quæ reiterationem similium processionum requireret, non possint Regulares eas facere absque præcedente expressa licentia præfati Archiepiscopi, qui eo casu poterit providere secundum dictamina propriæ prudentiæ, & pietatis. Porro liceat iisdem Regularibus exemptis in eorum Ecclesiis absque alia memorati Archiepiscopi licentia, horis vespertinis exponere venerationi Populi præfatum Sanctissimum Sacramentum in Ostensorio, diebus, & festis infrascriptis: Videlicet, in omnibus Dominicis anni, in festis Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, Circumcisionis Domini, secundo, & tertio diebus Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, in festo Ascensionis Domini, in Octava Corporis Domini, in omnibus Beatissimæ Virginis Mariæ festivitatibus de præcepto, in festis Sanctorum Apostolorum, in die Omnium Sanctorum, in die Dedicationis Ecclesiæ, in festivitate Protectoris ejusdem, intra mensem a Regularibus eligenda, si Ecclesia plures uno habuerit, in diebus Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, ac Sanctorum Petri, & Pauli, & in festivitate Fundatoris Ordinis. Ac pariter licitum sit, ut supra præfatis Regularibus exemptis exponere iisdem horis vespertinis, sed in Ciborio, præfatum Sanctissimum Sacramentum singulis quintis feriis, aut alio die feriato intra terminum unius mensis, ut supra eligendo; licita quoque sit, ut supra expositio in Ostensorio mane tempore Missæ principalis, in iis tamen locis tantum ubi hactenus consuetum est, in diebus festivis tantum infrascriptis; Nempe Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Domini, & matutino tempore illius diei intra Octavam Corporis Domini, qua processio supra enun-

Preces partium pro compositione dd. litium.

A Pontifice nonnullæ fiun Ordinationes circa Obedientiam cum juramento.

Circa gestationem Reliquiarum.

Circa Processiones.

Circa expositionem SS. Sacramenti.

enuntiata fiet, ac in festivitatibus Assumptionis B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum. In omnibus autem expositionibus supradictis non possit populo dari nisi una tantum benedictio cum Sanctissimo Sacramento; nec idem SSmum Sacramentum possit eodem die publice exponi in pluribus Altaribus ejusdem Ecclesiæ, nec postquam in uno Altari expositum fuerit, ad aliud Altare, ut ibi pariter exponatur, transportari valeat. Quod si Sacra Communio eodem tempore quo Sanctissimum Sacramentum expositum sit, administranda fuerit, id fiat in Altari diverso, sumendo Sanctissimum Sacramentum ex Ciborio, & finita Communione reponatur in Tabernaculo, aut ita velo tegatur, ut conspici non possit. Denique circa idem Sanctissimum Sacramentum dum expositum fuerit, debeant ardere ante illud continuo saltem decem Candelæ ex cera candida, & pariter ibidem assistere absque intermissione duo Religiosi genuflexi.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXII., Pontificatus nostri Anno Sexto.

CIV.

Confirmatur Pontificis Decretum, quo vetita fuit Conventibus Carmelitarum Congregationis Mantuanæ electio Sociorum ad Generale Capitulum mittendorum.

Dat. 12. Julii 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Electio dictorum Sociorum juxta Constitutiones Congregationis.

CUm Nobis innotuisset, in Congregatione Mantuana Fratrum Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo ex præscripto Constitutionum ipsius Congregationis servari, ut quilibet Conventus, in quo sex Fratres in Sacro presbyteratus ordine constituti de familia residerent, suum eligeret socium, qui ad Capitulum Generale d. Congregationis accederet in eoque voti, sive suffragii prærogativam haberet. Verum ejusmodi Sociorum electionem, & ad Capitularia comitia accessum non solum præfatæ Congregationi, ejusque Conventibus multum adferunt dispendii, sed etiam prorsus inutiles esse, cum finis, cujus gratia introducta fuerat hujusmodi Sociorum electio, aut cessasset, aut variis artibus eluderetur, aut aliunde melius obtineri valeret, quin etiam eorumdem Sociorum in Capitulis Generalibus interventum electionibus, aliisque actibus ibidem fieri solitis, quo minus recte, atque ordine fierent, multum impedimenti, atque perturbationis invehere. Nos die 16. Martii proxime præteriti, attentis præmissis, aliisque justis de causis animum nostrum moventibus, expresse mandavimus, ut occasione tam Capituli Generalis tunc de proximo, quam aliorum quorumcumque in perpetuum celebrandorum, nullatenus a Conventibus dictæ Congregationis Mantuanæ deveniretur ad electionem Sociorum & quatenus pro tunc imminenti illorum electio secuta fuisset, sic electi non possent ad illud se transferre, & si qui ad locum pro eodem Capitulo destinatum jam se contulissent; in eo suffragari minime valerent, sub pœnis contra facientibus privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrio nostro imponendis, & alias, prout in Decreto desuper jussu nostro die prædicta expedito; cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causæ non permittendi hanc electionem.

Decretum S. Pontificis eam reprobans.

Utilitas hujus Decreti.

§. 1. Cum autem (sicut accepimus) novissime præteritum Capitulum Generale præfatæ Congregationis Mantuanæ subinde absque dictorum Sociorum interventu juxta dispositionem dicti Decreti nostri celebratum fuerit, indeque experientia cognitum sit ipsius Decreti observationem eidem Congregationi multum emolumenti, atque utilitatis attulisse, ac proinde facile sperari possit, eam in futurum quoque non minus utilem, atque proficuam fore.

Illud confirmatur a Pontifice Motu proprio sub certis pœnis.

§. 2. Hinc est, quod nos firmiori ejusdem Decreti stabilimento ex commissæ nobis cœlitus dispensationis munere providere, ac memoratæ Congregationis commodis, & utilitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero cujuscumque Capituli Generalis dictæ Congregationis Mantuanæ pro tempore celebrandi occasione, ejusmodi Socii a Conventibus ipsius Congregationis ullo modo eligantur, nec ad Capitulum Generale hujusmodi pro tempore celebrandum accedere, in eoque suffragari audeant quovis modo, seu præsumant, sub privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, aliisque nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis pœnis, tenore præsentium perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, nec causa propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata Causa, prætextu, colore, vel capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, in-

fringi,

fringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris, seu Constitutionum Congregationis præfatæ reduci, seu adversus illas oris aperitionis, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio; vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Ordinis, & Congregationis Mantuanæ, ejusque Conventuum quorumcunque, & aliis quibuslibet, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Congregationi, & Conventibus, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CV. Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ord. Carthusien., quo statuitur, ne quis utatur privilegiis aliorum Regularium in nonnullis casibus sine consensu Rev. P., aut Capituli Generalis.

Privilegia aliorum Regularium d. Ordini concessa fuerunt a Greg. XV. Const. ed. 1623., Febr. 3. P. 2. ab Alexandro III. confirmatus fuit Ordo Constit. ed. 1176., Sept. 2., P. 17., & ab hoc Pontifice approbata fuere illius nova statuta Constit. ed. 1688., Martii 27. P. 12., item extat confirmatio alterius Decreti Capituli pro quadam Taxa Constit. ed. 1682. Aug. 24. P. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 31. Julii 1682. An. 6.

Ad futuram rei memoriam.

Causa d. Decreti extitit abusus Privilegii a Greg. XV. concessi.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Carthusien., quod cum fel. rec. Gregorius PP. XV. prædecessor noster eidem Ordini Privilegia aliis Regularibus concessa gratiose communicaverit, Capitulum Generale dicti Ordinis anno 1679. celebratum, ut statuta ipsius Ordinis, quæ præcipue ob solitudinem, & silentium, specialia, & strictiora, quam aliorum Ordinum sunt, illibata servaret considerans, ex communicatione privilegiorum hujusmodi aliquos ejusdem Ordinis Monachos inveniri, qui sibi placentia licere putarent, & prætextu opinionum quorundam Theologiæ moralis Doctorum de hujusmodi privilegiis nimis large sententium, atque etiam quorundam verborum in ipsis Literis Apostolicis contentorum, quæ pro suo captu interpretabantur, statuta prædicta penitus evertere conarentur, illaque per privilegia hujusmodi abrogata esse censentes, se iisdem privilegiis frui debere pertinaciter assererent, ad præcludendam tot erroribus viam, prævertendamque animarum perniciem, quæ inde potuisset exoriri, decretum, seu Statutum edidit tenoris, qui sequitur videlicet. Ex Sedis quidem Apostolicæ gratia Ordo gaudet communicatione Privilegiorum aliorum Regularium Ordinum, ut patet ex Bulla Gregorii PP. XV. sed ne ullus unquam abusus ex tam amplis privilegiis irrepat inter nos contra mentem Ordinis, & ipsius Sedis Apostolicæ, quæ juxta exigentiam temporum, privilegia ipsa explicat, aut restringit, statuimus, & ordinamus, ne ulla persona Ordinis possit uti privilegiis aliis Regularibus concessis circa casus, censuras, & dispensationes, quæ in nostris Statutis expressa non habentur, absque scitu, & consensu Rev. Patris, aut Capituli Generalis, ad quod pertinet privilegiorum istorum dispensatio. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Procurator Generalis Statutum, seu Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nobis propterea dilecti etiam filii Superioris Generalis dicti Ordinis, ac Capituli Generalis prædicti nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretum Capituli Generalis.

Preces Superioris, ac Procuratoris Generalis.

§. 1. Nos igitur Superiorem Generalem, & Procuratorem Generalem præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, præinsertum Decretum, seu Statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio supra relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur; quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXXI. Jul. MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CVI.

Transfertur Indulgentia Plenaria perpetua in Festis SS. Placidi, & Mauri ad Festa SS. Zoili, & Felicis in Monasterio S. Zoili de Corrion Palentinæ Diœcesis.

Prædicta Indulgentia in Festis SS. Placidi, & Mauri concessa fuit a Clemen. X. Constitut. ed. 1671. Dec. 19. P. 2.

Dat. 24. Aug. 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas, & Monachi Monasterii Sancti Zoili Loci de Carrion Palentinæ Diœcesis Ord. Sancti Benedicti, quod inter alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Christifidelibus Ecclesias Ordinis ejusdem S. Benedicti visitantibus, a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessas, fel. recor. Clemens Papa X. Prædecessor pariter Noster, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum, tam Monachorum, quam Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium, eatenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in Sanctorum Benedicti, & Scholasticæ, ac Placidi, & Mauri festis diebus, necnon die decima tertia Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti Commemoratio ibidem fieri solet a primis Vesperis, usque ad occasum Solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quo die ex prædictis id egissent plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino in perpetuum concessit, prout in literis Apostolicis desuper in simili forma Brevis die decima nona Decembris 1671. expeditis uberius continetur.

A Clemen. X. concessa fuit præd. Indulgentia in festis S. Benedicti, Scholasticæ, Placidi, & Mauri.

Preces Abbatis, & Monachorum.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præfata Ecclesia Monasterii S. Zoili de Carrion a Christifidelibus illarum partium, diebus festis Sanctorum Placidi, & Mauri, minus frequentetur, majorque ad illam confluat Fidelis Populi multitudo in diebus Festis Sanctorum Zoili, ac Felicis Martirum quorum Corpora (ut pie creditur) in eadem Ecclesia honorifice collocata sunt. Nobis propterea d. Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Translatio præfatæ Indulgentiæ.

§. 2. Nos igitur supplicationibus eorumdem Abbatis, & Monachorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam plenariam diebus festis Sanctorum Placidi, & Mauri concessam, ut præfertur, quoad Ecclesiam Monasterii S. Zoili de Carrion dumtaxat in diebus festis eorumdem Sanctorum Zoili, & Felicis Martyrum; itaut Christifideles vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, qui de cætero eamdem Ecclesiam in diebus festis memoratorum Sanctorum Zoili, & Felicis a primis Vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi, ut supra oraverint, quo die prædictorum id egerint eamdem plenariam Indulgentiam omnium peccatorum suorum, & remissionem consequantur, quam consequerentur si in ipsis festivitatibus Sanctorum Placidi, & Mauri Ecclesiam prædictam visitarent, servata tamen cæteroqui supradictarum literarum forma, & dispositione, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo transferimus; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XXIV. Aug. MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CVII.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de electione S. Ignatii de Loyola in Patronum Regionis Cantabriæ.

Similem electionem S. Josephi habes Constit. ad 1671. Apr. 19. P. 3.

Dat. 7. Sept. 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus præpositorum emanavit ad favorem dilectorum filiorum Communitatum, ac Universitatum, & hominum, Civitatum, & Locorum, Regionis illius Cantabriæ, quæ Hispanice Vizcaja nuncupatur Decretum tenoris, qui sequitur: videlicet. Sacra Rituum Congregatio ad relationem Emi, & Rmi Dni Cardinalis Columnæ, cognita causa, quod Regio illa Cantabriæ, quæ hispanice Vizcaja nuncupatur per omnium Civitatum, & Locorum suffragia elegit sibi Patronum unicum Sanctum Ignatium de Loyola Societatis Jesu Fundatorem ob præstantem ejus Sanctitatem, & specialem omnium propensionem in eum, utpote illius dominatus originarium, & hujusmodi electio facta fuit servatis servandis juxta Decretum super electione Sanctorum in Patronos ab eadem Sacra Congregatione jussu fel. rec. Urb. VIII. sub die 23. Martii 1630. emanatum, prædictam electionem approbavit, & confirmavit: Et de præfato S. Ignatio, ut præfertur in unicum Patronum principalem sic electo, prærogativas omnes eisdem

Decretum præd. Congregationis.

unicis

unicis Sanctis Patronis principalibus competentes decrevit, juxta tamen Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, & ad formam Constitutionis ejusdem Urbani VIII. super observatione festorum die 13. Septembris 1641. edit. hac die 22. Augusti 1682.-- Cæs. Card. Fachenettus -- Bernardus Casalius Sacr. Rituum Congregationis Secretarius.

Preces Populorum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte Communitatum, ac Universitatum, & hominum præfatorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Dat. Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die VII Septembris MDCLXXXII. Pontificatus nostri anno Sexto.

CVIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum quo declaratur, licere Monachis Carthusien. Papiæ instituere Processionem in Festivitate Corporis Christi apertis Janius intra Claustra.

De Privilegiis Carthusianorum vide Const. ed. 1682. Julii 31. P. 6. Item Constit. ed. 1688. Octob. 18. P. 6.

Dat. 11. Sept. 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum Congr. prædictæ contra Promotorem Fiscalem Mensæ Episcopalis Papiæ.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris qui sequitur, videlicet. In Congregatione Sacrorum Rituum proponente Emo, & Rmo D. Cardinali Ludovisio, discussa causa controversiæ processionis fieri solitæ solemnitatis SSmi Corporis Christi verten. inter Monachos Carthusianos Papiæ, & Promotorem Fiscalem Mensæ Episcopalis ejusdem Civitatis, eadem Sacra Congregatio utraque parte hinc inde audita, & informante, declaravit licere Patribus Carthusiæ Papien. facere Processionem in festivitate Corporis Christi apertis Janius intra Claustra, & ita decrevit die 22. Augusti 1682. -- Cæs. Cardinalis Fachenettus -- Bernardus Casalius Sac. Rit. Congregationis Secret.

Preces Prioris, & Monachorum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Monachorum Monasterii Papien. Ordinis Carthusien. Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent, Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari. Sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & deffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Septembris MDCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CIX.

Confirmatur Summarium Indulgentiarum, & facultatum Confraternitati Servorum, sive Septem Dolorum B. M. V. concessarum.

Aliæ Indulgentiæ huic Confraternitati concessæ fuerunt Constit. ed. 1681. Septem. Pont. 5.

Dat. 24. Oct. 1682. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Plures Indulgentiæ, & facultates concessæ fuerunt d. Confraternitati.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti filii Vicarius Generalis, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quod nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri quasdam Indulgentias, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes Confratribus, & Consororibus Confraternitatis sub titulo Servorum, sive Septem Dolorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis erectæ, & institutæ, sub certis modo, & forma tunc expressis concesserint, ac Priori Generali, eoque absente Vicario Generali dicti Ordinis similes Confraternitates erigendi, & instituendi, illisque Indulgentias, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes hujusmodi communicandi facultatem tribuerint; Summarium earumdem Indulgentiarum, aliarumque gratiarum confectum, ac de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositæ a quodam ipsius Congregationis Consultore cum originalibus Literis Apostolicis concessionum hujusmodi collatum, & recognitum fuit, tenoris, qui sequitur.

Summarium Indulgentiarum recognitum.

Indulgenze della Compagnia di S. Maria de' Servi, detta de' Sette Dolori.

I.

Indulgenza Plenaria nel giorno, che si veste l'abito.

La Sa. me. di Paolo V. rivocando tutte l'Indulgenze concesse da' suoi Predecessori, concede ad ogni fedel Christiano dell'uno, e dell'altro sesso, che pigliaranno il solito Abito della Beata Vergine de' Servi, & entraranno nella predetta Confraternità nel primo giorno del loro ingresso, se veramente pentiti, e confessati, si comunicaranno, Indulgenza plenaria.

II.

Nel giorno della Principale Festa.

Alli Confrati, e Sorelle di detta Confraternità, che nel giorno della Festa Principale di detta Confraternità dalli primi Vespri, fino al tramontar del Sole, veramente pentiti, confessati, e communicati divotamente visitaranno la Chiesa, dove è eretta detta Confraternità, & ivi pregaranno Iddio con devote Orazioni per la concordia de' Prencipi Cristiani, estirpazione dell' Eresie, esaltazione della Santa Madre Chiesa Indulgenza plenaria.

III.

Nel punto di morte.

In articolo di morte alli detti Confratelli, e Consorelle, che pentiti, e confessati, e communicati, ò non potendo ciò fare, almeno veramente pentiti invocaranno divotamente il nome di Gesù con la bocca, se potranno, ò col cuore, Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati.

IV.

Altre Indulgenze in alcune Festività.

In oltre alli Fratelli, e Consorelle parimente pentiti, confessati, e communicati, che similmente visitaranno la Chiesa, Cappella, ò vero Oratorio della detta Confraternità nella Natività, Annunciazione, Purificazione, & Assunzione della Beata Vergine da primi Vespri, fino al tramontar del Sole di dette Feste, e pregaranno Iddio, come sopra; sette anni, e tante Quarantene.

V.

Nella Processione del Mese.

A quelli, che interverranno alla Processione da farsi per detta Confraternità in una Domenica del mese con licenza dell'Ordinario, se saranno pentiti, confessati, e comunicati, come sopra; trè Anni, e tante Quarantene.

VI.

Nel giorno di Venerdì.

A quelli, che ogni Venerdì in memoria, & onore della Passione di Gesù Cristo Signor Nostro recitaranno cinque Pater, e cinque Ave, pregando Iddio per l'esaltazione di Santa Madre Chiesa, se nel medesimo giorno, si faranno confessati, e communicati, sette anni, & altrettante Quarantene.

VII.

Nell' accompagnamento del SS. Sacramento.

A quelli, che accompagneranno il Santissimo Sagramento dell' Eucaristia all' Infermi, pregando Iddio per loro salute, ogni volta cinque anni, e tante Quarantene.

VIII.

Nella recitazione dell' Offizio.

A quelli, che insieme recitaranno l'Offizio della Beata Vergine nella Chiesa, ovvero Oratorio di detta Confraternità; cento giorni d'Indulgenza.

IX.

Nella presenza alle Messe, e Divini Uffizj &c., e nel fare opere pie.

A predetti Fratelli, e Consorelle, che saranno presenti, & interverranno alle Messe, & altri Divini Offizj da celebrarsi, e recitarsi da detti Confratelli nella Chiesa, ovvero Oratorio di detta Compagnia, o interverranno alle Congregazioni publiche, o private di detta Confraternità in qualsivoglia luogo si faranno, ovvero accompagnaranno i corpi de loro Defonti Confratelli, o di qualunque altro alla Sepoltura, ovverò faranno qualunque altra opera pia, o caritatevole ogni volta sessanta giorni d'Indulgenza.

X.

Il Generale dell'Ordine puole fondare altre Confraternità, secondo il Breve di Paolo V.

Con facoltà al Padre Generale dell'Ordine de' Servi *pro tempore* erigere, & instituire dette Compagnie de' Laici dell'uno, e l'altro sesso nelle Chiese dell'Ordine, dove sia Convento almeno di sei, o cinque Frati professi Sacerdoti del. suo Ordine con licenza, e consenso dell'Ordinario del Luogo, e di comunicar loro tutte le sopradette Indulgenze, e. grazie spirituali servata la forma della Costituzione di Clemente VIII. *Quæcumque &c.* Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Februarii 1607.

XI.

Indulgenza Plenaria nella Processione d'ogni terza Domenica.

L'istesso Sommo Pontefice concede Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati a i Fratelli, e Consorelle delle dette Confraternità canonicamente erette nelle Chiese dell'Ordine, che interverranno divotamente alla Processione solenne solita farsi dalla Confraternità ogni terza Domenica del mese nelle Chiese sudette veramente pentiti, confessati, e comunicati divotamente pregando per la concordia de' Prencipi Christiani, estirpatione dell'Eresie, & esaltazione della Santa Madre Chiesa. Dat. Romæ die decima Martii 1611.

XII.

E perche non in tutti i luoghi è solito farsi detta Processione nella terza Domenica del mese, l'istesso Sommo Pontefice concede Indulgenza plenaria alli Fratelli, e Consorelle della detta Compagnia, che interverranno divotamente alla detta Processione in una qualsivoglia Domenica del mese, che si farà nelle Chiese dell'Ordine, conforme alla consuetudine delle Città, e Luoghi, se veramente pentiti, e comunicati, e pregaranno Iddio, come sopra sub Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1611.

XIII.

Facoltà data al Padre Generale, e Vicario Generale da Clemen. VIII.

L'istesso Sommo Pontefice da facoltà al Generale *pro tempore*, & in assenza al di lui Vicario Generale dell'Ordine de' Servi d'eriggere, & instituire nelle Chiese dell'Ordine Confraternità conforme alla forma prescritta di sopra, e comunicar loro dette Indulgenze, ancorchè non vi abitino almeno cinque Frati Sacerdoti professi, & in oltre concede, che i Fratelli, e Sorelle delle Compagnie sudette, innanzi li 14. Febraro 1607. instituite in Chiesa, dove non fossero almeno cinque Sacerdoti professi godano tuttavia l'Indulgenze della Compagnia, facendo l'opere prescritte. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris 28. Julii 1607.

XIV.

Altra facoltà conceduta da Urb. VIII.

La Sa. me. d'Urbano VIII. concede al Prior Generale dell'Ordine de' Servi, facoltà anco di erigere la sudetta Compagnia nelle Chiese de' Secolari, con il consenso però espresso dell'Ordinario del Luogo, e Rettore di dette Chiese, e conforme alla prescritta forma di Paolo V. ne' Brevi sopradetti, e di comunicarle tutte l'Indulgenze da detto Paolo V. concesse alla medesima Confraternità, & inoltre di poter il Prior Generale per una sol volta destinare nelle dette Chiese Secolari li Sette Altari, che divotamente visitati dalli Confratelli, e Sorelle di queste Confraternità da eriggersi in virtù di tal facoltà conceduta da Urbano VIII., e osservando essi l'altre cose per guadagnare le dette Indulgenze, e grazie spirituali, che questi le conseguischino, come nel Breve dato li 18. Settembre 1628.

Preces Vicarii, & Procuratoris.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Vicarius Generalis, & Procurator Generalis præfati, præmissa, quo firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos

specialem

specialem ipsis Vicario Generali, & Procuratori Generali gratiam facere volentes; & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Summarium præinsertum, cum omnibus, & singulis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Summarii.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Octobris MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CX.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris circa abrogationem Commissariorum Generalium pro Provinciis Indiarum Orientalium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

De Commissariis Generalibus Indiarum, vide Urbani VIII. Const. ed. 1625., Novem. 20. P. 3.

Dat. 13. Dec. 1682. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ altitudo humilitati nostræ, viribus licet, & meritis longe impari, imponere dignata est, paternam Christifidelium qui e fluctibus sæculi in portum vitæ religiosæ confugerunt, curam peculiari charitate assidue gerentes, ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur libenter corroboramus.

Species facti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ambrosius ab Assumptione Frater expresse professus, ac Procurator Provinciarum S. Thomæ Apostoli, & Matris Dei in Indiis Orientalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod Venerabilis Frater Noster Alderanus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Cybus nuncupatus, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector inhærendo quibusdam patentibus literis a dilecto filio Petro Marino Sormano Generali ejusdem Ordinis die 21. Maji proxime præteriti emanatis, easque opportune declarando, & quæ deerant supplendo, decrevit, & mandavit, ne de cætero Commissarii Generales ad dictas Provincias amplius deputentur, variasque ordinationes fecit, tam circa deputationem Præsidum, & Conjudicum, qui Causas appellationum in eisdem Provinciis cognoscant, & fine debito prout juris fuerit terminent, quam circa Commissarios ad visitandas Provincias hujusmodi, celebrandaque illorum Capitula Provincialia deputari solitos, necnon circa præcedentiam dictis Præsidibus decernendam, & alias, prout uberius continetur in ipsius Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Literis patentibus desuper expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Card. Protectoris cum altero Ministri Generalis.

§. 2. Alderanus Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector.

§. 3. Dilectis Nobis in Christo Patribus Provincialibus, Provinciæ Patribus, Custodi, Diffinitoribus, cæterisque aliis Patribus, & Fratribus Provinciarum nuncupatarum S. Thomæ Apostoli, & Matris Dei in Indiis Orientalibus salutem, & divinorum Chrismatum incrementum. Fr. Ambrosius ab Assumptione Provinciæ Matris Dei Pater, & Commissarius Generalis Terræ Sanctæ, quem procuratorio nomine ad Capitulum Generale, & ad Romanam Curiam pro utriusque vestræ Provinciæ negotiis ablegastis, exhibuit Nobis quasdam Literas patentes Patris Petri Marini Sormani Moderni Ministri Generalis totius Ordinis S. Francisci datas in Conventu S. Joannis Regum Toleti sub die 21. Maii 1682. quarum tenor est, quod attenta petitione per dictum Procuratorem nomine vestro ei oblata, visis, & prævia consultatione nonnullorum Patrum graviorum mature perpensis rationibus per vos, Procuratoremque vestrum præfatum exhibitis, ne imposterum ob maximam paupertatem, & angustiam, qua vestræ Provinciæ premuntur, Commissarii Generales ad easdem Provincias deputentur, prælatus Minister Generalis tum ad evitandos maximos sumptus in deputatione, & Missione dictorum Commissariorum, fieri consuetos, tum etiam ut electiones vestræ majori cum pace, ac sine alicujus præpotentia perfici possent, statuit atque decrevit dictas Provincias vestras ab hujusmodi onere, & dispendiis eximere, ac proinde tales Commissarios Generales non amplius deputare, nec ab aliis imposterum deputandos fore, prout in dictis Literis patentibus expresse, & latius continetur. Cumque idem Fr. Ambrosius ab Assumptione easdem literas patentes auctoritatis, protectionisque nostræ robore muniri, & confirmari humiliter postulaverit: Nos firmo permanente ipsarum literarum tenore, quem hic pro inserto habere volumus, aliquibus tantummodo pro majori claritate, & faciliori executione immutatis, atque ordinatis, decernimus pariter, & mandamus præfatos Commissarios Generales ad dictas vestras Provincias non amplius deputari debere, & præsentem determinationem a moderno, & pro tempore existente Magistro Generali inviolabiliter observandam fore. Ne autem earundem Provinciarum Religiosi, quoties a proprio Provinciali, vel Diffinitorio per sententiam se injuste gravari sentirent, Appellationis beneficio careant, inhærentes dispositioni dictarum literarum patentium, volumus, & præsentium tenore præcipimus, ut in Capitulis utriusque Provinciæ per Diffinitorium noviter electum deputetur unus ex maturioribus, & doctioribus Provinciæ Patribus, qui tanquam Præses appellatio-

Interdicta fuit missio dd. Commissariorum, & permissa electio Præsidis, ac judicum appellationum.

num infimul cum aliis duobus Patribus graduatis ejusdem suæ Provinciæ, qui Religioso Appellanti non sint legitime suspecti, ab ipso Præsidente quoties opus fuerit eligendis, & deputandis tanquam Conjudicibus possit, & debeat diffinitive judicare, & sententiare in causis appellationum, cui ad hunc effectum plenam concedimus auctoritatem, servatis omnibus, quæ fuerint de jure servanda, ejusque Præsidentis, & dictorum Conjudicum conscientiam in administratione recti judicii gravissime oneramus. Hoc autem ita volumus executioni demandari, ut Præses cum suis Conjudicibus audiat, & judicet Causas non illius Provinciæ, ex qua ille est, sed alterius, itaut qui est ex Provincia S. Thomæ inserviat pro Provincia Matris Dei, & e contra: Quod si contigerit dictum Præsidentem, vel per mortem, vel per discessum, vel per aliam quamcumque causam deficere, Provincialis, & Diffinitores illius Provinciæ, qui eum elegerunt ad alterius Præsidentis electionem etiam extra Capitulum, & Congregationem devenire possint, & debeant. Quo autem ad Commissarios, qui ad visitandas Provincias, ad celebranda Capitula deputari debent (cum hoc hucusque varie practicatum fuerit) volentes rem hanc ad certam, stabilem, ac magis congruam methodum redigere, decernimus, ut inposterum debeant assumi non ex illa Provincia, ubi Capitulum est celebrandum, sed ex altera, ne rebus propriis, & amicorum solummodo incumbentes, leges confundant, ac munus tanti momenti, vel injuste, vel violenter exerceant. De cætero leges, & consuetudines antiquæ observentur, ut scilicet Provincialis cum Diffinitorio, & PP. Provinciæ, Magistro Generali, seu Commissario Generali familiæ, ad quos pro tempore spectabit proponant, seu nominent tres Religiosos alterius præfatæ Provinciæ huic muneri idoneos, ex quibus unum eligere possint. Hanc tamen propositionem, seu nominationem volumus ad Generalem mitti per primam post Capitulum opportunitatem alicujus Navis, quæ Europam versus dirigetur. In quo si Provincialis, vel alii negligentes reperti fuerint, ejusdem Generalis arbitrio graviter puniatur. Quod si ob naufragium, nimiam distantiam, vel aliud inevitabile impedimentum non habeatur a Magistro Generali responsum quatuor mensibus ante tempus præfixum, & consuetum Capituli celebrandi, tunc possit Provincialis cum Diffinitorio, & Patribus Provinciæ unum ex tribus jam propositis tanquam Commissarium Visitatorem advocare, qui omnia, & singula præstare possit, & valeat, quæ missi, & deputati a Generali Magistro præstare solent, ita & taliter, quod etiam superveniente postea deputatione facta a præfatis Magistro Generali, vel Commissario, talis deputatio nullum sortiatur effectum, ac si facta non fuisset: Ut autem contentiones, quæ ex defectu declarationis præcedentiæ, quam habere debent d. Præsidentes tam in propria, quam in aliena Provincia oriri possunt dirimantur, facultatem concedimus Diffinitoriis utriusque Provinciæ decernendi eam in propria respective Provincia præcedentiam, quam rationi, & æquitati consentaneam judicaverint futuris temporibus perpetuo valituram. Ac tandem præcipimus vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis arbitrio nostro infligendis, ut hæc omnia a vobis petita, & a nobis, & Magistro Generali respective in utilitatem, & quietem publicam concessa, deinceps accurate servetis, & ab aliis omnino servari faciatis. Valete, nosque Deo assidue commendate. Romæ 17. Decembris 1682. A. Cardinalis Cybo Protector. Joannes Baptista Rusca.

Preces Procuratoris Generalis dictarum Provinciarum.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præfatus Ambrosius præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: nos ipsum Ambrosium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas memorati Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris patentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmat relati Decreti.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decembris MDCLXXXII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXI.

Confirmantur nonnullæ Constitutiones Congregationis Silvestrinorum Ordinis S. Benedicti.

Approbata fuit hæc Congregatio ab Inn. IV. Const. ed. 1247. Jun. 27. Pont. 5., a Paulo III. Const. ed. 1543., Mar. 21. Pont. 10. determinatum fuit tempus electionis Priorum. Et ab Alexandro VIII. confirmatum statutum Congregationis Const. ed. 1690., Octob. 15., Pont. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 15. Jan. 1683. An. 7.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus solicitudo Nos urget, atque impellit, ut paternam Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ Monasticæ instituto mancipatorum curam peculiari charitate gerentes ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, &

gubernio

gubernio provide constituta esse noscuntur, quo firma semper, atque stabilia permaneant Apostolici muniminis patrocinio roboremus.

Constitutiones prædictæ approbatæ fuerunt in Dieta generali.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes-Matthæus Felicianus Abbas Generalis Congregationis Monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis Sancti Benedicti, quod ipse, & cæteri omnes Graduati, & vocales dictæ Congregationis in eorum Dieta Generali Matelicæ diebus tertia, & quarta, & quinta Novembris 1681. celebrata, cui dilectus filius noster Jacobus S. R. E. Presbyter Cardinalis Franzonus nuncupatus ejusdem Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector assistentiam, & præsentiam præstitit, examinarunt, & per vota secreta approbarunt nonnullas Constitutiones, & Declarationes tenoris, qui sequitur, videlicet.

COSTITUZIONI, E DICHIARAZIONI.

De' Discreti.

Che si abolissero i Discreti, quali si creavano in ogni Monasterio ne' tempi de' Capitoli Generali, e che in avvenire, si dovessero celebrare detti Capitoli Generali, e le Diete particolari, senza il loro intervento.

Delli Vocali, ne' Capitoli generali.

Che in avvenire in detti Capitoli Generali concorressero con i loro voti solo il Generale, il Procuratore Generale, due Visitatori *pro tempore*, quelli sono stati Generali, o Procuratori Generali, quindici Abbati di Governo, nove Abbati Titolari, il Maestro di Novizj, il Secretario della Congregazione, il Compagno del Procurator Generale, il Bibliothecario di S. Benedetto di Fabriano, un Lettore di Theologia, un Lettore di Filosofia, & un Lettore di Lettere umane, tutti per il servizio della nostra Gioventù.

Di alcuni Vocali.

Che i sudetti tre Lettori, il Maestro de' Novizj, il Segretario della Congregazione, & il Compagno del Procurator Generale abbiano voto perpetuo, perseverando ne' loro Offizj, mà spontaneamente rinunciando, o lasciando, o essendo deposti per giuste cause, prima di essere provisti di Badia Titolare, non abbiano tal voto, nè abilità alla Badia Titolare, anzi il Compagno del Procurator Generale non abbia voto perpetuo, nè abilità alla Badia Titolare, se per due Governi non abbia esercitata lodevolmente la carica.

Delli graduati, e detti Vocali.

Che si confermino perpetualmente ne' gradi Abbaziali tutti i sogetti, che di presente sono graduati, e si conceda facoltà al Generale, a quelli sono stati Generali, ed alli quattro Definitori della sudetta Dieta col consenso dell' Eminentissimo Protettore, acciò possano creare anco fuori del Capitolo, o Dieta li sudetti tre Lettori, il Maestro de' Novizj, il Segretario della Congregazione, ed il Compagno del Procurator Generale, acciò canonicamente possano intervenire con i loro voti ne' futuri Capitoli Generali.

Del Generalato.

Che in avvenire possa esser solo assunto al Generalato, o il Procurator Generale, o un de' Visitatori, o un' Abbate di governo, o uno di quelli haverà spontaneamente rinunziato il governo, o uno di quelli saranno stati Generali, o Procuratori Generali, purchè nel Generale, che termina, o in quelli averano terminato, si frapongano due governi, ed i medesimi sogetti siano capaci del Procuratorato Generale.

Della distribuzione delle Badie.

Che nella distribuzione delle Badie di governo da farsi ne' Capitoli Generali, o nelle Diete particolari, si osservi il sequente modo. In primo luogo sia sempre provisto a sua sodisfazione il Generale, che termina l'Offizio, ed in secondo tutti gl' altri Graduati, ed Abbati di governo, o sia il Procuratore Generale, o Visitatori, o Abbati locali, con espressione, che nelle prime vacanze in primo luogo, siano provisti alcuni, che sono stati Generali, ed in secondo alcuni, che sono stati Procuratori Generali secondo le loro anzianità, e tale espressione s'intenda per la prima volta solo, acciò alcun de' sudetti, che di presente, si trovano senza governo, siano provisti, se gli parerà.

Delle vacanze de' Gradi, o Offizj.

Che se ne' sudetti Capitoli, o Diete si averà a fare alcuna provisione de' gradi, o Offizj vacanti, o per causa di morte, o di spontanea rinunzia, o per canonica disposizione, si osservi la sequente forma. Se vacarà Badia di governo, sia sempre sustituito un Titolare. Se vacarà un Titolare sia sostituito uno de' vocali non Abbati, o altro Sogetto, in cui concorrano i debiti requisiti, *ut infra*. Se vacarà uno de' sette Vocali non Abbati, si sostituisca un Sogetto capace per l'Offizio, che mancarà. Che mancando alcun Grado, o Offizio fuori de' Capitoli Generali, o delle Diete particolari, si proveda in tal modo. Se vacarà la Procura Generale, si sostituisca uno de' Sogetti abili al Generalato, o Procuratorato Generale descritti di sopra ad arbitrio del Generale. Se vacarà Badia di governo, il Generale con li quattro Definitori del Capitolo antecedente provedano di un Presidente da cavarsi dal numero de' Titolari. Se vacarà alcuno de' Visitatori, si proveda da medemi di Presidenti, da cavarsi dal numero degl' Abbati di governo, o di altro, che avesse rinunciato il governo. Se vacarà Badia Titolare, o il Bibliothecario, non si faccia provista alcuna fino al Capitulo Generale, o Dieta particolare. Se vacarà alcuno de' gl'altri sei Vocali non Abbati, si proveda dà sudetti di supplemento idoneo fino al Capitolo, o Dieta, dove si farà l' Elezione di tutte le cariche, che vacaranno.

Delle mutazioni, e rinunzie di Badie.

Che volendo alcuno degl' Abbati di governo permutare con altro di governo, o Titolare per giuste cause dà riconoscersi dal Generale, Visitatori, e consenso dell' Eminentissimo Protettore *pro tempore*, possa farsi anche fuori di Capitolo, o Dieta; come anco volendo alcuno degl' Abbati di governo spontaneamente rinunciare, sia sempre rinvestito della Badia Titolare, che vacarà per l'assunzione di un Titolare alla Badia del renunciante, mà per giuste cause dà riconoscersi, come sopra. Che volendo desistere dal governo alcuno di quelli sono stati Generali, o Procuratori Generali, o di governo, possano in caso di vacanza, essere reassunti al Governo nè Capitoli, o Diete egualmente ch' ogn' altro Titolare.

Delli Vocali exclusi.

Che quelli, li quali ne' tempi passati sono stati Superiori Vocali in alcuno de' nostri Monasterj, e senza loro difetto, ora si ritrovano esclusi, godano in avvenire voce attiva perpetua ne' Capitoli Generali, mà senza successione in altri dopo la loro morte, ed abbiano abilità alla Badia Titolare, per l'assunzione alla quale godano i privilegj degl' altri Titolari.

Del Segretario.

Che il Segretario della Congregazione goda voce attiva, e passiva perpetua ne' Capitoli Generali, mà non nelle Diete particolari, nelle quali assista solo, come Segretario, o Cancelliere.

Di alcune abilitazioni.

Che quelli, li quali per trè governi intieri averanno lodevolmente esercitato l'Offizio, o del Priorato, o del Camerlengato, o della Cura di Anime, o le Confessioni Sacramentali de' Secolari, abbiano abilità alla Badia Titolare, purchè i Curati, e Confessori abbiano buona attestazione degl' Ordinarj, anzi avendo alcuno de' sudetti esercitato fino al presente qualche tempo uno, o più di detti Offizj, le venga computato nel numero delli sudetti tre governi.

Delle precedenze.

Che per la precedenza frà Vocali entro, e fuori de' Capitoli, o Diete s' osservi l'uso antico della Congregazione, e come con Decreto par-

Delle Mozzette.

Del Capitolo generale, e Dieta particolare.

ticolare si stabilì nella sudetta Dieta Generale.

Che il Generale reassumesse l'uso antico della mozzetta, come si prescrive anco dalla Costituzione della Congregazione.

Che si riduca il governo di tutti i Superiori Generali, e locali a quattro anni, di maniera che se bene tutti i Graduati sono perpetui, come sopra, tuttavia ogni quattro anni abbiano dà eleggersi nuovi Superiori Generali, e variarsi i governi dà un Monastero all' altro. Che il Generale in mezzo al governo abbia à convocare una Dieta particolare in quel Monastero, che giudicarà più di proposito, in cui intervengano con i loro voti solo il medesimo Generale, il Procurator Generale, quelli sono stati Generali, o Procuratori Generali, li quattro Definitori del Capitolo antecedente, li due Visitatori *pro tempore*, ed il Superiore locale, dove si celebra la Dieta, li quali abbiano facoltà di provedere gradi, ed Offizj, che vacassero, e far tutto ciò, sarà giudicato espediente per utile della Congregazione, fuor che di rimovere dall' Offizio, o dalla stanza i Superiori Generali, e Locali, e non in caso, o di rinuncia, o per loro istanza, o per canonica disposizione, alla quale Dieta intervenga anco il Segretario, mà come Cancelliere, *ut supra*.

Preces Abbatis Generalis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in præfata Dieta Generali ordinatum fuerit, ut Constitutiones, & Declarationes hujusmodi huic Sanctæ Sedi præsentarentur, ad hoc ut Apostolicæ confirmationis robore munirentur, Nobis propterea dictus Joannes Matthæus Abbas Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio relatarum Constitutionum.

§. 3. Nos igitur ipsius Joannis Matthæi Abbatis Generalis votis, hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super statu Regularium deputatorum, qui rem mature per binas vices discusserunt consilio, supradictas Ordinationes, Declarationes, & Acta ultimæ Dietæ Generalis Monachorum Silvestrinorum habitæ de mense Novembris 1681., præsidente, & approbante supradicto Jacobo Cardinali Congregationis hujusmodi Protectore, in omnibus, & per omnia auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa ab iis, ad quos pertinet inviolabiliter observari, & executioni mandari præcipimus, sub pœnis Congregationis eorumdem Cardinalium arbitrio infligendis, ac salva semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

10. Item il Barbiero dovrà andare a cavar sangue, ed altre cose, che al suo officio toccano alle ore, che il Medico gli ordinarà.

11. Item lo Speziale darà i medicamenti freschi, e buoni, e se altrimente, non gli saranno messi in conto; gli darà sempre per ricetta del Medico, e quando l'Infermiero l'anderà a pigliare, portarà il Libro, che deve stare nella detta Infermeria con le dette ricette, ed esso le metterà in suo Libro, e per ambedue i Libri, se gli farà pagamento nel fin dell'anno, come parerà al Medico.

12. Item tanto che cesserà la febre agl' Infermi, staranno in convalescenza i giorni, che parerà al Medico, ed in essi, si darà tutto il necessario, e dopo l'Ospidaliere li licenziarà, dandogli uno scritto contrasegno di convalescenza nella forma solita.

13. Item morendo alcun' Infermo, l'Ospidaliere lo farà saper subito al Governatore, acciò disponga quello, che nel suo reggimento si è detto. Ed essendo tempo, che se gli possa dir Messa, se gli dirà nell'Altare Privilegiato, e quando nò, nel giorno prossimo seguente. E si ordina a' Sacerdoti, che nel momento specialmente lo raccomandino, ed a' Pellegrini nelle loro Orazioni, di tutto che averà cura l'Ospidaliere, acciò si facci osservar, conforme in questi Statuti si dispone, e doppo d'esser serrata la porta della Chiesa all'ora, che parerà più conveniente, il detto Ospidaliere chiamerà tutti i Cappellani, ed essi con le Cotte, e torce, ed il Sagrestano colla Stola, e tutti in voce bassa cantando il solito, accompagnaranno il Defonto fino alla Sepoltura, dove sarà portato da quattro Pellegrini involtato in un lenzuolo, ed avanti di seppellirlo, se gli raccomanderà l'anima a Dio nella forma del Rito Romano.

14. Item l'Ospidaliere non consentirà, che Pellegrino alcuno, o qualsivoglia altra persona dorma ne' letti dell'Ospedale, benchè non abbia Infermi, e siano tanti li Pellegrini, che non entrino nell'Ospizio.

15. Item nel fine di ciascun mese l'Ospidaliere farà la lista di quello si è speso nell' Infermeria, ed altro, che appartiene ad esso, e la portarà al Governatore, acciò gli facci passar mandato in Congregazione, acciò il Camerlengo li paghi. E nella detta lista metterà l'elemosina straordinaria, che la Congregazione gli mandò dare in quel mese, dicendo la quantità, e a chi persone, tutto con chiarezza, e distinzione.

16. Item nel fine del mese portarà al Governatore la lista delle falte, che fecero i Cappellani nell' assistenza degl'Infermi, acciò siano multati nella forma del *Capitolo 8. del lib. 2.*

CAPITOLO QUARTO.

Dell' Infermeria, e suoi Obblighi.

1. Si fa intendere all'Infermiero *pro tempore* che non può fare opera più grata a Dio, ed a S. Antonio, che trattare i suoi Infermi colla maggior diligenza, e carità possibile, consolandoli ne'loro mali, soffrendo le loro prolusità, assistendoli con tutto l'allegerimento, e rimedio, che determinerà il Medico, e l'Ospidaliere.

2. Sappia ch'esso è suddito, e soggetto all' Ospidaliere, ed in tutto quello, che appartiene al suo Offizio, e che deve rispettarlo, ed obbedirlo prontamente, comandandogli qualche cosa in servizio dell'Infermeria, ed Ospedale, e che ha da stare in luogo di detta Ospidaria, quando esso uscirà fuori di Casa, o sarà occupato, in modo, che senza suo ordine non disponga cosa alcuna di rilievo, e non molto necessaria, ed in caso, che la facesse, dopo venuto subito gli darà conto, e similmente gli consegnarà qualche regalo, che nel medesimo tempo fosse mandato agl'Infermi.

3. Non applicarà rimedio alcuno agl'Infermi, ne gli darà cosa in cui possa aver dubbio gli faccia male, senza ordine del Medico, o Ospidaliere, e senza licenza di questi non uscirà dall' Ospedale, essendovi Infermi.

4. Ogni volta, che il Medico, Chirurgo, o Barbiere, che verranno all'Infermeria gli accompagnerà in quanto in essa staranno, ed avvertirà quello ordinano agl'Infermi, per eseguirlo, appartenendogli principalmente nel mangiare, al quale darà ordine, ed avviserà il Coco con tempo, acciò sia fatto alle sue ore.

5. Alle ore competenti, ed ordinate dal Medico vada a pigliare il pranzo alla Cucina, e portandolo agl'Infermi, gli assisterà in quanto mangiaranno, e doppo torni a riportare i piatti, e non potendo assistere a tutti gl'Infermi, l'Ospidaliere lo provederà di chi l'ajuti.

6. Sempre dormirà nella stanza vicino l'Infermeria, ed essendovi Infermo di pericolo, dormirà dentro l'Infermeria, e gli assisterà il più tempo del giorno, che potrà, ed anche in quello della notte.

7. Abbia gran cura della polizia così nella Casa dell' Infermeria, come nella robba, e Stanza, essendovi Infermi, la scoparà, e farà scopare almeno due volte la Settimana, ed ogni volta, che sarà necessario. Farà, che la robba si lavi a suo tempo, consegnandola per Lista a chi la lava, e non permetterà, che una cosa, che serve ad un' ammalato serva all'altro, durante l'Infermità.

8. Serrarà insieme coll'Ospidaliere all'ora solita, ed aprirà la mattina la porta dell'Ospedale, ma mai la serrarà, nè aprirà solo.

9. Quello, che serve d'Infermiero, ha anche da servire di Spenditore, e ha da comprare tutto quello, che sarà necessario agl'Infermi, con ordine, che gli darà l'Ospidaliere, facendo la Lista della spesa d'ogni Mese, acciò in ogni tempo si possa vedere.

10. La principal rimunerazione delle sue fatiche riceverà da quel Signore, che accetta, e soddisfa il servizio, che per suo amore si fa agl'Infermi, come se fosse fatto al medemo Signore. Con tutto ciò l'Ospidaliere averà stanza, e letto, e domanderà al Governatore gli dia ogni giorno quel, che sarà giusto, avendo riguardo al suo travaglio, e quantità degl'Infermi, e sappia, che sarà castigato, o licenziato mancando in quel che tocca al suo offizio, secondo la qualità della mancanza.

11. In tutto quello, che appartiene all'esempio della vita, e buoni costumi, osservarà gli Statuti nell'Ospidaliere, ed almeno in tutte le Festività principali dell'anno, ed in quella di S. Antonio, si confessarà, e communicarà nella nostra Chiesa, in modo che possa esser noto al Sagrestano.

CAPITOLO QUINTO.

Del Cuoco, e suoi Oblighi.

1. Essendo giorno anderà alla Cucina, e procurerà, che così i Cappellani, come gl'altri Offiziali della Casa gli diano in tempo quello si ha da dare da cucinare.

2. Usarà tutta la polizia nella Cucina, e farà ogni cosa con gran carità, ed all'ore suo specialmente per gl'Infermi, di maniera che possano mangiare ad ora, che gli dirà l'Infermiero, e sarà determinata dal Medico.

3. Finita l'ultima Messa, avendo il P. Sagrestano, o Sottosagrestano portato via quello gli hanno ordinato per pranzo, serrarà la porta della Cucina. La sera farà la cena all'ore solite, e nell'estate serrarà la porta ad un'ora di notte, e d'inverno a due, nè l'aprirà senza ordine dell'Ospidaliere, quando fosse necessario per alcuna cosa dell'Infermeria.

4. Averà gran cura, che si consumi il meno, che sarà possibile, principalmente di legna, ed acciò più liberamente possa attendere alle cose del suo Offizio non consentirà circoli nella Cucina nè anche d'Inverno, sotto pretesto di scaldarsi, ed essendovi alcuni, che ivi si trattengano, o sia gente di Casa, o Pellegrini, che non osservino questo Statuto, darà conto al Governatore, ed Ospidaliere.

5. Intenda, che deve obbedire immediatamente all'Ospidaliere, ed eseguirà quello, che in nome di questo l'Infermiero gli ordinerà in tutto quello apparterrà al suo Offizio, ed averà a PP. Cappellani il rispetto, si deve al loro stato.

6. Avvertisca, che vive in Casa specialmente dedicata a Dio, procuri dar buon esempio della sua vita, e si confessi, e communichi nella nostra Chiesa in modo, che il P. Sagrestano lo sappia, almeno in tutte le Feste principali dell'anno, e nel giorno di S. Antonio.

7. Avendo da uscire fuori di Casa, domandi all'Ospidaliere se ha bisogno di lui, o se in quel tempo abbia da fare cosa alcuna per gl'Infermi.

8. Così come deve avere giusto premio, e salario di ogni giorno, che li assegnarà il Governatore, a quello, che in questo suo reggimento se gl'ordina sarà multato, ed anche secondo la gravezza della colpa commessa sarà licenziato.

Preces Deputatorum.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Statuta, & Capitula hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, omnia, & singula Statuta, & Capitula præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas, ac Statuta, & Capitula præinserta semper firma, valida, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit aliis quibusvis Ecclesiæ, & Hospitalis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Martii MDCLXXXIII., Pontificatus nostri Anno Septimo.

Declaratur, cessionem loci Exprovincialibus debiti in Capitulo Provinciali S. Ludovici in Gallia Ordinis Prædicatorum Strictioris Observantiæ factam, non esse admittendam.

Ad majorem hujus Constitutionis intelligentiam vide Greg. XIII. Const. ed. 1574., Martii 6. P. 4., ubi quamplurima habentur Statuta. Et Pii V. Const. ed. 1567., Maji 16., P. 2. de privilegiis, ab Urban. VIII. irritum declaratum fuit quoddam Capitulum Generale Const. ed. 1643., Apr. 8., P. 20. Et ab Alexand. VIII. Const. ed. 1690. Jan. 7. P. 1. confirmatæ fuerunt nonnullæ ordinationes Generalis Ord. circa quosdam abusus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nuper fecit dilectus filius Josephus Martel Prior Conventus Rothomagen. Provinciæ S. Ludovici in Gallia Strictioris Observantiæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod jam a pluribus annis dicta Provincia Juribus, privilegiis, exemptionibus, gratiis, & immunitatibus, quibus in aliis Provinciis uti solent Graduati, aut titulo Prædicatoris Generalis insigniti sponte renunciavit in favorem Observantiæ Regularis, & novissime in Capitulo Provinciali anno 1678. Cathalauni celebrato etiam prærogativæ loci juxta Constitutiones dicti Ordinis Exprovincialibus debiti cessit; sed hæc ultima cessio, licet videatur esse majoris humilitatis, multum tamen officit Observantiæ Regulari, cujus Exprovinciales, una cum Priore Provinciali debent esse promotores, & protectores. Cum enim in eis nullam agnoscunt Fratres speciem auctoritatis, parum, aut nihil curant de illorum monitionibus, & maximum periculum est, ne tempore Provincialatus molliter se gerant in corrigendis excessibus ipsi Priores Provinciales, qui eodem expleto nullum habent distinctivum quo possint ordinata pro vita Regulari fortiter manutenere, & insultus dyscolorum evitare. Et propter has rationes, ac alias quæ conferunt ad observantiam Regularem, in Capitulo Generali Ordinis prædicti anni 1501. Romæ celebrato illi, qui sub specie quadam humilitatis parum attendentes ad bonum commune Religionis, loco Exprovincialibus debito renunciaverant, reprehensi fuerunt per declarationem, quod Constitutio ejusdem Ordinis circa locum, quem

tenere debent Fratres, qui fuerunt Provinciales, omnino deberet observari, itaut si alicubi propter abusum non observaretur, omnino deinceps executioni mandaretur, non obstantibus consuetudinibus particularibus in oppositum introductis, quibus eo Statuto derogatum fuit. His autem promotus unus ex duobus, qui soli in supradicta Provincia jus ad locum illum habebant, huic cessioni se opposuit, & dilectus filius Antonius de Monroy Magister Generalis dicti Ordinis eam noluit approbare, cum esset contra Constitutiones ejusdem Ordinis, & cederet, ut constat experientia in præjudicium observantiæ Regularis.

Preces Prioris Rothomagen.

§. 1. Quare præfatus Josephus, qui (ut asserit, ad ea, quæ pacis sunt ejusdem Provinciæ, & observantiæ Regularis, postulanda missus ad Romanam Curiam venit) ut eadem observantia magis, ac magis crescat, & confirmetur, ac in præfata Provincia nulla sit in posterum occasio litigandi, Nobis humiliter supplicari fecit, ut renunciationem omnium jurium, privilegiorum, immunitatum, gratiarum, & exemptionum quoad gradus, quam sponte, & nemine reclamante fecit præfata Provincia S. Ludovici in favorem observantiæ Regularis, gratam, & ratam habere; circa locum vero Exprovincialibus debitum, cum eorum numerus vix ternus, aut quaternus esse possit in eadem Provincia ubi quadriennales sunt Priores Provinciales, hocque cedat omnino in bonum observantiæ, ut Constitutiones, & acta Capitulorum Generalium dicti Ordinis ea maxime, quæ in Capitulo Generali anno 1670. Romæ celebrato facta fuerunt circa præfatam Provinciam pro manutentione vitæ Regularis exacte observentur, ordinare de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Josephi votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, cessionem loci ad præscriptum Constitutionum dicti Ordinis debiti illis, qui functi sunt Officio Provincialatus, non esse admittendam auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, prout illam non admittimus.

Improbatio prædictæ cessionis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscat. die VII. Aprilis MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXIV.

Conceditur Bibliothecæ Archigymnasii Sapientiæ de Urbe facultas retinendi quæcunque opera prohibita ac damnata.

De aliis hujus Archigymnasii privilegiis vide Leonis X. Const. ed. 1513., Novem. 5. P. 1. Quæ ab Urb. VIII. concessa fuerunt Collegiis Illyrico, Pragensi, Viennensi, & Fuldensi Const. ed. 1627. Jun. 1. P. 4., & Constit. ed. 1628., Decem. 19. P. 6. Constit. ann. hujus Pontif. ed. 1684., Februarii 20. P. 8. habentur privilegia Universitatis Oppidi Zamoski Chelmen. Diœcesis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 21. Apr. 1683. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Constitutionis.

CUM fel. rec. Alexander Papa VIII. prædecessor noster publicæ utilitatis studio, celebrem, atque copiosam in Gymnasio sapientiæ de Urbe Bibliothecam, in eaque Bibliothecarium, quem ex numero Advocatorum Aulæ consistorialis assumi voluit, & duos Custodes cum competenti stipendio, qui statutis diebus, & horis illic præsto esse, & libros studiosis ad illam venientibus præbere deberent, Apostolica auctoritate instituerit, in ipsa vero Bibliotheca multi reperiantur libri, quorum retentio, atque lectio per Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas prohibentur; Et propterea dilectus filius Magister Marcus Antonius Burattus in utraque Signatura Referendarius, Aulæque Consistorialis prædictæ Advocatus, & dictæ Bibliothecæ Bibliothecarius opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos publicæ commoditati, atque utilitati, quantum cum Domino possumus consulere cupientes, dictumque Marcum Antonium a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, ut in Bibliotheca præfata quorumvis hæreticorum, & hæresiarcharum, aliorumque reprobatorum Authorum cujuscumque Sectæ, & Classis, etiam primæ, & ex quacumque causa, etiam ob falsi dogmatis suspicionem a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu in quibusvis Conciliis Generalibus, ac etiam a Nobis, & Sede prædicta quomodolibet prohibiti, & damnati, & a nobis, successoribusque nostris Romanis Pontificibus, & dicta Sede in futurum forsan prohibendi, & damnandi libri, manuscripta, & opera tam hactenus in lucem edita, quam in posterum edenda, seu scribenda quæcumque etiamsi ex professo, & in capite de Religione, & Fide Catholica, seu contra Religionem, & fidem easdem tractent, in ipsa Bibliotheca collocati, & collocata, ac in futurum quandocumque collocandi, & collocanda, retineri, haberi, & asservari libere, licite, & impune, ac absque ullo conscientiæ scrupulo, & quarumcumque Ecclesiasticarum sententiarum, & censurarum, vel alia-

Preces Bibliothecarii.

Concessio prædictæ facultatis.

Quomodo custodiendi a quibus accipi, & legi possint dd. libri.

aliarum pœnarum, etiam irregularitatis, infamiæ, aut inhabilitatis incursu possint, & valeant, ita tamen, ut libri, scripta, & opera præfata, quæ de religione, seu fide, vel contra Religionem, seu Fidem orthodoxam tractant, seu tractabunt, secreto, & sine aliorum scandalo, aut periculo retineantur, nec a studiosis accipi possint nisi de manibus Bibliothecarii, vel Custodum præfatorum nunc, & pro tempore existentium, qui illos, seu illa legendos, seu legenda nemini præbere possint, nisi sibi prius constiterit, quod illos, seu illa petentes, opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonice concedi obtinuerint, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, & edendis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon prohibitionibus desuper factis, & in posterum quomodolibet faciendis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores præsentes hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Aprilis MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXV.

Statuitur, ut Debitores Banci Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe teneantur ei satisfacere, vinculo obligationis Cameralis.

Idem statutum fuit pro Monte Pietatis a Clem. X. Const. ed. 1670., Octob. 3., P. 1., & ab Alexandro VIII. edita fuit Constitut. 1690. Aug. 5., P. 1. circa onera solvi solita Hospitali S. Joan. Hierosolymitani.

Dat. 16. Maji 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æquitatis, & Justitiæ ratio exigit, & plurimæ, quæ ex mensa nummularia, seu Bancho Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe in publicum assidue proveniunt, utilitatis, suadent, ut illius indemnitati, quantum cum Dño possumus, consulere studeamus.

Causa Statuti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ministri dicti Banchi, quod ex dispositione quorundam fel. rec. Pauli PP. V. prædecessoris nostri literarum in simili forma Brevis expeditarum bona dicti Archihospitalis ad favorem illorum, qui pecunias in Bancho prædicto deponunt pro restitutione Depositorum efficaciter obligata sunt, perinde ac si cum unoquoque illorum Cameralis obligatio intercessisset. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, interdum eveniat, ut dicti Banchi Debitores remaneant aliqui privati, ac etiam nonnulla loca pia; æquum vero videatur illos, & illa ad satisfaciendum eidem Bancho pari Cameralis obligationis vinculo adstringi: nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut Archihospitali, & Bancho prædictis in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Ministrorum.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulos memorati Banchi ex quacumque causa Debitores præsentes, & futuros, cujuscumque status, gradus, Ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, ac etiamsi Ecclesiæ, Monasteria, Conventus, Collegia, Hospitalia, Archihospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, & alia loca pia quæcumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna existant, ad satisfaciendum eidem Bancho de eorum debitis respective efficaciter obligari, ac obligatos, & obligata existere, & fore, in omnibus, & per omnia perinde acsi ab eorum singulis Cameralis obligatio ad favorem ipsius Banchi facta fuisset, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Statutum prædictum etiam pro locis Piis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Bancho, & Archihospitali prædictis, illorumque Ministris, & Officialibus, seu aliis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ Generales Auditores, necnon Vicarium, Gubernatorem, & Senatorem dictæ Urbis, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ, Præsidentes, Clericos, Thesaurarium Generalem, aliosque Officiales, & Ministros nunc, & pro tempore quandocumque existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Urbis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stilis, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXVI.

Confirmatur Decretum Ministri Generalis Ordinis S. Francisci de Observantia circa abrogationem Commissariorum Europæorum, & Judices appellationum pro Provinciis S. Antonii, & Conceptionis B. M. V. in Brasilia.

De quibusdam controversiis in Provincia S. Antonii vide Clem. X. Const. ed. 1672., Maji 18., P. 3. a quo Pontifice erecta fuit Provincia Immaculatæ Conceptionis Const. ed. 1675., Julii 15., P. 6., abrogati fuerunt Commissarii Generales pro Provinciis Indiarum Oriental. Const. ed. 1682., Decemb. 23., P. 7., & Const. ed. 1683., Decem. 3., P. 8. recensentur nonnullæ Ordinationes pro Provincia S. Antonii.

Dat. 13. Maji 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Admonet nos suscepti cura regiminis Catholicæ Ecclesiæ per Universum Terrarum Orbem diffusæ, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum curam gerentes ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio, ac religiosa quiete ab eorum Superioribus Regularibus provide, prudenterque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio corroboremus.

Causæ insequentis Decreti.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum S. Antonii in Brasilia, & Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ ad flumen Januarium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dilectus etiam Filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis dicti Ordinis, ut incommodis, gravissimisque molestiis, quæ ex deputatione Commissariorum Europæorum ad visitandas Provincias præfatas, illarumque Capitulis præsidendum mitti solitarum, simulque vagationibus Fratrum, qui propter causas appellationum longissimis itineribus se committere cogebantur, opportunis rationibus occurreret, nonnullas ordinationes in dictis Provinciis servandas fecit per quasdam suas patentes literas desuper expeditas tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum Ministri Generalis.

§. 2. *Frater Petrus Marinus Sormanus a Mediolano totius Ordinis Seraphici Patris nostri Sancti Francisci Minister Generalis, & Servus &c.* Muneris nostri debitum indesinenter exposcit, ut commissorum solicitudini nostræ Religiosorum quieti, consolationi, & commodo quantum in Domino possumus sedulo consulamus: quapropter cum certam habuerimus notitiam ex deputatione Commissariorum Visitatorum Europæorum ad visitationes, & Capitulorum celebrationes Provinciarum nostrarum S. Antonii in Brasilia, & SS.mæ Conceptionis ad flumen Januarium (vulgo de Rio de Janeiro) multa incommoda, molestias, gravissimasque expensas provenire. Nos tot, tantisque malis pro viribus obviare volentes præsentium virtute censemus, atque decernimus hujusmodi Commissarios Visitatores in posterum ex Europa non mittere, neque mittendos esse, sed ex iisdem Provinciis assumi debere sequenti modo.

De Commissariis Visitatoribus.

In quolibet Capitulo Provinciali Provinciæ S. Antonii a Diffinitorio noviter electo designentur tres Patres ex Provincia Conceptionis, qui habeant conditiones per Statuta generalia requisita, ad hoc, ut possint visitare præfatam S. Antonii Provinciam; quorum quidem trium Patrum nominatio mittatur ad Ministrum Generalem per primam Navium in Europam venientium opportunitatem, in quo si vel Provincialis, vel alii negligentes reperti fuerint, puniantur suspensione a suis Officiis per annum, aliisque pœnis arbitrio Ministri Generalis infligendis. In Provincia quoque Conceptionis similis designatio, & nominatio fiat trium Patrum Provinciæ S. Antonii, itaut Visitator unius Provinciæ ex altera semper desumatur. Minister autem Generalis habita hujusmodi nominatione, unum ex tribus illis eligat quem maluerit, ejusque electionem quantocitius poterit Provinciæ visitandæ significet, quod si, vel ob locorum distantiam, vel naufragium, aliudve impedimentum, Patentes Ministri Generalis non comparuerint uno anno ante tempus Capituli celebrandi, tunc Diffinitorium Provinciæ illius quæ visitari debet, possit sibi eligere unum ex tribus jam nominatis, qui Provinciam visitabit, & Capitulo præsidebit, cum voto, & omnibus aliis, quæ præstare solet, & deberet ille, qui a Ministro Generali deputaretur, quod etiam intelligendum est, si ille, quem Minister Generalis elegisset, jam esset defunctus, tunc enim Diffinitorium poterit alterum ex duobus reliquis ad visitationem præfatam vocare; casu vero, quo postquam Diffinitorium Visitatorem advocaverit, perveniant Patentes Ministri Generalis, si jam ille, qui vocatus fuit a Diffinitorio Provinciam fuerit ingressus, prosequatur munus suum, & Capitulum celebret, ut supra: si vero nondum in Provinciam intraverit, omnino abstineat, & Deputatus a Ministro Generali officium suum assumat: dummodo tempus suppetat, ut possit ad Provinciam visitandam accedere quinque integris mensibus ante Capitulum. Et quia ad navigandum ex una in alteram Provinciam quibusdam tantummodo mensibus venti spirant secundi, huic etiam tum Provinciarum, tum Visitatorum commoditati consulere volentes, statuimus tempus præfigere pro Capitulorum celebratione, quod quidem nullo modo prorogari debeat absque speciali, & expressa Ministri Generalis facultate. Capitulum igitur Provinciæ S. Antonii, non differatur ultra diem Sabbati præcedentis festum Sancti Patris nostri Francisci. Et Capitulum Provinciæ Conceptionis, non transgrediatur Sabbatum immediatum post festum Ascensionis D., denique Visitatores non ingrediantur Provincias visitandas, nisi quinque mensibus ante Capituli celebrationem, & post illam statim ad propriam redire debeant, quod si facere non potuerint post viginti a tali celebratione Ministro Provinciali electo sigilla omnia renuncient, & Provinciæ gubernio nullatenus se immisceant, cum tali tempore ex Statutis Ordinis Generalibus, eorum auctoritas omnino spiret. Aliud quoque eisdem Provinciis provisione dignum Nobis visum est, nempe, ut evitentur incommoda, & vagationes Fratrum, qui vel causa, vel prætextu appellationis, maximis cum periculis, ac expensis, longissimis se itineribus exponunt: qua propter præsentium nostrarum virtute in unaquaque prædictarum Provinciarum deputamus, & deputatos esse volumus tres Patres digniores extra Diffinitorium, qui appellationum Judices sint, & ad quos appellantes a Sententia sui Diffinitorii licite, ac libere recurrere possint, petita prius a proprio Provinciali facultate; ita tamen, ut illi, qui sunt ex Provincia Sancti Antonii judicent causas Provinciæ Conceptionis, & e contra. Ille autem, qui cæteros præcedit, erit illorum Præses ut illos convocet, & congreget quando opus fuerit, uno vero ex istis per mortem, vel aliam legitimam causam, deficiente, alius Pater secundum Ordinem præcedentiæ intelligatur ipso facto substitutus, durabuntque in eodem Officio per triennium, id est de Capitulo ad Capitulum, & super appellationes præfatas definitive, & terminative

De Judicibus appellationum.

intra ordinem nostrum auctoritate nostra secundum Religionis praxim, & leges judicabunt, & sententiabunt, omnia vero supradicta, scilicet nominatio Visitatorum, nominationis transmissio ad Ministrum Generalem, ejusque responsio, seu Patentes, & Judicium appellationum ingressus ad officium secundum tempus, quo contigerint, in libro actuum Provinciae fideliter notentur. Praecipimus tandem in virtute Sanctae obedientiae omnibus, & singulis Provinciarum praedictarum Patribus, & Fratribus; Superioribus, & subditis, quatenus praefatis nostris Ordinationibus, & Decretis pro bono, pace, & quiete eorumdem factis, nullatenus se opponere audeant, sed ea, qua par est promptitudine pareant, & obediant. Datum in Conventu nostro S. Francisci Matriti die 29. Mensis Julii 1682. -- Fr. Petrus Marinus Minorum Generalis. De mandato suae Reverendissimae -- Fr. Sebastianus de Arroyo Secretarius Generalis Ordinis. Registrat. Fit. Provae &c.

Preces Provinciarum.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes praemissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares Personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati Petri Marini Ministri Generalis patentes literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & Facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulae.

§. 7. Mandantes propterea in virtute Sanctae Obedientiae, & sub indignationis nostrae, aliisque nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis poenis, omnibus, & singulis dictorum Ordinis, & Provinciae Superioribus Fratribus, & personis, caeterisque ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque fideliter executioni demandent, seu demandari curent, & faciant; Ac decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Maji MDCLXXXIII., Pontificatus nostri Anno Septimo.

Confirmatur erectio Congregationis Presbyterorum Saecularium B. M. V. Assumptae Civitatis Portugallen., eique Privilegia, & Indulgentiae conceduntur.

Ab hoc Pontifice Const. ed. 1680., Jun. 7. P. 4. approbatum fuit quoddam Institutum Clericorum Saecularium. Et Const. ed. 1684., Aug. 17., P. 8. confirmatae fuere novae eorumdem Constitutiones. Const. vero ed. 1674., Novem. 15., P. 9. approbata fuit quaedam Congregatio Presbyterorum S. Josephi. Et ab Alexandro VIII. Constit. ed. 1690., Septem. 13. P. 1. confirmata fuit erectio d. Congr. B. M. V. in Civitate Bracaren.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium meritis licet imparibus, ineffabili Divinae bonitatis abundantia evecti, divini cultus, & animarum salutis incremento, ac fidei Catholicae propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, intendimus, & propterea Clericorum Congregationes id operari cupientes propensis studiis promovemus, & instituimus, favoribusque, & gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Saeculares Congregationis sub titulo Beatae Mariae Virginis Assumptae in Civitate Portugallen. ordinaria auctoritate canonice (ut asseritur) erectae, quod alias tunc existens Episcopus Portugallen. eandem Congregationem in dicta Civitate pro Presbyteris Saecularibus, qui sub clausura voluntaria absque votorum obligatione propriae, alienaeque saluti studere, Missionibus, & verbi Dei praedicationi operam dare, ac sacramentales Christifidelium confessiones audire, aliaque pietatis, & christianae charitatis opera exercere deberent, ad instar Congregationum Oratorii S. Philippi Nerii in Ecclesia Sanctorum Mariae in Vallicella, & Gregorii de Urbe dudum auctoritate Apostolica erectae, & Beatae Mariae Virginis Assumptae Ulyssiponen. a fel. rec. Clemente Papa X. Praedecessore nostro per quasdam suas in simili forma brevis die 6. Maji 1671. expeditas literas confirmatae, sub Constitutionibus, sive Statutis particularibus pro eadem Congregatione Ulyssiponen. editis, & a praefato Clemente Praedecessore per alias pariter in forma Brevis die 24. Augusti 1672. emanatas literas approbatis, illorumque appendice, erexit, & instituit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes praefata pietatis, & charitatis opera exercere hactenus studuerint, illisque in futurum quoque juxta pium dictarum Congregationum institutum, adjuvante Domino operam dare intendant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes, ut ad pia, & sacra opera hujusmodi promptiores reddantur, uberesque in vinea Domini fructus incrementum dante Deo, proferre satagant, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis

a Jure,

Anno 1683

CXVI

Dat. 20. M... 1682. An...

Procemium

Dicta Congregatio instituta fuit ab Episcopo ad instar illorum Sancti Philippi Nerii, & ejusdem Beatae M. V. in Civitate Ulyssiponen.

Preces Presbyterorum Congregationis.

a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, veris existentibus narratis, & quatenus dicta Congregatio Portugallen. alias canonice erecta, & instituta fuerit, erectionem, & institutionem ipsius Congregationis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Et nihilominus in Ecclesia dictæ Congregationis unam præfatorum Presbyterorum, & Clericorum Sæcularium in eam pro tempore recipi volentium Congregationem sub memorato titulo Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ adinstar supradictarum Congregationum Oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe, & Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ Ulyssiponen., dummodo tamen iidem Presbyteri, & Clerici Ordinationes, & Instituta dictarum Congregationum alias a rec. mem. Paulo Papa V. Prædecessore pariter Nostro, ac præfato Clemente Prædecessore respective confirmata receperint, seu recipiant, & illa pro viribus observare intendant, sub Constitutionibus, sive Statutis, illorumque Appendice prædictis, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuo erigimus, & instituimus.

Confirmatio, & nova erectio Congregationis sub Statutis præfatarum Congregationum.

§. 4. Ac modernis, & pro tempore existentibus Præposito, & aliis Presbyteris ejusdem Congregationis sic de novo erectæ, qui ab Ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, illisque pœnitentia debita pro modo culpæ, & aliis, quæ injungenda fuerint, injunctis, absolutionem impendere salutarem possint, & valeant; Sacerdotes vero, & Clerici in eadem Congregatione recepti, eorumque Ministri pro tempore, quo ibidem permanserint, Parochis, eorumve jurisdictioni minime subjaceant, ipsique Sacerdotes sibi invicem, ac Clericis, & Ministris præfatis, etiam Laicis, quæcumque Ecclesiastica Sacramenta, quovis, etiam Pascharis Resurrectionis Dominicæ tempore, vice, & loco Parochi ministrare; Superiores autem ipsius Congregationis per præsentes erectæ per se, vel alium, seu alios ex ipsis jam approbatis suos Subditos a censuris (non tamen in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, neque in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis) absolvere, illisque debitam pœnitentiam similiter injungere; iidemque Superiores receptos inobedientes, & ipsius Congregationis Constitutionum transgressores punire, & pœnitentia pro modo culpæ, servata tamen forma Ordinationum, & Institutionum hujusmodi afficere, & si sibi videbitur, cum consensu majoris partis dictæ Congregationis culpabiles ejicere, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis, libere, & licite similiter possint, & valeant, dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus. Presbyteris, & Clericis in eamdem Congregationem pro tempore receptis, ne ipsa Congregatione, etiam ex justissima causa, nisi prius illam Superiori Congregationis hujusmodi pro tempore existenti manifestaverint, egredi audeant quovis modo, vel præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per contra facientes eo ipso incurrenda auctoritate, & tenore prædictis prohibemus, & interdicimus. Ac demum quod præfata Congregatio perpetuo sit, & esse intelligatur, præsertim quoad Missiones, subjecta omnimodæ Jurisdictioni Episcopi Portugallen. pro tempore existentis, a quo nihilominus Ordinationes, & Instituta ipsius Congregationis immutari, aut alterari minime possint, auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium pariter perpetuo statuimus, & ordinamus.

Et jura, & privilegia conceduntur.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 6. Ut autem Ecclesia Congregationis sic erectæ in majori veneratione habeatur, & a Christifidelibus congruis frequentetur honoribus aliique Presbyteri, & Clerici Sæculares ad ipsam Congregationem per præsentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis, qui eandem Congregationem de cætero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, ac ipsis nunc, & pro tempore existentibus Presbyteris, & Clericis, aliisque conviventibus ejusdem Congregationis in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, etiam plenariam; Necnon tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui ejusdem Congregationis per præsentes erectæ Ecclesiam die festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ a primis Vesperis, usque ad occasum Solis visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino etiam perpetuo concedimus, & elargimur. Necnon tam Presbyteris, & aliis ejusdem Congregationis, quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus eisdem exhortationibus interessentibus decem annos, & qui Ecclesiam dictæ Congregationis in Purificationis, & Annunciationis, ac Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festorum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ut præfertur, oraverint, septem annos, & totidem quadragenas, eisdem vero Presbyteris, & aliis dictæ Congregationis quoties Divinis Officiis in sua Ecclesia, vel Oratorio more ejusdem Congregationis celebrandis, aut Congregationibus particularibus, vel privatis, & secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut Infirmos consolati fuerint, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam antequam cubitum eant examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam, tam pro animabus Presbyterorum, & aliorum dictæ Congregationis, quam aliorum in Christi charitate Defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Item conceduntur Indulgentiæ.

Indulgentia plenaria.

Indulgentia 10. annorum.

Indulgentia 7. annorum, & totidem quadragenarum.

Indulgentia sexaginta dierum.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit Regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis

Alia Clausula.

etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXVIII. Confirmantur duo Decreta Congregationis Concilii decernentia Professiones Brigittanorum Novissimorum esse validas, eosque denominandos esse Brigittanos.

De origine Brigittanorum Novissimorum, ac causa horum decretorum vide Pontificum Constitutiones, & Congregationum decreta infra laudata, sed præcipue hujus Pontificis Constitut. 1681., Octobris 24., Pont. VI.

Dat. 16. Junii 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Variæ mutationes circa cohabitationem virorum, & mulierum d. Ordinis factæ.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Religiosi Brigittani *Novissimi* nuncupati, quod dudum Ordo Regularium utriusque sexus sub nominatione Sanctissimi Salvatoris, itaut illius Monasteria deberent esse duplicia, virorum scilicet, & mulierum intra eadem septa, sub diversis tamen clausulis degentium a Sancta Brigitta institutus, & a fel. rec. Urbano PP. VI., aliisque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatus fuit; verum cum subinde compertum fuisset, hujusmodi virorum cum mulieribus cohabitationem suspicionibus, & scandalis occasionem præbere rec. mem. Martinus PP. V. etiam prædecessor noster eorumdem Monasteriorum duplicitatem dissolvit, illaque simplicia, & ab invicem separata esse voluit, licet postea ad preces clar. mem. Henrici Regis, & Catharinæ ejus Genitricis Reginæ Angliæ dissolutionem hujusmodi revocaverit, & Monasteria ad priorem duplicitatis statum reduxerit; in Regnis tamen Angliæ, Daniæ, & Norvegiæ, aliisque ditionibus dictorum Regnorum dumtaxat, prout in ejus literis decimo octavo Kalendas Januarii, & quarto nonas Februarii Pontificatus sui Anno Septimo, & octavo respective desuper expeditis, plenius dici tur contineri. Porro accepto per piæ mem. Eugenium PP. IV. prædecessorem pariter nostrum, quod ex dissolutione præfata, dissentiones, & inconvenientia plura surrexissent, & majora in dies emersura essent, idem Eugenius prædecessor, prævia Constitutionis dicti Martini prædecessoris revocatione, nec ulla illius moderationis quoad Regna Angliæ, & alia supra enunciata emanatæ, mentione facta, Fratrum, & Sororum cohabitationem, juxta primævum Ordinis institutum generaliter, & ubique licitam declaravit, quinimmo Fratres extra priora Monasteria duplicia degentes ad illa regredi, si omnimode ibi locari valerent, alioquin ad Carthusien. Sancti Benedicti, Canonicorum Regularium, Sancti Augustini, Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordines, in quibus benevolos invenissent Receptores transire voluit: statuens, nihilominus ne de cætero Fratres, & Sorores hujusmodi, vigore cujuscumque privilegii, locum aliquem acceptare, seu tenere audeant, ubi aut propter ineptitudinem loci, aut penuriam facultatum loca ipsa non viderentur ad perfectionem reduci posse juxta Regulam Sanctæ Brigittæ. Sed postmodum ex Decreto Capituli Generalis dicti Ordinis a Sede Apostolica confirmato cautum fuit, ne alias ipsius Ordinis Monasteria sine speciali ejusdem Sedis auctoritate deinceps erigi possent, quo tamen non obstante similis rec. Clemens Papa VIII. etiam prædecessor noster supplicationibus bon. mem. Isabellæ Infantis Hispaniarum dum vixit Principissæ Flandriæ inclinatus, commisit tunc existenti suo, ac dictæ Sedis in Belgicis ditionibus Nuncio, & Ordinariis locorum, ut Constitutionibus dicti Ordinis examinatis, atque inventis licitis, & honestis, & per Sedem Apostolicam approbatis, facultatem impertirentur fundandi nova Monasteria, & in illorum fundatione statuendi quæcumque pro eorumdem prospero regimine necessaria esse judicassent. Nonnulla itaque Monasteria erecta fuere, simplicia tamen virorum, nempe a Monasteriis mulierum separata, editæque successive Constitutiones in formula emittendæ professionis, & plerisque aliis minime conformes regulæ primitus traditæ a Sancta Brigitta, quas etiam piæ mem. Gregorius Papa XV. similiter prædecessor noster confirmavit. Unde isti *Novissimi*, *Priores* vero illi *Brigittani* vulgariter appellati sunt.

Ab Urba. VI.

A Martino V.

Ab Eug. IV.

A Clemente VIII.

A Greg. XV.

Contentiones inde exortæ, & varia Decreta Cardinalium Congreg. Episcop. & Regul.

§. 1. Contentione autem postmodum hinc exorta, an Monasteria Novissimorum essent vera Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Brigittæ Monasteria, ex quo secundum illius institutionem non erant duplicia, Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita declaravit dicta Monasteria vigore literarum dicti Clementis prædecessoris erecta, & erigenda, esse, ac fore vera membra dicti Ordinis, non secus, ac si essent duplicia, & Religiosi una cum Monialibus cohabitarent, quam declarationem similis mem. Urbanus Papa VIII. etiam prædecessor noster, salva prædictæ Congregationis auctoritate, confirmavit. Cum vero nihilominus Capitulum Generale Priorum Brigittanorum præfatorum anno 1675. celebratum inter cætera decrevisset, se non agnoscere Novissimum Ordinem pro vero, & legitimo, hocque Decretum a nobis de Congregationis memoratorum Cardinalium consilio approbatum fuisset, & his intellectis nonnulli ex dd. Brigittanis Novissimis se a Religione, illiusque votis penitus exemptos esse prætenderent: Congregatio particularis ex dd. Cardinalibus deputata die secunda Julii 1681. decrevit illorum Congregationem esse veram Religionem sub regula Sancti Augustini a Sede Apostolica in Congregationem erectam, diversam tamen a Religione Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Brigittæ a supradictis Urbano VI., Martino V., & Eugenio IV. prædecessoribus erecta, & respective approbata, & dictæ Religionis Novissimorum Professos utriusque sexus esse, & reputari veros Religiosos, ac neque huic Decreto acquiescentes dicti Brigittani Novissimi exposuerunt, se eatenus in dicta Religione professos fuisse, quatenus crediderunt unam, & eandem esse cum vera, & Priori Religione Sanctæ Brigittæ, ideoque nobis pro opportuna desuper declaratione humiliter supplicarunt. Illorum autem precibus per nos ad Congregationem Venerabilium etiam Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ

Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum remiſſis, propoſitoque in ea dubio, an eorum profeſſiones cenſendæ eſſent invalidæ, vel potius validæ? emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet *Die* 19. *Septembris* 1682. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum utraque parte informante, cenſuit profeſſiones, & eſſe validas, & Religioſos Noviſſimos vocandos eſſe* Brigittanos *ad formam Conſtitutionis, ſeu Brevis ſa. mem. Urb. VIII. F. Cardinalis Columna Præfectus -- Loco ✠ Sigilli A. Altovitus Sac. Congregationis Concilii Secretarius* -- Porro reclamantibus adverſus hoc Decretum ſupradictis Brigittanis *Prioribus* nuncupatis, ipſa Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, re ad trutinam revocata, alterum edidit Decretum tenoris ſequentis; videlicet -- *Profeſſiones Brigittanorum, qui* Noviſſimi *nuncupantur fuiſſe, & eſſe validas, ipſoſque Religioſos* Noviſſimos *vocandos eſſe Brigittanos ad formam Conſtitutionum, ſeu Brevis ſa. mem. Urbani VIII. incipientis.* Exponi Nobis nuper fecerunt ſub Datum die 9. Octobris 1643. Pontificatus ſui anno 21. -- *decrevit hæc Sacra Congregatio ſub die* 19. *Septembris proximi præteriti. Cum autem adverſus hujuſmodi Decretum reclamaverint cæteri Brigittani* Priores *nuncupati, Sanctiſſimus Dominus Noſter mandaverit illud ad trutinam revocari, non gravabuntur Eminentiſſimi Patres folium, & informationes tunc datas, & nunc dandas perpendere, an ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis? Die* 8. *Maji* 1683. *Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum utraque parte ore, & ſcriptis informante, ſtetit in deciſis, & facta de præmiſſis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua ejuſdem Sacræ Congregationis ſententiam benigne probavit -- F. Cardinalis Columna Præfectus Loco ✠ Sigilli. A. Altovitus Sac. Congregationis Concilii Secretarius.* Quare præfati Brigittani Noviſſimi nuncupati Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Primum Decretum Congregat. Concilii.

Alterum Decretum.

Hiſce Decretis ſtandum eſſe decernitur ab eadem Congregatione.

Preces Brigittanorum Noviſſimorum.

§. 2. Nos igitur ipſos Brigittanos Noviſſimos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſerta duo Decreta a prædicta Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum edita, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ejuſdem Sacræ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relatorum duorum Decretorum.

§. 3. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari; & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; nec non ſupradicti Ordinis, aliiſve quibuſvis etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Junii MDCLXXXIII. Pontificatus noſtri Anno Septimo.

CXIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Epiſcoporum, & Regularium approbans alternativam inter Hiſpanos, & Criollos Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia in Indiis Occidentalibus.

De hac alternativa vide Conſt. ed. 1677., *Junii* 26. *Pont. I. Et Conſt. ed.* 1683. *Octob.* 4. *Pont. VIII.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 7. Sept. 1683. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quod cum cauſa Alternativæ inter Fratres nativos Hiſpanos Provinciarum Limanæ, & delas Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis ex una, & Fratres Criollos nuncupatos earumdem Provinciarum ex altera partibus jamdudum vertens a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita acerrime diſcuſſa fuiſſet, emanavit deſuper ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet. In cauſa Peruana Alternativæ vertente inter Patres nativos Hiſpanos profeſſos Provinciarum Sanctorum duodecim Apoſtolorum Limæ, & S. Antonii Carcarar. Ordinis Minorum Obſervantium Sancti Franciſci in Indiis Occidentalibus ex una, & Patres Criollos nuncupatos profeſſos earumdem reſpective Provinciarum Partibus ex altera de, & ſuper validitate, & reſpective confirmatione ac executione Decreti prædictæ Alternativæ emanati in Capitulo Generali anni 1664. & per hanc S. Congregationem, & Breve ſa. mem. Alexandri VII., ac per ſubſequens Capitulum Generale anni 1670. confirmati rebuſque aliis &c. -- Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Partibus hinc inde in binis cauſæ propoſitionibus pluries informantibus, reque mature diſcuſſa, referente Eminentiſſimo Columna, declaravit, atque decrevit, præfatam Alternativam eſſe confirmandam, prout præſentis Decreti tenore confirmavit, omnes, & ſingulos juris, & facti defectus ſi qui intervenerint ſanando. Contrariis quibuſcumque minime obſtantibus &c. Romæ 9. Julii 1683. -- G. Cardinalis Carpineus. B. Panciaticus Secretarius.

Decretum Congregationis pro Provinciis Limana, & de las Charcas.

Preces Ministri Generalis.

§. 1. Cum autem ficut eadem expofitio fubjungebat, præfatus Petrus Marinus Minifter Generalis Decretum hujufmodi, quo promptius executioni mandetur, atque ita multis incommodis, inquietudinibus, & relaxationibus, quibus duæ Provinciæ prædictæ, occafione diutinæ ventilationis caufæ hujufmodi, quæ multis annis tam in Capitulis Generalibus Ordinis præfati, quam in Romana Curia agitata fuit, multipliciter vexantur, finis tandem imponatur, Apoftolicæ confirmationis noftræ patrocinio communiri plurimum defideret. Nos ipfius Petri Marini Miniftri Generalis votis hac in re quantum cum Domino poffumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit ad effectum præmifforum dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, fupplicationibus ejus nomine nobis fuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinfertum auctoritate Apoftolica tenore præfentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adjicimus, falva tamen femper in præmiffis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Claufulæ.

§. 2. Decernentes eafdem præfentes literas femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos fpectat, & pro tempore fpectabit, in omnibus, & per omnia pleniffime fuffragari, & ab eis refpective inviolabiliter obfervari. Sicque, in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caufarum Palatii Apoftolici Auditores judicari, & deffiniri debere; ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obftantibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, ac quatenus opus fit Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ftatutis, & confuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis illorum tenores, præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac de verbo ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris die VII. Septembris MDCLXXXIII., Pontificatus noftri Anno Septimo.

CXIX.

Conceduntur Congregationi Suevicæ Ordinis Sancti Benedicti privilegia omnia fpiritualia ceterorum Monachorum.

Similia privilegia conceffa fuerunt Monachis Congregationis Bavaricæ ab Inn. XII. Conft. 1691., Aug. 11. Pont. I.

Dat.13. Sept. 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclefiæ regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noftrorum fuffragio, præfidentes, Religioforum virorum Altiffimi obfequiis fub fuavi Monafticæ vitæ jugo mancipatorum, uberesque in Ecclefia Dei fructus adfpirante fuperni favoris auxilio proficere jugiter fatagentium commodis, & felicibus in via mandatorum Domini progreffibus libenter confulimus, ficut ad Omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, & animarum falutem in Domino expedire arbitramur.

Caufæ Conftitutionis.

§. 1. Exponi fiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Alphonfus Abbas Monafterii Weingartenfis de præfenti Præfidens, ac cæteri Abbates, & Monachi Congregationis Suevicæ in Germania Ordinis Sancti Benedicti, quod cum in Monafteriis dictæ Congregationis ftudia continua literaria, zelus animarum, & labores in vinea Domini, qui non tantum ad concionandum, & fidelium confeffiones affidue excipiendas, obeundaque paffim onera Parochialia, fed etiam ad hæreticos, qui non raro fe offerunt, ad fidem Catholicam convertendos fe extendunt, benedicente Domino vigeant, ipfi Exponentes, ut in hujufmodi piis, & falutaribus operibus ferventiores, & alacriores, ad Divini nominis laudem, & Gloriam, hærefum extirpationem, & S. Matris Ecclefiæ exaltationem, de cætero perfiftant, plurimum cupiunt, pro majori ipforum Monafteriorum fplendore, & decore, privilegia Congregationis Caffinen., alias Sanctæ Juftinæ de Padua, & aliarum Congregationum dicti Ordinis ejufdem Monafterii ex hujus Sanctæ Sedis Apoftolicæ indulgentia communicari. Nobis propterea humiliter fupplicari fecerunt, quatenus Monafteriis præfatis, ac aliis dictæ Congregationi Suevicæ in futurum aggregandis, illorumque Præfidentibus, Vifitatoribus, Abbatibus, Monachis, & perfonis præfentibus, & futuris, ut omnibus, & fingulis privilegiis, & Indultis fpiritualibus præfatæ Congregationis Caffinen. alias Sanctæ Juftinæ de Padua, & aliis Congregationibus ejufdem Ordinis, ac illarum Præfidentibus, Vifitatoribus, Abbatibus, Superioribus, & Monachis, ac Perfonis quibufcumque, illarumque Ecclefiis, & Monafteriis, etiam per viam communicationis, vel extenfionis, aut alias quomodolibet per quofcumque Romanos Pontifices prædeceffores noftros, ac etiam per nos conceffis, & in futurum concedendis, ac quibus earumdem Congregationum, Abbates, Superiores, & Monachi, necnon Ecclefia, & Monafteria hujufmodi de jure, ufu, & confuetudine, privilegio aut conceffione Apoftolica in genere, vel in fpecie, ac tam conjunctim, quam divifim, feu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poffunt, & poterunt, dummodo tamen fint in ufu, nec revocata, aut fub ullis revocationibus comprehenfa exiftant, neque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Conftitutionibus Apoftolicis repugnent, pari modo uti, frui, potiri, & gaudere valeant perpetuo concedere, & indulgere de benignitate Apoftolica dignaremur.

Preces Præfidentis, & Abbatum.

§. 2. Nos igitur ipfos Exponentes fpecialibus favoribus, & gratiis profequi volentes, & eorum fingulares perfonas a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatæ exiftunt ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutas fore cenfentes hujufmodi fupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noftrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui dilectum filium Procuratorem generalem dictæ Congregationis Caffinen. audiverunt, confilio, præfatæ Congregationis Suevicæ, ejufque Præfidenti, Abbatibus, & Monachis, cæterifque perfonis dictæ Congregationis, ut omnibus, & fingulis privilegiis, & gratiis fpiritualibus tantum, quibus potiuntur, & gaudent Congregationes Caffinen-

Conceffio prædictorum privilegiorum.

fis,

sis, & aliæ dicti Ordinis S. Benedicti, potiri, & gaudere possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu Exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Septembris MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXXI.

Confirmantur Literæ Patentes Ministri Generalis Ord. Minorum S. Francisci de Observantia, & Decretum Cardinalis Protectoris circa executionem alternativæ in Provinciis Limana, & de las Charcas.

De hac alternativa vide Constitutiones, & Decreta laudata in ipsis Patentibus, & præcipue Constit. ed. 1683., Septemb. 7., P. 7. Constitutione vero ed. 1684., Apr. 20. P. 8. habetur Reformatio alternativæ pro Provincia Sancti Jacobi in Hispania.

Dat. 4. Oct. 1683. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum Nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas Decretum in Causa Alternativæ inter Fratres nativos Hispanos, & Fratres Criollos nuncupatos Provinciarum Limanæ, & de las Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis vertente a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanatum confirmassemus, ipse Petrus Marinus Minister Generalis executionem Alternativæ, ac Decreti, & literarum nostrarum hujusmodi dilectis etiam filiis Commissariis suis Generalibus tam Indiarum in Curia Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici residenti, quam Provinciarum Peruntinarum Ordinis prædicti cum nonnullis præceptis, & Ordinationibus demandavit per quasdam suas patentes literas desuper expeditas, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. *Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis Seraphici Patris Nostri Francisci Minister Generalis, & Servus &c.*

Patentes Ministri Generalis, in quibus referuntur ortus, & progressus controversiæ [illegible] Alternativæ.

§. 2. Exigit a Nobis muneris nostri debitum utque pro felici concreditæ Nobis Religionis Seraphicæ gubernio, vel a Prædecessoribus nostris, vel a Capitulis Generalibus, sive etiam ab Apostolica Sede sancita sunt omnimodam sortiantur executionem, & observantiam, eaque præ ceteris, quæ pro eliminandis discordiis, & concordia, ac pace inter Religiosos tuenda, ac manutenenda ordinata sunt. Hujus præcipue finis intuitu in Capitulo Generali hic Romæ celebrato mense Junii 1664. instantibus Custodibus, & Prominiſtris septem nostrarum Observantiæ Provinciarum Regni Peruani in Indiis Occidentalibus, utroque annuente Diffinitorio, partibusque auditis, fuit Decretum sub die 5. ejusdem mensis, ut in ipsis fieret Alternativa inter Religiosos Hispanos dictarum Provinciarum filios, & Religiosos nationales vulgo Criollos nuncupatos, eo modo, quo introducta fuerit in Provinciis Mexicanis, seu novæ Hispaniæ. Huic decreto annuentibus cæteris, solum se opposuit Limanæ Provinciæ Prominister, qui cum auditus ab eodem Capitulo Generali, nihil relevans deduxisset, prodiit secundum dicti Capituli Decretum, quo præcipiebatur dictam Alternativam omnino stabiliri, ac successive iidem Custodes, & Prominiſtri non solum sub die 6. ejusdem mensis obtinuerunt a Sacra Congregatione super Episcopos, & Regulares præposita præfati Capituli Generalis Decreti approbationem, & confirmationem cum executionis Mandato; sed etiam pro majori sancitæ legis firmitate a SSmo D. N. Alexandro PP. VII. Apostolica auctoritate muniri, ac roborari supplicaverunt, & obtinuerunt per Breve datum die 20. ejusdem mensis Junii 1664. Verum dicto Decreto, una cum præfatis confirmationibus, necnon schedula majestatis Regis nostri Catholici in Limanæ Provinciæ Diffinitorio exhibitis, parere renuentibus Religiosis Criollis, iterum fuit habitus recursus ad Capitulum Generale anno 1670. Vallisoleti celebratum, in quo iterum partibus auditis, perpensaque dictæ Alternativæ necessitate, ipsam confirmavit novo Decreto, cujus executionem, & observantiam Rmo Patri Commissario Generali Indiarum in Curia Catholicæ Majestatis residenti serio inculcavit. Cum autem Criolli dictæ Provinciæ Limanæ, quibus tunc primum adhæsit Charcarum Provincia iterum opposuissent, se hactenus opportune non potuisse contra præfatum Decretum rationes pro ipsis facientes adducere, Congregatio Generalis Toletana de anno 1673., ad quam dicti Criolli provocaverant, mandavit, ut dictarum Provinciarum Diffinitoria in proximo Capitulo Generali desuper informarent, suspensa interim Alternativæ executione: Capitulum igitur Generale anno 1676. Romæ congregatum, ut omnem imposterum controversiarum præcideret occasionem, hujusmodi causam in Rmos Patres tunc temporis Ministrum Generalem prædecessorem nostrum, ac Commissarium pariter Generalem Indiarum in Curia Catholicæ Majestatis residentem compromisit, ut Matriti, habitis eorum, quæ desiderabantur notitiis, providerent, ac disponerent, prout in Domino magis censuissent expedire. Quo quidem compromisso a partibus acceptato, ne contingeret de illius validitate aliquando dubitari, quasi obstaret Decretum suspensivum, quod præfato anno 1664. ex recursu solius Prominiſtri Provinciæ Limanæ ab hac Sacra Congregatione prodierat, proinde Criolli utriusque Provinciæ Limanæ scilicet, & Charcarum unitim eidem Sac. Congregationi supplicaverunt, quatenus hoc Decreto de medio sublato, totius negotii Alternativæ decisionem prædictis Patribus Compromissariis remittere dignaretur; annuitque

Decretum Capituli Generalis pro alternativa anno 1664.

Aliud simile Decretum dicti Capitulia Congreg. & ab Alexandro VII. confirmatum.

Decretum Capituli Generalis anno 1670.

Decretum Compromissariorum.

Decretum Congregationis Reg.

eorum

Alterum Compromissariorum Decretum anno 1677.

eorum votis Sacra Congregatio per suum Decretum expeditum die 12. Junii 1676. Hujus Decreti vigore, & præfati compromissi per Capitulum Generale facti, iidem Rmi Patres Compromissarii, auditis in Curia Matritensi partibus hinc inde Informantibus, per quasi unius anni spatium, ponderatisque utriusque allegatis, ordinaverunt, & statuerunt, non solum in utraque Provincia stabiliendam, ac servandam esse Alternativam inter Religiosos natos in Indiis, & natos in Hispaniis; sed etiam formam ipsam practicandi in Limana Provincia decreverunt; ut scilicet Provincialis uno triennio eligatur ex una parte, adeo ut si obierit, vel alia de causa durante Triennio, vacaverit Minister, Vicarius Provincialis usque ad celebrationem Capituli sit, & eligatur ex eadem parte: Alio vero triennio eligatur, & sit ex altera, servata eadem forma; Custos vero si adfuerit, eligatur, & sit ex illa parte, ex qua non est Provincialis, in dicta forma; Et ex quatuor Diffinitoribus, duo semper ex una, & duo reliqui ex altera parte sint, & eligantur. Quo vero ad Guardianos, & alia officia de voto, eligantur indifferenter, & ex utraque parte secundum qualitatem meritorum, & idoneitatem Personarum, itaut Guardianus Domus principalis semper alternetur ex utraque parte de triennio in triennium; Et omni tempore (præter Provincialem, aut Custodem, & duos Diffinitores) eligantur, & adsint ex minori parte saltem decem ad Guardianatus, & officia de voto, adhoc ut ex illis majori libertate possint eligi duo Diffinitores. Quoad lecturas autem, & alia officia tam honoris, quam oneris eligantur indifferenter, servata Justitia distributiva, & habito respectu majorum meritorum, & majoris idoneitatis juxta Constitutiones Generales Ordinis, onerantes in hoc Electorum conscientias. Idem pariter decreverunt pro Provincia Sancti Antonii de las Charcas, cum hac sola differentia, quod attento minori numero Officiorum de voto, ordinaverunt, quod decem officia de voto, quæ pro Provincia Limana mandarunt dari minori parti in Provincia de las Charcas dentur tantum sex ut latius in decreto per dictos Patres Compromissarios dato, & publicato in Conventu S. Francisci Matriti 26. Aprilis 1677. Quod quidem Decretum, ut firmius subsisteret, ac debitæ mandaretur executioni, Religiosi Hispani duplex Breve a SSmo D. N. Innocentio XI. impetrarunt, alterum sub die 26. Junii 1677. præfati Decreti confirmativum, alterum vero sub die 6. Julii ejusdem anni, in quo committitur Archiepiscopo Limano, ut ad proxime recensiti Brevis confirmativi executionem procederet, procedique faceret, atque inobedientes, & refractarios, non solum censuris, verum etiam invocato brachii Sæcularis auxilio compesceret, & ad parendum compelleret. His omnibus Religionis, Summi Pontificis, imo etiam, & Regiis mandatis, ac dispositionibus quomodo restiterint dictarum Provinciarum Religiosi Criolli, sicuti dolentes accepimus, ita modeste uti notorium reticemus. Obtinuerunt tandem Mense Januarii præteriti anni 1682. ab hac Sacra Congregatione Mandatum, ut hujusmodi negotium toties discussum, ac diffinitum, iterum proponeretur in Capitulo Generali, quod in Mense Maii ejusdem anni Toleti congregandum erat, pro voto consultivo tantum; ad cujus Mandati executionem, partibus pluries auditis, emanavit votum, quod d. Alternativa, non solum conducat, imo sit omnino necessaria, ex rationibus in eo productis. Comparuerunt demum in hac Romana Curia dilecti filii nostri Pr. Fr. Antonius Fernandez, & Pr. Fr. Martinus Moreno cum procurationis Mandato ex parte Criollorum utriusque Provinciæ Limanæ, & de las Charcas pro causæ terminatione apud Sacram Congregationem EE. RR. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, in qua auditis in Causa propositionibus, partibus pluries informantibus, emanavit tandem Decretum pro dictæ Alternativæ confirmatione, quod SSmus D. N. Innocentius PP. XI. confirmavit suis literis in forma Brevis expeditis, tenoris sequentis videlicet -- Innocentius PP. XI. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis -- (*reliqua vide suo loco*). Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Septembris 1683. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Duplex Breve Innoc. XI. pro confirmatione, & executione d. Decreti.

Decretum Congr. pro novo examine.

Decretum Capituli Gener. an. 1682.

Decretum Congreg., Breve Innocent. XI. pro alternativa.

§. 2. Nos igitur ex præfatæ Apostolicæ confirmationis decreti, in pleno Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium congressu facti, lectura considerantes attente, nullum dilectis filiis nostris dictarum Provinciarum Limæ, & delas Charcas Religiosis Criollis relinqui subterfugium ad prompte non obediendum Religionis determinationibus, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, & Apostolicis Decretis, necnon Majestatis Regis nostri Catholici piæ voluntati in dicta Alternativa admittenda, & exequenda, eo vel maxime, cum omnes juris, & facti defectus, si qui forte in præfatis sanctionibus irrepserint, fuerint per Sacram Congregationem, & Apostolicam auctoritatem in præinserto Decreto, & Brevi sanati, ac contrariis quibuscumque non obstantibus, dicta Alternativa confirmata, cupientes propterea utriusque antedictæ Provinciæ quieti, ac paci consulere, ac dissentiones, & discordias ex hujusmodi causa exortas, de medio tollere, & prædictæ Alternativæ executione ac stabilitate omnibus scandalorum occasionibus obviare. Hinc plurimum nobis dilectis Reverendissimo Patri Commissario Generali Indiarum in Curia Majestatis Catholicæ residenti, ac Commissario pariter Generali, in Provinciis de el Perù (qui pro tempore fuerit) per præsentes committimus, ac serio inculcamus, ut dictam Alternativam modo quo supra expressam in præfatis Provinciis Sanctorum duodecim Apostolorum Limæ, & Sancti Antonii delas Charcas, in executionem Religionis, ac Sacræ Congregationis, imo, & Apostolicorum Decretorum, omnibus juris, & facti remediis adhibitis, introduci, acceptari, practicari, ac imposterum formiter servari mandent, & pro viribus satagant, prout Nos præsentium vigore, & officii nostri auctoritate, introduci, acceptari, practicari, ac imposterum formiter servari mandamus, ac districte præcipimus, dilectos filios nostros utriusque Provinciæ Religiosos Criollos, uti servus rogantes, uti Frater hortantes, uti Pater commonentes, ac uti Superior, & legitimus (licet indignus) Sancti Patris nostri Francisci successor ipsis in virtute Spiritus Sancti, ac sub districto præcipientes S. Obedientiæ merito, & sub pœnis contra inobedientes sancitis, ut d. Alternativæ tandem acquiescentes, necnon Religionis, S. Sedis, Majestatis Regis nostri Catholici, ac nostris obtemperantes Mandatis, se veros ac legitimos S. Patris nostri Francisci filios ostendant. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ apud Aram Cœli die 10. Septembris anno 1683. -- Fr. Petrus Marinus Minister Generalis &c. De Mandato suæ Reverendissimæ -- Fr. Sebastianus de Arroyo Secretarius Generalis Ordinis.

Mandatum Ministri Gen. ut omnino servetur dicta alternativa.

§. 3. Et subinde Venerabilis Frater noster Alderanus Episcopus Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protector, memoratis Commissariis Generalibus commisit, ut præinsertas patentes literas fideliter exequerentur, & observari facerent, cum facultate procedendi adversus inobedientes, & rebelles ad censuras

Ecclesia-

Ecclesiasticas, aliasque pœnas in Statutis Ordinis præscriptas, etiam appellatione remota, & alias, prout plenius continetur in ipsius Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decreto desuper edito, tenoris sequentis, videlicet. *Alderanus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protector.* Attenta narratorum veritate, quæ ex documentis Sacræ Congregationi exhibitis Nobis constat, cupientes, tam perniciosæ liti finem, & perpetuum imponere silentium, præfatis PP. Commissario Generali Indiarum in Curia Matritensi, & Commissario Generali Indiarum in Provinciis Peruanis respective residentibus, committimus, & districte mandamus, ut supra scriptas literas patentes P. Ministri Generalis; quarum tenorem præsenti nostro Decreto approbamus, & confirmamus, fideliter exequantur, & ab omnibus ad quos spectat in obsequium prædictæ Sacræ Congregationis, exequi, & inviolabiter observari faciant cum facultate procedendi adversus inobedientes, & Rebelles ad Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas in Statutis Ordinis præscriptas, nulla eis suffragante appellatione, quam pariter in obsequium ejusdem Sacræ Congregationis ab ejus Decreti executione juxta formam in dictis literis parentibus expressam ex nunc interdicimus, cassamus, & annullamus. Non obstantibus in contrarium quibuscumque. Romæ die 18. Septembris 1683. A Cardinalis Cybo Protector. Jo. Baptista Rusca.

Decretum Cardin. Protectoris pro confirmatione, & executione relati Mandati.

Preces Ministri Generalis.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Petrus Marinus Minister Generalis præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ munimine corroborari summopere desideret: Nos specialem ipsi Petro Marino Ministro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, patentes ejusdem Petri Marini Ministri Generalis literas, & memorati Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decretum præinserta, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio d. Patentium Ministri Generalis, & Decreti Cardin. Protect.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Octobris MDCLXXXIII. Pontif. nostri Anno Octavo.

CXXII.

Confirmatur Decretum Congreg. Concilii, quo injungitur Ordinariis Regni Peruani conservatio Decreti Concilii Tridentini de Regularibus reclamantibus adversus eorum professionem elapso quinquennio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 13. Oct. 1683. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Francisci de Rossellon Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Indiis Occidentalibus degentium Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concili Tridentini Interpretum exposito, quod quamvis vigore Decretorum dicti Concilii sess. 25. cap. 19. de Regularibus Religiosi prætendentes se professionem emisisse per vim, aut ante debitam ætatem, aut demum ex alia causa professionem irritante, non sint audiendi, nisi intra quinquennium a die professionis computandum, nihilominus in Regno Peruano invaluerat hæc corruptela, seu abusus, ut etiam lapso quinquennio passim audirentur, signanter vero Religiosi præfati Ordinis, inter quos ab anno 1664. citra obtinuerant declarari nullam eorum professionem Fratres mox recensendi, nempe dilecti filii Petrus Merca transacto jam quinquennio suæ professionis sub prætextu, quod quadam infirmitate habituali laboraret, Nicolaus Roderiguez XVIII. suæ professionis anno, cum allegasset sibi a Matre incussum metum, Franciscus de Quiros suæ professionis anno decimosexto, Alphonsus Quintana professionis anno vigesimo, & Didacus de Torres longe elapso quinquennio, cum deduxissent sibi illatam vim a Parentibus: Et in eadem expositione subjuncto, quod de præsenti instabant pro simili declaratione dilecti etiam filii Marcellus Crespo actualis Custos, Bartholomæus Tibero anno trigesimosexto suæ professionis, Isidorus de Zepedesanno trigesimo, Franciscus Magaburu anno vigesimosecundo, ac demum Antonius de Requena, & Franciscus dela Rea, pluresque alii Fratres expresse professi Ordinis prædicti. Quoniam vero plurimum Religionum interest omnium, ne illi, qui eis nomen dederunt, tam facilem exitum a Religione inveniant, pro parte dicti Francisci Procuratoris præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, quatenus decerneret, ut in posterum nullatenus audiantur, seu admittantur transacto quinquennio, nisi obtenta prius ab hac Sancta Sede in integrum restitutione, ac retento Religionis habitu: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet die 28. Augusti 1683. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit servandam esse dispositionem ejusdem Sacri Concilii cap. 19. sess. 25. de Regularibus; & proinde injungendum, prout Decreti præsentis tenore districte injungit omnibus Ordinariis locorum Regni Peruani, quatenus dispositionem præfatam omnino servent; F. Cardinalis Columna Præfectus A. Almictus Secretarius.

Causa Decreti Congregationis.

Decretum prædictum.

§. 1. Cum autem sicut idem Franciscus Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos

Preces Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Ordinis

S. Francisci de Observantia.

ipsius Francisci Procuratoris votis hac in re quantum cum D. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXIII.

Mandatur pro Fratribus S. Francisci, ut in Belgio servetur Constitutio Clem. VIII. circa erectionem novorum Cœnobiorum.

Literæ, quæ hic annunciantur, scilicet Clem. VIII. habentur Constit. 99. tom. 3., & Urbani VIII. Constit. 49. tom. 4.

Dat. 18. Jan. 1684 An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Corselius Frater expresse professus, & in Romana Curia Agens, sive negotiorum Gestor Provinciarum Germano-Belgicarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum quod juxta dicti Ordinis statuta per fel. rec. Urbanum PP. VIII. prædecessorem nostrum confirmata Cap. 3. §. 8. de Ædificiorum constructione decretum sit, ut singulæ Provinciæ circa incommoda, sive damna sibi de aliorum Conventuum nova ædificatione imminentia omnibus remediis opportunis, & licitis in Curia Romana sese defendant. Provinciæ vero Belgicæ ejusdem Ordinis ob introductionem novorum Conventuum diversorum Ordinum paucis abhinc annis plurima incommoda, & gravia damna sint passæ, ac plura immineant, si denuo alii ædificentur, ut diversis in locis plurimi attentant, eum in finem sibi ruri, in pagis, & Oppidulis per instantiam, & favorem Magnatum loca deligentes, ex quibus, utpote vicinioribus undique, jam stabilitorum Ordinis præfati Conventuum consuetas eleemosynas soli Fratres Conventuum hujusmodi ex sui Instituti rigore vivere coguntur, conquirunt, & stationes invadunt, itaut plurimi Conventus ad summam indigentiam redigantur, & modo infinitis propemodum exponantur difficultatibus, & molestiis, ut suo Instituto insistere possint. Ipse Philippus provide considerans, propter præmissa pluribus in locis, habitationis plurimorum Religiosorum capacissimis, eorum numerum notabiliter esse diminutum, cumque Patria, ob continua Belli tempora, sit adeo devastata, ut in extremis miseriis homines vix subsistant, diminuendum fore iterum non sine gravi Divini Officii, & regularis disciplinæ præjudicio, si plures Conventus admittantur, cum juxta Concilii Tridentini Decreta is tantum Religiosorum numerus in Conventibus esse possit, qui ex consuetis eleemosynis commode ali potest, adeout dictæ Provinciæ Belgicæ ab ulteriori irreparabili damno præserventur, plurimum cupit, auctoritate Apostolica præcipi, ut Decretum rec. me. Clementis PP. VIII. prædecessoris pariter nostri hac in parte latum, quod in illis partibus, vel hactenus fuit ignoratum, vel neutiquam observatum, accurate, sive punctualiter ibidem observetur.

Causæ mandati.

Preces Applicantis Recollectorum.

§. 1. Nos igitur ejusdem Philippi votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione Ven. etiam Fratris nostri Alderani Episcopi Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybi nuncupati, dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, præfatis Cardinalibus super præmissis facta, Constitutionem memorati Clementis prædecessoris, quæ incipit, *Quoniam ad Institutum &c.* circa præmissa servari, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Mandatum prædictum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quorumvis Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Januarii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Confir-

CXXIV. Confirmantur Literæ Innocentii X. una cum aliis Clementis VIII., & Pauli V. super erectione, & privilegiis Academiæ, sive Universitatis Oppidi Zamoski Chelmen Diœcesis in Regno Poloniæ.

Alia Universitas studii Generalis in Civitate Vilsi Regni Poloniæ erecta fuit a Greg. XIII. Const. ed. 1579., Octob. 29., P. 8. de Privilegiis Univerfit. vid. notata Const. ed. 1683., Apr. 21., P. 7., & Constit. ed. 1687., Jun. 18., P. 11. habetur Confirm. cujusdam Universitatis in Indiis Occidentalibus.

Dat. 20. Februarii 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QUÆ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad excitanda, promovendaque in Catholicis Universitatibus bonarum literarum, & laudabilium disciplinarum studia, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mentes veritatis luce illustrantur, sapienti consilio ordinata esse noscuntur, ea nos propensa charitate, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, novisque præsidiis corroboramus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Orthodoxæ Religionis incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Literæ Innocentii X., in quibus referuntur

Literæ Clem. VIII.

§. 1. Alias siquidem emanarunt a fel. recor. Innocentio Papa X. prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris qui sequitur videlicet. *Innocentius PP. X. Ad perpetuam rei memoriam.* Alias a fel. rec. Clemente Papa VIII. prædecessore nostro emanarunt literæ in simili forma Brevis, tenoris sequentis, videlicet *Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.* Sedes Apostolica, quam studiorum Matrem, & Altricem esse decet, Catholicas Universitates studiorum generalium, ad studiosorum commoditatem institutas privilegiis, & gratiis libenter exornat, prout temporum, & locorum ratio postulat, ac alias in D. salubriter conspicit expedire. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius nobilis Vir Joannes Zamoschi Magnus Regni Poloniæ Cancellarius, ad studiosæ juventutis commodum in ejus Oppido novo Zamosciæ Chelmen Diœcesis, Universitatem studii generalis Hypechomen nomine, illi imposito instituerit, ac annuos perpetuos mille florenorum redditus illi assignaverit, & jam quinque Professores præclaris ingeniis, & non vulgari eruditione præditos ex Cracoviensi Academia, advocaverit, plurefque Professores convocare, & uberiores fructus assignare, cum literis in ea operam dantes, majores facient progressus, intendat. Nos Universitatem prædictam ex speciali nostra, & Sedis Apostolicæ beneficentia privilegiis, & gratiis exornare volentes, singulari ipsius Joannis Institutoris pietate, ac animi magnitudine, ac præcipua in Nos, & Apostolicam Sedem observantia adducti, Universitati prædictæ, sicut præfertur erectæ, ac illis pro tempore Rectori, Magistris, Professoribus, Scholasticis, & aliis quibuscumque Personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, Indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, honoribus, præeminentiis, favoribus, & facultatibus, etiam circa Doctores in artibus Philosophiæ, scientiaque civili, & utroque Jure, ac Medicina, ac Notarios creandos, aliosque studiorum gradus conferendos, & aliis quibuslibet, quibus aliæ similium studiorum generalium Universitates ubivis locorum, & Gentium institutæ, illorumque Rectores, Magistri, Professores, Scholastici, & aliæ personæ de jure, usu, & consuetudine, aut alias quomodolibet tam ex Apostolica, quam Imperiali, seu Regali auctoritatibus utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, atque uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, pariformiter, & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere possint, valeant, & debeant, utque in ipsa Universitate pro tempore ad gradus quoscumque promoti, pari auctoritate, facultate, & dignitate præfulgeant, iisdemque privilegiis, gratiis, honoribus, & prærogativis perfruantur, atque alii in aliis Universitatibus promoti, itaut nulla inter eos fiat differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus; ipsiusque Universitatis Rectori, & Administratoribus, ut pro ipsius Universitatis felici Regimine, quæcumque Statuta, licita, & honesta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Trid. Decretis conformia condere valeant, facultatem impartimur. Eidem autem Academiæ Venerabilem Fratrem modernum, & pro tempore existentem Episcopum Chelmen, loci Ordinarium, perpetuo præficimus, ipsumque Episcopum in ejusdem Academiæ perpetuum Cancellarium constituimus, & deputamus: Utque eadem Academia, ejusdem Lectores, Officiales, & Scholares Universi, eidem Episcopo Chelmen tanquam eorum Præfecto, & Cancellario perpetuo subesse, ac parere. & in omnibus obedientiam præstare debeant, & teneantur, neque Successores dicti Joannis Zamoski Cancellarii in eodem Oppido in administratione dictæ Academiæ, & illius bonorum quoquo modo sese ingerere possint, & valeant, sed illius gubernium, cura, & administratio ad dictum Episcopum Chelmen privative quoad dictos Successores perpetuo spectet, & pertineat, idem vero Episcopus, & ejus in dicta Ecclesia Successores, in primis teneantur omni studio curare, ut in eadem Academia Catholica Religio, & obedientia Sedis Apostolicæ conservetur. Quodque si dicta Academia, vel illius Officiales, Lectores, & Scholares a dicta fide Catholica, & Sedis Apostolicæ Obedientia (quod Deus avertat) aliquo tempore defecerint, bona omnia a dicto Joanne Zamoski Cancellario eidem Academiæ data, ad prædictam Ecclesiam Chelmen eo ipso devolvantur, & devoluta esse censeantur, & ex tunc de cætero in perpetuum spectent, & pertineant statuimus, & ordinamus, & cum expressa hac conditione privilegia, & gratias suprascriptas, & non alias, nec alio modo nos concessisse declaramus. Sicque in præmissis omnibus per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, & Synodalibus, ac Provincialibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quarumcumque Universitatum, studiorum generalium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodocumque concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Octobris MDXCIV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

§. 2. Et postmodum à recolendæ mem: Paulo Papa V. emanarunt aliæ literæ in eadem forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet, *Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.* Sacri Apostolatus Ministerio meritis licet imparibus, Divina dispositione præsidentes, ea, quæ pro Catholica- Item Literæ Pauli V.

rum, & Collegiatarum Ecclesiarum, ac bonarum artium, disciplinarum, & scientiarum propagatione, personarum quoque in his studium, industriam, & operam navantium, congrua sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, necnon Ortodoxæ fidei conservatione, cum Divini cultus incremento, per viros generis nobilitate pollentes, & de fide Catholica optime meritos, provide facta, & ordinata fuisse dicuntur, ut firma, & illibata perpetuo subsistant, libenter cum a Nobis petitur Apostolico præsidio communimus, ac desuper Pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout locorum, temporum, & personarum ratio postulat, & Nos conspicimus in D. salubriter expedire. Sane dilectus filius nobilis Vir Thomas Zamoski Dominus in temporalibus Oppidi de novo Zamoshio Chelmen Diœcesis, nobis nuper exponi fecit, quod quondam etiam Joannes Zamoski ejus Genitor, & Regni Poloniæ dum vixit, Supremus Cancellarius, provide perpendens Universæ Reipublicæ uberiores, & multiplices fructus ex literarum studiis provenire, ac cupiens studia hujusmodi in ejus Patrio solo vigere, necnon pro amplissimis gratiarum donis, & muneribus sibi ab Omnipotenti Deo, bonorum omnium largitore benigne collatis, ex devoti, & grati erga illum animi testimonium Divinæ suæ majestati debita laudum præconia, & Salutaris Hostiæ Sacrificia jugiter offerri, & persolvi, habita desuper cum tunc existente Episcopo Chelmen loci Ordinario consultatione, & matura deliberatione, ac de illius licentia, & assensu omni meliori modo, & forma, quibus potuit, & quantum in se fuit, ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Gloriam, ac salutiferæ Resurrectionis Dñi N. Jesu Christi memoriam, & S. Thomæ Apostoli ejusdem Resurrectionis præclari testis honorem, dictique Oppidi decorem, & ornatum in eodem Oppido unam Academiam publicam pro illius, ac aliorum Oppidorum, & locorum, tam temporali suo Dominio Subditorum, quam aliorum quorumcumque in pietate, morumque probitate, ac doctrina Christiana, & literis humanioribus, tam Græcis, quam Latinis, necnon Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, Logicæ, Philosophiæ naturalis, & Moralis, Physicæ, Metaphysicæ, utriusque Juris prudentiæ, Theologiæ, cæterisque artibus, disciplinis, scientiis, & facultatibus licitis erudien., imbuen., & instruenda. Unam quoque Collegiatam Ecclesiam cum Capitulo, Decano, Custode, Scholastico, ac certo Canonicorum, Vicariorum, & Ministrorum, qui eidem Ecclesiæ in divinis laudabiliter deservirent fundavit, & instituit, ac sumptuosis, & magnificis ædificiis, structuris, Cathedris, Scholis, suppellectilibus Sacris, & profanis, aliisque rebus ad Academiæ, & Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi respective usus necessariis luculenter instruxit, & ornavit, congruisque redditibus annuis, & perpetuis ad ipsum Joannem, tunc legitime spectan. dotavit, necnon super prospero, & felici statu, directione, progressu, & stabilitate, tam Academiæ, quam Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi, illarumque præcipue Rectoris, Lectorum, Professorum, Magistrorum, Præceptorum, Scholarium, Decani, Custodis, Scholastici, Canonicorum, Vicariorum, Officialium, & Ministrorum qualitatibus, oneribus, obligationibus, functionibus, mercedibus, Salariis, cæterisque rebus in præmissis, & circa ea necessariis, & opportunis, plurima Statuta, Constitutiones, ordinationes, & Decreta condidit, & præscripsit. Quare dictus Thomas Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus fundationi, Institutioni, dotationi aliisque prædictis pro illorum firmitate, subsistentia, & observantia, nostræ confirmationis robur adjicere, ac alia infrascripta concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet votis præsertim Divinum cultum, & publicam utilitatem, & commoditatem concernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prædictum Thomam a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon redditum, & bonorum per dictum Joannem pro fundatione, Institutione, & dotatione prædictis donatorum, & assignatorum, qualitates, & quantitates præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, easdem fundationem, institutionem, & dotationem, ac prout illas concernunt omnia, & singula, licita tamen, honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non contraria Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam Juris, quam facti, ac quarumcumque Solemnitatum, etiam substantialium defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque omnia, & singula perpetuo valida, & efficacia esse, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Palatii Apostolici Auditores, dictæq; Sedis Nuntios, ac locorum Ordinarios, judicari, & diffiniri debere decernimus. Insuper Academiæ, & Collegiatæ Ecclesiæ prædictis, earumque respective Rectori, Cancellario, Professoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Magistris, Scholaribus, Capitulo, Decano, Custodi, Scholastico, Canonicis, Vicariis, Ministris, Officialibus, & personis, nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, honoribus, præeminentiis, indultis, facultatibus, & gratiis, quibus aliæ similes Academiæ, & Collegiatæ Ecclesiæ in dicto Regno, & ubicumque locorum constitutæ, & illarum Rectores, Cancellarii, Professores, Lectores, Magistri, Præceptores, Scholares, Capitula, Decani, Custodes, Scholastici, Canonici, Vicarii, Ministri, Officiales, ac personæ de jure, usu, consuetudine, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, Apostolica auctoritate, & tenore præsentis perpetuo concedimus, & indulgemus. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Gnesnen., & Leopolien. Archiepiscopis, ac Episcopo Præmislien. per præsentes committimus, & mandamus; quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte ipsius Thomæ, necnon Rectoris, Cancellarii, Professorum, Lectorum, Præceptorum, Magistrorum, Scholarium, Capituli, Decani, Custodis, Scholastici, Canonicorum, Vicariorum, Ministrorum, Officialium, & Personarum hujusmodi nunc, & pro tempore existentium, fuerint requisiti solemniter publicantes, necnon Thomæ, & aliis prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, Thomam, aliosque prædictos præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permitten. illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite

molestari.

molestari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo; invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii Sæcularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Constit. Generali, & ita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, necnon in Synodalibus, Provincialibusque, & Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac literis piæ mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, per quas statuit, & ordinavit, quod cura, gubernium, & administratio dictæ Academiæ, illiusque bonorum ad pro tempore existen. Episcopum Chelmen., uti loci Ordinarium spectet, & pertineat, quibus quidem literis dicti Clementis Prædecessoris, quoad particulare Statutum, & Ordinationem hujusmodi dumtaxat (eisdem literis in reliquis omnibus quæ fundationi, Institutioni, & dotationi Academiæ hujusmodi non adversantur, in suo robore permansuris) specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Professores, Doctores, Lectores, Magistri, Præceptores, & quicumque alii in dicta Academia docentes in primis, & ante omnia Catholicæ fidei professionem juxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos in manibus pro tempore existentis Rectoris, seu Cancellarii dictæ Academiæ, aut persona ad id ab eo deputandæ emittere ac etiam jurejurando interposito, quod nihil quidquam ab ipsa fide Catholica devium, seu alienum docebunt, interpretabuntur, promittere omnino debeant, ac teneantur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscaroris die 6. Junii 1617. Pontificatus nostri anno 13.

Literæ ipsius Innoc. X.

§. 3. Cum autem sicut pro parte dilecti filii nobilis Viri Joannis Baptistæ Zamoski Principis dicti Oppidi Zamoski nobis nuper expositum fuit, ipse Joannes Baptista Princeps literas præinsertas per nos confirmari, & quia in Academia prædicta ultra supra expressas, etiam Sacræ Theologiæ lectiones assidue legantur facultatem promovendi ad Magisterii, aliosque gradus, etiam in eadem Sacra Theologia illos, qui ad id idonei reperti fuerint concedi summopere desideret: Nos eumdem Joannem Baptistam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, præinsertis Clementis, & Pauli Prædecessorum prædictorum literas cum omnibus contentis in illis, Apostolica auctoritate tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, & insuper dilecto filio Rectori, nunc, & pro tempore existenti prædictæ Academiæ, ut illos quos per debitum tempus Sacræ Theologiæ studuisse, ac scientia, & moribus idoneos esse repererit in prædicta facultate Theologiæ ac Baccalaureatus, etiam Formati licentiaturæ laureæ Doctoratus, & Magisterii gradus, servata in omnibus forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, ac alias juxta præscripta Statuta, & aliarum Academiarum consuetudines promovere, ac solita graduum hujusmodi insignia eis exhibere, utque ad dictos gradus, ac per illum promoti, postea publice, & privatim, etiam in omnibus aliis Academiis, seu Universitatibus Studiorum Generalium prædictam Sacræ Theologiæ facultatem interpretari, & alios docere, ac de ea disputare, graduique, seu gradibus per eos susceptis hujusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & Indultis quibus alii in prædictis Academiis, seu Universitatibus, & alibi juxta illarum mores, & consuetudines ad gradus hujusmodi promoti, de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia perinde ac si gradus ipsos in Academiis, seu Universitatibus hujusmodi, juxta illarum mores, & consuetudines rite suscepissent, uti, potiri, & gaudere libere, & licite respective possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, quos illa concernunt plenissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis quæ in præinsertis literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1648. Pontificatus nostri anno Quarto.

Preces Rectoris, & Administratoris Universitatis.

§. 4. Cum autem sicut dilecti filii Rector, & Administratores Universitatis, seu Academiæ præfatæ, ac dilectus filius modernus hæres Institutoris ejusdem Universitatis, seu Academiæ nobis nuper exponi fecerunt, ipsi præinsertas Innocentii Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate nostra Apostolica confirmari plurimum desiderent: Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, præinsertas dicti Innocentii Prædecessoris literas cum aliis Clementis, & Pauli pariter Prædecessorum nostrorum literis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relatarum literarum Clemen. X., Pauli V., & Innoc. X.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari, & deffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignorantes contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 6. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ iidem Clemens, Paulus, & Innocentius Prædecessores in dictis suis literis præinsertis

voluerunt non obstare; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Februarii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXV. Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. quo declaratur Clericos Regulares Pauperum Matris Dei esse exemptos a jurisdictione Ordinariorum, & gaudere omnibus privilegiis Mendicantium.

Literæ Greg. XV. hic laudatæ editæ fuere 1621. Novemb. 18. P. 1., & 1622., Octob. 15., P. 2. aliæ vero Clem. IX. datæ sunt 1669., Octob. 23. de exemptione ab Ordinariis vid. Clem. X. Const. ed. 1670., Octob. 18., P. 1., & de aliis privilegiis hujus Pontific. Constitut. ed. 1686., Septem. 3., P. 10.

Dat. 13. Martii 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. Nuper pro parte dilecti filii Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet dudum, videlicet die 18. Novembris 1621. fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor Noster dictam Congregationem Clericorum in Religionem cum emissione trium Votorum solemnium erexerit, illique subinde nempe die 15. Octobris 1622. communicationem omnium privilegiorum Ordinibus Mendicantibus concessorum, non solùm ad eorum instar, sed etiam pariformiter, & æque principaliter cum amplissimis clausulis concesserit, prout in binis Literis ipsius Gregorii prædecessoris desuper expeditis plenius dicitur contineri, & post aliquos status mutationis, quas eadem Congregatio Clericorum successive passa fuerat rec. mem. Clemens Papa IX. etiam prædecessor noster ipsam Congregationem ad statum Regularem, & Titulum Religionis cum emissione trium Votorum solemnium, & ad fruitionem omnium, & singulorum Privilegiorum, Immunitatum, Facultatum, Exemptionum, aliarumque Gratiarum, & Indultorum Ordinibus Mendicantibus hujusmodi quomodolibet concessorum in omnibus, & per omnia ad limites supradictarum binarum Gregorii prædecessoris Literarum, & juxta illarum seriem, dispositionem, & tenorem auctoritate Apostolica restituerit, & reintegraverit. Nihilominus a nonnullis spargebatur opinio, quod non ideo dicta Congregatio, ejusque Clerici Regulares ab Ordinariorum Jurisdictione exempti essent, (Dubium.) sub prætextu, quod hujusmodi exemptionis concessio in dictis privilegiis individualiter expressa non esset: & in eadem expositione subjuncto, quod ex hujusmodi opinione multa nascebantur incommoda, ideoque cum notorium sit, omnibus Regularibus, quibus privilegia Ordinum Mendicantium communicata sunt, exemptionem ab Ordinariorum Jurisdictione hujusmodi competere, ipse Præpositus Generalis de opportuna in præmissis declaratione provideri plurimum cupiebat; emanavit ad ejus supplicationem ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- (Decretum S. Congregationis Episc. & Regul.) Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, ac declaravit *Religionem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum gaudere exemptione a Jurisdictione Ordinariorum locorum, ac omnibus Privilegiis Regularibus Mendicantibus concessis. Romæ 14. Januarii 1684.* -- G. Cardinalis Carpineus Loco ✠ Sigilli -- B. Panciaticus Secretarius.

Preces Præpositi Generalis. §. 1. Cum autem, sicut præfatus Præpositus Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Præpositi Generalis votis, hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, (Confirmatio relati Decreti.) Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Card.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pisc. die XIII. Martii MDCLXXXIV., Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXVI. Confirmantur Conventiones initæ inter Fratres Minores de Observantia, & Conventuales Ordinis Sancti Francisci circa primatum in Processionibus, aliisque functionibus.

Dat. 15. A... 1684. An. ...

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum quod cum in Civitate Aversan. ejus Patria Fratres Minores Ordinum ejusdem Sancti Francisci tam de Observantia, quam Conventuales nuncupati in publicis processionibus insimul, uno quidem Fratre de Observantia ad dextram, altero vero Conventuali ad sinistram, & ita deinceps, præcedentibus eorum respective Crucibus, Fratrum de Observantia similiter ad dextram, Fratrum autem Conventualium ad sinistram, incedere solerent, isque incedendi modus nonnullis incommodis, sive inordinationibus causam præbuisset, ipse Minister Generalis di-

lectum pariter filium modernum Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum amicabiliter requisivit, ut incommodis hujusmodi opportuna aliqua provisione occurrere vellet; unde cum approbatione, & consensu ambórum Ministrorum Generalium præfatorum, dilecti etiam filii Procuratores Generales dictorum Ordinum respective ad amicabilem inter se conventionem devenerunt, ut de cætero in processionibus hujusmodi, quæ in dicta Civitate Aversan. sive intra sive extra illius muros fient, & quibus Fratres ambórum Ordinum præfatorum interesse debebunt utriusque Ordinis hujusmodi Fratres non amplius conjunctim, sed seorsim, quilibet sub propria Cruce incedant; & quoad præcedentiam servetur inter eos alternativa, itaut uno quidem anno Fratres de observantia sub propria Cruce; altero autem Fratres Conventuales itidem sub propria Cruce respective præcedant, hicque ordo præcedentiæ, servari etiam debeat in associatione Cadaverum ad Ecclesias, ad quas processionaliter portabuntur; Si autem aliquod Cadaver in Ecclesia Fratrum alicujus ex dictis Ordinibus sepeliendum fuerit, honor præcedentiæ Fratribus exteris tribuatur, in omnibus vero aliis functionibus quæ formam processionis non habeat, & quibus Fratres utriusque Ordinis non processionaliter, sed alio titulo interfuerint, sive publicæ, sive privatæ fuerint, Fratres Conventuales primum locum Fratribus de Observantia semper dare teneantur, adjecta declaratione; quod hæ Conventiones alibi in exemplum, seu pro lege adduci nequeant, nec per eas ulli ex præfatis Ordinibus, sive in communi, sive in particulari, ullum præjudicium illarum intelligatur, & alias prout uberius continetur in Syngrapha desuper Italico vulgari idiomate confecta, ac ab omnibus Procuratoribus Generalibus prædictis subscripta, tenoris, qui sequitur videlicet,

Summa Conventionū initarum inter Procur. Generales cum consensu Ministrorum Generalium.

Convenzioni sudette.

Nel nome del Signore. Nella Città d'Aversa Provincia di Napoli, o sia Terra di Lavoro li PP. Minori Osservanti, e Conventuali costumano d'andare uniti nelle pubbliche Processioni, cioè la Croce de' PP. Conventuali ed un Religioso Osservante alla destra d'un Conventuale: E perche si è veduto, che dall' essere li PP. Osservanti sempre in maggior numero, è convenuto alli PP. Conventuali graduati il più delle volte accompagnarsi, o con i Laici, o con Giovani professi Osservanti, questo modo d'andare ha dato occasione a molti disordini nel pubblico, e precise al Secolo d' interrompere la devozione, ed appoggiarvi qualche vilipendio. Questi inconvenienti rappresentati dal P. Rmo Generale de' Conventuali nativo di quella Patria, al P. Rmo Generale degl' Osservanti con amichevoli istanze per qualche provvedimento, con l'approvazione, e consenso de' medesimi PP. Rmi Generali sono venuti li PP. Procuratori Generali dell' una, e l'altra Religione ad un' amichevole convenzione nella forma, che siegue.

1. *Primieramente dichiarano, e concordano, che in tutte le Processioni da farsi nella Città d'Aversa dentro, o fuori le Mura d'essa, o siano d'obbligo, o di devozione, nelle quali doveranno intervenire le due Religioni, s'osservi l'alternativa di precedere un' Anno li PP. Osservanti, ed un' Anno li PP. Conventuali, cioè, che un' Anno vadino li PP. Osservanti uniti sotto la propria Croce nel primo luogo, e li PP. Conventuali sotto la loro Croce nel secondo luogo, e l'anno seguente vadano li PP. Conventuali nel primo luogo, e li PP. Osservanti nel secondo luogo, ciascheduna Religione sotto la propria Croce respettivamente, con questo però che li PP Osservanti debbano prima cominciare l'anno della loro precedenza, che dovrà principiare dal giorno di S Marco dell' anno corrente 1684. e li PP. Conventuali dovranno cominciare l'anno della loro precedenza nel giorno di S. Marco dell' anno 1685. così successivamente in futurum.*

2. *Che lo stess' Ordine di precedenza debba osservarsi ancora nella associazione de' Cadaveri alle Chiese, dove si portano processionalmente, ed in caso, che uno si dovesse sepellire in una delle Chiese delle due Religioni si dia l'onore della precedenza dentro la propria Chiesa alla Religione forastiera.*

3. *Che in tutte l'altre funzioni, che non hanno forma di Processione, e non v'intervengono le due Religioni processionalmente, ma* alio titulo, *siano tenuti li PP. Conventuali nelle dette funzioni, o siano pubbliche, o private, dare sempre il primo luogo alli PP. Osservanti.*

4. *Si dichiara in oltre, che queste convenzioni non si fanno per riparare, o sfugire alcuna lite, che sia stata mossa dall' una, o dall' altra Religione sopra tal' affare, ma semplicemente per li motivi detti di sopra, e per il mutuo amore, e religiosa corrispondenza che passa tra li Reverendissimi Generali de ambe le Religioni, e per il desiderio di compiacere l'uno, e l'altro. Onde questo concordato non potrà portarsi per esempio, o per legge in altri luoghi fuori di quello d'Aversa, nè per esso s'intende fatto minimo pregiudizio ad alcune delle due Religioni nè in comune, nè in particolare cedendo in questo sol caso l'una all' altra ogni jus, e pretensione, che potesse avere in contrario.*

5. *E così dichiarano, e s'obbligano gli sudetti Procuratori Generali d'osservare, e far osservare respettivamente da' loro Religiosi di detti Conventi d'Aversa esistenti adesso, ed in futuro. E per maggior corroborazione di dett' amichevole concordato hanno fatta la presente Scrittura, quale vogliono, che abbia lo stesso vigore, e forza d'astringere l'una, e l'altra parte, come se fosse pubblico Istromento d'accordato fatto con le clausole giuridiche, ed obliganti. Promettendo parimente detti PP. Procuratori Generali di mandare ciascheduno un originale di questa pubblica Scrittura, e concordato al Convento de' suoi Religiosi in Aversa, con incaricare loro la puntual osservanza, e così dichiarano, concordano, e promettono,* etiam medio juramento *d'osservare in questa, ed in ogni altra forma più giuridica, ed obligante. Data in Roma li 18. Marzo 1684.*

Fr. Antonio de Campobasso Procuratore Generale dell' Ordine Minore Osservante.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Vincenzo Maria de Bari Procuratore Generale dell' Ordine Minore Conventuale.

Locus ✠ Sigilli.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Minister Generalis exponens præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsius Ministri Generalis exponentis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas conventiones, confectamque desuper Syngrapham præinsertam, cum omnibus, & singulis in ea contentis, & expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Ministri Generalis Conventualium.

Confirmatio relatarum Conventionum.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in

Clausulæ.

præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinum præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Apr. MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXVII. Reformatur Alternativa in Provincia S. Jacobi in Hispania Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

Similem Alternativam statuit hic Pontifex supra Constit. Illius qui 17. Constit. Pro parte 30. Constitut. Cum 58. Constitut. Exponi nobis a 127., & 130.

Dat. 20. Apr. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, quieti, & felici directioni jugiter invigilans, ea, quæ justis ex causis statuit, si quid inde exoriri novit incommodi, interdum reformat in melius, sicut æquitatis, & Justitiæ rationi consentaneum esse in Domino arbitratur.

Species facti.

§. 1. Alias siquidem Nos supplicationibus tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in Provincia Sancti Jacobi in Hispania dicti Ordinis, Alternativa circa electionis ad Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ hujusmodi officia inter ejusdem Provinciæ Fratres Gallæcos ex una, & Fratres Legionenses, Asturienses, & Castellanos Castellæ Veteris ex altera partibus servari deberet, auctoritate Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis, statuimus, & ordinamus, prout plenius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis tenoris, qui sequitur videlicet.

Innocentius PP. XI. Ad perp. rei mem.

§. 2. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus cura animum nostrum solicitat ad ea peculiari paternæ charitatis studia statuenda, per quæ Christifidelium Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum quieti, & felici regimini opportunis rationibus salubriter consulatur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum Provincia S. Jacobi in Hispania dicti Ordinis quadraginta tribus constet Conventibus, quorum viginti duo in Regno Gallæciæ consistunt, & a Fratribus Gallæcis obtinentur, reliqui vero viginti (unus enim tempore bellorum Lusitanicorum destructus fuit) in Regno Legionis, ac principatu Asturiarum, & Castellæ Veteris positi sunt, & proinde ad Fratres ex his statibus oriundos pertinent, itaut ex omnibus simul formentur duo corpora, unum quidem ex Fratribus Legionensibus, Asturiensibus, & Castellanis, alterum vero ex Gallæcis qui religiositate, observantia, literatura, & numero non cedunt dictis Fratribus Legionensibus, Asturiensibus, & Castellanis, sed illis saltem pares sunt. His tamen non obstantibus Fratres Gallæci prædicti a multis, & quidem saltem viginti quatuor annis excluduntur ab honore Provincialatus, & Vicariatus Provincialis dictæ Provinciæ, quinimo frequenter ad minora officia ægre perveniunt; Unde, & Justitia distributiva læditur, & Personarum meritum offenditur, & vitiosa personarum acceptio inducitur, cum inter eosdem Fratres Gallæcos multi floruerint, & etiam nunc florent probitate, doctrina, & gubernandi artibus insignes, qui poterant, & possunt officia majora, & minora æque bene exercere, ac Fratres Legionenses, Asturienses, & Castellani prædicti illa sustinuerint, & sustineant de præsenti. Quia vero propter exclusionem hujusmodi inter duo corpora præfata graves contentiones, odia, & scandala frequenter, & præsertim occasione celebrationis Capitulorum, & Congregationum dictæ Provinciæ oriuntur, non sine notabilissimo religiosæ disciplinæ, fraternæque charitatis detrimento; Ideo dilectus filius modernus Minister Generalis Ordinis prædicti, qui in multis Capitulis, & Congregationibus hujusmodi inordinationes pluries animadvertere potuit, animi sui sensum protulit, ad occurrendum hujusmodi incommodis, expedire, ut Alternativa in electionibus dictæ Provinciæ stabiliatur, ita scilicet, ut uno quidem triennio Minister Provincialis, & duo Diffinitores ex corpore Fratrum Gallæcorum, ac Custos, & alii duo Diffinitores ex altero corpore; subsequenti autem triennio e converso, Minister Provincialis, & duo Diffinitores ex corpore Fratrum Legionensium, Asturiensium, & Castellanorum, ac Custos, & alii duo Diffinitores ex corpore Fratrum Gallæcorum hujusmodi respective eligantur; Guardianatus autem, Lectoratus, & alia officia totius Provinciæ prædictæ, in singulis illius Capitulis, & Congregationibus pro æquis portionibus inter Fratres utriusque corporis, nempe Gallæcos ex una parte, & Legionenses, Asturienses, & Castellanos ex altera distribuantur, atque ita de triennio in triennium serventur, quod quidem eo facilius procedere poterit, quod per Alternativam, & æqualem distributionem officiorum hujusmodi nulli libertati Electorum præjudicium inferetur cum unumquodque ex præfatis duobus corporibus adeo amplum sit, ut ex se solo valeat Provinciam constituere majorem multis, quæ in ordine prædicto reperiantur. Quare dictus Procurator Generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum, ex Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus ad suprascriptas preces examinandas specialiter deputatorum consilio, ut in posterum in præfata Provincia S. Jacobi Alternativa supra narrata fideliter observetur, itaut uno triennio Minister Provincialis, & duo Diffinitores eligantur ex Fratribus Gallæcis; Custos, & alii duo

Describitur Alternativa, eaque statuitur inter Fratres Gallæciæ ex una, & illos Legionis, Asturiæ, ac Castellæ Veteris ex altera parte.

Diffini-

Diffinitores ex aliis: altero vero subsequenti triennio e converso Minister Provincialis, & Custos eligantur: Guardianatus autem per partes æquales inter Gallæcos ex una, & alios, ex altera partibus in singulis Capitulis, & Congregationibus dictæ Provinciæ, prout etiam Lectoratus, aliaque officia eadem omnino paritate, servata tamen semper canonicæ electionis forma, distribuantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & mandamus. Mandantes propterea, & districte præcipientes omnibus modernis, & pro tempore existentibus Superioribus, & Commissariis Visitatoribus præfatæ Provinciæ, ut prædictam Alternativam executioni demandent, & ab iis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, observari faciant, sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis, necnon nullitatis omnium actuum Capitularium, quos contra præfatam dispositionem fieri contigerit, aliisque arbitrio Venerabilis Fratris Alderani Episcopi Tusculan. ejus S. R. E. Cardinalis Cybi nuncupati moderni, & pro tempore existentis dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris adversus contra facientes, & contradictores infligendis. Ac Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Maji 1681. Anno Quinto.

Causa reformationis Alternativæ.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, Fratres quidem ambarum partium præfatarum publicationi, & stabilimento Alternativæ hujusmodi consenserint, contra vero protestati sint ejusdem Provinciæ Fratres ex aliis Hispaniarum Regnis, nempe Castellæ Novæ, Aragoniæ, Navarræ, Bethicæ, Extremaduræ, aliisque Regionibus respective oriundi, quippe quorum in distributione officiorum Provinciæ hujusmodi nulla ratio haberetur, tametsi præteritis temporibus ex his Regnis, & Regionibus exteris orti fuerint ii Fratres, qui eamdem Provinciam maxime illustrarunt, & adhuc de præsenti multi reperiantur Fratres exteri, qui habitum Regularem in dicta Provincia susceperunt, idemque posthac quoque futurum esse merito existimari potest, cum ex omnibus Regnis, & Regionibus exteris hujusmodi adolescentes studiorum causa ad celeberrimam Hispaniæ Universitatem Salmanticen. confluant, ubi Religionis statutum Deo vocante, in præfata S. Jacobi amplectuntur: Ac proinde idem Petrus Marinus Minister Generalis, cui præter dictam protestationem ex subscriptionibus graviorum Fratrum, quas penes se habet, vere constat Fratres exteros prædictos in honorum distributione defraudatos reperiri, æquum, ac quieti, bonoque publico ejusdem Provinciæ conducibile fore existimat, si ipsi quoque pro eorum meritis, & laboribus, quos in obsequium Religionis sustinent, eorumdem honorum præmia pariter consequantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Ministri Generalis.

Nos igitur ipsius Petri Marini Ministri Generalis de religiosa Subditorum suorum tranquillitate, animarumque servitute soliciti desiderio favorabilem assensum hac in re quantum cum Domino possumus præbere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, exquisita super præmissis sententia memorati Alderani Episcopi nunc Portuen. Cardinalis, & Protectoris, cui dictus Petrus Marinus Minister Generalis, & dilectus etiam filius Commissarius Generalis Curiæ dicti Ordinis desuper consulti, ex documentis authenticis constare fecerunt; præfatam S. Jacobi Provinciam componi non solum ex prædictis duabus Nationibus Fratrum Gallæcorum ex una, & Fratrum Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris, ex altera; sed etiam pro altera tertia parte ex Fratribus forensibus (nempe ex cæteris Hispaniarum, Portugalliæ, & Hiberniæ Regnis) religiositate, doctrina, & meritis cæteris non imparibus. Attentis his omnibus pro bono pacis, & tranquillitatis ejusdem Provinciæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus pariter, ac decernimus & ordinamus, ut in ipsa Provincia Alternativa, & distributio officiorum fieri debeat æqualiter in tres partes, scilicet ut uno triennio Minister Provincialis, & unus Diffinitor ex corpore Fratrum Gallæcorum, Custos, & alius Diffinitor ex corpore Fratrum Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris, & cæteri duo Diffinitores ex corpore Fratrum forensium: Subsequenti triennio Minister Provincialis, & unus Diffinitor ex corpore Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris, Custos, & alius Diffinitor ex corpore forensium, & reliqui duo Diffinitores ex corpore Gallæcorum: Altero vero triennio Minister Provincialis, & unus Diffinitor ex corpore forensium, Custos, & alter Diffinitor ex corpore Gallæcorum, reliqui duo Diffinitores ex corpore Legionensium, Asturiensium, & Castellæ Veteris respective eligantur. Guardianatus autem, Lectoratus, & alia officia totius Provinciæ prædictæ in singulis Capitulis, & Congregationibus pro æquis portionibus inter dictas tres partes distribuantur, atque ita de triennio in triennium servetur, servata tamen in reliquis omnibus canonicæ electionis forma.

Reformatio Alternativæ in tres partes, duas videlicet prædictas, & Fratres Forenses.

Clausulæ.

§. 4. Quapropter harum serie mandamus, & districte præcipimus omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus superioribus, & Commissariis, Visitatoribus prædictæ Provinciæ, ut Alternativam, & distributionem officiorum hujusmodi sic per præsentes a Nobis stabilitas executioni demandent, & ab illis ad quos spectabit, observari faciant sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ ad illa inhabilitatis, nec non nullitatis omnium actuum Capitularium, quos contra earumdem præsentium dispositionem fieri contigerit, aliisque arbitrio præfati Alderani Episcopi, & Cardinalis moderni, & pro tempore existentis dicti Ordinis Protectoris adversus contra facientes & contradictores infligendis.

§. 5. Decernentes similiter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus literis nostris præinsertis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. April. MDCLXXXIV., Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXVIII. Statuitur, ut in Provincia Lugdunensi Fratrum Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis Sancti Francisci executioni mandetur Breve Clementis X. circa Fratres Oblatos, sive Servientes.

De hisce Oblatorum Indultis vide Clem. X. Constit. ed. 1672., Maji 12., Pont. III. Et hujus Pontificis Const. ed. 1681., Augusti 17., Pont. V. De Constitutionibus vero vid. Const. ed. 1688., Martii 13., Pont. XIII.

Dat. 20. Maji 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Dudum fel. rec. Clemens PP. X. prædecessor noster supplicationibus tunc existentium Superiorum Congregationis Gallicanæ Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus circa Fratres Oblatos, seu Servientes, ac Fratres laicos dictæ Congregationis nonnulla concessit, & statuit, prout continetur in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet. *Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam. Injuncti Nobis.* (*Reliqua vide supra laudato loco*). Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Maji 1672., Pontificatus nostri Anno Tertio.

Literæ Clem. X., quibus extenduntur Indulta ab Urb. VIII. Oblatis tunc existentibus concessa ad quoscumque alios etiam futuros.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Nicolaus Lugdunensis Provincialis, aliique Superiores, & Fratres Provinciæ Sancti Ludovici, seu Lugdunen. præfatæ Congregationis Gallicanæ Nobis nuper exponi fecerunt, præinsertarum executio in eadem Provincia hactenus suspensa fuerit, quia perpauci in ea reperiebantur Fratres Oblati, seu Servientes, qui haberent conditiones requisitas, adhoc, ut ad statum Fratrum laicorum admitterentur, qui vero eas habebant, suo statu contenti, in eoque permanere velle videbantur; verum modo Fratres Oblati, seu Servientes dictæ Provinciæ hujusmodi sint inquieti, & ad statum Fratrum laicorum præfatorum admitti plurimum desiderent. Nobis propterea dicti Exponentes de eorumdem Fratrum Oblatorum, seu Servientium quiete soliciti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa Statuti.

Preces Provinciæ Lugdunensis.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium Ministrum Generalem Ordinis præfati audiverunt, consilio, præinsertas Clementis prædecessoris literas, tametsi earum executio suspensa fuerit, ut præfertur, nihilominus deinceps in supradicta Provincia Sancti Ludovici, seu Lugdunen. executioni mandari, ac perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia posse, & debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium, statuimus, & ordinamus.

Statutum exequendi relatas Clementis literas in dict. Provincia.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præmissis Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXIX. Confirmatur statutum Capituli Provincialis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci in Gallia de regula servanda in morte Provincialis, & vacatione Diffinitoriatus.

Hujus Tertii Ordinis Regulam confirmavit, & approbavit Leo X. Constit. Inter cætera 42. *Tom. I. & ibi vide, quæ notantur.*

Dat. 12. Jun. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Benedictus Parisinus Frater expresse professus, ac Procurator Provinciæ Franciæ seu S. Francisci Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci strictioris Observantiæ in Gallia, quod cum in statutis, seu Constitutionibus dicti Ordinis a Sede Apostolica approbatis non fuisset sufficienter provisum in eventum, quo mors Ministri Provincialis, ac mors pariter, seu vacatio Diffinitoris Provinciæ hujusmodi, antequam sua respective officia explevissent, accideret; ideo ad tollenda quælibet inconvenientia, quæ exinde oriri possent, propositum fuit, & a toto Capitulo Provinciæ præfatæ unanimi consensu receptum, & admissum statutum tenoris, qui sequitur videlicet:

Causa Statuti.

Statutum.

§. 1. Si Provincialem Ministrum in officio suo mori contigerit, Guardianus Conventus, in quo vel propior loci ubi obierit, & Secretarius Defuncti scripturas quascumque ad Provinciam & ejus, sive totius Ordinis negotia, & interesse quovis modo spectantes, illas non legendo minoribus Provinciæ, & Conventus sigillis bene munitas ad Provincialem ultimo absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in Religione Patrem, qui Provincialatus, vel eo deficiente, qui Vicariatus Provinciæ, vel utriusque defectu qui Diffinitoriatus officium functus fuerit una cum Sigillis Provinciæ deferant, & consignent. Prædicta autem qui receperit, statim Ministrum Generalem de tali obitu admonebit, qui si intra trium dierum itinerationis spatium consistat, con-

Quid agendum in morte Provincialis.

sulendus

fulendus erit fupra electione Vicarii Provincialis, & ejus refponfio expectanda, velit an per fe eidem præeffe nec ne, fi autem longius abfit, eo inconfulto intra quinque hebdomadarum fpatium ad fummum, & citius fi fieri poteft is ad quem prædictæ fcripturæ delatæ fuerint, convocabit Diffinitorium ex omnibus omnino Diffinitoribus tam actualibus, quam abfolutis, necnon ex quibufcumque Exprovincialibus componendum. Si autem cafu evenerit, ut hi omnes ad decem votorum numerum non accederent, tunc antiquiores ex actualibus Guardianis fubrogarentur ufque ad præfixum hunc decem votorum numerum, ficque ad dictam Vicarii Provincialis electionem procederent. In qua quidem electione præfati omnes hujufmodi Diffinitorii convocati votum activum habebunt, paffivum vero omnes, qui juxta eadem ftatuta ad Provincialatum habent. Si tamen refiduum tempus ab obitu Miniftri Provincialis ad proxime futuri Capituli per dicta ftatuta præfcriptum tempus celebrandi, feptem menfium fpatium non excedat, tum Exprovincialis, vel alius, in cujus manibus confignatæ fuiffent dictæ fcripturæ cum Sigillis Provinciæ, Vicarius Provincialis ipfo facto cenferetur, & fub hoc titulo Provinciam cum omnimoda, & ordinaria Provincialatus auctoritate gubernaret. In Capitulo autem proxime fequenti fi Vicarius Provincialis electus biennio integro, feu in duobus Diffinitoriis confecutivis Provinciæ Vicariatus officio functus fuerit, ad Provincialatum eligi minime poterit, fed toto triennio integro fequenti Exprovincialatus juribus gaudebit, fi vero infra biennium rexerit, tunc ad Provincialatum, aut alia quæcumque officia eligi poterit, nullo proinde Exprovincialium jure gaudens. Si quis autem Diffinitor actualis moriatur, aut alia ratione juridica vacaverit, ejus loco fubrogetur, & pro fubrogato habeatur ipfo facto in Provincia antiquior Pater, qui Provincialatus, vel ejus defectu Vicariatus Provincialis, & utriufque defectu qui Diffinitoriatus munere alias functi funt. Si vero hi omnes defuerint, fuffragetur antiquior in religione Guardianus actualis. Sic autem quivis fubrogatus, ultimum locum in confeffu habeat inter reliquos Diffinitores: in Capitulo proxime fequenti ad Diffinitorium minime affumi valeat, fi biennio integro exercuerit, fin autem minus, ad omnia officia poterit affumi.

In vacatione Diffinitoriatus.

§. 2. Cum autem ficut eadem expofitio fubjungebat dictus Benedictus Procurator ftatutum hujufmodi quo firmius fubfiftat, & fervetur exactius Apoftolicæ confirmationis noftræ patrocinio communiri plurimum defideret. Nos ipfum Benedictum Procuratorem fpecialis favore gratiæ profequi volentes, & a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit, ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, fupplicationibus ejus nomine Nobis fuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum noftrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & confultationibus Epifcoporum, & Regularium præpofitorum, confilio, præinfertum ftatutum auctoritate Apoftolica tenore præfentium confirmamus, & approbamus, illifque inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & fingulos juris, & facti defectus, fi qui defuper quomodolibet intervenerint, fupplemus.

Preces Procuratoris Provinciæ.

Confirmatio relati Statuti.

§. 3. Decernentes eafdem præfentes literas femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos fpectat, & pro tempore fpectabit, pleniffime fuffragari, & ab eis refpective inviolabiliter obfervari: Sicque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Claufulæ.

§. 4. Non obftantibus præmiffis, ac Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, ac quatenus opus fit prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis; confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & fingulis illorum tenores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac de verbo ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat, fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum fub Annulo Pifcat. die XII. Junii MDCLXXXIV., Pontificatus noftri Anno Octavo.

CXXX.

Confirmantur Privilegia, Indulgentiæ, & Gratiæ locis Terræ Sanctæ conceffa, & Fratribus Minoribus S. Francifci de Obfervantia Interpretibus Indulgentia Plen. conceditur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Junii 1684. An. 8.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piis Chriftifidelium votis, ex quibus facrorum locorum venerationem, & animarum falutem provenire confpicimus, libenter annuimus, & illa quantum nobis ex alto conceditur favoribus Apoftolicis confovemus.

Exordium.

§. 4. Cum itaque ficut dilectus filius Joannes Maria de Canvizarii Frater expreffe profeffus Provinciæ Granaten. Ordinis Minorum Sancti Francifci de Obfervantia nuncupatorum, ac Commiffarius Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ, Nobis nuper exponi fecit, ipfe ad ejufdem Terræ Sanctæ fubfidium, eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini affidue excolentium, Sacraque loca venerantium fubventionem, necnon ad fpiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis caufa peregrinantium confolationem, & profectum, omnia, & fingula, gratias, privilegia, & indulgentias hucufque facris ejufdem Terræ locis Apoftolica auctoritate conceffa, & confirmata per Nos eadem auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum defideret: Nos defiderio hujufmodi annuere, ipfumque Joannem Mariam fpecialibus favoribus, & gratiis profequi volentes, & a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis Sententiis, Cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis fi quibus quomodolibet innodatus exiftit ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, fupplicationibus ejus nomine Nobis fuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & fingula privilegia, conceffiones, facultates, Indulta, Indulgentias, cæterafque gratias fpirituales, & temporales eifdem locis, & illa vifitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degentibus per quofcumque Romanos Pontifices prædeceffores noftros, ac Sedem Apoftolicam in genere, vel in fpecie, aut alias quomodolibet conceffa quatenus fint in ufu, & non fint revocata, aut fub aliquibus revoca-

Preces Commiffarii Gen. Terræ S.

Confirmatio dd. Privilegiorum, Indulgentiarũ, aliarumque gratiarum.

tionibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini Decretis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet in eis intervenerint supplemus. Nec non insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœniten., & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Item concessio Indulgentiæ plen. in articulo mortis Fratribus interpretibus facta.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Junii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXXI.

Extenditur Constitutio Urbani VIII. ad Melitenses, itaut ex iis ordinati cum falsis, vel sine Dimissoriis Fori Privilegio gaudere nequeant.

De hisce Clericis vide Pii II. Const. ed. 1461., Nov. 17., P. 4., quæ innovatur in regul. 24. Cancell. Item laudatam Urb. VIII. Const. edit. 1624., Decem. 11., P. 2. quæ reformatur quoad Melitenses ab hoc Pontif. Constit. ed. 1686., Jan. 30., P. 10.

Dat. 1. Julii 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

CUM dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster per quamdam suam Constitutionem, cujus initium est: *Secretis æternæ providentiæ consiliis &c.* inter alia voluerit, Italos si quos ex tunc in posterum Clericali charactere insigniri, vel ad Minores Ordines promoveri ab alieno Episcopo cum falsis Dimissoriis contigisset, etiamsi qualitatibus per Concilii Tridentini Decretum Cap. 16. Sess. 23. requisitis præditi essent, nihilominus secuta tamen prius desuper Judicis Ecclesiastici declaratione, Fori privilegio minime gaudere, sed Sæculari jurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subjacere, & subjectos esse. Et sicut pro parte dilecti filii Magni Magistri Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani nobis nuper expositum fuit, ut incommodis in Insula Melitensi in dies insurgentibus occurreretur, Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 8. Maii 1677. declaraverit, Melitenses ordinatos, seu ordinandos cum falsis, seu absque dimissoriis, non gaudere privilegiis Clericalibus, sed posse præfatam Urbani prædecessoris Constitutionem per nos ad Insulam Melitæ extendi: nobis propterea dictus magnus Magister humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces M. Magistri S. Joannis Hierosolymitani.

§. 1. Nos igitur ipsum Magnum Magistrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, supra expressam præfatæ Congregationis Urbani prædecessoris dispositionem ad Insulam Melitæ, itaut Melitenses, quos cum falsis Dimissoriis, vel sine Dimissoriis contigerit ab alieno Episcopo Clericali charactere insigniri, vel ad Minores Ordines promoveri, servata prius Judicis Ecclesiastici declaratione, Fori privilegio minime gaudere, sed sæculari jurisdictioni in omnibus subjacere debeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, seu ampliamus: salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium.

Extenditur Const. Urbani VIII. ad Insulam Melitæ.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Julii MDCLXXXIV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXXII.

Confirmantur novæ Constitutiones Instituti Clericorum Sæcularium in communi viventium.

De hoc Instituto, & ejus primis Constitutionibus vide hujus Pontif. Constit. ed. 1648. Jun. 7. P. 4. Const. ed. 1683., Maii 20., P. 7. approbatæ fuerunt Congreg., & Constitutiones Presbyt. Sæcul. B. M. V. assumptæ. Et Const. ed. 1685., Febr. 9, P. 9. declaratur, hos Clericos capaces esse Beneficiorum.

Dat. 17. Aug. 1684. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet, & viribus longe impares, divina dispositione præsidemus salubriter exequi auxiliante D. jugiter satagentes, pia Presbyterorum, & aliorum Clericorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium Instituta paterno favore libenter prosequimur, & illis, quæ pro felici eorum directione provide, prudenterque constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

§. 1. Alias siquidem pro parte dilectorum filiorum Clericorum Sæcularium in communi viventium nobis exposito, quod anno 1640. opera tunc in humanis agentis Bartholomæi Holtzhauser inchoatum fuerat eorum Institutum, quod Deo opitulante in dies adeo excreverat, ut non tantum a bo. me. Joanne Philippo dum vixit Archiepiscopo Moguntin. Sac. Romani Imperii Principe Electore, sed etiam ab aliis pluribus Archiepiscopis, & Episcopis in eorum Diœceses receptum, & expresse approbatum extitisset; & in eadem expositione subjuncto, quod Institutum

Fit mentio laudati Brevis, quo a eodem Pontifice approbata, & confirmata fuerunt hoc Institutum, ejus Constitutiones.

prædictum

prædictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum, ac directione unius supremi Præsidis, prout dicti exponentes eisdem suberant, salubriter ordinatum, ac pro felici ipsorum exponentium, & Instituti hujusmodi directione, rectaque juventutis institutione nonnullæ Constitutiones factæ fuerunt. Nos supplicationibus eorumdem Clericorum Sæcularium, & aliorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Institutum prædictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum, & directione unius Generalis Præsidis, ac Constitutiones præfatas, toto illarum tenore inserto, auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus. Ac eisdem Clericis Sæcularibus alias Constitutiones, prædictis non contrarias, pro spirituali, temporalique dicti Instituti directione ab hac Sancta Sede postmodum approbandas condendi facultatem impertiti sumus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 7. Junii 1680. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut Clerici Sæculares in communi viventes prædicti denuo nobis nuper exponi fecerunt, aliæ Constitutiones hujusmodi pro felici, prosperoque tam in spiritualibus, quam temporalibus Instituti præfati; & sub illo nunc, & pro tempore Deo militantium regimine, & gubernio conditæ, & in tres partes distributæ fuerint, quarum tenor a prima primæque partis; quæ ad directionem studiosæ juventutis, & Seminariorum pertinet, Constitutione incipiendo, est qui sequitur videlicet.

Conduntur novæ Constitutiones in tres partes distinctæ.

I.

Prima Pars e directione juventutis,& eminariorū.

Superiores in susceptione singulorum Adolescentium provide attendant, ut tam innocentia integros, quam ingenio, & indole præstantiores, servatis servandis, admittant; in hunc finem ad Puerorum ingenia in Oppidis, & aliis locis a Sacerdotibus circumspiciatur, qui ex omnibus ad propositum hujus Clericalis vitæ habiliores videntur.

II.

Deinde aliqui bonæ indolis Pueri ad Domum Sacerdotum in Parochiis cum consensu parentum recipiantur, & in certis locis, tam hi; quam alii Adolescentes a Sacerdotibus in rudimentis; & Grammatica informentur, ut pro receptione ad Seminaria qualificentur.

III.

Ut exclusis ineptis, aut indignis talis delectus fiat: Superiores studeant accuratam suscipiendorum notitiam præhabere, ne dimissio post facienda damno; aut cuiquam oneri sit.

IV.

Suscipiendi quantum fieri potest; habeant vehemens quoddam desiderium studendi, præstantis, aut saltem mediocris sint ingenii, pietate in Deum, ac devotione erga Deiparam, speciem filiorum Dei de se præbeant, naturalis eorum indoles ad virtutum viam facile flexilis sit.

V.

Animo ita sint composito, & supra Sæcularia desideria humiliter elato, ut modestiam, submissionem intellectus, & voluntatis flexibilitatem practicam ostendant, moderata quoque iræ, & aliarum passionum temperies, filialis quidam affectus erga hoc Institutum ita in illis elucere debet, ut prudenter conjici possit, quod fructuose, & filialiter hunc Clericalem statum suo tempore sint exornaturi.

VI.

Priusquam ad Seminaria suscipiantur Superiores notitiam Parentum, educationis puerorum, aliarumque circumstantiarum, item testimoniales studiorum, & natalium habeant, fiat examen practicum studiorum, & alia omnia observentur, quæ pro Seminariis præscribi solent. Quibus peractis, admittendi Superioribus hujus Instituti simplicem promissionem faciant, quod in hac Clericali vita, quantum fieri potest, ad dies vitæ vivere intendant; ita tamen, ut si in progressu temporis sub studiis a proposito ex rationabili causa recederent, solummodo sumptus eorum sustentationis causa factos refundere obligati sint, nisi paupertas excuset, aut qui ditiores sunt ob morbum, vel aliam rationabilem causam, & non ex culpa, aut propria voluntate eorum dimittantur.

Adolescentes in Seminariis in tres studiorum classes distribuendi, eorumdemque obligatio ad hoc Institutum.

VII.

Ut Juventutis educatio debito ordine instituatur illa in tres classes studiorum distribuatur, per quas tanquam per gradus Juvenilis animus ad scientiarum, & virtutum viam in ordine ad Clericalem statutum sursum ducatur.

VIII.

In prima classe erunt Adolescentes tonsura Clericali insigniti a Syntaxi usque ad Rhetoricam inclusive, & hæc prima classis pro qualitate mediorum ordinanda erit. Secunda classis complectitur Philosophos a principio usque ad finem Philosophiæ, qui suscepta tonsura Clericali se dignos reddiderint, ut jam solidius in disciplina, & scientiis adolescant.

IX.

Ut prædicti Adolescentes sic admittantur, requiritur primo, ut singulis annis graduum ad altiorem scholam fecerint, & in summo, vel saltem mediocri gradu docti, ex Rhetorica ad Philosophiam sint promoti. Secundo, ut quantum fieri potest sint in æquali ætate. Tertio, ut illud specimen morum maximæ fraternæ concordiæ, modestiæ, & obedientiæ dederint, quod solidam spem faciat eos strenuos hujus Clericalis vitæ, & Ecclesiæ Catholicæ milites evasuros. Quarto, ut revelationem sui hominis interioris filiali candore eos fecisse judicetur. Quinto, ut zelum Animarum, pietatem erga Deum, & Sanctos, & affectionem erga res cælestes habere agnoscantur. Sexto, ut nullum Canonicum impedimentum, vel corporis deformitatem, ac defectum contraxerint, quæ huic Clericali statui damnosa esse possint: in defectu autem prædictarum qualitatum potius mature dimittendi erunt: prædictis vero concurrentibus, & promissione Superioribus hujus Instituti facta, quod in hac Clericali vita constanter vivere velint, ad secundam Classem admittentur.

X.

In tertia classe continentur Theologi, Canonistæ, aliique a fine Philosophiæ usque ad Sacerdotium, qui tales vita, & moribus exstiterint, ut de illorum Clericali vocatione rationabiliter dubitari non possit: & hi, susceptis Minoribus Ordinibus, juxta studia publica in Universitatibus, domi, sive in Seminariis, potissimum in iis, quæ ad Salutem Animarum procurandam necessaria sunt, informabuntur.

XI.

Priusquam vero ad eam admittantur, per Juramentum ad hoc Institutum se obligabunt, ita quidem ut qui alumni simul fuerint in Seminario cujusdam Ordinarii, vel alterius Patroni, Instituto concredito, adinstar illorum ab Archiepiscopo Moguntino, & Episcopo Herbipolensi, & Augustano Instituto concreditorum, utroque respectu, tam erga Ordinarium loci, quam erga Institutum sequenti formula id præstent.

XII.

Ego N. Filius N. Diœcesis N. Seminarii N. Alumnus, plenam habens Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium, & hujus Seminarii Statutorum notitiam, legibus, & Con-

stitutionibus utriusque me sponte subjicio, easque quantum in me erit, observare promitto. Insuper spondeo, & juro me sub jurisdictione Rmi (vel Emi) Domini Ordinarii mei, seclusa omni exemptione in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex Beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta Constitutionem 19. Sacerdotum, conferunt, atque sub privata, & œconomica unius Superioris directione vivunt, sive intra, sive extra Seminarium semper victurum, & moriturum. Insuper spondeo, & juro, quod dum in hoc Seminario permanebo, vel alibi applicatus fuero, si urgens necessitas a Superioribus hujus Instituti approbata mutationem status postularet, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, vel etiam quemcumque statum sine speciali ejusdem Rmi Dni Ordinarii mei licentia ingrediar. Denique spondeo, & juro me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum. Sub die N. mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia.

XIII.

Qui vero Alumni in Seminariis Ordinariorum non fuerint, & in Seminariis huic Instituto propriis educantur, Juramentum in formula sequenti præstabunt.

Ego N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium notitiam, legibus, & Constitutionibus ipsius, me sponte subjicio, easque quantum in me erit, observare promitto; insuper spondeo, & Juro, me sub directione privata, & œconomica Præsidis Supremi, ejusque in hoc munere legitimis Successoribus, salva per omnia Rmi D. Ordinarii mei auctoritate, & jurisdictione, in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex Beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta Constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, semper victurum, & moriturum. Insuper spondeo, & juro, quod dum in hoc Seminario permanebo, vel alibi applicatus fuero, si urgens necessitas a Superioribus hujus Instituti approbata mutationem status postularet, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem, vel etiam quemcumque statum, sine speciali Supremi Præsidis hujus Instituti licentia, ingrediar. Denique spondeo, & juro, me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum. Sub die N. mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

XIV.

Juramento prædicto non obstante, facile ante susceptos majores Ordines circa finem studiorum suscipiendos, ob rationabilem causam Adolescentes ad Sæcularem statum habita debita licentia a Superioribus hujus Instituti, & insuper si Alumni sint, a Rmo Ordinario transire poterunt, ne inviti, aut gravem difficultatem sentientes ad Statum Clericalem trahantur, in quo postea ad scandala declinent, solutis prius sumptibus sustentationis, nisi illis in hoc casu pro parte, aut ex integro condonentur.

De rebus spiritualibus, & aliis, in quibus Adolescentes juxta cursum studiorum in Seminariis informandi sunt.

XV.

Juxta classium prædictarum distinctionem, Juventus etiam tres vias spirituales tenebit: videlicet viam purgativam, in qua ad vitæ innocentiam, ad moderandas passiones, ad fugienda peccata pro cujusque ætate, & data gratia sedulo impellantur: viam illuminativam, in qua dogmata Fidei nostræ Catholicæ, universæque doctrinæ Christianæ principia, & proprii sui hominis interioris cognitio, una cum facilioribus recte vivendi regulis, ipsis ex proposito mature instillentur: viam denique perfectivam, in qua ad consequendam perfectionem Status Clericalis, sibi possibilem, & Ecclesiæ salutarem conabuntur.

XVI.

Ut Adolescentes in prædictis instituantur, saltem singulis diebus Dominicis, a meridie per horam, in loco cujusque classis Pater spiritualis certam materiam ita succincte, & clare tractabit, ut singuli terminorum seriem memoriæ tradere, & prædictarum viarum scientiam successive facili negotio assequi valeant.

XVII.

Ante omnia Magistri virtutum Adolescentes primæ classis instruant de recta intentione, in examine, aliisque exercitationibus spiritualibus persolvendis, quomodo sub Sacrificio Missæ spiritualiter communicare possint: in scientia quoque rerum cælestium ex professo a Patre Spirituali probe perito informentur. In Doctrina Christiana principia fidei uberius, quam in communi parvulorum Catechesi fieri solet, ex Catechismo Romano per ordinem iisdem tradantur, uti, & significatio Sacrarum Cæremoniarum, virtus Sacramentalium, & similium.

XVIII.

Contra insidias hostium spiritualium caute roborentur per instructionem cognitionis sui ipsius, & diversarum tentationum notitiam; in quem finem inserviet libellus Beati Salesii Philothea dictus, & ille, qui de Imitatione Christi inscribitur, ex quibus Pater Spiritualis, uti etiam ex materia de discretione spirituum, clientes suos prudenter informabit.

XIX.

Pariter Magistro Spirituali cura sit, ut ex cognitione Dei, & beneficiorum ejus clientes suos ad Divinum, & filialem amorem, ex præstantia, & benignitate Beatæ Virginis Mariæ ad ejusdem devotionem; Ex custodia Sanctorum Angelorum, & meritis Sanctorum ad eorum cultum, ac Patronorum electionem; Ex quatuor novissimis, & pœnis impiorum, ad timorem Domini; Ex notitia Passionum, ad propriam cognitionem; Et ex hac ad sui ipsis contemptum, & diffidentiam; Atque ex aliis virtutibus spiritualibus ad studium rerum Cælestium impellantur; Super quæ tanquam rudimenta, solidæ virtutes, successu temporis ædificantur.

XX.

Ut Adolescentes secundæ classis in via spirituali progrediantur, a Patre Spirituali in modo meditandi instruantur, & non tantum præcepta meditandi tradat, verum etiam in praxi ostendat, quomodo ex particulari themate meditatio ordinanda sit; Materias quoque subinde eisdem designet, easque in puncta dividat; peracta quoque meditatione examen desuper instituat, in quo successus examinetur, & errores per utilia documenta ostendantur; Ea vero materia pro hac Classe Studiorum, ex doctrina, & vita Christi, & Sanctorum desumatur, quæ ad extirpationem vitiorum, & solidarum virtutum implantationem ordinata visa fuerit.

XXI.

Post instructionem de modo meditandi Pater Spiritualis ad tradendam Christianarum virtutum, & oppositorum vitiorum doctrinam progredietur, quam ex materia de Christiana Clericorum perfectione desumet, instruendo clientes suos, primo in virtutibus Theologicis, ex quibus Deum timere, & diligere addiscant; Deinde naturam, & finem virtutum Cardinalium, quæ sunt veluti columnæ salutis nostræ,

eosdem instruat, non minus de vera humilitate, patientia, & abnegatione propriæ voluntatis, earumque oppositis defectibus informentur; & denique in omnibus aliis virtutibus, quibus homo interior in ordine ad salutem æternam perficitur; medium quoque discretionis in omni virtute perspicuis rationibus, & exemplis practice edoceantur, ne ad extrema deflectant.

XXII.

In hunc finem inserviat libellus, qui inscribitur pugna spiritualis a Sancto Francisco Salesio summopere commendatus, accedente practica instructione Patris Spiritualis ad pugnandum contra passiones, & vitia per virtutes oppositas, præsertim contra vitium quoddam particulare, super quo, ejusque virtute opposita exercenda, etiam particulare examen frequentius instituendum erit, in quibus, & in omni alia congrua occasione Pater Spiritualis clientibus suis practicum exercitium ad manus dabit.

XXIII.

Ex singulis erroribus occasio erudiendi, & contra vitia pugnandi propositumque in posterum formandi, Adolescentibus a Patre Spirituali ad manus detur, ea practica instructione, qua virtutis via, & ipsum exercitium congrua perspicuitate pateat, & animus ingenuus cum facilitate, & jucunditate ad illud inducatur. In quem finem Pater Spiritualis cum clientibus suis toties colloquium particulare instituet, quoties singulorum indigentia propria requirat, exercitia quoque spiritualia annua statuto tempore eidem præscribet.

XXIV.

Adolescentes tertiæ classis vocationis suæ Clericalis scopum mature cordi habentes viæ perfectivæ se accingant, ut eorum homo interior, & exterior in omnibus iis qualitatibus perficiatur, quæ in ordine ad salutem proximorum imprimis ordinantur, ut jam non solum sibi, verum etiam aliis vivere, & studere incipiant.

XXV.

Postquam in reformatione hominis sui interioris rite instructi fuerint, viæ regiæ virtutum insistentes ad reformandum suum hominem exteriorem convertentur, eas virtutes, & qualitates sub directione Patris Spiritualis sibi comparando, quæ in statu Clericali ad vitam activam in hoc Sæculo necessaria sunt, in quem finem informabuntur per ordinem in exercitio externarum virtutum, qualiter se erga omnis generis homines Christianæ exhibere debeant, similiter de discretione spirituum, & universo officio Pastorali, in multa charitate præstando, practice erudiantur, ut in singulis actionibus secundum unam, uniformemque normam se moderari sciant.

XXVI.

Primum locum in ordine doctrinæ discretio obtinebit, tanquam moderatrix humanarum actionum; Et cum duo hominem exteriorem in ordine ad vitam activam perficiant; Primo ipsæ virtutes; Secundo modus operandi ad extra, Adolescentes in utroque informandi sunt. Inter virtutes quo ad modum instruendi Juventutem prima est mansuetudo hominis Christiani, consistens in verbis, & actionibus, quæ erga omnes omni occasione superabundare debet; Deinde humilitas, conjuncta tamen cum decore vestium, actionum, verborum, & totius hominis venustate, personæque Sacræ gravitate.

XXVII.

Tertium locum affabiles sibi vendicat, ut cum Christiana suavitate ad ædificationem conversatio fiat: Cujus comes est modestia, plurimarum rerum moderatrix, quæ effusionem nimiam sui ipsius coercet: Sequitur eutrapelia, ut cum jucunditate recreationi locus detur: Deinde charitas externa, quæ præ se aliis cædit, in multis condescendit, pacem cum omnibus habet, & alios obsequiis prævenire gestit, neque est sensitiva, aut apprehensiva.

XXVIII.

Præterea modum recte operandi ad extra, aliæ quædam virtutes principales discretum reddunt, quæ sunt prudentia, fortitudo spiritus, justitia, temperantia, & circumspectio.

XXIX.

Inter objecta operandi ad extra conversatio utilis in omni occasione, & quæstione proposita cum omnis generis hominibus, primum locum obtinet, cui succedit modus catechizandi parvulos, cum ratione, & dexteritate: Item modus docendi Scholas particulares, ut Adolescentes ingenio præstantes in doctrina proficiant: Item discretio spirituum, ingeniorum, & naturarum.

XXX.

Præsertim vero modus audiendi Confessiones, juvandi animas, agendi cum ægrotis, scrupulosis, & desperabundis, pusillanimibus, melancholicis, & aliis hominibus, qui vel corpore, vel sensu, vel anima periclitantur, qui scilicet dexteritate ad eorumdem medicinam salutarem, & ædificationem sit agendum, cui succedit modus concionandi, & perorandi, ut animæ utiliter, ac nervose sale verbi Dei condiantur. Sequitur modus administrandi res temporales, ut cum debita dexteritate, & discretione sine nota avaritiæ, & prodigalitatis, in omnibus agatur. Denique modus regendi sibi Subditos, tam Sæculares in beneficiis Curatis, quam ipsosmet hujus Instituti Clericos, cum moderatione, dexteritate, charitate ad ædificationem.

De quotidianis exercitationibus, frequentatione Scholarum, & repetitione domestica.

XXXI.

Superiores enixe laborent quatenus Adolescentes omni tempore honesta aliqua occupatione a vago mentis intuitu, & otio revocent. In quem finem distributio diurni temporis in quovis Seminario ordinetur, quæ hujusmodi (mutatis mutandis) esse poterit.

XXXII.

Mane surgentes statuto tempore ea observent, quæ in stationibus sunt præscripta, quibus finitis Adolescentes inferiorum Scholarum per quadrantem horæ lectionem spiritualem instituant: Studiosi vero secundæ, & tertiæ Classis per mediam horam meditentur, deinde omnes simul Sacrificio Missæ devote intersint, reliquo tempore studiis invigilent usque ad tempus frequentandi scholas; post scholas, si tempus superfit, studia continuabunt, uno quadrante ante prandium Litanias omnium Sanctorum juxta stationes persolvant; sub prandio, & cœna Studiosi tertiæ Classis per ordinem legent scripturam Sacram, Constitutiones, aliosque libros asceticos, juxta Superiorum dispositionem: Studiosi vero secundæ classis per ordinem ad secundam mensam legent.

XXXIII.

Post prandium recreatio uniformiter ab Adolescentibus observetur, finita recreatione aliquid temporis addiscendo cantui tribuant: Theologi vero maturiores pro illo tempore in cæremoniis, & ritibus sacris exerceantur; postea rursum studiis invigilabunt; ita tamen, ut Theologi per quadrantem horæ ante studia in Sacræ Scripturæ explanatione se exerceant; finita frequentatione scholarum, assignato tempore studia, vel repetitiones fient; uno quadrante horæ ante cœnam pro meditatione sequentis diei se præparabunt, post cœnam, diebus Veneris, & Sabbati, breve colloquium spirituale paulo ante Rosarium instituetur.

XXXIV.

Diebus festis, & Dominicis tam Sacrum solemne, quam concio captui, & fructui Adolescentium accommodata in Seminariis pro Adolescentibus trium harum Classium habeatur, reliquum tempus pro Superiorum ordinatione utiliter impendent.

XXXV.

Prædictis his diebus, finita schola spirituali, & Vesperis cantatis, exercitia reliqua, ut diebus aliis perficient. Cæterum ad divina officia, aut conciones foris frequentandas non facile emittantur: sub cœna loco lectionis Theologi per ordinem succinctum sermonem per modum concionis in lingua vulgari habebunt.

XXXVI.

Ad scholas publicas, ubi adsunt, cujusque loci audito prius domi Sacro, mittentur servato a Rectoribus Gymnasiorum, & Universitatum præfixo tempore. Ad scholas per Plateas bini modeste incedant, ac finitis scholis, sic revertantur, prudentiore semper Directore constituto. In scholis seorsim ea modestia sedeant, ut aliis majorum exemplum præbeant.

XXXVII.

Ut Adolescentes primæ Classis solidius in studiis progrediantur, iis Pædagogos quosdam domesticos pro repetendis lectionibus, & conficiendis argumentis Superiores adjungant, qui eisdem pariter in disputationibus domesticis præsint, & in studiis suis per omnia ad debitum profectum, sedula diligentia eos excolant.

XXXVIII.

Philosophi, præter privatas inter se repetitiones singulis Septimanis determinata die, repetitionem omnibus præsentibus per ordinem habebunt, & in fine studiorum suorum prævio examine domestico, nisi ad publicas in Universitatibus defensiones fuerint admissi, saltem in Seminario ex universo studio suo Theses defendent.

XXXIX.

Adolescentes tertiæ Classis, ex Theologia speculativa, statuto die una hora repetitionem instituant: Similis repetitio saltem singulis mensibus semel distinctis diebus instituetur ex Theologia morali, Jure Canonico, & studio controversistico, juxta particularem superiorem ordinationem: uti & Scripturæ Sacræ expositio, repetitio pastoralis; pro quibus utiliter expendendis, universo Studiorum negotio præficiatur unus Sacerdos, qui in singulis studiis aptior adhoc præstandum judicabitur.

De Oeconomica Ordinatione Seminariorum, victu, & vestitu Adolescentium.

XL.

Universim Superiores pro viribus laborabunt, ut Seminaria bene sint ordinata, eorumque debita cura habeatur. Pro custodia Domus, ac Januæ homo laicus fidelis, & maturus constituatur, qui sine expressa Superioris licentia extraneos ad Adolescentes in Domum non intromittat, aut Adolescentes exire permittat: Coqui, & alii domestici pariter sint fideles, maturi, patientes, & charitativi.

XLI.

In communi Oratorio, & Refectorio suas consuetas preces omnes persolvant, ac refectionem sumant: Cætera in tres consignationes distinguantur, & in singulis singularum Classium Juvenes in uno amplo musæo, vel duobus cohabitent, ibique repetitiones solitæ peragantur.

XLII.

Pariter unum, vel duo Dormitoria in quavis consignatione cum annexa Camera Magistri Spiritualis constituantur; itaut in Dormitorio, cum certa interdistinctione, secundum debitam honestatem, extra conspectum mutuum seorsim dormiant.

XLIII.

In victu, vestitu omnes æqualiter habeantur, & ingenue eatenus tractentur, quatenus animorum ingenuitas, ad superandos studiorum labores, magis jucunditate, quam servili timore excitetur.

XLIV.

Unde mensa quotidiana frugalis erit, ut non solum temperantiam, una cum vera ingenuitate, ab adolescentia imbibant, sed etiam bonam corporis complexionem, animumque alacrem acquirant. Color vestium perpetuo niger sit; qualitates autem cæteræ nullam vanitatem, aut inæqualitatem, vel luxum, sed magis honestatem, & modestiam demonstrent.

XLV.

Pro servando debito in omnibus ordine, fit in quovis Seminario Horologium, & Campanula exactæ temporis distributioni serviens. Sit item Infirmaria, ex qua ad Oratorium fiant fenestræ, per quas Infirmi quotidianum Sacrum, ac preces reliquorum valeant percipere.

XLVI.

Superiores debite attendant ad Bibliothecam, Vestiarium, Dormitoria, Cellam, Culinam, & similia: Claves ad Portam Seminarii noctu Director habeat.

De distinctione, receptione, & fundatione Seminariorum.

XLVII.

Seminaria Juventutis possunt esse Pontificia, & alia his similia pro Clericis, & animarum curatoribus ad quosvis mundi partes mittendis, vel Regum, ac Principum, pro certis Regnis, & Provinciis, vel Archiepiscopalia, & Episcopalia pro Archidiœcesi, aut ampliore Diœcesi; Et denique Seminaria propria hujus Instituti erecta, & fundata per Patronos, & per media Communitatis, præcise pro hoc Instituto; quorum ultimorum, quo ad media Fundationis, plenum dominium penes idem Institutum erit: Quoad reliqua Seminaria, quorum dominium vi fundationis, ad Patronos spectat, vel Patroni certa media pro fundatione stabili huic Instituto, aut tantum certos annuos proventus Directoribus Seminariorum consignare poterunt, ex quibus certus Studiosorum numerus sustentetur.

XLVIII.

Adolescentes, qui vi alumnatus ad certas Diœceses, aut Provincias obligantur, non nisi ex speciali favore Patroni, in casu alicujus specialis necessitatis, alio mitti possunt; substituta tamen, si ita Patronus requirat, altera persona qualificata. Educati quoque in Seminariis huic Instituto propriis, etsi ad certam Diœcesim non obligentur, regulariter tamen in territorio, ubi Seminarium situm est, manebunt, & quando illa Diœcesis indiget, eidem inservient; ita tamen, ut in casu necessitatis ad quæcumque loca ex ordinatione Superiorum hujus Instituti mitti possunt.

XLIX.

Media pro fundandis Seminariis eidem Instituto propriis haberi possunt, vel ex collatione redditium Ecclesiasticorum, juxta Constitutionem 19. Sacerdotum, aut ex bonis hæreditariis ex libera voluntate sic applicandis, aut demum ex illis, quæ a Patronis sponte conferuntur: Ita tamen, ut personæ particulares hujus Instituti ex redditibus suis primo propriæ Parochiæ, seu Beneficii oneribus sufficienter prospiciant, & superiores ex mediis in massa communi jam collectis alii Instituti æque, vel magis necessariis communibus oneribus similiter prospiciant.

L.

L.

Ubi Seminaria jam fundata existunt, quæ directioni Superiorum hujus Instituti ejusdem fini conformiter tradere placebit; si media fundationis non sufficiant, pro integritatis exigentia media Communitatis, (si ad manum fuerint) ea conditione authentico instrumento adjecta applicari poterunt, ut casu quo ejusdem Seminarii directio a Clericis Instituti non continuaretur, supremus Instituti Præses, bona illa, quæ Institutum de suis adjecit, libere alio transferre possit, & valeat.

LI.

In acceptandis Seminariis, traditio fini hujus Instituti non sit contraria; reliquæ conditiones Fundatoris arbitrio manent subjectæ. Ut inhabiles excludantur, Adolescentium susceptio, & eorundem directio, vel plene a patronis Superioribus Instituti concedatur, vel saltem, ut iisdem a Patronis jus, & potestas fiat ipsis idonea subjecta nominandi, prævio accurato examine, & probatione sufficiente, quatenus sic digniores a Patronis recipiantur, qui recepti in Instituto vivere tanquam vera ipsius membra postmodum obligati maneant.

LII.

Quod si Ordinarii locorum annua ratiocinia a Directoribus Seminariorum petant, uti, & per se, aut per alios visitando domesticam gubernationem, juxta dispositionem S. Concilii Tridentini Sess. 23. de Refor. Cap. 18. inspicere voluerint, id Constitutionibus a S. Sede Apostolica confirmatis conformiter fiet; ita tamen ut de redditibus Seminarii nihil alienare possint, & in alios usus convertere.

LIII.

Superiores cujuscumque Seminarii, præter mensam certum aliquod salarium habeant, si aliter de competente beneficio Ecclesiastico provisi non fuerint, cætera vero, quæ ex communi massa per annum restabunt, in iisdem Seminariis pro futuris eventibus, ac necessitatibus asservabuntur, quod intelligitur, si modo continua talis Seminarii administratio hujus Instituti Clericis relinquatur; Cæteroqui enim talia dispositioni Superiorum hujus Instituti reservabuntur, quorum proinde calculus eisdem quoties visum fuerit per modum ratiocinii exhibendus erit.

LIV.

In casu dimissionis alicujus e Seminario, si restitutio sumptuum facienda sit, fiet Seminariis Patronorum in quibus tantum certa portio pro sustentatione Adolescentum per annum assignatur; in aliis vero Seminariis, in quibus bona fundationis ad Institutum spectant, talia ad massam communem illius Seminarii tradantur, ut alii Juvenes exinde sustententur. Ratiocinia in præsentia Patronorum Ordinariis exhibenda juxta Constitutionem 52.

Ubinam Seminaria esse debeant, & cujus nationis Adolescentes in iis sint educandi.

LV.

Ordinarie in quavis ampliore Diœcesi, ac a potiori in quavis Archidiœcesi unum Seminarium, & (quantum fieri potest) juxta eas Academias, & Universitates habeatur, vel erigatur, ubi studia, & disciplina abundantius florebunt; ita tamen ut Seminaria ultra necessitatem non multiplicentur; quod si in tali districtu nulla Universitas esset, in qua Scholæ majores ab iis doceantur, qui docere solent, tunc Sacerdotes hujus Instituti, in tali casu tam Sacras, quam profanas literas docebunt.

LVI.

Cum Sacerdotes, & Clerici hujus Instituti sub Jurisdictione Ordinariorum, tanquam veri & simpliciter, proprieque dicti Clerici parati sint in toto Terrarum Orbe curam Animarum administrare, mediantibus mediis temporalibus ab Ordinariis locorum, vel aliunde pro formandis Seminariis deputatis, & collatis: (ad quod præstandum dictos Clericos sumptibus suis impares esse per se constat:) ut per bonam instructionem juventutis ad Seminaria ordinarie Adolescentes propriæ patriæ assumantur, qui sint ad omnem laborem impigri, ac patrio solo assueti, ut sub hac ipsa disciplina usque ad mortem subsistant.

LVII.

Cum solida, & stabilis disciplina pro bonis Clericis, & Curatis formandis in Domo, in qua diversæ conditionis, status, ordinis, & vocationis Adolescentes commorantur, servari non possit; Ideo ad Seminaria hujus Instituti propria, vel Ordinariorum Presbyteris hujus Instituti concredita nullus suscipiatur, qui in hoc Instituto non velit, vel actu vivere, vel animum saltem sic vivendi habeat. Quod si tamen ex gravissima causa Convictores quidam suscipiendi forent; iidem expressa hac conditione, & non aliter suscipiantur, ut in Seminario disciplinæ per omnia, & in omnibus absque ulla prorsus exemptione se accommodent.

LVIII.

Non obstante, quod Adolescentes ad Seminaria suscipiendi ordinarie (nisi excellentia talentorum, & circumstantiæ graves contrarium suadeant) ejus nationis esse debeant, in quo loco suscipiuntur; inter Adolescentes tamen sub studiis transplantatio, quoad diversas nationes sic fieri poterit, ut finitis studiis ad Seminaria in Terris propriis revertantur. Excipiuntur quoque Seminaria fundata ea intentione, ut sic educati ad quasvis mundi partes; vel ad loca hæretica mittantur cum Ordinariorum consensu, si ea in eorundem Diœcesibus sunt; vel ad alia cum Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia: ad hæc enim diversæ nationis juvenes insignes, præsertim, qui sub disciplina hujus Instituti alibi in Seminariis jam vixerunt, suscipi possunt.

In his Conventibus non attingentur, quæ Jurisdictionem cujuscumque Ordinarii concernunt. Omnia denique, quæ in Conventibus ordinata fuerint, Protocollo diligenter, & ordinate inserantur, ut posteris, & Reverendiss. DD. Ordinariis, semper de omnibus ratio reddi valeat, fiet id per certas personas, quæ tam hæc, quam alia posteris pro notitia necessaria adnotabunt; post Conventum autem Archidiœcesanum celebratum Præses Reverendissimo D. Ordinario suo desuper debitam relationem faciet.

CLXX.

Post novem annos in Conventu illius districtus, officium suum ad munus Præsidis supremi resignando mutabitur, & duo deputati, vel ipsimet Visitatores Præsidis supremi constituentur, qui vota Præsidum Diœcesanorum, & aliorum suscipientes, Præsidi supremo transcribent, a quo ex notitia talentorum, quam ex factis sibi de singulis relationibus habere debet, ad votorum rationem simul attendendo, ex viris sibi propositis præstantiorem pro Præside illius Archidiœcesani districtus denominabit, qui postmodum Reverendissimo Domino Archipræsuli suo, per Juramentum supradicto modo, uti & Instituto se obstringet. Quod si vero dictus Præses Archiepiscopo non placeat, tunc supremus Præses sine nova Congregatione aliam personam eidem nominabit.

CLXXI.

In illis locis, ubi plures Diœceses unius Archiepiscopatus inter se connexionem habent, & ad communem utilitatem domus Emeritorum constituenda est Capsa Archidiœcesana, ad quam tam Clericorum hujus Instituti non necessaria ex capsis Diœcesanis, quam media aliunde advenientia deponi debent, ut pro utilitate, ac necessitate totius illius districtus Archidiœcesani expendantur, & applicentur. Clavem pro eadem habebit Præses Archidiœcesanus, alteram ejus Œconomus, tertiam Superior particularis illius Domus, in qua Capsa erit.

De Oeconomo Archidiœcesano.

CLXXII.

Officium hujus Œconomi erit, Præsidi illius districtus in visitatione adesse, & curam rerum temporalium hujus Instituti ubivis suscipere, in omni loco necessitates, & omnia alia incommoda, quæ vel personæ particulares, aut integræ familiæ patiuntur, charitative audire, & in Domino juxta directionem sui Præsidis, remedium adhibere, ac præsertim ratiocinia generalia super bonis communibus Instituti per illum districtum conficere. Hujus Œconomi ordinationibus omnes alii Œconomi inferiores acquiescent; itaut quidquid rationabiliter ordinaverit, observent. Ad hoc munus viri in omni genere præstantes requiruntur, qui & ipsi obedientes sint, & in rebus alicujus momenti aliorum prudenti consilio utantur, atque ubi rei gravitas requirere videbitur ab ipsomet Præside Archidiœcesano ordinationem petant, e cujus directione perfectissime in officio suo dependebunt.

De Præsidis Supremi directione.

CLXXIII.

Hujus Instituti caput sub nomine Præsidis supremi, vel Generalis constanter unum erit; Hic Præses totum Institutum, tam in spiritualibus, quam temporalibus in quamcumque mundi partem diffusum fuerit, aut diffundetur secundum Deum sine ullo Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum præjudicio, directione

solum-

solummodo privata, & Œconomica secundum Constitutiones hujus Instituti a Sancta Sede Apostolica approbatas gubernabit.

CLXXIV.

Quidquid ergo bonum, vel conservationem præsentis Instituti concernens, tanti momenti fuerit, ut id Superiores eidem subordinati, juxta ea, quæ in præcedentibus traduntur, neque per se, neque per Congregationum, seu Conventuum consultationes ob causæ gravitatem decidere prudenter non potuerint, illud a Præside supremo decernetur, & hac ratione omnes hujus Instituti Superiores, & Inferiores in suo ordine, supremo Præsidi prædicto modo obedient.

CLXXV.

Ipse Præses supremus Summo Pontifici, & S. Sedi Apostolicæ in omnibus, quæ ad præsens Institutum attinent specialiter obediet; ea prorsus ratione, qua Præsides particulares Reverendissimis suis DD. Ordinariis obedire tenentur: idem Præses suo, & Instituti nomine per Juramentum Summo Pontifici, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ post sui electionem, se obligabit, prout etiam fidelitatem suam erga hoc Institutum per speciale Juramentum prout sequitur, promittet.

Formula Juramenti pro Præside Supremo.

CLXXVI.

Ego N. N. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos, & ab ejusdem Instituti Præsidibus canonice electus Præses Generalis tibi Sanctissimo Domino Nostro N. N., tuisque canonice intrantibus successoribus, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ spondeo, & juro me sub obedientia Sanctitatis tuæ, & Successorum tuorum in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune viventium ab eadem S. Sede Apostolica approbatas semper victurum, & moriturum; insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos, & committendos sub omnimoda Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum jurisdictione, juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, ac quantum in me est ad mandatum Sanctitatis tuæ in quasvis Mundi partes missurum & cooperaturum, ut hæc vita Clericalis ex primario suo fine animarum curam per ordinarias functiones Parochiales cohabitando intendens constanter perseveret. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Formula Juramenti pro eodem Præside, per quod se toti Instituto obligare tenetur.

CLXXVII.

Ego N. N. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos, & ab ejusdem Instituti Præsidibus canonice electus Præses Supremus, vobis nomine totius Instituti congregatis spondeo, & juro me in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune viventium a Sancta Sede Apostolica approbatas semper victurum, & moriturum, insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos, & committendos sub omnimoda Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum auctoritate, & jurisdictione juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, & cooperaturum &c. ut supra.

CLXXVIII.

Ad Præsidem supremum spectabit vitam Præsidum in diversis Archidiœcesibus, & Diœcesibus, præsertim quoad directionem a Præside Archidiœcesano non dependentibus, per suos Visitatores generales, aut per alium delegatum inspicere, & ex urgentibus causis, etiam extra tempus ordinarium, eosdem superiores cum consensu Rmorum DD. Ordinariorum modo supradicto mutare; de incorrigibilibus respectu rerum Instituti eidem Præsidi relatio mature fiet, ut si ita necesse visum fuerit, tales de mandato, & consensu Rmorum DD. Ordinariorum servata SS. Canonum, & S. Tridentini Concilii dispositione, & attenta Clericorum hujus Instituti ex pacto mutuo proveniente erga superiores ejusdem Instituti in similibus casibus obligatione a beneficiis amoti in domo Emeritorum seorsim vivant, juxta ea, quæ habentur part. 3. de directione domuum Emeritorum.

CLXXIX.

Quod si in aliqua Diœcesi, vel Religione de novo introductio hujus Instituti a Reverendissimo D. Ordinario desideretur, Præses supremus ordinationem desuper faciet, & personas qualificatas determinabit, quæ illuc mittantur, atque ubique locorum cum consensu Reverendissimorum DD. Ordinariorum præsens Institutum introducere adlaborabit. Quoniam vero nemo sibi ipsi sufficiens, præsertim in re tanti momenti, hinc dictus Præses juxta se viros doctos, & prudentes ex omnibus orbis partibus habebit, qui eidem in rebus agendis adsint.

CLXXX.

Ex his duo Assistentes Præsidis erunt, alter in spiritualibus, alter in temporalibus quoad Œconomicam directionem totius Instituti, & universim tam hi, quam alii prædicti apud eumdem Præsidem habitabunt, ut ipse singulorum consilio, & opera in gubernatione totius Instituti, rationabiliter utatur. Duos etiam generales Visitatores constituet ex iisdem sibi cohabitantibus, qui singulis circiter decenniis omnes Domos, in quibus superiores hujus Instituti cum iis, qui ipsis a consiliis sunt, habitant, & maxime Domus Juventutis, ac Emeritorum, eorumque superiores visitando diligenti circumspectione statutum singulorum, quaque uniformitate ubique vivatur, intelligant; errata superioribus locorum corrigenda, & ad uniformitatem reducenda, commendabunt; graviora vero annotabunt Domum suo tempore reversi, Præsidi supremo sinceram relationem suæ visitationis tradent.

CLXXXI.

Ad quamcumque Diœcesim prædicti Visitatores pervenerint, semper Rmis DD. Ordinariis se sistent, ac humillimis precibus petant, quatenus sibi liceat in domibus prædictis notitiam de statu rerum hujus Instituti accipere, priusquam etiam ex ejusdem territorio discedant se Reverendissimo D. Ordinario denuo sistant, & si quid notabile emendandum occurrerit, eidem humillime indicabunt, ut si ita placuerit, ipsemet ad ea, quæ hujus Instituti propria sunt, superiores, aliosque Clericos hujus Instituti urgeat, & adstringat.

CLXXXII.

Conventus Generalis, cui Præsides cujuscumque districtus Archidiœcesani, una cum suis Œconomis, quantum possibile fuerit interesse debent, uti etiam alii Præsides ab Archidiœcesano independentes, ac præterea ii, qui Præsidi supremo a consiliis sunt, ordinarie singulis decem, vel etiam, postquam res Instituti bene ordinatæ fuerint, post plurium, etiam viginti annorum spatium habebitur, prout necessitas rationabiliter sæpius, vel rarius instituendum postulaverit. Sententia conclusiva, quæ in Domino omnibus, vel majori parti videbitur, penes supremum Præsidem stabit.

CLXXXIII.

Idem Conventus prædicto modo fiet ad mortem supremi Præsidis, vel si ex mandato, aut consensu Summi Pontificis, in casu gravis necessitatis Præses ab officio deponendus foret. Ordinario autem Conventus in hoc casu præcipue ad Assistentem ejusdem Præsidis in spiritua-

libus

libus pertinebit; donec in eodem Conventu alius Præses debite electus fuerit; & si in Alma Urbe Conventus habeatur a Summo Pontifice confirmatus fuerit; ex quo tempore continuatio, & absolutio hujus Conventus ad ipsummet Præsidem spectabit.

CLXXXIV.

Ad sinceriorem omnium causarum, & necessitatum in Conventibus propositionem, relationemque obtinendam, præter Superiores ex districtibus singulis, saltem duo v.g. ex quovis districtu Decanali, duo Parochi ad Conventum Diœcesanum; ex Diœcesi duo Decanalium districtuum Superiores ad Conventum alicujus districtus Archidiœcesani; ex districtu Archidiæcesano duo Præsides Diœcesani ad Conventum generalem destinabuntur, qui prudentia, & pietate præstantes non solum actorum, verum etiam status, in quo singula loca subsistant, aut deficiant, uti, & conversationis ipsorum Superiorum testes, & arbitri erunt.

CLXXXV.

Cum bona Communitatis juxta superius dicta numero 22. ex una in aliam Diœcesim per se transferri non possint; Ideo nulla Capsa, totius hujus Instituti communis constitui poterit, unde Præses Generalis non nisi particularem Capsam suæ familiæ in Domo sua habebit, casu tamen, quo per Patroni alicujus dispositionem toti Instituto, aliquid concederetur, si in eo ordine ad certam Diœcesim, vel Archidiœcesim, Supremi Præsidis erit, cum suo Œconomo curam hujus habere, & operam dare, ut pro Emeritorum Domo, Seminario Instituti proprio, pro Missionibus ad loca hæreticorum, seu Infidelium destinandis, pro aliis communibus Instituti necessitatibus sublevandis, vel aliter ad satisfaciendum Benefactoris, aut Patroni intentioni, & voluntati utiliter applicetur.

De Oeconomo Supremi Præsidis.

CLXXXVI.

Ad Oeconomum Supremi Præsidis, qui rerum temporalium hujus Instituti generalem, & ultimam dispositionem habet, omnes causæ graviores circa prædictarum rerum ordinationes occurrentes, quæ ipsius Supremi Præsidis Judicio ac decisione discutiendæ, ac determinandæ videntur ex omnibus locis, sive particularibus Diœcesibus deferentur, cujus ultimæ dispositioni, quæ a Supremo Præside semper derivabitur, omnes per obedientiam acquiescent; Generalem quoque calculum, & notitiam rerum temporalium totius Instituti habebit.

CLXXXVII.

Finaliter hujus Instituti directiva superioritas ab infimo ejusdem gradu, usque ad supremum Præsidem illi megestativæ superioritati, quæ in foro Ecclesiastico est, non solum non præjudicat, sed potius subservit, ac famulatur, eidemque subordinata semper obedit; Dum ex una parte totum hoc Clericale Institutum cum omnibus suis membris se primo Summo Pontifici Romano, deinde secundo Reverendissimis Dominis Ordinariis eadem, qua prius, imo etiam majore subjectione per obedientiam, & inviolatum erga Jurisdictionem ordinariam respectum in foro Ecclesiastico penitus submittit; ex altera parte tertio per paternam, & Œconomicam hujus Instituti directionem, Clerus Sæcularis suavi, & charitativa via (cum Constitutiones per se juxta Sacerdotum Const. 46. sub peccato non obligent), a corruptela vitiorum, & perniciosis defectibus Clericorum, præsertim curæ Animarum præpositorum, magnam partem liberari, & in libertatem Sanctæ conversationis in hoc Sæculo, cooperante Dña gratia redigi poterit; & sic quarto Rmis DD. Ordinariis tam a Superioribus, quam Inferioribus totius hujus Instituti membris debita obedientia; reverentia; & subjectio perfecte præstabitur.

PARS TERTIA.

Constitutiones pro directione Sacerdotum, aliorumque Clericorum senum, & alias ad officia, & beneficia Ecclesiastica ex quocumque defectu inhabilium in Domibus Emeritorum.

PRÆNOTATIO.

De fine, utilitate, & necessitate Domorum Emeritorum.

Finis, quem Clericale hoc Institutum in erectione ejusdem Domuum Emeritorum intendit, earumque multiplex utilitas, quæ ad diversos exinde redundat, uti & necessitas in eo est, Prodest namque in primis Reverendissimis Dominis Ordinariis, ut Clericos suos in praxi eorum, quæ ad curam Animarum spectant informandos curare, & facilius in Clericali vita, & honesta te continere, senes quoque, & alios ad curam Animarum inhabiles (servata SS. Canonum, & S. Tridentini Concilii dispositione; & attenta ex pacto mutuo inter Clericos hujus Instituti proveniente obligatione) mature ab eadem removere possint, ne dum nescitur ubi, aut unde necessaria illorum sustentatio procuranda sit, diu non sine magno suo incommodo, majoreque subditorum periculo in ea relinquantur, postquam per senium, vel alium defectum eidem amplius convenienter præesse non possunt. Prodest deinde iisdem Reverendissimis Dominis Ordinariis, vel aliis, qui prædictis Clericis cum ad Sacros Ordines promoventur, titulum mensæ tribuerunt, dum occurrente casu, quo illo alias uti debuerunt, communibus Instituti bonis sustententur, ipsique hoc onere eosdem sustentandi subleventur; Prodest insuper tam Clericis huic Instituto addictis, quam Fidelibus, maxime quorum curæ præfecti sint: Clericis quidem, dum illis in senio uti, & in casu quo in grave peccatum vel scandalum ex humana fragilitate lapsi forent, commodissima ipsis in se redeundi, pœnitentiam agendi, commissa peccata expiandi; & vitam serio emendandi occasio præbetur, ne diu cum suo dedecore, totius Cleri opprobrio, & magno tum Catholicorum, tum Acatholicorum scandalo in publico circumvagari permittantur. Fidelibus vero, dum mature a scandalis Clericorum liberantur, & loco tædiosorum senum, vel alias inhabilium Sacerdotum idoneos Animarum curatores nanciscuntur. Prodest denique universali Christi Domini Nostri Ecclesiæ, ad cujus propagationem ex ejusmodi Domibus, ubi supernumerarii nonnulli sustentari possunt, Sacerdotes aspirante Divina gratia ad missiones in terras hæreticorum, & Infidelium, non secus, ac ex Religiosorum cœtibus viri probi, docti, ac zelosi, educi poterunt, quas eo promptius suscipient, quo certius norunt, quod in senectute, vel alia superveniente inhabilitate post exantlatos in hujusmodi Missionibus labores rursum ad ejusmodi Domum recursum habere possint. Nec adeo magna erit in erigendis, & instruendis, fundandisque ejusmodi Domibus, difficultas, cum in quavis Archidiœcesi, vel saltem ampliore Diœcesi, non nisi una talis Domus sit necessaria, ad quam erigendam, & necessariis rebus instruendam, omnes huic Instituto adjecti Clerici pro facultatum suarum modo concurrent. Itaque bona Ecclesiastica congruæ sustentationi suæ superflua, quæ alias in pios usus expendere deberent, in hunc determinatum pium, valdeque Clericali vitæ convenientem usum præ cæteris expendent, ac relinquent, idque in ea Provincia ubi fuerunt acquisita. Sperari quoque potest fore, ut Deus aliorum quoque Patronorum animos subinde ex-

citet

citet ad hanc piam, totique Ecclesiæ Dei utilem intentionem in opus redigendum.

Quænam personæ, & ob quem finem recipiendæ sint ad Emeritorum Domos.

I.

Ut post exantlatos vitæ activæ labores Sacerdotes senio confecti sine molestia seorsim vitam quietam vivere, & cursum suum in sanctitate feliciter consumere valeant, in quavis Archidiœcesi, vel etiam ampliore quadam Diœcesi Domus aliqua omnibus, tam corporalibus, quam spiritualibus vitæ subsidiis probe instructa erigatur, & fundetur.

II.

Ad hanc Domum primo recipiantur Emeriti, sive Senes Sacerdotes qui in illa Archidiœcesi, vel Diœcesi post multas vitæ activæ impensas operas, reliquum vitæ tempus in majore tranquillitate, & vitæ contemplativæ exercitationibus transigere constanter desideraverint.

III.

Secundo si quos corpore, vel ad obeunda munia Ecclesiastica ob canonicum aliquod Impedimentum ex quocumque casu contractum inhabiles reddi contigerit, recipiantur pariter in Domum Emeritorum, ubi ipsis in charitate omnia vitæ necessaria usque ad vitæ finem subministrentur.

IV.

Tertio si quis Sacerdotum vilescentibus sibi omnibus, quæ in mundo sunt, vehementiore Spiritus Sancti impulsu ad vitæ contemplativæ exercitationes quodammodo rapi videatur, Superiores probato illius spiritu cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii permittere illi poterunt, ut in Domo Emeritorum libere ejusmodi exercitiis vitæ contemplativæ totum se dedere possit.

V.

Quarto qui foris educati, & adulti hoc Clericale Institutum amplecti voluerint in eamdem Domum recipientur, donec eorum vocatione sufficienter explorata, juramentum quatuor punctorum substantialium ad manus Superiorum faciant.

VI.

Quinto supernumerarii Sacerdotes, recenterque ordinati, & exules in hac Domo eo usque commorentur, donec pro iis vacans aliquod beneficium, vel alia occasio eos ad curam Animarum applicandi emerserit.

VII.

In hac Domo delinquentes pœnitentiam statutam a Superioribus, vel (si delictum sit publicum, aut alias ejus qualitas postulare videatur) ab ipsismet Reverendissimis Dominis locorum Ordinariis dictatam, juxta eorumdem ordinationem agant, donec eorum vulnera spiritualia sanentur. Seorsim etiam in eadem Domo Sacerdotes incorrigibiles in custodia perpetua asserventur, donec in pœnitentia vitam suam finiant, vel sinceram, ac constantem emendationem per alia signa præseferant, ut sine proquinquo relapsus periculo prudente Superiorum judicio inde dimitti posse videantur.

De Ordinatione, & dispositione Domorum Emeritorum.

VIII.

Ante omnia circumspicient Superiores hujus Instituti, ut dictæ Domus Emeritorum in loco tuto, sano & ab hominibus remoto erigantur, medicus etiam ibidem resideat, aut saltem in vicinia ad manum commode haberi possit. Ad formam Domorum instituendæ Juventutis in tres consignationes distinguantur, in quarum prima defectuosi, in secunda animo, corporeque valentes, & denique in tertia pœnitentes, & incorrigibiles seorsim accommodentur.

IX.

In instructione Conclavium pro habitatione singulis deputandorum duo extrema diligenter vitanda sunt: prius est, ne quid necessarium in illis desit, posterius ne quid in iisdem sit superfluum. Quæ necessaria sunt munda sint, & pulchro ordine, suisque in locis disposita, idque quoad fieri potest uniformiter, videlicet mensa, aliquot sedilia, pluteus, atramentarium, & reliqua ad scribendum requisita, scabellum ad meditandum, & alias devotiones flexis genibus exercendas, in cujus medio sit Imago Christi Crucifixi, cum alia quadam Beatissimæ Virginis Imagine, vasculum pro frigida, mantile, & vasculum pro aqua lustrali.

X.

Porro in unoquoque loco Oratorium domesticum constitui debet, in quo consuetæ preces ordinate persolvantur, in hoc Oratorio Altare aliquod Beatissimæ Virginis Mariæ cum Imagine Crucifixi, & aliis ornamentis fiat, quibus mens ad majorem devotionem per Dei gratiam excitari valeat. Subsellia quoque fiant, quibus humana fragilitas inflectendo, aut sedendo sufficienter sublevetur.

XI.

Refectorium mundum sit, & exornetur piis Imaginibus, inter quas præcipua ultima Cœna Domini existat, sit ibidem Cathedra pro lectione ad mensam, cubicula Infirmorum a communi Dormitorio separata juxta Oratorium domesticum constituantur, ex quibus infirmi sacrum, & Confratrum suorum consuetas preces audire possint, in quem finem parietes per ferreos Cancellos prospectum aperiant.

XII.

Dormitoria denique ob multas rationabiles causas, & commoditates ubique locorum, quantum fieri potest, a Conclavibus singulorum in quibus de die habitant separata erunt. In quavis ejusmodi Domo sit horologium domesticum cum turricula, & campana supra Domum pro signis ad exercitia spiritualia dandis.

De fundatione Domorum Emeritorum, deque bonorum temporalium ad easdem pertinentium.

XIII.

Fundatio pro Domo Emeritorum in quavis Archidiœcesi, vel ampliore Diœcesi haberi poterit ex collatione bonorum juxta Const. 19. Sacerdotum uti, & ope, piisque legatis patronorum regulariter observari poterit, ut media pars prædictorum bonorum applicetur ad Domos Emeritorum, & altera media pars ad Domos Juventutis, ita tamen, ut aliis necessariis expensis faciendis pariter satisfiat.

XIV.

Cura bonorum temporalium in prædictis Domibus ad Œconomos spectabit, quorum unus in quavis Archidiœcesi, uti etiam Diœcesi penes Præsidem residebit. Iidem Œconomi in fundatione ejusmodi Domorum provide attendant, ut bona temporalia debita humana severitate conserventur, & ad usus necessarios expendantur.

XV.

Quo ad legata, aliaque a Patronis oblata eorumdem mens observanda erit; unde ea, quæ præcise ad Domos Emeritorum dantur, ad easdem, & non aliter applicentur, quæ vero ad Domos Juventutis sub eadem conditione assignantur, pro iisdem applicentur, quæ vero indifferenter ad bonum Clerici huic Instituto assignantur,

juxta

juxta prudentem Superiorum dispositionem applicanda erunt.

XVI.

Tam in fundatione Domorum instituendæ Juventutis ex mediis Communitatis, quam Emeritorum expresse dominium, & omnis dispositio huic Instituto illiusque Superioribus reservetur, ut quando quidem in beneficiis continuam successionem (nisi forte ex speciali gratia Patronorum) non habeant, saltem in prædictis Domibus Institutum stabiliter subsistere possit, ut proinde merito Instituti hujus Clerici, & Sacerdotes in dispositione circà bona sua temporalia præcipuam harum Domuum debite fundandarum rationem habere debeant. Facta autem semel sufficiente prædictarum Domorum in aliqua Archidiœcesi, vel Diœcesi fundatione, ea, quæ superesse contigerit in alios pios usus, & tam clericali huic Instituto, quam ipsimet Archidiœcesi, vel Diœcesi, in qua versantur, proficuos usus expendantur, ut & cura Animarum melius geratur, & ea, quæ Institutum hoc præscribit commodius in praxim redigantur, prout in Domino visum fuerit.

Quinam Superiores in Domibus Emeritorum esse debeant, & quodnam eorum sit officium.

XVII.

In Domo Emeritorum non solum Præses Archidiœcesanus (aut si in Diœcesi quadam ejusmodi Domus sit Præses Diœcesanus) extra visitationem tanquam in proprio suo Domicilio habitabit, verum etiam plures viros prudentes ibidem secum habeat, quorum Consilio in directione sua, & in faciendis dispositionibus suis, saltem, quæ majoris momenti esse videbuntur, semper utatur.

XVIII.

Ad eumdem Præsidem spectabit circa personas senum, Infirmorum, inhabilium, & eorum, qui graviter deliquerunt, provide in Domino disponere. Quod si Præses Archidiœcesanus, vel Diœcesanus in officio R̃mi Archiepiscopi, vel R̃mi D. Episcopi sit in ejusdem Civitate Principali, vel ubi ejusmodi officium requisiverit, cum aliquot Jurisprudentibus residebit, & quidem in Domo Emeritorum, si quæ in eo loco sit, si vero ejusmodi Domus ibi non sit, extra illam tali loco, quoad fieri poterit, habitabit, ut prudentes quosdam viros seniores, qui hujus Instituti Constitutiones, & scopum callent secum habere, & per literas consulere possit.

XIX.

Superiores, qui immediatam directionem Domuum Emeritorum habent, erunt primo in quavis Domo Superior sub titulo Regentis, sive Directoris, qui non solum ætate, verum magis prudentia, discretione, patientia, humilitate, gravitate, & solicitudine charitatis Jesu Christi maxime inter omnes eminere conspiciatur, qui legem amoris fraterni regalem exacte implere, & omnia omnibus fieri noverit.

XX.

Secundo ex Senioribus Domus unus Pater spiritualis constituatur, qui recenter ordinatos Sacerdotes exerceat, & curam eorum Sacerdotum gerat, qui a Præside suscepti sunt, ut in rebus Instituti ibidem informentur. Præterea ex senioribus præficiatur pro pœnitentibus, qui verbo, & exemplo potens pœnitentes, & incorrigibiles Sacerdotes pro tempore ibidem manentes omnibus modis ad meliorem frugem, & in viam salutis æternæ reducere ex professo studeat.

XXI.

Denique ex iisdem senibus quidam ad hoc idoneus pro excipiendis confessionibus deputetur, qui ordinarie omnium, qui in tali Domo sunt, confessarius existat. Directori Domus adjungatur persona qualificata, quæ Œconomiam administret; ratiocinium super annuos redditus faciat; omniaque necessaria ad culinam; cellam, & pro universa Domo secundum voluntatem Directoris solicita fidelitate dispenset.

XXII.

Singularem Superiores in hisce domibus Infirmorum curam gerant, & ut idem a domesticis fiat, sedulo curabunt, in hunc finem informentur; qualiter Infirmis in charitate, mansuetudine, & patientia inserviant, & Ministerium Marthæ impleant. Nemo verbo, facto, aut vultu torvo illis, ut a manu Dei tactis, & afflictis alteram addat afflictionem. Defectuosis, & Infirmis cibus; ac potus singulis dispensetur, prout consilio Medici bonum; & salutare omnibus visum fuerit. Qui animo, & corpore valentes ad refectorium accedere poterunt, una communi mensa fruantur. Defectuosis necessaria ad uniuscujusque cubiculum proprium porrigantur.

XXIII.

Tam Ministerium Culinæ, quam reliquæ Domus idoneis famulis (si fieri possit iis, qui ad dies vitæ in cœlibatu cum hisce Clericis vivere desiderant) committatur, talis vero ordinatio domesticorum, tam pro culina, quam pro Ministerio Domus, & defectuosorum famulatio fieri debet, qualem prudens Superiorum judicium necessarium judicabit.

De Conversatione Sacerdotum, & eorum, qui habitant in Domo Emeritorum.

XXIV.

Sacerdotes emeriti ad solidam omnium virtutum perfectionem pro viribus conentur, utpote qui temporalibus curis, aliisque negotiis liberati, majorem facultatem habent ad omnimodam vitæ integritatem incumbendi. Quamobrem viam veræ perfectionis, ac Christianarum virtutum, quæ hominem nostrum tam interiorem, quam exteriorem perficiunt, studiose omnes, & singuli teneant.

XXV.

Præcipue vero se perficiant in studio trium virtutum Theologicarum, in Christiana pietate erga Christum, Deiparam, & omnes Sanctos, in ardore animi ad Divina, in puritate intentionis, in studio solidarum virtutum, in Christiana humilitate, & simplicitate, in prudentia, in scientia practica, & discretiva boni, & mali in agendo, in Spiritu Cælestium consolationum, & appositarum desolationum, ac tentationum, in principiis, & regulis discretionis, quibus informantur contra nequitias concupiscentiæ carnis.

XXVI.

Eum exercitiorum spiritualium cursum, qui in stationibus omnibus huic vitæ Clericali addictis præscriptus est, omnes, & singuli, quantum per vires licet, diligenter observent: ut scilicet mane statuta hora surgant, preces matutinas cum examine conscientiæ simul persolvant, iisque finitis, saltem per mediam horam sacræ meditationi vacent.

XXVII.

Tempus reliquum post meditationem usque ad quadrantem ante prandium recitationi horarum Canonicarum, celebrationi Missæ, rerum Cælestium contemplationi, Sac. Scripturæ, & spiritualium librorum lectioni, aliique piæ occupationi secundum cujusque talentum, & Superiorum directionem singuli utiliter impendant.

XXVIII.

Uno quadrante ante prandium litanias omnium Sanctorum cum aliis consuetis juxta stationes persolvant, tempore prandii, uti & cœnæ, lectio Sacra habeatur, post refectionem per duas

horas circiter tempus indifferens relinquatur, postea pro varietate personarum rursum feriæ, utilesque magis occupationes juxta eorumdem Superiorum ordinationem resumentur. Hora tertia post meridiem recitentur vesperæ cum completorio, una hora ante cœnam, vel paulo prius recitetur Matutinum cum Laudibus pro die sequenti, ultimo deinde quadrante ante cœnam fiat præparatio pro meditatione sequentis diei, una hora post cœnam recitabunt Rosarium cui subjungent examen conscientiæ, eo modo, quo in stationibus præscribitur.

XXIX.

Circa Infirmos observetur, quod de charitate, & discretione iisdem exhibenda supra ordinatum est. Cui hic addendum, quod sicut tria sunt genera Infirmorum, ita tribus quoque modis sublevari debeant. Sunt enim Infirmi primo, qui debilem complexionem, aut ab ipsa natura, aut ex accidente alio habentes, charitativa cura, & indulgentia discretionis indigent: Sunt secundo alii Infirmi, qui multis passionibus laborantes a Superioribus, & aliis prudenter supportari debent: Tertio sunt, qui vere morbo aliquo decumbentes cura corporali charitativa opus habent. His omnibus charitativa compassione, & rationabili obsequio, secundum cujusque præsentem necessitatem succurrendum esse charitas Christi requirit. Insuper omnis humanitas possibilis hujusmodi infirmis, & debilibus exhibenda est, ut qui flagellati sunt a Domino (quia corpore Infirmi sunt) a nobis in charitate Christi subleventur.

XXX.

Si qui Superiorum judicio habiles fuerint applicentur ad Sacræ Scripturæ interpretationem, ut sapidiorem genuini sensus nucleum inde eruentes, & breviter annotantes concionatoribus quasi officinam efficacium materiarum ad convertendos peccatores, & hæreticos ad manum porrigant. Inferioris intelligentiæ Sacerdotes in conficiendis munusculis Catechistarum, aliisque similibus pro cujusque capacitate honeste occupentur.

XXXI.

Etsi Sacerdotes in ejusmodi Domo commorantes curam animarum ob senium, vel alias causas ordinarie non sint habituri, pro necessitate tamen locorum ad audiendas Confessiones in Ecclesia propria, vel in subsidium Parochorum in vicinia habitantium pro exigentia temporum, exponantur ii, quos ab Ordinariis approbatos Superiores habiliores judicaverint. Similiter occupabuntur in sermonibus familiaribus ad Populum, in instituendis piis Oratoriis per septimanam aliquoties, in informandis Sacerdotibus, & Clericis circa ritus, & cæremonias Ecclesiasticas, una cum exercitiis spiritualibus, in Missionibus ad Pagos, & Oppida, ubi juxta circumstantias locorum, id requiritur ad nutum Reverendissimorum Ordinariorum, & in aliis similibus piis exercitationibus. Circa alia observabunt Constitutiones, quæ pro Clericis in communi præscriptæ sunt.

De Sacerdotibus, aliisque post studia sua absoluta ad hoc Institutum suscipi desiderantibus in Domo Emeritorum ad tempus bene erudiendis.

XXXII.

In eadem Domo Emeritorum ad tempus aliquot erunt Sacerdotes illi, qui Instituto huic associari desiderant, donec scilicet in principiis spiritualibus, & aliis in hac Clericali vita ob servandis sufficienter instructi fuerint, norintque modum meditandi, per examen conscientiæ se se recolligendi, & alia ad profectum in spiritu necessaria.

XXXIII.

Per ordinem quotidie certa determinata hora instruantur circa diurnum cursum precum, & aliarum exercitationum spiritualium, videlicet quas preces, & qua intentione quotidie Clerici persolvere teneantur.

XXXIV.

In his sufficienter exercitati ad exercitium sacræ quotidianæ meditationis, tam speculative, quam practice addiscendum inducantur, ad eum fere modum, qui pro institutione Juventutis est præscriptus.

XXXV.

Præterea per ordinem de Constitutionibus circa temperantiam, cohabitationem socialem Clericorum, communitatem bonorum, separationem mulierum, & denique circa alia hujus Instituti puncta informentur, quantum omnibus communiter scire fuerit necessarium.

XXXVI.

Denique eorum tam homo interior quam exterior, in exercitio virtutum, tam speculative, quam practice instituatur, quomodo videlicet virtutes Christianas exercere, & passiones mortificare, qua item discretione exterius cum hominibus conversari debeant.

XXXVII.

Præcipue tamen exerceantur in humilitate, patientia, & propriæ voluntatis, bonorumque temporalium abnegatione. Ultimo mense fiat brevis prædictorum recapitulatio, qua finita, constantem voluntatem habentes ad exercitia spiritualia inducantur, & postmodum ad juramentum quatuor substantialium admittantur.

XXXVIII.

Toto probationis tempore cursum quotidianum cum Senioribus observabunt, & insuper singulis septimanis bis, die videlicet Jovis, & Sabbati confitebuntur, die vero Dominica, & præcipuis festis ad accipiendum robur animæ Sacra Synaxi reficientur. Ut assuescant in reliqua vita sua ordinaria cibi, potusque dispensatione esse contenti, regulariter, nisi ægrotent, extra tempus prandii, & cœnæ abstineant.

Quomodo Delinquentes in Domo Emeritorum accommodandi, & tractandi sint.

XXXIX.

In Superiori contignatione Domus Emeritorum pro Clericis, & Sacerdotibus graviter delinquentibus, aut incorrigibilibus separetur locus, & in aliquot cubicula interdistinguatur, ita tamen ne Emeritis Sacerdotibus molestia, & incommodum causetur, eorum fenestræ ferreis clathris bene muniantur; Januæ causuram ad prohibendum exitum habeant, ad quem solus Superior claves sibi retinebit: medium Januæ ad deferendos cibos, aliaque necessaria sic accommodetur, ut possit occludi.

XL.

Ad honestatem Clericalem salvam conservandam, & veram charitatem ostendendam etiam discoli in Domo Emeritorum mediocri victu sustententur, lecto quoque, & alio necessario vestitu, quantum pœnitenti ad conservandam corporis munditiem concedi potest, non priventur.

XLI.

Cursum quotidianorum exercitiorum spiritualium omnibus hujus Instituti Clericis communem quotidie pro se persolvant: reliquum tempus in consideratione, & seria detestatione peccatorum suorum, librorum lectione, & voluntaria ejusmodi exercitiorum susceptione, quæ tum ad expianda peccata, tum ad extirpanda vitia præcipue conducant, pie, utiliterque transigant. Cappella domestica sic approximata eorum habitationi pateat, ut omnes quotidie per cancellos prospicientes audire sacrum valeant.

XLII.

Pater eorum ſpiritualis frequenter eos ſermonibus exhortetur ad patientiam in ſubeunda ſtatuta pœnitentia, conſoletur puſillanimes, puniat delinquentes, compeſcat inſolentes, ſingulis octo diebus confiteantur, & communicent, quod præcipuis anni diebus feſtis ſimiliter ipſis permittatur, dummodo digni ad hoc inveniantur.

XLIII.

Nemo ad ipſorum colloquium ordinarie admittetur, niſi Pater ſpiritualis, & Superior, quoſque admittere eidem Superiori in Domino viſum fuerit. In morbis eorum cura habeatur, eademque charitas exhibeatur, quæ ſuperius pro aliis Clericis infirmis fuit inſtituta, ſimiliter tractentur mortui, ſi pie in Domino obierint.

XLIV.

Quod ſi quis ſolidis argumentis veram emendationem præſetulerit, ſufficienterque pœnitentiam ſuper peccata perpetrata egerit, Superior pro ſua diſcretione, cum præſcitu, & conſenſu Reverendiſſimi Ordinarii, eum liberabit, & cum ſenioribus vitam degere permittet, ſi alio utiliter, & ſecure, & abſque ſcandalo deſtinari non poſſit.

[...]reces dicto[...]m Cleri[...]orum.

§. 1. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eoſdem exponentes, quorum ſtrenuos in vinea Dñi labores ad animarum ſalutem multum utilitatis allaturos eſſe in Dño ſperamus, ampliori favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Congregationis nonnullorum, ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & aliquorum ex dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis ad ſupraſcriptas Conſtitutiones examinandas a Nobis ſpecialiter deputatæ, quæ rem mature diſcuſſit, conſilio, omnes, & ſingulas Conſtitutiones præinſertas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus pariter, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & Facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

[...]onfirmatio [...]latarum [...]onſtitutio[...]um.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas, ac Conſtitutiones præinſertas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die XVII. Apr. MDCLXXXIV., Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Statuitur, ut Fratres Laici Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, in poſterum non eligantur in Conſultores. CXXXIII.

Hujus Congregationis Regula confirmata fuit à Greg. XIV. Conſt. ed. 1591., Septemb. 21. P. 1., & deinde reformata a Clem. VIII. Conſt. ed. 1600., Decemb. 29. P. 9. Ab Alex. VII. Conſt. ed. 1662., Decemb. 6. P. 8. ſtatutum fuit, Clericos præferendos eſſe Laicis omnibus in functionibus, & ab Innocent. XII. iidem Laici privati fuere voce activa, & paſſiva Conſt. ed. 1697., Aug. 20. P. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 31. Aug. 1684. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Baptiſta Laſagna Præfectus Generalis Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, quod licet per quandam Conſtitutionem fel. rec. Gregorii XIV. Prædeceſſoris Noſtri ſuper confirmatione Inſtituti dictæ Congregationis emanatam, ordinatum fuiſſet, ut eadem Congregatio per unum Præfectum Generalem, & quatuor Conſultores idoneos, qui perpetui eſſent, hoc eſt ad ſui vitam in ſuis Officiis reſpective durarent, regi deberet, nec ulla de Fratribus Laicis ipſius Congregationis ad officia Conſultorum hujuſmodi eligendis, ſeu aſſumendis in eadem Conſtitutione mentio facta fuiſſet, nihilominus per Conſtitutiones Congregationis præfatæ ſubinde conditas, & a rec. mem. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore pariter Noſtro confirmatas, abrogata officiorum perpetuitate ſpecialiter ordinatum fuit, ut ex quatuor Conſultoribus prædictis duo Sacerdotes, & duo Fratres Laici eligerentur. Cum enim præcipuum dictæ Congregationis Inſtitutum ſit Miniſterium Spirituale curationis Animarum, quo ad Sacerdotes; Secundarium vero Miniſterium Miſericordiæ corporalis Infirmis impendendæ, quod ad Fratres Laicos reſpective ſpectat; exiſtimatum fuit conveniens eſſe, ut quandoquidem Congregatio præfata tunc temporis Noſocomiorum ſervitio, per Sacerdotes quidem quoad procurationem ſalutis Animarum, per Fratres Laicos vero quoad curam corporalem Infirmorum, operam dabat, dicti Fratres Laici, qui onus miſericordiæ corporalis, cum aſſiſtentia, & continua habitatione in Noſocomiis hujuſmodi ſuſtinebant, in partem regiminis, aſſumerentur. Verum quia tunc prævidebatur fieri poſſe, ut Sedes Apoſtolica miniſterium inſerviendi cum continua habitatione in dictis Noſocomiis tolleret, aut illud per Patronos, & Adminiſtratores eorumdem prohiberetur; ideo ordinatum, atque ſtabilitum fuit, ut in his caſibus continuaretur Inſtitutum inſerviendi Infirmis cum aſſiſtentia diurna, & nocturna in Domibus privatorum, ac carceribus, & ubicumque opus foret. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat,

Juxta Conſtitutiones duo Laici eſſe debent Conſultores.

Cauſæ novi Statuti.

jungebat, Constitutiones quidem prædictæ hactenus servatæ fuerint; servitium vero, & residentia in Nosocomiis hujusmodi omnino cessaverit, nec præter Januense ullum Nosocomium ad curam Religiosorum dictæ Congregationis remanserit, ac proinde Fratres Laici, quibus onus misericordiæ corporalis incumbebat nullum præstent servitium, nisi associationem Sacerdotum, quibus secundum Institutum supradictum præcipua cura assistendi moribundis, eorumque animarum salutem procurandi incumbit: Cumque iidem Fratres Laici ad gubernium præfatæ Congregationis sint omnino inutiles, quippe qui rudes, & literarum imperiti aliena suffragia, & auctoritatem cæco obsequio, ut plurimum sequantur. Nobis propterea dictus Joannes Baptista Præfectus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Præfecti Generalis.

§. 1. Nos igitur ex commissi Nobis divinitus Pastoralis officii debito ad ea, quæ recto ejusdem Congregationis gubernio conducibilia sunt favorabiliter intendentes, dictumque Joannem Baptistam specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero nullus Frater Laicus dictæ Congregationis in Consultorem ipsius Congregationis eligatur, seu assumatur, sed quatuor Consultores Congregationis hujusmodi omnes ex Presbyteris expresse professis ejusdem Congregationis eligi, seu assumi debeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Statutum prædictum.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXXI. Augusti MDCLXXXIV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXXXIV. Confirmantur erectio, & Constitutiones Congregationis Presbyterorum, & Clericorum Sancti Josephi in Ecclesia S. Pantaleonis de Urbe.

Aliæ similes Congregationes approbatæ fuerunt ab hoc Pontifice Const. ed. 1693., Maji 20., P. 7., & Const. ed. 1690. Sept. 13., P. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere ad ea, quæ Christianæ charitatis, atque pietatis opera ubique locorum, præsertim in hac Alma Urbe Nostra, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue promanant modis congruis promoventur, favorabiliter intendentes, Congregationes Christifidelium in id ipsum laudabili studio incumbentes Apostolico favore prosequimur, & circa earum statum recte, atque ordine disponendum datæ nobis a Domino potestatis pariter libenter interponimus, factasque pro illarum felici regimine, & gubernio Constitutiones Apostolici muniminis præsidio constabilimus sicut omnibus mature perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ac pietatis incrementum, & felicem progressum salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri, seu Clerici Congregationis sub titulo S. Josephi in Ecclesia S. Pantaleonis de Urbe præfata institutæ, quod dudum fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster Confraternitatem, seu Congregationem sub titulo, seu denominatione Mortificationis in Oratorio Purificationis Beatæ Mariæ Virginis prope Ecclesiam S. Laurentii in Damaso de eadem Urbe sito, ad Supplicationem tunc in humanis agentis Pauli Mottæ per quasdam suas in simili forma Brevis literas anno 1620. expeditas erexit, & subinde rec. me. Innocentius Papa X. etiam Prædecessor Noster eandem Congregationem sub titulo, seu invocatione Sancti Josephi de novo erectam per quasdam suas pariter in forma Brevis literas anno 1649. emanatas in præfatam Ecclesiam Sancti Pantaleonis in Montibus de Urbe transtulit, ubi nonnulli Presbyteri ipsius Congregationis convivebant, sub quorum directione alii Confratres non conviventes ad obeunda spiritualia eorum exercitia conveniebant. Verum cum dicti non conviventes Congregationem hujusmodi deservissent, nec ad ullum exercitium a triginta circiter annis convenirent; præfati Presbyteri conviventes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eosdem non conviventes, tanquam impedimentum Dei servitio præstantes, a dicta Congregatione removeri mandaremus, ipsisque Presbyteris Constitutiones pro felici eorum Congregationis gubernio edendi facultatem tribueremus. Cumque Nos supplicem libellum super hoc pro eorum parte Nobis porrectum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum dictæ Urbis auctoritate Apostolica institutam remisissemus; ab eadem Congregatione Cardinalium, & Prælatorum in Visitatorem Ecclesiæ S. Pantaleonis, & Congregationis S. Josephi præfatorum electus fuit dilectus filius noster Felix ejusdem S. R. E. Diaconus Cardinalis Rospigliosius nuncupatus, qui cum in actu Visitationis multas inordinationes tam in spiritualibus, quam in temporalibus ex illa conviventium unione enatas esse comperisset, præfatæ Congregationi Cardinalium, & Prælatorum retulit sibi videri expedire, ut ad erectionem formalis Congregationis pro solis Presbyteris, & Clericis, qui conviverent, deveniretur, exclusis omnibus non conviventibus, quibus tamen præstaretur commoditas Oratorii, in quod ad spiritualia exercitia sub directione alicujus ex

dictis Presbyteris conviventibus obeunda convenire valerent; utque Constitutiones, quas pro felici, prosperoque Congregationis conviventium hujusmodi regimine, & gubernio, a quondam Mariano Socino, dum vixit Presbytero Saeculari Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe jam firmatas, seu compilatas repererat, approbarentur. Porro eadem Congregatio Cardinalium, & Praelatorum, audita, & examinata Felicis Cardinalis relatione hujusmodi, auditis quoque pluries partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus, ejusdem Felicis Cardinalis votum, sive sententiam hujusmodi per duo Decreta die 16. Septembris 1683., & die 13. Januarii proxime praeteriti respective emanata, approbavit, ipsorumque Decretorum executionem dilecto etiam filio Nostro Gaspari S. R. E. praefatae Presbytero Cardinali de Carpineo nuncupato, Nostro in Urbe praefata Vicario in spiritualibus generali commisit. Ipse vero Gaspar Cardinalis, & Vicarius, in vim Decretorum hujusmodi, praedictam Congregationem S. Josephi apud supradictam Ecclesiam S. Pantaleonis pro conviventibus, & non conviventibus jampridem, ut praefertur, erectam in Congregationem pro Sacerdotibus, & Clericis tantum in ipsa conviventibus restrinxit, & reduxit, & denuo quatenus opus esset erexit, & instituit, eosdemque conviventes nomine Congregationis hujusmodi corpus legitime constituere decrevit, exclusis omnibus non conviventibus a corpore ejusdem Congregationis, quibus tamen pro eorum exercitiis spiritualibus sub alicujus ex Presbyteris conviventibus directione peragendis, Oratorium assignavit, ac Constitutiones praedictas jam revisas approbavit, & confirmavit, & alias prout uberius continetur in ejusdem Gasparis Cardinalis Decreto desuper emanato, cui eaedem Constitutiones de verbo ad verbum insertae sunt, tenoris, qui sequitur videlicet.

Commissa fuit Card. Vicario executio dicti Voti.

Fidem facio per praesentes Ego infrascriptus Tribunalis Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Vicarii Secretarius, qualiter in currenti libro Decretorum adest infrascriptum Decretum tenoris sequentis videlicet.

Decretum Card. Vicarii cum dd. Constitutionibus, & nonnullis adnectis.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nos per quasdam nostras in simili forma Brevis anno 1681. expeditas literas de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio facultatem conferendi gradus Scholasticos in omnibus scientiis, quæ in Collegio Beati Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati dicti Ordinis Civitatis Quiten. in eisdem Indiis Occidentalibus docerentur sub certis modo, & forma tunc expressis concesserimus; Charissimus

Prærogativæ alterius Universitatis B. Ferdinandi.

vero in Christo Filius Noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, non solum Regium suum beneplacitum super institutione Collegii hujusmodi impertitus fuerit, sed etiam per schedulas suas Regias anno 1683. emanatas Collegium ipsum, sive illius Universitatem omnibus Privilegiis, & prærogativis Regalis Collegii decoraverit, idque intuitu magnæ utilitatis, quæ in illis partibus adeo remotis ex doctrina memorati S. Thomæ, & copia operariorum Evangelicorum, qui legem Evangelicam tam Christianis, quam Infidelibus prædicent, illosque doceant, proventura speratur. Ac proinde dictus Jacobus Procurator Generalis plurimum cupiat a nobis declarari, quod supradictæ Universitates, Conventus Sanctæ Fidei, & Collegii Beati Ferdinandi Civitatis Quiten. sint certæ, veræ, & reales Universitates, prout sunt Limana, & Mexicana absque ulla differentia, ac cum omnibus gratiis, privilegiis, prærogativis, consuetudinibus, & solemnitatibus, prout Collegio S. Thomæ Civitatis Monilan. in Indiis Philippinis an. 1681. concessimus, & quatenus opus sit dictas Universitates de novo erigi in Universitates publicas ad instar Limanæ, & Mexicanæ cum omnibus gratiis, & privilegiis, itaut Graduati in prædictis Universitatibus reputentur habiles, & idonei, tanquam graduati in publicis Universitatibus ad hoc ut cum Dei honore, & publico beneficio, ac Catholicæ Fidei propagatione, amplietur quoque præfati S. Thomæ Aquinatis doctrina, illiusque studiosi, & sequaces damna, & præjudicia, quæ nunc sustinent, amplius non patiantur. Nobis propterea idem Jacobus Procurator Generalis præfati Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gener.

§. 2. Nos igitur ipsum Jacobum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac nostrarum pariter in forma Brevis ad favorem Collegii, & Universitatis Sancti Thomæ Civitatis Monilæ anno 1681. emanatarum literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia Privilegia præfato Collegio, & Universitati Sancti Thomæ Civitatis Monilæ dicto anno 1681. a nobis concessa præfatis Universitatibus Sanctæ Fidei, & Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitensis, auctoritate Apostolica tenore præsentium communicavimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ.

Communicatio privilegiorum ann. 1681. Universitati S. Thomæ concessorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & Universitatum, seu Collegiorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXLI[I]

Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Regularium super electione præcipuorum Officialium pro Fratribus Recollectis Ord. Minor. S. Francisci in Hispania.

Alia Statuta pro hisce Fratrib. habentur Urb. VIII. Const. ed. 1625. Novemb. 20. P. 3. & Innoc. XII. Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 2. Necnon Constitut. ed. 1699. Maii 30. P. 8. ubi agitur de Diffinitore.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 16. A[prilis] 1685. An[no] ...

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita super quibusdam dubiis pro parte dilectorum filiorum Fratrum tam Recollectorum, quam de Observantia nuncupatorum Provinciarum Hispaniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Emorum S R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad infrascripta dubia, referente Emo Casanate tam ex parte Patrum Recollectorum, quam Minorum Observantium S. Francisci Provinciarum in Regnis Hispaniarum proposita.

Decretum prædictum...

Primum videlicet, An virtute Constitutionum unum Diffinitorem Recollectioni præscribentium, Patres Recollecti exclusi maneant in voce passiva ad Provincialatum, & Custodiatum.

Secundum, Utrum Provinciali, seu Custode, aut utroque ex Recollectis assumpto, vel ob convenientiam totius Provinciæ, vel ex qualitate Personæ electæ, debeat nihilominus Recollectioni dari suus Diffinitor in prædictis Constitutionibus præscriptus. Ad primum respondit -- *Negative.* Ad secundum *Affirmative.* Romæ 23. Februarii 1685. -- G. Card. Carpineus -- B. Panciaticus Secretarius.

Preces di[c]tor. Fratru[m]

§. 1. Cum autem sicut pro parte præfatorum Fratrum Recollectorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præin-

Confirmatio relati Decreti.

sertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXLIII. Resolvuntur quædam dubia circa modum celebrandi Capitula Generalia Ordinis Cisterciensis.

De Capitulo Gener. vid. Gregor. XIII. Constitut. edit. 1578. Maii 22. P. 7. Et de transitu Monachorum in aliam Religionem hujus Pontif. Constit. ed. 1686. Aug. 5. P. 10.

Dat. 10. Maii 1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dubia prædicta.

CUM in Causa prætensæ nullitatis quorumdam Capitulorum Generalium Ordinis Cistercien. inter dilectos Filios Abbatem Cistercii totius Ordinis Generalem ex una, & Abbates Monasteriorum de Firmitate, & Posignaco, de Claravalle, & de Morimundo ex altera partibus vertente, proposita fuerint in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita nonnulla dubia, nempe. Primo, an sit servanda consuetudo, qua pro indicendo Capitulo Generali Abbas Cistercii consuevit cum quatuor Primariis Abbatibus deliberare, ac de eorundem consilio, & assensu Capitulum indicere? Secundo, an ad Capitulum, ad hoc ut sit Generale, vocandi sint omnes Abbates Ordinis? Tertio, an in Capitulo Generali Ordinis Cisterciensis definitiones sumendæ sint per filiationes, & non per vota capitatim? Quarto, an in Capitulo Generali dicti Ordinis omnino adhibendi sint viginti quinque Diffinitores, itaut non existentibus tot Abbatibus numerus integrandus sit ex aliis Religiosis benemeritis? Quinto, an pariter interesse debeant quatuor primarii Abbates, & iis non intervenientibus substituendi eorum loco? Sexto, an Capitulum Generale anni 1672. fuerit nullum? Septimo, an fuerit pariter nullum Capitulum anni 1683.?

Eorumdem resolutiones.

Hinc est, quod Nos, qui in supremo Justitiæ throno a Domino constituti sumus, lites, & controversias, quæ fraternæ inter viros Religiosos suave Christi jugum portantes charitatis serenitatem obnubilare possent, tollere, illisque in futurum ansam præcidere, ac dubia prædicta dirimere volentes, de memoratorum Cardinalium qui partes tam in voce, quam in scriptis Informantes audiverunt, remque mature discusserunt consilio, in indicendo Capitulo Generali Ordinis prædicti Abbatem Cistercii non teneri requirere, neque consensum, neque consilium quatuor primariorum Abbatum: Ad Capitulum vero Generale vocandos esse quoscumque qui de jure interesse debent. In Capitulis autem Generalibus ejusdem Ordinis votandum esse viritim, & non per filiationes: Porro in deputatione Diffinitorum, non existente sufficienti numero Abbatum posse suppleri ab Abbate ex aliis Religiosis magis dignis ejusdem generationis, non tamen in casu voluntarii recessus: & quoad effectum deputationis Diffinitorum servandum esse solitum; quo vero ad defectum suffragii Abbatis absentis, non esse locum subrogationi, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Denique omnes nullitates quatenus in præfatis Capitulis Generalibus anno 1672., & anno 1683. respective celebratis intervenerint, auctoritate, & tenore prædictis sanamus; ac diffinitiones, & Ordinationes utriusque Capituli, usque ad novum Capitulum Generale Ordinis prædicti servari eadem auctoritate harum serie mandamus, & præcipimus.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Ordinis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Maii MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXLIV. Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. quo Superioribus S. Francisci de Observantia injungitur, ne permittant Sæculares ingredi septa Cœnobii cum sclopis, aut armis, vel ibi ludere, aut morari ultra tres dies.

De vineis, & pratis habendis vid. Urb. VIII. Const. ed. 1625., Nov. 20., P. 3.

Dat. 20. Sept. 1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit alias a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad supplicationem tunc existentis Commissarii Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Sacra Congregatio Eminorum, & Reverendissimorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita religiosæ quieti, & tranquillitati Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia benigne consulens, injungendum censuit, prout præsentis Decreti tenore injungit omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, Localibus, eorumque subditis sub pœna privationis Officiorum Ordinis immediate incurrenda, ne ullo unquam tempore quovis prætextu, vel quæsito colore permittant, aut consentiant, Sæculares quoscumque ingredi septa suorum Conventuum deferendo per Sylvas, Hortos, & Prata sclopos ad venandum, sive alia armorum genera, vel illa apud Fratres tam Superiores, quam Subditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per Claustra, aliaque loca publica, vel privata ipsorum Conventuum, & convivere, ac pernoctare in eis ultra triduum tantum piæ hospitalitatis titulo: & sic servari mandat. Non obstantibus &c. Romæ prima Decembris 1679. ita reperitur in Regestro authographo Sacræ Congregationis negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem &c. Romæ hac die 9. Augusti 1685. B. Panciaticus Secretarius.

Decretum prædictum.

Preces Vice-Commissarii Gen. Fratrum Ultram.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro Ultramontana familia Fratrum dicti Ordinis in Romana Curia Vicecommissarius Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsius Francisci Vicecommissarii Generalis votis hac in re quantum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, illiusque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Sept. MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXLV[I]

Confirmantur Statuta Capituli Generalis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, & innovatur Constitutio Pii V. circa eleemosynas Prædicatorum, & Bibliothecas Communes.

Alia Statuta Cap. Gen. habentur Urb. VIII. Constit. ed. 1625. Nov. 20., P. 3. Nonnulla etiam extant Const. ed. 1679., Nov. 22., P. 4., & Constit. ed. 1686. Jun. 19., P. 10. legitur quoddam Decretum de Syndicis.

Dat. 16. O[ct.] 1685. An. [9.]

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz à Sancto Bonaventura Lector Generalis Jubilatus, Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus ac pro ultramontana familia Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Romana Curia Vicecommissarius Generalis, quod dudum videlicet anno 1633. in Capitulo Generali dicti Ordinis circa eleemosynas, quæ Concionatoribus ejusdem Ordinis fieri solent, & circa libros Fratrum Defunctorum Communibus Bibliothecis Conventuum Ordinis hujusmodi applicandos, ipsarumque Bibliothecarum conservationem, & incrementum, ac Bibliothecariorum institutionem facta fuerunt pro utraque familia nonnulla statuta tenoris, qui sequitur, videlicet.

Statuta h[u]jusmodi ed[i]ta fuerunt Capit. Ge[n.] an. 1633.

§. 1. Prædicatores quicumque eleemosynas prædicationis prætextu oblatas penitus non recipiant; nec de illis sub quovis prætextu, vel quæsito colore disponere, aut quomodolibet tractare præsumant, & audeant, sed si absoluta prædicatione, vel ante contigerit fieri a quovis genere personarum Prædicatoribus ipsis eleemosynarum oblationem respondeant, Sindicis Conventuum dumtaxat libere, & integre transmittendam, & consignandam fore. Quod si constiterit quempiam Prædicatorem per se, aut per alios pecuniam recipere, vel recepisse, proprietatis pœna omnino puniatur, & actibus legitimis per sexennium privetur, quam pœnam etiam Guardiani subeant, si eorum culpa, vel negligentia contra fieri contigerit.

Primum St[a]tutum de eleemosyni[s] Prædicatorum.

§. 2. Adeo nihil penduntur hisce temporibus Conventuum nostrorum Bibiothecæ communes,

Secundu[m] de Biblioth[e]cis commu[ni]bus.

ut quæ

ut quæ aliis diligentias recte splendorem, nunc vero negligentius desertæ dedecus potius Religioni afferre videantur. Ut igitur opportunum adhibeamus tanto malo remedium, præcipimus Provincialibus Ministris sub pœna privationis officiorum irremissibiliter incurrenda, ut vigilantius curent Defunctorum Fratrum libros fideliter, & quanto citius fieri poterit, transmittendos in communes Bibliothecas, præcipientes insuper universis Superioribus, cujuscumque gradus, & dignitatis existant; universis etiam subditis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & sub aliis item gravissimis pœnis ad Superiorum beneplacitum infligendis, ut nullo modo, nec per se, nec per Apostolicum Syndicum, sub quovis prætextu, quæsito colore, occasione, vel causa, alienent, vendant, commutent, donent, aut quomodolibet aliter fraudent, vel distrahant Defunctorum Fratrum libros, aut eos, qui ad particulares Bibliothecas quavis ratione pertineant, vel quocumque modo, seu titulo fuerint, etiam deinceps Monasterio acquisiti.

Tertium de ...rum conservatione, ... accretione.

§. 3. Verum ad opportunam communium Bibliothecarum restaurationem, continuam accretionem, & perpetuam conservationem, præcipimus omnibus Superioribus Provincialibus sub propriorum officiorum privatione, ut quolibet anno ducentos adminus aureos nummos Diffinitorum interventu, & consilio de communibus eleemosynis expendendos studeant in libros, consimili eorundem Diffinitorum interventu, & Consilio communibus Bibliothecis applicandos.

Quartum ... Bibliothe...riis.

§. 4. Sed cum ratio dictet, & experientia doceat, Bibliothecas communes brevi temporis spatio consumptum iri nisi Bibliothecarii instituantur, qui libros disponant, ordinent, in classes redigant, purgent, reficiant, reparent, ac cætera præstent, quorum executione prædictæ Bibliothecæ suo pristino splendori reddantur, & in obtento decore serventur: consulto præcipimus Provinciarum Ministris sub pœna privationis officiorum, ut tempore Capituli, & Congregationis, omnium Bibliothecarum instituendos curent Bibliothecarios, qui vel prædicationis munere præditi sint, vel saltem qui universali, & competenti quadam facultatum, librorumque notitia polleant. Memoratarum Bibliothecarum libris uti possint Prædicatores, & Lectores præsertim iis tamen legibus, ut schedulam, quæ acceptorum librorum numerum contineat, quæque propria manu accipientium libros subsignata sit in manibus relinquant Bibliothecariorum, qui nequeat nisi unius mensis spatio ad summum traditorum librorum usum permittere, itaut absoluto mense, accommodatos libros repetant, eosque Bibliothecis, ad reliquorum Fratrum usum restituendos omnino procurent. Bibliothecarii, qui dictorum librorum restitutionis executionem omiserint, propriis officiis spolientur, & Fratres, qui acceptos libros restituere noluerint, ulteriori librorum participatione privati existant.

...rædicta Statuta confirmata fuere ... Urb. VIII.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet statuta hujusmodi subinde a fel. rec. Urbano Papa VIII. prædecessore nostro de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum confirmata fuerint, nihilominus illa, prout etiam quædam literæ rec. me. Pii Papæ V. prædecessoris pariter nostri die 4. Novembris 1568. in forma Brevis (ut asseritur) expeditæ per quas libros e dictis Bibliothecis furto substrahi sub pœna excommunicationis, cujus absolutio Romano Pontifici reservata esset, prohibuit, non ubique, prout par esset, accurate observentur. Nobis propterea dictus Franciscus Vicecommissarius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Inobservan...a eorum, necnon Constitutionis ...ii V. de li...is furto su...atis.

...reces Vicecommissarii ...ltram.

§. 6. Nos igitur ipsum Franciscum Vicecommissarium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statuta præinserta in d. Capitulo Generali, sicut præmittitur edita, & a memorato Urbano prædecessore confirmata, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea præfati Pii prædecessoris vestigiis inhærentes omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & regularibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeant, eadem auctoritate harum serie mandamus, ne ex Bibliothecis Conventuum, & Domorum Regularium Ordinis prædicti, aut eorum aliqua librum aliquem, aut quaternum furto substrahere quoquo modo præsumant: Nos enim quoscumque substrahentes excommunicationis sententiæ subjacere volumus, & decernimus ipso facto, a qua nullus ab alio, quam a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente possit, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Item innovatio laudatæ Constitutionis.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut præsentium Literarum exemplum, saltem quoad ea, quæ ad Bibliothecas prædictas pertinent, in valvis earumdem Bibliothecarum, aut alio illarum loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi possit affixum assidue remaneat. Utque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Octob. MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Refor-

CXLVI.

Reformatur Breve circa Melitenses ad solos ordinatos cum falsis Dimissoriis.

Hoc Breve ed. fuit 1684., Julii 1., Pont. 8., ubi vide notata. Item Inn. XII. Const. ed. 1693., Decem. 14., Pont. 2. quæ est de suscipiendis ordinibus extra tempora.

Dat. 30. Jan. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ab Urb. VIII. privati fuerunt Fori privilegio Itali ordinati cum falsis dimissoriis.

Alias postquam fel. rec. Urbanus Papa VIII. prædecessor noster per quamdam suam Constitutionem cujus initium est, *Secretis æternæ providentiæ consiliis &c.* inter alia voluerit Italos, si quos tunc imposterum clericali charactere insigniri, vel ad minores ordines promoveri ab alieno Episcopo cum falsis Dimissoriis contigisset, etiamsi qualitatibus per Concilii Tridentini Decretum Cap. XVI. Sess. XXIII. requisitis præditi essent, nihilominus, secuta tamen prius desuper Judicis Ecclesiastici declaratione, fori privilegio minime gaudere, sed sæculari Jurisdictioni, ut antea plene in omnibus subjacere, & subjectos esse; pro parte dilecti filii Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Nobis exposito, quod ut incommodis in Insula Melitensi in dies insurgentibus occurreretur, Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 8. Maji 1677. declaraverat Melitenses ordinatos, seu ordinandos cum falsis, seu absque Dimissoriis, non gaudere privilegiis Clericalibus, sed posse præfatam Urbani prædecessoris Constitutionem per nos ad Insulam Melitæ extendi. Nos supplicationibus ejusdem Magni Magistri nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de memoratorum Cardinalium Consilio, supra expressam præfatæ Constitutionis Urbani prædecessoris dispositionem ad Insulam Melitæ, itaut quod Melitenses, quos cum falsis Dimissoriis vel sine Dimissoriis contigisset ab alieno Episcopo Clericali charactere insigniri, vel ad minores ordines promoveri, secuta prius Judicis Ecclesiastici declaratione, fori privilegio minime gaudere, sed sæculari Jurisdictioni in omnibus subjacere deberent, auctoritate Apostolica extendimus, & ampliavimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die prima Julii 1684. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, plenius continetur. Cum autem animadversum fuerit decretum dictæ Congregationis Cardinalium super præmissis emanatum in illius extensione excedere sancita in §. 4. dictæ Constitutionis Urbani prædecessoris in ea parte, in qua includantur etiam ordinati absque Dimissoriis proprii Ordinarii, ideoque præfatæ nostræ literæ, quæ juxta Decretum hujusmodi expeditæ fuerunt, congruenter reformandæ videantur: Nos opportune in præmissis providere volentes, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate præfata tenore præsentium reformamus supradictas nostras literas circa promotos, seu promovendos, sine literis Dimissoriis, perinde, ac si emanassent dumtaxat quoad promotos, seu, promovendos cum falsis Dimissoriis: Salva tamen pariter in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Idem Decretum fuit ab hoc Pontifice de Clericis Melitensibus ordinatis cum falsis, vel etiam sine dimissoriis.

Causa reformationis.

Reformatio, quæ comprehenduntur soli ordinati cum falsis dimissoriis.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes Litera semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDCLXXXVI., Pontificatus nostri An. Decimo.

Confirmantur Constitutiones Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub Invocatione Sanctorum Angelorum Custodum.

Erectio hujus Congregat. habetur Constit. ad 1684. Aug. 16., P. 8. & de electione Abbatum agitur Const. ed. 1686. Feb. 9., P. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, ea, quæ pro fœlici, prosperoque Congregationum Monasticarum, uberes in Ecclesia Dei bonorum operum fructus, assidue proferre satagentium, regimine, & gubernio provide, prudenterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, & sub illorum directione Christifideles divinis obsequiis, sub suavi Religionis jugo mancipati, mandatorum Dei stadium faciliori in dies progressu decurrere, populumque Christianum, bono vitæ suæ exemplo, fructuosius ædificare, & spiritualium aromatum odore perfundere valeant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

§. 1. Alias siquidem nonnulla tunc expressa Monasteria Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Ratisbonen., ac in Dominio dilecti filii nobilis viri Maximiliani Emmanuelis utriusque Bavariæ Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, respective, existentia, in unum corpus univimus, & conjunximus, sicque unita, & conjuncta, alia Monasteria ejusdem Ordinis illis, sub certa tunc expressa forma, aggreganda, in novam Congregationem sub titulo SS. Angelorum Custodum Bavaricam nuncupandam, ad instar Congregationis Helveticæ, dicti Ordinis, perpetuo ereximus, & instituimus. Ac eidem Congregationi, sic de novo erectæ, & institutæ pro bono ejus regimine, & gubernio, in primo ipsius Congregationis Capitulo generali, Constitutiones, quæ tamen nullam validitatem, aut robur assequerentur, nisi postquam ab Apostolica Sede fuissent expresse confirmatæ, efformandi facultatem tribuimus, & impertiti sumus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 26. Augusti 1684. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Cælestini Abbatis Monasterii Sancti Emmerani Ratisbonensis Præsidis, & cæterorum Abbatum dictæ Congregationis Bavaricæ, Nobis nuper expositum fuit, ipsi eodem anno 1684. primum eorum Capitulum Generale in dicto Monasterio Ratisbonensi celebraverint, in eoque juxta facultatem sibi a nobis, sicut præmittitur attributam, nonnullas Constitutiones pro felici, prosperoque

prosperoque ejusdem Congregationis Bavaricæ regimine, & gubernio efformaverint, quæ in unum volumen redactæ, & ad hanc Sanctam Sedem transmissæ fuerunt, ac jussu Nostro a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & aliquorum Romanæ Curiæ Prælatorum, ad easdem Constitutiones examinandas specialiter deputata, sedulo examinatæ, & aliquibus additis, aliis sublatis, correctæ, & emendatæ sunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

PROŒMIUM.

Intentio Congregationis Bavaricæ Ordinis S. Benedicti sub titulo Sanctorum Angelorum Custodum a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XI. authoritate Apostolica anno 1684. noviter erectæ, non est novam Regulam introducere, aut novas obligationes Religiosis, ad conscientias eorumdem gravandas, imponere, sed collapsam Monasticam disciplinam juxta Regulam Sancti Benedicti, ad quam tam Abbates, quam cæteri Religiosi Nostri Ordinis vi votorum emissorum tenentur, ita restaurare, ut eadem Regula, juxta charitatis, & perfectionis leges debite observetur, ac Ecclesiæ ritibus, & legibus omnia accommodentur. Quamobrem aliarum Congregationum laudabilium, nempe Cassinensis, S. Mauri, & Vallisoletanæ salutaribus Statutis, & declarationibus in praxim jam redactas, quantum possumus nos conformabimus, cuncta sic disponendo, ut nihil nimis arduum, & onerosum injungendo, iter Evangelicæ perfectionis, & observantiæ Regularis, uno corde, & animo in vinculo pacis, & charitatis, cum gaudio, & Spiritus consolatione curramus.

CAPUT I.

De forma, & Ordine Congregationis Bavaricæ.

Congregatio Bavarica SS. Canonibus, & Summorum Pontificum Decretis, conformiter, eatenus formanda, & ordinanda est, ut pro debita observantia Regulæ Sancti Benedicti in primis per media, tum Capitulorum Generalium, tum per Visitatores singulorum Monasteriorum perfectior Disciplina Regularis, eaque quantum possibile erit, conformis in omnibus Congregationis hujus Monasteriis introducatur, & conservetur.

§. 1.

De Capitulis, seu Conventibus Generalibus.

Singulis trienniis, inchoando a proxime celebrando Capitulo aliud Generale Capitulum celebrabitur in aliquo Monasterio ad hoc, in quo omnes Abbates (nisi Canonicas præpeditiones habeant) personaliter conveniant, & continuis aliquot diebus diligentissime tractent de reformatione Congregationis, & observantia Regulari, aliisque rebus ad regimen Congregationis pertinentibus.

Convenientes vitam ducant communem, omni superfluitate exclusa, refectionem in mensa regulari sumant, continuata lectione libri spiritualis per totam mensam, fiatque a singulis proportionata expensarum refusio illi Monasterio, in quo Capitulum celebratur.

In proximo Capitulo præsidebit D. Cælestinus Abbas S. Emmerani, qui novissime electus fuit in Præsidem Congregationis: in aliis vero eligentur in principio Capituli per vota secreta in scriptis Præses, & duo Visitatores in hoc quoque proximo Capitulo tali modo eligendi erunt unaque cum Præside eidem præsidere debebunt, directorium habebunt, proponenda proponent, consilia, & vota aliorum requirent, atque secundum ea, quæ scilicet per majorem partem suffragiorum ultra medietatem fuerint conclusa, & approbata, recessus, seu statuta Capitularia conficient, & quod taliter circa observantiam Regularem rite, & recte statutum fuerit, inviolabiliter observetur ab omnibus, omni excusatione, contradictione, & appellatione remotis.

Ipse vero modernus Abbas S. Emmerani proximum generale Capitulum a Monasterio ab eo deputando indicet; futura vero ejusmodi generalia Capitula a Præside pro tempore existente, vel eo non existente, aut legitime impedito, a primo Visitatore, congruis temporibus intimari, ac convocari debebunt in loco a præcedenti Capitulo Generali designato.

Qui legitime impediti comparere personaliter non poterunt, constituant (docto, prius de ejusmodi legitimo impedimento, traditaque in scripto potestate) Procuratorem, sive unum ex aliis Abbatibus, sive Priorem, aut alium Religiosum Conventualem, seu Monasterii, qui proinde omnibus consultationibus intererit, & inter Abbates (ultimo tamen loco) sedeat, & votum dabit. Quod si plures sic constituti Procuratores adfuerint, is inter eos, sed post omnes Abbates, sessionis, suffragiique servetur ordo, qui inter Abbates constituentes, si adessent, servetur.

Omnia, & singula Monasteria, sive singuli Conventus Religiosi, Congregationis nostræ Conventualem Sacerdotem, majori suffragiorum Conventus parte, in Procuratorem electum, ad Capitulum Generale ablegabit, singulari memoriali instruendum; cui ipsorum nomine tum gravamina, tum alia proponenda committentur, qui etiam in punctis consultandis, rationes suas, pro, vel contra proponet, simulque post Abbates, vel eorum Procuratores, secundum ordinem professionis locum obtinendo, votum consultivum habeant. Hi missi Procuratores e suis quatuor eligere poterunt, qui votum etiam decisivum, post Abbates supradicto modo, habebunt. Cum autem omnes tam Abbates, quam Procuratores, ad locum, in quo Capitulum celebrari debebit, convenerint, Majori Sancti Spiritus Missa decantata, cui omnes intererunt, sumptoque per singulos Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento accedent ad Capitulum; tum Præses, brevi exhortatione facta legitimam esse Congregationem, declarabit: in aliis autem agendis, præsertim quoad electionem Præsidis, & Diffinitorum, ferendaque suffragia observabunt ea, quæ juxta Sacrorum Canonum dispositionem servanda sunt.

Præses autem, & Diffinitores electi nominabunt, & instituent tres Causarum Auditores, Abbates duos, & Procuratorem Conventualem unum, qui temporalem statum Monasteriorum examinabunt, summas receptarum, & expensarum, creditarum quoque, & debitarum pecuniarum cuique Monasterio, ex Brevibus computorum trienii præcedentis cujuslibet Monasterii, quæ Procuratores iisdem tradere tenebuntur, inspicient; etsi quem ipsi Auditores excessum in administratione temporalium animadverterint, ad Diffinitores deferent, qui pro bono Monasteriorum, prout expedire viderint, super his providebunt.

Diffinitorum authoritas tempore dumtaxat Capituli Generalis durabit; ac tam Præses, quam ipsi Diffinitores, ac Visitatores, non solum quandiu in officio erunt, sed in perpetuum ad servandum silentium statim electi, præstito Juramento se obstringent.

Protocolla quoque Capituli Generalis, & Visitatorum, si Præsidis, & Visitatorum arbitrio asservari ulterius necesse non sit, comburentur; quæ vero servanda erunt, ita caute custodientur, ut nullo modo in illorum deveniant manus, quos Visitatio, & accusatio concernere potest.

§. 2.

De Præside Congregationis.

Pro feliciori successu Capituli proxime celebrandi, si ita Præsidi, & Visitatoribus videbi-

tur, unus Abbas ex alia Congregatione Ordinis Sancti Benedicti evocandus erit, qui D. Abbati Sancti Emmerani moderno Præsidi nostræ Congregationis assideat, primumque locum immediate post eundem Præsidem teneat; successive vero alii omnes Abbates juxta consuetam eorumdem præcedentiam.

Intra triennium quoque omnia, quæ per Abbates singulos non commode expediri, neque tamen ad Capitulum Generale differri possunt, ad ipsum Præsidem referantur, petendo consilium, vel decisionem, pro ratione subjectæ materiæ juxta tenorem Regulæ S. Benedicti, & nostras Constitutiones.

Ipse autem D. Præses, vel statim, ponderatis rationibus, per se resolutionem dabit, vel in casibus dubiis, & gravioribus consilium a Visitatoribus, aliisque Abbatibus vicinis prærequiret: atque hujusmodi Decisiones, seu Resolutiones D. Præsidis, licet ante confirmationem Capitularem vim statuti perpetui non habeant; tamen usque dum causa in proximo Capitulo proponatur, sine oppositione, vel contradictione observentur.

Libera etiam sit appellatio singulis Religiosis, qui a proprio Abbate se gravari, & proinde justam appellandi causam habere credunt, ad D. Præsidem conceditur, eo tamen observato, ut per literas gravamina proponant, nec nisi vocati personaliter eundem accedant. Item, ut cum religiosa modestia, sine insolenti despectione proprii Abbatis provocationes hujusmodi fiant. Quod si nec a D. Præside juste judicatum quispiam censeat, ad Capitulum Generale, siquidem causa gravaminis sit gravis, & proportionata sit, provocare poterit, & a Capitulo Generali ad Sanctam Sedem Apostolicam, ad quam etiam semper, & quandocumque liber patet recursus. Quo facto omnis processus sit suspensus, etsi pro causarum, vel circumstantiarum qualitate, provocans hujusmodi in suo Monasterio quiete vivere non posse videatur, pro convenienti tempore ad aliud Monasterium transferetur per Præsidem.

Habeat Dominus Præses sigillum speciale Congregationis in manu, & custodia sua, quo utetur in expeditione, seu communicatione Decretorum Capitularium, item recessuum, seu chartarum Visitationis, etsi quæ alia non proprio, sed totius Congregationis, vel saltem nomine Domini Præsidis, & Visitatorum expedienda erunt. Asservabit etiam Dominus Præses omnia documenta, protocolla, aliaque scripta, quæ pro futuris eventibus asservari, ut supra, necesse erit: consignanda post expletum triennium suo successori.

In quem finem in uno Monasterio a Capitulo nominando Archivium constituetur, in quo documenta, quæ universam Congregationem concernunt, asservabuntur a duobus, vel tribus ab eodem Capitulo deputatis.

Insuper necessarium erit aliquale ærarium constituere, in quo singula Monasteria proportionatam aliquam collationem pecuniæ annuatim faciant, eo fine, ut in primis expensæ a Visitatoribus in transitu ab uno ad alterum Monasterium faciendæ, sine novo Monasteriorum onere, deinde etiam alia, quæ emergentibus casibus nomine Congregationis expendenda erunt, ex hoc communi ærario sumi possint. Atque hoc ærarium sub custodia Domini Præsidis erit, qui cum duobus deputatis illius Monasterii, in quo ærarium extiterit, inspectionem, & curam debitam habebit, atque singulorum portiones, seu taxas (certo anni tempore) recipiet, & completo triennio suo, de omnibus acceptis, & expensis rationem, unaque residuam pecuniam in Capitulo Generali deponet, novo Præsidi numerandam, & committendam, ac custodiendam, ut supra decretum est.

Dominus Præses curabit, a quodam ad id specialiter deputato, describi ea, quæ notatu digna per annum acciderint, spectantia ad Congregationem, utpote Monasteriorum accessiones, Superiorum Institutiones, amotiones, & depositiones, si quæ fiant, & alia negotia magni momenti, quæ suscepta per annum, vel terminata fuerint, & in alio Libro nomina Patronorum, Benefactorum, & Amicorum Congregationis, ac etiam extraordinaria benevolentiæ officia ab ipsis recepta, ut de iis successores suos, & alios docere possit, quos duos Libros ad Capitulum Generale deferet, Patribus exhibendos.

Quolibet triennio Præses Congregationis officium deponet, ita tamen, ut sexennio, & amplius illius officium continuari possit, si ita pro bono Congregationis disponendum Capitulo videbitur, dummodo tamen confirmatio fiat per secreta suffragia a duabus ex tribus partibus Vocalium in Capitulo existentium.

§. 3.

De Visitatoribus, & Visitationibus.

Ut visitationes Monasteriorum unde plurimum tam disciplinæ Regularis conservatio, quam eorum, quæ in Capitulis Generalibus salubriter constituta sunt, executio pendet, cum auctoritate, & fructu fiant, ipse Dominus Præses erit ordinarie primus omnium Monasteriorum Visitator: Præter quem duo alii Visitatores eligantur in Capitulo Generali, quorum unus semper cum Domino Præside Visitationibus intererit. Si Præses non possit omnia Monasteria visitare, disponet cum Visitatoribus, quænam soli Visitatores visitare debeant. Monasterium Domini Præsidis a duobus Convisitatoribus visitabitur. In casu, quo propter ægritudinem, vel alia inevitabilia, eaque diuturna impedimenta sive Dominus Præses, sive alii duo Visitatores non possent officio visitationis fungi, per Capitulum Generale quolibet anno, donec aliud statutum sit in Capitulo Generali provisio facienda, & eventualiter alii substituendi sunt, ne res tam salutaris, scilicet visitatio singulorum Monasteriorum omittatur, sed omnino perficiatur, & terminetur.

Quod si Præses non adsit cum uno Visitatore, neque ipsimet duo Visitatores constituti simul adesse possunt in visitatione, adjungetur a Præside cum consilio Visitatorum uni Visitatori socius ejus, vir capax, & in statutis faciendis Visitatori auxilio esse possit, qui ad silentium servandum in iis, quæ ad officium suum pertinent, eo modo, quo Visitator, adstringetur.

Pro primo triennio a proximo Capitulo inchoando, visitatio fiet quolibet anno pro majori Congregationis stabilitate, & perfectiore religiosa disciplina introducenda, quæ visitatio annua, an continuis futuris temporibus continuanda sit, vel singulo solummodo triennio posthac instituenda sit, in Generali Capitulo decernendum erit.

Præter visitationes communes particulariter, & ex causa particulari, unum, alterumve Monasterium visitari poterit, ubi tamen velut in causa graviori Dominus Præses consilio duorum Visitatorum, vel etiam aliorum Abbatum vicinorum uti, nec nisi sufficienter informatus, & urgente necessitate ad singularem hujusmodi visitationem procedere debebit. Officium principale, atque obligatio Visitatorum juxta Sacros Canones *Cap. fin. de statut. Monach.* in eo consistit, ut:

Primo. De statu Monachorum, & observantiis regularibus diligenter inquirant, corrigant, & reforment, quæ juxta Regulam Sancti Benedicti, & nostræ Congregationis Constitutiones viderint corrigenda.

Secundo. Ita tamen ut delinquentes Mona-

chos

chos per Abbatem loci corrigi faciant, eisque injungi pœnitentiam salutarem, vel etiam pœnas delictis proportionatas.

Tertio. Ipsi etiam Visitatores, Monachos, quos contumaces invenerint, & rebelles, juxta modum culpæ Regulari censura, & debitis pœnis percellant.

Quarto. Si vero Abbates in corrigendis Monachis suis juxta Visitatorum mandata, inventi fuerint negligentes, moneantur, & corripiantur in proximo Capitulo Generali.

Quinto. Quod si Abbas fuerit inventus a Visitatoribus nimis negligens aut dilapidator, vel alias merito ab officio amovendus, secundum præscripta Sanctorum Canonum *Cap. penult.*, *& fin. de Stat. Monach.* disponendum erit.

Quod si quis ex gravi causa se injuste gravatum existimaverit, ad Visitatores, ut dictum est, recursum suum habebit, a Visitatoribus ad Præsidem, & a Præside ad Capitulum Generale, a Capitulo Generali ad Sanctam Sedem Apostolicam, ad quam etiam semper, & quandocumque liber pateat recursus. Casu vero quo quispiam, vel Abbas, vel Religiosus ad alium Judicem cujuscumque Dignitatis, vel qualitatis, aut præeminentiæ sit, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, appellare præsumpserit, juxta Sacros Canones, & Summorum Pontificum Constitutiones, necnon Sacrarum Congregationum Decreta a suis Superioribus Regularibus puniatur. Tam in visitationibus, quam etiam in Capitulis triennalibus Secretarius adhibendus erit, qui Protocolla conficiat, aliaque expediat, quæ concipienda & expedienda sunt. Is vero de silentio fideliter servando, & quod sine commissione DD. Visitatorum, vel Præsidentium nihil expedire, nec aliis communicare velit, præstito juramento se obligabit.

CAPUT II.

De unione, & communicatione Monasteriorum Congregationis Bavaricæ.

§. 1.

De mutuis auxiliis, & subsidiis.

De reliquo, tempus pomeridianum usque ad Vesperas studiis, & Lectioni Librorum spiritualium impendatur. Licebit tamen ordinarie singulis septimanis semel, aut pro ratione tempestatis, aliquando etiam bis ad campos ambulare, petita, & obtenta licentia Superiorum.

Hora tertia Vesperæ cantandæ, post quas ab hora quarta usque ad quintam lectio spiritualis erit, ut ante dictum est.

Cœna finita per mediam horam honesta recreatio conceditur, ita tamen, ut tam relaxationes pomeridianæ, quam colloquia, post collationes serotinas, non permittantur in feriis sextis Quadragesimæ, nec per totam majorem hebdomadam, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive.

Tertio quadrante ante Septimam per unum Lectorem ex collationibus SS. Patrum, vel aliis libris devotis legendum per quadrantem circiter horæ: subjungendum mox hora Septima Completorium.

Denique cum recollectione Vespertina, seu examine conscientiæ &c. dies concludenda, itaut hora octava omnes in quiete, & in Cellis sint.

Circa hunc ordinem diei, limitatio quædam, excepto tamen Choro, fieri poterit ab Abbate, juxta rei, personarum, præcipue Lectorum, & Scholasticorum, & temporis exigentiam, si ob certas, & particulares causas, non semper ita exacte in omnibus, observari possit.

CAPUT VII.

De Victu, Jejunio, & amictu ad necessitatem, sine superfluitate.

§. I.

De Cibo, & Jejunio.

Ordinamus, ut ex arbitrio per Sacram Regulam Abbatibus dato, quod hactenus ratione

victus

victus observatum fuit, in posterum in singulis Monasteriis observetur.

Ultra Jejunia Ecclesiastica in omnibus Monasteriis ulteriora; vel Regularia Jejunia observanda sunt. Et quidem per totum annum singulis diebus Mercurii, & Veneris (tempore Paschali, & Natalitio usque ad Octavam inclusive Epiphaniæ excepto) tam a carnibus, quam altera refectione abstinendum.

In Adventu per totum jejunandum est, ita ut ab altera refectione abstineatur, sola Collatiuncula consueta loco Cœnæ concessa.

In hebdomada vero integra ante Adventum; & per decem dies ante feriam cinerum dempta Sexta feria, & Sabbato, aut Jejunio Ecclesiæ, Jejunium, & abstinentiam ab esu carnis relaxamus, & ut aliquod obsonium in prandio, & cœna addatur, indulgemus.

In honorem Beatæ Virginis Jejunium regulare servabitur in Vigiliis Nativitatis, & Purificationis ejusdem: Omnes quoque jejunabunt in Vigilia Festivitatis Sanctorum Angelorum Custodum.

§. 2.

De Habitu, & Tonsura.

Inter principaliora, quæ in Visitationibus observari, & ubi necesse fuerit reformari debent id erit, ut tam Conventuales omnes, quam respective etiam Abbates habitu, & tonsura decenti, & honesto, simulque modesto, sine vanitatibus sæcularibus, vestiti incedant, intra, & extra Monasterium, nullo etiam modo vestimentis sericis utantur.

In specie omnia vestimenta exteriora etiam tibialia, non alterius, quam nigri coloris sint, eaque lanea, aut linea.

Deinde in Congregatione nostra omnimodo quoad vestimentorum formam, etiam quoad materiam, æqualitatis, & pariformitatis introducantur. Quod solertiæ DD. Visitatorum committitur, ut tempore visitationis circa pariformem habitum, & tonsuram interim ipsi eatenus rem componant; quatenus ad eorum relationem in proximo Capitulo Generali, ultimate statui possit, quod decentissime videbitur.

In consideratione hujus conformitatis, quoad indusia, & lectisternia nihil quidem mutetur quoad eos, qui jam professi sunt; nisi ultro ipsi pietate ducti, ita velint, ratione vero aliorum, qui in posterum professionem emittent, statuimus, ut observetur quicquid in proximo Capitulo Generali determinabitur.

CAPUT VIII.

De Infirmis Fratribus.

Quia Sanctus Pater Benedictus affectu vere paterno Infirmis prospexit, *& Cap.* 36. Regulæ ordinavit, Infirmorum curam ante omnia, & præ omnibus adhibendam: item maximam curam Abbatis esse debere; ne ob aliquam negligentiam patiantur &c. Ideo nec sumptibus, nec laboribus parcendum, sed omni modo curandum erit, ut quæ pro salute; tum corporis, tum animæ necessaria sunt, in tempore, & prompte subministrentur.

In singulis igitur Monasteriis Abbas cum consilio, & matura deliberatione eligat certum & idoneum Medicum, qui tempore necessitatis succurrere sit obligatus, eique hanc libertatem concedat, ut quæ ægrotantibus necessaria judicabit, sine respectu sumptuum præscribere possit.

Porro qui infirmitate quacunque corripitur tempestive, vel Abbati, vel Priori statum suum indicet, & confidenter conferat tam circa medicinam; aut Medicum advocandum; quam etiam de cibo, & potu conducente; item exemptione a Choro; & si quid aliud pro reparatione sanitatis necessarium videbitur.

Nulli quidem liceat sine expressa licentia Superiorum Medicum advocare; aut per literas consulere; vel etiam a præsente medicinam accipere: ipsi vero Superiores difficiles non erunt, si prædicto modo confidenter status, & causæ rationabiles significentur.

Ulterius autem solicite curandum; & providendum, ut ægrotus Medici judicio se plene submittat. In quem finem idoneus Minister destinandus erit; qui sedulam Infirmi curam gerat, & accurate acceptam a Medico instructionem observet, contraria, vel noxia nullatenus admittat.

Præter Ministrum, seu famulum unus ex Conventu vir maturus; sive in genere pro omnibus, sive particulariter pro singulis infirmis deputetur, qui circa ægrotantem altiorem inspectionem habere; eumdemque tam verbis, & frequenti visitatione consolari, quam etiam, quæ necessaria videntur; procurare, & si defectus appareat, P. Priorem; vel D. Abbatem tempestive monere possit.

Ipse etiam Abbas non intermittat sæpius ægrotantes visitare, quibus magnum solatium, & dolorum levamen erit, si in afflictione sua paternum erga se affectum advertant; & experiantur.

Multo magis ipsi Conventuales; seu Confratres in hoc casu necessitatis; seu infirmitatis ex sincera charitate obsequia; & solatia sibi mutuo præstent, & quantum Infirmo commodum; & expediens est, sive recreationis, sive etiam alio tempore, cum licentia tamen P. Prioris Infirmariam accedant, & Infirmum consolentur, & recreent.

Quia vero major semper de salute animæ; quam corporis esse cura debet, eo in primis omni studio adlaborandum, ut infirmus in anima, & conscientia bene dispositus sit; & maneat. Proinde cavendum, ne vanis, & variis colloquiis Spiritus distrahatur, sed magis ad pietatem; patientiam, & resignationem, item frequentem Sacramentorum iterationem per eos, qui ex ordinata charitate eum visitare volunt disponatur.

Quod si mortis periculum propinquum appareat, ordinabunt Superiores; ut frequentet ex idoneis libris lectiones, adhortationes quoque & suffragia Fratrum non desint, quibus Spiritus a corpore migraturus feliciter ad Dominum dirigatur.

CAPUT IX.

De conformatione disciplinæ Regularis cum aliis nostri Ordinis Congregationibus.

Præter hactenus constituta supersunt complura alia particulariter circa mores; observantias, & cæremonias, ipsamque disciplinam Regularem in omnibus Monasteriis nostræ Congregationis pariformiter introducenda, & observanda. In quibus, ut conformitas, & solida Regularis Disciplina introducatur, desuper Constitutiones particulares conscribantur, singula capita Regulæ Sancti Benedicti declarantes adinstar Constitutionum Congregationis Cassinensis, & Sancti Mauri; & aliarum, & juxta laudabiles earumdem praxes; colligendæ a quibusdam ad id habilioribus a Capitulo Generali deputandis, & intra triennium in debitum ordinem redigendæ, atque a futuro Capitulo Generali revidendæ, eum in finem, ut Sedi Apostolicæ pro confirmatione præsententur.

Quæ futuro tempore ulterius disponenda, & corrigenda occurrunt, circa ea in Visitationibus, & Capitulis triennalibus inquirendum, atque defectus hujusmodi per chartas Visitatio-

num, & receſſus Capitulorum emendandi erunt. Et quidem circa pariformem introductionem Regularis Diſciplinæ, reſpiciendum in primis erit ad Sanctam Regulam, ubi ſatis expreſſum, & proſpectum eſt, neque aliud fere deſideratur, quam debita obſervantia, & executio.

Deinde ſicuti ad S. Regulam declaratione aliqua, vel ſingulari ſtudio opus videbitur, ad ſtatuta aliarum ſupradictarum Congregationum recurrendum, eoque ſemper collimandum erit, ut inter omnia Monaſteria noſtra conformitas cum ſupradictis Congregationibus, tam in celebratione Generalis Capituli, quam in electione Præſidis, Viſitatorum, & Abbatum, uti etiam in reliquis omnibus, quæ ſpiritualem, & temporalem totius Congregationis noſtræ Bavaricæ, & ſingulorum Monaſteriorum directionem concernunt, conformatione omni meliori modo introducatur.

Unde DD. Viſitatorum curæ ſpecialiter committitur, ut ſtatim in prima viſitatione diligentiſſime inquirant, ubi, & in quibus diſcrepantia, & difformitas uſu, vel abuſu introducta ſit: ſimulque rationes, & cauſas diſparitatis, aut relaxationis perquirant, & ſi quid alicubi irrationabiliter declinatum agnoſcant ex melioribus rationibus Superiores, & Conventuales ad pariformem, quæ in dictis aliis præfatarum Congregationum Monaſteriis laudabiliter viget, diſciplinam diſponant. Quod ſi vero obſtacula, ſeu cauſæ contradicendi alicujus momenti, & probabilitatis opponantur, res ad Capitulum triennale referenda, ibique communi conſilio ſtatuendum erit, quod conſideratis conſiderandis practicabile judicabitur, habito, ut prædictum eſt, reſpectu tum ad Sanctam Regulam, tum ad dictarum Congregationum ſtatuta, a quibus temere ſine certa, & juſta cauſa non declinabitur.

Ad harum Conſtitutionum obſervantiam tenebuntur omnes, & ſinguli Abbates, & Religioſi Monaſteriorum omnium in Brevi Apoſtolico Erectionis ſub Datum Romæ die 26. Auguſti 1684. expreſſorum, necnon aliorum de dominio dumtaxat Sereniſſimi Electoris utriuſque Bavariæ Ducis &c. quorum Abbates pro facta ſibi a Sancta Apoſtolica Sede facultate, noſtræ Congregationi, vel jam acceſſerunt, vel in poſterum accedent.

Si quid porro cum tempore mutandum, innovandum, vel minuendum, aut alias addendum cenſebitur, poterit id fieri in Capitulis Generalibus, ita tamen, ut quæ taliter in Capitulo Generali decernentur, vim legis non habeant, quin a Capitulo ſequenti fuerint confirmata, & quatenus his Conſtitutionibus contraria fuerint, a Sancta Sede Apoſtolica approbentur.

Quod ſi quis Abbas, vel Monachus ex præfatis Monaſteriis ſic in Congregationem unitis, vel uniendis dixerit, ſe ad has Conſtitutiones non teneri, vel quod ei pro libitu liceat a Congregatione diſcedere, & exemptioni a Sancta Sede Apoſtolica ad formam Helveticæ Congregationi conceſſæ renuntiare, a Regularibus Superioribus ſuis tanquam Apoſtata puniatur.

Preces Præſidis, & Abbatum.

Nobis propterea Cæleſtinus Abbas Præſes, aliique Abbates Exponentes prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat, conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, & Prælatorum, qui rem mature pluries diſcuſſerunt, conſilio, omnes, & ſingulas Conſtitutiones præinſertas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Confirma relatarum Conſtituti num.

Clauſul

§. 1. Decernentes eaſdem præſentes literas, & Conſtitutiones præinſertas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosque quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinis, & Monaſteriorum præfatorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die VI. Febr. MDCLXXXVI. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

CXLVI

Confirmatur Decretum Congreg. Epiſc. & Reg. circa electiones Abbatum Congregationis Bavaricæ Ord. S. Benedicti.

Horum Monachorum Conſtitutiones extant Conſt. ed. 1686., Feb. 6, P. 10. Privilegia vero Inn. XII. Conſtit. ed. 1691., Aug. 11., P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat.9. Fe 1686. An.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Cæleſtini Abbatis Monaſterii Sancti Ermanni, Ratiſbonen. Præſidis, & cæterorum Abbatum Monaſteriorum Congregationis Bavaricæ Ordinis Sancti Benedicti ſub titulo Sanctorum Angelorum Cuſtodum a Nobis erectæ, Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, expoſito, quod cum in Conſtitutionibus dictæ Congregationis Bavaricæ a Congregatione nonnullorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, deſuper a Nobis ſpecialiter deputata, jam correctis, & approbatis, non ſatis diſpona-

Proponun quædam bia Congr Epiſc., & R circa elect nem Abb tum.

tur de electionibus Abbatum, qui in Bavaria, quemadmodum in reliqua Germania, perpetui sunt; unus vero ex dictis Abbatibus, nempe dilectus filius Abbas Monasterii Oberaltzacensis jam graviter, & cum vitæ periculo ægrotare dicatur, cupiebant propterea dicti Exponentes, per dictam Congregationem Cardinalium decerni, & declarari. Primo an in electionibus, deinceps faciendis, intervenire debeat, nec ne Præses pro tempore existens dictæ Congregationis Bavaricæ, loco Episcopi Diœcesani, vel Commissarii Episcopalis, qui ejusmodi electionibus præsidebat, quando Monasteria prædicta, quæ per Nostras super erectione dictæ Congregationis Bavaricæ, in simili forma Brevis, expeditas Literas, ab ordinaria Jurisdictione, exempta sunt, ordinariæ Jurisdictioni hujusmodi adhuc subjaceant, & quatenus Præsidem ipsum, aut unum ex Abbatibus, qui eo tempore Visitationis fungebatur officio, ab humanis decedere contingat, quomodo eo casu procedendum sit. Secundo, si Præses propter legitimum impedimentum, electioni interesse nequeat, an ei liceat eo mittere unum, vel plures a se deputatos, qui ejus loco præsideant. Tertio utrum præter Præsidem, vel ab eo deputatum ambo Visitatores pro tempore existentes, vel eorum alter electionibus hujusmodi etiam interesse habeant. Quarto, an dies futuræ electionis a dicto Præside, vel a Priore Monasterii vacantis denominari debeat, & quatenus statuatur Præsidem, & Visitatores præfatos electionibus hujúsmodi interesse debere, utrum eis competiturum sit votum, sive suffragium una cum Capitularibus Constitutionibus, an vero simplicem residentiam, pro mera directione exercere debeant. Quinto an quoad reliqua omnia in electionibus præfatis servari debeat forma hactenus usitata, quam supradicta Cardinalium Congregatione exhiberi curarunt, an vero, in ea aliquid pro arbitrio, & prudentia ipsius Congregationis mutandum sit. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Eminentissimo Carpineo, censuit, suprascriptum negotium remittendum esse ad Congregationem particularem per S. D. N. specialiter deputatam. Interim vero si casus vacationis evenerit, præsidendum esse electionibus, sine præjudicio Jurium partium ab Abbate Sancti Ermanni, nomine Sanctæ Sedis. In iisdem autem electionibus, servandam in reliquis esse formam, & modum, qui servabatur ante unionem prædictorum Monasteriorum in Congregationem. Romæ prima Februarii 1686. G. Cardinalis Carpineus - Loco ✠ Sigilli - B. Panciaticus Secretarius.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte Cælestini Præsidis, cæterorumque Abbatum præfatorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ Nostræ Confirmationis patrocinio, plurimum communiri desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine, Nobis, super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum Monasteriorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Febr. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CXLIX.

Declaratur irrita, & nulla alienatio Feudi status Masserani sine licentia S. Sedis Apostolicæ facta Duci Sabaudiæ.

Const. ed. 1677., Apr. 12. P. 1. committitur Episcopo Alexandrino Causa inter Principem, & ejus subditos. Innoc. XII. vero Const. ed. 1700., Jul. 30., P. 9. declaravit quoddam Indultum Duci Sabaudiæ a Nicolao V. concessum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Febr. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur alienatio fendi Status Masserani, a Principe Carolo Bessio facta Amadeo Duci Sabaudiæ.

CUM (sicut accepimus) dilectus filius nobilis vir Carolus Bessius Ferrerius Fliscus Princeps Masserani, & Marchio Crepacorii Vercellen. Diœcesis Terras, & Castra *Masserani, & Crepacorii, & Quirini, Flecchiæ & Rissi* d. Diœcesis, seu eorum aliquod, vel aliqua, quæ in Feudum una cum eorum respective territoriis, Districtibus, Villis, Vassallis, hominibus, incolis, & habitatoribus, fortalitiis, franchitiis, & homagiis, aliisque juribus, & pertinentiis, nec non omnimoda alia, bassa, civili, & criminali Jurisdictione, mero, & mixto imperio, gladiique, & necis potestate, ac titulis, & insigniis, aliisque honoribus, & oneribus, salariis, & regalibus solitis, & consuetis, immediate a Nobis, & hac sancta Sede, ac Camera Nostra Apostolica sub certis censibus, sive recognitionibus obtinebat, & recognoscebat, dilecto filio nobili Viro Victorio Amadeo Sabaudiæ Duci, & Pedemontii Principi, absque nostra, & dictæ Sedis licentia, beneplacito, vel consensu (quamvis illis forsan reservatis) vendiderit, seu alio quocumque titulo, vel modo ad favorem ejusdem Victorii Amadei Ducis, aut cujuscumque alius Personæ, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignæ, alienaverit; & forsan ad traditionem possessionis, seu quasi possessionis Terrarum, & Castrorum, aliorumque venditorum, seu alienatorum præfatorum, aliosque actus devenerit, & alias prout in Instrumento, seu Instrumentis, aliisque scripturis publicis, vel privatis desuper forsan confectis, quorum omnium, & singulorum tenores, etiam veriores, ac datas, aliave quæcumque,

etiam de necessitate specialiter exprimenda præsentibus non approbandi, sed reprobandi animo, pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis, & enarratis haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Non licet Feudatariis S.Sed sfeuda alienare sine ejus licentia.

Quamvis autem ex Juris communis, & Constitutionum Apostolicarum dispositione nullo modo liceat Nostris, ac Sedis, & Cameræ præfatarum Vassallis, seu Feudatariis feuda, quæ obtinent, absque Nostra, & ejusdem Sedis licentia vendere, vel alio quovis modo alienare, ac proinde aperti, & explorati Juris sit, præmissa omnia, & singula a dicto Carolo Bassio Principe, seu ejus nomine a quibuscumque aliis acta, & gesta, penitus, & omnino nulla, atque invalida existere; Nihilominus desuper mentem, & intentionem declarare, simulque Cameræ, & Sedis præfatarum indemnitati, etiam ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit providere cupientes, necnon concessionum, & Investiturarum Terrarum, & Castrorum, aliorumque præfatorum, & quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, & præsertim Pauli III., Julii III., Pauli IV., Pii IV., Pii V., Gregorii XIII., Sixti V., Clementis VIII., Vrbani VIII., & Clementis IX. Literarum tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, schedularum motus proprii, & Chirographorum, aliarumque scripturarum quarumcumque super concessionibus, & Investituris hujusmodi, earumque confirmatione, seu alias quomodolibet illarum occasione expeditarum, & emanatarum, ac expeditorum, & emanatorum tenores, & alia quæcumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, ac specificatis & enarratis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & alias omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus melius, & validius facere possumus, venditionem, & aliam quamcumque alienationem Terrarum, & Castrorum præfatorum, seu aliquorum ex illis, cum illorum respective Territoriis, Districtibus, Villis, Vassallis, Fortalitiis, Franchitiis, homagiis, Jurisdictione, mero, & mixto imperio, ac gladii, & necis potestate, titulis, insigniis, honoribus, regalibus, aliisque Juribus, & pertinentiis quibuscumque memorato Victorio Amadeo Duci, vel alii cuicumque personæ a præfato Carolo Bessio Principe, vel alio quolibet ejus nomine absque nostra, & d. Sedis licentia, Beneplacito, vel consensu factas, ut præfertur, ac traditionem possessionis, seu quasi possessionis, cæterosque actus, & alia quæcumque in præmissis, seu eorum occasione quomodolibet acta, & gesta, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, inania, & de facto præsumpta, & attentata, nulliusque roboris, momenti, & efficaciæ esse, & fore, nullumque cuiquam titulum, etiam coloratum, aut possidendi causam tribuere posse, nec per ea Sedi, & Cameræ prædictis nullum, etiam minimum præjudicium illatum, aut inferri quoquomodo potuisse, vel quandocumque posse tenore præsentium declaramus, & decernimus. Nosque licentiam, Beneplacitum, & consensum Nostrum super præmissis minime concessisse, nec præstitisse, nec in futurum præstare velle pariter declaramus, & in verbo Romani Pontificis attestamur. Et nihilominus venditionem, & alienationem hujusmodi, aliaque præmissa omnia, & singula, prout de facto processerunt, ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus; necnon Sedem, & Cameram præfatas adversus eadem præmissa, & præjudicialia quæcumque, quæ eis exinde quomodolibet enata esse, aut in futurum quandocumque enasci posse, dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, in integrum, & pristinum, ac eum in quo antea quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, illasque a præjudicialibus hujusmodi præservamus, ac præservatas esse, & fore decernimus similiter, & declaramus.

Concessiones, & Investituræ Status Masserani.

Declaratur irrita alienatio ob defectum licentiæ, quæ nunquam concedetur.

Irritatur alienatio, & S. Sedes a præjudicio vindicatur.

Clausul.

§. 1. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod præfati Victorius Amadeus Dux, & Carolus Bessius Princeps, aliique quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione digni, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, incogitato, ac inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Sedi, & Cameræ prædictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos. & Apostolicæ Sedis Nuncios, necnon dictæ Cameræ Præsidentes Clericos, ac Thesaurarium Generalem, cæterosque Officiales, & ministros, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, & præfati Pii IV. prædecessoris de gratiis qualecumque interesse Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari numquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Cameræ, ac Terrarum & Castrorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, & stylis, & usibus, etiam immemorabilibus, ac quibuscumque Decretis, etiam Cameralibus, & Consistorialibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis præ-

fatis,

fatis, aliisque quibuslibet personis, & locis, etiam specifica, & individua mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Februarii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CL.

Confirmatur Statutum Capituli Generalis Fratrum Min. S. Francisci de Observantia Reformatorum circa Lectores inter Patres Provinciæ connumerandos.

Lectoribus jubilatis concessa fuere Privilegia Doctorum artium, & Magistrorum Theologiæ Const. ed. 1679. Novemb. 27., P. 4.

Dat. 18. Martii 1686. Anno 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Statutum prædictum.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod in proxime præterito Capitulo Generali dicti Ordinis Fratrum fuit statutum, ut in unaquaque Provincia Fratrum Reformatorum ejusdem Ordinis Frater antiquior ex illis qui Sacram Theologiam duodecim annorum spatio legerint, sive docuerint inter Patres Provinciæ connumeretur, sive connumeratus declaretur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, statutum hujusmodi tamquam juxta determinationem cujusdam Constitutionis fel. rec. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit *Injuncti &c.* editum in Romana, & aliis Provinciis Fratrum Reformatorum executioni mandatum fuerit; in aliis vero nonnullis Provinciis irrationabiliter impugnetur, quamvis dilectus filius Minister Generalis Ordinis prædicti illud universaliter observari debere decreverit: nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

In aliquibus Provinciis non vigebat.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præfatum Procuratorem generalem Fratrum Reformatorum, sive strictioris Observantiæ dicti Ordinis super præmissis audierunt, consilio, prædictum Statutum Capituli Generalis pro Lectoribus Sacræ Theologiæ emanatum auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & observari mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio d. Statuti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XVIII. Martii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLI.

Confirmantur erectio Hospitii, & dotatio Ecclesiæ S. Gallæ pro pauperibus per Urbem vagantibus.

Erectum fuit a Clem. X. Hospitium pro conversis ad fidem Const. ed. 1675., Mar. 30. P. 5. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1686. April. 22. P. 10. confirmatur cum facultate illud transferendi.

Dat. 5. Aprilis 1686. Anno 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam evecti, circa novarum Ecclesiarum ubique locorum, & præsertim in alma Urbe Nostra, veræ religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue diffunduntur, cum divini cultus incremento erigendarum, & ædificandarum statum libenter intendimus, & ut Christifidelium non minus generis, nostræque secundum carnem consanguinitatis, quam Christianarum virtutum splendore fulgentium in structuram ipsarum Ecclesiarum, aliaque pietatis opera de bonis sibi a Deo collectis largiter conferentium vota optatos habeant effectus, nec de eorum, quæ jussu nostro facta fuerunt, veritate, atque validitate dubitari unquam possit, concessæ nobis a Domino

no potestatis partes studiosa charitate interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & spiritualem populi Christiani ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Species facti.

§. 1. Innotuit siquidem nobis, quod dudum, videlicet die 5. Maji 1672. tunc existentes Clerici regulares Domus regularis *S. Mariæ in Porticu, seu de Campitellis* nuncupati de Urbe præfata Congregationis Matris Dei per quemdam eorum Procuratorum in vim licentiæ sibi desuper a tunc existentis Romani Pontificis in eadem Urbe Vicario in spiritualibus generali in executionem Decreti a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum d. Urbis deputatorum emanati concessæ, eorum Domum regularem annexam, & connexam Ecclesiæ ejusdem S. Mariæ in Porticu quæ olim erat Diaconia Cardinalitia, & quam bo. me. Bartholomæus dum vixit ejusdem S. R. E. Diaconus Cardinalis Cæsius nuncupatus, qui ipsam Ecclesiam pro Diaconia sui Cardinalatus sub Pontificatu fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri obtinebat, Clericis Regularibus dictæ Congregationis Matris Dei assignaverat, sed tunc ob translationem tam Imaginis Beatæ Mariæ Virginis, quam Diaconiæ hujusmodi ad Ecclesiam S. Mariæ de Campitellis auctoritate Apostolica factam sub denominatione S. Gallæ remanserat cum omnibus, & singulis ipsius Domus regularis membris, juribus, & pertinentiis universis, necnon officinam, seu apothecam tunc ad usum Sutoris, ac etiam stabulum correspondens subtus fœnile insimul cum Tinello prope dictum stabulum, & pariter duas Domunculas connexas horto, & viridario, cum duobus divisis appartamentis retro Domum, & Ecclesiam S. Gallæ hujusmodi, & hortum, & viridarium ad ipsos Clericos regulares legitime spectantia, & pertinentia, & juxta suos notos, & tunc expressos fines posita tunc in humanis agenti Annæ Moronæ Romanæ pretio 3500. scut. monetæ Romanæ, in extinctionem tot censuum passivorum, quibus ipsi Clerici Regulares gravati erant, & alias convertendo, vendiderunt, salva tamen, & reservata dictis Clericis Regularibus supradicta Ecclesia S. Gallæ, quæ in hujusmodi venditione comprehensa minime esset, nec esse censeretur; ac cum pacto, seu conventione, quod si, & quotiescumque dicta Anna emptrix vellet in se, & supra se assumere præfatam Ecclesiam S. Gallæ, impetrata prius licentia, & Beneplacito Sedis Apostolicæ, & Superiorum Ecclesiasticorum ipsius Annæ sumptibus, cura, & impensis in omnibus, & per omnia, tali casu dicti Clerici Regulares tenerentur super præmissis dare, & præstare quemcumque consensum, & assensum desuper necessarium, & opportunum, prout dictus Procurator procuratorio nomine ex tunc prout & quando d. Beneplacitum Apostolicum impetratum fuisset, consensum pariter, & assensum hujusmodi dedit, & præstitit, & in isto casu eadem Anna, suique successores tenerentur, & obligati essent, prout ipsa Anna promisit, eo modo, & forma retinere homines Universitatis Candelariorum, etiam cum usu unius stantiæ indulgen. dictis Hominibus ejusdem Universitatis pro habendis Congregationibus, & sub omnibus qualitatibus, & conditionibus, de quibus in Instrumento concessionis Capellæ d. Universitatis sub invocatione, seu titulo *Purificationis B. Virginis Mariæ*, factæ per præfatum Bartholomæum Cardinalem, rogato, & stipulato die 2. Januarii 1599., seu alio veriori tempore, existente in libro Instrumentorum, & copiarum simplicium eorumdem Clericorum Regularium; Et cum alio pacto, seu conventione, quod dicti Clerici Regulares tenerentur, & obligati essent vendere dictæ Annæ emptrici Fœnile positum supra Tinellum prædictæ Domus, ut supra venditæ pro pretio scutorum ducentorum, & quinquaginta, impetrato prius per eam desuper Sedis prædictæ Beneplacito, ac cum diversis aliis pactis, & conditionibus, & alias prout in publico per acta Hieronymi Simonelli Notarii publici desuper confecto Instrumento plenius, & diffusius continetur. Verum cum dilectus filius Thomas Odescalchus Cubicularius intimus, & Vestiarius noster, qui d. Domus regularis, ut præfertur, venditæ tunc inquilinus erat, judicium super prælatione in venditione Domus regularis, aliorumque bonorum venditorum præfatorum contra d. Annam emptricem intentasset, tandem ipsi Thomas ex una, & Anna ex altera partibus, ad transactionem, seu concordiam desuper inter se devenerunt, per quam eadem Anna prælationi hujusmodi locum esse agnoscens, eandem Domum regularem, & alia bona sibi a memoratis Clericis Regularibus, sicut præmittitur, vendita dicto Thomæ ex pecuniis sibi a Nobis dum in minoribus constituti Cardinalatus honore fungebamur, ad eum effectum subministratis ementi, pretio trium millium, & quingentorum scutorum monetæ hujusmodi, ac cum omnibus pactis, capitulis, conditionibus, conventionibus, promissionibus, & circumstantiis in supradicto Instrumento venditionis latius contentis, & expressis, retrovendidit, & retrocessit, dictumque pretium ac insuper alia quingenta scuta paria sibi pariter, a Nobis subministrata eidem Annæ persolvit, cum diversis pactis, & conditionibus, & alias prout in alio publico Instrumento per acta Raynaldi de Raynaldis, etiam Notarii publici desuper die 16. Septembris 1673. celebrato uberius etiam continetur. Porro in d. Domo regulari, illique annexis, sicut præmittitur, venditis, & præfatum Thomam Odescalchum ex pecuniis sibi ad id a nobis subministratis, prout ipse Thomas postmodum declaravit, acquisitis, opus pium excipiendi hospitio, & alendi pauperes mendicos per Urbem præfatam vagantes, jussu, & impensa nostris usque ad nostram ad supremi Apostolatus officium assumptionem exercitum fuit, & subinde dilectus filius nobilis Juvenis Livius Odescalchus Dux Terræ Cæræ, noster secundum carnem ex Fratre germano Nepos, illud pariter exerceri curavit, & adhuc curat; cumque Ecclesia præfata S. Gallæ ruinam minaretur, dictus Thomas illam de mandato Nostro demolitus est, & funditus destrui curavit; præfatus vero Livius Dux pro eximia sua in Deum pietate novam ibidem loco destructæ Ecclesiam elegantiori structura in honorem ejusdem S. Gallæ sua impensa ædificare aggressus est, quæ de præsenti construitur; Ipseque Livius Dux novam Ecclesiam hujusmodi per assignationem quorumdam Fænilium, & Domunculæ pretio mille, & nongentorum scutorum d. monetæ ex ejus pecuniis emptorum, & acquisitorum, ac in aliis mille, & centum scutis paribus per eum augendorum, & meliorandorum, annui redditus octoginta scutorum similium dotavit, ex quibus scuta quadraginta pro Capellano ad nutum amovibili per eum, ejusque descendentes, ac hæredes, & successores quoscumque nominando, imposito tamen ipsi Capellano onere Missam quotidie in ipsa nova Ecclesia S. Gallæ celebrandi; Reliquam vero quantitatem dotis, sive annui redditus hujusmodi ad effectum manutenendi ipsam Ecclesiam, ejusque supellectilia, ceram, paramenta, & Altaria respective assignavit, ea lege, ut sibi, suisque descendentibus, & hæredibus, & successoribus quibuscumque Juspatronatus novæ Ecclesiæ, & nominandi Capellanum ad nutum amovibilem hujusmodi in perpetuum reservetur, ac cum diversis conditionibus, protestationibus, & declarationibus, prout plenius continetur in publico desuper confecto Instrumento tenoris, qui sequitur, videlicet.

Venditio domus Clericorum Matris Dei Annæ Moronæ factæ.

Retrovenditio facta Thomæ Odescalcho.

Erectio hospitii S. G. in prædicta domo.

Reædificatio Ecclesiæ Sanctæ Gallæ domui adnexæ, ejusque Dotatio.

Reservatio Jurispatronatus, & nominandi Capellanum, ut in Instrumento.

§. 2. In

I Instrumentum in quo describitur relatum factum.

§. 2. In nomine Domini Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, quod anno ab ejusdem D. N. J. Christi Nativitate 1685. Indictione 8., Die vero 17. mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii, Divina Providentia Papæ XI. anno ejus 9. Illustrissimus, & Excellentissimus D. Princeps D. Livius Odescalchus Cæræ Dux, Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ XI. ex clar. mem. Carolo germano Fratre Nepos mihi &c. optime notus, asserens alias Dominam Annam Moronam emisse quasdam Domos existentes in Regione *Ripæ*, & ut dicitur -- *A Porta Leone* -- prope Ecclesiam S. Gallæ, olim nuncupat. *S. Mariæ in Porticu* Urbis a RR. Clericis Regularibus S. Mariæ in Porticu Urbis, cum concessione facta eidem Annæ, etiam Ecclesiæ S. Gallæ, accedente beneplacito Apostolico, & postea vigore Bullæ S. M. Gregorii XIII. super jure congruo in emptione dictarum Domorum fuisse prælatum, & subingressum in locum dictæ Annæ Moronæ Illmum D. Thomam Odescalchum, qui declaravit illa emisse ex propriis pecuniis SS. D. N. Innocentii XI. tunc Cardinalatus honore perfulgentis; Cumque idem Excellentissimus Dominus D. Livius Odescalchus donatarius universalis bonorum patrimonialium, & spectantium ad eumdem SSmum uti personam privatam ante supremam Pontificatus dignitatem adeptorum, ut de dicta donatione constat ex Instrumento publico in actis mei rogato sub die 8. mensis Aprilis 1680., seu &c. in dictis Domunculis emptis suis sumptibus, hucusque exerceri fecerit pro sua erga Deum pietate, & pauperes, liberalitate Hospitium, & receptionem Pauperum pro sua tamen mera voluntate, & mero arbitrio, non autem animo se ad dictam hospitalitatem continuandam obligandi, cum intendat illam continuare, vel relinquere, & dissolvere, quando sibi videbitur, & placuerit, de quo expresse, & solemniter protestatur, & cum Ecclesia prædicta S. Gallæ existens prope d. Domos, ut supra emptas a d. Morona, & per hanc postea venditas dicto Illustriss. Dño Thomæ Odescalcho ob vetustatem ruinam a fundamentis prope diem minaretur, hinc a fundamentis ex integro cum scientia, & consensu ejusdem SSmi propriis sumptibus meliori structura eamdem Ecclesiam reædificaverit, cumque intendat per SSmum D. N. super eadem ex titulo reædificationis, & dotationis sibi, ac ejus Posteris, ac descendentibus, & hæredibus, & successoribus quibuscumque in infinitum reservari Juspatronatus Laicale. Hinc est quod ultra reædificationem ex integro dictæ Ecclesiæ ab ipso factam sponte &c. pro ejus dote, ut Divinus cultus in ea exerceri possit, & alias omni meliori modo &c. assignavit, & assignat Fœnilia cum Domuncula per Illmum, & Rmum D. Thomam Odescalchum SSmi D. N. Papæ intimum Cubicularium, & Secretum Eleemosynarium empta ex Instrumento rogato per acta Mori Notarii Capitolini sub die 15. Maji 1685., seu &c. a Comite Hieronymo Curtio de Clementinis pretio scutorum mille nongentorum monetæ; & cujus Illustrissimi D. Thomæ Idem Excmus Dom. D. Livius est declaratarius, & nominatarius, prout ex Instrumento declarationis, & nominationis hujusmodi facti in personam Excellentiæ Suæ per eadem acta Mori sub die 14. currentis Mensis, seu &c. ad quæ &c., & ex titulo dotationis, & assignationis hujusmodi. Idem Excmus Dom. D. Livius cessit quoque, & assignavit eidem Ecclesiæ omnia, & singula jura &c. ad habendum &c. ponens &c., constituens &c. dans licentiam &c., & donec &c. constituit &c. etiam omni meliori modo &c. Ulterius idem Excmus Dom. D. Livius promisit fœnilia prædicta, sic ut supra, assignata augere, & meliorare in aliis scutis mille, & centum monetæ, itaut valor illorum, & sic dos prædictæ Ecclesiæ sit in totum, & ascendat ad summam scutorum trium millium monetæ, declarans tamen, quod prædicta Fœnilia cum Domuncula, ac melioramentis prædictis sunt, & ascendunt in fructu ad scuta octoginta annua, ex quibus scuta quadraginta monetæ assignavit, & assignat pro Capellano ad nutum amovibili per E. S., ac ejus descendentes, & hæredes, & successores quoscumque nominandi in perpetuum, cum onere tamen eidem Capellano quotidie Missam celebrandi in d. Ecclesia S. Gallæ; Reliquam vero quantitatem dotis, sive annui fructus prædicti ad effectum manutenendi supellectilia, ceram, paramenta, Ecclesiam, & Altaria ejusdem Ecclesiæ, cum hac tamen conditione, quod dictus Capellanus semper, & perpetuo sit ad nutum amovibilis, & ad simplex arbitrium, & voluntatem Excmi Dom. D. Livii ac ejus in Jurepatronatus, ut supra reservando successorum institui, & destitui possit, sine aliqua causa, sed sat sit pro remotione simplex, & absoluta voluntas Patronorum, quia sic &c., & cum agatur de Capellania ad nutum amovibili, & illius constitutio, ac ab ea remotio, & destitutio fieri possit absque aliquo consensu Emi Cardinalis Vicarii, ejusque Vices-gerentis, vel alterius cujusvis Magistratus Ecclesiastici, attento quod Capellania hujusmodi non sit Beneficium, sed simplex pia elargitio absque titulo Beneficii.

De jure nominandi Capellanum ad nutum amovibilem.

Voluit ulterius idem Excmus D. Princeps, quod si aliquo quovis tempore, quavis de causa, & quæsito colore impediretur in libero usu, & quasi possessione d. Jurispatronatus, & concessionis Ecclesiæ prædictæ, tunc, & eo casu bona, ut supra, in dotem assignata libere, integre, & pure revertantur ad ipsum Dotantem, ejusque hæredes, & successores, ac si præsens dotatio, & assignatio facta non esset. Declaravit quoque idem Excellentiss. Dom. D. Livius, quod casu, quo per SSmum Dñum in dicta Ecclesia S. Gallæ Juspatronatus, ut supra sibi, ac ejus hæredibus, & successoribus non reservaretur, tunc pariter, & eo casu dotatio, & assignatio, ut supra facta habeatur, acsi facta non esset, cum ad illam devenerit, & deveniat intuitu, & contemplatione, ac sub spe habendi in d. Ecclesia Jurispatronatus reservationem, & non alias aliter, nec alio modo &c., quia sic &c. Promisit præterea Idem Excellentiss. Dom. D. Livius Fundator, & dotator, ut supra, bona in dotem, & pro dote, ut supra assignata ad seipsum spectare, & pertinere, esseque libera, & immunia ab omni onere, canone, hypotheca, fideicommisso, tam purificato, quam purificando &c. neminique alteri cessisse, assignasse, donasse, obligasse, nec aliud quicquam fecisse, nec factum appariturum in præjudicium præsentis concessionis, & dotationis, ac contentorum in ea quorumcumque, alias in eventum contrarii teneri voluit de evictione generali, & particulari in forma Juris valida, & in Urbe consueta, & ad omnia damna &c. de quibus &c. Quæ omnia, & singula in præsenti Instrumento contenta idem Excmus Dom. D. Livius promisit in omnibus, & per omnia attendere, observare, & adimplere &c. alias &c., pro quibus seipsum &c. ac bona &c., Jura &c. in ampliori Rev. Cameræ Apostolicæ forma cum solitis clausulis &c. citra obligavit &c. renunciavit &c. constituit &c. unica &c., & sic tactis &c. juravit &c. Super quibus omnibus, & singulis petitum fuit a me Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem Instrumentum, seu Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in Palatio solitæ habitationis E. S. sito in Regione Campitelli præsentibus ibidem audientibus, & intelligentibus Illmo D. Francisco Maria Constantino Asculano E. S. Auditore, & Curiæ Capitolii primo

De Dote, & jurepatronatus.

Collaterali, & D. Gregorio Binetto Romano E. S. Ratiocinatore testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Ego Augustinus Sabbatuccius Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarius de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi requisitus.

Loco ✠ Signi.

Confirmatio supra relatorum omnium.

§. 3. Quare Nos firmiori præmissorum omnium, & singulorum robori, & efficaciæ, quantum cum Domino possumus, providere, ac novæ Ecclesiæ prædictæ statui pro Pastoralis Officii nostri debito opportune consulere, dictumque Livium Ducem, præclarorum ejus meritorum intuitu, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Motu proprio non ad ejusdem Livii Ducis, aut alterius pro eo, aliusve personæ cujuscumque, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine venditionem supradictæ Domus olim Regularis S. Mariæ in Porticu, omniumque, & singulorum aliorum bonorum præfatorum dictæ Annæ Moronæ a memoratis Clericis Regularibus Domus Regularis S. Mariæ in Campitellis, ac retrocessionem, & retrovenditionem ejusdem Domus olim Regularis, aliorumque bonorum venditorum hujusmodi præfato Thomæ Odescalcho ab eadem Anna emptrice respective factas, ut præfertur, confectaque desuper bina Instrumenta publica supra enunciata, cum omnibus singulis pactis, & conditionibus, aliisque in eis quomodolibet contentis, & expressis, ac inde secutis quibuscumque, de quibus omnibus, & singulis plene sumus informati, certamque, & individuam notitiam habemus, & talem Nos habere harum serie attestamur; necnon dotationem præfatæ novæ Ecclesiæ S. Gallæ a memorato Livio Duce, sicut præmittitur, factam, ac confectum desuper Instrumentum præinsertum, omniaque, & singula in eo contenta, & expressa, ac inde secuta, & secutura quæcumque tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, efficaciam, & validitatem adjungimus, & adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex Juris communis, & Constitutionum, & Decretorum Apostolicorum, necnon dictæ Urbis, aliorumque quorumlibet Statutorum, eorumque novarum additionum, ac reformationum præscripto, seu de stylo, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoscumque, etiam quantumvis formales, & substantiales, ac naturales, & incogitatos, & inexcogitabiles defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi quomodocumque, & quandocumque possent, etiamsi tales sint, ut nonnisi facta eorum specifica, & individua mentione, & expressione, sanari possint, supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Quodcumq; jus super d. Ecclesiam aliis omnibus abdicatur.

§. 4. Præterea omne jus, quod præfatis Clericis Regularibus venditoribus in, vel super supradicta veteri Ecclesia S. Mariæ in Porticu jam, sicut præmittitur, jussu nostro destructa, & demolita in primodicto Instrumento venditionis quomodolibet reservatum fuit, quodque jam ipsi Clerici Regulares, eorumque Domus Regularis, & Congregatio Matris Dei, quam supradicta Universitas Candelariorum, ejusque homines in, vel super eadem veteri Ecclesia, ejusque Altaribus, membris, & pertinentiis quibuscumque, aut etiam forsan super nova Ecclesia, quæ, ut præfertur, D. Livii Ducis impensa ædificatur, ex præmissorum, aliave quacumque causa, occasione, titulo, colore, prætextu, & capite, etiam quantumvis legitimo, & juridico, quomodocumque, & qualitercumque, ac quandocumque, prætendere, sive ad se spectare, & pertinere asserere possent respective, ab eisdem Clericis Regularibus, eorumque Domo Regulari, & Congregatione, ac ab Universitate Candelariorum, ejusque Hominibus prædictis respective motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus harum serie perpetuo abdicamus, sicque abdicatum penitus, & omnino perimimus, & extinguimus; necnon eamdem novam Ecclesiam, ejusque Altaria, membra, & pertinentias quascumque ab omni, & quocumque jure hujusmodi eximimus, & plenarie liberamus, ac liberam, & immunem, ac exemptam, liberaque immunia, & exempta, illique nullatenus obnoxiam, & obnoxia esse, & perpetuo fore, nec ipsos Clericos Regulares, eorumque Domum Regularem, & Congregationem hujusmodi, neque Universitatem Candelariorum, ejusque Homines præfatos quicquam juris, vel actionis in eadem nova Ecclesia, ejusque Altaribus, membris, & pertinentiis quibuscumque, aut ad illam, vel illa prætendere quoquo modo unquam posse decernimus, & declaramus. Ac tandem novam Ecclesiam ex nunc prout ex tunc postquam ejus fabrica perfecta, & absoluta fuerit, itaut Sacrosanctum Missæ Sacrificium in ea celebrari possit, & e contra in Ecclesiam sine cura sæcularem a quavis alia Ecclesia, Domo Regulari, Monasterio, Congregatione, & Ordine, & loco pio independentem, & liberam, sub titulo, seu invocatione S. Gallæ, ad Omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque S. Gallæ honorem; in ipsa autem nova Ecclesia unam Capellaniam; quæ mere manualis existat, nec unquam perpetuum Ecclesiasticum Beneficium, aut titulus collativus esse possit, pro uno Capellano Clerico Sæculari, etiam alienigena, ac Ultramontano, & Ultramarino, in Sacro Presbyteratus Ordine, vel saltem in ea ætate constituto, ut intra annum ad eumdem Ordinem promoveri possit, & debeat, futuro inibi Capellano ad nutum infrascripti, & pro tempore existentis Ecclesiæ hujusmodi Patroni, etiam absque ulla causa toties, quoties ipsi Patrono videbitur, & placuerit, & ad merum ejus nutum, libitum, & arbitrium, remota etiam, ac seclusa quacumque allegatione odii, vel malevolentiæ, amovibili, qui Sacrosanctum Missæ Sacrificium quotidie in eadem Ecclesia celebrare, seu celebrari facere, ipsiusque Ecclesiæ, ac ejus Sacristiæ, & Altarium curam, & custodiam habere teneatur, & cui pro sui stipendio quadraginta scuta d. monetæ ex redditibus bonorum a præfato Livio Duce in dotem d. novæ Ecclesiæ, ut præfertur assignatorum annuatim præstari debeant; motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine prædictis earumdem tenore perpetuo erigimus, & instituimus; Ipsique novæ Ecclesiæ sic erectæ, & institutæ pro illius dote, ac d. Capellani stipendio hujusmodi, ac ipsius Ecclesiæ, ejusque Fabricæ, Sacristiæ, supellectilium, luminum, & Altarium manutentione, aliisque illius usibus, & necessitatibus præfata a memorato Livio Duce, sicut præmittitur, assignata, & alia quæcumque bona, proprietates, canones, census, fructus, redditus, & proventus, pecunias, res, actiones, & jura quæcumque tam per Nos, vel Successores nostros Romanos Pontifices, quam

Erectio Ecclesiæ sub titulo S. Gallæ, nec non Cappellaniæ amovibilis

Assignatio Dotis pro Capellano, & Ecclesia.

per d. Livium Ducem, & alias quaslibet personas in futurum quandocumque, & quomodocumque eidem novæ Ecclesiæ, ejusque Fabricæ, & Sacristiæ, etiam per modum eleemosynæ; donanda, assignanda, unienda, offerenda, concedenda, vel relinquenda, itaut liceat pro tempore existenti novæ Ecclesiæ hujusmodi Patrono nomine ejusdem Ecclesiæ per se, vel alium, seu alios per eum pro suo arbitrio deputandos, & amovendos, illorum omnium, & singulorum veram, realem, corporalem, & actualem possessionem, seu quasi possessionem, absque spolii, vel attentatorum vitio, & sine cujuscumque Judicis Decreto, ministerio libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, regere, & administrare, ac illorum fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, & levare, ac in præfatæ novæ Ecclesiæ, ejusque Fabricæ, & Sacristiæ, & non in alios usus, & necessitates convertere, & erogare, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis Diœcesani loci, almæ Urbis Vicarii, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore prædictis itidem perpetuo ex nunc, prout ex tunc postquam donata, assignata, unita, oblata, concessa, & relicta fuerint, & e contra, applicamus, assignamus, concedimus, approbamus, & incorporamus.

Ejus libera [a]dministra[ti]o Patronis [a]ttributa.

Conceffio [Ju]fpatrona[tu]s, & depu[ta]ndi Mini[st]ros ad inftar [Re]gum.

§. 5. Porro præfato Livio Duci quandiu vixerit, & post illius obitum ejus descendentibus, ac hæredibus, & Successoribus quibuscumque ex causa dotationis, & totalis a fundamentis constructionis dictæ novæ Ecclesiæ S. Gallæ ex nunc, prout ex tunc postquam nova Ecclesia hujusmodi ipsius Livii Ducis impensa, ut præfertur, perfecta, & absoluta fuerit, & e contra Juspatronatus ipsius novæ Ecclesiæ S. Gallæ, ac Jus deputandi, & constituendi præfatum Capellanum, aliosque Officiales, & Ministros quoscumque ejusdem novæ Ecclesiæ, eosque sic deputatos, & constitutos, & eorum quemlibet pro mera sua voluntate, arbitrio, nutu, & libitu, ac etiam semota, & seclusa, & non obstante quacumque allegatione odii, & malevolentiæ toties, quoties voluerint amovendi; & alios in locum amotorum deputandi, & constituendi, itaut sic pro tempore deputatis, & constitutis spolium, manutentio, seu quælibet alia actio; defensio, allegatio, vel exceptio adversus amotiones hujusmodi numquam competat, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus harum serie similiter perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus. Decernentes, & declarantes Juspatronatus, & Jus deputandi Capellanum, aliosque Officiales, & Ministros hujusmodi Laicorum, nobilium, & illustrium, ac Principum, & in omnibus, & per omnia ad instar Regum vere existere, ac Livio Duci, aliisque futuris Patronis prædictis non ex privilegio, sed ex vera, reali, & actuali dotatione, ac totali, & integra a fundamentis ædificatione, & constructione novæ Ecclesiæ hujusmodi competere, & ad illos spectare, & pertinere, ac propterea ipsum Juspatronatus, ac deputandi, & constituendi hujusmodi vere Laicorum, seu Laicale nobilium, & illustrium, ac Principum, & adinstar Regum esse, veramque, & propriam, ac non fictam naturam Jurispatronatus, ac deputandi, constituendi, & amovendi laicalem, ac talem essentiam, substantiam, qualitatem, validitatem, & roboris firmitatem, vim, & effectum habere, & obtinere, ac Livio Duci, aliisque futuris Patronis prædictis, & eorum cuilibet in omnibus, & per omnia absque ulla prorsus differentia suffragari debere. Ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis prægnantissimis, & efficacissimis verbis, clausulis, ac irritantibus, aliisque fortioribus Decretis, etiam cum clausula quorum tenores in quacumque dispositione, etiam per viam Legis, & Constitutionis Generalis, ac Regulæ Cancellariæ Apostolicæ, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet, tam per Nos, quam per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, etiam in crastinum cujuscumque eorum assumptionis ad Summi Apostolatus apicem; pro tempore facta, concessa, & emanata nullatenus comprehendi, ac illi nullo unquam tempore etiam ratione cujusvis litis pendentis, vel alio quocumque prætextu, ac ex quavis causa quantumvis urgenti, & legitima etiam per Nos, vel Romanos Pontifices Successores nostros pro tempore, exemptos, ac Sedem Apostolicam, aut illius etiam de Latere Legatos, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu cujusvis intuitu, vel contemplatione; per quascumque Literas Apostolicas, etiam in simili forma Brevis, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias, ac fortiores, & insolitas clausulas, irritantium, & alia contraria Decreta quæcumque continentes, etiam toto, & integro præsentium tenore inserto, ac de Patronorum, seu cujusvis alterius consensu, aut alias quomodolibet derogari posse, vel debere, aut derogatum censeri. Nec per præfatam Capellaniam, cæteraque dictæ novæ Ecclesiæ Officia, & Ministeria quomodolibet nuncupata unquam appellatione Beneficii, vel Officii Ecclesiastici, etiam latissime sumpto vocabulo, comprehendi, vel comprehensa censeri, neque illa, nec ipsam novam Ecclesiam per nos, aut quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem prædictam, illiusque etiam de Latere Legatos, aut nostrum, seu pro tempore existentis Romani Pontificis Vicarium, in Urbe præfata in spiritualibus generalem, aliosque quoslibet quacumque auctoritate fungentes, & functuros, etiam ex quacumque quantumvis pia, & favorabili causa, in perpetuos, & collativos titulos erigi, seu collativa quovis modo effici, & reddi, nec ullo unquam tempore conferri, commendari, aut alias quomodolibet de iis disponi, neque novæ Ecclesiæ, illiusque Fabricæ, Sacristiæ, & Capellaniæ hujusmodi bona, res, jura, fructus, redditus, proventus, & emolumenta quæcumque pro dote alterius Ecclesiæ, seu Beneficii, seu Beneficiorum, vel locorum piorum quorumcumque tam erectorum, quam erigendorum, vel in quosvis alios usus applicari posse. Quidquid autem in contrarium præmissorum per quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, etiam Romanos Pontifices Successores nostros attentari contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & e contra cum omnibus inde secutis, & secuturis irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, & fore, & statum novæ Ecclesiæ, & Capellaniæ, cæterorumque Officiorum, & Ministeriorum eorumdem nequaquam immutare, vel alterare, aut immutasse, vel alterasse, seu titulum, etiam coloratum, aut possessionis causam tribuere, vel tribuisse; sed titulum, & possessionem, cæteraque attentata hujusmodi semper, & quandocumque præsentium auctoritate infecta, ac invalida, infirma, irrita, & nulla existere, & fore, & illis minime obstantibus statum novæ Ecclesiæ, Capellaniæ, Officiorum, & Ministeriorum hujusmodi in omnibus, & per omnia, prout præsentibus disponitur, illæsum, & immutabilem perpetuo permanere, & servari debere, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis, decernimus, declaramus, & pronunciamus.

Uti nec Capellania, & Officia fub nomine Beneficii.

Quod jus nulla de[rog]atione [a]prehen[dat]ur.

§. 6. Cæterum in plena, libera, & omnimoda potestate, meraque facultate d. Livii Ducis, ejusque descendentium, ac hæredum, & successorum quorumcumque d. novæ Ecclesiæ Patronorum

Opus alendi pauperes Patronorum arbitrio permittitur.

norum

norum pro tempore existentium, esse volumus supradictum opus pium excipiendi hospitio, & alendi pauperes mendicos per Urbem vagantes apud eamdem novam Ecclesiam quandiu, & quatenus, ac prout eis libuerit, etiam Vicarii præfati, aut cujuscumque alterius licentia desuper minime requisita, exercere, seu exerceri facere; ita tamen ut opus pium hujusmodi quandocumque eis, eorumve cuilibet placuerit omittere, & relinquere, ab illius exercitio, & continuatione cessare valeant, nec ad illud continuandum, tametsi illud per longum, & longissimum, etiam centum annorum tempus exercuisse, & exerceri curasse reperirentur, a quoquam ullo unquam tempore quomodolibet cogi, vel compelli, aut desuper quovis modo molestari, perturbari, vel inquietari possint.

Clausulæ. §. 7. Decernimus pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod supradicti Clerici Regulares, eorumque Superiores, & Homines, & Officiales d. Universitatis Candelariorum, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, in præmissis, vel eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, & coram præfato Urbis Vicario, alioque quolibet verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, legitima, pia, favorabili, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ac gravissimi præjudicii, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, sive adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu juvare ullo modo posse, neque ipsas præsentes Literas sub quibusvis similium, vel dissimilium confirmationum, abdicationum, erectionum, applicationum, reservationum, aliarumque gratiarum, & dispositionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per præfatum Livium Ducem, cæterosque pro tempore existentes d. novæ Ecclesiæ Patronos, eorumque quemlibet quandocumque eligenda concessas, validasque, & efficaces esse, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & perpetuo suffragari, ac etiam vim validi, efficacis, & jurati contractus inter nos, ac Sedem, & Cameram Apostolicam ex una, ac Livium Ducem, aliosque futuros Patronos præfatos ex altera partibus, etiam ex titulo vere oneroso inviti habere, & obtinere, necnon eosdem Livium Ducem, cæterosque Patronos, vel quosvis alios ad easdem præsentes Literas in toto, vel in aliqua eorum parte in judicio, vel extra illud quavis occasione, & causa exhibendum, probandum, seu verificandum, vel justificandum nullo unquam tempore teneri, nec ad id cogi, vel compelli ullatenus posse, vel debere; quinimo etiamsi ipsæmet præsentes Literæ non exhiberentur, & nusquam apparerent, nec apparere possent, nihilominus illas pro verificatis, ac plenissime probatis, & justificatis haberi.

§. 8. Sicque nostræ mentis, intentionis, & incommutabilis voluntatis fuisse, & esse attestamur, atque ita, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, Urbis prædictæ Vicarios, & d. Cameræ Apostolicæ præsidentes Clericos, Thesaurarium Generalem, cæterosque Officiales, & Ministros, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eisdem, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac de jure quæsito non tollendo, cæterisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quatenus opus sit rec. mem. Pii Papæ IV. prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse d. Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes Literas ibidem præsentari, ac registrari numquam necesse sit, ac piæ mem. Pii V. de creandis censibus, & Greg. XIII. Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum super jure congrui, aliisque Apostolicis, ac Universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Urbis, Domus Regularis, & Congregationis præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, etiam dilectis filiis Populo Romano contra Forenses, & Alienigenas, ac præfatis, aliisque personis, & locis quibuscumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis; & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod ejusmodi Capellaniæ, etiam ad nutum Patronorum, etiam absque ulla causa amovibiles, aliaque Officia Ecclesiastica, & Beneficia Urbis prædictæ nullis, nisi Civibus Romanis, aut Civium Romanorum, Originariorum filiis, & forsan aliis certo inibi expresso modo qualificatis concedi, nullique, nisi Cives Romani, & Civium Romanorum Originariorum filii, & forsan alii prædicti ad illa deputari possint, & alias de illis per Sedem prædictam, ac Patronos pro tempore factæ dispositiones nullæ sint. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac

vice

vice dumtaxat motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine præsentibus specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Aprilis MDCLXXXVI., Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLII.

Confirmantur Literæ Clem. X. super erectione Hospitii de Urbe pro iis, qui ad fidem veniunt, necnon traditur facultas illud transferendi.

Extat Constit. præcedenti erectio Hospitii pro nudis pauperibus, ubi etiam notantur literæ Clement. X. Ab Innoc. XII. quoque erigitur Hospitium Pauperum Invalidorum Constitut. ed. 1693. X. Kalen. Jun. P. 2.

at. 22. Apr. 86. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

rocemium.

SOlicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, nos admonet, ut ovibus, quæ Satanæ versutia a caulis Domini seductæ, per hæresum, errorumque vepreta misere vagantur, ad boni Pastoris ovile reducendis jugiter studeamus, & reductas spiritualibus, temporalibusque favoribus, quantum Nobis ex alto conceditur, confoveamus; ac proinde ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris consimili consilio pie prudenterque instituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, ac illibata persistant Apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter constabilimus, aliaque pro rerum, & temporum qualitate desuper ordinamus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

Dictum ...spitium ...ctum fuit Clem. X. in ...mo Eremi... ...um ad ...rtam An... ...icam.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor Noster Hospitium pro illis, qui per Dei gratiam ab hæresi conversi ad fidem Catholicam sponte veniunt, in Domo Eremitarum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Gratiarum ad Portam Angelicam de Urbe positæ annexa perpetuo erexit, & instituit, ipsumque Hospitium Palatii Apostolici membrum esse, ac illius hospites, & Ministros privilegiis, & prærogativis Familiarium Pontificiorum frui, necnon Hospitium, ejusque bona, ac Hospites, & Ministros hujusmodi per Congregationem particularem Clericorum, & Laicorum regi, & administrari voluit, aliaque disposuit, & ordinavit, prout plenius continetur in ipsius Clementis Prædecessoris Literis sub plumbo desuper expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet -- Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter alia (*Reliqua vide suo loco*) Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1675. Tertio Idus Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

...eces Con...gationis ...ospitii ... ejus ...nslatione ...Palatium ...rd. Gastal... ...n Burgo ...Petri.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum Filiorum Congregationis præfatæ super regimine, & administratione dicti Hospitii, sicut præmittitur institutæ Nobis nuper expositum fuit, bon. me. Hieronymus, dum vixit S. R. E. Cardinalis Gastaldus nuncupatus, qui unus ex dicta Congregatione erat, idem Hospitium ex asse hæredem instituit, & quia propter angustias supradictæ Domus Eremitarum dicto Hospitio, ejusque Hospitibus pro perpetua eorum habitatione, ut præfertur assignatæ, majoremque numerum ejusmodi hæreticorum, qui fidei Catholicæ veritatem amplexi, ad Hospitium ipsum in dies veniunt ampliorem eis habitationem parari debere cognoverat, Palatium suum in Civitate nostra Leonina, sive Burgo Sancti Petri positum illorum habitationi deservire desideraverit: ac proinde dicti Exponentes in executionem piæ mentis ejusdem Hieronymi Cardinalis, capta ejusdem Palatii possessione actuali, partem illius ad formam Hospitio convenientem redegerint, & adaptaverint, cupiantque Hospitium, illiusque Hospites, & Ministros præfatos illuc transferre, & transportare posse: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, & institutionem Hospitii supradicti in præfata Domo Eremitarum a memorato Clemente Prædecessore factas, ut præfertur, expeditasque desuper illius literas præinsertas cum omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, ac dispositionibus, concessionibus, facultatibus, & ordinationibus, aliisque in eis contentis, & expressis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac eisdem Exponentibus, ut ipsi Hospitium præfatum, illiusque Hospites, & Ministros a supradicta Domo Eremitarum in Palatium prædictum transferre, & transportare; Ipsi autem Hospitio postquam sic translatum, & transportatum fuerit, illiusque Hospitibus, Ministris, & personis quibuscumque in eodem Palatio pro tempore degentibus, omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, aliisque gratiis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus per præinsertas Clementis Prædecessoris literas quomodolibet concessis, ut prius, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant respective, salva tamen in suo robore quoad reliqua omnia, & singula remanente earumdem Clementis Prædecessoris literarum dispositione, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Confirmatio Erectionis Hospitii, & literarum Clem. X.

Concessio transferendi Hospitium cum suis juribus, & privilegiis.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat; & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in Literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XXII. Aprilis MDCLXXXVI. Pontificatus nostri anno Decimo.

CLIII.

Statuitur, ut Loca Sancta Palæstinæ a Fratribus Ord. S. Francisci de Observantia, uti prius custodiantur.

Alia privilegia horum Fratrum vide Constitut. edit. 1679., Novemb. 27. P. 4., & Const. ed. 1686., Septemb. 5. P. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 30. Apr. 1686. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Ob-

servantia nuncupatorum, quod cum dudum clar. me. Robertus Rex, & Sancia Regina Siciliæ a tunc existente Suldano Babyloniæ, qui Sepulchrum Domini, & alia Sacra Loca Ultramarina proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata detinebat occupata, obtinuissent, ut Fratres dicti Ordinis intra Ecclesiam ejusdem Sepulchri possent continue commorari, & ibidem Missarum solemnia, & alia Divina officia solemniter celebrare; & jam certi Fratres Ordinis prædicti actualiter essent ibidem, dictusque Suldanus Cœnaculum Domini, & Capellam, in qua Apostolis Spiritus Sanctus apparuit, & aliam Capellam, in qua Christus Beato Thoma præsente, post Resurrectionem suam Apostolis se ostendit; Regi, & Reginæ concessisset eisdem; ipsa vero Regina locum ædificasset in Monte Sion, intra quem Cœnaculum, & dictæ Capellæ sita erant, ubi videlicet Fratres dicti Ordinis sumptibus propriis continue tenere intendebat, ad divinum obsequium in Sepulchro, & aliis prædictis locis Sacratissimis impendendum, ac tres personas Sæculares, etiam, quæ ipsis Fratribus servirent, & necessaria administrarent. Felic. rec. Clemens Papa V. Prædecessor Noster volens eorumdem Regis, & Reginæ votis, & desideriis annuere, Generali, & Terræ laboris Ordinis prædicti Ministris, & cuilibet eorum vocandi, tunc, & in posterum ad eorum præsentiam auctoritate Apostolica ad requisitionem dictorum Regis, & Reginæ, vel alicujus eorum, aut successorum suorum, de consilio Seniorum dicti Ordinis, Fratres idoneos, & devotos de toto Ordine, usque ad certum numerum, de quibus considerata qualitate negotii vidissent expedire, & eos ad serviendum in divinis, tam in Ecclesia dicti Sepulchri Dominici, quam in Sacro Cœnaculo, & Capellis prædictis, habita prius informatione de conditione Fratrum ipsorum, quos vocavissent a Ministris Provincialibus dicti Ordinis; unde Fratres ipsi pro tempore assumerentur, deputandi, eosque ad partes illas destinandi, ac etiam alios ex ipso Ordine, cum aliqui ex eis defecissent, toties, quoties expediret, subrogandi, ac eis dandi licentiam ibidem commorandi: contradictores quoque per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi, plenam, & liberam sub certis modo, & forma tunc expressis, concessit facultatem, & alias prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis 11. Kal. Decembris Pontificatus sui anno primo desuper expeditis uberius dicitur contineri.

A Rege, & Regina Siciliæ tradita fuere Loca Sancta Palæstinæ custodiæ prædictorum Fratrum.

Facultas seligendi dictos Fratres data fuit a Clem. V. Ministris Generali, & Terræ Laboris.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Loca Sancta prædicta subinde a Fratribus dictis quatuor fere sæculorum decursu custodita fuerint; sed Turcæ nuper illos inde ejecerint, & Schismaticos eorum loco introduxerint, qui illa de præsenti detinent occupata. Ipse vero Petrus Marinus Minister Generalis, qui antequam ad Generalatum Ordinis prædicti assumeretur, quinquennii spatio eorumdem Sanctorum Locorum Regimini, & Custodiæ præfuit, in Visitatione Provinciarum Germaniæ, & Hungariæ dicti Ordinis, quam nuper obivit, & in cujus decursu Vexillum Sanctæ Crucis intra limites Conventus sui Ordinis in Oppido Neuheuselæ Christianorum armis è manibus Turcarum fortiter recuperato, reconciliata ejusdem Ordinis Ecclesia ibidem existente cum singulari animi sui gaudio plantavit, cum Principibus Christianis sacro fœdere contra eosdem Turcas sociatis, de præfatis locis Sanctis, & præsertim Sepulchro Dominico ad Custodiam Fratrum dicti Ordinis restituendis omni studio egerit, ipsique Principes ei declaraverint, sibi in animo firmiter fixum esse super præsenti bello cum Turcis prædictis nullo modo pacisci, nisi inter præcipuos articulos reintegratio, atque restitutio eorumdem Fratrum ad pristinam Custodiam Sanctorum Locorum Palæstinæ, & præcipue Sepulchri Dominici omnino stabiliatur. Nobis propterea dictus Petrus Marinus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Expulsio dd. Fratrum post quartum sæculum.

Ministri Gen. opera apud Principes fœderatos contra Turcas pro recuperatione SS. Locorum.

§. 2. Nos igitur laudabilem eorumdem Principum confœderatorum zelum, atque pietatem plurimum in Domino commendantes, eorumque piis votis, & armis paterna charitate benedicentes, ac eumdem Petrum Marinum Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradicta Sancta loca Palæstinæ, sive Terræ Sanctæ, ac præsertim Sanctissimum Domini N. Jesu Christi Sepulchrum, quemadmodum antehac, & usque ad nuperam præfatorum Schismaticorum occupationem, atque usurpationem per Fratres Ordinis præfati ex hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ concessione custodita, recta, & gubernata fuerunt, ita in posterum quoque ab iisdem Fratribus custodiri, regi, & gubernari debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XXX. Aprilis MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Conceduntur Indulgentiæ Perpetuæ Fratribus S. Francisci de Observantia docentibus doctrinam Christianam, ac Christifidelibus eam audientibus, & ad id cooperantibus.

Concessæ fuerunt Indulgentiæ Confraternitatibus Doctrinæ Christianæ à Paulo V. Const. ed. 1607., Octob.

Octob. 6., P. 3. Horum vero Fratrum Indulgentiæ leguntur hujus Pontificis Const. ed. 1670., Jun. 11. Pont. 1. & Const. ed. 1687. Jan. 22. P. 11.

at. 30. Maii 86. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

xordium.

PIetatis, & Christianæ charitatis opera ubique locorum cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Christifideles quoscumque præsertim sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantes, ut ad illa exercenda promptiores reddantur, indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, prout ad Christianam propagandam religionem, & animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire.

ausæ Concessionis.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum inter pia, quæ exercent, opera, etiam pueros, & adultos quoscumque per universum Christianum Orbem Catholicæ fidei rudimenta, & Christianas omnes virtutes accurate doceant: Nos pro nostri pastoralis officii munere hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberiores posthac proventuros speramus, confovere volentes, ut eorumdem fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti Filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura Commissarii Generalis Curiæ pro familia ultramontana dicti ordinis, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & singulis dicti Ordinis Fratribus, & aliis universis Christifidelibus ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem Fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum pueros, & adultos quoscumque doctrinam Christianam juxta Decreta Concilii Tridentini docere, aut eidem dum docetur interesse consueverint, si vere pœnitentes, & confessi, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento die festo ab eisdem Ordinariis in Ecclesiis, in quibus doctrina Christiana docetur, semel in anno designando refecti fuerint, plenariam; nec non ipsis, qui vere similiter pœnitentes, & confessi dictum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen Jesu saltem corde in mortis articulo devote invocaverint plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis, qui pariter vere pœnitentes, & confessi semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, septem annos, & totidem quadragenas, qui vero in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ ad doctrinam Christianam eant, ducentos dies; & qui diebus stationum almæ Urbis Nostræ hanc doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerit, ac etiam illi, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem Indulgentias consequerentur, quas consequerentur, & consequi possent si Ecclesias stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent; easdem etiam Indulgentias Visitatores Scholarum doctrinæ hujusmodi, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt consequantur, si peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint: insuper illis, qui diebus hanc doctrinam Christianam, aut publice, aut privatim, ut præmittitur, explanaverint, centum dies, nec non omnibus, & singulis præceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos, & qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa, septem annos: Omnibus autem, & singulis Patribus, & Matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexus doctrinam Christianam similiter explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies; item iis qui per Civitates, Terras, & alia loca, Viros, Mulieres, aut pueros ad discendam eamdem doctrinam Christianam ducendi causa circumierint, septem annos; ac etiam qui extra Civitates ad illam ut præfertur docendam per Castra, & Villas exeunt, decem annos; omnibus etiam, & singulis Christifidelibus, qui per mediam horam doctrinæ prædictæ, aut docendi causa studuerint, aut eidem doctrinæ interfuerint, centum dies; eisdem etiam, qui doctrinam prædictam docere solent, si Infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut si aliquæ aliæ Indulgentiæ prædictis Fratribus præmissa peragentibus a Nobis, vel prædecessoribus nostris ad tempus nondum elapsum, vel perpetuo duraturæ concessæ fuerint, præsentes nullæ sint; utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii generalis dicti Ordinis subscriptis, & sigillo Ministri Generalis ejusdem Ordinis, vel alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Maii MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

(Left margin notes: eces Commissarii Gen. tram. — Concessio Indulgentiæ plenariæ. — Indulgentia plenaria. — tē annor. totidem dragen. — centorum um. — tionum is. — tum die. — ptem an. um.)

(Right margin notes: Centum dierum. — Septem annorum. — Decem annorum. — Centum dierum. — Ducentorum dierum. — Clausulæ.)

Confirmantur Decreta Congregationum Regul. & Immunitatis pro exemptione Syndicorum Ordinis S. Francisci de Observantia a Foro seculari. CLV.

A Clem. VII. exempti fuere Const. ed. 1526., Apr. 16. Pont. 3.

Dat. 19 Junii 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

ALias pro parte dilecti filii Francisci Mariæ Tagliaferri Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præsertim fel. rec. Nicolaus III., Nicolaus IV., Martinus IV., Martinus V., & Eugenius IV. Prædecessores nostri, ut vera observantia, Regulæque puritas in Ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conservarentur, statuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ordinis assignaretur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas, tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solum in necessitates Fratrum præfatorum

A Romanis Pontificibus institutus fuit Syndicus pro unoquoque Cœnobio.

A Clem. VII. exemptus fuit a foro Sæculari.

applicare deberet. Et subinde rec. mem. Clemens Papa VII. etiam Prædecessor Noster, intuitu laborum, quos ejusmodi Syndici in beneficium dictorum Fratrum quocumque tempore, & quavis occasione assidue sustinebant, eosdem Syndicos a foro sæculari exemerat, volens, ut in causis tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus eorumdem Fratrum Minorum de Observantia de justitia tenerentur, & alias, prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis, desuper in simili forma Brevis die 16. Aprilis 1526. expeditis plenius dicitur contineri. Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujusmodi in aliqua sui parte amplius in usu non esse; alii vero prætenderent, illud Syndicis prædictis ratione eorum Officii tantum, non autem uti talibus personis competere: unde fiebat, ut Fratres prædicti, non sine paupertatis, & Regulæ quam profitentur, suarumque conscientiarum detrimento, neminem amplius reperire possent, qui eorum Syndici, sive Procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellent, ideoque pro parte præfati Francisci Mariæ Procuratoris Generalis dictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut non solum auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud Syndicis, sive Procuratoribus hujusmodi, uti talibus personis competere declararetur; emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta remissione Libelli per Sanctissimum D. Nostrum facta, referente Eminentissimo Norfolche, censuit, danda esse Oratori Decreta alias edita, nempe super præmissis servandam esse præfatam Constitutionem san. mem. Clementis VII., prout præsentis Decreti tenore omnino servari mandat, & præcipit. Romæ 28. Martii 1686. G. Cardinalis Carpineus. B. Panciaticus Secretarius. Porro cum dictus Franciscus Maria Procurator Generalis prænarrata pariter exposuisset Congregationi Venerabilium etiam Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, super immunitate Ecclesiastica, & controversiis Jurisdictionalibus deputatorum: hæc Congregatio censuit, danda esse Decreta anteriora tenoris, qui sequitur videlicet. -- Sacra Congregatio super immunitate, & controversiis Jurisdictionalibus habita sub die 26. Martii 1688. circa exposita in præsenti libello dixit, danda esse Decreta; ut infra die 31. Maii 1639. Fanen. Provincialis Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci, Sacra &c. censuit respondendum Episcopo, ut quoad exemptionem Syndici Fratrum Minorum Observantiæ loci de Cortocetto observare faciat Bullam Clementis VII., si in eo concurrant requisita ejusdem Bullæ die 17. Novembris 1621. Perusina -- Fratres S. Francisci Minorum de Observantia. Sacra &c., censuit servandam esse Bullam Clementis VII. circa privilegium Fori, & exemptiones Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia. Die 4. Augusti 1654. Fanen. Episcopus. An Syndicus Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci gaudere debeat privilegio fori, Sacra &c. censuit, hujusmodi Syndicum gaudere privilegio fori juxta Constitutionem Clementis VII. die 23. Maii 1526. Romana. Pater Commissarius Generalis Curiæ quærit -- An Syndici, & Procuratores Apostolici Conventuum suæ Religionis, gaudeant privilegio fori, etiam in causis, tam civilibus, & mixtis, motis ante institutionem Officiorum virtute Bullæ Clem. fel. rec. Papæ VII. Sacra Congregatio &c. respondit, Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci ex Bulla fel. rec. Clem. VII. gaudere privilegio fori tam in causis civilibus, quam criminalibus, & mixtis etiam motis ante eorum deputationem, seu Institutionem ad Officium Syndicatus die 15. Februarii 1665. Recanaten. An Syndicus Monialium S. Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent Syndici Fratrum Minorum de Observantia. Sacra &c. censuit, hujusmodi Syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem &c. Datum Romæ sub hac die 20. Aprilis 1686. Loco ✠ Sigilli I. Patriarcha Antiochenus Secretarius.

Dubium super ea re natum.

Decretum Congr. Reg. pro executione Constitutionis Clem. VII.

Decreta Congregationis Immunitatis relato simi-lia.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut idem Franciscus Maria Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipsi Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desideret. Nos ipsius Francisci Mariæ Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta, a memoratis Congregationibus Cardinalium respective emanata auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate earumdem respective Congregationum Cardinalium.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Junii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLVI

Conceditur Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani facultas recipiendi eos Franciæ, Alverniæ, & Provinciæ, qui actu hæresim non profiteantur.

De

De facultatibus Magni Magistri vid. Urb. VIII. Const. ed. 1624., Mart. 29., P. 1. & Const. in ea laudatas. Item aliam Alex. VIII. Constit. ed. 1690., Aug. 5., P. 1. ubi agitur de Hospitalis Ærario.

Dilecto Filio Moderno, & pro tempore existenti Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

at. 25. Junii 86. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

pecies facti. NOmine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, quod cum hæresis in Regno Franciæ cura, & studio ipsius Ludovici Regis jam abolita, ac fere omnino extirpata reperiatur, & plurimi, qui illa infecti fuerant, Catholicæ fidei veritatem amplexi sint, spesque optima effulgeat fore, ut cæteri quoque, benedicente Domino, ad Sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ gremium revertantur: Ipse Ludovicus de æterna salute, temporalibusque commodis subditorum suorum Christiana Charitate, Regiaque providentia sollicitus plurimum cupit, illis, ac præsertim nobilibus, suos, suorumque progenitorum errores, & hæreses, post eorum conversionem, non esse impedimento, quo minus in Religione istius Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Christo militare, ac Christianam Religionem, fidemque orthodoxam adversus Infideles, adspirante superni favoris auxilio, tueri, atque propagare, simulque natalium, & meritorum suorum prærogativis, congruentibusque eorum virtuti præmiis, & honoribus frui, & gaudere valeant. Nobis propterea idem Ludovicus Rex humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

eces Ludovici Regis.

§. 1. Nos igitur ad præclara, omnisque humanæ laudis præconium longe supergressa ipsius Ludovici Regis in Ecclesiam Dei, nosque in hanc Sanctam Sedem promerita paternæ dirigentes considerationis intuitum, piaque ejus studia, quantum Nobis ex alto conceditur, adjuvare cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi cum omnibus, & singulis illis, qui intra limites Linguarum Franciæ, ac Alverniæ, & Provinciæ dicti Hospitalis nati ab hæresi ad catholicæ fidei veritatem, Ecclesiæque Catholicæ unitatem jam conversi sunt, & in futurum convertentur, sive etiam quamvis ab initio Catholici, ex progenitoribus tamen hæreticis nati sint, dummodo tamen in eadem fide, & unitate constantes existant; super præterita, & forsan adhuc durante eorum respective parentum, Avorum, aliorumque ascendentium, seu majorum hæresi, indeque contra eos quomodolibet resultante impedimento quocumque, ita ut illo minime obstante, si nullum aliud eis hujusmodi in hoc canonicum obstet impedimentum, ipsique ad id cæteroqui idonei repetiantur, in Fratres milites de Justitia, ac Capellanos Conventuales, & Servientes Armorum, aliosve cujusvis gradus, & Conditionis Religiosos prædictarum Linguarum Franciæ, ac Alverniæ, & Provinciæ, intra quarum limites respective nati fuerint, servatis alias servandis, recipi, & admitti, & sic recepti omnibus, & singulis juribus, prærogativis, præeminentiis, honoribus, privilegiis, gratiis, & Indultis, quibus alii Fratres milites de Justitia, ac Capellani Conventuales, & Servientes Armorum, aliusve cujusvis gradus, & conditionis Religiosi Linguarum hujusmodi, tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet, utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia, ac ad quemcumque effectum, etiam specifica, & in dividua mentione, & expressione dignum, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant respective in omnibus, & per omnia perinde ac si nec ipsi, nec eorum parentes, avi, cæterique ascendentes, seu majores hæresi unquam infecti fuissent, nec ab Ecclesiæ prædictæ unitate unquam recessissent, auctoritate nostra Apostolica opportune dispensandi, eisque concedendi, & indulgendi plenam, & amplam facultatem, eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Concessio prædictæ facultatis.

Clausulæ. §. 2. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon præfatorum Hospitalis, & Linguarum, aliisque quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die XXV. Junii MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLVII. Confirmantur Decreta Ministri Generalis Ord. Fratrum S. Francisci de Observantia a Card. Protectore approbata circa Missionum Seminaria in Hispania, & Indiis Occidentalibus.

Alia Ministri Gen. Decreta pro Indiis Occidental. extant Constit. ed. 1683., Oct. 4. P. 8. De dd verò Seminariis vide Const. ed. 1686. Oct. 16. P. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 28. Junii 1686. An. 10.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ECclesiæ Catholicæ per universum terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, ea, quæ a Superioribus Regularibus ad Christianæ Religionis, fideique Catholicæ propagationem, rectamque Fidelium in Sacra doctrina, & moribus Christianis institutionem, ac etiam Religiosorum Ministrorum in Seminariis ad eum finem instituttis, & instituendis pro tempore degentium felicem directionem, pie prudenterque decreta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro ultramontana familia Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Romana Curia Commissarius Generalis, quod dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis dicti Ordinis per suas patentes literas dilecto pariter filio Antonio Linaz Missionum ejusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus Præfecto directas, diversa decreta, & ordinationes edidit, prout continentur in eisdem patentibus literis, tenoris qui sequitur, videlicet:

In sequentibus patentibus literis Præfecto Missionum Occidentalium directis continentur prædicta Decreta.

§. 2. *Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano Lector jubilatus, Sanctæ Inquisitionis qualificator, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis*

Fratrum Minorum Minister Generalis, & servus &c. Dilectissimo nobis in Christo P. F. Antonio Linaz, Missionum nostri Ordinis in Indiis Occidentalibus auctoritate Apostolica Præfecto Salutem in Domino sempiternam.

Causæ Decretorum.

§. 3. Cum memoria retineamus B. Franciscum inclytum nostri Ordinis Fundatorem Divina revelatione cognovisse, & suos pro aliorum salute vocatos fuisse, juxta illud, quod ei Ecclesia accinit, *Sanctus Franciscus quid faciat instructus non sibi soli vivere, sed aliis proficere vult Dei zelo ductus*, ac insuper cum attenta mente cogitemus, quod ipse Seraphicus Pater anno a sua conversione undecimo, multis cum periculis iter, ut Soldani præsentiam adiret, ferventer aggressus fuit, & quinque observantissimos Fratres ad Miramolimum destinavit, ut ipse Orientis, illi Occidentis Populis salubre Christi prædicantes Evangelium, Mundum quasi totum ad Sanctam Fidem converterent, in qua solicitudine Ordo noster, ut ex quamplurimis Summorum Pontificum diplomatibus apparet, per observantes Missionarios, a suis primordiis, ad usque præsens tempus mirabiliter effulsit; prædicti muneris in Seraphica nostra Religione conservationi, ac præfati exercitii Missionum laudabili incremento consulere desiderantes, consultationibus necessariis præhabitis mature decrevimus tibi præcipere, prout tenore præsentium cum merito salutaris obedientiæ præcipimus, ut tanquam Commissarius ad Infrascripta delegatus, per Provincias in ultramontanis Regnorum, ac Insularum Hispaniæ partibus nostræ obedientiæ subjectas sedulo circumeas, Sanctumque Missionum Ministerium in Civitatibus, locis, & Castellis tibi benevisis de consensu ordinariorum exerceas, ac Religiosos, quos in præfatis Provinciis ad Sacrum Missionum exercitium, & conservationem idoneos repereris, ad illud amplectendum exhortari, monereque cures, & eos, qui Divina inspirante gratia sponte in partes Indiarum ire voluerint charitative recipias, ac ad præfatum laudabile munus nostri nomine destinare solicites, eisdemque per suas literas unum ex Seminariis, seu Collegiis in Hispaniæ, atque Indiarum partibus erectis, & erigendis juxta Statuta a Sanctissimo Dño Nostro Innocentio XI. die 7. Maji 1686. approbata, assignare poteris, ipsique in illud ad morandum statim proficisci teneantur. Et ne in tam Sancto opere meritum obedientiæ desit, omnibus, qui ut præfertur se sponte obtulerint, & sub forma præfata ad aliquod ex Seminariis prædictis fuerint destinati, ad meritum obedientiæ præcipimus, ut præfatum iter, & opus exemplo Discipulorum Christi Domini, juxta prædictorum Statutorum præscriptum, devote exequantur, pro certo sperantes, quod sicut in labore eos imitati fuerint, ita & in præmio eis sociabuntur, per eamdemque obedientiam, ac sub pœnis in memoratis Statutis a Sancta Sede approbatis contentis omnibus nostri Ordinis Fratribus cujuscumque gradus, conditionis, & reformationis sint, præcipimus, ut sub nullo prætextu, specie aut colore, ac sub nulla forma dictos Fratres a te ut præfertur, selectos, & admissos, detineant, retrahant, seu impediant, sed potius eos statim licentient, & in Seminaria abire permittant, pro quo tam euntibus, quam permittentibus, suadentibus, aut cooperantibus Sancti Patris nostri benedictionem libentissime ex nunc, & pro tunc impartimur. Tuam tamen conscientiam oneramus, ad hoc, ut solicitam curam adhibeas, ne Religiosi incapaces, parum idonei, vel in moribus apud suas Provincias male audientes ad tam Sanctum opus assumantur, sic enim animarum saluti consuletur, & Fidelibus, ac Infidelibus scandalorum occasio non subministrabitur. Et ne præfati Fratres a te selecti dum tecum in itinere, ac extra Collegia Missionariorum in exercitio Missionum morati fuerint, absque Pastore remaneant, tibi præcipimus, ut eis præsis, illisque per obedientiam injungimus, ut tibi tanquam suo vero, ac legitimo Prælato delegato in omnibus, & per omnia, ac eo modo, quo Nobis obtemperarent, si præsentes essemus, pareant, & obediant. Præterea tibi facultatem transmittendi in proprias Provincias Religiosos illos tam receptos, & in aliquo Collegio nondum incorporatos, quos inhabiles, vel minus idoneos ad Missionum munus peragendum recognoveris, & recipiendi alios loco illorum, præmemoratis Statutis inhærendo, & eorum observantiam commendando plenarie impartimur. Et si aliquis e sociis tuis, vel e Missionariis Missionum exercitio vacantibus in infirmitatem extra Collegium ceciderit, ac in aliquo ex Conventibus nostræ obedientiæ subjectis demorari contigerit, prædicti Conventus Superior, ac cæteri Religiosi illum usque ad perfectam valetudinem curare, & ei juxta regulam inservire omnino sint adstricti.

De Missionariis.

De Delegatis, Subdelegatis, & aliis.

§. 4. Insuper tibi permittimus, quodsi propter magnam distantiam, aut aliquam aliam causam ad aliquas ex prælibatis Ultramontanis, & Indianis Provinciis personaliter ire non potueris, auctoritatem ad omnia illa peragenda, quæ immediate faceres, si præsentialiter adesses, alicui, vel aliquibus e Sociis tuis, aut alteri e nostri Ordinis Missionariis cum superioritate, & facultatibus tibi in præsentibus literis concessis in omnibus, & per omnia subdelegare, ac communicare valeas: ille autem, vel illi alteri subdelegare nullatenus poterunt. Quo vero ad facultates volumus, & tenore præsentium concedimus, quod tu, & Fratres prædicti, qui ad præfatam subdelegationem in præmemoratis Hispaniæ, & Indiarum Provinciis assumpti fuerint, eadem absolvendi, dispensandi, commutandi &c. auctoritate, & facultate super Fratres, Moniales, & Sæculares in foro conscientiæ gaudeant, qua Minister Generalis, si ibi esset, uti, ac frui valeret: utque prædictæ auctoritates, & facultates effectu non careant, omnibus, & singulis utriusque sexus personis in præfatis Provinciis obedientiæ nostræ subjectis, cujuscumque gradus, dignitatis, ac superioritatis sint per sanctam obedientiam, ac sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrenda, necnon privationis vocis activæ, & passivæ per triennium præcipimus, & mandamus, ut se, & Socios tuos sub forma prædicta subdelegatos tuis desideriis cooperantes in suis locis, Conventibus, Capellis, Oratoriis, & Ecclesiis, quoties pro privata, secreta, ac fraternali collatione, vel pro publica a vobis facienda prædicatione, confessionibusque de licentia Ordinariorum audiendis, quolibet vestrum requisiti fuerint, benigne, & charitative, ac sine ulla repugnantia recipiant: Etsi pro alicujus Monialis infirmæ, seu in articulo mortis constitutæ Sacramentali solatio, aut ad moriendum in Domino Religiosa assistentia in aliquod Monasterium ingredi necessarium fuerit, supradicta Jurisdictio Spiritualis, etiam pro his casibus concessa, ac præstita intelligatur. Quando vero ad aliquod ex Missionariorum Seminariis, seu Collegiis in Indiarum, & Ultramontanæ familiæ partibus hucusque erectis, & in posterum erigendis, seu fundandis accesseris, ac dum in illo cum Sociis præfatis moratus fueris, seu ipsi Socii Subdelegati inibi separatam moram trahant, sola auctoritate, & facultatibus ad Sacramentale forum spectantibus vos frui posse decernimus, & omni alia Jurisdictione alterius Prælaturæ titulo non obtenta, spoliatos declaramus; Ex hoc tamen effectum literarum patentium, & commissionum, quas antea dederis, non suspendimus, imo illum sortiri per-

optamus,

optamus, & sub pœnis prædictis stricte præcipimus, tibi, ac Sociis tuis, cæterisque subdelegatis simul injungentes, ut licet de familia dicti Collegii non sitis, illius Guardiano juxta præscriptum prædictorum Statutorum a S. Sede, ut præfertur approbatorum in omnibus, quæ ad Hospites, & Moratores respective spectare dignoscuntur, inviolabiliter pareatis, & obediatis: Idque ipsum in aliis Ordinis Conventibus in signum reverentiæ faciatis, quando in damnum exercitii Missionum non vergat, seu cum illo incompatibile fuerit. Cæterum quando e Seminario, seu Collegio, in quo de familia, seu hospes fueris exire decreveris, Socios, ac Missionarios, quos ad præfatum Missionum munus in illis partibus Infidelium, in quas eos necessarios judicaveris, & magis idoneos credideris, spontanea illorum voluntate ad id requisita præcedente, de consilio Discretorii Seminarii prædicti seligere, ac tecum ferre licite valebis. Si autem Guardianus cum majori parte Discretorii tibi, quoad hoc contradixerint, Superiorem Generalem, sub cujus Jurisdictione præfatum Seminarium fuerit, certiorem facies, ac habito illius consensu, & non aliter, nisi prius ad id legitimam obtinuisses delegationem, Guardianus, & Discreti tuis votis acquiescere teneantur, etenim nulla ratio suadet, quod ille, qui Commissarius Missionum fuerit, electionem operariorum juxta locorum & Terrarum Infidelium necessitatem facere non possit. Post præfatum exitum vero, & quando per prædictos Hispaniæ, & Indiarum Provincias de novo circumeas, vel quoties, ut sepradictum est, alios Fratres ad quærendum alios Missionarios, seu aliqua Collegia Missionum erigenda mittas, aut personaliter eas, te, & dictos Fratres memorata superioritate, & facultatibus supradictis uti, ac frui posse, æque, ac ut supra stabilitum manet, sancimus, & declaramus. Eisdemque vos, & omnes alios nostri Ordinis Concionatores, & Confessarios, in præfatis Missionum Collegiis tam erectis, quam erigendis incorporatos, gaudere debere decernimus, Sancto Missionum operi, ac laudabili muneri ipsos in Terris tam Fidelium, quam Infidelium vacare, seu in præfatis Collegiis applicatos esse contigerit. Nullusque memoratorum Collegiorum Guardianus sub aliquo prætextu tuum exitum e Conventu, seu Collegio, aut egressum e loco, in quo Collegium fuerit, impedire præsumat, nec Socium gratum a te, tenore præsentium eligendum, & quoties opportunum fuerit mutandum, in aliis exercitiis occupare audeat; Sed statim ac ab ipso benedictionem petas, te cum prædicto Socio licentiare teneatur, ut sic tuum munus tam in Terris Fidelium, quam Infidelium, & in omni eventu, ac necessitate facilius, & convenientius exequi valeas; Si enim Fratres, qui Terræ Sanctæ, ac quæstuationi pro illa applicati sunt, hac independentia a Superioribus locorum fruuntur, illa potiori jure, Commissarius Missionum Infidelium conversioni, ac Animarum lucro totis viribus deditus frui, potiri, & gaudere debet.

De Seminariis erigendis.

§. 5. Præterea, ut melius Infidelium conversioni, & omnium Animarum saluti salubrius in prædictis ultramontanæ Familiæ, & Indiarum Provinciis pro nunc, & in posterum provideatur, volumus; & tenore præsentium sancimus, ut in qualibet ex dictis Provinciis, ubi aliquod Seminarium, seu Collegium Missionariorum nostri Ordinis auctoritate Sacræ Congregationis de Propaganda fide non fuerit erectum, aut approbatum, nec erigi, aut fundari permittatur in futurum; unus ex Conventibus jam fundatis in Collegium, & Seminarium pro Missionariis nostri Ordinis educandis, erigatur, ac eo modo, & sub illa forma dicta Collegia in dictis Provinciis jam erecta, & in posterum erigenda gubernari, quoad omnia, quæ dictæ Sacræ Congregationis auctoritatem non respiciunt, semper teneantur, sub qua in Statutis prædictis a Sanctitate D. Nostri præfata die 7. Maji approbatis regi, ac gubernari præcipimus; prædicti autem Conventus ad tam laudabilem finem destinandi de numero Recollectorum esse possint, & debeant, si aliqua ineluctabilis ratio aliud non suadeat, quod judicio, & arbitrio Superiorum Generalium illarum partium; qui de præsenti sunt, & pro tempore fuerint committere censuimus, eisdem sub S. P. N. Francisci indignatione, & pœnis ab Eminentissimo Protectore, & ejus Successoribus pro suo arbitrio infligendis simul præcipientes, ut quando a te, vel ab eo alio Religioso a te destinato, requisiti fuerint, Conventum ad dictam Missionariorum educationem in qualibet Provincia assignent, & ultra quatuor menses a die requisitionis numerandos, dictam assignationem protrahere, seu suspendere non præsumant, nec audeant; & si secus fecerint illius S. P. N. Francisci sententiæ memores sint, in qua suæ, & totius cælestis Curiæ maledictionis pœnam illis imponit, qui confundunt, ac destruunt, quod Altissimus per Sanctos Fratres hujus Ordinis ædificavit, & ædificare non cessat. Te autem in Domino exhortamur, ut per te ipsum, aliosque ad id idoneos Missionarios, seu probos, ac Sanctitate morum pollentes Religiosos a te sobrie eligendos, præfatis erectionibus, tam in Hispaniæ, quam Indiarum omnium Regi Catholico subjectarum partibus ardenter invigiles, illarumque executioni, promotioni, & stabilimento sedulo vaces, atque Deo, & Ordini nostro in opere adeo Sancto inservire nunquam cesses. Ad quod te, & Socios tuos, ac omnes alios Religiosos a te destinandos, qui prælibatis erectionibus operam sponte dederint, Superioribus generalibus, & particularibus illarum Provinciarum, in quibus memoratæ erectiones faciendæ sint, enixe commendamus, earumdemque Provinciarum consensum, quatenus opus sit, vestigiis nostri prædecessoris inhærentes, qui illum pro erectionibus tempore sui generalatus factis, & dispositis supplevit, per præsentes pro nunc, & in posterum auctoritate Ministri Generalis, qua fungimur juridice, ac legitime supplemus, & ab illis peti, & expectari non debere declaramus. Insuperque te, ac dictos Fratres Principibus Christianis, præcipue Regi Catholico, ejusdemque Majestatis Consiliariis submisse, ac reverenter commendamus, sperantes, quod in Tribunali tantæ pietatis, nihil utilius, ac magis expediens creditur quam hoc inceptum ad finem Regia protectione perducere, ut tot bene instructis ac educatis operariis existentibus, aditus, & ingressus in Indiarum, aliorumque Infidelium partes, illis tantum conferatur, & quærentibus, quæ sua sunt (quod Deus avertat) & non Jesu Christi, omnino denegetur. Postquam vero septem Seminaria sub forma prædicta erecta fuerint, ac Missionibus in Hispaniæ Provinciis applicata reperiantur; harum vigore sancimus, quod transitus in Indiarum Missiones omnibus Religiosis Provinciarum Hispaniæ, qui prius per duos annos, vel aliud spatium a nostro Indiarum Commissario Generali Matriti existente assignandum, augendum, vel minuendum, in aliquo ex prædictis Seminariis, seu Collegiis suæ religiositatis, idoneitatis, ac vocationis testimonium, & indicia non dederint, accedente consensu, & placitis necessariis omnino interdicatur: hac enim providentia Provinciarum in Indiis existentium reformationi, si illa indigent, consuletur, & Fidelium tam in illis, quam Hispaniæ partibus ædificationi, Infidelium conversioni, omnium Animarum saluti, & nostræ regulæ observantiæ puriori; ac totius Ecclesiæ decori maximopere inservietur; & tot Seminariorum numerus in

Hispaniæ Provinciis superfluus, aut sine fine Deo gratissimo non reputabitur.

De Delegatis, Commissariis, & aliis.

§. 6. Cæterum quia tui corporis vires ad adeo immensum laborem non sufficient, ideo præsentium tenore decernimus, quod te cum P.N. Francisco Salmezone Seminarii de Sahagura erectore, ac zelantissimo per totam Hispaniam Missionario Concionatore fraternaliter conjungas, teque præfatum P. Salmezonem, Commissarios nostros delegatos ad dictarum erectionum effectum consequendum, cum omnimoda independentia unius in dimidia parte Provinciarum Hispaniæ, ab alio in altera dimidia juxta repartitionem inter vos prius concordandam, instituimus, & pronunciamus, ac vobis, & Sociis vestris, aliisque probis Religiosis, qui de consensu vestro prædictis erectionibus operam dare voluerint, eorum curam, & solicitudinem enixe commendamus. Et ne prædictus Pater Salmezon, ejusque Socii, ac alii Fratres, qui eum in opera adeo sancta sequi voluerint, debita auctoritate, facultatibus, & Superioritate necessaria careant, eos omnibus gratiis, facultatibus, Superioritatibus, & privilegiis respective, tibi, sociisque tuis, ac aliis te sequi eligentibus, tenore præsentium concessis, æque, ac pariformiter, respective tamen uti, & frui posse, ac debere volumus, & declaramus. Tibi autem in Indiarum Occidentalium rebus, ac necessitatibus experto facultatem facimus, ut ex concionatoribus Missionariis in Provinciis Peruanis existentibus, unum, qui tibi magis idoneus appareat, nomine nostro eligas, qui in præfatis Provinciis commissario Generali illarum Partium subjectis, prædictis erectionibus invigilet, & ibi Commissarius Missionum sit, & appelletur, aliumque existentibus in Provinciis novæ Hispaniæ, ac Philippinarum ad eumdem effectum, & cum eodem titulo pro illis partibus, dum ad illas non perveneris, nominare poteris, & si necesse fuerit, quod distinctus ad Provincias Philippinas destinetur, alium pro illis destinare valebis. Prædicti autem Missionum Commissarii a te eligendi eadem auctoritate, & superioritate, ac similibus facultatibus, tam pro erectionibus, quam pro exercendis Missionibus, & quærendis ad illas Religiosis potiri, & frui poterunt, quibus tuarum tenore uti, frui, ac potiri vales, quæ tibi pro eisdem partibus etiam deservient, & nunquam, nisi per Apostolicam Sedem aliud fuerit determinatum sub ullo prætextu finientur. Eademque duratione præfata auctoritas, superioritas, & facultates P. Francisco Salmezoni concessæ durabunt, nisi etiam aliter per eandem S. Sedem fuerit stabilitum. Unicuique autem vestrum præcipimus, ut tam pro Seminariis erectis, ac erigendis quam pro exercitio Missionum in Indiarum partibus erigendo idoneos tantum Religiosos admittatis, & quando in easdem partes transire vobis opportunum visum fuerit, illuc tenore præsentium vos conferre poteritis. Te vero vel præfato P. Salmezone decedente, aut uno, vel altero in Indias transeunte, & dum Commissarii Missionum, quos in Indiarum Regnis, & Provinciis, ut præfertur, elegeris prædictum munus per septennium exercuerint, alii vestro, & illorum loco a Superioribus Generalibus illarum partium respective, qui pro tempore fuerint eligantur, in eorum tamen electione illa forma servari debeat, quæ pro electione cujuslibet Guardiani Seminariorum stabilitur: utque æqualitas honoris a præfato Commissariatu provenientis omnibus Seminariis impartiatur, primus Commissarius pro qualibet provinciarum parte, cui unum supra concessimus a Seminario in illa parte primo erecto assumetur: secundus a secundo, & sic de reliquis usque ad ultimum, qui ordo iterum incipiendo semper servetur, nisi aliud Superiori Generali Provinciarum, illius partis, de assensu majoris partis Guardianorum Collegiorum d. Commissariatus, magis expediens pro prosperiori Missionum augmento visum fuerit, unde cuilibet Collegio, seu Seminario unus Commissariatus per Septennium integrum duraturus concedi debebit, etiamsi primo electus e vita migret, aut servata eadem forma, quæ pro depositione, & privatione Guardianorum in Seminariis observetur, & non aliter, officio privetur, seu ex alio capite inhabilis reddatur, aut ad munus incompatibile, quale erit Grardianatus, & Provincialatus officium aliquando assumatur; in iis enim casibus alius ejusdem Seminarii Missionarius Concionator juxta primæ electionis formam ad Missionum Commissariatum promoveatur. Commissarii præd. in omnibus sui Commissariatus Collegiis primum locum habeant post Guardianum, & dum intra claustra cujuslibet fuerint eorum Discreti per tempus sui Commissariatus ultra nominatos in Collegiorum Statutis, ut præfertur approbatis, legitime erunt, nunquam tamen titulum generalem usurpent, aut Commissarii Generalis Missionum appellari valeant; nec minus ulla jurisdictione, auctoritate, aut facultate, ultra id, quod eis supra concessum manet, uti, aut gaudere præsumant, aut gubernium regulare Collegiorum perturbare audeant: ad solosque Guardianos spectabit Novitios recipere, Fratres ad prædicandum, & audiendas Sæcularium Confessiones, locorum Ordinariis præsentare, & numerum Missionariorum, aliorumque Fratrum servatis, juxta statuta servandis, augere, vel minuere, quæ omnia a dictis Guardianis fiant, quin forma in dictis statutis a Sancta Sede approbatis aliqualiter violetur, Prædicatorum vero, ac Confessariorum, tam Fratrum, quam Monialium, & Sæcularium prima institutio, necnon Clericorum, seu Choristarum ad Ordines recipiendos destinatio, ad solos Superiores Generales illarum partium, in quibus Seminaria fuerint spectabit; ii autem nullum instituant, promoveant, seu destinent, nisi habito prius consilio, & assensu in scriptis post exactum examen, & non aliter conferendo majoris partis Discretorii illius Seminarii in quo moram trahat examinandus: at præfato consensu interveniente, Superior Ceneralis suas literas statim expedire tenebitur, ne Seminaria ob ejus culpabilem moram, operariis necessariis privata remaneant, sed conserventur. Si aliquando contingat, quod aliquis Religiosus, qui officio Diffinitoris Generalis, Commissarii Generalis Curiæ, Procuratoris Generalis Ordinis, Commissarii Generalis Familiæ, Ministri Generalis, seu Vicarii, aut Vice-Commissarii Generalis functus fuerit, ad aliquod ex d. Seminariis, seu Collegiis transeat, & ibi Missionum exercitio vacare desideret statim a Guardiano, & Discretis recipiatur; cæterum ne propria Provincia, aut Ultramontana familia, seu totus Ordo viris in Gubernio adeo expertis omnino privetur, dictus Pater, etiamsi in Collegio, seu Seminario de Familia vivat, suffragia, subrogationes, præeminentias, & privilegia sibi tam in propria Provincia, quam in Familia Ultramontana, & Ordine toto juxta statuta debita non amittat, illisque eo modo frui poterit, ac si a propria Provincia non exivisset; sic enim Missionum exercitium Viris magnæ auctoritatis, & experientiæ honorabitur, quin aliquod detrimentum in eorum defectu, seu separatione Religio patiatur.

De Solicitoribus Tertii Ordinis.

§. 7. Et quia dum decori Primi Ordinis S.P.N. Francisci, ac solatio, & spiritualibus indigentiis Secundi per præsentes literas consuluimus, Tertii Ordinis de Pœnitentia eidem Sancto Fundatori valde amabilis oblivisci non debemus, ut præfatus de Pœnitentia Venerabilis Ordo a S.P.N. Francisco pro Personis utriusque sexus in sæculo viventibus institutus, & a fel. rec.

Clemente

Clemente VII., ac Paulo III. in tres status sub una, eademque Tertii Ordinis appellatione, atque eorundem privilegiorum, gratiarum, concessionum, Indulgentiarum, & favorum communicatione, ac solum sub diversis Statutis secundum cujuslibet status exigentiam, divisus, magis in dies augeatur, & illi Sancti, qui ut ab eodem Paulo in suo Brevi *Trium Statuum* incipiente refertur pro Sanctis dicti Ordinis recensentur, sequacibus in Indiarum, & totius Orbis Christiani partibus non careant, ac ut exemplo Personarum sub regula præfati Ordinis viventium fidelium mores reformentur, virtute Constitutionum Apostolicarum a Sanctitate Alexandri VIII. in quibusdam literis *Exponi Nobis* incipientibus die 28. Julii 1657. datis approbatarum, quas prædictus Pontifex una cum Ordinis Statutis observari præcepit, prædictos Missionum Commissarios, & Seminariorum Guardianos, ac alios Missionarios ab ipsis destinandos augmenti dicti Ordinis solicitatores instituimus, eisque recipiendi fideles ad hunc Ordinem Tertium, illiusque professionem, & exactissimam Regulæ juxta præmissa Statuta, ac Ordinis Constitutiones in speculo Seraphico contentas, & explicatas, sequelam, & observantiam, omnimodam facultatem impartimur; ipsæque utriusque sexus personæ ad statum sibi in dicto Ordine Tertio correspondentem sub forma præmissa admissæ cunctis gratiis, Indulgentiis, & Concessionibus d. Ordini Tertio a Sancta Sede, ut præfertur factis, & elargitis æque frui poterunt, ac illis personæ aliæ dicti Ordinis uti, ac potiri valent, & consueverunt. Ulterius tam ipsius Tertii Ordinis, quam aliis utriusque sexus nostræ obedientiæ, seu directioni subjectis Personis intra, & extra Seminaria præfata degentibus in Domino suademus, ut viæ Crucis gressus, & devotam illorum gressuum meditationem, more solito, frequentent, atque ante, vel post cujuslibet meditationis morulam consuetæ Sanctissimi Sacramenti Stationis orationes recitent, ut Indulgentias, quæ a Sancta Sede revocatæ non fuerint, media hac diligentiarum commutatione, juxta Summorum Pontificum concessiones secure lucrari valeant, & possint.

Admonitio. §. 8. Postremo omnibus Missionum Commissariis, ac Collegiorum Fratribus tam Subditis, quam Superioribus stricte injungimus, ut in omnibus se Dei Ministros, Discipulorum Domini Sectatores, observantiæ Sanctæ Alumnos, Sanctorum Ordinis imitatores, & S. P. N. Francisci eximii ardoris filios perenniter ostendant, & usui pauperrimo rerum indispensabiliter mancipent, utque illorum librorum usu sint contenti, quos secum in Missiones portare necessarium, & inevitabile judicaverint, si autem alios a benefactoribus receperint, eos Bibliothecis Collegiorum statim donent, imo ad hunc tantum finem donationem prædictam acceptare poterunt: Et si contingat, quod opera alicujus Missionarii benefactorum eleemosynis typis dentur, Religiosus, qui eas (ut licet) medio Syndico, & de licentia Superiorum, pro hac necessitate determinata præstanda, perceperit, & impressionis indigentiis applicaverit, neutiquam sibi exemplarium repartitionem, & librorum donationem reservet, sed id de illis fiat, quod Discretorio Collegii utilius, ac religiosius apparuerit, semper tamen benefactores, & amici spirituales præferantur, qui digni ab Authore, seu solicitatore Impressionis declarati fuerint.

Facultates Commissarii Gen. Ultram. §. 9. Et ne præsentes literæ ad maturæ determinationis ob aliquos, sive auctoritatis ad decernendum in perpetuum, sive alterius rationis defectus necessaria firmitate careant, earumdem tenore, facultatem procurandi tam apud Eminentiss. D. Nostrum Protectorem, quam apud S. Sedem necessarias confirmationes, & roborationes opportunas, ac perpetuam manutentionem P. Francisco Diaz a S. Bonaventura hujus Curiæ Commissario Generali plenarie impertimur, ipsique dictarum erectionum promotionem, & Missionum negotia in hac Curia tractanda; cum facultatibus necessariis committimus; & licentiam ad postulandas in Sacra Congregatione de Propaganda fide Missionum pro memoratis Commissariis Præfecturas, & omnia illa agenda, quæ pro tam sancto opere perficiendo necessaria fuerint libenter concedimus, & elargimur. Harumque literarum observantiam omnibus ad quos spectat, cum salutaris obedientiæ merito commendamus, & ipsis S. P. N. Francisci benedictionem benigne impartimur. Ex hoc nostro Aracælitano Conventu die 11. Maii 1686. Fr. Petrus Marinus Minister Generalis. D. M. Rmi Patris Fr. Joseph a Leone Secr. Generalis Ordinis.

§. 10. Et subinde Ven. Fr. Noster Alderanus Episcopus Portuen. S. R. E. Card. Cybo nuncupatus, Ordinis præfati apud nos, & Sedem Apostolicam Protector dictas patentes literas, earumque præinsertam dispositionem approbavit, & confirmavit per suum Decretum tenoris sequentis, videl. *Alderanus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardin. Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector &c. retroscriptas literas patentes P. Ministri Generalis, earumque præinsertam dispositionem tenore præsentium approbamus, & confirmamus, suumque effectum sortiri præcipimus, & mandamus sub pœnis in Statutis generalibus contra Rebelles præscriptis. Romæ 13. Maij 1686. A Card. Cybo Protector. Jo. Baptista Rusca &c.* Decretum Card. Protectoris.

§. 11. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Franciscus Commissarius Generalis præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsius Francisci Commissarii Generalis votis hac in re quantum cum D. possumus, benigne annuentes, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas præfati Petri Marini Ministri Generalis patentes literas a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore approbatas, & confirmatas, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulis Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Preces Commissarii Gen. Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ. §. 12. Decernentes easdem præsentes, & præinsertas patentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit d. Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quo-

que, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die XXVIII. Junii MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLVIII. Prohibetur Monachos Congregationis Fuliensis ad aliam Religionem transire sine Superiorum licentia.

Constitutiones hic laudatæ sunt Sixti V. Constitut. ed. 1586., Maii 5. P. 2. Const. ed. 1587. Nov. 14. P. 3. Clem. VIII. Const. ed. 1592. Septem. 4. P. 1. Constit. ed. 1599. Febr. 9. P. 8. Constit. ed. 1604. Mar. 17. P. 13. Pauli V. Constit. ed. 1606. Jul. 9. P. 2. Const. ed. 1606. Oct. 10. P. 2.

Dat. 5. Aug. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Monachorum Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis Ord. Cistercien., quod dudum fe. rec. Sixtus V. Clemens VIII., & Paulus V. Romani Pontifices Prædecessores nostri dictam Congregationem Fuliensem, quæ in Regno Galliæ stabilita, & per Galliam, & Italiam plurimum fuit dilatata, approbaverunt, & confirmaverunt, variisque gratiis, & privilegiis exornarunt, illo in primis, quo a præfatis Clemente, & Paulo Prædecessoribus in virtute sanctæ obedientiæ prohibetur omnibus hujus Congregationis Monachis ne ad Ordinem Cistercien. possint transire, alioque privilegio Congregationi Monachorum S. Bernardi in Hispania concesso, & Fuliensibus Monachis per Sixtum, & Clementem Prædecessores prædictos communicato quo dictis Monachis prohibetur sub excommunicationis latæ Sententiæ pœna, ne sine Superioris Generalis petita, & non obtenta licentia, e Monasterio exire possint, etiamsi ad quemcumque alium Ordinem, vel locum, seu quodcumque aliud Monasterium ejusdem, vel alterius cujuscumque Ordinis transire velint. Et licet ab illo tempore divina favente gratia, eadem Congregatio Fuliensis multum profecerit, plurimaque habeat Monasteria in quibus Monachi cum summa populorum ædificatione Altissimo famulantur in vigiliis, orationibus, abstinentiis, & jejuniis multis, juxta primævum suæ Congregationis Institutum; nihilominus quidam ex illa Monachi professi, quo spiritu ducti, nescitur, prætextu tamen arctioris vitæ ducendæ, ad Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe nuncupat. dicti Ordinis Cisterciensis Sagun. Diœcesis, non obtenta suorum Superiorum licentia, se transferre satagunt, & cum effectu se transferunt, sicut de facto, Mense Octobri proxime elapsi adhoc Beatæ Mariæ de la Trappe Monasterium dilectus filius Jacobus Mauclere dictus a Sancto Gabriele Monachus expresse professus dictæ Congregationis Fuliensis, non obtenta a Superiore Generali licentia, se transtulit, sibique de præsenti perseverat, non obstante sui Superioris Generalis Mandato, quo ei sub obedientiæ præcepto injunctum fuit, ut quamprimum ad suæ stabilitatis Monasterium rediret: quod quidem in grave Congregationis fit præjudicium, & aliorum scandalum, cum exinde furtivæ egressiones, devastationes, seu obedientiæ neglectus, & in regulari proposito instabilitas maxime possint exoriri. Quare præfatus Procurator Generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis de opportuno remedio providere, & consequenter, quod Monachi dictæ Congregationnis Fuliensis expresse professi ad quemcumque alium Ordinem, etiam Carthusianorum, & præsertim ad dictum Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe Ordinis Cistercien., animo se se ibidem associandi, seu incorporandi sine expressa Superioris Generalis dictæ Congregationis licentia nullo modo transire possint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tam pro receptis, quam pro recipientibus, declarare, & statuere, ac specialiter, ut præfatus Jacobus Mauclere dictus a S. Gabriele ad redeundum ad propriam Congregationem, in qua a duobus vix annis ætatis suæ circiter decimo septimo anno professionem emisit regularem per censuras Ecclesiasticas compellatur, ordinare de benignitate Apostolica dignaremur.

Dicta prohibitio a Clem. VIII., & Paulo V. antea facta fuit.

Quorundam inobedientia.

Preces Procuratoris Gen. pro opportuno remedio.

§. 1. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis petitam prohibitionem juxta formam literarum Apostolicarum super consimili negotio pro Congregatione S. Mauri Monachorum Ordinis S. Benedicti, alias in simili forma Brevis expeditarum, præfatæ Congregationi Fuliensi auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus; præfatum vero Jacobum Mauclere ad redeundum ad primum Monasterium ejusdem Congregationis Fuliensis per censuras Ecclesiasticas compellendum esse, eadem auctoritate decernimus, & ordinamus.

Prohibitio prædicta ad instar illius Monachorum S. Mauri.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis literis ad favorem dictæ Congregationis S. Mauri emanatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ

ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die V. Augusti MDCLXXXVI. Pontificatus nostri anno Decimo.

CLIX. Confirmantur quædam Decreta Capituli Intermedii Fratrum B. Jo. Dei Regnorum Hispaniæ, & Indiarum.

Extat revocatio cujusdam Decr. Capituli Urb. VIII. Const. ed. 1628. Apr. 18. P. 5., & Alex. VIII. Const. ed. 1690. Octob. 7. P. 1. confirmatio Decreti Card. Protector. de Sede Generalis, & Convocatione Capituli.

Dat. 17. Aug. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere peculiarem Christifidelium, qui e fluctibus Sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesia Dei assidue proferre satagunt, solicitudinem gerentes, illis, quæ pro felici, prosperoque eorum regimine, & gubernio provide, prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, libenter adjungimus firmitatem.

Decreta prædicta in Capitulo Intermedio an. 1683. edita.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Emmanuel de Herrera Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beati Joannis Dei Regnorum Hispaniæ, & Indiarum, quod cum per Constitutiones dicti Ordinis a fe. record. Urbano PP. VIII. Prædecessore nostro confirmatas Cap. CII. Capitulis Generalibus, & intermediis ipsius Ordinis Constitutiones ipsas mutandi, vel declarandi, novasque etiam adjungendi, prout recti gubernii ratio exegerit, facultas tribuatur: Ideo in Capitulo intermedio Ordinis prædicti, quod die 3. Maji 1683. celebratum fuit pro felici, prosperoque Ordinis hujusmodi regimine, & gubernio facta fuerunt nonnulla acta, & Decreta, tenoris qui sequitur, videlicet -- Acta, & Decreta, quæ Religio B. Joannis Dei Regnorum Hispaniæ, & Indiarum fecit, & ordinavit ad melius ejus regimen in Capitulo intermedio celebrato die 3. Maji præsentis anni 1683. in Hospitali Beatæ Virginis Amoris Dei Curiæ Matriten. videlicet.

I.

De Ærario, & Arca pecuniarum.

In primis quia dicta Religio habet Ærarium, & Arcam trium Clavium, quæ sunt in potestate P. Generalis, & suorum duorum Assistentium ubi apponuntur, & conservantur omnes quantitates pecuniarum, quæ acquiruntur pro Canonizatione N. Patris Beati Joannis Dei dictæ Religionis Fundatoris, & aliorum Servorum Dei, qui fuerunt in ea Religione, ac etiam legitimæ, & spolia Religiosorum cum quantitatibus, quas Provinciæ Indiarum mittunt in Hispaniam ad lites, & negotia, sicuti ad alia, quæ dictæ Religioni opus est in Curia Romana, & in dictis Hispaniarum Regnis in diversis Audientiis, & Tribunalibus, & licet in prædictis semper habita fuerit bona cura, & ratio, ipsam reddendo PP. Generales in fine eorum officii successoribus suis, tamen quia super hoc nulla adest Constitutio, nec ordinatio, quæ aliquid super hoc disponat, quæ per se introducta est, cujus respectu posset deficere cum tempore ejus perseverantia, & ut firma remaneat, & nihil possit innovari in præjudicium tam utilis, & laudabilis consuetudinis ordinatur d. Ærarium, & Arcam trium Clavium perpetuo conservari, in forma, quæ usque ad præsens fuerunt conservata; nempe quod prædictæ claves diversæ sint, nec nisi omnibus simul junctis Arca hujusmodi dispositorum aperiri possit; Unaque ex eisdem clavibus a P. Generali, reliquæ a singulis Assistentibus retineantur, habeatque dictus P. Generalis librum rationum de receptis, & expensis, & in fine sui officii rationem reddat successori suo, & novis ejus Assistentibus de præfatis receptis, & expensis factis in tempore sui officii, sicut semper fuit observatum, & relatum remanet: Et casu, quo fraus, vel dolus in custodia, & administratione, atque erogatione dd. pecuniarum detegatur; delinquentes male versantes pœnis privationis vocis activæ, & passivæ subjaceant, & ab eorum officiis respective suspensi remaneant, & ipse Pater Generalis privatus, destitutus remaneat omnibus privilegiis, & prærogativis, ex Generalibus quomodolibet competentibus, nec a quocumque nisi a S. Sede Apostolica rehabilitari, & absolvi possint.

II.

Quod ultra expressum in Capitulo 68. nostrarum Constitutionum ordinatur, quod Superiores in eorum Monasteriis habere debeant libros bonorum, & reddit11um, & expensarum in Archivio, & Arca trium Clavium, absque eo, quod possint amoveri ad alium effectum, nisi ad calculandum introitus, & scribendum recepta, & expensa quolibet die facien. cum assistentia Consiliariorum ordinatur, quod omne id, quod Dispensator afferet expensarum causa, recipiatur, & scribatur in libris, & in eadem forma, & specie describatur, qua dictus Dispensator afferet absque ulla permutatione, & quod conserventur libri manuales dictorum Dispensatorum, ut quando evenerit casus visitationis possint videri, & comprobari eorumdem listæ cum illis dd. librorum, & quod Superiores nihil possint percipere, nec impendere manualiter; sed dd. expensæ, & necessaria sint sub onere Procuratorum, & Dispensatorum. Prædicta ordinantur in virtute S. obedientiæ, & pœna privationis officii, & activæ, & passivæ vocis. De libris accepti, & expensi, nec non Manualibus dispensatorum.

III.

Quia Cap. 39. nostrarum Constitutionum ordinat, & mandat officia Priorum duratura esse tantum spatio trium annorum, & his elapsis non posse iterum eligi, & confirmari in d. officio Prioratus, illas Personas, quæ jam fuerunt Priores tam in eo Hospitali, ubi exercuerunt, quam in quovis alio, nisi elapsis tribus annis vacationis sui muneris, & quia sunt multi anni, quod dicta Religio indiget Personis idoneis pro dictis officiis, & ad deveniendum ad novam electionem opus fuit in pluribus præteritis Capitulis, recurrere ad Sanctam Sedem Apostolicam, & supplicare SS. D. N. pro d. Constitutionis dispensatione, qua auctoritate denuo electi fuerunt in dd. Capitulis, & quia quotidie magis apparet Personarum defectus ob multorum Religiosorum mortem, & quia defecerunt Seniores triginta annorum citra ob continuam assistentiam habitam in infirmitatibus pestis, quibus Regnum Hispaniæ laboravit spatio octo annorum, in quibus obierunt quamplures Religiosi, & cum sint cæteri remanentes Juvenes, & absque experientia, & competente ætate ad gubernandum, qua de causa cum fuerit facta experientia aliquorum honorando eos in dictis officiis opus fuit eos ab illis privare ob eorum malum regimen, & administrationem habitam remanentibus prædictis in magno præjudicio, & damno Cœnobiorum, & Hospitalium, quod non accidisset si possent denuo eligi, & confirmari, illi qui sunt capaces, & experti in dicto regimine; Quapropter ordinatur, ut in posterum possint iterum eligi, & confirmari a Capitulo Generali, vel intermedio in dd. muneribus Prioratus omnes illæ personæ, De Priorum confirmatione.

quæ dignæ videantur dicto Capitulo, in aliis tamen Hospitalibus, exclusis illis, in quibus antecedenter, & immediate Prioratus munere functi sunt ad ipsius Capituli arbitrium, & per decennium a die confirmationis proximum tantum.

IV.

De Valetudinario.

Quod Superior non habens aulam pro Infirmaria cum pleno numero lectorum secundum fundationem, vel possibilitatem Hospitalis cum supellectilibus necessariis condecorata ad commoditatem, & curationem Pauperum Infirmorum, privetur voce activa, & passiva, & ille qui ob urgentem necessitatem Hospitii extra asportaverit aliquod, vel aliqua lecta, fiat cum ordinatione, & expresso consensu Patris Generalis, qui consensus dari debeat consideratis prius motivis, & indigentia, quæ ad id acciderit & pro majori prædictorum observantia, debeat in singulis Capitulis tam generalibus, quam intermediis determinari numerus lectorum ad proportionem redituum singulorum Hospitalium, quorum Priores semper debeant esse parati ad recipiendos Infirmos pro numero dictorum lectorum sub pœnis supra expressis.

V.

De eleemosynis.

Quod nulli Superiorum liceat, nec permittat Subditis suis ire ad petendum eleemosynas extra territorium, vel Jurisdictionem sui Hospitalis in præjudicium aliorum ipsius Ordinis, sub pœna privationis officii, & activæ, & passivæ vocis per quatuor annos, tam Superioribus, qui dictam licentiam concesserint, quam Subditis, qui sub dicta permissione petierint dictas eleemosynas.

VI.

De Superiorum sede.

Quod dd. PP. Superiores non possint abesse a residentia, & regimine suorum Hospitalium, nisi spatio quatuor dierum, & hoc concurrente legitima causa, & si opus fuerit ultra prædictum tempus a Prioratu abesse, id fieri nequeat absque expressa licentia Patris Generalis, vel Provincialis ejusdem Provinciæ sub pœna privationis officii pro prima vice ad annum, & in casu reincidentiæ pro toto tempore ejus officii remanente.

VII.

De Domibus Novitiatus.

Quia ad receptionem Novitiorum non sunt Domus Novitiatus præscriptæ in dictis Constitutionibus accipiendo eos in omnibus d. Religionis, & quia illi, qui aluntur in parvis Monasteriis, non habent eam perfectam educationem quæ requiritur, sicuti etiam cum sit eorum parvum Hospitium non remanent bene edocti in eorum exercitio, & postea ipsi transeundo ad alia majora Monasteria recognitum fuit eos ingredi cum difficultate in dicto exercitio bonorum Ministrorum erga Infirmos: Ad evitandum igitur hoc inconveniens imposterum deputantur, & eliguntur Monasteria, & Domus Novitiatus in Provincia Bætica scilicet Civitatum Granatæ, Hispalis, Cordubæ, Jajen., & in Provincia Castellæ Monasteria Matriti, Vallisoleti, Medinæ de Rio Seco, & Murfiæ, & in Lusitana Provincia Monasteria Lisbonæ, & Jelues, in quibus tamen, & non in aliis præter nominatis dictarum Provinciarum dentur, nec dari debeant, nec admitti dicti Novitii, ad quorum educationem, & doctrinam deputentur, & assignentur Magistri, virtute, & timore Dei decorati, bonæ vitæ, & famæ, quæ nominatio dd. Magistrorum, debeat fieri a Patre Generali literis suis patentibus pro tempore sibi placito permanente in ejus arbitrio potestate permutandi, & nominandi alios quandocumque illi videatur conveniens, ad quod Superior cujuslibet Monasterii, ipso facto suæ acceptæ possessionis, teneatur transmittere dicto P. Generali listam omnium illorum Religiosorum, quos habuerit Conventuales in ejus Monasterio, ut illorum unus eligatur, qui recognitus fuerit convenientior ad d. exercitium, & cum non inveniatur habilis in eo Monasterio, nominabit alium idoneum sibi benevisum, ad quem effectum permutabitur ex Monasterio suæ residentiæ, & mittetur ad locum destinatum pro exercitio dicti officii.

VIII.

De receptione Religiosorum aliorum Ordinum.

Quia multa, & gravia inconvenientia recognita fuerunt ex perceptione, & receptione ad habitus in dicta Religione aliquorum Religiosorum aliarum Religionum, qui variis modis fuerunt causa gravissimarum litium, & inconvenientium excitando d. nostræ Religioni inconvenientia irreparabilis damni, quæ multis abhinc annis passa fuit, ad evitandum similia inconvenientia, ordinatur, & mandatur, quod in posterum non possint admitti, nec admittantur ulli Religiosi, qui fuerint, vel actualiter sint alterius cujuslibet Religionis nulla de causa, titulo, vel ratione, quæ ad eorum admissionem adduci possent, nisi ex justis, & rationabilibus causis referendis Emo, & Rmo Dno Card. Protectori, ab eoque approbandis.

IX.

De Procuratoribus.

Quod Religiosi Procuratores Monasteriorum consignare teneantur omnes quantitates pecuniarum ab eis receptas ex redditibus, & aliis quibusvis effectibus sibi provenientibus, & debitis dictis Monasteriis eadem die d. perceptionis, vel ad summum die sequenti absque ulla retentione penes se; & casu, quo necesse sit conservare, vel retinere aliquam quantitatem propter expensas litium, vel aliarum rerum, fiat Superiorum localium permissu, & quod tales Procuratores nullam possint mutuo tradere pecuniarum quantitatem penes eos existen. nemini ad multum, vel parvum tempus privationis officii pœna, & activæ, & passivæ vocis ad quatuor annos, dummodo quantitas mutuata sit supra viginti realia, necnon teneantur iidem Procuratores adnotare in libro particulari memorias litium, quæ finito officio, vel consignentur Successori, vel relinquantur in Archivio.

X.

De Religiosis extra proprias domus versantibus.

Quod Religiosi, qui migraverint ex uno ad alium locum ad negotia suorum Monasteriorum ad visitandum Parentes, vel consanguineos, vel ad alias quaslibet res admittantur in Monasterio Ordinis, ubi pervenerint, dummodo sit cum licentia suorum Superiorum, & eis concedatur Hospitium, & victus spatio trium dierum, & si plus dd. trium dierum permanserint, solvere teneantur pro quolibet die tria realia causa dicti Hospitii, & victus, quam summam Superior, & Hospitale, a quibus mittuntur teneantur solvere dummodo sit ad rem, & negotia talis Monasterii, & qui hac de causa, vel quavis alia non iverint ad edendum, & dormiendum in dd. Monasteriis locorum, ubi perveniunt Superiores eorum faciant eos capi, & in carceribus custodiri, ex quo carcere amoveri non possint absque ordine P. Generalis, vel Provincialis, & Superioribus prohibetur potestas concedendi licentiam suis Religiosis, ut eant in alia loca, ubi non adsit Monasterium Ordinis, ultra tempus trium dierum permanente pœna transgressoribus imponi debita arbitrio Patris Generalis.

XI.

De Superiorum primatu.

Quod existente Diffinitorio simul cum P. Generali in Hospitali, ubi inveniatur, tunc quia repræsentat totam Religionem habeat locum præcedentiæ Superiori locali omnibus Diffinitoribus permanentibus immediate post Patrem Generalem secundum majoritatem eorum officiorum, & dictus Superior, qui solum est caput ejus familiæ habeat locum immediatum dexteræ manus

nus post Diffinitorium, tam in Refectorio, quàm in aliis publicis, vel privatis locis, in quibus adsit dictus Pater Generalis, & ejus Diffinitorium cum Communitate talis Monasterii, animadvertendo, quòd dicto Patri Generali, & ejus Diffinitorio, hac de causa non competit regimen Domus, sed tantum Superiori, & idem erit observandum in Domibus, ubi adsint PP. Provinciales, qui concurrentes in actis Conventualibus, ipsi habebunt primum locum, & præcedentiam, sicut ratione eorum officii attinet, & ad eorum manum dexteram habebit ejus locum Superior Domus, & ad sinistram ejus Secretarius, & post hos Consiliarii, & si Pater Provincialis simul fuerit Prior cujusdam Monasterii, habebit locum dexteræ manus ejus Secretarius, a sinistra Consiliarius Professione antiquior, & absente Patre Generali ab Hospitali, ubi residet cum ejus Diffinitorio, tam occasione visitationis, quam aliquovis prætextu, alii Patres Diffinitorii, qui permanserint debeant abstineri a concursu actorum Communitatis cum dicto Superiori; quoniam absente Generali, qui est caput, non remanet Corpus Diffinitorii, nec possunt celebrare acta talium Diffinitorum, & si sponte velint concurrere dd. exercitiis, & actis Conventualibus, eis debeat præcedere dictus Superior localis, sicut caput ejus Communitatis, & idem observatur in absentia Superioris a Consiliario antiquiori, cui regimen Domus attinet absque interventu dd. PP. Diffinitorii.

XII.

Quod Patres, qui fuerunt Generales Religionis ultra titulum primorum Discretorum, & prærogativas, quibus fruuntur tam per Constitutiones ejusdem Religionis, quam virtute Brevis fa. me. Pauli V. quia sunt personæ, quæ poterunt, & quavis indigentia judicare, & reddere rationem, & bonas notitias magno cum fundamento rerum Religionis experientiæ, causa suorum officiorum, & habeant suum votum in omnibus Diffinitoriis, sicut alii Diffinitores, & præcedentiam omnibus Diffinitoribus in loco, ubi adfuerit dictus Pater Generalis, quia si ibi non adsunt, nulla erit Constitutio vocandi eos ad dicta Diffinitoria, quæ celebrari possint absque eis, sicut absque quolibet alio non præsenti, ut declaratum remanet in dictis Constitutionibus.

XIII.

Quod Patres, qui fuerunt Provinciales remaneant cum titulo Patrum Provinciæ, & Domuum, in quibus inveniantur, habeant primum locum post Priorem localem præcedendo Consiliariis, & aliis Religiosis, & ex supradictis, non intelligatur eis pertinere regimen, animadvertendo, quod si quovis tempore abfuerit ab Hospitali Procurator, dd. PP. Provinciæ permanebunt in eadem Sede, & loco, quo titulo gaudebunt absque præjudicio dispositionis Cap. 25. nostrarum Constitutionum, super eos, qui habere debent votum in Capitulo, in quo nihil possint, nec prætendant innovare ex supradictis.

XIV.

Quod PP. Sacerdotes ad SS. Sacramentorum administrationem deputati habeant in quolibet Monasterio primum locum, & præcedentiam aliis omnibus Religiosis, exceptis Superiore, & Consiliariis.

XV.

Quia cap. 37. nostrarum Constitutionum ordinat, & mandat quod in eventum mortis Generalis renunciationis, vel privationis officii ob crimina commissa, si hoc evenerit in primo Triennio sex annorum Generalatus, ei succedat in dicto officio Prior, qui tunc fuerit Monasterii, & Hospitii Civitatis Granaten. usque ad Capitulum proximum, & quoniam evenit casus mortis Generalis in primo Triennio, Assistens major, qui tunc erat, dixit, & prætendere cœpit, eidem competere Religionis regimen usquequo d. Prior Granaten. accederet in Monasterium, & Hospitium, ubi prius residebat dictus Pater Generalis, & Diffinitorium, & cum fuerit ei contradictum, ex eo, quod dictæ Constitutiones non ei dant similem facultatem, orta fuit discordia civilis, & criminalis, & Religio fuit notabilibus perturbationibus involuta, ad prædicta reparandi imposterum declaratur, quod in d. casu mortis, vel defectus d. Patris Generalis in primo Triennio donec dictus Prior Granaten. veniet in Monasterium, ubi adest Diffinitorium, vel ad se vocat Diffinitores, ubi adest ille, ut exerceant eorum officia non intelligatur officium vacans, nec regimen Religionis d. Assistenti majori, nec cuivis alteri Diffinitorio, si quidem statim secuta morte Generalis ingressus fuit fruendo dictus Prior Granaten. uti Successor Regaliæ sui Generalatus, & eodem instanti non possunt dari duæ personæ, quæ gubernent, nec d. Diffinitorium est, dum adest absque Capite.

XVI.

Quia dubitatum fuit, quod in casu successionis dicti Prioris Granaten. in dicto Officio Generalatus in primo Triennio ob supradictam Causam in dicta Constitutione 37. si dum exercet officium migraverit ex vita, renunciaverit, vel privatus fuerit, qua de Causa denuo vacaverit d. Officium intra idem Triennium quis ei successurus fuerit, declaratur attinere illi, qui tunc temporis fuerit Prior dicti Monasterii Granaten., & toties quoties dictum Officium Generalatus vacaverit dd. de causis in d. primo Triennio attinet, & pertinet Priori Granaten., absque ullà contradictione ullo unquam tempore, quoniam sic dispositum in Cap. 37. dd. Constitutionum. — *De eodem casu.*

XVII.

Quod PP., qui fuerunt Vicarii Generales Religionis non teneantur concurrere in Domibus, ubi habuerunt eorum residentiam post finem sui officii, nec adesse ulli actui Communitatis generalis, vel particularis, nec Superiores, qui fuerint Domorum ubi habent eorum assistentiam possint eos ad id compellere, si quid ratione officii ab eis exerciti observari debet eisdem hæc prærogativa, cum sit rationabile eos illam habere in præmium eorum laborum, sed tamen aliis observent, & obediant Ordinationibus, & præceptis dicti Superioris, ubi resident. — *De iis, qui fuerunt Vicarii Generales.*

XVIII.

Quód PP., qui fuerunt, sunt, & inposterum erunt Diffinitores Religionis post lapsum suorum Officiorum in Monasteriis, & Hospitiis, ubi resident, & habuerint eorum Conventualitatem, habeant Sedem in actis generalibus, & particularibus dexteram immediate Superiori dd. Hospitalium, & in occurrentia duorum, vel plurium Diffinitorum sedere debeant secundum gradum, quem habuerint in dicto Diffinitorio præcedente semper Assistente majori secundo Assistenti, & hic Procuratori Generali, & Procurator Generalis Secretario Generali, & omnibus istis præcedentibus illis qui fuerunt PP. Provinciæ, & Consiliarii in dicta Communitate. — *De iis, qui fuerunt Diffinitores.*

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, acta, & Decreta hujusmodi ad bonam Ordinis prædicti directionem, rectamque illius gubernationem utilia, atque necessaria sint; firmiora verò, & stabiliora esse soleant, quæ Apostolicæ confirmationis præsidio roborantur: Nobis propterea præfatus Joannes Emmanuel Procurator Generalis totius Ordinis supradicti nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. — *Preces Procuratoris Gen.*

§. 3. Nos igitur ipsum Joannem Emmanuelem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,

aliisque

aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnia, & singula acta, & Decreta in supradicto Capitulo intermedio, ut præfertur, facta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio relatorum decretorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac acta, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus fit, dicti Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Aug. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLX.

Declaratur, Clericos Regulares Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum capaces esse possidendi.

Alia declaratio circa exemptionem a jurisdictione Ordinariorum, & Privilegia extat hujus Pontific. Constit. ed. 1684. Mar. 13. P. 4.

Dat. 3. Sept. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Sigismundus a Sancto Sylverio Assistens, & Comprocurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quod cum dicta Congregatio post Concilii Tridentini celebrationem erecta fuerit, dilecti pariter filii Clerici Regulares ipsius Congregationis in eorum Capitulo Generali quod hoc anno 1686. celebratum fuit, congegati decreverunt, petendam esse a Nobis, & hac S. Sede declarationem, quod essentia eorum paupertatis intelligatur juxta formam a præfato Concilio præscriptam cap. 3. Sess. 25. de Regular. Quare dictus Sigismundus Assistens, & Comprocurator Generalis totius Congregationis præfatæ nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Comprocuratoris Generalis.

§. 1. Nos igitur eandem Congregationem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat, consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prædictam Religionem, sive Congregationem Scholarum Piarum esse capacem possidendi ad formam Sacri Concilii Tridentini auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Declaratio prædicta juxta formam Concil. Trid. cap. 3. sess. 25.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Congregationis Scholarum Piarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die III. Sept. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLXI.

Confirmantur Privilegia omnia, & Indulgentiæ Ordinibus S. Francisci de Observantia, & aliis utriusque sexus personis concessa.

Hic enunciatæ Constitutiones sunt Clem. VIII. Constit. ed. 1595. Decem. 20. P. 6. Pauli V. Constit. ed. 1609. P. 7., & Urb. VIII. Constit. ed. 1625.

3. *Idus Maji P. 3., quæ extant apud Wadingum De aliis Privilegiis, & Indulgentiis vide hujus Pontif. Constit. ed. 1686. April. 30. P. 10. Constit. ed. 1686. Maji 30. P. 10. Const. ed. 1687. Jan. 22. P. 11. Et Innocent. XII. Constit. edit. 1699. Decemb. 5. P. 6.*

Dat. 5. Sept. 1686. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac in Romana Curia pro Ultramontana Familia Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum subjecta Commissarius Generalis, quod Privilegia, Gratiæ, concessiones, favores, & Indulgentiæ, etiam plenariæ, ac pœnitentiarum relaxationes, cæteraque Indulta Ordinibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Ecclesiis, locis, Benefactoribus, ac omnibus, & singulis utriusque sexus personis obedientiæ, seu directioni prædicti Ministri Generalis Fratrum Minorum subjectis olim ab Apostolica Sede concessa, seu communicata, per plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones & præcipue per Literas fel. record. Clementis VIII. incipientes *Ratio Pastoralis &c.* anno 1595. expeditas, ac Pauli V. quæ incipiunt, *Injuncti Nobis &c.* anno 1609. concessas, & Urbani VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum, incipientes, *In plenitudinem &c.* tertio Idus Maji 1625. datas confirmata, & sub aliquibus modificationibus innovata fuerunt. Unde præfatæ utriusque sexus personæ obedientiæ, seu devotioni dicti Ministri Generalis subjectæ, quibus memorata communicatio privilegiorum, Indulgentiarum, & concessionum, tam inter se, quam cum aliis Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus, etiam Jesu, ac Confraternitatibus concessa fuit, juxta clausulas, & præscriptum dictarum Apostolicarum Literarum, & cum restrictionibus, in illis appositis, & non aliter, eis usæ fuerunt.

Prædicta omnia confirmata, & innovata a Clem. VIII., Paulo V., & Urbano VIII.

Item in usu fuerunt.

Preces Commissarii Gen. Ultramon.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut præmissa firmius subsistant, & conserventur, præfatus Franciscus Commissarius Generalis Curiæ prædictas Clementis, ac Pauli, & Urbani Prædecessorum Literas, cum clausulis in eisdem contentis, a nobis innovari, & omnes aliorum Romanorum Pontificum Successorum concessiones ad favorem dictorum Ordinum, Congregationum, Confraternitatum, Locorum, Benefactorum, & aliarum utriusque sexus personarum prædictæ obedientiæ, seu directioni subjectarum expeditas Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ipsius Francisci Commissarii Generalis Curiæ votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione, quam Venerabilis etiam Frater noster Alderanus Episcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sanctam Sedem Protector eisdem Cardinalibus super præmissis fecit, prædictas Clementis incipien. *Ratio Pastoralis &c.*, ac Pauli, quarum initium, *Injuncti Nobis &c.*, & Urbani Prædecessorum, quæ incipiunt, *In plenitudinem &c.* aliorumque Romanorum Pontificum successorum Literas super præmissis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocatæ, aut sub aliqua revocatione comprehensæ, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Ordinis prædicti Institutis non adversentur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Confirmatio præfatarum literarum, aliarumque insequentium.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Sept. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri anno Decimo.

CCLXII.

Confirmatur Decretum Congreg. Indulgentiarum declarans personas substantialia Religionis vota non emittentes non comprehendi in generali Indulgentiarum revocatione.

Hæc Indulgentiarum revocatio extat Paul. V. Const. ed. 1606. Maji 23. P. 2.

Dat. 10. Oct. 1686. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum d. Congregationis.

ALias emanavit a Congregatione Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita Decretum tenoris qui sequitur videlicet. *Dubio per virum Religiosum Sacræ Congregationi proposito, & in ea examinato, utrum in generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi Romanus Pontifex Pauli V. habetur dat. 23. Maji 1606. comprehendantur Personæ, quæ substantialia Religionis vota non emittunt intra, vel extra Claustra degentes: eadem Congregatio respondit, eas minime comprehendi. A. Card. Homodeus, Michael Angelus Riccius S. Congr. Secret.*

Preces Commissarii Gen. Ultram. Ord. S. Francisci de Observantia.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Lector Generalis jubilatus Sanctæ Inquisitionis qualificator, & in Romana Curia pro Ultramontana Familia obedientiæ, & directioni Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum subjecta, Commissarius Generalis Nobis nuper exponi fecit; ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Franciscum Commissarium Generalem specialibus favori-

bus,

bus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die X. Octob. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXIII. Confirmantur Seminaria pro Missionariis Sancti Francisci de Observantia in Hispania, & Indiis Occident. erecta, ac Ministri Generalis Statuta pro illorum regimine, una cum facultate erigendi alia Seminaria.

De erectione, & Statutis horum Seminariorum vid. Const. ed. 1686. Jun. 28. P. 10.

Dat. 16. Oct. 1686. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, ea, quæ a Superioribus Regularibus pro Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagatione, rectaque Christifidelium instructione, ac morum reformatione, & animarum salute ubique locorum congruis rationibus procuranda pie prudenterque statuta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, & illibata persistant, & optati exinde bonorum operum fructus ad Dei gloriam, & Christiani Populi ædificationem, benedicente Domino consequantur, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus, & alias pastoralis officii nostri partes opportune desuper interponimus, prout rerum, personarum, locorum, & temporum qualitatibus mature perpensis, salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura pro Ultramontana Familia Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in Romana Curia Commissarius Generalis, quod cum dilectus pariter filius Antonius de Linaz dicti Ordinis Professor, ac in Indiis Occidentalibus Missionum Præfectus, ad Fidei propagationem, & morum in Terris Fidelium reformationem, unius Conventus, vel duorum ex jam fundatis in unaquaque ex Provinciis Ordinis prædicti in Ditionibus charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici tam apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, & cæteras Occidentales Indias existentibus erectionem in Seminaria, seu Collegia pro Missionariis Fratribus educandis, ac instruendis a suis Superioribus petiisset, dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis ejusdem Ordinis erectiones Seminariorum, seu Collegiorum hujusmodi consensum Provinciarum auctoritate sui officii supplendo, fieri sub forma in suis literis contenta decrevit, ac sub pœnis per easdem literas præscriptis prædictarum erectionum protractionem, & impedimentum illarum partium Superioribus interdixit; Insuper Seminaria in Hispaniæ Provinciis jam erecta, & in posterum erigenda, non solum ad optimam Fidelium instructionem, & pravorum morum reformationem ordinavit, sed etiam ea ad id destinata esse voluit, ut transitus in Indiarum Missiones omnibus Provinciarum Hispaniæ Religiosis, qui prius per duos annos, vel aliud temporis spatium ab Indiarum Commissario Generali Matriti residente assignandum, in aliquo ex prædictis Seminariis suæ Religiositatis, idoneitatis, ac vocationis indicia, & testimonium non dederint, servatis servandis prohibeatur, ac simul Provinciarum in Indiis existentium reformationi, si illa carent consulatur, fideliumque tam in illis, quam in Hispaniæ partibus degentium ædificationi, Infidelium conversioni, ac omnium Animarum saluti, & Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ dilatationi ubique indefesse inserviatur: ob idque pro præfatorum Seminariorum omnium gubernio nonnulla matura deliberatione, & de aliquorum gravissimorum Fratrum consilio condidit, & disposuit, ac alias prout plenius continetur in ejus literis patentibus desuper emanatis, tenoris, qui sequitur videlicet.

Faculta[s] eri[-]gendi Sem[i-]naria.

Usus Sem[i-]nariorum i[n] Hispania.

Statuta pr[o] omnibus S[e-]minariis.

§. 2. *Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano Lector jubilatus Sanctæ Inquisitionis qualificator, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, & Servus &c. -- Dilectissimo nobis in Christo Patri Fratri Antonio Linaz ejusdem Ordinis Lectori jubilato Sanctæ Inquisitionis Qualificatori, Provinciæ nostræ SS. Petri, & Pauli de Mechoacam Patri, Provinciæ vero Majoricensis Alumno, ac Missionum nostri Ordinis in Indiis Occidentalibus auctoritate Apostolica Præfecto, salutem in Domino sempiternam.*

§. 3. Inter cætera Divinæ Majestati beneplacita opera, & cordis nostri desiderabilia, illud profecto potissimum existit, ut Fides Catholica, & Christiana Religio, morumque Fidelium reformatio nostri Ordinis Religiosorum studio, labore, ac sedula solicitudine exaltetur, atque ubilibet amplietur, ac cum Animarum Fidelium profectu, Infidelium ad Fidem Sanctam reductione, Barbaricarumque Nationum depressione in toto Terrarum Orbe dilatetur.

§. 4. Unde cum nobis notum sit, te, cum aliis viginti quatuor Religiosis morum integritate, literarum scientia, & salutis Animarum zelo pollentibus, quorum Prælatus, ac Superior a Ministro Generali prædecessore nostro, & Indiarum Commissario Generali fueras electus, ac a Capitulo Generali proxime præterito confirmatus in Indias Occidentales novæ Hispaniæ nullis parcendo periculis pro procuranda Fidelium reformatione, & Infidelium Catholicæ Fidei, &

Commen[-]tur Præfec[tus] Missionu[m] Indiis Oc[cid.]

obe-

obedientiæ Romano Pontifici debitæ salutari agnitione, Deo assistente, & Rege Catholico expensas ad id præstante olim ivisse, ac in illis partibus gratia ex alto concessa cooperante vineam Domini ferventi conatu, ac indefesso zelo excoluisse, Conventumque Sanctæ Crucis de Quertero præfatæ Provinciæ de Mechoacam in Seminarium pro dictis viginti quatuor Religiosis Missionariis sub aliquibus Statutis in prædicto Generali Capitulo revisis, & a SSmo D. Nostro Innocentio XI. per suas literas *Sacrosancti* incipientes die 8. Maii 1682. expeditas specialiter approbatis, ac confirmatis, aliisque accedentibus facultatibus requisitis, obtentisque a Sacra Congregatione de Propaganda Fide laudabiliter erexisse, illiusque Guardianum juxta formam in prædictis Statutis præscriptam, electum fuisse, atque Missionum præfatarum exercitio una cum Sociis prædictis in prælibatis partibus indefesse vacasse, necessitatemque operariorum ad munus adeo proficuum in majori numero non sine magno dolore expertum fuisse: ob idque de consilio gravissimorum nostri Ordinis Patrum Superiorum assensu, Ordinariorum instantia Fidelium, ac Infidelium motum necessitate, Socios prædictos in prælibato Missionum exercitio reliquisse in Hispaniamque divina opitulante gratia, prospere revertisse; ibique illarum partium necessitatem, & Missionariorum penuriam Catholicæ Majestatis, ac Indiarum, & Ultramontanæ Familiæ Commissario Generali veraciter exposuisse, atque ab ipso Commissario Generali quamplurimas gratias, & facultates pro conductione aliorum Religiosorum, erectione, & gubernio novorum ad prædictum Missionum munus Seminariorum, ac ad istam Romanam Curiam accessum, & memoratarum facultatum Apostolica confirmatione legitime obtinuisse, atque nostram dictarum Constitutionum, & facultatum a præfato Commissario Generali obtentam, & erectionum approbationem affectu pleno desiderare: illam, & alias insuper gratias, ac directiones, quibus hujusmodi sanctum, & laudabile, ab immortali Deo cœptum propositum in dies ferventiori animo, ac mediis opportunioribus ad ipsius Dei honorem, Fidei Catholicæ propagationem, Populi Christiani instructionem, nostræque observantiæ augmentum, & omnium animarum salutem, prosequi valeas, Tibi, Sociis tuis, aliis Missionariis, tam præsentibus, quam futuris sub forma sequenti duximus concedere, ac benigno favore elargiri.

Primo ut prædicta Seminaria quantum Domino auxiliante possibile fuerit, ad ordinis primævam observantiam tendant; in eis regula juxta declarationes a SS. D. N. Innoc. XI. in suo Motu proprio: *Solicitudo Pastoralis*, contentas, & innovatas strictissime observetur: Sanctamque paupertatem, quam S. P. N. Franciscus Dominam appellabat, studeant Missionarii præ mundi deliciis in cunctis revereri, suis enim operariis vineæ Dominus providebit, si labori adeo proficuo vacantes suum in ipso solo Domino cogitatum jactaverint. At quia Fratrum Mendicantium numerus valde crevit, & Fidelium pietas minus fervens, ob nostra forsan demerita, quam in principio Religionis iis diebus sæpe sæpius experitur, usus illarum Constitutionum Apostolicarum, quæ nostræ paupertatis observantiam illæsam relinquunt, & aliquam Regulæ dispensationem non continent omnibus Seminariis, illorumque Fratribus licitus erit, qui enim regulam servaverint, sicut Summis Pontificibus eam dedit Dominus intelligere, & explicare, Evangelicæ vitæ vacabunt, & locum inter verissimos S. Francisci filios æternitate, & gloria, felicem possidebunt. Usus tamen prædictus eisdem Seminariis, ac Fratribus interdicitur, nisi Statutis in dicto Motu proprio pro observantia relatis, & executioni mandari præceptis (quibus prædicti Seminarii in rebus hic non expressis uti teneantur) in omnibus sit conformis. Prælati autem, & discreti, seu Religiosi, qui contrafecerint, pœnis in Statutis taxatis indispensabiliter subjaceant, omnesque Fratres tam subditi, quam Superiores dum in actuali exercitio Missionum intra, vel extra Seminaria permanserint, se, ab eleemosynarum petitione, & a sponte oblatarum receptione abstinere debeant: Poterunt tamen pro quotidiano victu necessario ostiatim quærere, vel oblata recipere, quin uti cibis, & potibus delicatis non præsumant, vel Domos, in quibus prædicta eis apponuntur adire non seligant, imo eos recordari volumus, quod S. P. N. Franciscus dum ad manducandum cum Magnatibus, & divitibus invitabatur, panis fragmenta ostiatim quæsita secum portabat, & ibi apposita delicatiora, ut pauper vere humilis sumere nolebat, Statuta Ordinis, & Recollectorum, in quibus modus providendi necessitatibus Fratrum tam in ægra, quam in sana valetudine præscribitur, quin ad id particulari peculio, vel specialibus eleemosynis aliquis Religiosus indigeat, in omnibus Seminariis ad unguem, & sub pœnis transgressoribus in illis impositis observentur. Et ne Benefactorum devotio alicujus particularis commodis applicetur, & Communitas aliqualiter fraudetur, nullo modo alicui Fratri permittatur apud Syndicum Apostolicum, aut alium amicum spiritualem aliquam pecuniarum eleemosynam cujuscumque dominii sit, pro suis particularibus necessitatibus habere, nec alicui similiter liceat munuscula quantumvis levia dare, vel recipere, omniaque Prælato, & ejus dispositioni subsint, ac sine ejus licentia nihil detur, vel recipiatur in præfatis Seminariis. Prædicti Conventus in Seminaria erecti, & Seminaria fundanda, quoad regimen, nullius Provinciæ sint, & Superiori Generali illarum partium, in quibus fuerint, immediate subsint. At quantum ad suffragia pro Defunctis Fratribus commercium fraternale habeant cum illis Provinciis a quibus fuerunt separati, vel intra quarum limites perseverent. Itaut Conventus prædicti Fratres Officia, & Missas juxta Statuta Generalia, pro quolibet Fratre ejusdem Provinciæ filio decedente, celebrent, & vicissim a singulis Conventibus, & Fratribus Provinciæ eadem celebrentur pro quolibet Fratre prædicti Seminarii ubilibet moriente ad cujus effectum Provincialis omnium suæ Provinciæ defunctorum notitiam ad Guardianum transmittat, & Guardianus defunctorum sui Seminarii, ad Provincialem. Cæterum ne inter Missionarios, & Provinciarum præfatarum Fratres, ac Superiores aliqua unquam oriatur contentio, vel oppositio, & ut quos eadem mater spiritualiter genuit, & educavit disparitas muneris non separet, & fraternalis amicitia, curialitas, ac mutua hospitalitas strictius conjungat, prædictorum Seminariorum, Superioribus stricte præcipimus, ut quando Provincialis illius Provinciæ, in qua Seminarium fuerit, hospes ad illud accedat, eum, ac illius familiam charitative recipiant, & per spatium trium dierum omni cura, & reverentia, illi inservire teneantur; prædictus autem Provincialis Minister eumdem locum, & præcedentiam in Communitatibus Seminariorum habebit, quem habet in aliis suæ Provinciæ Conventibus, poterit tamen aliquam collationem spiritualem Missionariis in Refectorio prædicare, ibique præsidere, & in aliquibus pœnitentiis, Seminarii Fratribus impositis, dispensare, nullam tamen aliam Jurisdictionem ibi, aut respectu prædictorum Fratrum aliquando exercere audebit, nisi ad id delegationem aliquam a Superiore

De Communicatione Seminariorum cum Cœnobiis Provinciarum.

Generali recipiat, qui eam absolutam, & generalem nunquam præstare poterit, solumque in aliquibus casibus, & pro aliquibus singularibus indigentiis, suam facultatem pro una, vel alia vice prædicto Provinciali, ac convenientius, ac cum minore litium periculo alteri gravi Religioso communicare valebit.

§. 5. Præfatorum autem Seminariorum Guardiani illam præcedentiam in dictarum Provinciarum Conventibus habebunt, quæ Guardiano principalioris Conventus cujuslibet Provinciæ statutorum, & consuetudinibus vigore concedi solet, & tam Guardiani, quam alii præfatorum Seminariorum Fratres apud Observantiæ Religiosos, si fuerint, sin autem apud Recollectos, & iis deficientibus apud Discalceatos hospitium eligant, ipsique eos recipere, & charitative tractare, sub pœnis unionis Ordinis perturbatoribus impositis, indispensabiliter teneantur.

De Religiosis recipiendis, & dimittendis.

Secundo, quod in præfatis Seminariis tam erectis, quam erigendis, triginta tres Religiosos de familia, & non amplius admitti possint, horum autem quatuor sint laici, reliqui vero ad exercitium Missionum sint idonei, itaut nullus in præfatis Seminariis recipi valeat, qui verbum Dei prædicando, vel confessiones audiendo, aut Doctrinam Christianam, & nostræ Fidei rudimenta docendo, finem erectionis præfatorum Seminariorum promovere non possit. Si autem pro victu, & vestitu eleemosynæ non defuerint, & plures Religiosi pro locorum, & temporum diversis, ac novis circumstantiis necessarii censeantur: Superior Generalis respective de consensu, & assensu Discretorii cujuslibet Seminarii numerum prædictum, tam laicorum, quam cæterorum Fratrum augere poterit; & quia prædictorum Fratrum laudabile Ministerium omnium virtutum cumulo orationis ac perfectionis omnimodæ progressu, & strictissimæ nostræ Regulæ observantiæ soliditate nitescere non desistet, immo, Deo dante, eorumdem Fratrum exercitiis, quorum scopus erit animas Deo lucrifacere industria, & sollicitudine, adulterinas plantationes divellere, virtutes in messe Domini serere, vitia radicitus extirpare, humanum genus ad cognitionis, & Salvatoris semitas reducere, ac Apostolorum, qui jam in Orbe non existunt, munus gerere laudabilius, & perfectius in dies ostendetur, statutis a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. in suo Brevi, *Ecclesiæ Catholicæ*, incipiente confirmatis inhærendo omnibus, & singulis Prælatis, & Religiosis sub obedientia nostra degentibus, etiamsi alicujus Provinciæ Reformatæ, vel Discalceatæ sint, per sanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnis excommunicationis majoris, privationis officiorum, & dignitatum, ac inhabilitatis perpetuæ ad obtinenda ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut nullo modo directe, vel indirecte, per se, vel interpositam personam Religiosos sibi subditos, aut consubditos volentes ad prædictum Sanctum opus transire, impediant, perturbent, aut evertant, sed eis potius divinam inspirationem, ac vocationem sequi charitative suadeant, prædictorum autem Seminariorum Guardiani de consilio, & assensu Discretorum, & Commissarius Missionum sub forma superius præscripta suas literas Prælato locali Religiosi recepti directas expedient: Præfatus vero Prælatus ipsum cum libris proprii usus statim remittet, & postea prædictas literas ad Ministrum Provincialem transmittet, ut super subdito ad perfectius munus, & exercitium translato, gaudium fit in tota Provincia. Primo anno sui in Seminarium ingressus, si alias in alio Seminario per idem tempus non permansisset, ad Missionem non deputetur, nec votum in electione Prælati habeat, sed quasi sub probatione maneat, ut de ejus sufficientia melius constare valeat, etsi intra annum, vel postea de illius insufficientia constiterit, aut per aliquod vitium, seu crimen, vel per aliquod scandalum, in exercitium Missionum datum, seu per excusationem, qua sine legitima causa a Discretis approbanda, se a Missionibus juxta præscriptum Guardiani, vel Commissarii Missionum faciendis, excusaverit, aut per defectum in observatione præsentium statutorum, & pacis Seminariis, ac decoris exercitii conservatione commissum, seu per aliquam vocationis mutabilitatem, qua tribus distinctis vicibus, in tribus distinctis mensibus aspiciat retro, & aratrum velle dimittere non erubescat, ac exitum a Seminario amplecti non abhorreat, consortio operariorum vineæ Domini indignus efficiatur de consensu majoris partis Discretorii ad propriam Provinciam remittetur, ibique a Superioribus sub eisdem pœnis, sub quibus licentiari debuit, iterum recipiatur. Et pœnis in statutis contra incorporatos in aliqua Provincia, & iterum redeuntes ad propriam, contentis subjaceat, & si Religiosus Hispanus fuerit, & a Seminario in Indiarum partibus existente expellatur, ei a Superiore Generali illarum partium aliqua Provincia assignetur, in qua dictas pœnas subeat, & usque ad tempus, in quo juxta statuta generalia Hispaniam venire possit, conservetur; Si autem habitum in Seminario receperit, ibi omnibus prudentiæ conformibus mediis, corrigatur, & si per quatuor annos incorrigibilis perseveraverit, Superior Generalis admonitus a majori parte Discretorii, illum in aliqua ex suis Provinciis constituat, ut a pestifera contagione Evangelici Ministri, qui sal Terræ, & lux Mundi, ac Civitates supra montem positæ esse debent, provide liberentur. Guardianus cum approbatione Discretorum per suffragia secreta poterit Novitios intra prædictum numerum recipere, recipiendi autem ultra qualitates in statutis Ultramontanæ familiæ, & Indiarum respective præscriptas, tali scientia sint præditi, ut transacto statu Clericali, seu Choristatus alicui exercitio ex illis, ad quæ, ut præfertur Seminaria eriguntur tuto, & cum animarum profectu vacare valeat, eique qualitas, & perfectio vitæ, quam profiteri desiderat a Magistro Novitiorum, ante habitus susceptionem, extense explicetur, qui autem vigesimum ætatis annum non adimpleverint in prædictis Seminariis Novitius non admittatur, nisi aliud pro hoc, vel illo recipiendo sub his, vel illis circumstantiis alicui ex Seminariis tam erectis, quam erigendis utile, ac expediens a Superiore Generali respective de assensu majoris partis Discretorii aliquando judicetur. Ulterius poterit Guardianus Fratres laicos de assensu Discretorum, ex quacumque Provincia, sub forma, & receptione aliorum Seminariorum servanda, recipere, & tam Subditi, quam Superiores prædictarum Provinciarum sub eisdem pœnis teneantur eorum in Seminaria transitum non impedire: at laici recipiendi debent esse devoti, probatæ vitæ, & omnino apti pro Officiis a laicis in Seminario exercendis. Accedente consensu majoris partis Discretorum tam Seminarii a quoquam Seminarii ad quod, Superior Generalis illarum partium, in quibus Seminaria fuerint, quoslibet Religiosos de uno in aliud Seminarium mutare valeat, & quando transitus fiat de Seminario in Hispaniæ partibus, ad Seminarium in Indiis existens, consensus Commissarii Generalis Indiarum in Curia Matritensi residentis, & Commissarii Missionum, qui pro tempore Religiosos in Indias conducere curaverit, absque aliquo alio sufficiet, & nec Seminaria Hispaniæ, & Indiarum, nec eorum Guardiani, & Discreti

deter-

determinationi a prædictis Missionum, & Indiarum Commissariis circa præfatos Fratres sponte in Indias transire eligentes mature factas, se opponere sub aliquo prætextu audeant, sed eas statim executioni mandare omnino procurent. Missionarii, qui decennio in exercitio missionum laudabiliter completo ad propriam Provinciam redire voluerint, facultatem ad id a Seminarii Guardiano, & testimonium ab eodem, & Discretis petant, ipsi autem nec facultatem, nec testimonium negare poterunt, & Provincialis prædictæ Provinciæ revertentem recipere sub memoratis pœnis semper teneatur, eisdemque privilegiis, antelationibus, & gratiis præfatus Missionarius ex tunc in propria Provincia uti, ac gaudere poterit, quibus frueretur, si triennium Guardianatus tempore sui ingressus laudabiliter in dicta Provincia finiret: qui autem ante decennium completum, vel sine testimonio, in quo Discretorium de zelo, & plausibili prædicti Missionarii in Missionibus progressu testetur, ad propriam Provinciam venerit, pœnis expulsis supra impositis indispensabiliter subjaceat, nisi aliqua Infirmitas incurabilis propter quam a Seminariis quilibet ante dictum decennium, & non postea, etiamsi senectute laboret, expelli poterit, prædictæ expulsionis causa, vel occasio fuerit, qui in hoc casu nullus aliqua pœna dignus censeri debet. Si aliquando contigerit aliquem ex Missonariis in Visitatorem, vel Reformatorem, aut Ministrum Provincialem alicujus Provinciæ eligi, ejusmodi electionem ratam haberi, & executioni mandari volumus, & decernimus; Electus tamen postquam prædictum munus adimpleverit, ad proprium Seminarium revertatur, immo aliquid secum non ferat, quod Apostolicæ nuditati contrariari valeat, & si a dicta Provincia, vel ab aliquo Conventu, aut ab aliquibus utriusque sexus subditis, vel Superioribus aliqua munuscula, quæ conjunctim sumpta quantitatem unius scuti aurei pertingant ante, vel post finem sui officii, recipere ausus fuerit, etiamsi sit sub prætextu devotæ recordationis, vel pro libris, Imaginibus, reliquiis, seu rebus sacris, devotionem fidelium, & sufficientiam, ac efficaciam Missionariorum solidare valentibus, ipso facto actibus legitimis remaneat per septennium privatus, eidemque pœnæ indispensabiliter subjaceat, si peracto officio absque legitima causa a Sede Apostolica approbanda, domicilium in prædicta Provincia elegerit, aut si intra quatuor Menses Seminarium præfatum versus ab illa non egrediatur. Ultra numerum Religiosorum superius præscriptum, unus poterit in quolibet Seminario admitti, qui progressum, ac fructus, & casus, seu eventus Missionum extraordinarios, Missionariorumque gesta, & exemplarem vitam, privilegiorum statum, dubiorum in Missionibus occurrentium decisionem, doctrinarum securius amplectendarum, & prædicandarum compendia, libros, & Summaria scribere, & servatis servandis, de licentia tamen Ordinarii Typis mandare studeat, ac valeat, ipseque scriptor Seminarii appelletur, & exemptionibus, ac Indultis a Discretorio Seminarii taxandis, pacifice fruetur.

De Guardianis, Magistro Novitiorum, Discretis, Vicariis, &c.

Tertio, quod electio Guardiani cujuslibet Seminarii fiat a Superiore Generali illarum partium, in quibus Seminarium fuerit, sive ab ejus speciali Commissario delegato ex tribus ejusdem Seminarii Patribus per secreta suffragia omnium Sacerdotum professorum Communitatis canonice eligendis, & prædicto Commissario præsentandis: Guardianus autem per triennium tantum in officio durare poterit, & liberum erit Superiori Generali præfato in dimidio triennii ipsum ab officio absolvere, si ipsi constiterit, officio non satisfacere, habita informatione pro conscientia, sine strepitu judiciali, sicut fit in toto Ordine in Congregationibus intermediis: Unus Præses, seu Vicarius, qui simul Novitiorum Magister sit, per vota novi Guardiani, & Discretorum eligetur, ipseque, absente Guardiano in Communitatibus præsideat. In quolibet Seminario sint quatuor Discreti pro gravioribus ejus negotiis tractandis, qui ante novi Guardiani electionem ab eodem Communitatis corpore eligentur a quo nominari debent præsentandi in Guardianum: Statimque a Superiore Generali supradicto confirmentur, habeantque in Communitate locum, & præcedentiam, quam Lectores primarii Theologiæ habent in propriis Provinciis, & in absentia cujuslibet antiquior, & dignior Pater Seminarii pro tempore absentiæ substitutus declaratur. Discretorium cujuslibet Seminarii ex dictis quatuor discretis, ac ex Patribus, qui in dicto Seminario Guardianatum per Triennium completum laudabiliter exercuerunt, ex Commissariis habitualibus, & actuali Missionum, & Guardiano actuali componetur, iique suffragium habeant in omnibus negotiis, quæ Discretis, seu Discretorio Seminarii per hæc, & alia Ordinis Statuta committuntur; quando suffrragia pro una, & altera parte fuerint æqualia, & publica, Guardianus decidat: Quando fuerint secreta admittatur Præses pro simili tantum casu, ut sic, quod magis expediens sit, charitative, & sine strepitu, & recursibus resolvatur. Ad Missionum Commissarios in Indiarum partibus existentes spectabit Religiosum de consilio Discretorum trium suarum partium Seminariorum destinare, qui ad Provincias Hispaniæ, quando necessitas urgeat, accedat, & illos Religiosos servatis servandis in illarum Seminariis, si se sponte offerant, seligat, qui pro conversionibus, & Seminariorum conservatione ab eisdem Discretoriis, & præfato Missionum Commissario necessariis censeantur. At nec Commissarius Missionum, nec Religiosi ab ipsis missi aliquam superioritatem habeant, respectu illorum, qui in aliquo Seminario de familia constituti fuerint, nisi in casibus, de quibus supra manet dispositum, & cum limitationibus ibi taxatis, ac superioritate Guardianis Seminariorum hic concessa præ omnibus illæsa remanente. Quandocumque Guardiani obitus ante triennii finem contigerit, Præses, seu Vicarius, usque ad novi Generalis electionem Seminarium gubernabit, tenebitur tamen sub pœna privationis sui officii ipso facto incurrenda, die tertia a morte Guardiani Patres absentes convocare, & post adventum illorum, qui intra tempus viginti dierum venire poterunt, Communitatem pro præsentatione Superiori Generali, ut præfertur facienda, congregare, & præsentatos statim ad Superiorem Generalem prædictum transmittere, ipseque unum nominabit, qui similiter per triennium duret, eademque duratione gaudebit, qui præcedente alterius renunciatione, vel privatione electus fuerit. Præsidis autem, & Discretorum officium ad id tempus sine nova electione in præfatis tribus, mortis, privationis, & renunciationis casibus extenditur. In absentia Guardiani, & Præsidis antiquor Discretus in Communitatibus, & Seminario præsideat. Antiquitas autem inter Fratres Seminarii tam præsentes, quam futuros secundum gradus, & præeminentias juxta ordinis Statuta Generalia hic præscripta excepta, computetur; qui autem nullam in propriis Provinciis, aut in Seminario obtinuere, habitus antiquitatem servent; qui autem Guardianatum per triennium laudabiliter exercuerint, discretos illius Seminarii, non vero Commissarium Missionum, semper præcedant. Omnes indispensabiliter per horam cum dimidia vacent orationi mentali,

De Choro, Lectionibus, Studio, egressu

su e Cænobio, Concionibus, eleemosynis, aliisque pertinentibus ad regularem disciplinam.

dimidia scilicet hora post primam (non vero amplius ob frequentes audiendas confessiones, & similia exercitia matutina) hora autem integra post Completorium, vel alia fortassis opportuniori, pro temporum, & exercitiorum varietate; Horæ Canonicæ tempore, & pausa competenti devote solvantur, sine cantu autem, ut plus temporis impendatur studio. Dominicis vero diebus, festis, & classivis, cantus adhiberi poterit, ut sit apud Observantes; Cujusmodi Divino officio, orationi mentali, & Missæ Conventuali, omnes assistant, nullo prorsus excepto: Cunctique Sacerdotes gradatim ab ipso Guardiano inclusive hebdomadarium agant. Singulis diebus habeant per duas horas lectiones, & conferentias: per unam post Conventualem Missam de materia ad exercitium Missionum conducente, seu de intelligentia idiomatum, seu de Theologia mystica, per alteram post Vesperas de Theologia morali, & casibus conscientiæ: a lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, neque a reddenda ratione de materia lectionis, si a Guardiano, vel alio ab ipso deputato interrogetur. Cum autem in audiendis confessionibus, vel aliis utilioribus exercitiis peragendis Missionarii fuerint occupati, vel occupari indigeant, lectio Matutina a Guardiano de consilio Discretorum abbreviari, seu dispensari valeat. Missionarii dum in Seminario sunt spiritualibus exercitiis, vel studio impendere debent totum tempus, quod corporalibus superfluit indigentiis: Si quis vero vanis confabulationibus, aut cursitationibus deditus inveniatur, publica pœnitentia in Communitate puniatur: Nec ulli concedatur licentia è domo exeundi, nisi aliquando recreationis causa per campos cum Socio expaciaturus sit, aut pro inevitabili pertractando negotio ad Civitatem, vel Oppidum egredi debeat, idque raro fiat, ut quanto in Monastica solitudine, humani commercii contemptu vigilantiores fuerint, eo ad reprehendendas Fidelium diversiones aptiores reddantur. Communitas e Seminario non exeat, nisi raro, & gravissima de causa, ut ad exequias Religiosi alicujus nostri Ordinis, aut Apostolici, non autem ad sociandos alios defunctos, vel publicas Processiones. Fœminarum colloquia quantumvis brevissima ubique vitentur, solumque ipsarum confessiones, nullo alio intermisso colloquio audire licebit. Nullo modo acceptentur conciones festivæ in Seminario, solumque fiant, quæ occasione Missionum necessariæ censeantur, ad eleemosynas autem petendas omnes sine exceptione mittentur; itaut in omni servitio Communitatis, omnes, etiam Guardianus quantum fieri possit, sint pares. Quoad eleemosynas Prædicatorum, libros Defunctorum, & Bibliothecarum augmentum, & conservationem, in omnibus Seminariis, sicut, & in omnibus aliis Conventibus nostræ obedientiæ subjectis; servetur Breve *Exponi nobis* a SS. D. N. Innocentio XI. expeditum. Nulli Sæculari permittatur ingressus ad interiora Conventus, sed in Claustro inferiori disponatur aliqua Camera honesta, & devota cum humilibus Sedibus, ubi Viri Sæculares quærentes aliquem ex Patribus pro sua spirituali consolatione excipiantur, & consolentur. Et tam quoad ingressum, & moram, ac pernoctationem Sæcularium, quam quoad supellectilium, & ornamentorum commodationem serventur in dictis Seminariis, sicuti, & in omnibus aliis d. Provinciæ Ultramontanæ Conventibus, Decreta Sacræ Congregationis, auctoritate Apostolica confirmata, in dicta familia observari præcepta. Omnes Seminarii Patres sine aliqua inter ipsos notabili differentia, induant habitum exteriorem Observantium, in quo vilitas, & humilitas, ac solus cinericeus color ex lana alba, & nigra, non ex alia tinctura consurgens semper resplendeat: forma vero erit juxta reformationem in ultima Congregatione Toletana factam ad literam observandam, & in disciplinis, jejuniis extra Regulam, Capitulis culparum, & aliis austeritatibus, cæterisque ad Regulæ, vitæ Monasticæ, & Regularis disciplinæ observationem conducentibus Constitutionibus generalibus Ordinis se conforment. Guardianus, vel in ejus absentia Præses, temporibus opportunis, aut quando necessarium judicaverit mittat Missionarios binos, & binos, aut in majori numero, prout animarum necessitati viderint expedire, consignando eis in partibus Fidelium oppida, tractus, & terras, in quibus singulis, suas Missiones facere debent, de licentia tamen Ordinarii; relinquant tamen aliquos in Seminario, qui Communitatis exercitia expleant, & hi aliis revertentibus, mittantur. Nullus tamen eorum ultra spatium sex mensium in præmissis Fidelium Terris extra Seminarium pro qualibet vice remaneat, & quilibet sub pœna expulsionis a Seminario postquam prædictum tempus insumpserit a Missione cessare debeat, ad Seminariumque revertatur, ut vires spirituales, & corporales in eo reassumat, ac recuperet, & alii ad opus ab ipso incœptum, & forsan non finitum prosequendum destinari poterunt; Ad partes vero Infidelium solus Missionum Commissarius, si præsens fuerit, operarios necessarios sub forma superius præscripta destinare valeat, eoque absente, Guardianus de consensu majoris partis Discretorii idoneos Ministros ire cupientes eodem modo transmittere valebit. Præd. Superiores Generales respective teneantur per se, vel per suum Commissarium ad hoc specialiter institutum in singulis trienniis præfata Seminaria visitare, & in singulis visitationibus inquiratur sigillatim de observantia præmissarum omnium Constitutionum, & defectus si qui fuerint, corrigantur, & juxta eorum qualitates possit Superior ipse Generalis procedere ad expulsionem Missionariorum, & Guardiani privationem: Delegatus autem ipsius possit tantum Guardianum suspendere, & adhibitis necessariis correctionibus Superiorem Generalem de majori remedio apponendo monere. Et quia speramus, quod Dei spirante gratia, per hos sui verbi Ministros plures Gentilium Populi ad fidem sint convertendi, quorum Neophitos in accepta fide conservare, eisque Sacramenta ministrare necessarium est; ordinatur ut in conversis Populis aliqui ex præfatis Missionariis ad prædicta observanda necessarii remaneant, monito Guardiano Seminarii, & ab eo licentia obtenta, qui semper ejusdem Guardiani subditi remanebunt, & ejus correctioni, ut supra subjecti: Manentes autem in Oppidis conversis non computabuntur in numero assignato Missionariorum Seminarii, sed eorum loco alii in Seminario possint recipi. In cura autem animarum sic conversarum ad fidem, tamdiu solummodo poterunt remanere, quoadusque Episcopo ad quem Terra pertinet, vel in posterum pertinebit placuerit Presbyteros Sæculares quibus animarum curam committat destinare. Quandiu vero prædicti Missionarii in prædicta cura remanserint, nihil ex titulo Curatorum, vel doctrinarum possint accipere, sed præcise ex emendicatis eleemosynis, vel ultro oblatis vivere debent. Poterunt tamen stabilita nostra fide, & Curatis Sæcularibus inibi manentibus, in Populis magnis, aut capacibus, de licentia Episcopi, & præfati Superioris Generalis, Conventus nostri Ordinis fundare, in quibus juxta Regulam, & Statuta ex eleemosynis sub regulari disciplina Fratres vivere possint, & Conventus illi Guardiano præfati Seminarii, ad quem pertineat viva illa conversio, & cujus solicitudine obtenta fuerit,

De Missionariorum & Seminariorum Visitatione.

De erectione Cænobiorum, & prohibitione exercendi missionem aliis facta.

fuerit, vel Seminarii vicinioris (eligendo a Missionum Commissario; si conversio ejus cura, ac diligentia promota, & adepta fuerit) in omnibus, & per omnia præfatum Seminarium, erunt subjecti, quoad usque ex illis custodia possit formari vel aliter in Capitulo Generali de illis provideri, aut ex illis aliqui, ut licitum erit, in Missionariorum Seminaria sub his Statutis erecti fuerint. Quoniam vero cura, & solicitudine Missionariorum pertinentium ad prædicta Seminaria spiritualibus necessitatibus Regnorum Hispaniæ, licet non Indiarum sufficienter provideri poterit; ne Sanctum Missionum opus ex dissimili Missionariorum modo procedendi deturpetur, nullus nostri Ordinis Fratrum, qui extra prædicta Seminaria vivat Missionarii munus quarumcumque literarum a nobis, vel prædecessoribus nostris, ac ab aliquo inferiore, vel in nostro officio successore concessarum, vel concedendarum vigore sub aliquo quantumvis specioso colore, aut prætextu in Hispaniæ partibus a tempore quo tria Seminaria in illis erecta fuerint, exercere valeat. In Provinciis autem tam Hispaniæ, quam Indiarum; quæ non habuerint Conventum idoneum, & pro præfata erectione inconvenientibus insuperabilibus non expositum, fundatio novi Seminarii, requisitis servandis servatis, licita erit, arbitrioque Commissarii Missionum relinquitur, & a nullo nostri Ordinis Fratre, sive subdito, sive Superiore, cujuscumque dignitatis sic impediri poterit. Si Seminaria præmissa in prædictis Hispaniæ, & Indiarum partibus erecta, ac erigenda aliquando relaxentur, & a perfectione, & laudabili fine, ad quem instituuntur notabiliter defecerint, vel Statuta hic contenta, & alia, quæ præsentibus non sunt contraria, & pro aliis Seminariis tam erectis, a Sede Apostolica, ut præfertur approbata reperiuntur, non observaverint, seu novum gubernium, & aliquam ab observantia separationem a Sede Apostolica, aut a Superioribus Ordinis petierint, vel per se, aut interpositam personam obtinere curaverint, vel sponte oblatam cum effectu admiserint; Seminaria eisdem Provinciis, a quibus Conventus pro illorum erectione sumpti fuerint, iterum incorporentur, & Ministri Provincialis regimini, sicut cæteri ejusdem Provinciæ Conventibus indispensabiliter subjiciantur: siquidem sub his tantum conditionibus, & ordinationibus, quas vim illius indissolubilis obligationis, & contractus, qui inter Fratres Missionarios, & Fratres Provinciarum, Superiores Seminariorum, & Superiores observantiæ esse possit habere volumus, & non sub aliqua alia consideratione præsentem Seminariorum erectionem permittimus, laudamus, & approbamus, ac ab omnibus ad quos spectat sub pœnis præmissis admitti præcipimus.

De Seminariis erigendis, & supprimendis.

De doctrina, confirmatione Statutorum, horum interprete, & gratiis.

Quarto. Et quia nos non latet quamplurima absurda, & nimia opinandi sub privilegiorum prætextu, ac operandi licentia quotidie oriri posse, quæ scandala, & relaxationes suscitare valent, omnibus nostri Ordinis Missionariis, ac aliis sub nostra directione, seu obedientia degentibus personis in Domino suademus, & mandamus, ut doctrinas tutiores, ac probabiliores semper doceant, & amplectantur. Ut autem, quod temporalibus proficit spatiis, spiritualibus quoque amplificetur dictarum Missionum augmentis, & ne perpetua firmitate careat, quod sola nostra auctoritate decernitur, præsentium tenore nostro hujus Curiæ Commissario Generali paternam benedictionem, & facultatem concedimus, ad hoc ut tanquam Ordinis nostri honorabile negotium præsens amplectatur, & earum rerum, quæ in his literis continentur, confirmationem, ac perpetuam validitatem a S. Sede Apostolica petat, & solicitare non desistat, qua obtenta, omnia Seminaria, tam erecta, quam erigenda juxta nostras literas gubernari teneantur. Etsi aliquod dubium circa aliquam illarum clausulam aliquando oriatur, Superior Generalis illarum partium respective, non vero aliquis Delegatus, de consilio, & assensu tamen majoris partis Discretorii alicujus Seminarii, tempore Visitationis, & non alio, nec aliter valeat providere donec S. Sedes consulatur, seu Sacra Congregatio Propagandæ fidei, nunquam tamen in aliquo absque Sedis Apostolicæ auctoritate dispensare poterit, & tam dictis Missionum Commissariis, quam omnibus aliis personis, quæ ad harum erectionem, stabilimentum, & Missionum præfatarum, promotionem, auxilium dederint Seraphici P. N. Francisci benedictionem impartimur, & si Sæculares fuerint ultra dictam benedictionem, eos ad participationem omnium Indulgentiarum, & operum spiritualium, quæ ipsis communicare valemus, & nunc pro tunc admittimus, & pro semper admissas esse, & fore declaramus. Datum Romæ ex nostro Conventu S. Mariæ de Ara-Cœli die 7. Aprilis 1686. -- Fr. Petrus Marinus Minister Generalis -- Loco ✠ Sigilli -- De mandato suæ Rmæ Paternitatis -- Fr. Joseph a Leone Secret. General. Ord. -- Præsens transumptum concordat cum suo originali de verbo ad verbum. In quorum fidem &c. -- Dat. Romæ hac die 23. Aprilis 1686. Fr. Michael Tonerus Secret. Gener. Curiæ -- Loco ✠ Sig.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicta Statuta absque Sedis Apostolicæ approbatione, & defectuum supplemento, ac contrariorum, quibus ejusdem Sedis accessu auctoritas, legitima derogatione subsistere non valeant: Nobis propterea, tam Franciscus Commissarius Generalis Curiæ, quam Antonius Missionum Præfectus præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 7. Nos igitur ipsos Franciscum, & Antonium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandæ fidei præpositæ super hoc negotio specialiter deputatorum consilio, Collegia, seu Seminaria pro educandis Fratribus dicti Ordinis ad Missiones jam erecta tam in Conventu S. Crucis de Querertro Provinciæ de Mechoacam, quam in aliis Hispaniæ Provinciis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac facultatem erigendi alia Collegia, seu Seminaria hujusmodi unum scilicet, vel duo in qualibet ex Provinciis Ordinis prædicti, quæ in ditionibus dicti Caroli Regis, tam quæ apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, ac cæteras Occidentales Indias ipso Carolo Regi subjectas consistunt, eidem Ordini, de Ecclesia Dei, & S. Sede Apostolica benemerito, auctoritate, & tenore prædictis, benigne concedimus: Confirmando supplementum consensuum per dictum Petrum Marinum Ministrum Generalem, ut exponitur factum, & interdicendo Superioribus Generalibus illarum partium sub pœnis in præinsertis literis contentis, & aliis arbitrio dictæ Congre-

Confirmatio Seminariorum erectorum.

Concessio facultatis erigendi alia.

Pœnæ adversus protrahentes, vel suspendentes dictas erectiones.

gationis Cardinalium reservatis, ne ultra quatuor menses a requisitione per Religiosos ad id facultatem habentes facta, seu facienda computandos dictas erectiones protrahere, seu suspendere possint; Salva semper in omnibus supra relatis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium ad formam Constitutionis fel. re. Greg. PP. XV. Prædecessoris nostri. Præterea Statuta præinserta pro dictis Collegiis, seu Seminariis, tam erectis, quam erigendis, ac eorum Fratribus, & Superioribus a præfato Petro Marino Ministro Generali, ut præfertur condita dicta auctoritate harum serie confirmamus pariter, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper memoratæ Congregationis Cardinalium auctoritate ea augendi, seu moderandi quatenus opus fuerit, & magis in Domino expedire videbitur; ac quoscumque juris, & facti defectus quoad Collegia præfata jam erecta supplemus.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Clausulæ.

§. 8. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas patentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVI. Oct. MDCLXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXIV.

Conceditur, ut Indulgentia plenaria perpetua Ecclesiis Ord. S. Francisci de Observantia, & Reformatorum die 2. Augusti concessa applicari possit per modum suffragii.

Hæc Indulgentia concessa fuit a Greg. XV. Constit. ed. 1622. Jul. 5. De aliis vero hujus Ord. Indulgentiis vid. Const. ed. 1686. Sept. 5. P. 10., & Innoc. XII. Const. ed. 1691. Decem. 24. P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 22. Jan. 1687. An. 11.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prædicta Indulgentia a Gregor. XV. concessa fuit

Alias fel. rec. Gregorius PP. XV. Prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, & Reformatorum Minorum ubique existen. die secunda Mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi annis singulis devote visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Gregorii Prædecessoris literis desuper in simili forma brevis die IV. Julii 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit uberius continetur.

Visitantibus dd. Ecclesias

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem per d. Gregorium Prædecessorem nuper concessam, etiam animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret: Nos piis ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, & concessa confisi, Indulgentiam Plenariam, & peccatorum remissionem Christifidelibus præfatis supradictas Ecclesias Fratrum Ordinis S. Francisci de observantia, & Reformatorum dicta die 2. Mensis Augusti, ut supra visitantibus, & præmissa peragentibus concessam, etiam Christifidelium animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Concessio applicationis Indulgentiæ

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXII. Jan. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXV.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super nonnullis dubiis circa Constitutiones Monachorum Congregationis Bavaricæ, quo etiam extenditur auctoritas Nuncii Helvetiorum.

Constitutiones hujus Congr. extant Const. ed. 1686., Feb. 6., P. 10. aliud vero Decretum Congr. Regul. super electione Abbatum Constitut. ed. 1686., Febr. 9., P. 10.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 21. Mar. 1687. An. 11.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, super negotiis Congregationis Bavaricæ Monachorum Ordinis S. Benedicti a Nobis deputata, emanavit super quibusdam dubiis pro parte Superiorum, & Monachorum Congregationis hujusmodi propositis Decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

Species facti

§. 1. Cum super Constitutionibus Congregationis Bavaricæ a Sanctissimo D. Nostro nuper approbatis, pro parte Superiorum, & Monachorum ejusdem Congregationis, excitata fuerint infrascripta dubia, quæ decerni, & declarari postulant ab eadem particulari Congregatione

Decretum Congreg.

Eminorum

Dubia circa Constitutiones.

Eminorum S. R. E. Cardinalium a Sanctitate Sua specialiter duputata, videlicet, Primo -- An Abbates electi ad Abbatias, & Monasteria in Libris Cameræ non descripta, teneantur petere ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt dicta Monasteria, non solùm confirmationem, sed etiam benedictionem, cum in Literis Apostolicis fiat tantum mentio de confirmatione, licet resolutio hujus Sacræ Congregationis sub die 14. Mai 1682. loquatur de confirmatione, seu Benedictione. Secundo -- An Diœcesani teneantur mittere Commissarium ad interessendum electioni ne sub prætextu ignotæ qualitatis electi, denegare valeant confirmationem, & an tali casu, Diœcesano renuente confirmare electum, liceat recurrere, sive ad Sanctam Sedem, sive ad Nuncium Helveticorum. Tertio -- Ad quem spectet confirmare, & benedicere prædictos Abbates, Sede Episcopali vacante, aut administrante Ecclesiam Delegato Apostolico. Quarto -- An Congregatio hujusmodi supponenda sit in totum Jurisdictioni Nuncii Helvetici, qui alium veluti Privilegiorum Conservatorem, substituere possit, cum facultatibus eidem a Nuncio præfato committendis. Quinto -- An renuentibus Monachis Monasterii Superioris Quercus, vulgo *Obernaltaich*, remanere in Congregatione, non obstante proprio consensu, ab initio præstito, deputanda sit persona idonea, quæ assistendo visitationi de præfato Monasterio faciendæ, possit renuentes Monachos illinc removere, & in aliis sibi benevisis Monasteriis collocare. Sexto -- An Monasterio alias dictæ Congregationi legitime unito, liceat ab eadem recedere. Septimo -- An liceat Canonicis Ratisbon. dismembrare Parochiales, mensis Abbatialibus unitas. Octavo -- An recusante Vicario Capitulari ejusdem Ecclesiæ Ratisbonen. publicare Indulgentias a Sanctissimo Domino nostro concessas, ab alio peti possit publicatio, & a quo? Nono -- An admittenda sit forma juramenti, in manibus Augustani Episcopi emissi, a novo Abbate S. Montis Andecensis? Decimo -- Stante Congregationis exemptione, ad quem spectet Capituli directio, & quomodo in electione procedendum? Eadem Sacra Congregatio ad proposita dubia, ut infra respondit, videlicet. Ad primum -- Benedictionem Abbatum reservandam Episcopo, in cujus Diœcesi Abbatia, non tamen in Libris Cameræ descripta, reperitur, tanquam Delegato Sedis Apostolicæ, & ejusdem Sedis auctoritate impartiendam, ipsoque renuente, peti posse à quocumque Episcopo communionem Sedis Apostolicæ habente, eodem jure delegato, servata semper forma præscripta a Cæremoniali in Benedictione Abbatum, facienda auctoritate Sedis Apostolicæ. Ad secundum -- posse Ordinarium, in cujus Diœcesi Abbatia reperitur, mittere unum tantum Commissarium ad interveniendum electioni, secutaque electione, transmittendum illius instrumentum ad eundem Episcopum, ipsoque renuente intra trimestre confirmare, posse Eligentes recurrere ad Nuncium Helveticorum, eique proinde tribuendam facultatem confirmandi auctoritate Apostolica Abbates electos, ad Monasteria in Libris Cameræ descripta. Ad Tertium -- quoad Monasteria prius subjecta Ordinariæ Jurisdictioni confirmationem Sede vacante, seu dato Administratore per Sedem Apostolicam, spectare ad Nuncium. Ad Quartum -- Posse Helveticorum Nuncium in Congregatione exercere per se, vel per alium, ab ipso deputandum eamdem facultatem, quam habet intra limites suæ Nunciaturæ. Ad Quintum -- Providendum a Nuncio Helveticorum. Ad Sextum -- Provisum per Constitutiones. Ad Septimum -- Transmittendam ad Sacram Congregationem Informationem super statu, & qualitate singularum Parochialium. Ad Octavum -- Recurrendum ad Nuncium. Ad Nonum -- Non sustineri formam juramenti, nec deberi Episcopo, nisi reverentiam, non autem fidelitatem, & servandam formam Cæremonialis. Ad Decimum -- Mortuo Abbate per Priorem notificandam Præsidi vacationem, atque per eundem Præsidentem assignandum, & determinandum tempus, & diem electionis faciendæ, convocatisque statuta die Monachis vocem habentibus, Præsidentem, sine tamen voto, eoque impedito, primum Visitatorem, & deinceps in casu impedimenti primi, secundum, & successivè antiquiorem Abbatem non impeditum, Capitulo præsidere debere. Per Electores verò procedendum ad electionem Abbatis per secreta suffragia, eumque, in quem concurrat major pars votorum, scilicet ultra medietatem Eligentium, itaut unus supra medietatem sufficiat, habendum pro legitime electo, & electionem legitimam pronunciandam. Quod si intra tempus trimestris vocales ad electionem non deveniant; vel post trina scrutinia in nullo major pars votorum convenerit, tali casu electionem intelligi debere devolutam ad solum Præsidentem. Romæ 14. Januarii 1687. G. Cardinalis Carpineus. Loco ✠ Sigilli. E. Panciaticus Secretarius.

Resolutiones Congreg.

Præses Præsidis, & Abbatum.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Cælestinus Præses, & alii Abbates dictæ Congregationis Bavaricæ Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi, Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ac effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, & expressa auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, d. Congregationis Bavaricæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam

impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXI. Mart. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXVI.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc. & Reg. super subjectione Collegiatæ S. Germani Ecclesiæ Abbatiali Montis Casini.

De jurisdictione in Monachos Confessarios Ecclesiarum S. Scholasticæ, & specus Sublacen. vid. Constit. 1676., Nov. 17., P. 1. De prima vero subjectione plura extant Benedicti XIII. Const. quæ inc. Inscrutabilis *ed. 1725.*

Dat. 22. Mar. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lis inter Abbatem Montis Casini, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Germani.

ALias in Causa jurisdictionis, quæ inter dilectos filios Abbatem, & Monachos Monasterii Montis Casini Ordinis S. Benedicti ex una, & dilectos etiam filios Capitulum, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani ex altera Partibus pendebat indecisa, emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretum, tenoris, qui sequitur, videl. In Causa Montis Casini jurisdictionis verten. inter P. Abbatem, Monachos Montis Casini ex una, & Capitulum, & Canonicos Collegiatæ S. Germani partibus ex altera de, & super dubiis, & controversiis per hanc Sac. Congregationem Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, Partibus hinc inde in facto, & Jure informantibus sub die 12. Martii 1676. referente Emo Castaldo remissis ad Sacrum Auditorium Rotæ pro ejus voto. Eadem Sacra Congregatio visis tribus Decisionibus per Sacram Rotam utraque Parte informante coram R. P. D. Albergato editis sub diebus 30. Aprilis 1677., 14. Aprilis 1679., & 27. Januarii 1681., visoque ejusdem Sacræ Rotæ voto registrato in calce ultimæ Decisionis emanatæ omnibus Auditoribus votantibus, reque mature discussa, necnon pluries citato, & intimato Procuratore Capituli, & Canonicorum S. Germani, referente Eminentiss. Casanate in locum Eminentissimi Castaldi absentis subrogato, censuit, & declaravit, Ecclesiam Collegiatam S. Germani esse subjectam Ecclesiæ Abbatiali Montis Casini, eidemque Ecclesiæ S. Germani, illiusque Capitulo, & Canonicis super præmissis Dubiis, & controversiis imponendum fore, & esse perpetuum silentium, prout præsentis Decreti vigore imponit. Romæ 14. Novem. 1681. G. Cardinalis Carpineus. B. Panciaticus Secretarius.

Decretum d. Congregationis.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Casinen. d. Ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri plurimum desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Dño possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibulvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXII. Mar. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXVII.

Erigitur Collegium studiorum in Monasterio S. Pauli extra mœnia Urbis Monachorum Casinen., & pro eo leges nonnullæ conduntur.

Constitutiones eorum Monachorum extant Const. ed. 1680., Novem. 22., P. 5., & quoddam Statutum pro Dieta intermedia Innoc. XII. Constit. ed. 1691., Jul. 28., P. 1.

Dat. 22. Mar. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INscrutabili divinæ sapientiæ, atque bonitatis arcano Catholicæ Ecclesiæ regimini meritis licet imparibus præsidentes, Sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studia, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mentes luce veritatis illustrantur in Ordinibus, & Congregationibus Regularibus, præsertim sub suavi Monasticæ vitæ jugo Deo famulantibus, uberesque bonorum operum fructus adjuvante Domino proferre jugiter satagentibus libenter excitamus, & promovemus, ac Pastoralis Officii Nostri partes peculiari desuper charitate interponimus, sicut rerum, temporum, & personarum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & Catholicæ Fidei Incrementum, & præsidium, ac ipsorum Ordinum, Congregationis decus, & utilitatem, animarumque salutem in Domino expedire arbitramur.

Commendatur d. Collegium.

§. 1. Considerantes itaque quantum decoris, & utilitatis Congregationi Casinensi Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, cujus egregia constant in Ecclesiam Dei merita, sit perventurum, si in Monasterio S. Pauli prope, & extra mœnia hujus Almæ Urbis nostræ, ejusdem Congregationis Collegium studiosorum, in quo Monachi ipsius Congregationis Philosophiæ, & Sac. Theologiæ, vel Canonum studiis sedulo navent operam, opportunis rationibus instituatur, jamque provida Superiorum Monasterii seu Congregationis hujusmodi industria, de iis, quæ ad ejusmodi Collegii, ejusque Collegialium, & Lectorum sustentationem, & manutentionem necessaria sunt, sufficienter provisum reperiri: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in Præfato Monasterio S. Pauli, & respective in ædibus S. Callisti de eadem Urbe, ubi Monachi d. Monasterii æstivo tempore degere solent, unum Collegium studiosorum, in quo decem saltem Monachi professi d. Congregationis Casi-

Erectio Collegii in Monasterio S. Pauli, & in ædibus S. Callisti.

nensis

hensis Theologiæ Scholasticæ, & Sacrorum Canonum studiis sub idoneis Lectoribus, seu Magistris operam navare, & in illis institui, atque sedulò instrui debeant, tenore præsentium, sine cujusquam præjudicio in perpetuum erigimus, & instituimus.

De Lectoribus.

§. 2. Statuentes, & Apostolica auctoritate decernentes, & ordinantes, ut Lectores; seu Magistri in novo Collegio sic erecto, & instituto scientias edocturi, ex ordine saltem Decanorum dictæ Congregationis Cassinen. seligantur, iique ad id muneris idonei censeantur, qui optimis moribus, vitæque integritate præcipue fulgere noscentur, quique per integrum septennium in aliis Monasteriorum ejusdem Congregationis Scholis, aut in Universitatibus studiorum generalium Philosophiam, & Scholasticam Theologiam publice professi fuerint. Ne autem illorum electionem, ulla prorsus terrena affectio contaminet, iidem Lectores, seu Magistri in Capitulo Generali præfatæ Congregationis Cassinensis a cunctis Diffinitoribus per secreta suffragia eligantur, præstito prius juramento eos eligendi, quos doctiores, aptiores, & præstantiores esse pro sua quisque conscientia in Domino judicaverit. Ipsi vero Lectores, seu Magistri hac forma electi, in Theologiæ Scholasticæ cursu eas scientias, & scripto, & voce discipulos doceant, quæ S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ex S. Benedicti Ordine assumpti, doctrinæ adamussim cohæreant, sub depositionis, & privationis muneris, aliisque pœnis, si secus egerint Superiorum arbitrio infligendis.

De Studentibus.

§. 3. Porro Scholasticorum, sive studiosorum Collegii hujusmodi numerus omni tempore minor denario non sit, quorum tres tantum, & non plures ex d. Monasterii S. Pauli Professis, & reliqui septem ex septem ejusdem Congregationis Provinciis assumantur; ita scilicet, ut Provinciarum qualibet, discipulum unum ad idem Collegium, tertio quoque anno mittendi facultatem habeat: qua in re ea lex inviolate servetur, ut Monasterium, ejusque Provinciæ majori Professorum numero gaudens, primum Scholasticum, primo triennio ad Collegium hujusmodi mittat, quo elapso, secundi Monasterii Alumnus subrogetur, & sic de aliis successive. Quod si in Monasterio S. Pauli, sive in alio cujusvis Provinciæ hujusmodi respective Monachi ad prædictas facultates addiscendas idonei non reperiantur, eo aliis ejusdem, vel vicinarum Provinciarum numerosioribus Monasteriis ad Collegium ipsum loco illorum evocentur.

De Examinatoribus.

§. 4. Nemo autem ad dictum Collegium admittatur, quem morum probitas, & regularis disciplinæ studium, non commendet, & qui toti Philosophiæ, ac tribus duobus, vel saltem Scholasticæ Theologiæ tractatibus in aliis prædictæ Congregationis Gymnasiis sedulo non vacaverint, ab ipso Collegio arceantur. Ac propterea a Diffinitoribus ejusdem Congregationis in Capitulo Generali tres docti, præstantes, & zelo præditi Examinatores in unaquaque Provincia instituantur qui publico consulturi bono, Scholasticos diligenter interrogent, & propositis eis Theologicis, atque Philosophicis argumentis, serio, & non ad speciem examinent, deque eorumdem aptitudine, doctrina, & ingenio, præstito juramento in scriptis fidem faciant. Postquam vero sic examinati ad Urbem pervenerint, ab Abbate Monasterii S. Pauli, ac Procuratore Generali Congregationis, & Lectore Collegii hujusmodi pro tempore existentibus denuo interrogentur, & iterato subdantur examini, ac idonei reperti approbentur, excipiantur, & Collegii præmio adscripto declarentur, inhabiles vero inventi, præmissa ad Præsidem dictæ Congregationis de eorum insufficientia in scriptis attestatione jurata, cum ejusdem Præsidis consensu, ad professionis suæ, sive ad alia remittantur, & in Examinatores, qui muneri suo defuerint, tanquam in perjurii reos, graviter in proximis comitiis animadvertatur. Quapropter ad Abbatiam Sancti Pauli regendam, ac ad Procuratoriæ Generalis officium ii promoveantur, qui imposito sibi muneri satisfaciant, Visitatores autem dictæ Congregationis in actu visitationis d. Monasterii S. Pauli, præfatum Collegium visitent, ac de vita, & moribus Scholasticorum diligenter inquirant, & una simul cum prædictis Abbate Monasterii S. Pauli, & Procuratore Generali, eosdem scholastice examinent, & quos pravis moribus inquinatos, aut scientiis operam non dedisse cognoverint, præhabito Præsidis consensu, extra Collegium eliminent, & ab Urbe abigant, eorumque dimissionem eidem Præsidi, sine mora significent, qui ad præscriptum præsentium Literarum alios Scholasticos ejectorum loco substituendos curabit, ut omni tempore præfixus denarius numerus integer in Collegio hujusmodi perseveret.

De amotione Lectorum, & Studentium.

§. 5. Porro nulli Lectori ultra sexennium, nullique studentium ultra triennium in dicto Collegio liceat permanere, sed his temporum spatiis respective evolutis, novi Lectores, novique Scholastici antiquioribus subrogentur, incipiendo a proxime futuro Capitulo Generali dictæ Congregationis, quod tertia Dominica, post Pascha Resurrectionis Dominicæ currentis Anni 1687. celebrabitur. Lectores autem, & Scholastici legitime electi, ante præfixum tempus a Collegio prædicto non amoveantur, nisi intervenientibus veris, justis, atque gravioribus causis, quas Abbas Monasterii Sancti Pauli, & Procurator Generalis prædicti pro tempore existentes, tanquam Sedis Apostolicæ delegati cognoverint, & probaverint, & de quibus præmisso in scriptis juramento Præsidem dictæ Congregationis certiorem faciant, qui cum Visitatorum Provinciæ Romanæ, Abbatis Monasterii Sancti Pauli, & Procuratoris Generalis præfatorum, vel majoris partis eorum consensu, amovendos amoveant, aliosque in amotorum locum, servato quoad Scholasticos Monasteriorum ordine supradicto, ac præmisso semper duplici eorumdem examine, sicut præmittitur statuto, in Collegium judicant. Quod si contingat Lectores intermedio tempore justis, & gravioribus id exigentibus causis amoveri, & Collegio privari, Præses cum supradictorum, vel majoris partis eorumdem consensu, de aliis Lectoribus provideat, usque ad futuram Dietam, si proxime fuerit celebranda, in qua nova Lectorum hujusmodi electio, vel confirmetur, vel reprobetur, donec in Capitulo Generali Congregationis præfatæ, tunc proxime futuro, a Diffinitoribus, præstito prius Juramento, ut supra per secreta suffragia ea omnia, quæ interea gesta fuerint, confirmentur, vel recidantur. Eodemque modo pariter, ac lege in casu mortis, vel diutinæ ægritudinis, sive Lectorum, sive Scholasticorum incidentibus Collegii necessitatibus usque ad Dietam, sive Capitulum Generale pro interim consulatur.

De regulari disciplina, & exercitationibus Theologicis.

§. 6. Scholastici autem prædicti omnes, & singuli adinstar reliquorum Monachorum in præfato Monasterio Sancti Pauli degentium regulari observantiæ incumbant, mentali orationi, certis horis per Constitutiones statutis omnino vacare satagant. Chorum non omittant, Missarum oneribus, qui Sacerdotio initiati fuerint, satisfaciant, cæterasque monasticas Leges inviolate custodiant, ut tamen omni distractione semota scientiis adipiscendis insistere valeant, eos aliis occupationibus, & præsertim œconomicis curis nemo audeat implicare. Ipsi quoque Scholastici, dum in præfato Monasterio Sancti Pauli commorabuntur, præter quotidianas le-

ctiones, & repetitiones, singulis hebdomadis, semel per ordinem theses disputandas proponant, atque adversus arguentes ea, qua Monachos Ordinis Sancti Benedicti decet modestia, & religiositate defendant, & objecta dissolvant. Quibus literariis exercitationibus, Abbas Monasterii Sancti Pauli omnino, totiusque ejusdem Monasterii Conventus semper intersint; quocirca, ut hujuscemodi Scholasticæ concertationes studentium profectum juvent, & non ad inanem pompam excitentur, dictus Abbas hyemali tempore in præfato Monasterio habitet, ut ejus præsentia, auctoritate, & vigilantia regularis observantia non tepescat, & Scholasticorum studia ad scientiarum amorem inflammentur. Dum vero Sancti Callisti ædes prædictas incolent, consuetas lectiones, & repetitiones neutiquam intermittant, & insuper sigillatim theses in utraque facultate typis impressas publice tueantur, quæ omnia, ut alacrius, facilius, & commodius exequi valeant, tum Lectores, tum Scholastici ab accessu ad Monasterium Sancti Pauli, festivis diebus exceptis eximantur, prædicti vero Abbates, & Procurator Generalis, eosdem Lectores peculiari beneficentia, & specialibus charitatis Officiis prosequantur, ipsique Lectores sexennio in præfato Collegio laudabiliter expleto, a Religione debitis honoribus decorentur.

De victu, & vestitu, aliisque necessariis.

§. 7. Cæterum Magistris, & Scholasticis prædictis omnibus, & singulis victus, & vestitus, medicinalia, & alia ad vitam necessaria Monachorum Cassinensium more, & dicti Monasterii Sancti Pauli consuetudine servatis, ab eodem Monasterio cum omni benignitate præbeantur. Ut autem Monasterium ipsum horum causa nulli subjaceat incommodo, nec magis gravetur, cum de præsenti Lector, & sex Scholastici ab eodem ex suis proventibus substentetur; pro alio Lectore, aliisque Scholasticis addendis usque ad præscriptum numerum denarium, Procurator Generalis dictæ Congregationis, eidem Monasterio, cum effectu, sine mora singulis annis persolvat scuta sexcenta monetæ, quæ cum dicta Congregatio interusuria debiti sexaginta millium quo in Monte novennali nuncupato obstringebatur diminui, & ad minorem quantitatem reduci nuper obtinuerit, ex ea summa, quæ per diminutionem, sive reductionem hujusmodi facta est compendii, præstanda erunt, cui solutioni, si ullus Procurator Generalis pro tempore existens satisfacere neglexerit, vel temere renuerit ipso facto, seclusa omni excusatione, nulloque favente colore, officio, dignitate Abbatiali, ac voce activa, & passiva in perpetuum privatus intelligatur, statimque a Præside dictæ Congregationis ab officio, gradu, & dignitate depositus, & privatus declaretur, potestate ad eosdem gradus, & dignitates iterum illum assumendi, vel rehabilitandi (Sede Apostolica inconsulta) cunctis penitus interdicta: quod si Præses negligentiæ, vel conniventiæ in his exequendis reus extiterit, in easdem pœnas se ipso facto noverit incurrisse. Pecuniæ vero in accessu ad Collegium, & recessu ab illo, ac in Conclusionibus quolibet anno imprimendis, expendendæ a Monasteriis professionis eorum Lectorum, & Scholasticorum respective subministrentur.

De Supranumerariis.

§. 8. Liceat autem Abbatibus, & aliis præfatæ Congregationis Cassinensis Monasteria respective regentibus, necnon aliis Abbatibus, vel Superioribus aliarum Congregationum, Monachorum nigrorum tantum sub S. Benedicti Regula militantium, supra præscriptum decem Scholarium numerum, præhabito in scriptis Præsidis dictæ Congregationis Cassinensis, ac Abbatis Monasterii Sancti Pauli, & Procuratoris Generalis præfatorum consensu, alios Monachos Monasteriorum quibus præsint, Alumnos ad Collegium prædictum mittere, persoluta quotannis dicto Monasterio Sancti Pauli, pro eorumdem sustentatione, aliisque necessariis convenienti pecuniæ summa, qui supra numerum mittendi, easdem Collegii leges, statuta, & consuetudines, quibus cæteri Scholastici obnoxii sunt, servare omnino teneantur.

De prædictorum omnium executione.

§. 9. Quia vero ad præmissa omnia prorsus exequenda potissimum obstringuntur, & valde conferre possunt ipsimet Religionis Superiores, idcirco statuimus pariter, & ordinamus, ut in quolibet memoratæ Congregationis Cassinensis Capitulo Generali, post Diffinitorium electionem, prima die, posthabito omni alio quantumvis graviori negotio, Diffinitores ipsi diligenter, & serio inquirant, an de iis, quæ in præsentibus literis continentur aliquid omissum, innovatum, aut a quoquam fuerit in contrarium, seu aliter dispositum, quod si hæc omnia, & singula non ad unguem servata, & his nostris Apostolicis jussionibus non plene obtemperatum animadverterint, statim emendanda emendent, & corrigenda corrigant, ac omnia ad formam earumdem præsentium literarum in integrum restituant, & a transgressoribus, violatoribus, & negligentibus pro culparum gravitate pœnas sumant. Si autem Diffinitores prædicti in præmissis exequendis desides, remissique extiterint omnia Capituli Generalis acta, promotiones, electiones, provisiones, designationes, & Decreta ipso facto nulla, inania, & invalida fore, harum serie decernimus, & declaramus, & prætcrea Abbas Monasterii Sancti Pauli, Procurator Generalis pro tempore existentes prædicti, in earumdem literarum nostrarum omnimodam executionem minime intendentes, in pœnas privationis gradus, dignitatis, & officiorum, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto se incurrisse noverint, super quibus, nonnisi a Sede Apostolica præfata dispensari possit. Denique ut nemo præmissorum ignorantiam valeat allegare, dilecto filio Andreæ Deodato a Neapoli per præsentes committimus, & mandamus, ut easdem præsentes literas, omni cura, & solicitudine, dilectis pariter filiis Præsidi, Visitatoribus, omnibusque Abbatibus præfatæ Congregationis Cassinensis notificare procuret, ipseque Andreas Deodatus, qui de præsenti Procurator Generalis ejusdem Congregationis existit, præmissorum omnium, & singulorum executioni accurate, atque diligenter invigilet, ac de omnibus Nos & hanc Sanctam Sedem quamprimum reddat certiores.

Clausulæ.

§. 10. Decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Superiores, & Monachi Congregationis Cassinensis, & Monasterii Sancti Pauli præfatorum, aliive quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomolibet prætendentes cujuscumque gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut

impetrato,

impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit felicis recordationis Pauli Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon Congregationis Cassinensis, & Monasterii Sancti Pauli præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis etiam Congregationi, & Monasterio præfatis, illorumque Superioribus, & aliis personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & quantiscumque vicibus, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXII. Martii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXVIII.

Erigitur in Congregationem Confraternitas Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, ejus novæ Constitutiones confirmantur, & privilegia, exemptiones, ac Indulgentiæ ei conceduntur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 26. Mart. 1687. An. 11.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ECclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, ad ea per quæ pietatis, & Christianæ charitatis opera ubique locorum præsertim ad Infirmorum, & Convalescentium subventionem, & utilitatem provide, prudenterque ordinantur propensis studiis intendimus, & Christifidelium in id ipsum laudabiliter, & fructuose incumbentium Confraternitatibus in visceribus paternæ gerentes charitatis, felici illarum statui, & prosperæ in via mandatorum Domini directioni, libenter providemus, illasque, & personas in eis Domino famulantes opportunis favoribus, & gratiis prosequimur, sicut rerum, locorum, temporum, & personarum qualitatibus mature consideratis, ad Dei Omnipotentis gloriam, & animarum salutem, ac piorum operum incrementum, Populique Christiani ædificationem, & consolationem specialem conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Rodericus a Cruce Procurator Generalis Confraternitatis Confratrum Bethlemitarum nuncupatorum in Hospitalibus Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus canonice (ut asseritur) erectæ, quod dicta Confraternitas in eisdem Indiis initium habuit, a quondam Petro Betancur a Sancto Josepho, qui primam Domum, & Hospitale ipsius Confraternitatis in Civitate Guatimalæ pro Pauperum Convalescentium cura, aliisve pietatis, & Christianæ charitatis operibus anno 1653. ædificare cœpit, subinde cum aliud simile Hospitale anno 1671. in Civitate Liman. fundatum fuisset, Constitutiones pro præfatæ Confraternitatis gubernio juxta tunc existentem illius statum factæ anno 1674. per Sedem Apostolicam confirmatæ fuerunt. Porro aucto ejusmodi Hospitalium numero, usque ad undecim, & in promptu existente multorum aliorum fundatione, pro felici, prosperoque ejusdem Confraternitatis regimine, & gubernio formatæ fuerunt novæ Constitutiones, præsenti illius statui convenientes, tenoris, qui sequitur videlicet.

Ortus, & progressus dictæ Confraternitatis.

CAPUT PRIMUM.

De Confraternitatis Instituto.

§. 1. Finis societatis est strenue admodum incumbere in exercitium operum charitatis, & misericordiæ, tam spiritualium, quam corporalium erga omne genus personarum, præsertim erga Ægros convalescentes, procurando quam maxime Animarum tum propriarum, tum proximorum nostrorum salutem per omnium virtutum usum, & vitæ probatæ exemplar, adeout hi, qui ad nostra Hospitalia venerint corporis salutem recuperaturi in Animæ quoque salute egrediantur meliores effecti.

§. 2. Omnes subditi esse debent Præfecto Generali, & in humili subjectione suis Superioribus peculiaribus.

CAPUT SECUNDUM.

De Recipiendis ad Confraternitatem.

§. 1. Quia multitudo confusionem parere solet, ac etiam relaxationem, conveniens erit, ut non adsit in nostris Hospitalibus major Fratrum numerus, quam quos exiget necessitas, non erit tamen duodenario inferior, & si opus erit numerum augere, fieri poterit, id de licentia Præfecti Generalis, & Assistentium Generalium.

§. 2. Omnes, qui apti fuerint Medicinæ, & Chirurgiæ artibus, illas addiscent ex Præfecti Generalis, & Assistentium permissione.

§. 3. Admittendi ætate, & viribus pollere debent ad ministeria, quibus initiantur, convenientibus, ab omni originis, & infamiæ labe, imo & ejus suspicione immunes, cœlibes, corpore sani, nec ullo modo ære alieno, aut aliis oneribus gravati, quæ molestiæ, seu impedimenti esse possint, nec qui ullius Religionis, seu Congregationis habitum habuerint.

§. 4. Peractis probationibus, & experimentis etiam spiritus, quo ducuntur, prout convenire visum fuerit, cum fuerint ex sententia Fratris Præfecti, & Assistentium approbati, & in habitu sæculari manserint per aliquot septimanas, humilibus Domus exercitiis se applicando, hoc tempore Generalem omnium suorum peccatorum facient confessionem, ac quas profiteri debent regulis instruentur, adimpletisque istis obligationibus, completo decimo sexto ætatis anno habitum eis dabit Frater Præfectus de Præfecti Generalis, seu illius, qui, ut infra dicetur, vices tenebit ejusdem Præfecti Generalis, & Assistentium licentia, ac elapso probationis, & Novitiatus anno, ac de ejusdem Præfecti Generalis, seu Tenentis ejus vices, & Assistentium licentia, dummodo Professionem emissuri sciant legere, & scribere, & non alias professionem emittent in manibus Fratris Præfecti vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, ac Hospitalitatis vovendo, cujus posterioris voti obligatio extendatur ad inserviendum Pauperibus infirmis, etiamsi sint Infideles, & aliqua contagiosa ægritudine affecti, & successive fiet aliud votum perseverandi perpetuo in nostra societate Bethlemitica, Infirmisque serviendi.

§. 5. Adesse debet unus Novitiorum Magister nominatus a Præfecto Generali, & Assistentibus in Hospitalibus, quæ pro Novitiatu destinabunt ipse Præfectus Generalis, & Assistentes, in id accurate incumbendo, ut Magister sit ex insignioribus virtute, & prudentia, & qui saltem semel Præfectus fuerit alicujus ex nostris Hospitalibus, & casu quo idem Novitiorum Magister modo, & forma, de qua supra destinatus decedat, vel alio impedimento detineatur, præelegi in casu impedimenti provisionaliter debeat a Præfecto Domus, in qua contingat tale impedimentum alias sufficienti doctrina, & moribus præditus; in casu vero obitus præfigi debeat alius ab eodem Præfecto Domus, qui hujusmodi munus exerceat, donec sequatur approbatio Præfecti Generalis, & Assistentium, eaque sequuta evadat verus Magister Novitiorum, alias subintrabit ille, quem Præfectus Generalis, & Assistentes nominare censuerint in Magistrum Novitiorum.

§. 6. Inquisitiones de admittendo fient coram Fratre Præfecto cum ejus Secretario, Assistente etiam Novitiorum Magistro.

§. 7. Non potest admitti in Societatem ullus qui sit in Ordine Sacro constitutus, nec Cappellani, nec ullo alio titulo, neque ullus Frater ex hucusque admissis, & in posterum admittendis ordinari, quia statui Sacerdotali non conveniunt manualia ministeria, in quibus exercere se debent Fratres; Et si quis ordinem susceperit ipso susceptionis facto remaneat exclusus, & Societatis habitu privatus, ac a votis absolutus, nec in Domo stare possit, etiamsi sit in alio habitu. Iis vero, qui jam reperiuntur in Ordine Sacerdotali permittatur in Societate permanere, præsensque dispositio respiciat tantum futurum, non obstantibus dispositis in contrarium in veteribus Constitutionibus a Sancta Sede confirmatis.

CAPUT TERTIUM.

De Habitu interiori, ac exteriori, ac Cubiculis.

§. 1. Habitus uniformis esse debet in omnibus Fratribus, isque ex quo appareat interna humilitas, & rerum mundanarum contemptus, & sit symbolum, quo vere pauperes, & pœnitentes esse dignoscantur.

§. 2. Habitus exterior erit ex panno rudi, & coloris, ut dicunt *buriel*, nimirum ex lana quæ dicitur de *Sumonte leucophæa*, forma sit adinstar Togæ talaris cingulo corei nigri ad duorum digitorum latitudinem restrictæ, cucullus una tertia, ut ajunt, altus extremitate in aliquod acumen desinente, & dicta Toga quatuordecim palmos habeat in circuitu, & unam tertiam in manica, clamys ejusdem generis, duabus tertiis brevior Toga, pileus leucophæus ex lana rudi, & cum limbo grandi circuitus decem digitorum subtus corio tenui nigro inducto, & cum duobus funiculis pendiculis, nudis Tibiis, & pedibus cum solis crepidis, quas vulgo nominant Ramplonas, rudibus, & crassis, ac latis soleis, adeout habitus paupertati, & ruditati respondeant, super latus sinistrum Chlamydis gestabitur in lamina ad instar scuti depicta Jesu Christi Summi boni nostri Nativitas.

§. 3. Vestis interior convenire debet in paupertate cum exteriori quæsito in illa nitore, qui optime potest convenire cum paupertate, idcirco nemini concedatur induere lineum indusium nisi in gravi necessitate, qua qui urgebuntur, illud ferre poterunt, quo duraverit infirmitas cum Fratris Præfecti licentia: Licitum erit gestare Tunicam multitiam rudem, & panniculos stupeos nec ulli concedatur radere, nec tondere barbam quantum ad illam, quæ solita est Eremitis conformabitur.

§. 4. Debent omnes unico vestitu contenti esse, & quia necesse erit illum mutare, erit in Hospitali locus pro Pannaria designatus omni genere Vestituum, quibus Fratres nostri indigere possunt instructus, quibus cum charitate, & diligentia illis providebitur singulis quindecim diebus, aut etiam ante si opus fuerit.

§. 5. Exteriori vestitus paupertati consonare debet interior Cubiculorum, seu Cellarum paupertas, in his permitti non debent laminæ, nec arculæ, nec alia supellex exquisita, & superflua, neque profani ornatus, qui summam dedeceant paupertatem, quam observare debent nostri Fratres, & ad evitandum quantum fieri potest, ne illa imminuatur, Præfectus Generalis, Assistentes, & Præfecti id satagent, ut eorum cubicula exemplo sint, quo alii addiscant humilitatem, & paupertatem, quas debent in suis observare; & ut illa facilius recognoscere possit Superior, carebunt clavibus, & seris Januæ: adeo ut lectus ex ligno cum duabus dumtaxat lodicibus, quæ illum cooperiant: Unum pulvinar panneum: Una Crux ex ligno rudi: Aquæ lustralis vasculum: Scabellum, & mensula cum capsula absque clavi, ubi asserventur pœnitentiæ Instrumenta: Liber de contemptu Mundi, aut alius spiritualis: Et quia incongruum foret, ut qui veniunt omnibus inservire, haberent qui eis inservirent, nemo poterit famulum habere peculiariter.

§. 6. Poterunt admitti in Donatos horum aliqui, qui ex quopiam justo impedimento excludantur, ne sint Fratres cucullati, qui nostrum

habitum induent absque cucullo, & poterit Præfectus Generalis una cum Assistentibus permittere, seu licentiam concedere, ut ipsorum aliqui profiteantur eadem vota, quæ profiteri debent Fratres ut majus meritum, & perseverantiam hoc modo possint obtinere.

Caput Quartum.

De Exercitiis Spiritualibus cujuslibet diei.

§. 1. Habebunt Fratres quotidie horam unam Orationis mentalis a quinta ad sextam matutinam, convenientes omnes ad Campanæ sonum cum Fratre Præfecto, cum quo protinus post orationem ibunt omnes ad verrendum, vasa promendum, & valetudinaria poliendum, & finitis istis exercitiis audient Missam ad arbitrium Fratris Præfecti. Diebus Jovis, & Dominicis cujuslibet Hebdomadæ Sacram Eucharistiam sument omnes Fratres in communi, & si inter Hebdomadam accidit aliqua solemnis festivitas, poterit communio anteverti, seu postponi feriæ quintæ, illam ad festivitatem transferendo.

§. 2. Hora secunda pomeridiana omnes in Ecclesia congregati recitabunt Stationem SSmi Sacramenti, & post ejus venerationem legetur unum Capitulum ex Libro, cui titulus Contemptus Mundi, & deinde omnes ordinate procedent, Psalmum Miserere, recitantes usque ad valetudinarium principale, & hoc finito partitim ad alia divertent ad verrendum, & sternendum lectos Infirmorum, & Convalescentium.

§. 3. Hora quarta cum dimidia post meridiem recitabitur Corona B. Virginis Dominæ Nostræ Septem Misteriorum, & finietur cum examine conscientiæ quadranti horæ duraturo, & advesperascente die dato ad orationes campanæ signo, habebitur una hora orationis mentalis, ad quam puncta dabit Frater Præfectus ex uno librorum, qui de hac agunt materia, & sunt P. Frater Ludovicus Granatensis, P. Thomas de Villacastin, Falconius, aut alii, finemque imponent actu contritionis.

§. 4. Duodecima nocturna surgent omnes (exceptis illis, qui Superioris judicio legitime fuerint impediti), & simul in Ecclesia recitabunt Coronam B. Mariæ Virginis cum Orationibus approbatis de Imitatione Passionis Jesu Christi, prout sunt in Diurno tenoris sequentis videlicet.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, & coronam spineam in capite portantem: deprecor te, ut me tua Crux liberet ab Angelo percutiente. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe adoro te in Cruce vulneratum, felle, & aceto potatum: deprecor te, ut vulnera tua sint in remedium Animæ meæ. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce: maxime in illa hora, quando Anima tua egressa est de benedicto corpore tuo: deprecor te, miserere Animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe adoro te descendentem ad Inferos, & liberantem Captivos: deprecor te ne permittas me illuc introire. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad Cælos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, Pastor bone, justos conserva, Peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, & propitius esto mihi maximo Peccatori. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Sepulchro positum, mirrha, & aromatibus conditum; deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

Et dilatatis ad Crucis formam brachiis recitabitur Statio SS. Sacramenti, & in Vesperis festivitatum D. N. J. Christi, & B. M. Virginis, Sanctorum Apostolorum, & Sancti Dominici, ac S. Francisci, omnium Sanctorum, S. Josephi, S. Michaelis Archangeli, S. Gabrielis, & S. Teresiæ a Jesu recitabunt integrum Rosarium quindecim Mysteriorum, & dilatatis in Crucem brachiis, supradictam Stationem, & quoties recitabunt d. quindena Mysteria a relatis Passionis Orationibus supersedebitur.

Caput Quintum.

Exercitia Spiritualia cujuslibet Hebdomadæ.

§. 1. Ter in hebdomada, nempe feria secunda, quarta, & sexta habebitur disciplina Communitatis in Ecclesia, idque fieri poterit post orationem mentalem nocturnam: habebitur toto tempore, quo recitabuntur Psalmi Miserere, & De profundis, adjunctoque actu contritionis signum dabit Superior, & cessabit disciplina.

§. 2. Capellanus nominatus pro administratione Sacramentorum singulis quindecim diebus hora septima cum dimidia nocturna habebit ad Fratres concionem, vel sermonem spiritualem, & quando id fiet, media hora anticipabitur Corona, & Oratio, ne desit tempus pro conscientiæ examine.

§. 3. Omnes Fratres debent jejunare juxta formam S. Matris Ecclesiæ, & feria sexta Parasceve dumtaxat pane, & aqua jejunabunt.

§. 4. Omnes pedibus debent incedere in locis habitatis, sed per itinera, dum longinqua fuerint, equitare poterunt, illisque de necessariis ad ea prosequenda semper providebitur.

§. 5. Attento, quod efficacissimum ad observantiam Regularem, pacemque Animæ interiorem conservandam medium est secessus, omnes nostri Fratres districtissime evitabunt egressus e Domo, & Sæcularium visitationes in vana Officia, temporisque jacturam tendentes, & ita nemo licentiam petet pro hujusmodi egressibus, & visitationibus, etiam Parentum proximiorum, præterquam in casu necessitatis, aut gravis infirmitatis ad Præfecti arbitrium, aut quando ipse eos mittet pro re divini servitii, proximi subventione, vel Hospitalis utilitate.

§. 6. Hospitalia, & Fratres debent sustentari ex eleemosynis, & si temporis processu compertum fuerit expedire alicubi redditūum admissionem, ob eleemosynarum defectum, & devotionis imminutionem admitti poterunt ex Præfecti Generalis, & Assistentium licentia.

§. 7. Quando Fratres ex aliquo itinere extra Civitatem redibunt, cum ipsis dispensabitur, ut non assistant exercitiis domesticis, & spiritualibus per triduum, & non ulterius: Porro si iter longinquum fuerit, aut ultramarinum, (prout plerumque contingit in Indiis) novem dierum erit hujusmodi dispensatio, quo a fatigatione subleventur, prout bene ordinata charitas requirit, & ut hoc melius, & majori allevatione facere possint, id temporis dabuntur ipsis indusium, lectusque cum culcitra, & linteis cubilibus. Et infirmarius, aut alius ejus loco curam habebit illis ea prima nocte pedes abluendi, illosque excipiet in Hospitio, quod

ad hunc effectum nostris in Domibus, & Hospitalibus debebit esse apparatum.

§. 8. Omnes Fratres, qui iter facient, aut Civitate egredientur singulis diebus, ea, qua poterunt hora, etiamsi tripartitim hoc fiat, recitabunt integrum quindecim Mysteriorum Rosarium, ac unam SS. Sacramenti Stationem. Et Superiori curæ erit id muneris eis in memoriam adducere tempore discessus, & hoc aliis spiritualibus exercitiis æquivalebit, nec poterit quis mitti, nec Domo egredi solus, sed semper associatus, & quando ad iter faciendum egredientur, & quando ipsis eundum erit per Civitatem, ut ita respectus habeatur decentiæ, qua nostros Fratres decet incedere, & aliis inconvenientibus, quæ ex contrario notorie resultat, obvietur.

CAPUT SEXTUM.

Exercitia charitatis erga Pauperes Infirmos.

§. 1. Cum principale Fratrum Institutum sit Pauperibus infirmis inservire, omnibus persuasum esse debet, id præcipue illis incumbere, ut tam Sancto exercitio sint addicti, nec in nullo alio majus obsequium Domino nostro præstituros, ministerio, quam hoc humilitatis, & charitatis ob ejus amorem illud exercendo erga Pauperes indigentes, & rebus necessariis destitutos.

§. 2. Ad hujus obligationis satisfactionem, in promptu quamprimum certiores facti fuerint se conferent ad illos asportandos in Sella gestatoria (quæ ad hoc erit præparata) usque ab Hospitalibus, & Domibus, ubi eorum fuit habita curatio ad nostrum Hospitale, ubi curatio eis adhibenda, aut convalescere debent, nec alienis humeris fidant onus, quod suismet Deus imposuit.

§. 3. Non debet excludi ab Hospitalibus nostris ullum genus personarum, ad omnes debent extendi, omnes debent amplecti charitatis ulnis Liberos, Servos, Mauros, Nigros, & Gentiles, exceptis Mulieribus, quæ nullo titulo poterunt ingredi ad curandum, nec ad invisendum Pauperes intra Clausuram nostrorum Hospitalium.

§. 4. Habeat Infirmarius apparatos lectos, ubi recumbant ægri postquam eis pedes, si opus fuerit, abluti fuerint, & aliqua eis refectione subventum, & prima erit solicitudo eos disponere, ut peccata confiteantur, id permittente ægritudinis qualitate.

§. 5. Assistet cum majori, & aliis Infirmariis Frater Præfectus, duabus vicibus, quibus medicus debet ægros invisere, & in scriptis rediget quidquid iste ordinaverit, idemque faciet major Infirmarius, & horis congruis Præfectus inquiret ab ægrotis, an major Infirmarius executus sit quidquid Medicus dispositum reliquit, & si quem compererit defectum, remedium protinus conferet; & convenientem ejus culpæ pœnitentiam majori Infirmario.

CAPUT SEPTIMUM.

Quid observari debeat in Valetudinariis erga Ægrotos Convalescentes, insanabiles, Peregrinos, & Pauperes.

§. 1. Ut Ægroti, & Convalescentes servitia habeant, & refocillationem omni cum cura, & opportunitate, aderit Frater Infirmarius major, a Præfecto Generali, & Assistentibus deputatus, cui incumbet Valetudinariis præesse, & cui reliquii alii Infirmarii Hebdomadarii debent obedire in rebus ad ejus munus pertinentibus, & debet procurari, ut is qui hoc fungetur munere placidus sit, & charitatis plenus, qui sciat tolerare absque sui immoderatione Ægrotos, & eos emendare absque afflictione illorum.

§. 2. Extabunt diversa Valetudinaria separata ab Hispanis pro Indis, Mauris, & aliis Gentibus, & hæc, & illa procurabitur, ut sint ab officiis disjuncta ad Ægrotorum molestiam evitandam.

§. 3. Peculiarem curam adhibeat Infirmarius major, ut Valetudinaria semper sint nitida, & accommodata, lectique bene strati, istorum supellectilem, quolibet Sabbato variando, aut etiam anticipate, si quibus opus fuerit, & ut hoc facilius fiat, convenient omnes Fratres quotidie hora destinata secunda pomeridiana, & post Stationis Sanctissimi Sacramenti peractam recitationem.

§. 4. Magnopere satagat, ut modus agendi Convalescentium, & aliorum Pauperum Christianus sit, & modestus, ut nemo juret, vel vitium habeat scandali, & si quis licentiosus fuerit eum charitate semel, ac iterum corrigat, & si id satis non fuerit, reddat rationem Fratri Præfecto, ut blande, & officiose eum dimittat ex Hospitali, antequam vitii ejus ulcus reliquos inficiat.

§. 5. Si cui Convalescentium aggravabitur infirmitas, aut supervenerit, unde ad arbitrium Medici curari debeat, Infirmarius certiorabit Præfectum, ut æger ad aliud deferatur Hospitale, ubi cura ejus habeatur, donec sit in statu ad nostrum redeundi.

§. 6. Omnibus Ægris, & Convalescentibus, ac reliquis Pauperibus Missa dicetur quotidie in Valetudinariis hora congrua, & singulis diebus, quindecim confitebuntur, & communicabunt.

§. 7. Omnes Ægroti mane laudabunt Sanctissimum Sacramentum, & ad honorem S. Josephi Patriarchæ recitabunt septem Pater noster, & Ave Maria cum Gloria Patri, recitante una cum illis majori Infirmario, qui cum aliis Infirmariis protinus curabit eis dare jentaculum, ante quod, uti & ante prandium, ac cœnam debent recitare Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro Benefactoribus.

§. 8. Undecima hora diei ad sonum Campanæ conveniet Frater Præfectus cum omni communitate ad dandum prandium Pauperibus, & benedictionem impartietur, & Fratres nostri propriis manibus apparabunt, & distribuent discos, non exclusis ab hoc charitatis officio illis, qui in eo mereri voluerint, observetur silentium dum comedunt Pauperes, habita ad spiritualem lectionem, quæ ipsis fieri debet, applicatione, & finita comestione, & peractis gratiis, claudantur Januæ, ut quiescant, neque aperiantur usque ad secundam pomeridianam.

§. 9. Quarta hora cum dimidia post meridiem ad Campanæ sonitum Infirmarius recitabit Coronam nostræ Dñæ cum ægrotis, & convalescentibus postquam protinus dabitur Pauperibus cœna, cui assistet Frater Præfectus cum tota Communitate, eodem observato ordine, quo datum ipsis fuit prandium, & d. Corona pro Benefactoribus vivis, & Defunctis applicabitur.

§. 10. Si quis Fratrem nostrorum infirmabitur, illico advertet Fratrem Infirmarium, & hic Medicum, ut recognita ægritudine agatur de remedio, & toto, quo durabit tempore ei assistent reliqui magno cum amore, & studio, adeout nihil ei desit, præcipue incumbendo saluti, & bonæ Animæ compositioni, & casu, quo Infirmitas periculosa sit, disponat se ad modum opportune ne absque omnibus Sacramentis moriatur, in hunc finem extabit diversum Valetudinarium, cum supellectili alia, quam pauperum, ubi nostrorum Fratrum cura habeatur, super quo Frater Præfectus magno studio incumbet, ut omnia sint valde composita, & opportuna.

Caput Octavum.

De aliis Distributionibus, & animadversionibus pro bona observantia.

§. 1. Hospitalia nostra unicam debent habere ad plateam januam ultra porticulam pro Domus servitio, & ostium semper debet esse clausum, eique assistere Frater unus, qui Janitorem agat a Superiore deputatus ad aperiendum, & claudendum portas accurate eis, qui pulsaverint, & duodecima hora meridiana claves Superiori consignet, idemque faciet advesperascente die.

§. 2. Non permittatur ex januis in nostra Hospitalia Mulierum ingressus, & quæ ratione cognationis volent aliquem Convalescentem invisere, poterunt id in Conclavi ostiario agere.

§. 3. Non admittent Fratres visitationes in Conclavibus, sed ea poterunt admitti in Aula, aut aliis locis publicis ad hunc effectum in Hospitali designatis.

§. 4. In prandio, & cœna servabitur silentium in Triclinio omnibus, dum comedunt, aliquo pabulo Animarum refocillantibus, lectioni spirituali, quæ haberi debet incumbendo, sibi invicem inserviant, nec locorum aliqua sit præeminentia, quam quæ ordine resultabit, quo singuli adventabunt excepto Præfecto, qui debet locum præcipuum habere.

§. 5. Peractis gratiis post prandium, illico incipient Stationem Sanctissimi Sacramenti, quam recitando ordinatim ibunt usque ad Ecclesiam, & eam applicabunt pro Benefactoribus vivis, & mortuis. Noctu ante cœnam feria secunda, quarta, & sexta erit Capitulum Culparum in Triclinio, & eas dicet Frater Zelator, qui pro illa Septimana fuerit nominatus, & post cœnam finient cum uno responsorio, ac Oratione Sanctæ Synodi pro Animabus Purgatorii, eosque ad veniam prostratos lustrabit Superior.

§. 6. Post prandium, & cœnam aliquod intervallum habebunt familiaris conversationis, & post eam indicetur sonitu silentium, quod observari debet adamussim a prima usque ad secundam pomeridianam a nona nocturna usque ad sextam Matutinam, omnesque diei curriculo curent observare silentium, quod per nostra licebit ministeria.

§. 7. Non poterunt Fratres exarare literas, nec Scripturas, neque eas recipient absque peculiari Præfecti licentia, nec pariter poterunt in aliorum Conclavia ingredi, neque in Novitiatum, nec alias domesticas Officinas Domus, nisi quis indigueric illis, quæ inibi extabunt, & tunc id eis licebit petita a Præfecto licentia.

Caput Nonum.

De regimine nostræ Societatis.

§. 1. Pro nostræ Societatis conservatione, & ut tam pium Institutum manuteneatur adesse debebit generalis Præfectus, cui obediatur.

§. 2. Is etiam, qui per electionem infra indicandam Præfectus Generalis constituetur durare debet in exercitio talis muneris per sexennium tantum.

§. 3. Et quoniam debet habere Assistentes Præfectus Generalis, cum quibus negotia occurrentia conferat, & expediat, hinc est, quod juxta formam infra designandam eligi debebunt alii quatuor Fratres habentes qualitates infra requisitas, qui sub Assistentium titulo cum Præfecto Generali degere debeant, quique ab eodem Præfecto, quo voluerit convocari possint ad pertractanda, & expedienda negotia occurrentia, habebuntque prædicti Assistentes votum decisivum non consultativum tantum, & hæc pariter Assistentium munera debent durare per sexennium. Et quoniam in hoc initio non potest ad praxim deduci forma infra præscripta super electione, tam Præfecti Generalis, quam Assistentium, & nihilominus introductio formæ gubernii, necessaria est, propterea pro prima vice dignabitur Sanctissimus D. Noster Papa Innocentius XI. nominare unum ex Fratribus in Præfectum Generalem dictæ Societatis, & quatuor alios in Assistentes ad sexennium duraturos, qui eamdem habeant auctoritatem, perinde acsi legitime a dictis Fratribus electi forent.

§. 4. Præfecti Generalis electio pro prima vice celebrari debebit in Domo Guatimalæ, quoniam ipsa est Matrix, & prima origo nostræ Societatis, ut iste honor illi tribuatur. Perpetuis autem futuris temporibus, quoniam in d. Guetimalæ Provinciis propter locorum qualitates, & Domorum penuriam Capitula generalia celebrari commode non possunt: Hinc est, quod excepta dicta prima electione, perpetuis futuris temporibus, electio Præfecti Generalis, & reliqua omnia, quæ in generalibus Comitiis explenda sunt, fieri debebit alternatim Limæ, & Mexici, quæ sunt Domus antiquiores, itaut incipiatur a Domo Limæ, ac deinde in Domo Mexici hoc modo electiones alternando, quo æqua habetur ratio Domorum, quæ actu existunt, & favente Dei misericordia inposterum extabunt in dictis Regnis, & Provinciis.

§. 5. Electio Præfecti Generalis debet fieri a Vicario Generali, ut infra denunciando a quatuor Assistentibus, a Secretario generali, ab omnibus Fratribus Præfectis, & antiquiori discreto quorumcumque Hospitalium, necnon a Magistris Novitiorum, ad quam electionem aut personaliter, aut per Procuratorem legitimum, qui tamen esse nequeat neque ullus ex Fratribus residentibus in Domo, ubi fiet electio, neque ullus, qui alias sit vocalis, convenient omnes. Si quando vero adjuvante D. Hospitalium numerus in Regno, ubi electio celebrabitur pervenerit ad decem, & novem, tali casu cesset in electione Præfecti Generalis votum supradictorum Discretorum Hospitalium. Qui Electores cum dicto Vicario Generali, debent congregari in Aula Capitulari opportune instructa, invocatoque in primis Spiritus Sancti auxilio præsidente ipso Vicario procedant ad faciendam per secreta suffragia Præfecti Generalis electionem, proinde singuli vocales habeant secum plures schedulas uniformes eis per Secretarium distributas, quæ tribus vicibus plicari possint, & in Superiori parte ejusdem Schedulæ, quilibet ex vocalibus scribet nomen proprium per hæc verba: Ego Frater N., in secunda vero plica scribat: Eligo in Præfectum Generalem; & in tertia plica Schedulæ scribat nomen illius, quem eliget; quisque vero partem Schedulæ ubi scriptum est nomen ipsius vocalis primo loco plicabit, & sigillo claudet, ne aperiatur, nec legi possit, & deinde reliquum ejusdem Schedulæ ita plicabit, ut quod scriptum est non videatur. Quisque etiam ex vocalibus ita scribet, ut quod ab uno scribitur ab altero non videatur, & his peractis Schedulas hujusmodi complicatas juxta ordinem eorum antiquitatis projicient in Urnam, seu Vasculum ad id collocandum super mensa ante Vicarium apposita; omnibus autem Schedulis allatis Urna hujusmodi coram Vicario, & duobus Fratribus Assistentibus ex antiquioribus aperietur, & de Schedularum numero numeratio fiet, iisque compertis absque numeri defectu, & absque excessu, incipient aperiri in ea parte, in qua descriptum erit nomen eligendi, relicta integra altera parte, in qua est nomen eligentis. Et successive prout aperientur ab iisdem Vicario, & Assistentibus recognoscentur, & alta voce per Secretarium publicabuntur nomina Electorum, & prout in unoquoque vota data reperientur, adnotabuntur in folio ad id destinato, & unusquisque ex interveneientibus in electione adnotare poterit. Omnibus

bus autem perlectis, si reperiatur aliquis in quem concurrat major pars votorum, scilicet ultra medietatem eligentium, itaut unus supra medietatem sufficiat, is intelligatur electus, & electio legitima pronunciabitur. Si autem in supradicto Scrutinio in nullo respicietur concurrere major pars Votorum, tali casu ad novum Scrutinium, seu ad tot Scrutinia procedatur, donec aliquis remaneat electus. Electo vero in Præfectum Generalem, Fratres omnes a Vicario ipso incipiendo obedientiam præstabunt, in casu quo ita in Præfectum Generalem electus a loco electionis hujusmodi abfuerit, ne interim Societas aliquod suo in regimine dispendium patiatur, Vicarius Superioris partes ad Vicariatus normam exequi continuabit, donec ipsi de acceptatione ab electo Præfecto Generali facta constiterit. Quod si noviter electum in Præfectum Generalem ante istam acceptationem mori contigerit, Vicarius eo, quo supra modo continuabit usque ad novam Præfecti Generalis electionem.

§. 6. Et cum possit contingere, ut inter vocales adsit suffragiorum æqualitas, ne super hoc oriri possint turbationes, declaratur Vicarium, qui electione præsidebit ejusmodi debere suffragium habere, ut in suffragiorum æqualitate illam dirimat Vicarius novo voto per ipsum tunc præstando, quod si ipse Vicarius sit in paritate Votorum electionis passivæ cum altero, eo casu, non Vicarius, sed Assistens antiquior in electione passiva hujusmodi non comprehensus suo suffragio paritatem dirimet.

§. 7. Vicarius debet habere suffragium activum, & passivum, & quia potest evenire, ut in electione, quæ fiet, nominetur in Præfectum Generalem, & hoc casu incompatibile est, ut possit approbare, & publicare electionem, ideo disponitur, ut ipso Vicario in Præfectum Generalem electo Antiquior Assistens debeat approbare, & publicare electionem.

§. 8. Ut possit in Præfectum Generalem eligi, & nominari quilibet ex Fratribus dictæ Societatis debet habere completam quadraginta quinque annorum ætatem, & elapsis post Professionem quindecim ex illis. Et pariter debet habuisse ut minus bis regimen alicujus ex dictæ Societatis Hospitalibus.

§. 9. Et attenta distantia, quæ tanta est inter dicta Hospitalia, quandoquidem aliquam inter se plus mille leucis distant, & in eis, quæ in posterum extabunt eadem pro amplitudine illorum Regnorum intercedit distantia, & in eventibus, quæ in quolibet illorum occurrerent, promptam convenit adhiberi provisionem, cumque non possit Præfectus Generalis in adeo distantibus, & sejunctis locis una cum Assistentibus residere, ideo pro meliori dictæ societatis regimine disponitur, quod Præfecto Generali in Regno Peruano degente, debet committere vices suas Præfecto Sancti Francisci Xaverii de Mexico adjunctis eidem aliis quatuor Assistentibus in Capitulo generali eligendis pro omnibus, quæ occurrent in illius Regni Hospitalibus, & cum in nova Hispania fuerit, easdem vices committere debeat Præfecto Hospitalis Limæ nostræ Dominæ de Carmelo, adjunctis eidem aliis quatuor Assistentibus in Capitulo generali eligendis cum plenitudine potestatis, præterquam quod in pertinentibus ad normam regiminis generalis Societatis, & peculiaris cujuslibet ex Domibus, & citra remotionem, seu dimissionem Præfectorum ipsarum, possint tamen ex justa causa ad tempus ab officio suspendere, & Generalem certiorare, deputato interim in suspensi locum Vicario idoneo, nec non dimissionem alicujus ex Fratribus, nisi in uno ex delictis expressis in Constitutione 21. hujus Capituli noni, proviso, quod substitutio præfata non possit etiam post obitum Præfecti Generalis revocari, sed toto temporis intervallo, usque ad novi Præfecti Generalis electionem perduret, quodque uterque Præfectus substitutus in omnibus, quæ operabuntur debeant rationem reddere Præfecto Generali, sed eo defuncto, Vicario, ut una cum Assistentibus resolutionem statuat sibi benevisam. Cum hoc tamen, quod si contingat ipsum Præfectum generalem actu moram trahere in aliquo ex duobus Hospitalibus, seu Domibus Limæ, vel Mexici consopita interim censeantur omnis jurisdictio, & potestas illius Præfati substituti, & exurgat tantummodo post decessum ipsius Præfecti Generalis ab illa Domo. Ac etiam magna locorum distantia considerata, quoniam si Præfectum Generalem mori contingeret in alio Regno, quam eo, ubi futura electio celebrari debebit, impossibile fere esset, ut Assistentes, qui futuræ electionis sunt pars præcipua opportuno tempore reperiantur in Domo talis electionis; Hinc est, quod statuitur, ut nisi alia necessitas, aut ratio moveat arbitrium Præfecti Generalis ad alibi residendum, idem Præfectus Generalis cum Assistentibus de novo electus, si electio celebrata fuerit in nova Hispania ire debet ad residendum in Peruvia, & ita e contra, si in Peruvia electus fuerit ad novam Hispaniam venire debeat, & quia vita functo Præfecto Generali, necesse est adesse Superiorem usquequo deveniatur ad novam electionem.

§. 10. Disponitur quod Prior tunc temporis existens Conventus, seu Domus Bethlem Guatimalæ, quoniam ipsa Domus est Matrix, & origo Nostræ Societatis assumat nomen, & vices Vicarii Generalis.

§. 11. Prædictus autem Vicarius regimen debebit habere, & eamdem auctoritatem, & potestatem, quam Præfectus Generalis, præterquam quod in concernentibus mutationem regiminis, ac remissionem seu dimissionem Præfectorum peculiarium, quia hæc non debet posse interim dum Vicariatus duraverit, facere.

§. 12. Idem Vicarius Generalis convocabit vocales ad electionem futuri Generalis, quæ ut supra facienda erit omnino post annum completum designando statutam diem ad illam faciendam absque potestate illam ulterius prorogandi, & si post completum hujusmodi tempus causa infirmitatis defuerit aliquis ex vocalibus, aut opportune non advenerit, eo casu fiet electio a Vocalibus, qui tunc temporis præsentes comperientur ad suffragia. Adveniente igitur die statuta in Aula Capitulari incipient peragi scrutinia pro eligendo Præfecto Generali, & quatenus in dicta die electio non concludatur, scrutinia continuari possint per alios duos dies sequentes, ita ut electiones spatio septuaginta duarum horarum de momento ad momentum a primo puncto ingressus in Aulam Capitularem omnino concludi debeant, quod si intra dictum tempus, non concludatur electio, devolvatur ad eum, quem secundum Deum expedire judicaverit in Præfectum Generalem nominare, & eligere; quod si is, qui Capitulo præsidet nominare, seu eligere recuset, is ipso facto absque alia declaratione voce activa, & passiva in perpetuum privatus censeatur, & sit, & facultas nominandi devolvatur ad antiquiorem ex Assistentibus, seu si ipse antiquior sit, qui præsidet, ad Assistentem subsequentem cum obligatione eligendi, & nominandi sub eadem pœna, & sic pari modo gradatim ad Assistentes subsequentes, seu Vocales antianitatis ordine succedentes devolvatur. Is vero, ad quem tali casu electio, & nominatio devoluta erit intra spatium 24. horarum debebit omnino eligere, seu nominare.

§. 13. Porro sequuta Præfecti Generalis publicatione pergat Capitulum præsidente ipso Præfecto Generali ad eligendum quatuor Assistentes, in quorum electione votum habeant ii

omnes,

omnes, qui in Generali Capitulo suffragia ferre possunt, & ipse etiam Ex-vicarius, in istorum electione servetur eadem forma pro electione Præfecti Generalis præscripta, & in casu paritatis votorum ipse Præfectus Generalis per excessum alterius voti paritatem dirimat. Omnium vero quatuor Assistentium hujusmodi intra spatium 24. horarum a publicata in Capitulo Præfecti Generalis electione omnino concludatur, quod si tali tempore non omnium, sive nullius electio conclusa fuerit, eo casu Præfectus Generalis pro totidem, pro quot electio conclusa non fuerit, Fratres sibi benevisos in Assistentes assumat, si vero contingat electum in Præfectum Generalem absentem esse a loco Capituli, tali casu nihilominus ad Assistentium electionem, præsidente eodem Vicario Capitulum procedat; In casu vero electionis intra præscriptum tempus non conclusa assumptio Assistentis, vel Assistentium, pro quibus electio conclusa non fuerit, ipsi Præfecto Generali relinquatur.

§. 14. Nominandi, & eligendi in Assistentes debent habere 40. annorum completorum ætatem, & 12. professionis, quique saltem semel Præfecti fuerint alicujus ex dictæ Societatis Hospitalibus, quodque moram traxerint in Regnis, seu Provinciis in quibus extant Hospitalia; ideoque si possibile fuerit duo eligi debebunt ex illis, qui Domum aliquam gubernarunt in Peruviæ Regnis, & duo alii ex iis, qui gubernarunt in nova Hispania, hoc tamen ordine servato, ut quoties electio Præfecti Generalis celebrabitur in nova Hispania, tunc primus, & secundus Assistens eligatur, seu assumatur ex iis, qui gubernarunt in Regnis Peruanis, quando vero Præfecti Generalis electio Limæ celebrabitur, tunc primus, & secundus Assistens eligatur ex iis, qui in nova Hispania gubernarunt.

§. 15. Adveniente obitu alicujus ex Assistentibus penes Præfectum Generalem, & reliquos Assistentes facultas sit nominandi ei successorem, & ille, quem ita nominaverit, eamdem habeat auctoritatem, ac durationem, perinde ac si fuisset electus in Capitulo Generali.

§. 16. Electio Præfecti, Vice-Præfecti, & quatuor Discretorum fiat a Confratribus cujuscumque Domus, & Hospitalis habentibus votum, prout majorum Infirmariorum, Procuratorum Domus. Electio autem Præfecti confirmari debeat a Præfecto Generali, qui confirmationem negare non possit, nisi ex justa causa ab Assistentibus approbanda, & donec Præfectus electus confirmetur, gubernet, non tanquam Præfectus, sed tanquam Præsidens. Prædictorum autem officium ad triennium duret, & possit Præfectus Generalis una cum Assistentibus ad eorum arbitrium nominare Secretarium generalem, atque is, qui Generali obeunte in tali munere reperietur, usque ad novi Generalis electionem, ejusque publicationem debeat continuare.

§. 17. In eligendo autem a Vocalibus cujusque Domus, & Hospitalis in Præfectum peculiarem debent in eo concurrere triginta quinque anni completi ætatis, & novem professionis, & casu, quo ut continget in una, vel altera Domo, seu Hospitali, prout sibi videbitur, & expedire censuerit actu commoretur idem Præfectus Generalis, tunc cura, gubernium, & administratio illius Domus particularis pertineat, & spectet ad ipsum Præfectum Generalem, itaut Præfectus localis nullam habeat durante illo tempore Jurisdictionem præter eam, quam illi committere, vel permittere judicaverit arbitrio suo Præfectus Generalis.

§. 18. Præfectus Generalis, & Assistentes a Fratribus rationem petent, & recognoscent, nec non administrationis gestionem cum arbitrio, & potestate Fratres ab uno ad aliud Hospitale demutandi, & puniendi contumaces; & Instituti transgressores; nec non illos, qui deliquerint juxta excessus, & culpæ, in quam incurrerint qualitatem.

§. 19. Fratres Præfecti, prout ad quemlibet spectabit, conservabunt in Archivio documenta Fundationis, nec non libros, & scripturas ad Hospitale pertinentes, omnibus distincte, & clare admodum in Inventarium redactis; nec ullo modo quovis prætextu, causa, ratione, aut occasione extrahet, nec levabit ex Archivio ipso originaliter scripturas, quæ pro tempore inibi fuerint, aut in posterum perpetuo in eo ponentur, neque has præsentes sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam eo ipso, absque ulla alia declaratione incurret dictus Pater Præfectus, & quicumque alii contravenientes, nec minus permittet, ut inde extrahantur, aut leventur, nisi ob necessariam causam; quæ sit approbata a Præfecto Generali, & Assistentibus, vel Fratre ab eis commissionem habente ad extrahendam attestationem ex originalibus, quo peracto in Archivio reponentur.

§. 20. Si quis Fratrum non fuerit aptus ad Domus ædificationem, & Pauperum servitutem, & cum charitate aliquoties admonitus, incorrigibilem se demonstraverit Præfectus certiorem faciet Generalem Præfectum, ut jubeat una cum Assistentibus illi missionem facere, & dimissus a votis absolutus remanebit.

§. 21. Et quando quis Frater Nostrorum, quod Deus avertat, crimen læsæ Majestatis tum Divinæ, tum humanæ incurrerit, aut fidei suspectæ fuerit, seu quodcumque aliud Capitale delictum admiserit, expelletur a nostra Societate, eique illius habitus auferetur.

§. 22. Frater Præfectus noviter electus rationes sumat a Præfecto Hospitalis, qui munus suum finierit assistentibus quatuor Fratribus Discretis recenter electis, & a majori Infirmario, dictusque Præfectus petet ab Antecessore suo libros, & omnes alias Scripturas Archivii.

§. 23. Si quis Frater admiserit culpam dignam reprehensione hanc illi Præfectus blande, & officiose impartietur, & si culpa fuerit magni momenti, ut judicet reprehensioni adjungere pœnitentiam, seu punitionem, id prudenter faciet.

§. 24. Aderit in omnibus Hospitalibus capsa cum tribus clavibus, ubi pecunia reponatur, earumque unam habebit Præfectus; & alias duas duo antiquiores Discreti, & in ipsa Arca duo erunt libri, ut in uno; quod recipitur, in altero quod expenditur adscribatur.

§. 25. Vocent se invicem titulo vestræ charitatis, & Fratrum etiam scribendo, seu loquendo ad Generalem Præfectum.

§. 26. Continuetur pium, & necessarium Ministerium; quod introductum reliquit noster Frater Petrus a S. Josepho docendi Pueros pauperes legere, scribere, & supputare, ac doctrinam Christianam in schola speciali, quæ debet extare in quolibet Hospitali; eritque Magister unus ex nostris Fratribus, animadverso, quod is talis sit, cujus virtuti confidi possit bona educatio, & doctrina Puerorum, & hoc gratis absque receptione solutionis, & stipendi alicujus.

§. 27. Quoties bis poterit haberi oblectatio Ruri, vel Domui ad arbitrium Superioris, ut exinde aliquod detur labori sublevamen, & ita id fiet, ut non desint Fratres obsequio Pauperum Infirmorum.

CAPUT DECIMUM.

Suffragia, & preces, quæ debent peragi pro nostris Defunctis, & Benefactoribus.

§. 1. Pro quilibet ex Fratribus, qui obierint dicetur in illo Hospitali Missa solemnis, ut ajunt

de corpore præsenti, & similiter alia nona post ejus obitum die, curabiturque pro ejus Anima celebrari triginta Missas planas, & omnia Hospitalia; quæ sub jurisdictione fuerint Præfecti, qui fuerit Superior Hospitalis ubi Frater obierit, ei tres Missas planas pro ejus Anima facient celebrari, & omnes Fratres illius Domus, vel Defunctus fuerit novem dierum ab ejus morte sequentium spatio pro dicti Fratris defuncti Anima applicabunt omnia Rosaria, Coronas, & alia pœnitentiæ opera, quæ fecerint exceptis illis quæ tenebuntur pro Benefactoribus applicare, eique applicabunt alias Indulgentias, quas consequi procurabunt, prout visitario quinque Altarium, vigore Bullæ Sanctæ Cruciatæ.

§. 2. Singulis annis in omnibus nostris Hospitalibus uno post Defunctorum Commemorationem die dicetur Missa solemnis cum nocturnis, & tumulo pro omnibus nostris Fratribus defunctis, & finietur cum solemni responso assistentibus omnibus Fratribus cum cereis præ manibus accensis idemque fiet in Missis, quæ cantari debent peculiariter pro quolibet Fratre defuncto.

§. 3. Exactissimum afferant in observantia, & servatione Constitutionum studium, ut ad literam observentur, & ad hunc finem in Triclinio legentur hora Prandii, & Cœnæ omnibus anni sextis feriis.

Omnes istæ Constitutiones exceptis votis non obligant sub peccato eorum Transgressores, attamen Nos ad earumdem observantiam inviolabilem compellere debet Dei amor, qui nos in illas congregavit, & salutis æternæ desiderium uti nostræ observantiæ præmium.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Rodericus Procurator Generalis Constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, & alias dictæ Societatis statui opportune a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: nos ipsius Roderici Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum consilio, præfatam Societatem Confratrum Bethlemitarum nuncupatam Hospitalium Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus in Congregationem sub Regula S. Augustini, & suprascriptis Constitutionibus auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus;

ErectioConfraternitatis inCongregationem sub RegulaS.Augustini.

Confirmatio relatarum Constitutionum.

Ac easdem Constitutiones præinsertas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Exemptio a Jurisdictione Ordinariorum.

Præterea eandem Congregationem sic a nobis erectam, ejusque Confratres, Hospitalia, Ecclesias, & personas quascumque ab omnimoda Jurisdictione, & correctione quorumcumque Ordinariorum locorum, eadem auctoritate harum serie eximimus, & plenarie liberamus, ipsamque Congregationem, Confratres, Hospitalia, Ecclesias, & personas hujusmodi sub immediata nostra, & hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ protectione, & subjectione suscipimus. Porro ipsam Congregationem sic erectam, ejusque Confratres quoscumque a solutione quartæ funeralis tam Sæcularibus, quam Regularibus Ecclesiis Parochialibus, aliisque locis piis, etiam doctrinæ Populi Indorum, aut alia quavis denominatione nuncupatis, debitæ, auctoritate præfata earumdem tenore præsentium plenissime, & amplissime de novo eximimus pariter, & liberamus: Declarantes hujusmodi exemptionem suffragari debere etiam quoad Hospitalia in futurum erigenda, & personas commorantes, & inservientes intra septa Hospitalium, dummodo tamen sepeliantur in Ecclesiis dictorum Confratrum, & dictæ Ecclesiæ alias habeant Cœmeterium.

Item a solutione quartæ Funeralis.

Insuper eisdem Confratribus, ut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, debito tamen cum honore, & reverentia, in Ecclesiis dictorum Hospitalium assidue, & perpetuo asservare, & retinere, libere, & licite possint;

Indultum asservandi SS. Eucharistiæ Sacramentum.

Utque Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis administrari valeant Infirmis, & aliis personis supra expressis per Capellanos eorundem Hospitalium, dummodo tamen iidem Capellani intra septa dictorum Hospitalium commorentur; Utque liceat eisdem Capellanis in dictis Ecclesiis divina officia, & Missas solemnes celebrare, etiam in hebdomada majori, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Facultas administrandi Sacramenta.

Denique Confratribus dictæ Societatis vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis die prima eorum ingressus in Societatem hujusmodi plenariam, necnon omnibus, & singulis ipsius Societatis Confratribus, ac Infirmis morientibus, & personis inservientibus in dictis Hospitalibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere similiter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, itidem plenariam, ac omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere quoque pœnitentibus, & confessis, ac Sac. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictorum Confratrum, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, in duabus tantum anni festivitatibus per ordinarios locorum respective semel tantum designandis a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festivitatum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua festivitate præfatarum id egerint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Indulgent. plenar. in die ingressus.

Item in articulo mortis.

Item visitantibus Ecclesias.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Confraternitatis, ac Ecclesiarum, Ordinum, & locorum Piorum quorumlibet, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium

præ-

præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXIX.

Confirmantur Decreta Card. Protectoris pro reformatione Provinciæ Pedemontanæ Ord. B. M. de Monte Carmelo.

[...]at. 27. Mar. [16]87. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

[Margin: Prædicta [D]ecreta edi[ta] fuerunt a [C]ardin. Pro[te]ctore au[ct]oritate re[cep]ta a Con[gr]. Episc. & [Re]gul.]

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Fratres Reformati Provinciæ Pedemontanæ Ordinis Fratrum B. M. Virginis de Monte Carmelo, quod dilectus filius noster Palutius S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis de Alteriis nuncupatus d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector pro Reformatione dictæ Provinciæ jussu nostro instituta auctoritate sibi ad id per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, attributa, nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

[Margin: [Sp]ecies facti.]

§. 1. Palutius de Alteriis S. R. E. Cardinalis totius Ordinis Carmelitarum Protector: Cum expositum fuisset Suæ Sanctitati Reformationem primum in Conventu Taurinensi Ordinis Fratrum Beatissimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, deinde in aliis Conventibus Provinciæ Pedemontanæ a quadraginta circiter annis successive institutam sub observantia Constitutionum a fel. me. Urbano VIII., & Innocentio X. pro Conventibus in eodem Ordine reformatis, & reformandis, ita dilapsam esse, ut vix illius, vel leve remansisset vestigium: Illa nobis injunxit, ut isti Reformationi restaurandæ omnino provideremus. Ideo ad dictam Provinciam ablegavimus Reverendum Patrem Valentinum a Sancto Joanne Sacerdotem Professum Provinciæ Aquitaniæ, & Sacræ Theologiæ Professorem emeritum, qui postquam a mense Julio proxime præterito Visitationi singulorum Conventuum accurate, ac diligenter incubuisset, eorum statum in spiritualibus, & temporalibus ad Nos transmisit, quo dignovimus, Disciplinæ Regulari in ista Provincia propemodum extinctæ prompto, salutarique remedio subveniendum esse. Quocirca ut jussioni Suæ Sanctitatis pareamus, auctoritate per Sacram Congregationem nobis commissa, sequentia observanda esse duximus.

[Margin: Tria Cœ[no]bia feli[gun]tur pro [Ref]ormatio[ne].]

Primo. Quia in præsenti rerum circumstantia vix sperari potest, ut in omnibus Conventibus exacta præfatarum Constitutionum praxis restitui queat, tum ob quædam Decreta, quæ leges municipales vocant, in variis successive Congregationibus, condita, & pluribus dictarum Constitutionum articulis adversantia, ideoque ab una parte Provinciæ impugnata, & per aliam propugnata, tum ob tenuem affectum: quem plures Alumnorum Provinciæ habent ad observandam disciplinam in eisdem Conventibus contentam; & aliunde nonnulli prædictorum Alumnorum ardenter aspirant ad sinceram exactamque illarum observantiam; & a nobis efflagitant, ut in uno, alterove Conventu congregati, & ab aliis sejuncti in perfecta, & literali Constitutionum praxi, prout Deo in sua professione polliciti sunt, viventes suæ obligationi satisfacere queant: Nos inhærentes Decretis pro Provincia Narbonensi antehac factis per bo. me. Cardinalem Ginnettum Protectorem Ordinis; ac fel. rec. Urbano VIII. confirmatis per Breve datum 24. Februarii 1644., & articulis conditis per Joannem Antonium Philippinum Generalem 29. Septembris 1640. pro introducenda, & conservanda strictiori observantia in Conventibus, & Provinciis ex parte reformandis in dicto Ordine, ordinamus prædicto Visitatori, ut eos, quos in conscientia ad id idoneos arbitrabitur, in Conventibus Astensi, Doglianensi, & Clarasiensi constituas, & singuli illorum post recollectionem decem dierum solemniter coram Sanctissimo suam professionem renovabunt, & juxta articulum 15. Cap. 5. part. 3. Constit., & articul. 6. cap. final. quæst. 4. dictarum Constitutionum juramento promittent, & in carta renovationis si scribent, se illas literas rursus amplecti, & cum Dei gratia se fideliter observaturos, manebuntque eo ipso immunes a quibuscumque legibus municipalibus, consuetudinibus, & Decretis Congregationum Diffinitorialium, Capitulorum Provincialium, & Generalium, etiam auctoritate Apostolica firmatis, conformiter artic. 6. part. 4. Constitutionum in quantum sunt dictis Constitutionibus adversa, aut diversa.

[Margin: De Graduatis.]

Secundo. Quia compertum est, istius reformationis excidium, eo perniciem potissimum ex usu Privilegiorum, & præeminentiarum, quæ Graduatis conservata fuere, provenisse, ne illa quam Sanctissimus Dominus vult institui, simili periculo exponatur, ordinamus, quod nullus deinceps poterit ullum gradum Scholasticum suscipere, nisi modo, & forma, ac sub conditionibus, exacteque servatis omnibus, quæ artic. 10. cap. 9. part. 1. dictarum Constitutionum præscribuntur; Et si qui ex illis, qui in præfatis tribus Conventibus collocabuntur, sint aliquo gradu Scholastico insigniti; omnibus privilegiis, exemptionibus, & quibuscumque præeminentiis, quæ suis respective gradibus, & quacumque concessione etiam S. Sedis, & Sacræ Congregationis competunt in perpetuum scripto renunciabunt, quod & facient alii, qui ad dictam strictiorem observantiam ex aliis Conventibus servatis servandis posthac transire volent, omnesque sese jurejurando adstringent nunquam in participationem dictorum Privilegiorum ob quamcumque causam se consensuros, sed illi semper obstituros, & si qui contra fecerint (quod Deus avertat) eo ipso tanquam perjuri, & infames absque alia declaratione subjacebunt omnibus pœnis dict. articul. 10. Cap. 9. part. prima Constitutionum expressis.

[Margin: De Cœnobiorum dispositione, & Vicarii Provincialis auctoritate.]

Tertio. Præfatos tres Conventus colendæ isti strictiori observantiæ addimus, & in Astensi Novitiatu instituimus, extra quem nullus sub pœna nullitatis pro dicta Provincia investiri, & probari poterit, in aliis duobus, vel Seminarium Juniorum Professorum, vel Studia collocabuntur, qui omnes cum aliis postea aggregandis perpetuo regentur ab uno Vicario Provinciali immediate subjecto Patri Generali Ordinis pro tempore existenti, cum potestate, & Jurisdictione, nempe independenter a Provinciali, postulantes ad Novitiatum, ac Novitios servatis servandis ad professionem admittendi; Seminaria Juniorum Professorum instituendi; illos

ad studia in Conventibus reformatis mittendi, dignos ad Sacros Ordines præsentandi, nec non ad Conciones, & Confessiones audiendas admittendi; Fratres de uno Conventu ad alium Reformatorum transferendi, & generaliter faciendi alia latius expressa in dictis Brevi, & articulis, quæ exacte in omnibus, & per omnia servanda erunt in dicta Provincia Pedemontana ac si pro ea nominatim concessa, vel ordinata essent, nisi præsentibus sint contraria.

De Vicarii Provincialis solutione.

Quarto. Vicarius Provincialis eligetur a personis, & modo præscriptis §. 20. Articul. D. Philippini, non tamen is, qui in Capitulo terminabit Officium Provincialis, nec etiam in Provincialem eligi poterit, qui in Capitulo desinet esse Vicarius Provincialis.

De ejus muneris diuturnitate.

Quinto. Semper Vicarius Provincialis manebit, etiamsi Provincialis esset reformatus, & independenter ab illo sua auctoritate fruetur, donec exacta Constitutionum observantia, perfectaque reformatio in omnibus Constitutionibus Provinciæ instituta fuerit, habebitque vocem, & locum in Capitulis Provinciæ post Provincialem absolutum, & recens electum.

De Cœnobiis aggregandis.

Sexto. Poterit singulis trienniis sine cujuscumque consensu, unum aliorum Conventuum Provinciæ istis tribus adjungere, si opportunum judicaverit, suosque subditos, aliis remissis ad Patrem Provincialem, ut illis de Conventu provideat, collocare, excepto aliquo sexagenario, si quis forsan ibi reperiretur, quo sic paulatim non fucata, sed sincera Reformatio introducatur.

De Diffinitoribus, & Socio Provincialis.

Septimo. Juxta articulos D. Philippini semper erunt saltem duo Diffinitores ex Reformatis, qui in singulis Capitulis Provinciæ eligentur ex quinque, quos Vicarius Provincialis, & duo Diffinitores absolvendi, & Priores Reformatorum cum suis Discretis nominaverint, si secus factum fuerit, primi duo ex nominatis eo ipso erunt primi Diffinitores Provinciæ. Similiter Provincialis electus, etiamsi esset Reformatus, tenebitur eligere pro suo Assistente, seu Socio unum ex tribus, qui sibi a prædictis Vicario, duobus Diffinitoribus recens electis, & Prioribus præsentabuntur.

De Religiosis mittendis, & recipiendis.

Octavo. Non poterit Vicarius consentire, ut ullus suorum Subditorum a quocumque Superiore Ordinis missus, etiam studii, Concionum, aut Regentiæ, vel alia quacumque causa, vadat habitatum in Conventu non observante dictas Constitutiones sub pœna depositionis ab Officio per Vicarium, & perpetuæ privationis vocis, & loci a Religioso migrante ubicumque inhabitet, incurrenda, qui etiam habebitur pro Desertore reformationis, nec vicissim Vicario fas erit aliquem non observantem dictas Constitutiones a quocumque missus fuerit, in Conventibus sibi subditis ad habitandum admittere, nisi prævia annua probatione, aut forsan ad Conciones habendas tempore Adventus, & Quadragesimæ.

Iterum de iisdem.

Nono. Nullus etiam ex aliis Conventibus in istis tribus, & aliis successive aggregandis admitti poterit, nisi conformiter Constitutionibus §. 5. de Regimine Provinciarum part. 3. Constitutionum, & 5. articul. D. Philippini probatus fuerit per annum, gaudebit tamen durante probatione suis voce, & loco, sed solum cum Patribus, & non cum Novitiis conversabitur.

De Visitatione.

Decimo. Conventus semel in anno visitabuntur, nisi casus extraordinarius aliud exigat, & quidem a solo Vicario Provinciali, cum Assistente singulis trienniis de consilio Piorum Reformatorum a se assumendo.

De Visitationibus, & Vita Communi.

Undecimo. Virtute suprascriptorum Decretorum nec sunt, nec erunt liberi ab observatione Constitutionum strictioris observantiæ, qui illam in sua Professione promiserunt, nec ab obligatione servandi vitam communem ii, qui jurejurando ipso juxta Decretum fel. rec. Urbani Papæ VIII. die 24. Februarii 1644. obstricti sunt, qua ab istis obligationibus eos solvere non intendimus, nec possumus, antescripta Decreta in præfata Provincia Pedemontana præcipimus perpetuo servari. Datum Romæ in Palatio nostro die 28. Januarii anno Dñi 1686. sic signatum Palutius Protector -- Loco ✠ Sigilli -- Gregorius Grippanus Secretarius, concordat cum Originali, sic testor Romæ 27. Decembris 1686. Frater Damascenus a Nativitate Beatæ Virginis Mariæ Notarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum.

In Capitulo Gen. decretum fuit, hæc Decreta confirmanda Apostolica auctoritate, & servanda etiam in Provincia Poloniæ.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Decreta hujusmodi subinde per Commissarios a Capitulo Generali Ordinis prædicti novissime celebrato, deputatos, post exactum illorum examen, digna reperta fuerint, quæ pro solidiore introductione, & feliciori progressu dictæ Reformationis, Apostolicæ confirmationis patrocinio, si ita Nobis placeret, munirentur, quinimo idem Capitulum Generale Decreta præinserta in Provincia Poloniæ dicti Ordinis observari ordinaverit. Et nos illa per quasdam nostras in simili forma Brevis literas pro eadem Polonia confirmaverimus. Nunc vero dicti Exponentes vereantur ne similis Apostolicæ confirmationis defectu eorum Provinciæ reformatio statim pereat, sicut alia, quæ ante annos triginta, vel circiter instituta fuerat, & multi Fratres, qui ad Reformationem hujusmodi anhelant, non audeant illam amplecti, nisi petita, & obtenta prius Decretorum hujusmodi Apostolica confirmatione. Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune provideri, & infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Fratrum Reformatorum.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decreta præinserta, pro Reformatione Provinciæ Pedemontanæ a memorato Palutio Cardinale, & Protectore edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & in eadem Provincia Pedemontana servari mandamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque,

que, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVII. Mar. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXX. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum, quo permittitur Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum recitatio Officii cum Missa S. Raymundi de Peñafort sub ritu secundæ Classis cum octava.

B. Raymundus SS. albo adscriptus fuit a Clemente VIII. Const. ed. 1601., April. 29., P. 10., ejusque festum die 7. Jan. Ab Inn. vero XI. Const. ed. 1680., Feb. 15. P. 4. extensum fuit Officium B. M. de Mercede. Et Const. ed. 1687., Apr. 18. P. 11. agitur de B. Petro Armengol.

Dat. 18. Apr. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præposita ad supplicationem dilecti filii Bartholomæi de Ribero Vicarii, ac Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. *Sacra Rituum Congregatio ad preces R. P. Magistri Fr. Bartholomæi de Ribero Vicarii, ac Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, referente Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Capisuccio, indulsit, ut Officium cum Missa S. Raymundi de Peñafort Ordinis Prædicatorum, quod hactenus sub Ritu Duplicis majoris quatenus die 23. Januarii recitatum est a Religiosis utriusque sexus prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, in posterum ab eisdem Religiosis utriusque sexus de Mercede recitari, ac respective celebrari possit, & valeat sub Ritu duplici secundæ Classis, cum octava, eo quod idem S. Raymundus cum S. Petro Nolasco primo Fundatore, & Jacobo primo Aragoniæ Rege in Civitate Barchinonensi de anno 1218. fuit confundator prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede. Hac die 22. Febr. 1687. J. C. Cardinalis Lad. Bernardus Casalius Secr. Rit. Congregationis Secretarius.* (Decretum Congregationis.)

§. 1. Cum autem sicut dictus Bartholomæus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desideret. Nos ipsius Bartholomæi Vicarii, & Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. (Preces Vicarii, & Procuratoris Generalis.) (Confirmatio relati Decreti.)

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Clausulæ.)

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Apr. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXXI. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum quo conceditur Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum facultas recitandi Officium, & celebrandi Missam Beati Petri Armengol Martyris.

Hic Beatus declaratus fuit Religiosus d. Ord., & non Trinitariorum a Clem. IX. Const. ed. 1675., Apr. 20., P. 5. De S. Raymundo altero hujus Ord. Sancto vid. Const. præcedentem. Et de Beata Maria de Jocos vid. ad Inn. XII. Const. ed. 1696., Jan. 30., P. 5. Const. vero ed. 1696., Julii 6., P. 5. agitur de Festo laudati B. Petri.

Dat. 18. Apr. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper ad supplicationem dilecti filii Bartholomæi de Ribero Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præposita Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. *Cum Sac. Rituum Congregatio die 23. Martii 1686. ad relationem Eminentiss., & Reverendiss. Cardinalis Azzolini declaraverit, constare de cultu a tempore immemorabili præstito dicto Beato, & de casu excepto a Decretis fel. rec. Urbani VIII. cum approbatione Sanctissimi Domini subsequuta die 28. dict. Mensis. Hodie ad enixas preces R. P. Magistri Fr. Bartholomæi de Ribero Vicarii, & Procuratoris Generalis prædicti Ordinis, eadem Sac. Congregatio referente eodem Emo Azzolino audito in voce, & in scriptis Reverendissimo D. Fidei Promotore, censuit concedendam esse omnibus Religiosis utriusque sexus ex præfato universo Ordine B. Mariæ de Mercede tantum facultatem recitandi Officium, & celebrandi Missam in honorem d. Beati Petri Armengol de communi unius Martyris quotannis die 1. Septembris anniversaria obitus ejusdem Beati, cum lectionibus, & oratione pariter de Communi sub Ritu duplici secundæ Classis cum octava, ut in libello impresso Officiorum prædicti Ordinis, seu Religiosis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit hac die 23. Januarii 1687. Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo, Sanctitas sua benigne annuit die 3. Februarii 1687. H. C. Ludovicus, Bernardus Casalius Sac. Rit. Congr. Secretarius.* (Decretum Congreg. Rituum pro festo d. S. die prima Septem. sub ritu 2. Classis cum octava.)

§. 1. Cum autem sicut dictus Bartholomæus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde (Preces Vicarii, & Procuratoris Gen.)

exponi

exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Bartholomæo Vicario, & Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit; in omnibus, & omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVII. Apr. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri anno Undecimo.

CLXXII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. declarans Superioribus Localibus Fratrum Discalceatorum B. M. de Mercede Redemp. Captivorum non licere pecunias mutuo accipere, nisi juris ordine servato.

Aliud Decretum pro Magistro Generali circa electionem Magistrorum extat Const. ed. 1683., *Decembris* 18., *P.* 8., *& nonnulla statuta Capituli Gener. referuntur Const. ed.* 1687., *Maii* 15., *P.* 11.

Dat. 19. Apr. 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

NUper pro parte dilecti filii Caroli a Matre Dei Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito, quod dilectus pariter filius Vicarius Generalis dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum cognoverit in eadem Congregatione, a nonnullis Superioribus localibus introductum fuisse abusum consumendi Capitalia pecuniarum sub titulo mutui, cum sola licentia unius ex Superioribus majoribus ipsius Congregationis, ipsosque Superiores locales subinde ad restitutionem obligatos allegare impossibilitatem, eo quod pecuniæ hujusmodi in solutionem æris alieni, aliasque necessitates erogatæ fuerint, atque ita Conventus in perpetuum aggravatos remanere, cum pecuniæ sic mutuo acceptæ consumantur, contra Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum Consiliarium dispositionem, ac proinde idem Vicarius Generalis mandaverit ipsi Carolo Procuratori Generali, ut a præfata Congregatione Cardinalium prohiberi obtineret omnibus Superioribus cujuscumque gradus præfatæ Congregationis Fratrum Discalceatorum, ne in futurum facultatem concederent recipiendi mutuo capitalia pecuniarum, nec illa consumerent, nisi servato juris ordine: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit prædictis Religiosis non licere enunciatas pecunias mutuo accipere nisi juris ordine servato. Romæ 20. Martii 1687. G. Cardinalis Carpineus B. Panciaticus Secretarius.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dictus Carolus Procurator Generalis nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsum Carolum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus extitit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annullo Pisc. die XIX. Apr. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXXIII. Confirmantur quædam Decreta Capituli Gener. Fratrum B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum anno 1686. edita.

Const. ed. 1687., Apr. 19., P. II. extat Decretum de pecuniis mutuo accipiendis a Superioribus. Et Inn. XII. Const. ed. 1691., Decem. 7., P. I. confirmantur Const. Ordinis.

Dat. 15. Maji 1687. An. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidentes, eaque pro felici, prosperoque Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in Portum religiosæ vitæ confugiunt, & vota sua Altissimo in Sanctitate, & justitia assidue reddere satagunt, regimine, & Gubernio, ac Religionis incremento provide, prudenterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Decreta edicta sunt sequentia.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Bartholomæus de Ribero Vicarius, & in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magister, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis, illiusque Diffinitorio die prima Junii anni proxime præteriti 1686. a dilectis pariter filiis Magistro Generali, & Diffinitorio ejusdem Ordinis unanimi consensu edita, & promulgata fuerunt nonnulla Statuta, seu Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet.

De Lectoribus.

§. 2. Cupiens Sanctum Diffinitorium majores in toto Ordine progressus literarum cum profectu legentium Philosophiam, & Sacram Theologiam, utilitatemque Discipulorum tamquam præcipuum fundamentum, & origo totius æstimationis Religionis, augmentumque ejus in spiritualibus, & temporalibus, inviolabili Constitutione, & statuto decernit, ut qui deinceps cursum lecturæ operam daturi fuerint, ut Gradus Præsentatorum, & Magistrorum obtineant, indispensabiliter se exerceant in officio Lectorum per spatium quindecim annorum, ita taliter, ut qui gradum Præsentati de justitia obtenturi sint, prius se exerceant in officio Lectoris per spatium octo annorum, quorum approbatio facta sit a Capitulo Provinciali suæ Provinciæ. Qui autem obtenturi fuerint gradum Magistri similiter de justitia, ultra illos octo annos lecturæ requisitos ad gradum Præsentati per alios septem annos, etiam a Capitulo Provinciali approbatos, in lectura se exerceant. Decernens in præsenti Decreto non comprehendi Patres Lectores qui actualiter legunt Sacram Theologiam.

Item circa præsentem materiam decernit Sanctum Diffinitorium, quod Patres lectores, qui per spatium prædictorum quindecim annorum Philosophiam, ac Sacram Theologiam legerint, si nondum gradum Præsentati obtinuerint, fruantur titulo Lectorum jubilatorum cum omnibus gratiis, exemptionibus, & præeminentiis, quibus gaudent Patres Præsentati, excepto dumtaxat voto, & cum præcedentia in loco ad omnes illos, qui non sunt Præsentati de justitia, tanquam si essent ultimi Præsentati de justitia, & servata inter ipsos Lectores præcedentia secundum antiquitatem lecturæ.

De Vocalibus in Capit. Gen.

Præterea quoniam magna experta sunt damna, & inconvenientia ex hoc, quod in Provinciis Ordinis eligantur suffragia vocem habitura in Capitulo Generali, eo præcise si forte aliquis in Capitulo Provinciali impediri contigerit, decernit, & stricte præcipit hoc statuto Diffinitorium, ut in posterum nulla causa, colore, vel prætextu quæsito, tale suffragium in aliqua Provincia eligi possit, nisi evidenter authentico, & fide digno Testimonio constet de legitimo impedimento illius qui ad talem vocem habendam in Capitulo Generali electus fuerat Capitulo Provinciali suæ Provinciæ, aliter autem factam prædictam electionem Sanctum Diffinitorium cassat, irritat, atque nullam fuisse declarat, & talem electum incapacem habendi vocem, seu suffragium in aliqua functione dicti Capituli.

De non Vocalibus.

Deinde considerans Sanctum Diffinitorium magna, & intolerabilia dispendia, quæ fiunt in Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus causa Religiosorum, qui non vocati, nec de corpore sunt Capituli, nec functionem in ipso habent, & tamen in excessivo numero ad Capitulum concurrunt, præcipit sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, trina canonica monitione de jure præmissa, ipso facto incurrenda, & sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, quibus pœnis, & censuris irremissibiliter punietur in eis incurrens, quod nullus Religiosus cujuscumque gradus, qualitatis, vel conditionis extiterit ire, vel intrare præsumat in Capitulum, vel Domum Capituli, nisi sit de corpore ipsius Capituli, vel de licentia Reverendissimi Patris Generalis, vel Vicarii Generalis totius Ordinis.

De Alternativa.

Cum etiam pervenisset ad notitiam hujus Sancti Diffinitorii magnas subortas esse perturbationes in Provincia Italiæ, ob non servatam alternativam inter Fratres Italos, & Hispanos in provisione officiorum vacantium: resolutorie præcipit, ut in posterum indispensabiliter observetur prædicta alternativa, & concordia inter Italos, & Hispanos.

De Procuratore Gen. in Curia Romana.

Item cognoscens hoc Sanctum Diffinitorium quam multum conducat bono communi Religionis, quod RR. PP. Vicarii Generales Italiæ intersint Capitulis Generalibus, ut tanquam Procuratores Generales Ordinis in Curia Romana referant Diffinitorio Generali rationem certam, & statutum negotiorum pendentium in ipsa Curia, declarat, & decernit, quod in posterum Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana, qui vocatus accesserit ad Capitulum Generale etiamsi tantum sit insignitus gradu Præsentati, vocem, & suffragium habeat in Capitulo, tam quoad electionem Reverendissimi Magistri Generalis, quam ad omnes alias functiones Diffinitorii Generalis.

De Visitatoribus Indiarum.

Animadvertens etiam Sanctum Diffinitorium gravissima damna, & inconvenientia, quæ sequuntur in Provinciis Indiarum, ex hoc quod RR. PP. Vicarii Generalis earum instituunt Visitatores Provinciarum, vel Conventuum Religiosos non Præsentatos, nec Magistros, & similiter ex eo, quod re non debita maturitate considerata, socios suos officiis, & honoribus dictarum Provinciarum afficiunt, decernit, & præcipit RR. PP. Vicariis Generalibus Indiarum, quod in posterum non audeant, nec possint nominare, vel instituere Visitatorem aliquem, qui non sit adminus Præsentatus, nec conferre officium, vel honorem Religioso alicui, sive sit ejus socius, sive non, nisi post quinquennium completum a die adoptationis ejus in filium illius Provinciæ, in qua officium, vel honorem consequuturus sit.

De Vicariis Provincialibus.

Attendens Sanctum Diffinitorium gravia inconvenientia, quæ possunt oriri ex eo quod RR. PP. Provinciales, qui a nostra Constitutione facultatem habent creandi Vicarios Provinciales suarum Provinciarum in casibus ibi expressis eligant ad hoc munus Religiosos non Magistros

gistros, nec Præsentatos: decernit, & præcipit dictis RR. PP. Provincialibus, quod inposterum in casibus Constitutionis non possint instituere Vicarium Provincialem eum qui ad minus non sit insignitus gradu Præsentati.

De Patre Ferdinando de Carvajat.

Considerans hoc Sanctum Diffinitorium, & tota attentione perpendens infatigabilem laborem, vigilantiam, industriam, & zelum R. P. M. Fr. Ferdinandi de Carvajat, & Rivera in promovendis causis Religionis in Curia Romana, dum in ea Procurator Generalis existeret, primo refert illi debitas gratias, deinde declarat, quod in virtute literarum Apostolicarum, quas impetravit etiamsi tale munus Procuratoris Generalis Curiæ non obierit per totum tempus a nostra Sacra Constitutione præfixum, est, & manet Pater Provinciæ Castellæ cum omnibus honoribus, gratiis, exemptionibus, & præeminentiis, quibus gaudent, & gaudere solent omnes dictæ Provinciæ Patres de Justitia.

De numero Lectorum.

Confirmat Sanctum Diffinitorium Decretum Capituli Generalis celebrati in Conventu Cartaracensi anno 1676., in quo præcipitur, quod in Domibus, seu Conventibus studiorum non possint esse plures, quam tres Lectores Sac. Theologiæ in unoquoque, exceptis Conventibus Principatus Cathaloniæ, in quibus, quia pauci sunt ratione devastationis belli præteriti, esse poterunt in unoquoque quatuor Lectores Sacræ Theologiæ.

De Graduatis ex Gratia.

Similiter confirmat Decretum ejusdem Capituli Generalis jam etiam confirmatum in Capitulo Generali proxime præterito Oscæ celebrato anno 1682. quo præcipitur ne possit admitti in aliqua Provincia gradus aliquis de gratia, nisi prævio rigoroso examine, & insuper decernit Sanctum Diffinitorium, quod PP. Magistri de gratia possint præcedere in locum sedendi Patres Præsentatos de Justitia, quin præsenti Decreto intelligatur comprehendi Patres Magistros de gratia, qui actualiter inveniuntur in possessione talis præcedentiæ.

De Secretariis.

Ad obvianda inconvenientia, & tollendas de medio omnes confusiones, decernit Sanctum Diffinitorium, non posse RR. PP. Secretarios Reverendissimi P. N. Magistri Generalis frui exemptionibus ipsis assignatis, quin prius per spatium completi quinquennii dictum officium exercuerint, & hoc sine præjudicio eorum, qui usque nunc fuerunt Secretarii Generales.

Similiter decernit Sanctum Diffinitorium inviolabiliter observari, quæ stabilita sunt in Capitulis Generalibus circa locum, quem debent habere PP. Secretarii RR. PP. Vicariorum Generalium Indiarum.

De Provincialibus.

Considerans tandem Sanctum Diffinitorium inconvenientia, quæ oriuntur ex reassumptione officiorum, itaut Reverendi Patres Provinciales absoluti sint, & reeligantur Vicarii Provinciales, decernit, & præcipit, quod dicti Reverendi Patres Provinciales absoluti non possint reelegi ad officium Provincialis, etiamsi per renunciationem vacaverit, nisi transactis duobus trienniis.

De Magistris, & Præsentatis.

Circa expressionem gratiarum, exemptionum, & præeminentiarum, quibus frui, & gaudere debent Patres Magistri, & Præsentati remittit se Sanctum Diffinitorium Congregationi, ut supra numer. 6. erigendæ ad disponendas, & ordinandas Sacras Congregationes.

Preces.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tam præfatus Bartholomæus Procurator Generalis, quam dicti Magister Generalis & Diffinitorium, Decreta, seu Statuta hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem illis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus pro parte dicti Bartholomæi Procuratoris Generalis, etiam eorumdem Magistri Generalis, & Diffinitorii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, præinserta Statuta, seu Decreta cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium, confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas & Statuta, seu Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XV. Maji MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

CLXXI

Confirmatur Erectio Universitatis Studii Generalis in Civitate Guatimala in Indiis Occidentalibus.

De erectione Universitatis in Diœcesi Chelmensi vid. Const. ed. 1684. Febr. 20. Pont. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 18. Ju 1687. An.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

E Suprema militantis Ecclesiæ specula pastorales vigilias super universum gregem Domini cum curæ nostræ divinitus commissum jugiter agentes, ac mentis nostræ aciem per omnes Christiani Orbis partes solicite circumfe-

rentes

rentes ad ea per quæ Chriſti fidelium mentes, depulſis ignorantiæ tenebris, ſcientiæ lumine illuſtrantur, ac ſacrarum, aliarumque bonarum literarum ſtudia, ad Eccleſiæ, Reique publicæ decus, & præſidium promoventur, libenter intendimus, munerisque noſtri paſtoralis partes propenſiori paternæ charitatis benignitate interponimus, ſicut pia Orthodoxorum Regum de Eccleſia Dei multis nominibus optime meritorum vota expoſcunt, & Nos locorum, temporum, rerum, & perſonarum qualitatibus mature conſideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæque fidei conſervationem, & propagationem, ac publicam, privatamque Chriſtifidelium utilitatem ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

ectio dictæ niverſitatis b titulo S. aroli.

§. 1. Nuper ſiquidem pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis expoſitum fuit, quod cum in Civitate Guatimalæ Regni novæ Hiſpaniæ in Indiis Occidentalibus, de ejus Regio aſſenſu, & licentia una nova Studii Generalis Univerſitas ſub titulo, ſeu invocatione Sancti Caroli ad inſtar Univerſitatum Studiorum generalium Liman., & Mexican. fundata, ac erecta, & inſtituta fuerit, ipſe Carolus Rex provide conſiderans quantum exinde utilitatis divino cultui, & ſervitio, ac Catholicæ fidei tuitioni, & propagationi, communique, & privato, præſertim illius Provinciæ Incolarum ſubditorum ſuorum bono ſit acceſſurum, etiam Sacros Canones, & Theologiam in eadem nova Univerſitate doceri, & perlegi, ac facultatum hujuſmodi ſtudioſos, peractis ſtudiorum ſuorum laboribus, condignis graduum ſcholaſticorum honoribus, & præmiis decorari poſſe plurimum deſideret. Quare ejuſdem Caroli Regis nomine fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

ecesCaroli gis Catholi.

§. 2. Nos igitur laudabilia ipſius Caroli Regis in Dei obſequium, Eccleſiæque, & Reipublicæ bonum ſtudia plurimum in Domino commendamus, piiſque ejus poſtulatis favorabilem aſſenſum, quantum Nobis ex alto conceditur, præbere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, ac erectionem, & inſtitutionem dictæ novæ Univerſitatis Studii Generalis in præfata Civitate Guatimalæ factas, ut præfertur, cum omnibus, & ſingulis inde ceteroqui legitime ſecutis, & ſequuturis, itaut in eadem nova Univerſitate, tam Sacri Canones, & Theologia, quam aliæ omnes ſcientiæ, & facultates perlegi, & doceri, in eiſque ſtudioſi, immenſis ſtudiorum curriculis, ad quoſcumque gradus ſcholaſticos, pro eorum meritis, & idoneitate, quemadmodum in ſupradictis Limana, & Mexicana Univerſitatibus fieri conſuevit promoveri valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti, ac ſolemnitatum in ſimilibus, etiam de neceſſitate obſervandarum, alioſve quoſlibet, etiam quantumvis formales, & ſubſtantiales defectus, ſi qui in præmiſſis, vel eorum aliquo principaliter, vel acceſſorie, aut alias quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, pleniſſime & ampliſſime ſupplemus, & ſanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus. Ac eidem novæ Univerſitati ſtudii generalis ſic a Nobis confirmatæ, & approbatæ, illiuſque Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, ceteriſque Officialibus, Miniſtris, & perſonis quibuſcumque nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, quibus præfatæ Limana, & Mexicana ſtudiorum generalium Univerſitates, illarumque Rectores, Magiſtri, Doctores, Lectores, Præceptores, Scholares, Procuratores, Bidelli, Nuncii, ceterique Officiales, & Miniſtri, ac perſonæ quæcumque reſpective, tam de jure, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam æque principaliter & pariformiter in omnibus, & per omnia uti, frui, potiri, & gaudere; Rectori autem ipſius novæ Univerſitatis pro tempore exiſtenti, ut illos, quos in eadem Univerſitate per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererit in præfatis facultatibus, ſive ſcientiis, quæ in ipſa Univerſitate docebuntur, ſeu legentur, ad Baccalaureatus, etiam Formati, Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magiſterii gradus, ſervata tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias juxta laudabiles ſupradictarum Limanæ, & Mexicanæ Univerſitatum ritus, & conſuetudines promovere, ſolitoſque gradus hujuſmodi eis conferre; & exhibere; Ipſis vero ad eoſdem gradus per illum ſic promotis, ut poſtea publice, privatimque, etiam in aliis Univerſitatibus ſtudiorum generalium, facultates, ſive ſcientias prædictas reſpective alios docere, & interpretari, de eis diſputare, alioſve actus quoſcumque eorum gradibus convenientes exercere libere, & licite poſſint, & valeant reſpective auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

onfirmatio rectionis d. niverſitatis inſtar illa m Limanæ, Mexicanæ.

Rectori conceditur facultas conferendi gradus.

Graduatorum facultates.

Eidem tribuuntur privilegia omnia edictarum niverſitatum.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam juridica, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, ad terminos Juris reduci, ſeu in controverſiam vocari, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, ſeu impetrato, aut etiam motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiter obſervari: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, & locis, etiam specifica, & individua mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, ac insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Junii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CLXXV. Prohibetur, ne extrahantur Libri Musicales ex Archivio Capellæ Pontificiæ.

Collegium Cantorum Capellæ erectum fuit a Sixto V. Constit. edit. 1586. Sept. 1. Pont. 2. Et ab Alexand. VIII. Const. ed. 1690. Octob. 21. Pont. 2. edita fuere nonnullæ Ordinationes circa Libros ejusdem Capellæ.

Dat. 15. Oct. 1687. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa prohibitionis.

CUM sicut dilectus filius modernus Magister Collegii Cantorum Pontificiæ Nostræ Capellæ Nobis nuper exponi fecit, occasione Inventarii Librorum Musicalium ad dictam Capellam spectantium, non ita pridem per ipsum confecti, plura dictorum Librorum folia, in quibus diversa Missarum primordia descripta erant, seu etiam in quibus figuræ nonnullæ affabre, & singulari artificio descriptæ reperiebantur, ac forsan integra Volumina ex Archivio, seu Custodia dictæ Capellæ in grave ejusdem præjudicium temere sublata fuisse repertum fuerit: Nos ejusdem Capellæ indemnitati, cujus cura strictiori jure, Nobis incumbit, ac dictorum Librorum conservationi quantum cum Domino possumus benigne consulere, nec non ejusmodi malis in posterum occurrere volentes, ne de cætero quisnam quavis auctoritate, vel superioritate, aut officio fungens libros Musicales, quinterniones, chartas, & alia folia quæcumque, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus in Archivio, seu Custodia hujusmodi pro servitio dictæ Capellæ collocata, donata, seu alias assignata, quam in posterum forsan collocanda, donanda, & assignanda sub quovis quæsito colore, prætextu, ingenio, causa, ratione, & occasione, præterquam ad effectum illos, seu illa ad supradictam Capellam pro usu Cantorum præfatorum deferendi ex Archivio, seu Custodia hujusmodi extrahere, & asportare, seu ut extrahantur, & asportentur permittere; aut consentire audeat, seu præsumat sub excommunicationis latæ sententiæ per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut præfato usu finito, Libri prædicti in Archivio, seu Custodia hujusmodi sub pœnis supradictis illico reponantur: utque præsentis prohibitionis exemplum valvis Archivii, & Custodiæ hujusmodi, seu alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni possit, continuo affixum remaneat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XV. Oct. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CLXXVI. Conceditur Priori Generali Ord. Carthusien. facultas absolvendi in foro conscientiæ etiam per alios suos Monachos a casibus reservatis in Bulla *Cœnæ Domini* quoque contentis.

De alio privilegio hujus Ord. vid. Constit. ed. 1682. Sept. 11. Pont. 8.

Dat. 18. Oct. 1687. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SUpremi Apostolatus Officium humilitati Nostræ divinitus commissum postulat, ut Religiosarum personarum, earumque præsertim, quæ in agro sanctæ solitudinis, cui benedixit Dominus, mundanis abjectis illecebris, devotum, ac sedulum exhibent Altissimo famulatum, paternam curam gerentes, ad eas peculiaris muneris nostri partes intendamus, quæ spirituali earum consolationi, quietique Religiosæ conducibilia fore in Domino arbitramur.

Species facti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Prior Generalis Ordinis Carthusien., quod in dicto Ordine semper bona fide creditum fuerit Priorem Generalem pro tempore existentem ipsius Ordinis ex privilegiis plurium Summorum Pontificum, habere facultatem absolvendi personas sui Ordinis a quibuscumque excessibus etiam in literis Apostolicis, quæ in die Cœnæ Domini quotannis legi, seu promulgari consueverunt, eumque hanc facultatem aliis subdelegare posse, quodque ita huc usque in eodem Ordine observatum fuerit; verum quia Congregatio particularis nonnullorum Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium a Nobis specialiter deputatorum, censuit dictum Priorem Generalem pro tempore existentem hujusmodi facultate uti non posse, & ab ea super hoc emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Monet Sacra Congregat. tam Reverendissimum Patrem, quam reliquos Superiores, & Monachos Ordinis, ipsos in vim Privilegiorum hactenus Ordini Carthusianorum concessorum, nullatenus posse absolvere a casibus in Cœna Domini, & aliis Papæ reservatis, proindeque supplicandum Sanctissimo pro necessaria facultate concedenda Reverendissimo Patri pro tempore existenti, etiam cum facultate subdelegandi, & cum specifica derogatione dictæ Bullæ, nec non cum clausula, quod non censeatur per annuam promulgationem dictæ Bullæ revocatum hujusmodi Indultum, nisi

Decretum Congregationis particularis.

Approbatio Pontificis re... ti Decreti.

facta specifica mentione Carthusianorum &c. Die 29. Maji 1687.--Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione &c. Oratoris precibus benigne annuit. Romæ &c.--G. Cardinalis Carpineus--B. Brancatius Secretarius.--Nobis propterea dictus Modernus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Prio... is Genera... s.

§. 2. Nos igitur, qui audita relatione Congregationis hujusmodi petitis dicti moderni Prioris Generalis dudum annuendum duximus, eundem Priorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem moderno, & pro tempore existenti Priori Generali ordinario præfato, & per se, vel alium, seu alios, quos ad id subdelegandos duxerit, dicti Ordinis personas ab omnibus excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, ac casibus etiam per Literas Apostolicas in die Cœnæ Domini legi, & promulgari solitas, aut alias quascumque nostras, & Romanorum Pontificum Constitutiones quomodocumque Nobis, & Sedi Apostolicæ reservatis, pœnitentia salutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conscientiæ tantum absolvere, & liberare valeat, perpetuis futuris temporibus, facultatem concedimus, & impartimur.

Concessio ... edictæ fa... ltatis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes præsentes literas perpetuo firmas, validas, & efficaces esse, & fore, itaut illæ per annuam promulgationem dictarum Literarum Apostolicarum in die Cœnæ Domini publicari solitarum numquam revocatæ censeantur, aut censeri possint, vel debeant, nisi facta specifica mentione Carthusianorum.

§. 4. Non obstantibus præfatis in die Cœnæ Domini legi solitis Literis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, quibus omnibus, & singulis illarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, harum serie ad præmissorum effectum tantum, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVIII. Octob. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

...LXXVII.

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ord. Eremitarum S. Augustini, quo Senarius numerus Magistrorum Peruanæ Provinciæ ad duodenarium extenditur.

Alia Decreta pro Provinciis Indiarum extant Constit. ed. 1680., Sept. 14. P. 4. Const. ed. 1680. Aug. 8. P. 4., & Const. ed. 1688. Feb. 27. P. 12. Pro solis vero Magistris Inn. XII. Const. ed. 1690. Apr. 30. P. 1. Et Const. ed. 1692. Sept. P. 3.

...at. 22. Jan. ...88. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum solicitat, ut fovendis, promovendisque inter viros Religiosos vota sua Altissimo in Sanctitate, & Justitia reddere satagentes, Sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studiis propensa charitate incumbamus, ac proinde ea, quæ consimili consilio statuta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant Apostolici muniminis nostri præsidio libenter corroboramus.

Species facti.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joannes de Suazo Procurator Provinciæ Peruanæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod cum alias Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita animadverterit in præfata Provincia Peruana nonnullis abhinc annis numerum Fratrum valde excrevisse, ac plurimos ad præsens in illa esse, qui Studiorum curriculis peractis, digni, & idonei sunt, quibus Magisterii gradus conferatur inter alia pro salubri, ac felici ejusdem Provinciæ regimine decreta sub die 19. Mensis Novembris 1683. demandavit, ut in Capitulo Generali ejusdem Ordinis tunc proxime celebrando de numero Magistrorum ejusdem Provinciæ augendo ageretur, ac subinde idem Capitulum Generale, ut debitus virtuti honor rependeretur, & Fratres præfatæ Provinciæ congruis honorem præmiis ad Sacrarum, bonarumque literarum Studia amplectenda, & prosequenda, alacriores, & ferventiores redderentur, re mature perpensa, atque discussa, ac dilecto Filio nostro Palutio Tituli S. Mariæ Transtyberim S.R.E. Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato Ordinis prædicti apud nos, & Sedem Apostolicam Protectore approbante, inter cæteras pro dicta Peruana Provincia editas ordinationes, Senarium ejusdem Provinciæ Magistrorum numerum (si ita nobis placeret) ad duodenarium imposterum extendendum esse sancivit, decretumque hac in re sub titulo pro Peruana Provincia §. 11. edidit tenoris, qui sequitur videlicet.-- *Quoniam præfata Provincia satis ampla, lateque extensa divino favente numine viris eximiis abundat, quos debita præmiorum vicissitudine non decet esse destitutos, ac eadem Sacra Congregatio ad Capitulum Generale commiserit agere de augendo numero Magistrorum, declaratur, in Provincia Peruana duodecim imposterum futuros esse Magistros de numero, si Sanctiss. D.N. placuerit, habito respectu proportionatæ distributionis, itaut pro natis in Indiis, qui sunt in majori numero novem designentur Magisteria, & tria pro Hispaniis longe paucioribus.*

A Congreg. Reg. demandata fuit res Capitulo Generali.

Decretum Capituli Gener.

Preces Procuratoris Provinciæ.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Joannes Decretum hujusmodi in præfato Capitulo Generali factum, ut firmiter subsistat, & exacte servari valeat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illudque executioni mandari debere decernimus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici

Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXII. Jan. MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXVIII. Confirmantur quædam Decreta Capituli Generalis Ord. S. Augustini, quibus prohibetur, ne Religiosi Provinciarum Mexicanæ, & Mechoacanensis, soli, aut cum pallio, vel galero incedant.

De Decretis pro Provinciis Indiarum vid. præcedentem Const. Pro duabus vero memoratis vid. Const. ed. 1692. Septem. 28. P. 3., & Constit. ed. 1699. Septem. 5. P. 9.

Dat. 17 Febr. 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito Pastoralis officii, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ altitudo humilitati nostræ, viribus licet & meritis longe impari, imponere dignata est, paternam Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ religiosæ confugerunt, curam peculiari charitate assidue gerentes, ea, quæ pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod alias in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe nostra celebrato de anno 1673. pro Mexicana, & Mechoacanensi Provinciis ordinis prædicti edita, & facta fuerunt nonnulla decreta, seu ordinationes, tenoris, qui sequitur, videlicet: Decreta Capituli Generalis anno 1673. Romæ celebrati edita specialiter pro Mexicana, & Mechoacan. Provinciis &c. modo sequenti, videlicet: Magister Frater Nicolaus Oliva Senen. &c. Etsi omnis gloria &c.

Decreta prædicta edita fuere anno 1673., & 1685.

§. 2. Quoniam vero audivimus in iisdem Mexicana, & Mechoacan. Provinciis damnabilem irrepsisse abusum, ut Religiosi nostri per Urbes, Oppida, perque loca, in quibus immorantur, dissociati incedant, pallium, & galerum deferentes. Idcirco Decreto resolutum fuit in Congregatione Diffinitoriali Capituli Generalis, ut stricte, & sub pœnis infra exprimen. prohibeatur, prout nos tenore præsentium prohibemus, ne aliqui ex Religiosis nostris prædictarum Mexicanæ, neque Mechoacan. Provinciarum e Conventibus, etiam associati cum pallio, neque cum galero exire audeant, & per publicas Urbium, aliorumque locorum vias incedere, sine socio. Mandantes in meritum salutaris observantiæ, & sub pœnis privationis Graduum, & officiorum, aliisque nostro, & successorum arbitrio reservatis, ut quoties Religiosis prædictis erit exeundum serventur præscripta Sacrarum nostri Ordinis Constitutionum, & postulata, atque obtenta a Patre Superiore licentia semper associati incedant, juxta Christi Domini exemplum, qui Apostolos, Discipulosque suos non solos, sed binos semper mittere consuevit. Romæ die 2. Junii 1673., & sane Decretum contra usum pallii, & galeri pro prædictis Provinciis subinde innovatum, & confirmatum fuit in nupero Capitulo Generali ejusdem Ordinis in eadem Urbe celebrato de anno 1685. per aliud Decretum ibidem editum sub titulo pro Mexicana Provincia sub num. 10. tenoris qui sequitur: Innovatur, & confirmatur Decretum Reverendissimi Olivæ contra usum pallii, & galeri in Mexicana, & Mechoacanensi Provinciis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, eorumdem Decretorum observantia in prædictis Provinciis hucusque neglecta fuerit, & de præsenti etiam negligatur, ideoque idem supradictus Procurator Generalis, quo illa firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ejus votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta Decreta, & Ordinationes, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Procuratoris Generalis.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 4. Decernentes præinserta Decreta, & Ordinationes, ac easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtineri, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective, sub pœnis in eisdem Decretis contra transgressores inflictis, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, spe-

xat, spe-

xat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Januarii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXIX. Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. super executione Constitutionum Tertii Ordinis S. Francisci quoad Fratres Laicos, & Oblatos Provinciæ Franciæ.

De Oblatis vide Constitut. ed. 1681. Aug. 27. P. 5. Aliud vero Decretum Cong. particularis extat Inn. XII. Const. ed. 1693. Octob. 19. P. 3.

Dat. 13. Mar. 1688 An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

ALias pro parte dilecti filii Benedicti Parisiensis Procuratoris Provinciæ Franciæ Tertii Ordinis S. Francisci nobis exposito, quod Superiores dictæ Provinciæ a pluribus annis ad hanc S. Sedem, recursum pluries habuerunt pro bono regimine, & receptione Fratrum tam Laicorum, quam Oblatorum, seu Servientium dicti Ordinis in eadem Provincia, & plures super hujusmodi negotio literæ Apostolicæ in simili forma Brevis expeditæ emanarunt, verum tamen exinde pacem, & religiosam tranquillitatem inter utrosque Fratres præfatos adhuc consequi non valuerunt, quandoquidem ex eorundem Fratrum Laicorum, & Oblatorum differentia, alii etenim pileum, alii vero caputium deferunt, continua ferme dissidia inter eos exoriuntur, indeque humani generis inimico scissuras hujusmodi promovente; cum minori zelo exhibent Altissimo famulatum; Et in eadem expositione subjuncto, quod ad perturbationes præfatas præcidendas in postremo Provinciali Capitulo dictæ Provinciæ die 29. Maii 1686. celebrato, decretum fuit, idque ab omnibus vocalibus, nemine reluctante subsignatum, iterum ad nos recurrere, quatenus in posterum in præfata Provincia Constitutiones, & Statuta circa Fratres Laicos, tam præsentes, quam futuros, quoad eorum jura stricte observari, & Fratres Oblatos, qui nunc in eadem Provincia existunt ad Statum Laicalem assumi, cum privilegio gaudendi juribus Fratrum Laicorum, modo quartum professionis annum attigerint, ut in iisdem Statutis præfertur, mandaremus. Et propterea Nobis humiliter supplicato, ut ad prænarratas controversias tollendas, quæ novum adhuc paternæ charitatis, & prudentiæ nostræ præsidium exposcunt, præfatæ Capituli Provincialis petitioni annuere dignaremur. Nos supplicem libellum hujusmodi ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum remisimus, a qua emanavit Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: *S. Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta remissione Sigilli per SSmum D. N. facta, censuit circa præmissa servandas esse prædicti Ordinis Constitutiones. Romæ 15. Novembris 1686. I. Card. Carpineus -- Loco ✠ Sig. B. Panciaticus Secretar.*

(Decretum Capituli Provincialis pro recursu ad Pontificem.)

(Decretum Congreg. Episc., & Regul. de servandis Constitutionibus Ordinis.)

§. 1. Cum autem sicut prædictus Benedictus Nobis denuo exponi fecit; ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Benedictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes; & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas; semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ prædictæ, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXX. Confirmatur nova Collectio Statutorum Ordinis Carthusiensis.

Extat Decretum quoddam Cap. Gen. Const. ed. 1681. Julii 31. P. 6., & aliud Cong. particularis Innocen. XII. Const. ed. 1692., Apr. 11., P. 1.

Dat. 27. Mar. 1688. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctum Nobis divinitus Apostolicæ servitutis officium, meritis licet, & viribus longe impares ad Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ ædificationem, bonorumque, & piorum operum incrementum, & Animarum salutem fideliter exequi adjuvante Domino satagentes, Regulares Ordines in Ecclesia Dei pie sancteque institutos, ac multiplici, celeberrimaque virtutum laude fulgentes, in salutari eorum vivendi norma, veterisque disciplinæ observantia confovere, atque conservare omni studio connitimur; ac proinde ea, quæ pro felici, prosperoque Religiosorum virorum eorumque præsertim, quos suave Christi jugum sub austerioris vitæ regula amplexos, cæteris Sanctitatis, & Religiositatis exemplo prælucere de-

cet, regimine, & gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, ut serventur exactius, & perenni stabilitate persistant, Apostolici muniminis patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus, sicut omnibus matura deliberatione perpensis, salubriter in Domino expedire conspicimus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Innocentius Prior Carthusiæ majoris Gratianopolitanæ Diœcesis, totius Ordinis Carthusiensis Minister Generalis, ac Diffinitores Capituli Generalis ejusdem Ordinis, quod ipsi alias animo revolventes ineffabilem divinæ bonitatis altitudinem, qua factum est, ut idem Ordo, quem Romani Pontifices Prædecessores nostri, velut bonam in agro militantis Ecclesiæ dextera Domini plantatam, ac fructus uberes Justitiæ jugiter producentem merito appellarunt, singulari plane prærogativa ad hoc usque septimum a fundatione sua sæculum, in suo primævo instituto absque ulla reformationis necessitate perseveraverit, tam ingentibus Altissimi beneficiis obstricti aliquam Domino pro omnibus, quæ iis retribuit, retributionem reddituri, quam exactissimam regularis disciplinæ observantiam solicitis magis studiis custodire decreverunt, adeoque juxta ordinationem anno 1679. a Capitulo Generali Ordinis præfati emanatam, novam Statutorum pro salubri ejusdem Ordinis Fratrum in via mandatorum D. directione editorum collectionem, longo labore, ac diligentia perfectam Correriæ apud dictam Carthusiam Majorem anno 1681. typis evulgari curarunt, antiqua in ea operis hujusmodi secunda editione, majorum suorum vestigia persequentes, qui primis Statutis eas Ordinationes, & interpretationes adjunxerunt, quæ illis ad veteris Instituti conservationem, & abusuum ex humana infirmitate erumpentium extirpationem, necnon ad præcavendas relaxationes conducere visæ fuerunt; & sane opus istud ab omnibus fere universi Ordinis, Provinciis, & Domibus regularibus in spiritu humilitatis, & obedientiæ, pacifice, & reverenter (ut asseritur) admissum, paucorum solummodo querelis, qui præcipue adversus ordinationes, & interpretationes præfatas reclamarunt, exceptum fuit.

Causa novæ Collectionis.

Hujusmodi Collectio recepta fuit a toto Ordine.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfata Statutorum collectio, ut supra edita, per Congregationem nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, quos super hoc negotio dicto Innocentio Priore, & Ministro Generali, ac Diffinitoribus præfatis potissimum instantibus, ad quascumque dissentiones dirimendas, quæ inter viros solitariæ vitæ professores fraternæ charitatis serenitatem, religiosamque tranquillitatem obnubilare potuissent, specialiter deputavimus, diligenter ac sedulo revisa, imo & contradictoribus auditis discussa, ac ubi opus esse visum est opportune etiam correcta, & emendata fuerit in volumine; tenoris, qui sequitur, videlicet.

Ad examen revocata fuit a particulari Congregat.

§. 3. NOVA COLLECTIO STATUTORUM ORDINIS CARTHUSIENSIS EA, QUÆ IN ANTIQUIS, ET NOVIS STATUTIS, ac tertia compilatione dispersa, & confusa habebantur simul ordinate disposita complectens.

Nova Collectio.

Ordinatio Capituli Generalis anni 1679. in majori Carthusia celebrati pro secunda Editione secundæ, & tertiæ partis Statutorum facienda.

Quia ubique majorum Statutorum penuria laboramus, ordinamus, ut illorum fiat secunda, & nova editio, juxta exemplar a R. Patre correctum, & a Capitulo Generali visum, examinatum, & approbatum, in quo locis obscurioribus notæ appositæ sunt, & Capitulorum Generalium Ordinationes ad totum Ordinem, & materias in his majoribus statutis contentas spectantes a postrema statutorum collectione editæ, suo quæque loco in fine paginarum, aut Capitulorum reponuntur. Ex quibus Ordinationibus revisis, & examinatis, quæ magis utiles, aut necessariæ visæ fuerunt, selectæ sunt, quædam etiam additæ, & simul ad formam, & numerum, quæ in Aula præsentis Capituli publicabuntur, redactæ, inposterum vim statuti habituræ, cæteris quæ ad Ordinem integrum, & has statutorum partes spectant, in ista publicatione non contentis, resecatis, aliis vero quæ ad singulares Provincias, & Domos pertinent in suo robore semper remanentibus.

Ordinatio Capituli Generalis anni 1680. Ordinationem præcedentis Capituli, quæ incipit: Quia ubique majorum Statutorum &c. *confirmans.*

Frater Innocentius humilis Prior Carthusiæ, cæterique Diffinitores Capitulorum Generalium annis 1679., & 1680. in majori Carthusia celebratorum, universis Carthusiensis Ordinis alumnis, & professis salutem, & propositi certaminis felicem cursum. Cum nihil nobis post Sancta Christi Evangelia, Sacramque scripturam sit magis necessarium, quam statuta Ordinis, ad quorum normam Christo militare professi sumus, & in quibus media ad sermones ejus servandos nobis præfixa reperimus; ideo omni qua potuimus diligentia laboravimus, ut in hac nova editione nihil omitteretur, quod illorum rectæ intelligentiæ, atque observantiæ habita ratione multorumque sæculorum experientia sensim edocuit, posset desiderari, qua de causa Ordinationes Capitulorum Generalium suis locis attexuimus; nihil etiam relinqueretur inemendatum, ex his, quæ temporum ratione, & Fori Ecclesiastici moderna praxi exigentibus, Sancta Sedes Apostolica, cui omnimodam subjectionem, & obedientiam devovemus, commendaverat exprimendum. Hunc ergo librum diligentius revolvite, & veluti panem quotidianum masticare satagite. Ad hoc enim singulari ordinatione præcepimus ut singuli Monachi illum penes se habeant; nec etiam deerunt aliquando Conversis, & Monialibus exemplaria Tertiæ Partis in linguam vernaculam conversa. Quod autem verba exhortationis de correctione paulo durius prius expressa, verbis lenioribus, salva tamen rerum substantia, nunc proferantur, id tum Justitia, tum discretione exigentibus factum est. Justitia, quia revera ulceribus de facto non apparentibus, aut rarissime in paucis existentibus, non debet publicum, aut commune omnibus remedium nunc applicari. Discretione autem, quia juniores auditores putantes existere, & verum esse ad literam, quod ex succenso zelo procedit Matres imitante, quæ ex pueri casu statim filium suum clamant esse mortuum, inde quandoque, ut experientia docuit, scandalizantur. Porro de sola exhortatione agitur, & non de observantia aliqua Regulari. De quibus omnibus vos etiam monitos esse voluimus præsenti serie, ut nullius offendiculi occasione relicta, hoc opus libentius suscipiatis, reverentius observetis, & inde forma Carthusiane vivendi assumpta, Religioseque servata, ad bravium supernæ vocationis perveniatis, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT PROLOGUS

In novam Statutorum Ordinis Carthusiensis collectionem.

Ad Dei laudem, nostram, Subditorumque nostrorum omnium communem salutem, & pacem, & observantiæ regularis augmentum. Nos humiles Fratres, Bernardus Prior majoris Do-

mus Carthusiæ, cæterique Diffinitores Capituli Generalis nostri Carthusiensis Ordinis Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo primo Carthusiæ celebrati: novam hanc statutorum collectionem, ex consuetudinibus Guigonis, antiquis, & novis statutis, tertia compilatione, Generalium Capitulorum Ordinationibus, Statutorum concordantiis, glossis, ac cæremoniali libro Domus nostræ majoris Carthusiæ, omnibus simul collatis; & quibusdam pro temporum, personarum, & Causarum qualitate, & necessitate prudenter, & salubriter resecatis, seu emendatis, aliquibus etiam additis utilibus, & necessariis de mandato nostro collectam, & omnem, quæ in universis prædictis confusa, & dispersa habebatur substantiam simul compactam, & conjunctam in se complectentem, tribusque partibus distinctam, atque sub suis titulis, & capitulis ordinatam per nos, & Deputatos a nobis diligenter examinatam, & jam semel, & secundo per duo Capitula, accedente consensu Conventus Carthusiæ approbatam, & confirmatam, iterum nunc, & tertio, communi omnium nostrorum, necnon, & Conventus Carthusiæ consilio, pariter, & consensu, auctoritate Privilegiorum nostri Ordinis laudamus, approbamus, & confirmamus, & eam cum singulis in ea contentis, & descriptis, vim Statutorum habere, & ab omnibus nostri Ordinis personis studiose observari volumus, & ordinamus. Utque nullus ignorantiæ justam causam prætendere possit, volumus etiam, & ordinamus, quod infra annum a die publicationis computandum, quælibet Domus Ordinis novam istam collectionem penes se habeat. Declarantes quidquid ista nova collectione (sic enim volumus eam appellari) non continetur, carere omni vi, & obligatione. Nolumus tamen propterea priora statuta aboleri, sed vigere quidem, & diligenter asservari propter Patrum reverentiam: non autem habere vim statuti in posterum, cum ex illis hic inserta sint omnia ad quæ volumus nostros obligari (a). Et quoniam præsentia hæc statuta, si diligenter observentur ad conservandum Ordinis statum sufficere videntur: præsertim cum raro, rarique casus (de quibus propterea non debet fieri lex, aut ordinatio specialis) inter nos eveniant, qui per ea decidi, & determinari non possint: hortamur successores nostros, ut ab onerosa, & periculosa statutorum, & ordinationum utiliori non necessaria multiplicatione cessent, & omnes nostræ Religionis Professores, & alumnos obsecramus per misericordiam, & bonitatem Dei (qui tam clementer Carthusianum Cœtum, & familiam a principio ad hodiernum usque diem fovere, dirigere, ac protegere dignatus est, omnia nobis abunde suppeditans, quæ ad nostram salutem, perfectionemque conducunt) ut singuli in sua vocatione, & officio conaremur per gratitudinem nobis possibilem tam paternæ liberalitati, & benevolentiæ Domini Dei nostri respondere. Quod præstabimus, si ad regularem observantiam, per hæc statuta nobis traditam, sic fideliter, & solicite laboremus, ut nostro homine externo his Institutis recte, & sicut decet instructo, & exculto, (b) ipsum Deum in homine interiori studiosius quæramus, citius inveniamus, & perfectius possideamus, sicque Domino concedente ad perfectionem charitatis (quæ nostræ professionis, & totius Monasticæ vitæ finis est) pervenire, & æternam inde beatitudinem obtinere valeamus.

EXPLICIT PROLOGUS.

(*) *Ordinatio Capituli Generalis anni 1679.*

Ad tollendas occasiones erroribus, & dubiis, ex quibus Personarum Ordinis conscientiæ in peccandi discrimina possent conjici circa qualitatem obligationis statutorum Ordinis, & sic satisfaciendum optatis multorum, qui instanter postulant id dilucide exprimi declaramus mentem Ordinis circa præcepta, & pericula inde cavenda satis apparere ex *n. 20. cap. 3. secundæ partis statutorum*; cum ergo velit omnia in ædificationem, & non in destructionem disponere, ac proinde media egregia ad perfectionem obtinendam tradendo laqueos ad multiplicanda peccata non ponere obligatio illa quoad culpam, debet desumi ex præcepti formalitate, aut materiæ gravitate ex respectu ad ea, quæ sunt statui Religioso essentialia, vel ex negligentiæ, aut scandali qualitate. Licet enim simplex statutum (idest nullo præcepto expresso, & vero conjunctum) non obliget per se ad culpam, sed tantum ad pœnam, ex cujus diligenti exactione vigor Regularis disciplinæ in Monasteriis servatur, attamen actus transgressoris fit per se peccatum, ex ratione negligentiæ, & mali exempli aliis præstiti; itaut supposita etiam ratione scandali, atque etiam materia ad essentialia Votorum pertinente raro fieri possit transgressio simplicis statuti notabilis, plene libera, & voluntaria, idest absque tentationis luctamine, ut egregie explicat Sanctus Franciscus Salesius, quæ non sit peccatum veniale. Si vero contemptus reperiatur, aut grave scandalum ex habitualibus transgressionibus, quas quis corrigere non curat, aut contemnit; tunc grave peccatum est, & talis Monachus in periculosissimo suæ salutis statu versatur.

(*) *Videndi sunt de hac materia* San. Franciscus Salesius *in collatione de Constitutionibus*, & Illustr. Card. a Turre Crem *in reg. S. Benedicti tract. v.*, atq; etiam D. Thomas 2. *q.* 188. *ar.* 9. & Navarr. *in Manuali cap.* 23. *num.* 62.

Hujus novæ Collectionis

PARS PRIMA.

Sub Ordinarii nomine separatim est impressa.

Hic autem sequuntur Capitula Secundæ Partis.

1. De triplici divisione Statutorum, & quando legantur: deque Divino Officio, uno eodemque modo, ab omnibus celebrando, librisque corrigendis.
2. De electione Prioris.
3. De Officio Prioris.
4. De tractando consilio.
5. De Officio Vicarii, & antiquioris.
6. De Procuratore.
7. De Confessione, & Communione.
8. De Capitulo.
9. De Lectore Refectorii, ipsoque Refectorio.
10. De abstinentia, & Jejuniis.
11. De Minutionibus, Rasura, Infirmis, & medicinis.
12. De Vestimentis, & utensilibus Cellæ, ædificiisque construendis.
13. De solitariæ vitæ commendatione.
14. De Cellæ, & silentii observatione.
15. De Colloquio claustri, & spatiamentis.
16. De operibus communibus.
17. De Novitio.
18. De professione Novitiorum.
19. De vitio Proprietatis, & excommunicatione Proprietariorum.
20. De Pauperibus sublevandis, & mulieribus fugiendis.
21. De numero Habitatorum novis Domibus, & Hospitium Viaticis, & expensis.

(a) *Vide Ordinationem Capituli Generalis anni 1679. in fine hujus Prologi.* Ad tollendas &c.

(b) Hinc perpende quis sit observantiarum externarum scopus, & quo tendere debeat illarum usus, nempe, ut ad hominem vere interiorem adorantem in spiritu, & veritate perveniamus. Sunt enim tantum media ad quærendum, & inveniendum Deum in homine interiori, & hic expressum habes.

Incipit novæ Collectionis Statutorum Ordinis Carthusiensis

PARS SECUNDA.

De triplici divisione statutorum, & quando legantur, deque Divino officio, uno eodemque modo, ab omnibus celebrando, & libris corrigendis.

Caput Primum.

1. Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, visum est Capitulo Generali, quod omnes scriptæ consuetudines, & statuta Ordinis nostri, quæ in antiquis, & novis, ac tertia compilatione dispersa erant simul in unam quantum possibile foret aggregarentur consonantiam, ut inveniri citius, & facilius possent memoriæ commendari. Si quæ vero addenda, vel emendanda essent: adderentur, vel emendarentur.

2. Quod opus per plures annos a Patribus Ordinis serio, & mature revisum, & examinatum tandem anno 1578. auctoritate ejusdem Capituli Generalis, totiusque Conventus Carthusiæ consensu, & Consilio in præsentem formam est redactum, & per tria Capitula approbatum, & confirmatum.

3. Hujus autem operis tres sunt partes. Quarum prima continet ea, quæ ad uniformem ritum, ac modum divina celebrandi officia in Ordine nostro faciunt, quam propterea idem Capitulum voluit sub Ordinarii nomine separatim a reliquis partibus typis mandari, ut Monachi omnes facilius possent eam diligenter, & cum judicio, quoties opus fuerit, legere, & consulere: quatenus Divinum Officium ab omnibus uno ritu, & cum eisdem Cæremoniis persolvatur.

4. Secunda Pars ea tractat, quæ concernunt externum Carthusiani Instituti regimen; externas item observantias, & officia: ad Monachos magis, quam ad Conversos pertinentia (*): Quæ pars singulis annis in Claustro, vel alibi pro Domorum consuetudine, præsente Conventu ex integro legatur, a festo omnium Sanctorum usque ad Pascha singulis diebus Capituli post nonam: exceptis diebus Paschæ, Natalis, & Cœnæ Domini, cæterisque festis Capituli super hebdomadam in Quadragesima occurrentibus.

(*) *Ordinatio Capituli gen. anni 1676.* Singuli Monachi habeant in Cella Statuta Ordinis integra, ut non solum possint auditu illa percipere, sed etiam apud se revolvere, & legere, & omnes actus suos ad illorum formam conformare semper studeant.

5. Tertia, & ultima pars, Conversos, Donatos, & Moniales nostri Ordinis instruit, quæ semel ad minus singulis anni legi debet in Capitulo Conversorum, quo ad ea, quæ ad eos, & Donatos pertinent, & in Capitulo Monialium, quoad illa, quæ ad eas spectant.

6. Cum autem in ipsa Statutorum lectione occurrerit, quod minus fuerit observatum, finita lectione, aut alias opportuno loco, & tempore, singuli interloquendo tractent, & diligenter considerent, quomodo istud possit, & debeat emendari. Etsi Prior est in culpa, privatim cum omni reverentia, & modestia moneatur, ut inde se corrigat. Si autem alii sunt culpabiles, denuntientur Priori, ut eos corrigi faciat. Quod si nec ita emendatio fuerit subsecuta, denuncietur primo Visitatoribus (*a*), deinde (si opus fuerit) etiam R. Patri Carthusiæ, vel Capitulo Generali.

(*a*) *Mens ergo Statuti est, ut ordo in recursibus servetur, & primo ad Visitatores Provinciæ, deinde ad R. P. recurratur.*

7. Insuper statutum, firmiterque sancitum est, ut Divinum Ecclesiæ officium per omnes Domos uno ritu, & cum eisdem cæremoniis celebretur. Sicut in Ordinario, Breviariis, & Missalibus continetur. Neque R. Patri, neque cæteris quibuslibet, de his omnibus, quæ ad Divinum Officium pertinent, vel cæteras quaslibet consuetudines in statutis expressas, sine Capituli Generalis consilio, demere aliquid, vel additione, seu alteratione aliqua occasione qualibet, liceat immutare.

8. Nullus etiam ipsa statuta præsumat glossare, vel interpretari, sine speciali auctoritate, & licentia dicti Capituli, vel R. Patris Carthusiæ. Sed si quid dubietatis emerserit, seu quæstionis, dictum Capitulum, seu R. Pater consuli poterit, & debebit pro responsione obtinenda si dubietas, & quæstio talis fuerit, quæ responsum exegerit.

9. Ea vero, quæ non sunt expressa in statutis relinquuntur ordinanda Priorum arbitrio; ita dumtaxat, quod ea, quæ ordinaverint non dissonent ab eis. Hac tamen occasione, vel alia, nolumus Domorum consuetudines honestas, & Religiosas, & quæ, vel contra statuta, & scripta Capituli non sunt, leviter a Prioribus immutari.

10. Libros quoque veteris, & novi Testamenti, & Ecclesiasticorum Doctorum, ac demum omnes, cum quibus celebrantur divina officia nullus emendare præsumat, nisi per libros Carthusiæ, vel alios juxta illorum tenorem, & a Biblia Sixtina, id est vulgatam editionem emendatos. Si vero posthac aliqui novi libri ex supradictis imprimantur, aut describantur, ordinamus imprimi, vel transcribi ex exemplaribus, ut supra emendatis. Qui autem aliter eos corrigere, vel describere præsumpserit, aut etiam imprimi curaverit, districtam a Capitulo Generali, vel Visitatoribus si Præsidens est; si vero subditus, à suo Superiore suscipiat disciplinam.

De Electione Prioris.

Caput Secundum.

1. Cum Priorem cujuscumque Domus Ordinis nostri obire, vel dimittere Prioratum ad formam statutorum nostrorum (*), vel etiam per Visitatores in actu visitationis absolvi contigerit, post Sepulturam, dimissionem, aut absolutionem hujusmodi Vicarius, aut eo absente, vel impedito, antiquior Domus, cui sit commissum officium antiquioris, debet ante omnia in Colloquium convocare Conventum, & ibidem, dicto prius per eum, ut moris est, *Benedicite*, coram omnibus proponere, quod cum Domus sit orbata Pastore, necesse est, ut de novo Priore provideatur.

2. Deinde si Domus forte est parva, aut omnino talis, quod aliquo modo possit dubitari an ibi tot sint idonei Electores, quot necessarii sunt ad faciendum electionem, ut infra dicetur, debebit ibidem coram omnibus taliter tractare, quod per talem discursum manifeste constet, an talis Domus legitime possit, si vult, aut etiam non possit procedere ad electionem faciendam.

3. Et quia hoc constare non potest, nisi prius sciatur, quot, & quales necessario requiruntur ad electionem canonice faciendam: idcirco dicimus, & quatenus opus est statuimus, & declaramus, quodammodo in omni casu electionis, non poterit, nec debebit ullo modo procedi ad electionem faciendam, nisi ubi fuerint saltem quatuor Professi Domus Eligentis: qui etiam ultra hoc sint idonei ad faciendam electionem.

4. Non

4. Non sunt autem ad id idonei sive non habent vocem eligendi, etiamsi sint Professi Domus Eligentis, infrascripti quicumque, videlicet. Primo, qui non sunt promoti saltem ad Subdiaconatum; deinde fugitivi quacumque fuga, & quocumque tempore manserint in tali fuga, nisi vox fuerit eis expresse restituta, Criminosi, nisi fuerit expresse habilitati ad vocem activam, in disciplina generali constituti, Leprosi, Excommunicati, Suspensi, Interdicti, & Irregulares. Nulli istorum idonei sunt ad eligendum.

5. Si igitur in Domo orbata non fuerint saltem quatuor Professi Domus idonei (*) tunc qui ibi erunt, scribent Visitatori, sive Visitatoribus Provinciæ se orbatos esse Pastore, qui eis providebunt de Rectore usque ad sequens Capitulum Generale.

(*) *Ordinatio Capituli gen. anni 1679.* [...]n electione [...]rioris vo[...]em etiam [...]ctivam ha[...]ebit Vica[...]us tantum, [...]i non est [...]omus eli[...]entis pro[...]ssus: Sed [...]hilominus [...]xta Statu[...]m non po[...]rit procedi [...] electio[...]m, nisi in[...]per adsint [...]atuor pro[...]ssi ipsius [...]omus. In [...]teris vero [...]gotiis Pro[...]rator, & [...]crista vo[...]m habe[...]nt, sicut [...]n alias [...]ncessum [...], etiamsi [...]n sint Do[...]us Professi.

6. Et quia interdum contingit præsertim in parvis Domibus, aut ubi sunt pauci Domus Professi, quod etiamsi legitimus ibi sit numerus Electorum idoneorum, tamen nolunt eligere propter aliquas Causas, sed malunt sibi provideri de Priore per Capitulum Generale, aut per R. Patrem, propterea debebit Vicarius interrogare Conventum, an velit pro novo Priore habendo procedere per viam electionis: an potius super hoc per R. P. aut Capitulum sibi provideri, & juxta sensum majoris partis Conventus per vota secreta exquirendum uni ex duobus standum est.

7. Si responderit se velle eligere, debebit tunc Vicarius, ibidem palam proponere, & coram omnibus tractare. An illa Domus distet a Carthusia ultra tres dietas. Nam si non distat, debebunt antequam procedant ad electionem significare Domui Carthusiæ, id est Reverendo Patri Priori Carthusiæ (*a*) se esse orbatos Pastore, & petere ab ea, ut sibi providere dignetur, Domus autem Carthusiæ id est R. P. Prior ejusdem Domus pro sua prudentia, & paterna cura, providebit orbatæ Domui, prout sibi magis expedire videbitur.

8. Quod si Domus orbata distat a Domo Carthusiæ ultra tres dietas, tunc ut Conventus præparetur prius pro instanti electione, Vicarius debebit eum serio in Domino admonere: quod eligere Pastorem Animarum non est facilis, & vulgaris res, sed maxime ardua, & summæ importantiæ: Cum ex bono, vel malo Pastore pendeat propemodum omne bonum, vel malum totius Gregis, ideo debere eos in hoc negotio, cum omni rectitudine, & prudentia, & timore Dei procedere, ne si, quod absit, malum pro bono elegerint, ipsi sibi in suam perniciem lupum pro Pastore accersant. Et eis imputentur omnia mala, quæ illum facere, & pati contigerit, occasione talis inordinatæ electionis.

9. Quin etiam scire illos debere, quod sub pœna peccati mortalis, tenentur eligere talem quem ipsi in sua conscientia credant, aut verisimiliter existiment esse magis idoneum ad regendum secundum Deum animas, & Domum eorum in utroque statu, quam sit aliquis alius, qui pro tunc ad id ab eis eligi possit, nisi forte tam parva esset inter eum, quem eligunt, & alium illo aptiorem differentia, quod merito hoc pro nihilo reputari debere videretur.

10. (*b*) Quod si forte non posset tunc inveniri aliquis unus talis, qui esset in utroque statu aliis eligibilior, & aptior, sed unus videretur aptus pro spiritualibus, alius vero pro rebus & negotiis temporalibus, tunc in tali casu possent istum in temporalibus expertum eligere, si tamen duas in se haberet conditiones. Primum quidem, quod esset sufficienter idoneus ad spiritualem animarum profectum, deinde quod ultra hoc, etiam multum superaret in temporalium administratione, alterum qui spiritualior haberetur. Alias non concurrentibus istis duabus conditionibus, tenerentur illum magis eligere, qui esset aptior pro salute, & profectu animarum, quoniam hoc est magis principale, & necessarium, & proprium Prioris officium. Temporalia vero sunt accessoria, & secundaria, & non proprie ad pastorale officium pertinentia, & ultra hoc possunt etiam per idoneos Procuratores, aut etiam per alios suppleri, & bene gubernari.

11. His igitur, & aliis hujusmodi per Vicarium propositis, consequenter debebit Conventum monere, qui, & quot sint, qui eligi canonice non possint. Ne si hoc eis non proponat per ignorantiam forte, vel per inadvertentiam: eligant aliquem, qui canonice eligi non possit.

12. Nam si scienter aliquem talem eligerent, essent pro ea vice privati potestate eligendi, & potestas devolveretur ad Capitulum Generale, vel R. P. (*c*) qui in tali casu cum consilio sui Conventus, provideret illis de aliquo Pastore; aut etiamsi ei benevisum esset, concederet de speciali gratia, ut possent iterum eligere.

13. Sunt igitur, qui eligi non possunt ii omnes, qui sequuntur, & nulli alii: videlicet, qui post factam professionem, non steterunt in Ordine saltem per tres annos integros, qui tantum scientiæ non habent, quantum de necessitate requirit officium Prioratus; non promoti ad Sacerdotium, omnis Prior, qui non sit professus Domus Eligentis, nam qui est professus potest eligi, nisi ab ea fuerit absolutus sua culpa, licet non criminali (*d*). Visitatores, qui in actu Visitationis absolvunt Priorem pro ea vice, & omnes qui aliquo perpetuo impedimento non possunt ascendere ad Capitulum Generale. Præterea intelligibilis est etiam omnis, qui sit aperte malæ famæ, aut etiam dubiæ, & suspectæ apud probos, & graves viros, vel Ordinis, vel etiam extraneos. Criminosi, fugitivi, etiam ab omni disciplina absoluti, in disciplina generali constituti, etiamsi non sint criminosi, leprosi, excommunicati, suspensi, Interdicti, Irregulares.

14. Quisquis etiam dimiserit Prioratum Domus Carthusiæ, quamdiu in eadem Domo manserit, licet possit eligi; non poterit tamen cogi ad consentiendum electioni, Domus autem Carthusiæ omnem Priorem cujusvis Domus nostri Ordinis, poterit, non solum eligere, sed etiamsi ei expedire videbitur ad consentiendum electioni, obedientiæ præcepto compellere. Isti igitur omnes, qui supra numerati sunt, ineligibiles sunt: alii vero omnes possunt eligi.

15. Et quoniam sunt aliqui interdum, qui non cognoscunt Personas, & libenter per alios informarentur, sed putant non licere: Declaramus, quod omnes, qui in hoc pia intentione ducuntur, licite possint, imo etiam potius debent interrogare illos, qui, & melius cognoscunt personas, & meliores etiam, & aptiores Pasto-

(*a*) *Idest R. P. Priori Domus Carthusiæ, cui soli committitur auctoritas Capituli Generalis prout exprimitur* n. 56. cap. 22. Secundæ partis, vide etiam num. 32. præsentis Capituli, & nu. 43. & 44. cap. 22.

(*b*) *Ista sic expressa sunt ad quorumdam scrupulos sublevando, & anxietatem debitantis, & fluctuantis animi sedandam.*

(*c*) *Vide n. 44. cap. 22.*

(*d*) *Intelligitur de Commissariis, nam Visitatores Ordinis non visitant Domum suæ Professionis.*

res se-

res secundum Deum habere desiderant. Nam, qui cognoscunt quidem meliores, sed eos nolunt, volunt autem Priores prurientes auribus, & qui sunt vitæ largæ, & laxatæ, isti interrogari non debent: quia potius darent consilium conforme suæ inordinatæ cupiditati.

16. Sicut autem plurimum commendandi sunt, qui piam solicitudinem pro bonorum Pastorum electione gerunt, ita illi sunt magnopere culpandi qui pro eligendis deterioribus statim inter se secreta conventicula faciunt, & ut omnes ad suam cupiditatem trahant, conantur quantum possunt per se, & per interpositas Personas, non precibus modo, sed interdum etiam, quod est deterius muneribus, promissionibus, & bonorum maledicentiis, & detractionibus multis, obtinere, quod volunt. Quam perniciem, ut omnes diligentissime caveant, Vicarius quanta poterit majori efficacia, debebit omnibus persuadere.

17. Nam qui talibus mediis inducunt, aut inducuntur ad consentiendum scienter in personas non tales, quales jus commune, & nostra Instituta necessario requirunt, mortaliter peccant, & vitium simoniæ realis, vel saltem mentalis committunt, & Spirituum Sanctum a tali electione, & a domo sua expellunt.

18. Omnino autem ab omnibus caveatur, ne ullus in domibus nostris qualibet astutia, seu violentia in Priorem præficiatur, nisi quem Monachi communi consensu, vel Monachorum vocem habentium major pars, secundum Deum & approbata nostri Ordinis Instituta providerint eligendum.

19. His igitur omnibus per Vicarium propositis, triduanum continuum, nisi festum Capituli intersit, cunctis Fratribus indicitur jejunium: & quousque Priorem habeant post laudes, & vesperas pro Conventibus omnibus super formas, etiamsi fit festum duodecim lectionum, vel tempus aliquod, in quo venia non sumitur, Psalmus, *Ad te levavi*, nudatis capitibus, communi devotione cantatur, incipiendo in Choro Cantoris hebdomadarii, cum aliis precibus, ut in prima parte habentur.

20. Interea quamcitius commode fieri poterit, vocabuntur confirmatores, qui præsint futuræ electioni novi Prioris. Sunt autem vocandi duo Priores nostri Ordinis de vicinioribus, & discretioribus Provinciæ, aut unus cum antiquiore domus eligentis, si duo Priores commode haberi non poterunt: quorum unus, si commode fieri poterit, debet esse Visitator principalis, aut si ille non potest, aut non valet; Convisitator Provinciæ.

21. Porro vocati ad assistendum electioni nullum omnino electorum verbo, scripto, nutu, signis, muneribus, per se, vel per interpositam personam, directe, vel indirecte solicitent de aliqua particulari persona eligenda, aut postulanda: Sed eligentium vota pure, & simpliciter & cum omni integritate recipiant.

22. Post expletum triduanum jejunium, & præsentibus ipsis Confirmatoribus devote cantatur Missa de Spiritu Sancto, toto præsente Conventu; ab altero Confirmatorum: vel si ipsi ita voluerint, a Vicario; Debebit autem antequam Missa incipiatur præparari aliqua Mensa ante Altare Capituli cum quinque Sedibus, super quam poni debent omnia instrumenta scriptoria, cum papyro, & vase apto, quod tamen non sit Calix consecratus, in quod omnes Schedulæ votorum Eligentium immittantur.

23. Præparari etiam debet alia mensa in aliquo angulo Capituli, si Capitulum sit amplum, ita quod nemo præsentium possit videre quid quisque scribat, aut in aliquo alio loco contiguo ipsi Capitulo, super quam Mensam parata sint omnia instrumenta scriptoria cum papyro, cera, & filo: ut ibidem a singulis per se, & separatim scribantur Schedulæ votorum, involvantur, & cera, vel filo connectantur.

24. Missa cantata, Vicarius convocabit in Capitulum omnes, & solos professos domus idoneos, (*a*) ut supra ad eligendum, & Confirmatores, idest Scrutatores, nullos alios. Si quis autem ex habentibus vocem eligendi, infirmitate, aut alio impedimento legitimo detentus, non posset commode personaliter electioni interesse, poterit tamen interponere votum suum in Schedula clausa inscriptum, eo modo, quo cæteri votum suum inscribunt, & involvunt, ut differentia aliqua notari, & cognosci non possint, sed ipsi Confirmatores, id est Scrutatores, debent ad Cellam Infirmi accedere, ut illius schedulam accipiant.

25. Porro nullatenus, qui de Ordine nostro non sunt ad electiones Priorum nostrorum advocentur. Et si forte in Domo præsentes sunt, nullo modo de personis eligendis cum eis loqui, aut eos consulere debemus: Hospites tamen Ordinis, & Professi Domus, qui non sunt idonei ad electionem, possunt si volunt interesse sermoni Confirmatorum: Sed eo expleto, statim debent recedere, nec ullo modo futuræ electioni interesse.

26. Postquam omnes simul in Capitulum convenerint, Vicarius dicit, *Benedicite*, deinde antiquior Confirmatorum incipit Psalmum, *Ad te levavi*, cum precibus, & orationibus supradictis: In quibus stamus omnes nudatis capitibus.

27. Principalis autem Confirmator ille judicatur, & erit, qui est Visitator, vel Convisitator Provinciæ, & ipsis absentibus, si fuerint vocati duo Priores ille dicetur, & erit principalis, qui plures annos, sive continuos, sive intermissos exegerit in Prioratu. Idem statuimus etiam de Commissariis, qui interdum mittuntur pro aliqua visitatione, aut inquisitione, seu quacumque provisione facienda.

28. Persolutis precibus Confirmator principalis dicit *Benedicite*, & tunc, vel ipse, vel Collega ejus aliquam faciet exhortationem aptam negotio. Finita exhortatione principalis Confirmator, auctoritate Capituli Generalis præcipiet omnibus Electoribus, quatenus talem eligant, quem secundum Deum, & conscientiam judicaverint vita, scientia, & ætate aliisque debitis qualitatibus esse magis aptum, & idoneum ad officium Prioratus suæ Domus, quam quivis alius, qui tunc ab eis possit eligi.

29. Post præceptum nominentur per principalem Confirmatorem tres alii ex antiquioribus eligentium, qui assistant electioni, & omnia diligenter fieri videant. Postquam nominationem statim, & qui nominati sunt pergunt ad præparatam mensam, ibique sedent simul cum Confirmatoribus, cæteri vero Conventuales eligentes, sedent aliquanto remotius a mensa in locis solitis.

30. Post sessionem principalis Confirmator, jubet, ut singuli suo loco, & ordine, hoc est unus post alium, secundum rationem antiquitatis eant suo quisque tempore in locum deputatum ad scribendas Schedulas, & ibi unusquisque solus existens scribat votum suum tali modo quod nemo scribat nomen suum proprium, sed tantum dicat, Ego, nomen autem proprium illius, quem vult eligere, & nomen Domus ejus, cujus est professus, aut nomen officii, si est officialis, scribere debet, sic dicendo: Ego eligo D. N. Professum Domus talis, vel loco professionis dicat Priorem, vel Vicarium Domus talis: in Priorem

(*a*) *Vid. Ord. relatam sub num. 5. hujus Capituli.*

hujus nostræ Domus, quod postquam scripserit involvat Schedulam in modum parvi rotuli, & filo ligabit, vel cera connectet, & statim afferet illam ad mensam Confirmatorum; ubi stans aperto capite, paululum porrecta manu, & manicis reductis immittet illas in vas adhoc ibidem præparatum. Post hæc idem Confirmator jubet antiquiorem antiquiorum, qui assistunt electioni, ire ad locum deputatum ad scribendum Schedulam suam, modo quo supra. Qui reversus immittet illam in vas, ut supradictum est. Idem facient alii duo antiquiores Assistentes, & postea cæteri per ordinem, ut quisque præcedit antiquioritate Professionis.

31. Schedulis omnium injectis, & receptis in vas, ubi ille qui ultimus injecit sessum se receperit, monet Electores principalis Confirmator intentos esse vasis eversioni, & numerationi Schedularum. Ubi id monuit, confestim bene exporrecta manu evertit vas super mensam, & numerat illas inspectantibus antiquioribus, qui assistunt. Nondum tamen eas aperit, nec legit, sed numerat dumtaxat: ut intelligat, an numerus Schedularum congruat cum numero eligentium. Totidem nempe debent esse, quot Electores. Si non congruit, sed plures sunt numero, declarat repetendam esse electionem, corrigens eum qui fraudem fecit, ut resipiscat a tanta Spiritus Sancti contumelia, & Patrum contemptu: & mox in omnium conspectu comburit omnes Schedulas, & si quidem tempus suppetit, jubet alias scribi a singulis in loco deputato, & ut supra in vas conjici, & numerari.

32. Porro si numerus Schedularum conveniat, tum demum, ubi id constiterit aperientur, & votis diligenter enumeratis, & seorsum in papyro descriptis: Considerabunt Confirmatores, quod idem est, ac Scrutatores (a) utrum aliquis electus sit sufficienti numero votorum. Oportet autem, ut qui canonice futurus sit Prior, habeat tota vota; quæ excedant medietatem totius Conventus eligentis. Quodsi nullus habuerit, Confirmatores hoc publice denunciabunt, & si quidem plures electi fuerint, neminem tamen nominabunt, sed solum dicent quot fuerit electi, & quot quisque Schedulas, & vota habuerit. Et cum supputato votorum, & eorum, qui electi sunt numero, publice constiterit coram omnibus, neminem eorum habuisse sufficientem numerum; tunc ibidem coram omnibus comburentur Schedulæ, & toties scribendæ, sive faciendæ erunt novæ, donec aliquis sufficientem numerum habuerit: nisi forte toties effectæ jam essent, ut in judicio Confirmatorum desperari de electione posset, & obstinati apparerent animi. Quare contingente, cessandum erit ab electione, ac per viam aliam scilicet provisionis procedendum; ut negotio delato ad R. P. Carthusiæ, expectetur, quod illa re intellecta respondeat, vel faciat. Videtur autem nobis satis probabiliter desperari de electione posse, si post ternam Schedularum repetitionem, nemo inveniatur electus cum sufficienti numero votorum.

33. Verum permittimus, ut si Confirmatores aliqua probabili spe ducantur, possint etiam dare quaternam novarum Schedularum, & votorum conscriptionem: Sic tamen, ut eodem die, & tempore hæc fiant; neque antea liceat egredi Capitulum, aut locum, in quo celebratur electio, quam finis ei imponatur: Neque interim sit aliqua inter Eligentes, & Confirmatores communicatio. Hac autem ultima vice, si nullus electus sit cum numero votorum sufficienti, & necessario nullam præterea dare possint aliam electionem, quo casu contingente, scribendum tunc erit totum negotium R. P. Carthusiæ, qui cum consilio sui Conventus providebit orbatæ Domui de Pastore.

34. Porro si numerus sufficiens habeatur; & unus solus fuerit electus; publicabitur nomen ipsius cum numero votorum, quæ habuit. Sin plures electi fuerint, illius tantum nomen publicabitur, qui numerum sufficientem habuerit. Cæterorum vero supprimentur: sed tamen dicent quot fuerint simul electi cum eo; & quot quisque vota habuerit: Ut nemo aliquam forte possit prætendere suspicionis, aut fraudis occasionem. Porro omnes Schedulæ postquam lectæ fuerint, publice ibidem comburentur; quod semper toties est faciendum, quoties denuo eas repeti contigerit: illisque combustis, dicat clara voce principalis Confirmator; *Habemus Priorem*, & nominet eum, & Domum, cujus sit professus, & obedientiam, quam habet, si aliquam tunc habeat, & numerum votorum, quæ habuit, ut omnes intelligant, an ille numerus excedat medietatem totius Conventus eligentis.

35. Priore coram omnibus nominato, & publicato, Vicarius nisi sit Confirmator, aut electus in Priorem, hoc enim casu transibit id officii ad eum, qui exercet officium antiquioris: dicat clara voce sic: Venerabiles Patres Confirmatores, Nos Conventuales petimus a vestris Paternitatibus, auctoritate Dei, & Capituli nostri Generalis confirmari nobis in Priorem hujus Domus V. P. D. N. Professum Domus N.

36. Postulatione facta Confirmatores assignabunt terminum ad opponendum contra electionis formam, & Personam electi, diem videlicet unum; qui satis est: aut si ratio suadeat, duos, aut plures, qui non sint dies festi. Nec sine termino hujusmodi, aut terminis confirment Electum, etiamsi Conventus aliter instaret, cum in re tam ardua nihil sit per festinationem agendum, & multa interea latere possint de persona electa, aut de Electoribus, vel forma electionis, quæ matura consideratio, & tempus afferre, ac declarare poterunt.

37. Interea tam Conventuales, quam Confirmatores debent diligenter considerare, & personam electi, & formam electionis. Formam, an sit canonice facta. Erit autem canonice facta si servata fuerint omnia, quæ in hoc capite jam dicta sunt, & infra dicentur. Personam electi, an talis sit, qualem necessario esse debere supra descripsimus, cum de ineligibilibus ageretur.

38. Confirmatores autem Deum Judicem præ oculis habentes, a via Dei, amore aliquorum non exorbitent, vel timore. Sicut enim præcipitur Conventualibus electionem facturis, ut omni meliori modo, quo poterunt secundum Deum eligant, eodem modo vocatis ad electionem Prioribus, præcipitur ne in personam non idoneam scienter aliquando concordent. Non tenebuntur tamen considerare, an persona electa sit melior, & aptior, quam omnis alius, qui tunc potuisset eligi: Sed solum, an habeat aliquid impedimentum eorum quæ supra de ineligibilibus posita sunt. Si tamen electus esset talis, quod manifeste pateret illum esse notabiliter transgressorem observantiæ Regularis: tunc non debent talem confirmare. Cum enim regularis observantia sit diligenter a Personis nostri Instituti exercenda, ut per formam professionis patet, qui hujusmodi observantiam non haberet, nec ad eam afficeretur, non esset probabilis spes, quod eam conservare, augere, vel introducere in aliis posset: Quod tamen necessarium est unicuique Priori.

(a) *A solis Confirmatoribus debent videri, & legi vota Eligentium, ut secretum in hoc servari Mandatum.* Sess. 25. cap. 6. Conc. Tridentin. *Convenienter observetur.*

39. Si autem Confirmatores ex aliqua rationabili causa judicaverint non esse confirmandum electum: Scribent tam ipsi, quam Conventuales R.P. cum plena informatione totius negotii, qui pro sua prudentia, & maturo consilio, confirmabit, vel infirmabit electionem, aut aliter orbatæ Domui providebit, sicut sibi melius secundum Deum videbitur expedire.

40. Quod si nullum impedimentum invenerint in persona electa, nec in forma electionis, termino ad opponendum exacto confirmabunt illum in die non festo: (*) Sic dicente principali Confirmatore. Nos talis, & talis humiles Priores Domorum N. & N. electi per vos, vel deputati per R. Patrem Carthusiæ ad præsidendum vestræ electioni, auctoritate Statutorum nostrorum, confirmamus Vobis in Priorem hujus Domus V. P. D. N. professum, vel Vicarium talis Domus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et respondeat Conventus, Amen. Sciendum est autem quod quamvis electiones diebus festis Ecclesiæ, vel Ordinis licite fieri valeant, assignationes tamen terminorum, quæ fiunt per Priores vocatos, ad opponendum contra electionis formam, & personam Electi, debent cadere in diem non festivam, & die feriali Confirmatio ipsa fieri, cum sit actus judicialis.

(*) *Ordinatio anni* 1647. Quando ex Præsidentibus electioni novi Prioris unus moritur, vel in Priorem eligitur; alter non præsumat sine Socio electum confirmare, sed teneatur ad hunc actum convocare Priorem viciniοris Carthusiæ, vel eo impedito Monachum antiquiorem professione ejusdem viciniοris Carthusiæ ut insimul ad Confirmationem electi deveniant.

41. Facta igitur Confirmatione poterunt Confirmatores, imo etiam debebunt in virtute S. Obedientiæ præcipere Priori electo, ut electioni consentiat, & illam exequatur. Significabunt tamen ei Confirmatores, si absens sit, utrum ipse sua sponte accedere debeat ad Domum, in qua fuit electus: an expectet donec aliquis ab ipsis designandus mittatur ad eum, qui eum ducat, & associet, super qua re ipsi judicabunt, & facient, prout eis melius, & expedire videbitur.

42. Quod si forte talis Electus esset præsens in Domo a qua eligitur; ipsimet Confirmatores, alioquin cum advenerit, Vicarius cum antiquiore, eundo in Ecclesiam ipsum in prædecessoris transferunt locum: ibique facta oratione, & dicto Pater noster, & Ave Maria, a quolibet in loco suo super formam genibus flexis, & capite discooperto, veniunt in Claustrum Ecclesiæ, & accedens Vicarius ad Priorem genibus flexis, junctas manus infert in manus Prioris: & interrogatus ab ipso, Promittis obedientiam? respondit, Promitto; & osculata manu ejus surgens recedit ad suum locum. Similiter facit post Vicarium antiquior, & cæteri alii per ordinem, etiam hospites si ibi sint, & postea conversi in Capitulo ipsorum.

43. Totamque diem illam gaudio dedicantes, & Sextam diei in Ecclesia submissa voce dicentes, bis in Refectorio comedunt: nisi tale fuerit jejunium quod pro festo Capituli minime frangeretur. Et hebdomadarius, aut si illa die non celebraverit, Vicarius ejus Mensas benedicit. Post prandium etiam, ab exaltatione Sanctæ Crucis usque ad Adventum, & a Nativitate Domini usque ad Quadragesimam, utramque Nonam subjungunt. In æstate vero Nonam de die tantum, paulo post meridiem in Ecclesia dicant, præmissa in Cellis Nona de Beata Maria: & in gratiis agendis post prandium, & cœnam veniam non accipiunt, licet, si tempus postulat, dictam veniam in horis diei sumant, quod si jejunium fuerit, post Nonam in Ecclesia submisse dictam, erit in Refectorio comedendum. Si autem, qui eligitur præsens non fuerit, non in die lectionis, sed quando accipit sedem, in Refectorio manducatur.

44. (*) Sciendum est autem, quod R. P. Carthusiæ poterit cum consilio sui Conventus Electum destituere, si secundum Deum ex aliqua justa, & rationabili causa judicaverit expedire. Et ideo Confirmatores communibus literis debent, quam citius commode poterunt, significare Rev. Patri hujusmodi electiones Priorum, quascumcumque pro tempore per eos fieri contigerit: Domus tamen, in qua fient electiones, Priorem sic electum reprobare non valebit.

(*) *Ordinatio anni* 1688. Servetur antiqua consuetudo Ordinis de petenda statim per Conventuales a R. P. Confirmatio ne novi Prioris electi, & Præsidentibus ejus Electione confirmati: su[b] pœna infirmandæ electionis.

45. Porro Electiones debent saltem intra quadraginta dies fieri. Quod si aliqua Domus in hoc fuerit inobediens nisi legitimo impedimento excusetur, in futuro Capitulo pœnam sustinebit condignam. Si vero, quod absit, ultra tres menses, justo impedimento cessante, Conventus electionem non fecerit; eligendi potestate ea vice privabitur, & provisio de Priore ad R. Patrem Carthusiæ devolvetur, vel ad Capitulum Generale. (*)

De Officio Prioris.

CAPUT TERTIUM.

1. Primum, & principale Prioris officium est, suæ ipsius, & omnium subditorum saluti, & profectui spirituali invigilare, se simul, & creditum sibi gregem secundum Deum, & regularem Ordinis disciplinam, & formam, Statutorum nostrorum in omnibus bene dirigere: bonum fratribus suis, & aliis de se ipso in omni virtute, & observantia regulari exemplum præbere, se cum illis in victu, & vestitu, in sequenda Ecclesia, & toto tam diurno, quam nocturno Officio, nisi aliud valetudo, & Domus negotia cogant, conformare.

(*) *Ordina[tio] anni* 1623. Mandam[us] omnibus V[i]sitatoribus Provinciarum Ordin[is] ut curent [in] singulis D[o]mibus Pr[o]vinciarum suarum pu[]blicari De[]cretum D.[N.] PP. Grego[rii] XV. sub da[ta] diei 27. Se[pt.] an. 1622. p[] conservan[] antiquo u[su] Ordinis, ta[m] in Instituti[o]ne Prioru[m] quam cæte[]rorum Off[i]cialium.

2. Prioris est omnium sibi Subditorum confessiones audire, aut aliis idoneis committere, Infirmos inungere, communicare, & Defuncti Missam in Conventu celebrare, totum sepulturæ officium facere, Capitulum diebus festivis tenere, hebdomadam ordinare, missas singulis diebus in Conventu dicendas disponere, beneficia, & eleemosynas, & eos, qui se nostris Orationibus ex aliqua speciali causa commendaverunt denunciare, Sermones in Capitulo facere, aut cum vult aliis committere.

3. Prioris est in die Natalis D. SS. Nominis Jesu, Cœnæ Domini, Paschæ, & Pentecostes, Corporis Christi, S. Brunonis Patris nostri, & professionis Novitiorum, Missas in Conventu celebrare, & totum diei, & noctis eorum festorum, excepto professionis die, officium facere, Corporalia, vestes Sacerdotales, Altaris paramenta, & Cruces benedicere ad lectionem Sacerdotis hebdomadarii, benedictionem largiri, Te Deum inchoare.

4. Prioris est Conversis, & aliis Fratribus in Superioribus Domo Capitulum tenere, vel Vicario, aut alii idoneo committere. Eosdem etiam circa Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, Decalogum, præcepta Ecclesiæ, Maternam Orationem, modum serviendi Missis privatis, & modum recte confitendi, communicandi, & religiose vivendi plene instruere, (a) aut ab idoneis instrui facere. Et ut omnes debitis temporibus confiteantur, communicent, Missas audiant, Divinis Officiis intersint, & Ecclesiam frequentent, quantum unumquemque decet, & tenetur solicite providere. Scriptum est enim, si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior: propterea illum monemus, ut curet Sermones Conversis festivis diebus fieri; quibus etiam intersit familia.

5. Prior debet rebus, & negotiis Domus suæ superintendere, & de omnibus, generalem solicitudinem, & providentiam habere: bona etiam omnia per suos officiales, & ministros recte administrare, & ea secundum Deum, conscientiam, & formam Ordinis, & statutorum nostrorum

(a) *Hinc animadvertant Priores non suis Officialibus, sed sibi ipsis curam spiritualis educationis Fratrum specialiter commissi.*

rum

rum discrete dispensare: ac ne quid omnino rerum negligatur, ne quid pereat, ne quid male expendatur, solicite curare. Non enim res suas, aut hominum curet; sed Christi: cui de omnibus districtam illam reddere rationem oportebit. Verumtamen, ne forte temporalium cura rerum; ac solicitudine prægravatus, spiritualibus minus possit intendere, tales singulis obedientiis sataget deputare, quorum eas fidei secure valeat credere.

6. Prioris enim est officiales suos omnes; tam Monachos, quam Conversos, (a) & cæteros quoscumque cum maturo consilio instituere, destituere, mutare (nec hæc possunt impediri per Visitatores, nisi in actu visitationis existentes) & unumquemque in suis officiis, & obedientiis bene dirigere; & quoties est opus arguere, monere, & pie, & charitative pro eorum culpis, & inobedientiis salutares pœnitentias imponere. Verumtamen non debet Hospitibus Officium Vicarii, Procuratoris, vel Sacristæ commendare: (b) nisi forte ad hujusmodi officia in eadem domo idoneum professum inveniret.

7. Qui autem instituti sunt officiarii; vel alicui obedientiæ deputati; non audeant statim, vel postea in Conventu petere misericordiam, nisi de consensu Prioris. Qui quæsierit; arbitrio Prioris puniatur: & nihilominus obedientiam illam habeat, quandiu Prior viderit expedire.

8. Monachis potest obedientias in Claustro commendare: sed sæpius fit, & fieri debet in Capitulo. Cum autem in minoribus aliquando quærat consilium, potest, & in commendandis obedientiis, si vult aliquos consulere: eos maxime inter quos conversati sunt hi, quibus eas commendare proponit.

Ordinatio ... 1649. ...ventur n. & 11.c.3., ...7. cap. 6. ...partis Statutorum de ...nputis ...dendis.& ...a communi haben... sub pœna ...olutionis ...orum, & ...icialium ...is officiis.

9. (*) Prior annis singulis in Adventu, aut alio tempore pro consuetudine Domorum in præsentia sua, & Vicarii, & duorum ad minus ex senioribus, & discretioribus Domus: faciet Procuratorem reddere rationem generalem totius receptæ, & expensæ in illo anno factæ. Quod si Procurator facere neglexerit, arbitrio Prioris puniatur. Et nihilominus, si opus fuerit, sæpius ab eo ratio exigatur. Verumtamen Prior debebit tempestive præmonere Procuratorem, ut ad reddendum sua computa se præparet.

10. Prior sine consilio Vicarii, Procuratoris, & Sacristæ non præsumat commodare pecuniam, simul, vel per partes; ultra viginti scuta, & tam Priores, quam alii, qui Domus suas gravare non verentur, dando de bonis Ordinis; sine consensu suorum Conventualium extraneis; vel propinquis; ab officiis absolvantur; & nihilominus graviter puniantur.

11. Volumus quod quælibet Domus arcam communem habeat, sub tribus clavibus, quarum unam Prior habeat, alias aliqui ex Monachis quibus Prior commiserit Clavarii nuncupandi, in qua servetur omnis pecunia domus, præter eam, quam judicaverit Prior provisionibus Ordinariis necessariam. In qua etiam arca deposita aliena custodiantur: nec liceat ea commodare, vel expendere, nisi de voluntate Deponentium, & cum assistentia Clavariorum quando reponuntur, & extrahuntur pecuniæ; & deposita ex dicta arca communi; atque retineatur in ipsa capsa liber, quo annotentur pecuniæ, & deposita in eadem respective deponenda; & extrahenda, stricte servata in cæteris præsentium Statutorum forma. Si Prior; aut Procurator contrafecerit: Prioratum Prior; & Procurationem Procurator amittat.

12. Quod datur alicui Priori Domorum Ordinis, vel Rectori; vel etiam Vicario Monialium; acquiritur domui; cui noscitur præsidere: nisi constaret evidenter; quod non in gratiam, & intuitum domus illius, cui præsidet; vel officii aut personæ ipsius; sed magis favore domus suæ professionis conferretur; quia tunc tale donum ad Domum dictæ suæ professionis pertinebit: & quando aliquod dubium ex præmissis orietur, judicium, sive determinatio reservetur R. Patri Carthusiæ; sive Capitulo Generali.

13. Prior licet nullo tempore debeat unquam sine multum rationabili causa exire de Domo: a principio tamen Adventus, usque ad primam post Epiphaniam diem, & a Quinquagesima, usque post Octavas Paschæ propter arctiorem sui Custodiam, & Gregis sui curam; nisi urgente necessitate, aut evidenti, & magna utilitate non poterit exire. Pro negotiis autem; quæ per Procuratorem, aut alium quempiam, aut etiam per literas, vel aliter commode expediri poterunt, a sua Domo non exeat, nec ea per se ipsum exerceat: sed in domo cum iis, a quibus assumptus est; resideat.

14. Cum autem pro negotiis expediendis eum personaliter exire oportebit, quam citius poterit revertatur, nec unquam solus equitet (c) nec solus incedat; sed semper habeat secum honestam alicujus comitivam, nec equitet extra terminos sine Cappa, nec etiam intra per Villas: remotus tamen a Villis, & a concursu hominum, eam exuere potest. Honestam vero Comitivam intelligimus Conversos, Donatos, aliosque domesticos famulos, maturam habentes ætatem, & nomen bonum: quos secum ducant tam ad Capitulum Generale, visitationes faciendas, & alia loca remota, quam ad Civitates suis Domibus propinquas, & vicinas Grangias. Hoc tamen prohibentes, ne prædictæ personæ incedant unquam equestres per hujusmodi Civitates; exceptis ipsis Prioribus ex causa rationabili, ubi consuetudo id toleret.

15. Priores dum sunt in itinere constituti; omni die feriali; si commode fieri possit, Missas audiant, aut celebrent; nam festivis certum est eos teneri dicere, vel audire.

16. Ubicumque duo, pluresve simul fuerint Priores, si unus ex eis, vel alicujus eorum Conversus; vel famulus excessum fecerit, vel dixerit, antiquior eorum, nisi adsit aliquis Visitator, excessum sic reprehendat, si Prior suus hoc facere neglexerit: ut alii, qui talia audierint, attentare similia pertimescant.

17. Priores; & omnes Personæ nostri Ordinis, personas omnes; & loca; & tempora, & res, & actiones omnes suspectas, & periculosas devitent, alioquin si res fuerit vehementer suspecta; & scandalosa, Visitatores scribant R. Patri, qui pro sua prudentia, & integritate providebit, prout ei secundum Deum, & facti qualitatem expedire videbitur.

18. Animadvertentes periculum Animarum, quod omnibus omnium statuum, & conditionum hominibus provenit ex prohibitorum librorum lectione; & usu; ordinamus, quod omnes Priores, libros omnes; qui in suis Domimus habentur; quam diligentissime fieri poterit, per se, aut alios ex suis idoneos visitent:

37. Omnibus personis Ordinis nostri omnino inhibemus, eos per obedientiæ votum obtestantes, ne ad Reges, Principes, vel alias potestates utriusque status; excepta Sancta Sede, ulla unquam occasione recurrere, aut confugere audeant exceptis integerrimis Dominis Inquisitoribus in negotiis ad Officium S. Inquisitionis spectantibus, cum Deo gratias, Ordo noster sibi sufficiat, suisque gaudeat legitimis, jurisdictione competenti, & Summorum Pontificum Indultis abunde provisus. Quod si qui contumaces fuerint, & ad alias confugerint Jurisdictiones, aut potestates, tanquam Ordinis desertores pœna criminosorum puniantur.

38. Nulla persona Ordinis supplicet Domino Papæ, vel Apostolico Legato, pro his qui ad Ordinem ex Apostasia revertuntur pro dispensatione executionis suorum Ordinum, sine licentia speciali Capituli Generalis, aut R. Patris: & quando talem volent obtinere licentiam, debent crimina in Apostasia commissa significare.

39. Si quæ nostri Ordinis personæ Professæ, absque dispensatione Apostolica sub Bulla Plumbea concessa, se transtulerint ad alias Religiones, a suis Prioribus, seu Superioribus repeti possunt, & debent, per privilegia Apostolica olim Ordini nostro indulta, alioquin negligentes, a Capitulo Generali graviter puniantur.

40. Pœnas tam fugitivorum, quam criminosorum prædictas, augebit Capitulum Generale, vel minuet, per Priores, vel Visitatores certificatum, citra plus, vel minus culpabiles, vel emendatos, vel in sua malitia perseverantes. Rev. autem Pater potest reconciliare Ordini criminosos, servata Ordinis disciplina quam poterit quandoque, si ei videbitur moderari. Alias vero, Prior etiam, proprius eorumdem sine ipsius R. Patris licentia, præterquam in mortis articulo facere hoc non potest, nisi prout dictum est.

41. Priores, qui scienter faciunt, vel permittunt fugere de carcere incarceratos, cum possent impedire, ab obedientiis absolvantur.

Alii vero qui id fecerint, locum fubeant evadentis ad Ordinis voluntatem.

42. Quando Apoftata aliquis reconciliandus eft, primo redditur illi habitus, fi non dum illum habeat, & Prior adhibito fecum uno, vel duobus Religiofis, illum proftratum cum virga verberat fuper nudum: dicendo Pfalmum *Miferere mei Deus*, & refpondente aliquo aflïftente, fed ipfo criminofo tacente: quem Pfalmum fequuntur preces conformes abfolutionis ficut in prima parte continentur.

Conclufio Statutorum.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

1. Ne ulla confuetudo quantumvis longa, ullo unquam tempore contra præfentia noftri Ordinis ftatuta, aut aliquam eorum partem prævaleat, declaramus quafcumque confuetudines hujufmodi, fcilicet contrarias his ftatutis, aut eorum alicui minimæ parti, nihil omnino habere roboris, vel auctoritatis: fed meras effe corruptelas: ad magis gravandum eorum confcientias, qui talibus utuntur. Quod fi quis contra ftatuta prædicta confuetudinem aliquam pertinaciter allegare, aut ea fe tueri, & illam potius, quam ftatutum fequi, & obfervare voluerit, tamdiu vino, & cervifia careat, donec ftatuto fe conformaverit; etfi ejus contumacia majorem pœnam exigat, majori pœna puniatur.

2. Et quia parum eft Statuta condere, nifi fint qui ea tueantur, propterea omnibus, & fingulis Vifitatoribus, Prioribus, Rectoribus, Vicariis Monialium, & Prioriffis injungimus: ut rejectis confuetudinibus contrariis, circa Statutorum præfentium obfervantiam in fe, & cæteris diligentius folito invigilent: cum in eis nihil jam fit præfentium temporum, & perfonarum conditioni non accommodum, & contemperatum, præfertim Animæ Deum timenti, & Carthufianæ vitæ Inftitutum diligenti.

3. Propterea nullus unquam Prælatus tranfgreffiones Statutorum noftrorum in perfonis fibi Subditis, pro favore earum captando, aut timore, vel pufillanimitate aliqua, negligat, aut diffimulet. Nullus etiam licentias, & difpenfationes his Statutis contrarias, vel petat, vel fuis Subditis dare præfumat, nifi in cafibus neceffitatis, vel evidentis utilitatis, cum tefte Divo Bernardo, difpenfatio abfque neceffitate, vel evidenti utilitate facta, non difpenfatio, fed diffipatio, & prævaricatio judicanda fit: & Priores non fuper Patrum traditiones, fed fuper Fratrum fuorum tranfgreffiones fint conftituti.

4. Omnes igitur injunctam fibi ab Ordine curam fideliter impleant, quæ apud eos reformatione, correctione, & emendatione digna funt, reforment, corrigant, & emendent: zelum tenentes Eliæ, & conftantiam Mathiæ. Quod fi quis Vifitator, Prior, aut Monialium Vicarius in corrigendis exceffibus negligens, & remiffus, aut in licentiis dandis nimis præfumptuofus, & temerarius inventus fuerit, & monitus refipifcere noluerit, abfolvatur ab officio, & alius in locum ejus obfervantior inftituatur.

5. Subditos vero omnes, & fingulos hortamur, & monemus in D. Jefu, ut poftremam hanc Statutorum editionem fumma fide, & diligentia, & multo cum labore Patrum Ordinis recognitam, fufcipiant cum debita gratitudine & reverentia, & pro ipfius Dei amore, atque obedientia Carthufianæ profeffionis, pro fua etiam pace, & confolatione, pro fuarum denique animarum falute, ac profectu, quæcumque in ea fcripta funt obfervare ftudeant. Præcepta quoque, & monita falubria majorum fuorum, maxime Prælatorum, qui vice Dei funguntur cum omni manfuetudine audiant, & impleant. Et fi interdum erraverint ut homines, non fint in emendando pertinaces, ut Dæmones, fed virgam difciplinæ, & correctionis patienter fuftineant, fuæ profeffionis memores, ut falvi fiant.

6. Præftet nobis Omnipotens, & mifericors Dominus, ut noftræ profeffionis vota fideliter impleamus, fuave noftræ fervitutis jugum cum humilitate, charitate, patientia, & perfeverantia fuftineamus, de virtute in virtutem fic proficientes, ut Religionis optatum finem, & inde repromiffam in fine mercedem percipere valeamus: eodem Domino concedente, qui fine fine vivit, & regnat in fæcula fæculorum Amen.

EXPLICIT SECUNDA PARS

Novæ Collectionis

STATUTORUM ORDINIS CARTHUSIENSIS.

Incipiunt Capitula Tertiæ Partis.

INCIPIT TERTIA PARS

Novæ Collectionis

STATUTORUM ORDINIS CARTHUSIENSIS.

De Divino Officio Fratrum Laicorum,

CAPUT PRIMUM.

1. Quæ ad Monachos pertinent explicatis, reftat ut ea quæ ftatum Converforum, Donatorum, atque Monialium concernunt Domino juvante dicamus.

2. Laicos in noftram Societatem admifimus (*a*) qui Agriculturæ, & pecorum nutrimento, ubi utile, & commodum effe judicabitur, habita ratione temporum, & locorum, & aliis corporalibus exercitiis, prout injunctum eis fuerit, diligenter intendere debent.

3. Volumus autem ipfos Laicos fic externis exercitiis occupari, ut etiam debitis temporibus non omittant Spiritualia: ideo fingulis diebus ad Matutinas furgere debent. Hora autem, qua furgendum eft in Domo inferiori, bis fignum

(a) *Vide Ordinationes annorum 1679. & 1636.* Quia in quibufdam &c. De cætero non recipiantur *in fine hujus Capituli.*

pulfetur,

pulsetur, parvo interposito spatio, primo præparentur, secundo ad Ecclesiam servata gravitate conveniant. Orationes Dominicas pro Psalmis habent, & de eis omnes Horas, & totum ubicumque sunt complent Officium.

4. Intrantes Ecclesiam, facta debita inclinatione, detecto capite, in suis se sedibus collocent, & unusquisque satagat, quanta potest devotione suas Orationes Dominicas pro Matutinis ordinatas, cum suis debitis cæremoniis persolvere, quamvis ibidem sit Procurator præsens, quem non tenentur in suis cæremoniis imitari.

5. Qui vero habitant cum Monachis in Domo Superiori, surgant ad Matutinas Monachorum, maneantque in Choro Conversorum, in quo suas Matutinas persolvant, & usque ad finem Matutinarum ibidem permaneant, nisi eis super hoc Prior misericordiam faciat.

6. Quotiescumque autem Conversi audiunt Divinum Officium in Domo Superiori, Monachos imitentur quoad regulares cæremonias: suas tamen Orationes Dominicas interim persolvant. Nec ipsi, nec Donati in Ecclesia ullo tempore libros teneant, nec in eis legant: sed Rosarium in manibus habeant, & ibi sua debita persolvant. Ad Ecclesiam sine caputio, & veste oblonga, vel pellicea non eant.

7. Officium Beatissimæ Virginis Mariæ juxta formam, quæ sequitur dicere tenentur: primo ad singulas diei horas singulas horas ejusdem Virginis excepto Completorio diei præmittent, quod semper ante Completorium de B. Maria est dicendum. Ad Matutinas de Domina, primo dicant flexis genibus, & cum venia semel, *Pater noster, & Ave Maria*: deinde surgant, & faciant signum Crucis, & inclinent: postea erecti dicant 22. *Pater noster*, & totidem *Ave Maria, & Gloria Patri* cum venia, vel supplicatione, secundum tempus. Deinde subjungant semel *Pater noster, & Ave Maria*, pro Collecta genibus flexis, vel super misericordia secundum tempus.

8. In Matutinis vero diei inclinati tantum quando venia non sumitur, alias si sumitur super formas, semel *Pater noster, & Ave Maria* cum magna devotione, & attentione dicant: deinde erecti eamdem Orationem sexies repetant flexis genibus, per singulas supplicantes, & *Gloria Patri* dicentes. Deinde sedentes eamdem Orationem viginti duabus vicibus repetant: & postea surgentes eamdem cum supplicatione, & *Gloria Patri* sexies iterent, ac deinceps in stando perseverantes ipsam eamdem sine *Gloria Patri*, & supplicatione 22. vicibus dicant, quam etiam semel pro collecta subjungant.

9. Post Matutinas, Conversi singulis diebus faciant Orationem in materna lingua, sub hàc forma quæ sequitur. Prostrati in terram secundum suum vulgare idioma pro omni statu intercedant: videlicet pro statu nostræ religionis, pro statu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & D.N. Papæ, pro Diœcesano proprio, & cæteris Episcopis, personisque Ecclesiasticis universis; pro Imperatore Romano, vel Rege proprio, Regibusque, ac omnibus Principibus Christianis: pro omnibus Benefactoribus, recommendatis, familiaribus, & amicis: pro omnibus tentatis, & in quacumque Corporis, & Animæ tribulatione constitutis: pro existentibus in peccato mortali, pro reductione hæreticorum, & Schismaticorum: pro conversione Judæorum, & Paganorum: pro navigantibus, Peregrinis, & Infirmis: pro terræ fructibus, & cultoribus eorumdem: pro temperie aeris: pro sui ipsius perseverantia in Ordine, & observantia Mandatorum Dei, & nostræ Religionis, & si quæ sint alia, pro quibus orantis Spiritum Divina inspiratio inflammet, & accendat. Sciendum præterea, quod ad quemlibet statum, qui volunt *Pater noster*, humiliter, & devote subjungunt, dictam Orationem pro qualitate temporis, discretionis, & fervoris ipsius orantis ampliando, vel etiam breviando.

10. A Pascha usque ad festum S. Michaelis orto sole pulsatur ad Primam. In messe tamen prout necessitas postulat, citius. A festo S. Michaelis usque ad Pascha summo mane pulsatur.

11. Ad primam de Dominica dicant semel *Pater noster, & Ave Maria* flexis genibus cum venia omni tempore. Deinde *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum, & terram.* Postea erecti ter *Pater noster, Ave Maria*, cum *Gloria Patri*, & venia, vel supplicatione secundum tempus.

12. Primam vero diei ita incipiant. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum, & terram.* Deinde *Pater noster* cum *Gloria Patri*, & venia, vel supplicatione secundum tempus ter dicant, & addant quartum pro Collecta.

13. In cæteris horis tam de Dominica, quam de die, idem quod in Prima dicatur: excepto quod ad utriusque Veseras unum *Pater noster* addant, dicentes scilicet post *Adjutorium nostrum* quater *Pater noster* cum *Gloria Patri.* Dicant etiam post Primam diei, & post Completorium *Credo, & Confiteor.*

14. Post Completorium lectos adeant, & dormire satagant, ne forte cum vigilare debuerint dormire compellantur. Sive autem dormiant, sive vigilent quieti, ac sine ullo strepitu, quantum fieri potest manere debent.

15. In omnibus Domibus Conversorum, quæ a Domibus Monachorum sunt separatæ, & aliter inferiores vocantur, in quibus est Sacellum bis, vel ter ad minus in hebdomada Missa celebretur a Procuratore, vel Priore, seu alio Sacerdote; quod Prior studiose faciat observari: ibidem etiam Sacrum Corpus Christi reverenter servetur ad succurrendum Infirmis, & in quolibet mense renovetur.

16. Nulla dispensatione, vel licentia permittatur, quod Conversi, aut Donati portent Tonsuram Clericalem, vel quod Grammaticam discant, aut cantum, nec quod ascendant ad statum Monachorum, sed unusquisque perseveret in ea vocatione qua vocatus est, nec super hoc sint infesti Prioribus, aut Visitatoribus, cum nullo modo super hoc possint dispensare.

ORDINATIO ANNI 1679.

Quia in quibusdam Ordinis Domibus Conversorum Conversatio omnino tepescit, & a Statutorum observantia notabiliter deflectit, statuimus, & ordinamus ne ulterior fiat Conversorum receptio in Domibus, ubi Tertia Pars Statutorum ad Conversos pertinens circa observantiam regularem non plene observatur donec stricte, & laudabiliter Visitatorum Judicio servetur, sed tantum Donati ibi recipiantur, prohibentes Prioribus, & cæteris Officialibus sub pœna absolutionis, ne aliquid contra hanc necessariam Ordinationem attentent. Conversi autem, & Donati tum in Ecclesia, tum in Capitulo, & Refectorio simul conveniant, & simul refectionem sumant, servato tantum hoc ordine, ut antiquiores Donatorum locum habeant post ultimos Conversos ex utraque parte Ecclesiæ, Capituli, aut Refectorii. Si quis autem inter eos post hæc voluerit primus esse, fiat omnium ultimus, & Servus juxta Jesu-Christi Salvatoris nostri Sententiam, cujus executionem Priori committimus, & commendamus.

ORDINATIO ANNI 1636.

De cætero non recipiantur Conversi ad habitum, nisi prius probati fuerint per quinquennium post fa-

ctam donationem sub habitu Donatorum sine speciali licentia Capituli Generalis, aut R. Patris, quam tamen rarius, & non sine gravi causa concedendam esse censemus.

De diebus festis qualiter, & quando a Conversis observantur.

Caput Secundum.

1. Conversi, qui in Domo Superiori morantur in vigilia festorum Capituli ad Ecclesiam pro Vesperis audiendis conveniant. Qui vero in Domo inferiori habitant in dictis vigiliis, cum a suis disjunguntur laboribus ad Domum Superiorem ascendant, sic ut medietas ipsorum ascendat Vespere prout eorum obedientiæ patiuntur, Matutinas, & reliquum diei festi Officium audituri cum his qui in Domo Superiori habitant, qui omnes imitentur Monachos in regularibus cæremoniis in Choro existentes. Pars autem Conversorum, quæ in Domo inferiori remansit, ibi in Ecclesia suas Matutinas persolvat, & summo mane ascendat ad Domum Superiorem, ubi Dominus suum Officium audiat.

2. Post Capitulum Monachorum dicta Missa de Domina in privato, teneatur eis Capitulum, ubi verbum Dei a Priore vel ab eo, cui injunxerit attente audiant, & culpas suas recognoscant, præsentibus Donatis, etiam in singulari culparum recognitione. In Solemnitatibus tamen Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes non tenentur eis Capitulum, sed in vigiliis prædictarum Solemnitatum post dictas Vesperas.

3. Die Natalis Domini, & duobus diebus sequentibus, & in primis, & secundis diebus Paschæ, & Pentecostes, post Nonam in Capitulo audiant Verbum Dei ab eo, cui Prior injunxerit. In quibus diebus post Capitulum Monachorum legantur eis eorum Statuta, & in festo Sancti Joannis Evangelistæ, atque feria secunda Paschæ legatur eis de charta Visitatorum, quod eos concernit.

4. In vigiliis autem Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, Dominicæ in Palmis, Eucharistiæ, S. Joannis Baptistæ, Assumptionis ejusdem Virginis, omnium Sanctorum, & aliarum præcipuarum Solemnitatum, omnes ad Domum Superiorem conveniant, Divinum ibidem Officium audituri, & in Refectorio comedant prædictis diebus.

5. Ascensuri autem Fratres ad Domum Superiorem prius ad Procuratorem veniant, & cum ejus licentia servato pergant silentio, quod præceperit portaturi. In Domo autem Superiori, sicut & ubique a Vesperis usque ad Primam, & a Capitulo usque ad Nonam in silentio permanere debeant (a): Coquinarius tamen, & ejus adjutores, de necessariis loqui possunt. Post Vesperas cum silentio recedunt, quod jussi sunt reportantes, & tenet eis Capitulum ante cœnam Procurator quando ei visum fuerit, vel commode poterit.

6. In solemnitatibus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes descendant tertia die post Vesperas, nisi sit Dominica, vel festum Capituli, & tunc descendent sequenti die post Vesperas. In festis nullus descendat sine licentia, donec Vesperæ fuerint cantantæ. Qui vero non ascendunt diebus Capituli, Cellas teneant, nisi eorum obedientiæ impediant eos. Spatium, quod est inter Tertiam, & Sextam Orationi impendant.

7. Conversi servare tenentur omnia Festa, quæ Ecclesia præcipit ab omnibus servari: in quibus cessant ab operibus. In festis etiam quæ Episcopi Diœcesani jussu servanda jubentur, etiam cessare debent, & Ecclesiam frequentare, quod si talia festa Capitulum habeant Monachorum, etiam ipsis Conversis Capitulum teneatur.

8. In sequentibus verò Solemnitatibus quando transferuntur, non cessent ab operibus, sed non debent laborare circa domum Superiorem quantum commode fieri poterit. Sunt autem Solemnitates hæ: Conceptio Matris Domini, Dedicatio Ecclesiæ, Festa Sanctorum Joseph, Benedicti, & Hugonis Lincolniensis.

9. Ne cessent ab operibus in Compassione Beatissimæ Virginis, & Præsentatione, nec in Conversione Sancti Pauli, nec in festis Sanctorum Doctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi: nec in festis Sanctorum Bernardi, Thomæ de Aquino, Agathæ, Catharinæ Martyris, & undecim millium Virginum, qui si habitant in aliqua Parochia se illis conformare debent cum quibus manent, in Festis colendis, vel non colendis.

10. Constituti autem in itinere diebus Festivis Ordinis Missas audire debent, si possunt.

De Disciplina Fratrum, & quibusdam aliis ad Divinum Officium eorum pertinentibus.

Caput Tertium.

1. In Adventu, & Quinquagesima Conversi per singulas hebdomadas singuli singulas accipiunt disciplinas in domo inferiori in Ecclesia, de manu Procuratoris dictis Matutinis per eum. Si vero non interfuit Procurator, dicant pro disciplina ter *Pater noster*, & ter *Ave Maria* cum veniis. Idem facit, qui non interfuit, cum a Procuratore datur disciplina. In Domo vero Superiori a Priore, vel eo absente a Vicario, ante Laudes disciplinas recipiunt. Id autem fit feria secunda, nisi tunc Festum Capituli occurrat, in quo casu ad feriam tertiam differtur.

2. Cinerem, qui adsunt in Sacello domus inferioris de manu Procuratoris accipiant, qui vero in domo Superiori, de manu Sacerdotis hebdomadarii: qui non intersunt, ter *Pater noster*, & ter *Ave Maria* cum veniis dicant.

3. A capite jejunii usque ad Pascha post Nonam, prostrati ter *Pater noster*, & ter *Ave Maria*, pro Missa persolvant.

4. Dominica in Ramis Palmarum, omnes Conversi in Capitulo Monachorum conveniant, ibique excommunicentur omnes proprietarii, qui occultandi animo, vel celandi aliquid ultra valorem trium solidorum Turonensium, quibus nunc correspondent vigintiquinque Asses Gallici, retinuerint, donaverint, permutaverint, vel alio quolibet modo alienaverint, & illud suo Priori revelare, vel confiteri, saltem temporibus statutis scienter neglexerint: hoc est præsentes usque ad diem Cœnæ inclusive, absentes vero usque ad diem octavum reversionis eorum in domum post dictum terminum.

5. Tribus diebus ante Pascha non tenentur dicere in suo officio *Gloria Patri* post orationem Dominicam.

6. In die Cœnæ omnes in Ecclesia Superiori de manu Prioris, vel eo absente Vicarii Sacratissimum Corpus Christi recipiant. Ipse enim tunc instituit venerabile Sacramentum Altaris, & omnes ibidem præsentes suis sacratissimis manibus tanti beneficii participes esse fecit.

7. Hora autem constituta omnes, quantum possunt, simul cum Monachis ad Mandatum in Capitulum conveniant, & ibi exerceant suum Ministerium, & eorum pedes laventur: ipsi tamen debent ante suos lavare pedes, & se præparare propter lotionem pedum faciendam per Priorem. Quod si contingat aliquando aliquos Fratres Laicos in domo inferiori hoc die manere: illi veniant post prandium ad coquinam, & ab eo, qui prior est ordine eis laventur pedes.

(a) *Non inde inferri debet, quod extra tempus hic præfixum possint silentium frangere sine licentia, sed sensus est, quod intra tempus hic notatum licentia non est petenda, nec danda sine rescissione.* Vide n. 2. & 3. cap. 5.

8. In craftino (hoc eft) Parafceve poft Nonam, quæ plus ea die, quam cæteris differtur, ad Ecclefiam conveniant, ibique dicent *Pater nofter* femel pro Ecclefia, femel pro Papa, femel pro Epifcopis, & cunctis Sacris Ordinibus, femel pro Imperatore, feu Rege, femel pro Catechumenis, femel pro cunctis afflictis, & in periculis conftitutis, femel pro Hæreticis, femel pro Judæis, femel pro Paganis, hoc eft novem vicibus, & ad fingulas vices excepta octava, quæ eft pro Judæis veniam fumant. Poft Monachos nudatis pedibus incedentes Crucem adorent, dicentes finguli intra fe : *Adoramus te Chrifte, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemifti mundum &c.* Hoc etiam die Converfi juvent Sacriftam ad mundandam Ecclefiam.

9. Sabbato Sancto Fratres qui fuperius remanferant, fummo mane defcendant ad Domum inferiorem reverfuri ad vefperas.

10. Durante hebdomada Capituli Generalis Converfi dicant fingulis diebus femel *Pater nofter*, & *Ave Maria* pro directione ejufdem Capituli Generalis.

11. Omnes Converfi, & Donati prima Dominica cujuflibet menfis cum debita præparatione, & Confeffione (quantum facere debent hora congrua ante Miffam, in qua communicaturi funt) Euchariftiæ Sacramentum devote recipiant, nifi aliter legitime effent impediti arbitrio fuorum Confeffariorum : & tunc alio die ad arbitrium Prioris communicent. In Solemnitatibus Cœnæ Domini, Pafchæ, Pentecoftes, Corporis Domini, & Sancti Patris noftri Brunonis communicare etiam debent.

12. Confulimus ut omnes tam Converfi, quam Donati fingulis hebdomadibus confiteantur diebus abftinentiæ deputatis, vel alio die ad arbitrium Præfidentis : confiteantur autem genibus flexis, & capite detecto, fed pœnitentiam eis injunctam proftrati perfolvant.

13. Hortamur autem eos in Domino, ut fic digne fua vocatione vivant : quatenus etiam fæpius Euchariftiæ Sacramentum recipere poffint. Quod fi Prior judicaverit aliquos ex eis fic difpofitos, poterit frequentiorem eis communionem concedere.

14. Nulli Sacerdoti Sæculari, vel Regulari, qui de Ordine noftro non fit, confiteri poffunt Converfi abfque licentia Prioris, quamdiu funt in domo Ordinis, etiam tranfeuntes.

Quid eis dicendum fit pro Defunctis.

CAPUT QUARTUM.

1. Pro recenter Defuncto Monacho, vel Converfo Domus fuæ profeffionis, & pro quolibet Monachatu cum Pfalteriis per chartam Capituli injuncto, trecentas triginta Dominicas orationes reddant Converfi, quarum medietatem cum veniis dicant.

2. Qualibet hebdomada feptem Anniverfaria perfolvant : pro fingulis autem 9. *Pater nofter* cum veniis dicant.

3. Qualibet etiam hebdomada duos Breves, & pro quolibet 30. *Pater nofter* cum veniis dicant.

4. Pro Officio Capituli Generalis, & pro Officio Cluniacenfi trecentas triginta Orationes Dominicas reddant. Pro Benefactoribus, qui pronuntiantur in die S. Stephani trecentas.

5. Pro quolibet tricenario carthæ Capituli dicant quinquaginta *Pater nofter* : Tricenariis autem extraneorum, qui non funt de charta, dicant centum quinquaginta.

6. Pro fingulis Miffis de Dominica fingulis Sacerdotibus injunctis dicant quinquaginta *Pater nofter*, pro Prece generaliter *Pater nofter*.

Quis refpondere debet, & præfidere, & quomodo Silentium, & Cellam debeant Fratres obfervare.

CAPUT QUINTUM.

1. Cum abfente Procuratore ad Ecclefiam Fratres conveniunt, eis præeft in officio, qui primus eft in Ordine. Similiter & in cæteris locis, vel operibus, nifi forte obedientia, in qua fuerint, alicui fuerit fpecialiter injuncta, tunc enim cui proprie injuncta eft, cæteris præfideat, qui & refpondeat aliis adventantibus, vel obviantibus.

2. Dominicis, & aliis diebus feftis Converfi filentium, & Cellas teneant. Omnibus etiam diebus in quibus laborant, poft completorium ufque ad Primam filentium fervent, nifi obedientia eis commiffa aliud exigat, nec loquendi licentiam tali hora quærant, nifi magna, & jufta occafione. Qui vero in nulla obedientia occupatur frequenter Ecclefiam etiam diebus ferialibus, & filentium, & Cellam teneat.

3. Si Prior, aut Procurator viderint, feu invenerint Converfos fimul colloquentes, nifi pro neceffitate, & fub paucis verbis, acriter reprehendant eos : maxime fi id fiat diebus feftivis, in quibus ipfi debent fervare filentium, vel fi hora fuerit prohibita.

4. Cellas, vel officinas alterius obedientiæ abfque licentia nullo unquam tempore intrare poffunt. Inhibemus etiam Converfis, & Donatis districte, ne Cellas Monachorum fine licentia Præfidentis ingrediantur, alioqui ad terram comedant pro qualibet vice, nec etiam loquantur cum Monachis abfque licentia in Domo; nec eis aliquas falutationes, feu rumores, vel munufcula, aut literas deferant, alioquin pro modo culpæ arbitrio Prioris graviter puniantur.

5. Non licet etiam Converfis fine licentia cum fupervenientibus fæcularibus loqui, vel fabulari, fed obviantes, vel fupervenientes inclinato tantum capite licet refalutare, viam oftendere, ad interrogata *Eft*, vel non refpondere, & quod amplius loquendi cum eis licentiam non habeant fe excufare.

6. In quolibet opere, vel obedientia conftituti Converfi, poffunt inter fe, & cum adjutoribus loqui de neceffariis, & utilibus : fed non cum fupervenientibus, aut Fratribus alterius obedientiæ, nifi pro neceffitate, & fub paucis.

7. Quandocumque filentium aliter fregerint, in proximo fefto Capitulo fuam culpam recognofcant, & difciplinam de manu Præfidentis recipiant, & fi fuerint affueti, gravius puniantur. In vigiliis tamen Pafchæ, Pentecoftes, & Natalis Domini, & in præcipuis folemnitatibus, & quoties communicare debent in Conventu, aut quoties ex caufa rationabili Priori vifum fuerit aliquid eis injungimus loco difciplinæ.

8. Edentes in Refectorio, aut in fuis Cellis filentium teneant, quod fi tunc fregerint, dicant pro qualibet vice 25. *Pater nofter*, & *Ave Maria*, & nihilominus in fequenti Capitulo dicant fuam culpam, & recipiant difciplinam.

9. Et quoniam in obfervatione filentii multum erratur, Procurator, & Coquinarius cum viderint illud infringi, fortiter reprehendant : & fi fe non emendaverint, referant Priori, qui præter difciplinam in Capitulo recipiendam, fi fuerint confuetudinarii in frangendo, pœnam apponat majorem, faciendo eos a vino abftinere, aut ad terram comedere; fuper his autem, quæ dicta funt Præfidentes invigilent, ut obferventur, & fint Converfi circa filentii obfervantiam plus folito foliciti.

De Coquinario, & Difpenfatore.

CAPUT SEXTUM.

1. Coquinæ unus e Fratribus præfideat, qui folitos cibos ita præparare debet, ut non detur

Monachis, vel Conversis occasio murmurandi, præparatas autem dispenset, panemque, & vinum ministret horis statutis. Nulli pitantiam donet, nisi quando debetur ei, sine licentia speciali.

2. Fratrem aliquem, in coquinam, vel dispensam, nisi causa justæ necessitatis introducere non potest, introductumque transacta necessitate emittat inviolato quantum res finit silentio.

3. Coquinario non licet in Cellas intrare, residere, aut fabulari, nisi aliquem forte ægrotare contigerit.

4. Refectorium, Dormitorium Fratrum, & Hospitium mundet, vel faciat mundari.

5. Dare, vel accipere sine Prioris licentia nihil audeat, eis tamen qui transmissa afferunt potest dare ad manducandum: aliis nequaquam sine licentia. In festis ita ante Missam, & post, de his quæ præparanda sunt providere debet quantum potest, ut ipse, & ejus adjutor Missæ majoris officium audire possint.

6. Coquinarius, vel Dispensator Refectorium præparet; & hoc quantum fieri potest adjutori suo non debet injungere. Nunquam Operarios conducat sine licentia.

7. Quando per negligentiam ejus aliquid alicui deest, quod de consuetudine habere debet, quam citius loco, & tempore congruo Priorem inveniet, vel eo absente Vicarium, culpam suam recognoscere, & ab eo qui passus est negligentiam petere veniam debet.

8. Singulis diebus festis, si potest, Capitulo interesse debet, & culpam suam recognoscere.

9. Hospitibus provideat Pellicias, & sotulares nocturnos, & Monachis det scutellas, coclear, scyphum, vasa aquaria, & vinaria, & cætera hujusmodi: nisi Procurator ipse ea ministret, aut per alium ministrari faciat juxta consuetudinem Domorum.

10. Coquinarius etiam, sive Dispensator absente Procuratore providet ut Hospites Religiosi, vel alii venire volentes ad Matutinas, eundo, & redeundo lumen habeant. Cum pitantia datur Monachis, post prandium, quod superest debet recolligere.

11. Coquinarius, aut Dispensator provideat, ut panis, qui in Refectorio apponitur mundus sit, id est neque exustus, neque corrosus, neque alia fœditate maculatus, nec aliquid habens, quod abstergendum sit, aut radendum. Ipsius est etiam providere ut vasa quibus cibus, & potus inferuntur, diligenter lota, & bene de subtus extersa sint: ne mantilia quibus superponuntur maculentur. Scyphos, & vasa vinaria, & Cochlearia singulis festivis diebus diligenter debet mundare, & providere, ut salina, & sal quod apponitur mundum sit, & ut exiccetur, ne humefactum liquefiat.

12. Ad ipsius quoque curam pertinet, ut cultelli non eruginentur, & ut hebetati exacuantur, & ut in Refectorio, quando ibi comedit Conventus, nullus tumultus, aut vox, nisi solius legentis audiatur.

13. Cum autem in quibusdam Domibus præter Coquinarium sit etiam Dispensator, ad panem, & Vinum, & aliqua alia dispensanda deputatus, quæ hic dicta sunt ad Coquinarium pertinere, juxta Domorum consuetudinem ad Coquinarium, vel ad Dispensatorem referenda sunt.

De Coquinario inferioris Domus.

CAPUT SEPTIMUM.

1. Coquinæ inferiori similiter unus e Fratribus præsideat, qui solitos cibos Fratribus præparet, & dispenset, horis competentibus signum pulset, a quo etiam panem, vinum, sal, cochlear, scutellas, lumbaria, acum, filum, & ceram ad cerandum accipiat. Aliud autem quidpiam præter Procuratoris licentiam eis dare non potest, nec etiam in Coquina frustum feracii ponere. Qualia autem aliis ministrat, talia sumat & sibi.

2. Dare, vel accipere ab his qui Domus suæ non sunt sine Procuratoris præcepto nihil audeat: qui si forte absfuerit, & aliqua interim necessitas acciderit, ita faciet quemadmodum ipsum si adesset, facturum existimarit; redeuntique quid, & quomodo egerit indicabit.

3. Fratrum aliquem in Coquinam nisi causa justæ necessitatis introducere non potest; introductum vero transacta necessitate statim emittat, inviolato, quantum res sinit, silentio.

4. Ecclesiam custodiat; Portæ præsit, advenientibus respondeat, ferramenta communia servet, nisi Faber, qui ea servet affuerit: Domus, & universæ Supellectilis curam gerat. Ex quibus omnibus si aliquid deperierit: prostratus humi reum se, culpabilemque clamabit. Hæc eadem servet quicumque vices ejus exequitur.

5. In diebus solemnibus, vel ipse, vel qui supplet vices ejus, advenientibus de proxima Villa nihil habet dare, vel commodare, nisi forte petentium necessitas aliud postularet, sed tantum ut recedant jubetur respondere, ne per tales dies assuescant inquietudinem, & molestiam facere.

6. Coquinarius inferior primum signum ad Matutinas pulset, lampadem accendat in Ecclesia, juxta lampadam sedat, Infirmos requirat, Hospitibus Religiosis antequam pulset portet lumen. Ad *Benedictus*, accensa candela egrediatur, & ponat eam in loco congruo, ut fratres egredientes lumen habeant, & Novitius eam extinguat.

7. Coquinarius cum extraneis loquatur, cum fratribus non, nisi accepta licentia: Procuratore tamen absente, cum quibus voluerit potest loqui: nemini potest dare licentiam loquendi cum aliquo, præsente Procuratore. Nec etiam propter ejus præsentiam, aliquis cum aliquo loqui debet.

8. Præsentibus Fratribus, vel absentibus Cellas eorum non debet intrare sine licentia, nisi quando absenti aliquid dare voluerit, vel utensilia ejus, sive aliquid aliud in Cellam mittere, vel accipere.

9. Mortuos non debet abluere, sed filum præparet, & acus.

10. Panem triticeum, vel caseum, vel vinum mercenariis non det sine licentia, nisi quando eis debetur: vinum Hospitibus recedentibus, vel Fratribus exeuntibus nullatenus debet dare ad secum asportandum.

11. In Hospitio exteriori nulli det panem conventualem sine licentia, ad Hospitium vero superius, nullos recipiat Hospites, nisi venerabiles, & honestos.

12. Caveat ne portam, qua itur in Claustrum, mercenarii intrent.

13. Nulli pitantiam donet nisi quando debetur ei, sal, & legumina, & cætera, quæ ad cibum pertinent donet Pastoribus.

14. Ad primam pulset, cum Procurator infirmatur, vel minuitur, vel cum mane ascendit ad Domum Superiorem Missam celebraturus. Ad Missam nunquam pulset nisi ei præcipiatur.

15. Cicer non coquat, nec duas coquinas faciat sine licentia. Ollas, & scutellas suas designet, lavet, vel lavari faciat.

16. Converso de Ordine nostro, cum ordinate venit, Cellam providere debet.

17. Sine licentia non accipiat de formageria feracium, vel caseum, tenetur tamen providere cum Procurator ascendit superius, vel aliquo

vadit,

vadit, ut propter Hospites, vel propter Fratres habeat sibi necessaria.

18. Providere etiam debet, ne Mercenarii otiosi sint, & curam habere horti, & Gallinarum, & si necesse sit saginariorum, & ut segetes mundentur, & reducere in memoriam Procuratori, quæ facienda sunt, & prævidere quantum potest ne per ipsius, aut alterius negligentiam aliquid alicubi depereat. Panem recentem non det sine licentia, nisi quando de consuetudine Monachis datur.

19. Coquinarius in Adventu, & Quinquagesima pulset ad Primam, & candelam accendat quando a Procuratore Fratres accipiunt disciplinas.

20. Ad consilium Procuratoris vinum temperet. Nullum Hospitem sine licentia in Coquinam introducat. Quidquid ab eo Coquinarius Superior per se, vel per nuntium postulat, sine dilatione, si habet, mittere debet.

De Pistore.

CAPUT OCTAVUM.

1. Pistor annonam, seu grana ad annuam provisionem necessaria recipiat, in granario ad mensuram reponat, siccet, custodiat, ventilet, molat, vel ut molantur Procuratorem admoneat, & ut farina tempestive afferatur curet, panes conficiat, & coquat.

2. Pistori quando panem coquere debet, detur adjutorium necessarium juxta dispositionem Prioris, vel Procuratoris. Ipsa die qua coquit excusetur a Matutinis, & tantum semper coquat, quantum Procurator præceperit. Sine licentia non quærat operarios.

3. Pistor Aquam benedictam per Cellas aspergat, & eam a Domo superiori asportet, vel Coquinarius si Pistor desit: cum vero uterque deest, Coquinarius provideat, ut ab aliquo offeratur.

De Sutore.

CAPUT NONUM.

1. Sutor coria teneat, incidat, sotulares faciat, ac reficiat, cum ei injungitur emat coria & sagimen, & cum redierit ostendat Procuratori, & de omnibus rationem reddat.

2. Semel in anno dato adjutorio coria præparet, & tunc tot faciat Sotulares, ut in magna anni parte sufficiant.

3. Sotulares Monachorum ungit, ac reficit, Conversorum autem nunquam: Sed ipsimet ungere debent. Eos qui Sotulares nocturnos, sive diurnos negligenter custodiunt, reprehendat.

4. Nulli extraneo det Corium, & Sagimen, sine licentia; nec etiam Fratribus, vel Familiæ, nisi in his quæ de institutione debentur. Corticem, quæsito adjutorio, in æstate faciat, siccet, & molat.

De Fabro.

CAPUT DECIMUM.

1. Faber communia ferramenta Domus faciat, & reficiat, nulli alieno sine licentia utensilia accommodet, semel in anno ostendat omnia Procuratori, & Procurator describat, ne aliquid deperire possit.

2. In Hyeme, & cum aliud operari non potest, faciat, & reficiat ferramenta. Cum ferrum suum extendit, præcipiente Procuratore, adjuvent eum aliqui de Mercenariis.

3. Non debet frabricare Fratribus sine licentia, nisi quod habent de institutione.

4. Temporibus congruis faciat, vel fieri faciat carbonem suum.

De Hortulano.

CAPUT UNDECIMUM.

1. Custos Horti ipsum, & apes custodiat, Domum propriam habeat, ubi utensilia sua, & semina custodiat, ipsum Hortum fodiat, herbas seminet, & mundet cum dato sibi adjutorio.

2. Non conducat Operarios sine Procuratoris licentia.

3. Cum Hortulanus ibi non est, Coquinarius, aut alius, cui Procurator injunxerit, Horti habeat curam, & Hortulano, cum adest, opem quoad potest exhibeat.

De Carpentario.

CAPUT DUODECIMUM.

Carpentarius Consilio Procuratoris Domos cooperiat, faciat, & reficiat, Operarios sibi necessarios quærat, & de omnibus rationem Procuratori reddat.

De Agricultura, & Pecorum nutrimento.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Quidquid ad Agriculturam, & Pecorum nutrimentum pertinet, Priorum discretioni disponendum relinquitur, qui habita ratione locorum, temporum, necessitatum, & majoris utilitatis Domorum, & personarum Ordinis, de ipsis ordinabit, prout secundum Deum, & conscientiam melius expedire sibi videbitur. (*a*)

De Abstinentia, & Jejuniis Fratrum.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

1. Unam qualibet Hebdomada abstinentiam faciant Fratres Conversi, in qua pane, & aqua, & sale sint contenti, nisi aliud de misericordia apponatur, exceptis his quos infirmitas, senectus, debilitas aut alia quævis causa judicio Prioris rationabilis excusat.

2. Nulli autem detur gratia generalis de abstinentiis, sed qui volent super his gratiam obtinere, Misericordiam a Præsidente petant, eo die quo fieri debet abstinentia. Qui sicut expedire judicaverit, misericordiam illis faciet, vel denegabit.

3. Ovis, & lacticiniis diebus abstinentiæ, & in Adventu, & per totam Quinquagesimam vesci non licet, nisi propter infirmitatem, aut in itinere, ubi alius conveniens cibus non poterit inveniri.

4. Abstinentiam faciant in Vigiliis Nativitatis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, omnium solemnitatum Beatissimæ semper Virginis Mariæ, Sancti Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, S. Brunonis Patris nostri, & omnium Sanctorum.

5. Cæteris Septimanis, in quibus nulla prædictarum Vigiliarum evenit, abstinentiam faciant feria sexta, nisi in ea occurrat Festum duodecim lectionum, sive Capitulum habeat, sive non. Tunc enim abstinentiam faciant feria quarta, vel secunda, vel Sabbato, vel tertia, sive quinta, prout a Præsidente ordinatum fuerit: Sic quod ad minus abstinentiam unam faciant semper in hebdomada.

6. In Adventu quoque, & Quinquagesima, & jejuniis quatuor Temporum, etiam feria quarta abstinentiam faciant.

7. In Vigiliis vero Apostolorum Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ, Mathiæ, & S. Laurentii Martyris, & in jejuniis quatuor Temporum, & feria secunda, & tertia Rogationum, jejunantes semel refectionem sumant.

(*a*) *Hic nota consulenda est Bulla SS. D. N. Innocentii PP. IV. quæ est Sexagesima inter privilegia Ordinis, & videbitur quanta cautela tunc adhibeatur, ne superfluum quid in pecorum nutrimenta admitteret.*

8. In

in Domibus nostri Ordinis nunquam debent Conversi cum Prioribus comedere.

9. Conversi extra terminos exeuntes jejunia Ecclesiæ non solvant, & si commode possint, quotidie Missas audiant; omnibus autem Ecclesiæ festis omnino Missam audire, si possint, tenentur.

10. Quando extra missi redeunt, aut cum super hebdomadam ad Superiorem Domum ascendunt pro operibus, facta primum Oratione in Ecclesia venient statim ad Priorem: vel quam citius habuerint opportunum.

11. Quilibet cum foras mittitur, quam citius commode potest reverti tenetur, & reversus quæ data sunt ei, non debet ea retinere sine licentia Prioris, aut Procuratoris absente Priore.

12. Custos Pontis Carthusiæ, cum nullo prorsus, nisi specialiter jussus, aut cum licentia, fabulari licite potest, quos autem admittendos, vel repellendos duxerit, id faciat quam paucissimis fieri potest verbis; id ipsum servare jubetur, quicumque vices ejus exequitur.

De consuetudinibus Generalibus Fratrum.

CAPUT DECIMUMNONUM.

1. Conversi, & Donati memores suæ conditionis, qua recepti sunt in servitium Monachorum Monachis omnibus tam gestu, quam verbo debitam reverentiam exhibeant. Propterea obviantes eis aliquantulum inclinent, & caput discoperiant, & quando loquuntur cum eis, caput non tegant, nec assideant, nisi jussi: multo magis autem erga Priores, & cæteros Officiales se se reverenter, & fideliter gerere debent.

2. Nullus Conversus, vel Donatus excepto Coquinario, & adjutore ejus, in Coquina comedat, nisi forte de licentia Prioris, & raro. Nullus etiam præter prædictos ibi bibat, nisi Priore, aut Procuratore præsente, nec intret Coquinam nisi vocatus ab eis.

3. Quando Prior, aut Procurator comedit solus, vel cum hospitibus, nullus se ingerat intraturus ad eos, nisi qui fuerit ad serviendum deputatus, vel nominatim vocatus.

4. Ad Prioris Cellam, vel Procuratoris non veniunt post Completorium, nisi ex necessitate, vel vocati ex nomine. Postquam pulsatum est Completorium nullus remanere debet cum hospitibus, nisi præsente Priore: exceptis iis, quibus, ut ipsis hospitibus serviant, est injunctum. Cum etiam est aliquis in alterius Cella, vel alibi, audito Completorio statim recedere debet, nisi majorem moram faciendi speciale habeat mandatum.

5. Quocumque die, vel tempore Conventus fit in claustro, & diebus festis post Nonam usque ad Vesperas, Conversi non debent intrare Claustrum, vel per illud transire, vel ad ostium clamando, vel pulsando, nimium strepitum facere. Quando etiam Conventus vadit, vel redit ab Ecclesia, cavere debent, ne in Claustro appareant.

6. Sine calceis nunquam vadant ad Ecclesiam, vel Conventum intrent: nec unquam in Conventu Pileos, vel Biretos portent, nisi desuper caputia habeant.

7. Cellæ, & Officinæ Conversorum a Priore, vel Procuratore semel in mense, vel quoties eis placuerit, visitentur, quibus ipsi Conversi quidquid habent exponere teneantur: & si quis ex eis cibaria, aut alia illicita tenere sit assuetus, & monitus noluerit se emendare, incarceretur.

8. Rationem de omnibus, quæ recipiunt, & expendunt, reddant Fratres obedientiales Procuratori, quoties ei placuerit: nec alteram pecuniam accipiant, donec de accepta plenarie rationem reddiderint. In qua reddenda, si de mendacio convicti fuerint, tamquam de proprio possint judicari.

9. Non accipiant ab aliquo, nec dent alicui pecuniam mutuo, alioqui teneant Cellam pro carcere arbitrio Prioris, donec pecuniam ei a quo receperint, reddant, vel ab eo recipiant, cui tradiderant: nisi pro manifesta necessitate, vel utilitate Priori, vel Procuratori se id egisse monstraverint. Eidem pœnæ subjaceat quicumque claves clandestinas habuerit.

10. Deposita aliena nunquam, etiam Procuratore præcipiente, custodiant, quæ si foras receperint, reversi mox illa Procuratori reddant. Quod si quis depositum aliquod penes se habere sine licentia Prioris deprehensus fuerit, tanquam de proprio judicetur.

11. Si quis aliquid de rebus sibi injunctæ obedientiæ interrogatus occultaverit, convictus, ut de furto judicetur, cui pœnæ subjaceat & ille, qui de rebus ad obedientiam quam dimisit pertinentibus aliquid fuerit retinuisse compertus.

12. Conversi sine licentia nihil accipiant, donent, accommodent, permutent, vel quomodocumque alienent, & pro alienis nunquam spondeant. Donationes etiam simulatæ sub specie mutuationis, ab his, vel inter eos nullatenus fiant.

13. Literas nec mittant, nec recipiant, nisi prius a Priore, vel Procuratore visas, si præsentes sunt, exceptis literis, quas ad R. Patrem, vel Visitatores scribunt, aut ab eisdem recipiunt.

14. Si vestis, vel aliud ejusmodi mittatur alicui Fratrum, ex antiqua consuetudine non ei, sed alteri potius dari debet, ne quasi proprium habere videatur. In arbitrio tamen Prioris relinquitur, utrum ei, cui missum est, an alteri detur: sed de Procuratoris licentia nemo illud accipere potest.

15. Si infra terminos nostros aliquid inventum fuerit, ei protinus, cujus est, si adest; sin autem, Procuratori reddatur. Si autem extra terminos aliquid inventum sit a nostris Fratribus, aut suo Domino si fieri potest statim reddatur, aut ei per quem melius, & fidelius reddi posse putatur, commendetur: alias intactum dimittatur.

16. Nullus Conversus equum, Cellam, Cappam, vel proprium famulum habeat, nec quodlibet aliud, quod Priori, vel Procuratori illud mittere, vel accommodare volenti, audeat negare.

17. Nullus etiam pecunias aliquas per se, vel per medium cujuscumque interpositæ personæ in sua habeat potestate, vel voluntate, alioqui rigide puniatur. Si vero alicui aliquid datum vel oblatum fuerit, in eo nullum jus aut proprietatem prætendere debet, aut potest, licet ex permissu Præsidentis ad simplicem usum ad nutum ejus revocabilem, illud possit apud se custodire, & eo uti, exceptis pecuniis. Quod si contentiose illud tanquam suum retinere voluerit, ab eo auferatur, & ad communem usum deputetur.

18. Debent etiam Professi omnes tam Monachi, quam Conversi, imo tenentur ex necessitate voti suæ professionis, habere animum paratum resignandi in manus Præsidentis sponte, & libere ea omnia, quæ sibi ad usum concessa sunt, quoties superior hoc voluerit, aut fieri mandaverit. Nec si hoc fecerit debent murmurare, vel conqueri, alioquin nondum se, & suos reliquerunt: & propterea pauperem Christum sequi, & ejus discipuli fieri non possunt, nec ejus paupertate ditari.

19. De obedientiis, & omnibus, quæ habent, facere debent secundum Prioris, & Procuratoris dispositionem. Quod si quis alicui obedientiæ, vel operi deputatus, Priori, vel Procuratori de his disponenti; vel mercenariis, qui in eis fue-

rint, injungenti aliquid, non acquieverit: eadem die, vel crastina a vino abstineat.

20. Si Procurator Conversum aliquem, vel Donatum reprehendat statim prostratus veniam accipiat, & si culpa exigit vino, vel pitantia eum privare potest: Inobedientes vero, aut perverse obedientes graviori pœna dignos, Priori, aut in ejus absentia Vicario denunciet, (a) qui eos puniat juxta gravitatem culpæ: publicam enim pœnitentiam in Conventu, non potest Procurator Conversis imponere.

21. Curas, & carnales affectiones, ac visitationes propinquorum, & amicorum suorum sæcularium Fratribus nostris omnino interdicimus, & ne ipsos in mercenarios conducant sine licentia Prioris, aut Procuratoris.

22. Qui obedientias certas non habent, post Primam veniant ad Procuratorem, ut quod voluerit eis injungat: quibus si nihil injungitur ipsi Cellas teneant, & Ecclesiam sequantur: aut alicui honesto, & utili labori pro viribus incumbant.

23. Quicumque in quacumque obedientia alicujus vices agit, nihil omnino in ea sine licentia mutare permittitur. In cellis quoque ipsis, nihil nisi prius jussum, & ostensum mutari, fierique sinitur: ne domus laboriose factæ curiositate deteriorentur, vel destruantur.

24. In alterius Cellam, seu in domum Fabri, Sutoris, Textoris, aut Furnum, vel aliam quamvis Officinam, nullus ingrediatur, vel loquatur sine licentia.

25. Quandocumque duo, pluresve, simul fuerint, ostium nullatenus claudatur omnino, aut sic obseretur, ut ab ingredi volentibus non possit aperiri.

26. Quandocumque pulsatur signum, quo ad Ecclesiam convenire debent Fratres, ad eam ubicumque sint, debent prætermissis omnibus properare. Quamdiu autem fit oratio ante horam, non debent intrare, nec ante Ostium Ecclesiæ loqui: nec extraneos, ut ibi loquantur sustinere. Intrantes vero caput nudent, & profunde inclinent.

27. In Claustro, & ante Ostium Culinæ, seu Dispensæ, sine necessitate non loquantur, nec infra Claustrum mercenarios sine licentia introducant.

28. Conversi ipsi ad Cellas suas suam pitantiam, & ligna sibi necessaria portent, & eadem sibi ipsis findant: si autem fint aliqui senes, & debiles, juniores, & fortiores debent eis, licentia impetrata, ligna necessaria providere, & findere.

29. Omnes etiam obedientiarii, alias obedientias, cum opus est, & eis injungitur debent juvare. Sed & omnia obsequia quantumlibet privata, quæ sibi ipsis non possunt singuli facere, ab aliis humiliter, & devote compleantur, ita ut felicem putet se, & cui tale aliquid injunctum fuerit.

30. Obviantes etiam sibi invicem amica alacritate, & humili inclinatione capitis, mutuo locum dantes, servato pertranseant silentio, in quo juniores, qui posterius in Ordinem venerunt, satagant prævenire majores.

31. Disciplinas, Vigilias, abstinentias, præter eas, quæ in Ordine sunt institutæ, seu quælibet alia Religionis exercitia, quæ nostræ institutionis non sunt, nulli Conversorum, nisi sciente, & faciente Priore facere licet. Sed & si cui nostrum Prior injungere voluerit, ut sibi plus indulgeat in cibo, vel somno, vel qualibet alia re, quam Statutum decernat, aut e contra, si durum, & grave aliquid præter Statutum ei imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne cum ei restitimus, non ei, sed Domino, cujus erga nos vices gerit restitisse inveniamur. Licet enim multa sint, & diversa, quæ observamus: uno tamen, & solo obedientiæ bono cuncta nobis fructuosa futura speramus.

32. Pro his, qui de Ordine nostro non sunt, nullus quaslibet res cambiat, aut vendat; emere vero si necessitas exegerit, possunt: non tamen hoc faciant passim; nec pro quolibet, nec sine Prioris sui licentia.

33. Qui sine licentia Capituli Generalis, vel R. Patris Curiam Romanam adierit, incarceretur, & pro modo culpæ puniatur.

34. Quicumque vero Statutis Capituli, vel ordinationibus Visitatorum Rebellis, aut cum murmuratione reprehensor extiterit, & qui Priori, vel Procuratori aliquid jubenti inobediens fuerit, aut perverse obediens, & commonitus emendare se noluerit, Ordinem teneat intra Cellam, & si post admonitionem tertiam, per intervalla dierum factam obstinatus permanserit, incarceratus pro modo culpæ puniatur.

35. Qui fratrem suum, vel Donatum mentiri dixerit, teneat Cellam pro carcere, si id Prior jusserit, donec ad arbitrium Prioris satisfecerit. Si male imprecatus ei fuerit, aut aliam contumeliam fecerit, juxta modum culpæ, modum teneat disciplinæ.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XX. Julii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXXV. Revocatur Breve segregationis quorumdam Cœnobiorum Ordinis S. Francisci de Observ. a Provinciis Veneta, & Bononiensi, necnon aggregationis eorumdem ad Provinciam Mediolanensem.

De segregatione Cænobiorum in Hispania extat Constitut. ed. 1686., Jun. 28. Pont. 10. Et de divisione Provinciæ S. Jacobi Innoc. XII. Constitut. ed. 1694., Maii 19. P. 3.

[D]at. 30. Julii [16]88. An. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

[E]xordium.

Ex commissæ nobis divinitus dispensationis officio, ea interdum, quæ certis rationabilibus ex causis etiam a nobis concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim felici Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consulitur revocamus, & immutamus, in hisque solicitudinis nostræ studium interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

[Re]fertur hujusmodi Breve.

§. 1. Alias siquidem Nos dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Caroli Mantuæ, & Montis Ferrati Ducis supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, nonnullos Conventus Fratrum Minorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in ejus statibus consistentes, nempe Conventus Sancti Francisci Mantuan., & Sanctæ Mariæ Gratiarum, ac Sancti Rocchi loci *della Volta* nuncupati, & S. Mariæ Angelorum Terræ Hostiliæ ad Provinciam Venetam, ac Conventus Terrarum Viadanæ, & Guastallæ ad Provinciam Bononien. dicti Ordinis respective, tunc spectantes, necnon Monasteria Monialium, curæ, & gubernio Fratrum eorumdem Conventuum respective subjecta, a memoratis Veneta, & Bononien. respective Provinciis auctoritate Apostolica perpetuo separavimus, & dismembravimus, ipsosque Conventus sic separatos, & dismembratos, ac Monasteria Monialium sic separata, & dismembrata Provinciæ Mediolanen. Ordinis prædicti itidem perpetuo univimus, conjunximus, annexuimus, & incorporavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis die 18. Novembris 1683. desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut idem Ferdinandus Carolus Dux Nobis nuper exponi fecit, ex dismembratione, & incorporatione Conventuum, & Monasteriorum hujusmodi plura in religiosæ tranquillitatis præjudicium exorta fuerint inconvenientia, adeo ut in Diffinitorio Generali Familiæ Cismontanæ Fratrum dicti Ordinis pro majori Dei servitio, & regularis disciplinæ progressu, necnon pro pacifico, legitimo, & regulato gubernio Conventuum, & Monasteriorum prædictorum, omnibusque emergentibus matura discussione perpensis, nuper consultum fuerit Conventus, & Monasteria præfata propriis Venetæ, & Bononien. respective antiquis Provinciis a quibus separata fuerint inveniri, ac sub dictarum Provinciarum Ministris Provincialibus, ut antea fuerant, regi, eorumdemque Ministrorum Provincialium Jurisdictioni, & gubernio respective subesse debere, quatenus noster desuper, & hujus Sanctæ Sedis, prævia præfatarum nostrarum literarum revocatione, assensus accederet. Nobis propterea memoratus Ferdinandus Carolus Dux humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa ejus revocationis

Preces Ferdinandi Caroli Ducis Mantuæ.

§. 2. Nos igitur piis ipsius Ferdinandi Caroli Ducis votis ad salubriorem Conventuum, & Monasteriorum prædictorum directionem tendentibus, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, separationem, & dismembrationem supradictorum Conventuum S. Francisci Mantuan., & Sanctæ Mariæ Gratiarum, ac Sancti Rocchi *della Volta*, & Sanctæ Mariæ Angelorum Terræ Hostiliæ, Terrarumque Viadanæ, & Guastallæ, ac prædictorum Monasteriorum Monialium curæ, & gubernio Fratrum eorumdem Conventuum respective subjectorum a memoratis Veneta, & Bononien. respective Provinciis, nec non unionem, annexionem, & incorporationem eorumdem Conventuum, & Monasteriorum memoratæ Provinciæ Mediolanen. a nobis factas, ut præfertur, ac emanatas desuper literas nostras prædictas auctoritate prædicta tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu penitus, & omnino vacuamus; ac revocatas, cassatas, irritas, & annullatas, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuas esse, & fore decernimus, & declaramus; ipsosque Conventus, & Monasteria prædicta Venetæ, & Bononien. respective Provinciis supradictis eadem auctoritate restituimus, ac ad formam regiminis, quo ante emanatas nostras literas respective gubernabantur, reducimus.

Revocatio Brevis, & Cænobia, ac Monialium Monasteria ad pristinum statum reducuntur.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus prædictis nostris literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum, & Monaste-

riorum prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Major. sub Annulo Pis. die XXX. Julii MDCLXXXVIII., Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXXXVI. Eliguntur Doctores Collegii Comen. in Comites Palatinos, & Equites auratæ Militiæ, eisque conceditur facultas declarandi Notarios, Legitimos, Doctores, ac Statuta condendi.

Suppressum fuit Collegium Secretariorum Apostolicorum Constit. ed. 1678. Apr. 1. P. 2. Et ab Alexand. VIII. Const. ed. 1690., Nov. 7. P. 2. confirmata fuerunt privilegia Collegii B. Ferdinandi in Indiis Occidentalibus.

Dat. 20. Nov. 1688. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ huius Constitut.

E Suprema Apostolicæ dignitatis specula in qua humilitatem nostram, meritis licet imparibus inscrutabili æternæ suæ Sapientiæ, atque bonitatis consilio collocavit Altissimus, ad præclara, quæ Catholicæ Ecclesiæ, reique publicæ ex Doctorum Virorum Collegiis provenire noscuntur, commoda, & utilitates mentis nostræ aciem intendentes, ac memoria recolentes nos de numero Collegii Doctorum Civitatis Comen., unde ortum accepimus, aliquando fuisse, indeque ad dignitatum, & honorum gradus prodire cœpisse, ac propterea ipsum Collegium propensa paternæ charitatis nostræ benignitate prosequentes, illudque, ac ejusdem Doctores præfatos condignis beneficentiæ nostræ favoribus, & gratiis, ad majus dictæ Civitatis Comen. Patriæ nostræ decus, communeque omnium bonorum, condecorare volentes, dictorumque Doctorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, non ad ipsorum Doctorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memorati Collegii Doctores tam præsentes, quam futuros & eorum singulos in perpetuum ipso jure, & facto, in ipso, eorum in dictum Collegium ingressu seu receptione, & admissione Sacri Palatii Apostolici, & aulæ Lateranensis Comites, ac auratæ Militiæ equites facimus, creamus, & deputamus, ipsosque aliorum Palatii, & Aulæ Comitum, aurataeque Militiæ equitum hujusmodi numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac eosdem, etiam torque aureo, cæterisque Comitum, & Equitum hujusmodi insignibus decoramus, eisque ac eorum singulis etiam in perpetuum, quod omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis quibus alii Palatii, & Aulæ Comites, ac

Electio Doctorum in Comites Palatinos, & Equites Auratæ Militiæ.

Militiæ auratæ hujusmodi Equites de Jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen facultates a Concilio Trid. sublatas) uti, frui, potiri, & gaudere: Necnon illos, quos prævio examine ad id idoneos, & fideles esse repererint, in Notarios, & Tabelliones publicos, ac Judices Ordinarios extra Romanam Curiam, recepto prius ab eis nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento, creare, & instituere, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Judicatus officiis hujusmodi, ut moris est, investire: Præterea quoscumque utriusque sexus nothos, spurios, naturales, & manseres, copulative, vel disjunctive ex quocumque illicito, & damnato coitu procreatos, tam præsentes, quam absentes, viventibus, seu mortuis eorum Parentibus, itaut ad eorumdem parentum, necnon quorumcumque consanguineorum, affinium, & attinentium, agnatorum, & cognatorum, ac transversalium, cæterorumque proximiorum suorum, & quorumvis aliorum successiones in quibuscumque rebus, & bonis mobilibus, & immobilibus, ac semoven., necnon juribus, & actionibus, etiam allodialibus, & precariis, & alias quomodolibet qualificatis, & nuncupatis (non tamen Ecclesiasticis) tam ex Testamento, quam ab intestato succedere, & ad illa hæreditatis, Fideicommissi, substitutionis, legati, donationis inter vivos, & causa mortis, ac quovis alio titulo, sine præjudicio venientium ab intestato, devenire, admitti, & recipi, illaque consequi, & habere, ac de eisdem bonis, juribus, & actionibus disponere, ac in illis hæredes, & successores instituere, & habere, necnon ad honores, dignitates, status, gradus, & officia Sæcularia publica, & privata quæcumque recipi pariter, & admitti, illaque gerere, & exercere libere, & licite possint, & valeant, ac si de vero, & legitimo Matrimonio procreati essent, servata tamen forma literarum fel. rec. Pii PP. IV. Præd. nostri desuper editarum, legitimare, ac omnem ab eis genituræ maculam abolere, eosque ad primæva, & legitima naturæ jura restituere, & reducere: Ac insuper quoscumque emensis studiorum curriculis in Jure Canonico, & Civili, seu altero eorum per diligentem examinationem scientia, & moribus habiles, & idoneos esse invenerint, in utroque, seu altero Jurium hujusmodi, ac in Philosophia, seu Medicina per diligentem similiter examinationem duorum, vel trium per eos eligendorum Doctorum, seu Magistrorum, vel licentiatorum ejus facultatis, in quam promovendi erunt, coram eis habendam, ac fidelem Magistrorum, seu Doctorum, vel licentiatorum eorumdem attestationem medio juramento eis faciendam peritos, ac scientia pariter, & moribus ad hoc habiles, idoneosque esse repererint, de eorumdem Doctorum, seu Magistrorum, vel licentiatorum consilio, & assensu, ac eorum votis juratis, in Philosophia, aut Medicina hujusmodi, ad Baccalaureatus etiam formati, licentiaturæ, Doctoratus, ac Magisterii gradus, cum solita insignium in talibus tradi solitorum exhibitione, servata tamen in omnibus forma, & dispositione Viennensis, & Trid. Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promovere, & sic promotis, quod omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis, quibus alii Baccalaurei, licentiati, Doctores, & Magistri, in utroque, seu altero Jurium, seu Philosophia, aut Medicina hujusmodi in Universitatibus studiorum generalium promoti de Jure, vel consuetudine, etiam utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt in futurum, etiam pariformiter, & æque principaliter uti, frui,

potiri,

ultas con- di Statu- potiri, & gaudere possint, concedere: Quodque demum pro salubri illius Collegii regimine, & administratione, illius Doctores præfati quæcumque Statuta, Ordinationes, & Decreta, licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & ejusdem Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non repugnantia facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit, mutare, alterare, corrigere, revocare, & annullare, aliaque de novo condere, & edere, quæ postquam mutata, correcta, condita, ac de novo edita fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate approbata censeantur, libere, & licite valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem dicta auctoritate earundem tenore præsentium concedimus, & impartimur.

lausulæ. §. 1. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis acceptas, & quoties illa emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit eligenda de novo concessas intelligi, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus re. me. Pii V., & Sixti etiam V. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum contra illegitimos editis, & aliis quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit dictæ Civitatis Comen., aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, legibus quoque imperialibus, privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus studiorum Generalium, necnon dilectorum filiorum Scriptorum Archivii Romanæ Curiæ, aliisque Collegiis, & quibuscumque aliis locis, & personis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam de Consilio ejusdem S. R. E. Cardinalium sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis in genere vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, ac insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CLXXXVII.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. de primatu Collegialium S. Bonaventuræ de Urbe inter reliquos Collegiales Conventuales Ord. S. Francisci.

De Collegio S. Bonaventuræ vide Urb. VIII. Const. ed. 1629. Septemb. 26., P. 7., & de Regimine Cœnobii Alex. VIII. Const. ed. 1690., Decem. 6. Pon. 2. In Const. vero Inn. XII. ed. 1699., Maii 15. P. 8. agitur de primatu inter Diffinitores, & Provinciales Titulares.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 29. Nov 1688. An. 13.

Ad futuram rei memoriam.

Lis inter memoratos Collegiales. Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa præcedentiæ inter dilectos filios Collegiales Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ex una, & Collegiales Collegii S. Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur videl. in Causa Romana præcedentiæ vertente inter Collegiales Religionis Minorum Conventualium S. Francisci ex una, & Collegiales Divi Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis partibus ex altera S. Congr. Emorum Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Partibus informantibus, referente Emo de Angelis, censuit, ac declaravit, Collegiales S. Bonaventuræ præferendos esse omnibus aliis Collegialibus, etiam S. Francisci, Bononiæ, & Pragæ admissis ad Magisterium post admissionem ipsorum Collegialium S. Bonaventuræ ad Collegium. Romæ 14. Maii 1688. J. G. Card. Carpineus B. Panciaticus Secretarius. (Decretum prædictæ Congregationis.)

Preces Collegialium S. Bonaventuræ. §. 1. Cum autem sicut pro parte Collegialium Collegii S. Bonaventuræ præfatorum nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent, nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ (Confirmatio relati Decreti.)

firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Collegiorum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIX. Nov. MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CLXXXVIII. Statuitur, ut in Diœcesi Portugallen. lis censeatur legitime contestata per negativam, si Reus contumaciter respondere recusaverit.

Const. ed. 1687, Maii 12., P. 11. tolluntur Franchitiæ pro reis in Urbe Roma, & ab Innoc. XII. eisdem denegatur remissio Constit. ed. 1692. Maii 12., P. 1.

Dat. 4 Martii 1689. An. 13.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex Ecclesiasticarum legum conditor, & moderator Judiciarium Ordinem ne per Delinquentium exquisitas malitias eludatur, ipsique Delinquentes ex sua calliditate impunitatem delictorum consequantur, solet nonnunquam immutare, aliaque facere, & ordinare, prout rerum ac temporum requirit status, & iniquorum protervia exposcit.

Stylus contestandæ litis in d. Diœcesi. §. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit Ven. Frater Joannes Episcopus Portugallen. quod in ejus Curia, & Diœcesi Portugallen. antiquus litis contestandæ, tam in Civilibus, quam in criminalibus, & mixtis Causis observari solet stylus, quod rei super aliqua re conventi, vel de aliquo crimine accusati negative, vel affirmative debeant libello contra ipsos proposito respondere, alias Judices nequeant ad ulteriora valide procedere. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ex stylo hujusmodi sæpe eveniat, ut plures ex ipsis reis conventis metu pœnæ, seu Judicii differendi, aut alia forsan de Causa respondere nolint, nec ad id Ecclesiastica Censura, aut carceratione, quas malunt indurati potius sustinere, cogi possint. Nobis propterea idem Joannes Episcopus humiliter supplicari fecit, ut quemadmodum fel. rec. Clemens Papa VII. prædecessor noster per suas in simili forma Brevis die 30. Maji 1592. pro Civitate, & Diœcesi Eboren. in quibus similis contestandæ litis stylus observari solebat statuisse noscebatur, Nos similiter pro ejus Curia, & Diœcesi in remedium præmissorum statuere, & ordinare de benignitate

Preces Episcopi Portugallen. pro stylo servari solito in Diœcesi Eboren.

Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Joannem Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, & suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac vestigiis Clementis prædecessoris prædicti in hoc omnino inhærentes per præsentes volumus, statuimus, & ordinamus quod de cætero perpetuis futuris temporibus, si rei in Civitate, & Diœcesi Portugallen. tam civiliter, quam criminaliter conventi litem contumaciter in competenti termino eis præfigendo contestari recusaverint, seu noluerint, termino elapso lis ipsa per negativam pro legitime contestata habeatur, ac exinde Judices, coram quibus Causas pro tempore pendere contigerit ad ulteriora, etiam ad Causæ conclusionem & Sententiæ diffinitivæ prolationem, alias tamen legitime procedere valeant; nec eorum processus ex eo, quod lis ipsa in forma juris contestata non fuerit, impugnari, annullari seu invalidari debeat, seu possit. Et sic in præmissis, & singulis per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, decidi, & terminari debere; irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Statutum prædictum.

Clausulæ. §. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Ecclesiæ Portugallen. juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annul. Pisc. die IV. Martii MDCLXXXIX. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CLXXXI[X]. Conceditur Fratribus Capuccinis facultas applicandi Indulgentiam die 2. Augusti animabus Defunctorum per modum suffragii.

Eadem facultas concessa fuit Fratribus de Observantia, & Reformatis Ord. S. Francisci Const. ed. 1687., Jan. 22., P. 11.

Dat. 10. [...] 1689. An[...]

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Gregorius PP. XV. prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubique existen., die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam om-

Prædicta [In]dulgentia concessa [...] a Greg. X[V.] visitantib[us] illorum E[c]clesias.

nium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit, & alias prout in ipſius Gregorii Prædeceſſoris Literis deſuper ſimili forma Brevis die 22. Octob. 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

§. 1. Cum autem ſicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit Indulgentiam Plenariam, & peccatorum remiſſionem per dictum Gregorium prædeceſſorem, ut præfertur conceſſam, etiam animabus Chriſtifidelium Defunctorum per modum ſuffragii applicari poſſe ſummopere deſideret; nos piis ejuſdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſt. ejus auctoritate confiſi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem Chriſtifidelibus præfatis ſupradictas Eccleſias Fratrum Ordinis S. Franciſci Capuccinorum dicta die ſecunda menſis Auguſti, ut ſupra viſitantibus, & præmiſſa peragentibus conceſſam, etiam Chriſtifidelium Animabus, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum ſuffragii applicari poſſe, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus quibuſcumque.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die X. Maji MDCLXXXIX. Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

Erigitur in Archiconfraternitatem Confraternitas Nominis B. M. V. in Eccleſia S. Stephani de Cacco de Urbe ſita.

Conſtit. ed. 1677. Julii 16. Pont. 1. Confraternitas Almæ Domus Lauretanæ de Urbe erecta fuit in Archiconfraternitatem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM Nos alias Confraternitati ſub invocatione SSmi Nominis Beatæ Mariæ Virginis in Eccleſia Sancti Stephani de Cacco nuncupat. de Urbe Congregationis Monachorum Silveſtrinorum canonice (ut aſſeritur) erectæ ejuſque Confratribus, & Confororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, auctoritate Apoſtolica perpetuo conceſſerimus, & alias prout in noſtris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo ac ad verbum inſerto haberi volumus uberius continetur: Et ſicut dilecti filii Officiales, & Confratres dictæ Confraternitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Confraternitatem hujuſmodi Archiconfraternitatis titulo decorari plurimum deſiderent, Nos dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem prædictam in Archiconfraternitatem cum omnibus, & ſingulis prærogativis, juribus, honoribus, & præeminentiis ſolitis, & conſuetis auctoritate præfata tenore præſentium, ſine cujuſquam præjudicio perpetuo pariter erigimus, & inſtituimus; ac ipſius Archiconfraternitatis ſic erectæ officialibus, & Confratribus præſentibus, & futuris, ut ipſi alias quaſcumque Confraternitates ejuſdem Inſtituti extra Urbem prædictam ubicumque locorum exiſtentes eidem Archiconfraternitati, ſervata tamen forma Conſtitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri deſuper editæ aggregare, illiſque omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes ipſi Confraternitati, ſic in Archiconfraternitatem erectæ a Nobis, ut præfertur, conceſſas, communicare libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus. Erectio d. Confraternitatis in Archiconfraternitatem cum facultate aggregandi alias Confraternitates, & communicandi Indulgentias.

§. 1. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clauſulæ.

§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit ſupradictæ Confraternitatis, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XI. Maji MDCLXXXIX. Pontificatus noſtri anno Decimotertio.

CXCI.

Confirmantur Theſaurarii Proviſiones, & Ordinationes, & Taxæ pro Bono Montium Romanæ Curiæ Regimine.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 6. Junii 1689. An. 13.

Motu proprio, &c.

CUM recol. mem. Clemens VIII. prædeceſſor noſter ad tollendas fraudes, quæ in reſignationibus Locorum Montium Romanæ Curiæ ad Cameram Apoſtolicam, ac etiam Religiones, Communitates, Domicellos, & alios ſpectan. a Secretariis dictorum Montium in præjudicium ejuſdem Cameræ aliorumque prædictorum, committebantur, ſua Motus proprii Cedula die 15. Maji 1600. publicata certam formam deſuper præſcripſerit, ac plures Ordinationes, Decreta, & mandata etiam pœnalia, in contrafacientes, promulgari juſſerit, prout in ipſa Motus proprii Cedula latius continetur, ad quam &c. Cumque anno 1608. ſimilis memoriæ Paulus V. pro tollendis præjudiciis, abuſibus, difficultatibus, & impedimentis, quæ circa præ- Proviſiones Clem. VIII., & Pauli V. pro bono Montium regimine. Reductio Secretariorum omnium in unum Secretarium a Clemen. X. facta.

ſatos Montes irrepſerant, Congregationem ſuper eiſdem Montibus cum diverſis facultatibus, Privilegiis, & auctoritatibus deputaverit, ac ſubinde varias proviſiones, Ordinationes, & Taxas, quas eadem Congregatio pro recta eorumdem Montium an negotiorum, ſcripturarumque ab eis dependentium adminiſtratione, & gubernio anno 1615. edidit, alia Motus proprii Cedula confirmaverit, ac expreſſe ſervari juſſerit modo, & forma in eiſdem Cedulis contentis, ad quas relationem haberi volumus. Cumque anno 1671. omnes dictorum Montium Secretarias in unam a fel. record. Clemente X., etiam ſub aliis certis Regulis, & Ordinationibus redactas idem Pontifex Didaco Urſayæ Clerico Policaſtrenſi, ſua vita naturali durante, conceſſerit in alia Motus proprii Cedula, & Chirographo ab eodem Pontifice Clemente diebus 7., & 17. Septembris anni 1671. ſubſignatis, ad quæ pariter relationem haberi volumus. Nuper vero die 21. Junii 1688. proximi præteriti idem Didacus Urſaya Officium dictarum Secretariarum in manibus noſtris ſponte renunciaverit: Noſque Populi nobis commiſſi utilitati, ac publicæ commoditati omni ſtudio invigilantes, & conſiderantes unius perſonæ induſtriam tanto oneri fere imparem eſſe, quodque ſi in tali miniſterio plures aſſumerentur, major exinde utilitas publico commercio, & longe major in expediendis negotiis facilitas reſultaret, quodque ita quoque indemnitati noſtræ Cameræ aptius conſuleretur, dum eveniente obitu unius Secretarii, poſſent alii æque idonei, & informati uſque ad novam Succeſſoris deputationem, illius vices ſupplere, abſque ullo publici ſervitii detrimento. Propterea dictam renunciationem admittentes Officium dictarum Secretariarum in quatuor æquales portiones diſtincte, & ſeparatim per quatuor perſonas diverſas exercendas, & adminiſtrandas diviſerimus, & ſeparaverimus modo, & forma, ac ex cauſis, & rationibus in Motus proprii Cedula manu noſtra deſuper ſubſignata plenius contentis, & expreſſis.

Diviſio Secretariarum in quatuor Secretarios.

Succeſſive autem ad dirimendos abuſus multoſque caſus noviter exortos declarandos injunxerimus Joſepho Renato Imperiali Theſaurario noſtro, ut provide occurreret, quod Montes præfati, ac Scripturæ, & negotia ab eis dependentia omni debita fidelitate adminiſtrarentur, ac reſpective cuſtodirentur, pœnaſque ſuo arbitrio in contra facientes irrogaret, eidem ulterius committendo, ut ad removenda gravamina, quæ circa ſolutionem emolumentorum, ac mercedum tam Secretariis, quam aliis Officialibus eorumdem Montium debitorum congruas proviſiones, Taxas, & Ordinationes deſuper ſtatueret.

Committitur Theſaurario Montium directio.

Cumque idem Theſaurarius noſter, auditis pluribus, de præmiſſis informatis, matureque perpenſis Reformatione dicti Pauli V., atque etiam Chirographis Gregorii XV., Urbani VIII., & Clementis X. ſuper eiſdem Montibus diebus 3. Decembris 1622., 13. Januarii 1624., ac 12. Septembris 1671. reſpective ſignatis, necnon etiam Decretis a Congregatione ſuper eiſdem Montibus, deputata, occaſione plurium caſuum particularium emanatis, Bannimentis quoque, aliiſque Ordinationibus deſuper factis, & editis infraſcriptas Proviſiones, Ordinationes, & Taxas a Secretariis, & Proſecretariis, Depoſitariis, Computiſtis, aliſque Officialibus, & Miniſtris, necnon etiam eorumdem Montium Proxenetis pariter ſervandas ſub certis pœnis proinde ſtatuerit, atque decreverit, prædictaque omnia ſubinde fuerint ab eadem Congregatione Montium ſedulo approbata, & confirmata.

Theſaurarii Proviſiones, Ordinationes, & Taxæ a Congreg. approbantur.

§. 1. Nos itaque volentes, ut Ordinationes, & Taxæ, & Proviſiones prædictæ manu d. Joſephi Renati Theſaurarii noſtri ſub die 30. April. 1689. firmatæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta, expreſſa, & demandata quæcumque tamquam de mandato, & voluntate noſtris geſta, ſuum plenarium ſortiri debeant effectum, ac ut ea, cæteraque in eis, ut ſupra contenta validiora, & firmiora ſubſiſtant, omnibuſque innoteſcant, & a cunctis Secretariis, & Proſecretariis, & aliis antedictis nunc, & pro tempore exiſtentibus perpetuo, & inviolabiliter ſerventur: Motu proprio, & ex certa ſcientia, deliberataque voluntate noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine de contentis in prædictis Proviſionibus, Ordinationibus, & Taxis, ac plenum informati illarumque tenorem de verbo ad verbum præſentibus pro expreſſis, inſertis, & regiſtratis habentes, Proviſiones, Ordinationes, & Taxas ipſas, omniaque, & ſingula in eis contenta, expreſſa, & demandata quæcumque tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac illis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omnibus, & ſingulis tam juris, quam facti, & ſolemnitatum, quantumvis neceſſariarum ſubſtantialium, & formalium ex diſpoſitione quarumcumque Conſtitutionum Apoſtolicarum, forſan requiſitarum defectibus, ſi qui in præmiſſis intervenerint, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus omnino ſupplemus, eaſdemque Proviſiones, Ordinationes, declarationes, & Taxas reſpective publicari, & a quibuſcumque dictorum Montium tam vacabilium, quam non vacabilium, ſive ad Cameram noſtram, ſive ad Principes, Barones, Communitates, Univerſitates, Religiones, aut alias quaſvis perſonas quomodolibet ſpectantium Depoſitariis, Secretariis, Proſecretariis, Computiſtis, Procomputiſtis, Proxenitis, & aliis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectare poterit ſub pœnis in eiſdem Ordinationibus, & Taxis irrogatis, ac arbitrio dicti, & pro tempore noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarii irrogandis, inconcuſſe, ac inviolabiliter obſervari, ac in ſingulis dictorum Depoſitariorum Banchis, Secretariorumque, & Computiſtarum, cæterorumque prædictorum Domibus impreſſas in loco publico, quo ab omnibus inſpici, legi, & intelligi poſſint affixas, retineri mandamus, & ita, & non aliter per eoſdem Montium Protectores, & alios quoſvis Judices Ordinarios, & extraordinarios, Commiſſarios, Delegatos, Subdelegatos, ac Curiæ Cauſarum Cameræ prædictæ, Sacrique Palatii Apoſtolici Auditores, necnon Cameram ipſam, illiuſque Camerarium, Theſaurarium, Decanum, Clericos, Præſidentes, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quavis auctoritate fungentes in quacumque inſtantia, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere mandamus; irritumque, & inane quidquid ſuper his a quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, licet ad id non vocatis, neque auditis quibuſvis perſonis deſuper intereſſe habentibus, ſive habere prætendentibus, ac non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in eiſdem Ordinationibus, & Proviſionibus dictum fuit non obſtare, necnon quibuſvis prædictorum Montium erectionibus, & inſtitutionibus, ac illorum Collegiorum Statutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, minuſque regula Cancellariæ noſtræ de Jure quæſito non tollendo, neque ſtylis, conſuetudinibus, privilegiis, Indultis, facultatibus, Literiſque Apoſtolicis eiſdem Protectoribus, etiam Cardinalibus, ac dictis Montibus, eorumque, & cuilibet ipſorum Collegiis, & Montiſtis, Depoſitariis, cæteriſque aliis ſuperius nominatis quibuſcumque, etiam Motu proprio, & forſan conſiſtorialiter ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam in vim contractus, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis in genere, vel in ſpecie per quoſvis prædeceſſores noſtros, & ſeu etiam

Item confirmantur Pontifice.

Clauſula

per nos concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque: quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis expressa mentio facienda foret, eorum tenores hic pro expressis, & de verbo ad verbum registratis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. Decernentes insuper hujus nostri Motus proprii Cedulæ solam Signaturam nostram sufficere, absque alia data, illique, & transumptis, seu exemplis ejus, etiam impressis manu alicujus Cameræ Apostolicæ Secretarii, & Cancellarii subscriptis, ac sigillo dicti Camerarii, seu Thesaurarii, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, plenam fidem in Judicio, & extra, ac ubique Locorum adhiberi, regula quacumque, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet Motu proprio B.

Exhibitio, admissio ejus Motus proprii.

Die Lunæ 6. Mensis Junii 1689. suprascripta Cedula Motus proprii per Sanctissimum signata, in plena Camera Apostolica exhibita, & præsentata fuit, illaque commissa Illmo, & Rmo D. Laurentio Corsino ejusdem Cameræ Clerico, modo SSmo D. N. Clementi Papæ XII. feliciter regnanti.

Deinde die 8. ejusdem mensis, citato desuper Illmo D. Petro Mathia Totto SSmi D. N. Papæ, & ipsius Cameræ Procuratore Fiscali Generali, ad relationem supradicti Illmi, & Rmi D. Corsini admissa, & registrata in libro quarto Signaturarum ejusdem SSmi sub folio 165.

Franciscus Antomorus R. C. Secret.

PROEMIO.

La Santità di Nostro Signore Papa Innocenzo XI., che con Paterno affetto, e indefessa attenzione invigila all'indennità de' suoi Sudditi, e al Buon Governo Generale di tutte le cose, avendo inteso, che doppo la Riforma della san. mem. di Paolo V. fatta sopra la materia de' Monti, e pubblicata li 4. Aprile 1615. dal Card. Serra, all'ora Pro Tesoriere Generale, e doppo altre Costituzioni, ed Ordini in diversi tempi emanati, siano nati degl'Abusi in grave danno, e pregiudizio de' Montisti, e di altre Persone interessate in detti, ha però ordinato provvedersi, che nel pagamento dell'emolumenti, e mercedi dovute alli Segretarj, ed altri Offiziali di essi nessuno sia gravato, e che in oltre si rimedj a molte cose, alle quali non vien provvisto dalla d. Riforma, e Costituzioni, e avendo dato il carico di tutto questo negozio a Monsig. Illmo, e Rmo Giuseppe Renato Imperiale Tesoriere Generale, con l'approvazione della Congregazione deputata sopra li Monti, doppo essere stati dal medemo Monsignor Tesoriere chiamati, e sentiti alcuni Segretarj, ed altre persone informate, considerata la detta Riforma di Paolo V., ed il Chirografo di Gregorio XV. in data delli 3. Decembre 1622., il Chirografo di Urbano VIII. delli 13. Gennaro 1624., il Chirografo di Clemente X. in data delli 12. Settembre 1671. inserito nell'Istromento della Segretaria Generale de' Monti, rogato, per gl'atti dell'Antomoro Segretario, e Cancelliere della Rev. Camera a dì 15. di detto mese, li Decreti della medesima Congregazione fatti in contigenza de' casi particolari, e altri ordini, e Bandi pubblicati sopra tal materia, e dopo di essere state trattate, e discusse tutte le cose maturamente in alcune Congregazioni particolari tenute specialmente per detto effetto si sono fatti, stabiliti, e conclusi gl'Ordini, Provvisioni, e Tasse, che seguono, quali essendo stati approvati dalla Congregazione de' Monti, si doveranno osservare in avvenire inviolabilmente dalli Segretarj, Pro-Segretarj, Computisti, ed altri Offiziali, Ministri, e Sensali di tutti li Monti di Roma sotto l'infrascritte pene.

CAP. I.

Che si rinnovino le Patenti in caso di morte, e ciò devono osservare li Segretarj a tal effetto.

E prima per rimediare, e schivare tutti gl'errori, che potrebbero seguire, e commettersi, se in caso di morte delli Montisti, in persona de' quali cantano di luoghi de' Monti, e sono spedite le Patenti, non si rinovassero dette Patenti, si stabilisce, decreta, ed ordina, che succedendo detti casi di morte, gl'Eredi, e Successori del Defonto siano tenuti, ed obbligati omninamente rinovare le dette Patenti, e che a tale obbligo siano sottoposti tutti, e singoli Eredi, di modo, che venendo a notizia de' Segretarj la morte di qualche Montista, e non essendosi dall'Erede fatta la traslazione de' Monti Ereditarj, sia lecito a medemi con la giustificazione della morte impedirgli l'esazione de' frutti; si dichiara però, che per la remozione di tal impedimento, non possono pretendere cosa alcuna, nè meno il giulio dell'ordine, e in caso, che li Depositarj pagassero, non ostante tal'impedimento, siano tenuti sodisfare del proprio a Segretarj tutti quelli emolumenti, che doverebbero conseguire dall'Erede, per la traslazione in conformità della presente Tassa; e li Segretarj, e Pro-Segretarj debbano all'incontro spedirgli le Patenti, e dargliele rinovate, con farsi però prima consegnare copia autentica delli Testamenti, e Deposizioni fatte dalli Defonti, e avuta diligente, ed esquisita considerazione alli detti Testamenti, e Disposizioni, e a tutte le condizioni, e vincoli apposti in essi, e non essendovi testamento, ne Disposizione alcuna alle fedi, e scritture, che da' detti Eredi per verificare, e giustificare le loro successioni, se gli presenteranno. Con avvertire anco, che siano sofficienti, ciò s'intenda mentre non preceda Decreto di Giudice competente di Roma, ma essendovi Decreto di Giudice, si eseguiscano li detti Decreti, e li mandati, ed Ordini, che per vigore di essi forse si spediranno, con avvertire però, che non essendo detti mandati, ed Ordini di Monsignor Tesoriere Generale pro tempore, abbiano l'*Exequatur* del medemo Monsignor Tesoriere, nè in materia de i luoghi de' Monti, potranno li Segretarj, o Pro-Segretarj dare esecuzione a' mandati di qualsivoglia altro Giudice, senza l'*Exequatur* sudetto di Monsignor Tesoriere, e in dette Patenti rinovate debbano li Segretarj, e Pro-Segretarj sudetti mettere, ed inserire, prima per extensum tutti li vincoli e condizioni, che si trovaranno essere nelle Patenti spedite in testa del morto, e poi fare anco menzione degl'altri, che saranno nelli Testamenti, Disposizioni, Decreti, e mandati sudetti, secondo il loro tenore, e ricevute, che averanno le giustificazioni necessarie, dovranno spedirgli le Patenti in termine di giorni quindici, sotto l'infrascritte pene.

CAP. II.

Tassa degl'Emolumenti di d. Rinovazioni nelli Figliuoli, ed altri descendenti per retta linea.

Per la quale rinovazione, facendosi a favore de' figliuoli, Nipoti, ed altri descendenti per retta linea del Defonto; si statuisce, decreta, ed ordina, che non debba far pagare, nè riscuotere cosa alcuna, nè per il giulio de' sensali, nè per il giulio del Collegio, nè per il giulio del Regentato, nè per li Computisti, o Procomputisti, nè meno per il giulio applicato all'Archiconfraternità della Pietà de' Carcerati, nè li due giulj dell'abbondanza, nè li quattro giulj della mensa di Policastro rispetto al Monte Fede. E quanto alli Segretarj, e Pro-Segretarj possino pigliare per qualsivoglia Patente un giulio per la carta, laccio, cera, e cassetta con proibirsegli espressamente, che senza la sudetta cassetta non possino

consegnate le Patenti, e consegnandosi non siano obbligati li Montisti pagare il detto giulio, e siano ancor sottoposti ad altre pene ad arbitrio di Monsignor Tesoriere, ed oltre il sudetto giulio non possono avere, riscuotere, nè pigliare per le loro mercedi più dell' infrascritte somme.

Sino a tre luoghi inclusive tre giulj.

Sino a sei luoghi inclusive quattro giulj.

Sino a dieci luoghi inclusive sei giulj.

Per dieci luoghi, fino a venti inclusive otto giulj.

Per dieci luoghi fino a venti inclusive otto giulj.

Da venti fino a qualsivoglia somma, e quantità de' Luoghi un scudo, e non più.

Nè questa Tassa possa in alcun modo alterarsi, o accrescersi sotto pretesto, che li luoghi de' Monti siano parte vincolati e parte liberi, overo soggetti a diversi vincoli; ma li Segretarj e Prosegretarj debbano fare un conto solo per ogni specie di Monte.

Dichiarandosi, che la sudetta Tassa devasi inviolabilmente osservare nelle traslazioni, che si fanno negli Figliuoli o altri Descendenti per retta linea per causa legittima di legato, o per qualsivoglia altro titolo, ancorchè particolare, e ancora nelle rinovazioni in virtù di donazione, o altro titolo singolare per contratto anco *inter vivos*, purchè l'effetto di esso sia conferito doppo la morte del Padre, o di altro ascendente.

E rispetto alle Doti, quando l'assegna si facci dal Padre alle Figliuole, dovrà parimente esigersi solamente la sudetta Tassa, purchè la traslazione non si faccia in persona del Marito, nel qual caso potranno esigere la Tassa, come se seguisse a favore di Estraneo, e come si dispone nel *Capitolo V.*

Similmente si dichiara, che dovendosi fare rinovazione a favore de' Figliuoli, ed altri descendenti per retta linea, come sopra, se li detti Figliuoli, o altri descendenti saranno più persone, li Segretarj, o Pro-Segretarj senza loro richiesta non possano spedire, che una sol Patente a favore di tutti.

SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.



AROLUS SEXTUS, Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR sempe Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ Croatiæ, Sclavoniæ &c. REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgun diæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtenbergæ; COMES Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis, quod, cùm Nobis Noster Sacrique Imperii fidelis dilectus ANDREAS CHEVALIER *Typographus* LUXEMBURGENSIS, humillimè supplicârit, ut Privilegium Impressorium super *BULLARIO MAGNO ROMANO Novissimo, a Beato LEONE MAGNO, usque ad PONTIFICEM nunc Regnantem, cum suis Supplementis, in Folio & Novem Tomis* sibi impertitum, ad alios Decem Annos extendere clementissimè dignaremur. Nos submissis pariter ac æquis ejus precibus annuendum censuerimus. Ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscumque rem Librariam seu negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supra nominatum *BULLARIUM MAGNUM ROMANUM*, sub hoc aliove titulo aut forma per decem Annorum spatium ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii, & Regnorum Ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorsumve impressum apportare, citra præfati impetrantis, ejusdemque Hæredum ac Successorum voluntatem in scriptis obtentam, ausit vel præsumat. Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dictus ANDREAS CHEVALIER, sive propria auctoritate sive Magistratus illius loci auxilio, sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed & decem Marcarum auri puri pœna Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & Parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum Subditis, & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim verò iis, qui in Magistratu existentes, vel suo vel Superiorum suorum loco jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur: Sed si quos contumaces compererint, constituta à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur Laxenburgi vigesima prima Maii anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo, Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo sexto, Hispanicorum trigesimo quarto, Hungarici & Bohemici verò vigesimo septimo, &c.

CAROLUS.



UT JO. AD. COMES
DE METSCH.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.
J. J. HAYECK de Waldstätten.

Et memoratus CHEVALIER *suprascriptum Sac. Cæs. Majest. Privilegium ex integro concessit* PELLISSARI & SOCIIS, *ex conventione factâ inter eos Quarto Nonas Martii Anni* 1738.

BULLARIUM ROMANUM.

TOMUS DUODECIMUS, SIVE CONTINUATIONIS PARS SEXTA.

ALEXANDER VIII. PONTIFEX CCXLV.

ANNO CHRISTI MDCLXXXIX.

[...]nno [...]689. ALEXANDER OCTAVUS Venetus, Petrus Vitus antea vocatus, Marci Ottoboni Magni Cancellarii Filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Salvatoris in Lauro, postea S. Marci Episcopus Sabinen., dein Tusculan., ac demum Portuen., die 6. Octobris 1689. Summus Pontifex electus fuit; Coronatus vero die 15. ejusdem Mensis; Creavitque Cardinales 14. Vixit annos 80., Menses 9., dies 10.; In Pontificatu autem annum 1., Menses 3., dies 26. Obiit Calendis Februarii 1691.; & sepultus fuit in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes Menses 5., dies 11. Anno 1689.

APPENDIX AD TOM. VII.

Regulæ Cancellariæ hic omittuntur, quia eædem fere sunt cum illis Prædecessorum, ut videre est Urbani VIII. Constit. datam 1623. Aug. 7. Pont. 1. edit. vero Octobris 21.

[...] I. Confirmatur, & innovatur Constitutio Urbani VIII. pro necessitatibus Locorum Piorum Terræ Sanctæ.

Prædicta Constitutio ultimo confirmata fuit ab Innoc. XI. Et postea ab Inn. XII. Const. ed. 1691. Septem. 29. Pont. 1.

[...]t. 18. Nov. [...]9. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

[...]cordium.



SALVATORIS, & Domini Nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue pastoralis solicitudinis vigilantiam incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit majori honorificentia recolantur.

[...]nstit. Urb. [...]II. injungebat Ordinariis, & Generalibus Ordinum, ut commendare facerent necessitates dd. Locorum.

§. 1. Cum itaque alias fel. rec. Urbano Papa VIII. prædecessori nostro exposito, quod Ecclesiæ, & alia Loca Pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum tyrannidem, & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, & Quadragesimæ temporibus tam per verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias, prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur: Et sicut pro parte dilecti filii Bernardi Josephi a Jesu Maria Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum professoris, ac ejusdem Terræ Sanctæ Commissarii, & Prioris Generalis nobis nuper expositum fuit, ipse quo præfatæ Urbani prædecessoris literæ, quæ a rec. mem. Innocentio X. Clemente etiam X., ac Innocentio XI. Romanis Pontificibus prædecessoribus pariter nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur illas per Nos pariter confirmari, & innovari desideret; Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, prædictas Urbani prædecessoris literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces Commissarii Gen. pro nova confirmatione post illas Inn. X. Clem. X. & Inn. XI.

Confirmatio, & innovatio d. Const. Urb. VIII.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi præfati in relatione Status Ecclesiarum quando visitabunt limina Apostolorum facienda referant se præfatis Urbani prædecessoris, & præsentibus nostris literis paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

§. 3. Volumus insuper, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Novemb. MDCLXXXIX. Pontificatus nostri Anno Primo.

II. Conceduntur Conclavistis Gratiæ, & Privilegia.

Eadem concessa fuerunt ab Inn. XI. Const. ed. 1676. Dec. 6. P. 1. Et ab Inn. XII. Const. ed. 1691. Julii 15. P. 1.

Dat. 4. Dec. 1689. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Urbis.

Motu proprio &c. Nos volentes (*reliqua vide locis supra citatis.*)

Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem pridie Nonas Decembris Anno Primo.

Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc, quæ sequuntur.

Sacrista. Rm̃us D. Frater Joseph Eusanius, Aquilanus, Episcopus Prorphyriensis, Sacrista.

Abfuit a Conclavi de speciali licentia Sacr. Congregationis. Carolus Vincentius Carcarasius, Presbyter Romanus, Canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe.

Petrus Sanctes de Fantibus, Presbyter Camerinensis.

Magistri Cæremoniarum. Dominicus Cappellus, Presbyter Asculanus, Canonicus Insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim.

Candidus Cassina, Presbyter Comensis, Canonicus prædictæ Insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim.

Justinianus de Rossena, Presbyter Regiensis, perpetuus Clericus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Magistri Cæremoniarum.

Secretarius Collegii. Abbas Guido Passioneus, Clericus Forosempronienfis, Sacri Collegii Secretarius.

Abbas Petrus Draghus Bartholus, Presbyter Venetus, Antonius Scipio Gabellottus Clericus Conjugatus Faventinus, Alexander Fernus, Clericus Laudiensis, nostri dum Cardinalatus honore fungebamur.

Marchio Claudius Pallavicinus, Clericus Parmensis, Joannes de Nisez, Clericus Durbusensis Leodien. Diœcesis, Joannes Baptista Mazzarinus Cleric. Ariminensis, Alderani Ostien. Cybo.

Bernardinus Portus, Presbyter Bononiensis, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Lateranensis, Augustinus Lottus Laicus Romanus, Andreas Cornelius Laicus Pedemontanus, Flavii Albanen. Chisii.

Abbas Joseph Pauluccius Clericus Pisaurensis, Bartholomæus Juliettus Laicus Anconitanus, Dominicus Petrignanus, Laicus Auximanus, Antonii Prænestini Bichii.

Comes Raymundus Ranutius de Marsciano, Urbevetanus, Thomas Hyacinthus Sangiorgius Presbyter e Saxoferrato Nucerinæ Diœcesis, Nicolaus Carpius Januensis, Jacobi Tusculani Fransoni.

Andreas Panzerius, Presbyter Romanus, Canonicus Insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim, Joannes Baptista Ferrarius, Laicus Firmanæ Diœcesis, Sallustius Musiottus Laicus Asculanus, Palutii Sabinen. de Alteriis, Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum Sanctæ R. E. Cardinalium.

Abbas Joannes Cecius, Clericus Abbatiæ Sublacensis nullius Diœcesis, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Antonius de Comitibus, Clericus Camerinensis, Joannes Baptista Blancus, Laicus Pisanus, Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Barberini.

Franciscus Augustinus Saccus, Clericus Viennensis in Austria, Carolus Hoffman Uratislaviensis, Gregorii S. Marci Barbadici.

Abbas Joseph de Annibaldensibus a Molaria, Clericus Romanus, Joseph Giacchius, Presbyter a Monte Sicuro Anconitanæ Diœcesis, Flaminius Peregrinus, Laicus de Polo Tiburtinæ Diœcesis, Joannis Nicolai Tituli S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus.

Abbas Joseph Zaffontius, Presbyter Senensis, Canonicus Insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim de Urbe, Alexander Petrillus Clericus Lucensis, Julii Tit. S. Mariæ Transtyberim Spinulæ.

Paulus Lucatellus Archidiaconus Aquilejensis, Franciscus Cajanus Clericus Urbinaten. Joannis Tit. SS. Viti, & Modesti Delphini.

Carolus de Serte Clericus Parisinus, Spiritus la Sabliere Valentinæ Diœcesis, Jacobus le Feurè Lugdunensis Diœcesis, Emmanuelis Theodosii Tit. S. Petri ad Vincula Bullionii.

Petrus Angelus Maggius Presbyter Anconitanus perpetuus Beneficiatus Cathedralis Ecclesiæ Ferrariensis, Ægidius Sallecher Laicus de Seittenstren. Passaviensis Diœcesis, Caroli Tituli S. Hadriani Cerri.

Petrus Franciscus Giampè, Clericus de Fabriano Camerinen. Diœcesis, Franciscus Maria de Laurentiis Presbyter de Serra S. Quirici Camerinen. Diœcesis, Gasparis Tituli S. Silvestri in Capite de Carpineo.

Joannes de la Croix Goussault Parisinus, Petrus Millet Clericus Conjugatus è Troja in Campania, Joannes de la Chaize Clericus Parisinus, Cæsaris Tituli SSm̃æ Trinitatis in Monte Pinceo d'Estrées.

Odetus Franciscus de Harcourt de Bevuron Presbyter Parisinus, Bonaventura dela Fonte, Clericus Tolosanus Canonicus Metropolitanus Ecclesiæ Narbonensis, Aloysius Mandon Clericus Conjugatus Lemovicensis, Petri Tit. Sancti Honuphrii Sonsii.

Abbas Paulus Farella Presbyter Muranus, Abbas Pompejus Sarnellus Presbyter Polignanensis, Fr. Vincentii Mariæ Tit. S. Xisti Ursini.

Joannes Baptista Fabrinus de Montenovo Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Senogalliensis, Joannes Jacobus Blattman Laicus Constantiensis, Joannes Pannareus Hortanus, Federici Tituli Sanctæ Anastasiæ Columnæ.

Joannes Baptista Hagnus Presbyter Foroliviensis, Josephus Christallinus Laicus Camerin. Joannes Nardier Laicus Burgundus, Francisci S. Matthæi in Merulana Nerlii.

Dominicus de Benedictis de Trebio Spoletanæ Diœcesis perpetuus Clericus Beneficiatus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso de Urbe, Roggerius Sevaggius Clericus a Monte Caveoso Matheranæ Diœcesis, Hieronymi Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Casanate.

Galeatius Campana Presbyter e Castro Parrani Urbevetanæ Diœcesis, Lucas Manfredus Laicus e Barbarano Viterbien. Diœcesis, Galeatii Tit. SS. Quirici, & Julittæ Marescotti.

Franciscus Hyacinthus Ascevolinus Presbyter Britinoriensis, Octavius Bartholomæus Vallettus Laicus Taurinensis, Fabritii Tit. Sancti Chrysogoni Spadæ.

Joannes

Joannes Baptiſta Novellus Laicus Romanus, Joannes Albertus Amas Presbyter Cameracenſis, ejuſdemque Metropolitanæ Eccleſiæ Scholaſticus, Franciſcus Cleton Laicus e Darbia in Anglia, Fr. Philippi Thomæ Huvard Tituli Sanctæ Mariæ Super Minervam de Norfolcia.

Antonius Pierſanctes Clericus de Matelica Camerinen. Diœceſis, Timotheus Auguſtinellus Laicus Perufinus, Jacobus Papaccinus Laicus Bononien. Joannis Baptiſtæ Tit. Sanctæ Ceciliæ Spinulæ.

Auguſtinus de Sebaſtianis Presbyter de Caldarola Camerinen. Diœceſis, Joſeph Marabinus Laicus Immolen. Antonii Tit. S. Pancratii Pignatelli.

Mapheus Capponius Laicus Florentinus, Franciſcus Piſtocchius Laicus Romanus, Savi Tituli S. Mariæ de Populo Millini.

Joannes Gambus Clericus Ravennatenſis, Angelus Joſeph Pomus Presbyt. Papienſis, Franciſcus Pezzanus Laicus Mediolanenſis Federici Tituli S. Alexii Vicecomitis.

Martinus Saſſellius Presbyter e Groſio Comenſis Diœceſis, Joannes Baptiſta Turſius e Nurſia Spoletanæ Diœceſis, Chriſtophorus Alexandrinus Clericus Viterbienſis, Fr. Raymundi Tituli S. Mariæ Angelorum Capiſucchi.

Joſeph Fulchignonus Presbyter Romanus, Dominicus Erminius Clericus de Parranno Urbevetanæ Diœceſis, Fr. Laurentii Brancatii Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum de Laurea.

Abbas Franciſcus Baptiſtinus Clericus Regienſis, Dominicus Mazzolinus Presbyter Lucenſis, Joſeph Panimolla Laicus Romanus, Jacobi Tituli S. Mariæ in Aracæli de Angelis.

Aſcanius Silveſtrius Presbyter Senenſis, Valentinus Gallus Presbyter Camerinen. Opitii Pallavicini.

Joannes Dominicus Tranſius Clericus Romanus, Stephanus Linarius Presbyter Sarzanenſis, Marci Antonii Tit. S. Suſannæ Barbadici.

Joannes Simon Franzonus Presbyter de Locarno Præpoſitus Eccleſiæ S. Benedicti Civitatis Comen. Abbas Archangelus Spagna Presbyter Romanus, Felix Antonius de Rubeis Laicus Fanenſis, Caroli Tit. S. Auguſtini Ciceri.

Comes Paulus Americus Clericus Senenſis, Abbas Thomas Emmanuel de Zarate Presbyter Calaguritanæ Diœceſis, Joannes Baptiſta Mariottus Clericus Romanus, Leopoldus Kollonitz.

Abbas Carolus Bonaccius Presbyter Æſinus, Joſeph Antonius Oliva Laicus Tudertinus, Petri Matthæi Tit. S. Marcelli Petruccii.

Carolus Joacchinus Colbert de Croiſſi Abbas Beatæ Mariæ de Frigido Monte Pariſinus, Joannes Morel Abbas Sancti Arnulphi Metenſis Diœceſis Catalaunenſis, Gaſpar Schidt Diœceſis Argentinenſis Guillelmi de Furſtenberg.

Jacobus Eucillard Presbyter Cenomanenſis Diœceſis, Carolus Lapſinus de Valentiana Atrebanten. Diœceſis, Joannis Caſimiri Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Denhoff.

Salvator Matthehù, & Villamajor Clericus Matritenſis Toletanæ Diœceſis, Bartholomæus Belinginus Clericus Montis Regalis in Pedemontio, Joſeph Maria Pellegrinus Clericus Bononien. Fr. Joſeph Tit. S. Balbinæ de Aguirre.

Comes Joannes Joſeph Camutius Presbyter Forolivienſis, Thomas Gaggius Laicus Fanenſis, Leandri Tituli S. Petri in Monte Aureo Colloredi.

Joannes Franciſcus Nicosia Laicus Hieracenſis Diœceſis, Joannes Piolus Presbyter Romanus, Dominicus Tartaglionus Laicus Neapolitanus, Fortunati Tit. Sanctorum Joannis, & Pauli Carafæ Presbyterorum S.R.E. Card.

Bernardus Capicius Clericus Conjugatus Romanus, Nicolaus Frigdianus Laicus Lucenſis, Carolus Salandra Laicus Romanus, Franciſci S. Mariæ in Via lata Maldachini.

Antonius Mancinellus de Canepina Presbyter Hortanus, Bartholomæus Rocchus Laicus Bononien. Nicolai SS. Coſmæ, & Damiani Acciajoli.

Carolus Fridericus ab Eccleſia Clericus Mediolanenſis, Horatius Gratioſus Presbyter Ariminenſis, Joannes Baptiſta Bellettanus Laicus Venetus, Urbani S. Nicolai in Carcere Tulliano Sacchetti.

Franciſcus Antonius Palutius Presbyter Sabinenſis, Mauritius Nicolinus Laicus de Capradoſſo Abbatiæ S. Salvatoris Majoris nullius Diœceſis, Joannis Franciſci S. Angeli in Foro Piſcium Ginetti.

Antonius Ugolinus Presbyter de Macerata Feltrenſi, Dominicus Gagliardus Laicus de Marino Albanen. Diœceſis, Aſcanius Bartoccinus de Marſciano Peruſinæ Diœceſis, Benedicti S. Agathæ Pamphilii.

Gregorius Moſcatellus Clericus Viterbienſis. Lucas Antonius Maſinus Laicus Florentinus, Dominici Mariæ S. Euſtachii Curſii.

Abbas Andreas Pierius Presbyter Lucenſis, Franciſcus Joſeph Giamaglius Laicus Anconitanus, Joannis Franciſci Sancti Cæſarei Nigroni.

Fr. Scipio Cigala Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Meſſanenſis, Camillus Longhus e Sambuco Tiburtinæ Diœceſis, Fulvii S. Mariæ in Coſmedin Aſtallis.

Dominicus de Zaulis Clericus Faventinus, Nicolaus de Pretis Presbyter de Britulo nullius Diœceſis, Joannes Thomas Lorenzellus Laicus Romanus, Gaſparis S. Georgii de Cavaleriis.

Marchio Alexander Capponius Florentinus, Petrus Andreas Forzonius Laicus Florentinus, Joſeph Bonellus Clericus Camerinenſis, Franciſci Mariæ S. Mariæ in Domnica Medices.

Comes Ranutius de Marſciano Romanus Canonicus Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Joſeph Buſſettus Laicus Regienſis, Joannes Baptiſta Ferrarius Mutinen. Raynaldi S. Mariæ de Scala Eſtenſis, Diaconorum S.R.E. Cardinalium nuncupatorum.

Frater Paulinus de Bernardinis Ord. Prædicatorum Lucenſis Confeſſarius.

Frater Baccalareus Felicianus Corellus de Fulgineo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Subſacriſta.

Joſeph Michael de Rubeis Clericus Senenſis cum prædicto Reverendiſſimo Epiſcopo Porphyrienſi Sacriſta.

Petrus Orlandus Clericus Romanus cum dicto Secretario Sacri Collegii.

Abbas Ludovicus Piccinus Clericus Æſinus Cuſtos fontis, & aquarum Conclavis.

Joannes Baptiſta Foſſobrunus Aretinus, Joannes Trullius Romanus, Medici Phyſici.

Joannes Gambara Patavinus Chirurgus.

Petrus Corſus de Spetia Sarzanen. Diœceſis Aromatarius, Antonius Aſprinus de Colle Scipionis Interamnenſis Diœceſis, Gregorius Moriconus Lucenſis ejus Auxiliatores.

Joannes Dominicus Gentilis e Caſtro Sancti Angeli Diœceſis Civitatis Ducalis, Joannes Baptiſta Tarozzius, Andienſis Diœceſis, Barbitonſores, Gerardus Wolff, Colonien., Bernardinus de Marchis Januen. Diœceſis, eorum Auxiliatores.

Stephanus Baldus Faber Lignarius, Gaſpar Rinaldus, Faber Cœmentarius.

Balthaſſar Vannicola de Offida Aſculanæ Diœceſis famulus.

Ambroſius Roſatus, Andreas Campus, Antonius Baroldus, Antonius Crovellonus, Antonius Felicettus, Antonius Palettus Bartholomæus Butius, Bartholomæus Onginus, Bernar-

dinus Cambronus, Didacus Santillus, Felix Caroli, Franciscus Catenaccius, Franciscus Codricchius, Franciscus Coppus, Gaspar Baldus, Jacobus Bricca, Jacobus Ceaschettus, Joannes Cardus, Joannes Panesius, Joannes Antonius Bianchinus, Joannes Baptista Baronius, Joannes Baptista Blondus, Joannes Maria Bergottus, Joannes Maria Rè, Joseph Trovarellus, Paschalis Honorantes, Scoparores Conclavis.

Nomina Eminentissimorum DD. Cardinalium, & Dapiferorum sunt hæc quæ sequuntur.

Petrus Ottobonus nunc Alexander VIII. Venetus.
Joseph Tempestinus, dum Cardinalatus honore fungebamur. Dapifer.

EPISCOPI VI.

Alderanus Episcopus Ostien. Sac. Collegii Decanus Cardinalis Cybo, Januensis.
Joannes Lutius, Tudertinus. Dapif.

Flavius Episcopus Albanen. S.R.E. Cardinalis Chisius Bibliothecarius, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, Senensis.
Frater Joannes Giorgius de Castellis Eques Hierosolymitanus, Interamnen. Dap.

Antonius Episcopus Prænestinus S.R.E. Cardinalis Bichius, Senensis.
Joseph Maradius, Faventinus. Dap.

Jacobus Episcopus Tusculanus S.R.E. Cardinalis Fransonus, Episcopus Camerinen. Januensis.
Julius Perla Clericus Romanus. Dap.

Palutius Episcopus Sabinen. S.R.E. Cardinalis de Alteriis, ejusdem S.R.E. Camerarius, Romanus.
Prosper Buccapadulius Romanus. Dap.

PRESBYTERI XXXIV.

Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina S.R.E. Presbyter Card. Barberinus, Romanus.
Franciscus Fonseca, Romanus. Dap.

Gregorius Tit. S. Marci S.R.E. Presbyter Card. Barbadicus Episcopus Patavinus, Venetus.
Eques Enricus Letus, Scotus. Dap.

Joannes Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ Transpontinæ S.R.E. Presbyter Cardinalis de Comitibus Episcopus Anconitanus, Romanus.
Carolus de Philippis, Cæsenaten. Dap.

Julius Tit. Sanctæ Mariæ Transtyberim Sanctæ R.E. Presbyter Cardinalis Spinola Episcopus Lucensis, Januen.
Abbas Jacobus Maria Cenni de Serralenga. Dap.

Joannes Tit. Sanctorum Viti, & Modesti S.R.E. Presbyter Card. Delphinus Patriarcha Aquilejen., Venetus.

Emmanuel Theodosius Tit. S. Petri in Vincula S.R.E. Cardinalis Bullionius, Gallus.

Carolus Tit. S. Adriani S.R.E. Presbyter Card. Cerrus Episcopus Ferrarien., Romanus.
Leonardus Severolus, Romanus. Dap.

Gaspar Tit. S. Silvestri in Capite S.R.E. Card. de Carpineo, Sanctissimi D.N. Vicarius Generalis, Romanus.
Joannes Baptista Gottifredus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.

Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio S.R.E. Presbyter Card. Destreus, Gallus.
Marchio Nicolaus de Penna, Perusinus. Dap.

Petrus Titul. S. Honuphrii S.R.E. Presbyter Card. Bosius Archiepiscopus Narbonen. Florentinus.
Frater Felix Sfortia Maidalchinus, Viterbiensis. Dap.

Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis S. Dominici, Tituli S. Sixti S.R.E. Presbyter Cardinalis S. Sixti nuncupatus, Archiepiscopus Beneventanus, Neapolitanus.
Paulus Petrus Lamparinus de Terra Sancti Gemini Narnien. Diœcesis J.U.D. Collegii patronorum Sac. Palatii Apostolici Clericus. Dap.

Federicus Tituli Sanctæ Anastasiæ S.R.E. Presbyter Card. Columna, Perusinus.
Flavius Cherubinus de Monte Bodio. Dap.

Franciscus Tituli S. Matthæi in Merulana S.R.E. Presbyter Card. Nerlius, Florentinus.
Marcus Antonius Aloysius, Assisiensis. Dap.

Hieronymus Tit. Sanctorum Nerei, & Achillei S.R.E. Presbyter Cardinalis Casanate, Neapolitanus.
Abbas Aurelius Gazzinellus J. Sacræ Theologiæ Doctor Comensis. Dap.

Galeatius Tit. Sanctorum Quirici, & Julittæ S.R.E. Presbyter Cardinalis Marescottus, Romanus.
Nicolaus Balenus, Æsinus. Dap.

Fabritius Tit. S. Chrysogoni S.R.E. Presbyter Cardinalis Spada, Romanus.
Eques Bernardinus Castellinus, Forolivienfis. Dap.

Frater Philippus Thomas Huvard Ordinis Prædicatorum, Tit. Sanctæ Mariæ super Minervam S.R.E. Presbyter Cardinalis de Norfolcia, Anglus.
Ludovicus Oddus, Romanus. Dap.

Joannes Baptista Tituli S. Cæciliæ S.R.E. Presbyter Card. Spinula, Januen.
Stephanus Castaldus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.

Antonius Tit. S. Pancratii S.R.E. Presbyter Cardinalis Pignattellus Archiepiscopus Neapoli, Neapolitanus.
Ferdinandus Patronus, Interamnensis. Dap.

Sanus Tit. S. Mariæ de Populo S.R.E. Presbyter Cardinalis Millinus Episcopus Urbevetanus, Romanus.
Frater Amerigus Capponus Eques Hierosolymitanus, Romanus. Dap.

Federicus Tit. S. Alexii S.R.E. Presbyter Cardinalis Vicecomes, Archiepiscopus Mediolani, Mediolanensis.
Franciscus Maria Alemannus Clericus, Mediolanensis. Dap.

Frater

Frater Raymundus Tit. S. Mariæ Angelorum S.R.E. Presbyter Card. Capiſuccus Ordinis S. Dominici, Romanus.
Antonius Gabriellius Clericus, Romanus. Dap.

Frater Laurentius Brancatus Tit. Sanctorum Duodecim Apoſtolorum S.R.E. Presbyter Card. de Laurea Ordinis S. Franciſci.
Abbas Petrus Antonius Bazzantus, Senenſis. Dap.

Jacobus Tit. S. Mariæ in Aracœli S.R.E. Presbyter Card. de Angelis, Piſanus.
Abbas Thomas Mancinellus, Narnien. Dap.

Opitius S.R.E. Presbyter Card. Pallavicinus, Januenſis.
Hieronymus Pallavicinus, Januenſis. Dap.

Marcus Antonius Tituli Sanctæ Suſannæ S.R.E. Card. Barbadicus, Venetus.
Abbas Petrus Palazzius Presbyter, Brixianus. Dap.

Carolus Tit. S. Auguſtini S.R.E. Presbyter Card. Cicerus Epiſcopus Comi, Comenſis.
Aurelius Rozzonius, Comenſis. Dap.

Leopoldus S.R.E. Presbyter Card. Kollonitz, Germanus.
Franciſcus Medicina, Clericus Civitatis. Dap.

Petrus Matthæus Tituli S. Marcelli S.R.E. Presbyter Card. Petruccius Epiſcopus Æſinus.
Mutius Sinibaldus, Auximanus. Dap.

Guillelmus S.R.E. Presbyter Cardinalis de Furſtenberg, Germanus.
Eques Theſier, Gallus. Dap.

Joannes Caſimirus Tituli S. Joannis ante Portam Latinam S.R.E. Presbyter Cardinalis Denhoff, Polonus.
Chriſtoforus Stavinſcki Polonus ex Provincia Pruſſiæ, Diœceſis vero Varmien. Dap.

Joſeph Tituli S. Balbinæ S.R.E. Presbyter Card. de Aguirre, Hiſpanus.
Joſephus Ochoa de Aperrigui, y Amejugo Calaguritanus, & Calceaten. Diœceſis. Dap.

Leander Tit. S. Petri in Monte Aureo Sanctæ R.E. Presbyter Card. Colloredus, Venetus, Sanctiſſimi D.N. Pœnitentiarius Major.
Comes Cajetanus Torellus, Parmenſis. Dap.

Fortunatus Tit. Sanctorum Joannis, & Pauli S.R.E. Card. Caraffa Neapolitanus, Archiepiſcopus Averſæ.
Frater Laurentius de Caſtellis Eques Hieroſolymitanus, Interamnen. Dap.

DIACONI XI.

Franciſcus Sanctæ Mariæ in Vialata Primus Diaconus S.R.E. Cardinalis Maidalchinus, Viterbienſis.
Joannes Philippus Rozzolus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.

Nicolaus Sanctorum Coſmæ, & Damiani S.R.E. Diaconus Card. Acciajolus, Florentinus.
Eques Carolus Henricus de Sancto Martino, Pedemontanus. Dap.

Urbanus S. Nicolai in Carcere Tulliano S.R.E. Diaconus Cardinalis Sacchettus Epiſcopus Viterbienſis, Florentinus.
Joannes Jacobus Chircher, Germanus. Dap.

Joannes Franciſcus Sancti Angeli in Foro Piſcium S.R.E. Card. Ginnettus Romanus, Archiepiſcopus Firmanus.
Abbas Joſeph Crucius J.U.D. Clericus, Tiburtinus. Dap.

Benedictus S. Agathæ S.R.E. Diaconus Card. Pamphylius Romanus.
Abbas Æneas Taſſius, Bergomen. Dap.

Dominicus Maria S. Euſtachii S.R.E. Diaconus Card. Curſius Florentinus.
Abbas Joannes Philippus Salviatus, Florentinus. Dap.

Joannes Franciſcus S. Cæſarei S.R.E. Diaconus Card. Nigronus Epiſcopus Faventinus, Januenſis.
Abbas Felix Nigronus, Januenſis. Dap.

Fulvius Sanctæ Mariæ in Coſmedin S.R.E. Diaconus Card. Aſtallius, Romanus.
Joſeph Buccapadulius Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.

Garpar S. Georgii S.R.E. Diaconus Card. de Cavaleriis.
Marchio Fabritius Narus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.

Franciſcus Maria S.R.E. Diaconus Card. Medices, Florentinus.
Frater Rutilius Sanſedonius Eques Hieroſolymitanus, Senenſis. Dap.

Raymundus Sanctæ Mariæ de Scala S.R.E. Diaconus Card. Eſtenſis, Mutinenſis.
Marchio Nicolaus Taſſonus, Ferrarienſis. Dap.

Conceduntur Dapiferis Privilegia, Exemptiones, & Indulta. III.

Idem factum fuit ab Inn. XI. Conſt. edit. 1677., Jan. 4., P. 1. Et ab Inn. XII. Conſt. ed. 1691., Julii 15., P. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 3. Dec. 1689. An. 1.

Urbis.

Motu proprio &c. (*quæ ſequuntur vide locis ſupra laudatis.*

Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Octavo Idus Decembris Anno Primo.

Nihil I. de Laurentiis.

Confirmatur Conſtitutio Clem. IX. de non eligendo in Abbatem Ord. Ciſtercien. aliquem non expreſſe profeſſum. IV.

Laudata Conſtit. Clem. IX. hic refertur, in qua fit mentio Conſtitut. Alex. VII. ſuper Ordinis reformatione, quæ edita fuit 1666. Apr. 19. P. 12.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 23. Dec. 1689. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Debitum Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini Divina diſpoſitione præſidemus, Nos admonet, ut illa, quæ a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris pro ſalubri Religioſorum virorum Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi vitæ Monaſticæ jugo mancipatorum directione, & gubernio provide conſtituta eſſe di-

gnoscuntur, quo solidius perennent, cum id a nobis petitur, Apostolici muniminis nostri præsidio constabiliamus.

§. 1. Alias siquidem emanarunt a fel. re. Clemente PP. IX. prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet. *Clemens PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam.* In sublimi Sedis Apostolicæ solio meritis licet imparibus divina dispositione constituti, prospero felicique Ordinum Monasticorum, qui Dei Ecclesiam laudabilis conversationis, aliisque multiplicibus meritis exornant, statui, atque conservationi libenter consulimus, sicut in D. salubriter expedire arbitramur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Cistercien. quod cum fel. rec. Alexander Papa VII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis: *Decet* die 19. Aprilis 1666. super reformatione generali dicti Ordinis, emanatas literas inter alia prohibuerit, ne ullus in posterum in Abbatem Generalem Ordinis prædicti eligeretur, qui eundem Ordinem non esset expresse professus, & taliter facta electio esset pro jure nulla, & sic eligentes pœnam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso, absque alia declaratione incurrerent: dilecti filii Abbates dicti Ordinis in ultimo eorum Capitulo Generali Cistercii 9. Maii 1667., & aliis diebus sequentibus celebrato congregati publico ejusdem Ordinis bono profuturam existimarunt prohibitionis, & pœnarum hujusmodi extensionem, ad alios quoscumque Ordinis prædicti Religiosos, qui personas eumdem Ordinem non professas in Abbates aliorum Monasteriorum ipsius Ordinis elegerint. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ne ullus in posterum, qui Ordinem supradictum non sit expresse professus in Abbatem cujuscumque Monasterii ejusdem Ordinis eligatur, alioquin taliter facta electio sit ipso jure nulla, & sic eligentes pœnam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso absque alia declaratione incurrant, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus pariter, & interdicimus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno Secundo.

I. G. Slusius.

Constitutio Clem. IX.

AbAlex.VII. §. 36. prohibitum fuerat, ne ullus non professus eligeretur Abbas Generalis.

Hæc prohibitio extensa fuit a Capitulo 1667. etiam ad Abbates eligendos.

Idipsum factum fuit a Clem. IX.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Cistercien. nobis nuper exponi fecit, ipse præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino possumus hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas supradicti Clementis prædecessoris literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Preces Procuratoris Gen.

Confirmatio relatæ Constitutionis Clementis IX.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Clemens prædecessor in suis literis præfatis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici scriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIII. Dec. MDCLXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

V.

Confirmantur Literæ Magistri Gen. Ord. Prædicatorum, quibus tolluntur nonnulli abusus in Provincia Portugalliæ.

De hujusmodi abusibus vide Inn. XI. Constitut. ed. 1677., Nov. 20., P. 2. Item Const. ed. 1677. Januar. 5., P. 2. Et Inn. XII. Const. ed. 1695. Septem. 22, P. 5.

ALE-

t. 7. Jan. 90. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

xordium.

COmmissi Nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in Religiosæ vitæ portum confugerunt curam gerentes, illa, quæ abusibus felici eorum directioni noxiis evellendis provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio constabiliamus, & alias desuper disponamus, sicut omnibus mature perpensis in Domino conspicimus salubriter expedire.

ecies facti uentibus eris descripti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Montero Frater expresse professus, ac Procurator Provinciæ Portugalliæ Ordinis Prædicatorum, quod cum alias de supplici quodam libello pro parte nonnullorum tunc existentium Fratrum Provinciæ præfatæ fel. rec. Innocentio PP. XI. prædecessori nostro porrecto, ipsi Innocentio prædecessori innotuisset, quod aliquibus dictæ Provinciæ Fratribus concessum fuerat, ut Privilegiis Præsentatorum licet eo gradu juxta statuta, & consuetudines dicti Ordinis minime insigniti reperirentur, frui, & potiri deberent; necnon pariter aliqui Fratres Laici, seu Conversi Provinciæ præfatæ obtinuerant, ut retento statu, & conditione laicali, habitu per Fratres Clericos Provinciæ, & Ordinis hujusmodi gestari solito induerentur, eoque induti incederent, ac præterea plures in eadem Provincia Fratres aderant, qui obtenta assignatione, seu collocatione in aliquo Conventu a Superioribus dicti Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem præfatum, sive etiam aliquando a tunc existentibus Magistris Generalibus ejusdem Ordinis confirmari obtinuerant, atque exinde ab eisdem Conventibus per Superiores Provinciales pro tempore existentes Provinciæ hujusmodi amoveri minime posse præsumebant, idem Innocentius prædecessor abusibus in Regularis observantiæ Provinciæ præfatæ detrimentum vergentibus, occurrere studens dilecto filio Antonino Cloche Magistro Generali dicti Ordinis mandavit, ut concessiones, & facultates hujusmodi rescinderet, ac circumscriberet, eaque omnia cujuscumque tandem auctoritate facta essent, nisi immediate ab Apostolica Sede concessa fuissent ad terminos Constitutionum, & Decretorum Capitulorum Generalium dicti Ordinis reduceret. Porro ipse Antoninus Magister Generalis quasdam patentes literas desuper edidit tenoris, qui sequitur, videlicet. In Deo filiis sibi dilectis RR. admodum PP. Provinciali, in Sacra Theologia Magistris, Prioribus, Præsentatis, Prædicatoribus Generalibus, aliisque Fratribus Provinciæ nostræ Portugalliæ Ordinis Fratrum Prædicatorum Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ professor, ac ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis, & servus salutem, & legum nostrarum zelum, Ordinisque nostri honorem, charismataque meliora. In his, quæ Religionis nostræ sunt Pastorali solicitudine pro sua in Nos, Ordinemque nostrum benignitate, clementia, & zelo invigilat SSmus D. N. Innocentius PP. XI. quippe, qui ob incrementum regularis observantiæ plura sancivit, jussit, & mandavit, quæ omnia filiali obedientia exequi debentes, cum ad suas aures pervenerit nomine gravium Patrum Provinciæ nostræ Portugalliæ humili libello supplici suæ sanctitati porrecto, quod ea Provincia aliquibus ex Fratribus nostris concessum fuerit, ut privilegiis Præsentatorum, licet eo gradu juxta normam, & praxim Ordinis insigniti non sint, potiantur, & gaudeant, aliique sint Fratres Laici, qui obtinuerunt, ut retento statu laicali habitu Clericorum Ordinis nostri induerentur, eoque vestiti incederent, imo plures sint ea in Provincia, qui obtenta assignatione pro aliquo Conventu a Superioribus Ordinis, eam auctoritatem extra Ordinem, vel aliquando a Magistris Ordinis etiam a Nobis obtinuerunt, qua obtenta ab eisdem conventibus per Provinciales amoveri non posse præsumant, & glorientur, quibus malis, & Constitutionum nostrarum relaxationi, ut mederi possimus jussit nobis Sanctissimus, & in mandatis dedit, ut has concessiones, facultates, abusus rescinderemus, & circumscriberemus, eaque omnia cujuscumque sint auctoritate facta, nisi immediate a sua Sanctitate concessa fuerint ad terminos Constitutionum nostrarum, & Capitulorum Generalium sanctiones reduceremus. Quare harum serie, & auctoritate Apostolica Nobis hac in parte specialiter commissa, & jussu speciali Sanctiss. D. N. declaramus quoscumque Fratres Provinciæ nostræ Portugalliæ, quibus a quocumque concessum est, etiam a Magistris Ordinis, & aliis cujuscumque sint dignitatis, & auctoritatis, ut privilegiis, & juribus, præeminentiis, aliisque quibus Præsentati ea in Provincia, & Ordine nostro potiuntur, & gaudent, frui, potiri, & gaudere, etiamsi eo gradu Præsentaturæ secundum normam, & praxim Ordinis nostri insigniti non sunt, eosque omnes, & singulos reducimus, & redigimus ad eumdem statum, & ad eadem Jura, & privilegia, quæ ante talem concessionem habebant, sive statum Sacerdotum simplicium, nisi alias juxta normam Ordinis aliquo gradu insigniti sint. Insuper eadem auctoritate Apostolica, & eodem sacro mandato Sanctissimi quoscumque Fratres Laicos, qui quacumque auctoritate, etiam Magistri Ordinis, vel alia quacumque retento statu Laicali habitum Clericorum deferunt intra 24. horas a præsentium notitia habitum Clericorum dimittere teneantur, & habitum Fratrum Conversorum, publice, & ubique deferant sub pœnis Apostatis debitis, & privationis suffragiorum Ordinis. Cæterum eadem auctoritate, & ejusdem Sanctissimi jussibus declaramus quascumque assignationes Fratrum in Conventibus per quoscumque Superiores datas, & a quocumque alio quacumque auctoritate pollente aliam vim, aut robur habere non posse, quam simplicis assignationis, posseque Superiores Provinciæ pro tempore, non obstantibus hujusmodi assignationibus Fratres a suis Conventibus amovere, & in aliis assignare, & si qui sint renitentes, eos, gradibus, officiis, voce activa, & passiva privatos esse dicimus, & pœnis arbitrio Superiorum infligendis, rebelles illos Fratres subjicimus, sicque omnes illas assignationes, ut præfertur, seu confirmationes ad terminos Constitutionum nostrarum, & Ordinum Capitulorum Generalium reducimus. Ut igitur Fratres nostri Provinciæ nostræ Portugalliæ mandatis, & jussibus Sanctissimi D. N. ut par est subsint, & pareant, mandamus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ Obedientiæ sub formali præcepto R. A. P. Ministro Provinciali moderno prænominatæ Provinciæ, ut hæc mandata, & jussa Sanctissimi immediate a præsentium receptione in Conventu Ulyssiponensi, aut in Conventu in quo has receperit coram omnibus Patribus, ac Fratribus in communi Capitulo significare, vel legere publice faciat, & successive in omnibus Conventibus curæ nostræ subjectis, præcipientes omnibus, & singulis tam Capitibus, quam membris Conventuum sub eisdem virtute, & præcepto, & sub pœnis privationis, vocis activæ, & passivæ, graduum, & officiorum, & inhabilitatis ad ipsa, aliisque pœnis positivis, ut post præsentium intimationem, & significationem, hæc omnia respective juxta Sanctissimi D. N. mandata exequi fideliter, & inviolabiliter faciant; injungentes

eræ Magi- Ordin. in bus agi- de Præsentatorum vilegiis, corum bitu. & otione Reosorum.

Superioribus Conventuum sub eisdem virtute, & præcepto, ut intra 24. horas post præsentium receptionem publice coram tota Communitate legere faciant, teneanturque modernus R. A. P. Provincialis de præsentium receptione, sub eisdem virtute, & præcepto, & pœnis nobis arbitrariis debito tempore nos certiores facere, ut gestorum rationem reddere valeamus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 19. Octobris 1687. Antoninus Cloche Magister Ordinis. Fr. Ignatius de Quassada Magister Provincialis Prædicatorum Servus.

Preces Procuratoris Provinciæ.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Procurator literas hujusmodi quippe ad conservandum, & solidandum in Provincia præfata Regularis disciplinæ vigorem eximie conducibiles pro firmiori illarum subsistentia, & ne unquam earum observantia sub quovis prætextu, titulo, & capite, etiam validitatem, & justitiam ipsarum literarum concernente in controversiam vocari possit, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Petri Procuratoris votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac Ven. Fratri nostro Palutio Episcopo Sabinen. S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore audito, præinsertas memorati Antonini Magistri Generalis literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus.

Confirmatio relatarum Literarum.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quo circa Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Rhodien. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis nostro, & Apostolicæ Sedis Nuntio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte præfati Petri Prioris, seu aliorum interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos omnes, & singulos præsentium literarum, & in eis contentorum eorumdem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam adhoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VII. Jan. MDCXC., Pontificatus nostri anno Primo.

Conceditur, ut Indulgentia Plen. perp. in Ecclesiis Minorum Conventualium die 2. Aug. applicari possit animabus Defunctorum.

Similis concessio facta fuit ab Inn. XI. Minoribus de Observ., & Reform. Const. ed. 1687., Jan. 22. Pont. 2. Necnon Capuccinis Const. ed. 1689. Maji 10. Pont. 3. aliæ Indulgentiæ Conventualium extant Inn. XI. Const. ed. 1680. Aug. 26. Pont. 4. Et Innoc. XII. Const. ed. 1695. Aug. 18. Pont. 5.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens PP. X. prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, tam nunc erectis, quam imposterum quandocumque erigendis & ubique locorum existentibus die 2. Mensis Augusti a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæreticorum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Octobris 1670. expeditis, quas perpe-

tuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Preces Procuratoris 1. §. 1. Cum autem, ficut dilectus filius Antonius Fabozzi Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam Plenariam, & peccatorum remiffionem, ut præfertur conceffam etiam animabus Chriftifidelium Defunctorum per modum fuffragii applicari poffe fummopere defiderent. Nos piis ejufdem Antonii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poffumus favorabiliter annuere volentes auctoritate Nobis a Domino tradita plurimum in Domino confifi; Indulgentiam plenariam, & peccatorum remiffionem Chriftifidelibus præfatis fupradictas Ecclefias Fratrum Ordinis Minorum S. Francifci Conventualium die fecunda menfis Augufti, ut fupra, vifitantibus, & præmiffa peragentibus conceffam, etiam Chriftifidelium Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum fuffragii applicari poffe, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facien. non obftantibus quibufcumque.

Conceffio applicationis indulg.

Claufulæ. §. 2. Volumus autem, ut earumdem præfentium literarum tranfumptis, feu exemplis, etiam impreffis, manu alicujus Notarii publici fubfcriptis, & figillo perfonæ in Ecclefiaftica dignitate conftitutæ munitis, eadem prorfus fides ubique locorum habeatur, quæ ipfis præfentibus haberetur fi forent exhibitæ, vel oftenfæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris die XX. Januarii MDCXC. Pontificatus noftri Anno Primo.

VII. Extenditur fenarius numerus Magiftrorum ad duodenarium pro provincia Bætica Eremitarum S. Auguftini.

Similis extenfio pro Provincia Peruana extat Inn. XI. Conft. ad 1688., Jan. 22., Pont. 12. Et pro Provincia Quitenfi hujus Pontificis Conft. ed. 1690., April. 30. Pont. 1.

21. Jan. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. EX injuncto Nobis divinitus paftoralis folicitudinis munere facrarum, bonarumque literarum ftudia præfertim inter Chriftifideles divinis obfequiis fub fuavi Religionis Jugo addictos opportunis rationibus fovemus, & promovemus ac ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, ficut omnibus maturæ confiderationis trutina perpenfis rationi confentaneum effe in Domino arbitramur.

Preces facti & caufa extenfionis. §. 1. Exponi fiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Jofeph Guerrero de Torres Frater expreffe profeffus, & Affiftens Hifpaniarum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguftini, quod alias Capitulum Generale dicti Ordinis noviffime in Alma Urbe noftra celebratum, inhærens decreto dudum a Congregatione tunc exiftentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & confultationibus Epifcoporum, & Regularium præpofitorum die 19. Novembris 1682. pro Provincia Peruana ejufdem Ordinis edito, in quo, attento, quod numerus Fratrum dictæ Provinciæ notabiliter excreverat, demandatum fuerat, ut in Capitulo generali Ordinis præfati nunc proxime celebrando, de numero magiftrorum dictæ Provinciæ augendo ageretur, prout fubinde Decreti hujufmodi vigore dictum Capitulum Generale fenarium ejufdem Provinciæ Magiftrorum numerum ad duodenarium extendendum effe fancivit, præfataque extenfio a fe. rec. Innocentio PP. XI. Prædeceffore noftro per quafdam fuas in fimili forma Brevis expeditas literas, approbata, & confirmata fuit, probeque confiderans Capitulum generale præfatum, eafdem plenarie rationes etiam in Provincia Bætica Ordinis fupradicti, quæ copiofo pariter Fratrum numero referta exiftit fibi locum vindicare, de confenfu Venerabilis Fratris noftri Palutii Epifcopi Sabinen. ejufdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apoftolicam Protectoris, duodecim inpofterum effe Magiftros de numero dictæ Provinciæ Bæticæ illius amplitudini, & æquitati maxime confentaneum cenfuit, fi Nofter, & hujus S.Sedis defuper confenfus accederet; Nobis propterea dictus Jofeph humiliter fupplicari fecit, ut in præmiffis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoftolica dignaremur. Preces Affiftentis Hifpaniarum.

§. 2. Nos igitur ejufdem Jofephi votis hac in re quantum cum Domino poffumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, hujufmodi fupplicationibus inclinati, ut de cætero Senarius dictæ Provinciæ Bæticæ Magiftrorum numerus ad duodenarium, fervata tamen in reliquis quo ad prædicti Ordinis Conftitutiones, nec non confuetudines, & ufus præfatæ Provinciæ Bæticæ præfcripta forma, augeatur, Apoftolica auctoritate tenore præfentium concedimus, & indulgemus. Extenfio prædicta.

Claufulæ. §. 3. Decernentes eafdem præfentes literas femper firmas validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos fpectat, & fpectabit inviolabiter in futurum in omnibus & per omnia pleniffime fuffragari: Sicque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obftantibus rec. me. Sixti V., & Clementis VIII. Romanorum Pontificum, etiam Prædeceflorum noftrorum de fenario Magiftrorum numero, aliifque Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, nec non Ordinis, & Provinciæ Bæticæ præfatorum, etiam Juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis, illorum tenores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præfentium Literarum tranfumptis, feu exemplis etiam impreffis manu alicujus Notarii publici fubfcriptis, & figillo perfonæ in Ecclefiaftica dignitate conftitutæ munitis, eadem prorfus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipfis præfentibus haberetur fi forent exhibitæ, vel oftenfæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris die XXI. Januarii MDCXC. Pontif. noftri Anno Primo.

Præcipitur continuatio Vifitationis Ecclefiarum, & Locorum Piorum Urbis. VIII.

Indicta fuit nova Vifitatio Apoftolica ab Inn. XII. Conft. ed. 1693., Jan. 11. P. 2.

ALE-

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ab Alex. VII. instituta fuit Congregatio Visitationis, & incœpta Visitatio.

CUm felic. record. Alexander Papa VII. Prædecessor noster circa Pontificatus sui primordia Pastoralem Cleri Romani, omniumque Almæ hujus Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum, & operum visitationem instituerit, eamque ipsemet in Patriarchalibus ejusdem Urbis Ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere Adjutores nonnullos ex sacro venerabilium Fratrum Nostrorum tunc suorum S. R. E. Cardinalium Collegio delegerit, & assumpserit, eisque quosdam Romanæ Curiæ Prælatos, & alios subinde Cardinales adjunxerit, qui visitationem ipsam peragerent, & negotia illa concernentia expedirent, ac Secretarium, Judicem, Cancellarium, seu Actuarium, Commissarium, & Fiscalem, aliosque forsan Officiales, & Ministros Sacræ Visitationis hujusmodi deputaverit, variasque eisdem Cardinalibus, ac eorum, & dictorum Prælatorum Congregationi, nec non Officialibus, & Ministris præfatis facultates, præeminentias, & Indulta concesserit, & impertitus fuerit, & alias prout in diversis ipsius Alexandri Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis expeditas, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Et (sicut accepimus) memorati quidem Cardinales, una cum Prælatis Coadjutoribus suis etiam recolendæ memoriæ Clementis IX., & Clementis X., ac Innocentii XI. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum jussu visitationem hujusmodi tam in eisdem Patriarchalibus, quam in aliis Collegiatis, & fere omnibus Parochialibus Ecclesiis, ac in multis Monasteriis Regularium, tam Virorum, quam Mulierum, nec non Collegiis, Hospitalibus, Confraternitatibus, & aliis locis piis dictæ Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis, & Decretis, ubi opus fuerit, providerint: visitatio tamen ipsa in omnibus Ecclesiis, ac locis, & operibus piis prædictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa: hinc est, quod Nos pastorali studio considerantes quantopere visitatio hujusmodi utilis, & necessaria sit non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad præcavendum, ne deinceps introducantur, quantumque boni eis ex illa hactenus provenerit, & benedicente Domino proventurum sit; si Visitatio ipsa continuetur, ac in ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam animarumque salutem opportuna, & conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, in posterum quoque pie, prudenterque statuantur, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam visitationem continuari, causasque indecisas in Congregatione prædicta pendentes, prout æquitatis, atque justitiæ ratio suaserit, terminari, Visitationes particularium Ecclesiarum, ac Locorum, & Operum piorum jam inchoata absolvi, nec non Ecclesias, ac loca, & Opera pia, tam huc usque visitata, quæ iteratam Visitationem exposcere videbuntur, quam nondum visitata, visitari, cæteraque omnia, & singula visitationem hujusmodi quomodolibet concernentia fieri, geri, statui, & ordinari, & executioni demandari debere tenore præsentium decernimus, & mandamus. Ac omnes, & singulas facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & Indulta quæcumque præfatis Cardinalibus, & Prælatis, eorumque Congregationi, necnon omnibus, & singulis Officialibus, & Ministris supradictis a memoratis Alexandro, & Clemente IX., & Clemente X., ac Innocentio XI. Prædecessoribus per suas respective Literas desuper emanatas quovis modo concessa, & attributa per obitum eorumdem prædecessorum minime cessasse, nec cessare, sed in suis robore, & firmitate permanere, omnibusque, & singulis præfatis respective adhuc competere, & suffragari debere decernimus pariter, & declaramus. Et quatenus opus sit facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & Indulta hujusmodi eisdem Cardinalibus, & Prælatis, eorumque Congregationi, ac Officialibus, & Ministris prædictis in omnibus, & per omnia prout eis respective a memoratis Alexandro, ac Clemente IX., & Clemente X., ac Innocentio XI. prædecessoribus concessa, & attributa fuerunt, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus denuo concedimus, tribuimus, & impertimur.

Ea continuata fuit jussu aliorum Pontificum.

Causa ulterioris Continuationis.

Motu proprio præcipitur Continuatio.

Confirmantur & innovantur facultates, & privilegia d. Congregationis.

Clausul.

§. 1. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata ejus, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Alexander prædecessor in suis Literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. IX. Febr. MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Statuitur

IX.

Statuitur ut Clerici Congregationis Scholarum Piarum utantur Calceis, & Tibialibus.

Oppositum præcipiebatur in Constitutionibus; quod confirmatum fuerat ab Alex. VII. Constitut. ed. 1660. Apr. 28. Pont. 6. De aliis privilegiis hujus Congreg. vide Inn. XI. Constit. ed. 1686. Sept. 3. Pont. 10. & Alex. VIII. Const. ed. 1691. Jan. 23. Pont. 2.

Dat. 22. Febr. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut accepimus, per Constitutiones Congregationis Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Apostolica auctoritate confirmatas expresse disponatur; quod Clerici Congregationis præfatæ pedibus discalceatis incedere debeant; ac fel. record. Alexander VII. prædecessor noster per quasdam in simili forma Brevis die 28. Aprilis 1660. expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus Institutum hujusmodi inviolate servari præceperit; subinde verò rec. mem. Clemens Papa IX. etiam prædecessor noster per suas pariter in forma Brevis die 23. Octobris 1669. expeditas literas, quarum tenorem præsentibus itidem haberi volumus pro expresso, supradictas Alexandri prædecessoris literas inconcusse observari mandaverit; verum experientia compertum fuerit, morem hujusmodi pedibus denudatis incedendi plurimum eorumdem Clericorum valetudini obesse, aliaque exinde incommoda in laudabilium præfatæ Congregationis Institutorum perniciem resultare, adeout dictæ Congregationis Superiores Calceorum usum plerisque ipsius Congregationis Clericis pro conservatione eorum sanitatis, sive ob alias rationabiles causas frequenter permittere cogantur, atque inde aliud ulterius in Congregatione supradicta omnimodæ in usu vestium conformitati tantopere in familiis regularibus commendatæ præjudicium inferatur.

Causa novi Instituti.

§. 1. Hinc est, quod nos audita super præmissis dilecti filii nostri Gasparis S.R.E. Presbyteri Cardinalis Carpinei nuncupati in Alma Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis, & dictæ Congregationis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris relatione, in eisdem præmissis opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero omnes, & singuli memoratæ Congregationis Clerici ubique locorum calceati incedant, ita tamen, ut calcei sint nigri coloris humilitatem, & simplicitatem præseferentes, ac proni sine occulis, & clausi, non alio, quam coreaceo ejusdem nigri coloris ligamine adstringendi, ac prominentiori Calcaneo carentes: Tibialia vero nonnisi ex lana nigri pariter coloris permittantur, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Statutum ... de cer... Calceis, & ... Tibialibus.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

...usulæ.

§. 3. Non obstantibus præfatis Alexandri, & Clementis prædecessorum literis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon d. Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXII. Febr. MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

X.

Confirmantur Votum Congregationis particularis, & Chirographum super restitutione fructuum Vice-Cancellario, & Summatori.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1679. Decem. 14. Pont. 4. segregata fuere Officia vacabilia ab officio Vice-Cancellarii. Et ab Inn. XII. quamplures Camerarii redditus aliis adscribuntur Const. ed. 1700. Augusti 13. Pont. 6.

ALEXANDER EPISCOPUS

Dat. 15. Mar. 1690. An. 1.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CReditæ Nobis divinitus dispensationis ratio postulat ut iis, qui in sublimioribus Ecclesiarum, præsertim Romanæ Curiæ dignitatum gradibus constituti aliis præsidere noscuntur, pro munerum, quæ sustinent dignitate necessaria competentium redditaum deesse non sinamus subsidia.

Ab Innoc. XI. iterum concessa fuere Cameræ Ap. dd. Officia Vacabilia.

§. 1. Dudum siquidem cum alias felic. record. Innocentius Papa XI. prædecessor noster occasione vacationis officii Vice-Cancellariatus S.R.E., quod bon. mem. Franciscus Episcopus Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Barberinus nuncupatus dum viveret obtinebat per obitum dicti Francisci Cardinalis tunc non ita pridem secutum omnia, & singula Officia vacabilia, quæ antea ad Sedis, & Cameræ Apostolicæ dispositionem, tunc vero, & rec. mem. Sixti IV., Leonis X., Pauli III., ac Sixti V., & forsan aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum concessione, ad dictum Vice-Cancellariatus officium, seu ad liberam illud pro tempore obtinentis dispositionem pertinebant, ab ipso Vice-Cancellariatus officio dismembrasset, & separasset; illaque omnia, & singula sic, a dicto officio dismembrata, & separata dum ipsa deinceps vacarent Sedis prædictæ, suæque, & suorum successorum Romanorum Pontificum dispositioni omnimode in perpetuum restituisset, prout in Cedula Motus ejus proprii desuper sub Datum Decimo nono Kal. Januarii Anno Pontificatus quarto expediti plenius continetur; Et subinde idem Innocentius prædecessor Montem Vacabilem Religionis nuncupatum duorum millium Locorum erexisset, & instituisset, & septies mille quadringenta septuaginta duo scuta Monetæ annua ex fructibus dicti officii Vice-Cancellariatus, & Officii Summatoris Literarum Apostolicarum, quod per ejusdem Francisci Cardinalis obitum tunc etiam vacabat fructibus accipienda in partem Dotis dicti Montis vacabilis assignasset, prout in ejus Chirographo desuper die 12. Februarii 1686. confecto etiam plenius continetur atque ex his antiqui Scriptorum Vice-Cancellarii, & Summatoris officiorum redditus, &

Item ex fructibus Vice-Cancellarii Summatoris instituta fuit dos Montis Religionis.

Causa Restitutionis prædictor. omnium.

proventus ita diminuti remansissent, ut non modo ipsorum Vice-Cancellarii, & Summatoris officiorum præstantiæ, sed & necessariis tantorum munerum oneribus plane impares reperirentur. Nos in Consistorio nostro secreto die 14. Novembris 1689. habito, in quo officia Vice-Cancellarii, & Summatoris prædicta adhuc tunc, ut præfertur, vacantia dilecto filio nostro Petro ejusdem S. R. E. Cardinali Otthobono nuncupato nostro secundum carnem ex fratre Germano Pro-Nepoti de Venerabilium Fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu concessimus, cum diminutioni redditTuum, & proventuum officiorum hujusmodi providere cuperemus, id nos nonnisi de consilio particularis Congregationis virorum Doctrina, Pietate, ac Prudentia præstantium ex dictis fratribus nostris pro re hujusmodi examinanda per nos deputandorum agere velle declaravimus, illud profecto dumtaxat, quod æquitati, & honestati consonum esse visum fuisset ea in re decreturi, quamobrem postea pro hujusmodi negotio discutiendo, scilicet an, & quo pacto prænarratæ fructuum, & redditTuum incongruentiæ consulendum esset, Venerabiles Fratres nostros Alderanum Episcopum Ostiensem Cybum, Flavium Episcopum Portuen. Chisium, & Palutium Episcopum Sabinen. de Alteriis, necnon dilectos pariter filios nostros Gasparem de Carpineo, & Fulvium Astallium dictæ S. R. E. Cardinales deputavimus, quæ sane particularis Congregatio, negotio mature, & attente examinato, cum fuisset in voto tenoris sequentis, videlicet. Fuit in unanimi voto, quod firma interim remanente dismembratione, & separatione a prædicto Cancellariatus officio, necnon assignatione, & incorporatione Sedi Apostolicæ officiorum vacabilium sigillatim expressorum in motu proprio prædicti Innocentii XI. sub datum apud Sanctum Petrum Decimo nono Kal. Januarii Anno Quarto, restituantur prædictis officiis Cancellariatus, & Summistatus literarum Apostolicarum, si Sanctitati Suæ placuerit omnes, & quicumque fructus, proventus, obventiones, & redditus vigore Chirographi per eumdem san. mem. Innocentium XI. signati sub die 12. Februarii 1684. a prædictis Officiis dismembrati, & in partem Dotis Montis vacabilis Religionis nuncupati assignati, constituta tamen eidem Monti alia Dote usque ad illius extinctionem juxta modum, & formam a Sanctitate Sua præscribendum, Romæ die 8. Decembris 1680. B. Electus Hierosolymitanus Datarius. Hoc cum supradictæ Congregationis votum nobis placuisset, nos juxta id fieri mandavimus, modumque, & formam, quibus exequendum demandaretur præscripsimus, prout pariter continetur in nostro desuper confecto Chirographo tenoris, qui sequitur videlicet.

Concessio Vice-Cancellariatus, & Summistatus Cardin. Otthobono.

Institutio memoratæ Congregationis.

Votum d. Congregationis.

Approbatio relati Voti.

§. 2. Monsignor Giuseppe Renato Imperiali nostro Tesoriere Generale, essendo sino dall'anno 1679. per la morte della bon. memor. del Cardinal Francesco vacati gl'Offizj di Vicecancelliere della Santa Romana Chiesa, e di Sommatore delle Lettere Apostoliche, la santa memoria d'Innocenzio XI. con suo moto proprio delli 19. Gennaro 1680., o altro più vero tempo dismembrò dal Vicecancellariato la facoltà di potere liberamente disponere di molti Offizj vacabili, che da diversi Pontefici gl'erano stati assegnati, e da Sisto V. confermati, ed anco di nuovo concessi, e gl'unì, ed assegnò alla Sede, e Camera Apostolica, ed a se, ed alli Romani Pontefici suoi Successori, alli quali volse, che per l'avvenire spettassero, ed appartenessero pienamente, stimando che in detto Offizio di Vicecancelliere restarebbe sufficientemente, e congruamente provvisto con gl'altri emolumenti soliti goderst da chi l'essercita, secondo il modo da prescriversi da lui nella collazione del detto Offizio, quale però non ha mai conferito, nè dato alcuno provvedimento, ma insieme coll'Offizio di Sommista è restato vacante sino alla sua morte, bensì con suo Chirografo delli 10. Gennaro 1680. deputò il Dott. Antonino di Fiore, che sopra intendesse, che li frutti, emolumenti, regalie, ed utili delli detti Offizi di Vice-cancelliere, e Sommista venissero fedelmente depositati nel Monte di Pietà di Roma a sua disposizione, e successivamente con altro Chirografo delli 12. Febraro 1684. avendo eretto il Monte della Religione vacabile di frutto di scudi cinque per luogo, con condizione, che in caso di vacanza, non dovessero più vendersi, ma per la rata vacante restasse soppresso, ed estinto, fra l'assegnamenti, che diede al detto Monte per pagare i frutti, ordinò che le rendite, e proventi, che si cavano dalli detti Offizj di Vicecancelliere, e Sommista, si pagassero al detto Monte Religione, ed al suo Depositario scudi settemila quattrocento settanta due annui ogni Bimestre la rata, quali però andassero diminuendo di mano in mano, finche succedeva la vacanza, e respettivamente suppressione di qualche partita di detti Monti, ed a proporzione con gl'altri assegnamenti di detto Monte. Ed avendo Noi, dopo assonti al Pontificato considerato non essere conveniente, che questi Offizj così importanti della Sede Apostolica, restassero più lungo tempo vacanti, gl'abbiano conferiti all'Eminentissimo Cardin. Ottobuono nostro Pronepote, ed acciò abbi una congrua e sufficiente provvisione, già che il nostro Antecessore non gl'ha prescritto alcuna forma, come intenzionò in detto Moto proprio, abbiamo deputato una Congregazione di più Reverendissimi Cardinali per sentire il loro parere, se convenga, che restino gl'Offizj vacabili sopradetti in quella forma dismembrati, o pure se debbano riunirsi al detto Offizio di Vicecancelliere, e così si debbano riunire all'Offizj di Vicecancelliere, e Sommista tutte l'altre entrate, e con quali modi, e forma possa ciò praticarsi, qual Congregazione, avendo esaminato accuratamente il negozio sotto li 10. Decembre passato unanimamente risolve di riferirci esser suo sentimento, che restando ferma la dismembrazione dal predetto Offizio di Vicecancelliere, e l'assegnamento, ed incorporazione alla Sede, e Camera Apostolica dell'Offizj vacabili contenuti nel Moto proprio sopra espresso d'Innocenzio XI., se così a Noi parerà, si restituischino alli detti Offizj di Vicecancelliere, e Sommista intieramente tutti li frutti, proventi, rendite, ed emolumenti, che in vigore del Chirografo di detto Innocenzio XI. delli 12. Febraro 1684. furono da quelli dismembrati, ed assegnati al Monte Religione vacabile in parte della sua Dote, ed assegnamento per il pagamento de' frutti, sino alla sua estinzione, in quel modo, e forma, che a Noi parerà di prescrivere, come più amplamente nel Decreto, che attorno a ciò ne ha fatto, ed essendo a Noi piaciuto questo sentimento della Congregazione, vogliamo che gli si dii esecuzione nel modo infrascritto. Perciò di nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Potestà Apostolica, avendo quì per espresso a sufficienza il Moto proprio d'Innocenzio XI. della dismembrazione del Vicecancellariato dall'Offizj vacabili, e l'assegnazione, ed unione alla Sede, e Camera Apostolica, l'assegnamento al Monte Religione delli scudi settemila quattrocento settanta due moneta annui dell'entrate del Vicecancelliere e Sommista, la somma, che al presente, si paga al detto Monte per le vacanze seguite, la vera somma dell'altre entrate, proventi, ed emolumenti delli medemi Offizj, ed ogni altra cosa necessaria da esprimersi, restando ferma la dismembrazione degl'Offizj vacabili dal Vicecancellariato, e respettivamente l'assignazione alla Sede e Camera Apostolica, come si dispone nel detto

Chirografo, in cui di nuovo si riferisce il detto fin quì.

Si lascia suo vigo Dismem mento Offizj Va li, e si re scono li ti dal V

Moto

lleratò, umifta-

Moto proprio, sgraviamo, liberiamo, ed assolviamo li detti Offizj di Vicecancelliere, e Sommista, e le loro Entrate, emolumenti, e proventi dal giorno, che da noi furono conferiti li detti Offizj al detto Reverendissimo Cardinale Ottobuono dal peso, ed obligo di pagare al Monte Religione vacabile li scudi settemila quattrocento settantadue annui assegnatili da principio, o quella somma, che li paga al presente, o che li sarebbe dovuta in avvenire, a proporzione della diminuizione causata dalle vacanze, è suppressioni di detto Monte, in maniera, che li detti Offizj, e le loro Entrate, e proventi, ed emolumenti ne restino affatto sgravati, liberati, ed assoluti, e non siano più obbligati a pagare per questo conto cosa alcuna, nè a detto Monte, e suoi Montisti, nè al suo Depositario *pro tempore*, ma tutte le dette Entrate, proventi, ed emolumenti dismembrati in detto Chirografo siano, e restino liberi, e franchi del detto Reverendissimo Cardinale Ottobuono moderno Vicecancelliere, e Sommista, e de' suoi Successori in detti Offizj, come erano avanti l'assegnazione fatta per detta somma di scudi settemila quatrocento settantadue al detto Monte; e come se la detta assegnazione non fosse stata mai fatta, e per l'assegnamento, che manca al detto Monte di detti scudi settemila quattrocento settantadue, o della somma, che se gli paga adesso, o pure se gli dovrà pagare in avvenire diminuita a proporzione della vacanza, vogliamo, che gli sii pagato dalla nostra Camera, alla quale addossiamo, ed imponiamo il peso di pagare la somma, che di mano in mano gli sarà dovuta, finche durerà il detto Monte, senza speranza di esserne rimborsata dalli detti Offizj di Cancelliere, e Sommista, o dalle sue Entrate, proventi, ed emolumenti, o da Possessori di detti Offizj, qual pagamento vogliamo, che si facci con altre Entrate della nostra Camera non assegnate ad altri Monti, che voi stimate più opportuno: e per l'esecuzione delle cose sudette commettiamo a voi, che diate tutti quell' ordini, spediate mandati, e facciate tutte quelle spedizioni, che saranno necessarie, ed opportune, che Noi col presente ve ne diamo piena, e libera facoltà in ampia forma, e così eseguirete, che tale è mente, e volontà nostra espressa, volendo, e decretando, che il presente nostro Chirografo da ammettersi, e registrarsi in Camera alla forma delle Costituzioni Apostoliche vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore, e non possa mai opporseli d'obrezione, subrezione, o difetto della nostra volontà, ed intenzione, nè di qualsivoglia altro vizio, o difetto sostanziale, e formale, o di nullità per qualsivoglia capo, nè possa mai essere rivocato, o ridotto *ad viam Juris*, ma debba sempre, irrevocabilmente osservarsi dalla nostra Camera, e suoi Ministri, e così debba sempre giudicarsi da qualsivoglia Giudice, e Tribunale nessuno escluso, togliendo noi a tutti, ed ad ogn'uno di essi la facoltà, ed autorità di risolvere, decidere, e giudicare in contrario, irritando, ed annullando tutto ciò, che in qualsivoglia modo si risolvesse, decidesse, o giudicasse in contrario, ancorchè non siano stati sentiti il Commissario della nostra Camera, i Ministri del Monte Religione vacabile, e suo Depositario, ed ogn'altro, che in qualunque modo ne avesse, o potesse avere interesse, non ostante l' Erezione del Monte Religione vacabile, l'assegnamento di detti scudi settantamila quattrocento settantadue dell'Entrate sudette per il pagamento de' suoi frutti, le Costituzioni di Simmaco, Gregorio IX., Alessandro VI., Paolo II., e Paolo IV., ed altri Pontefici nostri predecessori *de rebus Cameræ non alienandis*, la Regola *de jure quæsito non tollendo*, e qualsivoglia altra Costituzione, ed Ordinazione Apostolica nostra, e de' nostri Antecessori, qualunque Decreto, statuto, uso, stile, e consuetudine; è qualsivoglia altra cosa; che in qualunque modo facesse in contrario, alle quali tutte, e singole cose, avendo il loro tenore qui per espresso, per questa sola volta, ed a quest' effetto deroghiamo. Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo di 28. Gennaro 1690. - Alexander Papa Octavus.

Obliga la Camera à pagare al detto Monte li frutti restituiti.

Clausole.

§. 3. Hinc est, quod nos firmiori præmissorum robori, & efficaciæ nostras literas, quas sub plumbo expeditum iri in nostris concessionibus prædicti Vice-Cancellariatus Officii dicto Petro Cardinali, ut præfertur, factæ literis innuimus, seu significavimus providere volentes, ac Motus proprii; & Chirographi prædictorum ejusdem Innocentii prædecessoris tenores, & datas, etiam veriores, aliaque quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, ac exactissime specificatis habentes, Motu simili, & ex certa scientia, & matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertum Votum dictæ Congregationis, & Chirographum nostrum subinde in plena Camera die trigesima Januarii currentis Anni exhibitum, & die decima Februarii ejusdem Anni admissum, & registratum cum omnibus, & singulis in eis contentis, & inde secutis quibuscumque, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac nos rata, grataque habere declaramus, illique inviolabilis, & Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, necnon Decretorum etiam Cameralium, & Consistorialium, & Cameræ, & Cancellariæ, & Summistatus Officiorum hujusmodi, aliorumque quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratorum, statutorum, & consuetudinum, præscripto, ac de stylo, & usu, seu alias quomodolibet in similibus, & de necessitate observandarum, & alios quoscumque, etiam quantumvis magnos, & formales, ac substantiales, & inexcogitatos, quam inexcogitabiles defectus, etiamsi tales sint, ut nonnisi facta eorum specifica mentione sanari possint, si qui in eisdem præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, antecedenter, concomitanter, vel subsequenter, seu alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi posset plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, perimimus, & abolemus.

Confirmatio relati Voti, & Chirographi.

Omnes defectus supplentur.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque Ministri, & Officiales dictæ Cameræ nostræ Apostolicæ, & alii cujuscumque gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua expressione digni in eisdem præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanaverint adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, & ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, alioque quomodolibet, & quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, gratiæ, vel Justitiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu,

Clausulæ.

tu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, ſed eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri; & obtinere, ac eiſdem Petro Cardinali, ejuſque in Vice-Cancellarii, & Summatoris Officiis ſucceſſoribus in omnibus, & per omnia pleniſſime, & validiſſime ſuffragari.

§. 5. Sicque, & non aliter in omnibus, & ſingulis præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Nuncios; necnon cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Camerarium, necnon prædictæ Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Præſidentes, Theſaurarium Generalem, Commiſſarium, & alios Officiales, cæteroſque quoſcumque, etiam quavis auctoritate, poteſtate, & præeminentia fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obſtantibus prædicto dicti Innocentii prædeceſſoris Chirographo, necnon quatenus opus ſit de jure quæſito non tollendo, aliiſque Juris, & dictæ Cancellariæ Regulis, & piæ mem. Simmachi, Gregorii IX., Alexandri VI., Pauli II., & Pauli IV., & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ, Cameræ, & Sedis hujuſmodi non alienandis, & alienatis recuperandis, & ſa. mem. Pii PP., etiam Quarti ſimiliter prædeceſſoris noſtri de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera infra certum tunc expreſſum tempus exhibendis, & regiſtrandis, itaut præſentes literas ibidem exhiberi, & regiſtrari numquam neceſſe ſit, aliiſque quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Univerſalibus, & Generalibus Conciliis editis, vel edendis ſpecialibus, vel generalibus, ac Cancellariæ, & Cameræ prædictarum, aliiſque quibuſcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, & Decretis Cameralibus, & Conſiſtorialibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Cameræ, & Cancellariæ prædictis, ejuſque Collegiis, eorumque Miniſtris, & Officialibus, aliiſque perſonis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam Conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium eorumdem præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma adhoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & insererentur eiſdem, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum eſſe volumus, eaque omnia, quæ eiſdem præmiſſis obeſſe, aut eorum executionem, & effectum retardare poſſent, omnino tollimus, & abrogamus, & pro ſublatis, & abrogatis haberi volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

XI.

Confirmantur quædam Decreta Capituli Generalis Minorum Conventualium.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 5. Ap 1690. An

Exordiu

IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio conſtituti ea, quæ pro ſalubri eorum, qui Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipati ſunt, directione, ac felici gubernio provide prudenterque conſtituta ſunt; ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio, cum id a nobis petitur libenter roboramus.

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joſeph Maria Bottari Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis menſe Majo proxime præterito in Alma Urbe noſtra celebrato edita, facta fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet:

§. 2. *Decreta noviter edita a Diffinitorio Generali Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci Romæ celebrato ſub die 29. Maji 1689. in Conventu Sanctorum duodecim Apoſtolorum.*

De Reſi tia Rege tum, Le rum, Co gialium, Studenti

§. 3. Decernitur, & ſtatuitur, quod tam Regentes, quam Lectores, Collegiales, & ſtudentes ſemper in propriis Gymnaſiis reſidere teneantur, nec unquam quacumque occaſione; ſeu prætextu ab ipſis ſtudiis, & Lectionibus diſcedere & deficere eis liceat abſque evidenti neceſſitate, ſeu legitima cauſa a ſolo Miniſtro Generali cognoſcenda, cui ſoli liceat concedere etiam per modicum tempus, donec tantum urgeat neceſſitas extra propriam reſidentiam morari, & non alteri cujuſcumque gradus, & ſuperioritatis fuerint, excepto tamen tempore Quadrageſimæ, & illarum tantum feriarum, quæ a Sacr. Conſtit. Ordinis conceduntur, qui ſecus fecerint, in privationem ſuorum officiorum, & ſtudiorum ipſo facto incurrant abſque alia declaratione, nec poſſint ſub eiſdem pœnis Provinciales Miniſtri, & Superiores Conventuum prædictos Regentes, Lectores, & ſtudentes quavis cauſa a reſidentia, & exercitiis Scholaſticis diſtrahere, aut diſpenſare, imo ſuo muneri deficientes, ſevere corripere, & punire teneantur, ac etiamſi correctionibus non paruerint, a ſtudiis rejicere, Miniſtro tamen Generali conſulto.

De titulo tris Prov ciæ.

§. 4. Quod non promoveantur, nec acceptentur ad Paternitatem Provinciæ, ſive ex munere Regentiæ, ſive Prædicationis, qui curſum non compleverint a Sac. Ord. Conſtit., & aliis Pontificiis ſanctionibus præſcriptum, & reſpective a Decretis alias emanatis a Generali Diffinitorio, ita quod ad eamdem paternitatem Provinciæ obtinendam, valeant ſuffragare ſolum illæ Regentiæ, & Lectura, & ſic pariter illa exercitia concionum Quadrageſimalium laudabiliter completa in illis tantum Civitatibus, & Locis, & per integrum tempus annorum, prout ab ipſis Conſtitutionibus, Decretis Pontificiis, ſeu aliis Generalis Diffinitorii præſcribitur, nec aliter liceat Miniſtro Generali pro tempore, ſeu per literas patentales, ſeu quocumque alio modo Patres Provinciæ inſtituere, aut declarare, & quæcumque inſtitutio contra prædictas Sanctiones quomodolibet facta, in poſterum invalida, & nulla ſit, & illegitime inſtituta, etiamſi a Diffinitorio

Provin-

Provinciæ acceptarentur: totum sit irritum, & inane, nec ullo Paternitatis, Provinciæ titulo, aut privilegio gaudeat.

§. 5. Ministri Provinciales quarumcumque Provinciarum, necnon Custos Sac. Conventus Assisiensis nullo modo ad habitum Religionis quemlibet alterius Provinciæ admittere audeant, nisi prius accedat consensus in scriptis, & beneplacitum Procuratoris Provincialis nativæ Provinciæ, alias acceptatio nulla sit, & invalida, & transgredientes privationem suorum officiorum incurrant.

§. 6. Ad Lauream Magistralem nemo possit admitti, nisi juxta formam Constitut. Ordinis, prævio Collegio, ubi laudabiliter in omnibus Scholasticis exercitiis profecerit, publicas Theologicas Theses egregie sustinendo, & privatis conferentiis in Scholis, & Lectionibus assidue per totum triennium se exercendo, de quibus omnibus juratam fidem in scriptis Superiorum Localium, & suorum Regentum obtinere teneantur, sine qua nequeant a Ministro Generali Lauream obtinere, qui Superiores, & Regentes caute, & secundum conscientiam procedant, & tales fides negligentibus, qui in studiis non profecerint, denegare teneantur, sub pœnis Ministri Generalis arbitrio reservatis, etiam privationis officiorum, ita pariter nemo valeat ad Collegia vocari, nec admitti, nisi prius publice Theologiæ Theses laudabiliter sustinuerint, fidemque juratam Superiorum, & Regentum illorum studiorum, ubi fuerint morati, exhibeant, a Ministro Generali diligenter examinandam, sine qua nequeat Generalis Minister ullum ad Collegium admittere: sicut pariter neminem possit Collegialis gradu condecorare, nisi prius a pluribus Examinatoribus coram Eminentissimo, & Reverendissimo Protectore Ordinis, & ipso Generali Ministro fuerit in tota Philosophia, & saltem duobus tractatibus Theologiæ diligenter examinatus, & tali gradu dignus judicatus, ipso Ordinis Protectore consulto. Sicut etiam nemo ex Ultramontanis, & Ultramarinis Provinciis ad Lauream Magistralem possit admitti, nisi servata forma privilegiorum Summorum Pontificum prævio rigoroso examine, & propriæ Provinciæ Diffinitorio annuente.

§. 7. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joseph Maria Minister Generalis Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Josepho Mariæ gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac audita super præmissis Venerabilis Fratris nostri Flavii Episcopi Albanen. S. R. E. Cardinalis Chisii nuncupati memorati Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris relatione, Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 8. Decernentes præinserta Decreta, ac easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 5. April. MDCXC., Pontificatus nostri anno Primo.

XII.

Erigitur Oppidum de Nankim Machaonen. Diœcesis in Civitatem, ejusque Ecclesia in Cathedralem, & Regi Portugalliæ juspatronatus, & præsentandi conceditur.

Similis erectio extat Inn. XI. Const. ed. 1677., Septem. 29., P. 2. Et hujus Pontif. Constitutione sequenti.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 16. Apr. 1690. An. 1.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus pontifex Beati Petri Cælestis Regni Clavigeri successor, Christique Vicarius cuncta mundi climata, omniumque Nationum in illis degentium qualitates considerat, ac ratione discutit, & examinat diligenter, propterea ex officii sui debito salutem omnium quærens, & appetens, ea suadentibus moribus, & causis perpetua deliberatione disponit, & ordinat, quæ divinæ Majestati grata fore considerat, & quibus oves suæ curæ divinitus creditæ ad Dominicum ovile conducantur, eisdem, scilicet æternæ salutis pollicito præmio. Nihil igitur certius, & acceptius Divinæ Majestati esse censetur, quam ut Catholicæ fidei veritas ad laudem, & gloriam divini Nominis in omnibus terræ partibus suscipiat incrementa.

Causæ d. Erectionis.

§. 1. Sane cum Charissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris accepisset in parte Australi Regni Sinarum opera, & Ministerio variorum Religiosorum, & aliorum doctrina insignium, & vitæ approbatorum virorum præcipua solicitudine, & industria laborantium infinitas propemodum gentes, abjectis inde Satanæ tenebris, ac Idololatriæ, & Gentilitatis, hæresumque erroribus ad Catholicam Christi Fidem, & Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium amabilissimum conversas reperiri, eisque rationibus Religio Christiana in illis partibus, & Diœces. &c. Ecclesiæ Machaonen., quæ de Jurepatronatus Regum Portugalliæ ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, sic longe, lateque propagata sit, ut Episcopus Machaonen. pro tempore

Ecclesia Machaonen. est de jurepatronatus Regis Portugalliæ.

Marginal notes (left, partly cut off): ...eceptio... Habi-; ...Laurea ...istrali, & ...u Colle-s.; ...ces Mini- ...Genera-; ...nfirmatio ...torum ...cretorum.; ...ausulæ.

existens ad illam, ejusque fines ob locorum distantiam transmeare, & singulorum cultus, ut Episcopum decet inspicere, aliasque partes boni Pastoris in universum exercere nequeat; quodque illius Incolæ, & habitatores proprio noscebantur Pastore indigere, qui præsentia sua, ac divino cooperante Spiritu Pontificalia omnia in illis Partibus exercere posset, & deberet; cumque in ea parte adsit inter cætera unum Oppidum de Nankim nuncupatum amplitudine, fertilitate, & commerciorum frequentia celebre in d. Oppido de Nankim una Ecclesia Beatæ Virgini dicata altera inibi existente major, & principalis, cui ejusdem Regis Lusitani Missionarii inserviunt, & in qua Missæ, & alia Divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur, jampridem erecta, & fundata existat, cum Sacrario ad Divinum Cultum sufficienter instructo. Propatereaque dictum Oppidum de Nankim a Diœcesi Machaonen. dismembrari, & in Civitatem, dictamque Ecclesiam B. Virginis in Cathedralem erigi, & in ea Catholicum Antistitem, & Pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsa Fide confirmare, & majora Seminaria plantare, Dominicique Ovilis septa ædificare, cæteraque Pontificalia omnia in illis partibus exercere poterit, & debeat, omnino expediret, devotionis suæ zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per ejus literas humiliter supplicasset:

Preces Regis Portugalliæ.

§. 2. Idcirco nos matura super his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propaganda fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatæ, cui negotium dismembrationis, & erectionis hujusmodi discutien. a nobis remissum fuerat., habita deliberatione Oppidum prædictum de Nankim Episcopali, & Civili titulo dignum judicantes piisque dicti Petri Regis Votis libenter annuentes de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium consilio, & assensu, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Oppidum de Nankim prædictum ab ordinaria Jurisdictione Episcopi Machaonen., Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus, illudque, ac ejus Clerum, & populum, quoad legem Diœcesanam ab Episcopi Machaonen. superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus, ac Oppidum de Nankim prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium Nomine, titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem, quæ de Nankim denominetur, & in eo dictam Ecclesiam Beatæ Virgini dicatam in Cathedralem Ecclesiam sub invocatione ejusdem Beatæ Virginis pro uno Episcopo de Nankim nuncupando, qui illi præsit, ac Ecclesiam ipsam ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat, necnon in ea, & dictæ Civitatis, ac ejusdem Ecclesiæ Diœcef. tot dignitates, Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quot inibi Divino cultui, & dictæ Ecclesiæ servitio, ac Ecclesiastici Cleri decori sibi videbuntur convenire de prædicti Petri, & pro tempore existentis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Consilio, & assensu, ac prævia eorum congrua dotatione quamprimum fieri poterit, erigat, & instituat; necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ Ordinis, quæque jurisdictionis, & cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ alii tam in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Dominis, quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus de jure, & consuetudine, vel alias quomodolibet ex privilegiis, gratiis, & Indultis, ac dispensationibus Apostolicis quæcumque fuerint, etiam per alias Apostolicas eis desuper nominatim, & in specie concessas, auctoritate, & facultate suffulti facere, & quibus uti solent, & possunt pariformiter æque principaliter, & absque ulla prorsus differentia, perinde ac si sibi quoque nominatim, & in specie concessa, & expressa fuissent, etiamsi talia sint, quæ specialem notam, & mentionem requirant, & sub generali concessione non veniant, in sua Diœcesi de Nankim facere, gerere, & exercere libere, & licite possit, & debeat, ac pro tempore existenti Archiepiscopo Goan. Jure Metropolitico, prout ante separationem, & dismembrationem hujusmodi existebat, subsit cum Sede, & Mensa, aliisque Insigniis Episcopalibus, necnon præeminentiis, & honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ Cathedrales Ecclesiæ Regnorum, & Dominiorum prædictorum similiter de jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu Indulto Apostolico, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium etiam perpetuo erigimus, & instituimus.

Dismembratio d. Oppidi DiœcesisMachaonen.

Ejus erectio inCivitatem, & Ecclesiæ B M. V. in Cathedralem.

Institutio Episcopatus ad instar aliorum cum subjectione Archiepis. Goan.

§. 3. Ac eidem sic erectæ Ecclesiæ Oppidum de Nankim sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & Districtus dictæ Diœcesis Machaonen. juxta divisionem per eumdem Regem, vel Machaonen., ac de Nankim, & de Pekim similiter in Civitatem erigendi Episcopos de ejusdem Regis commissione inter se faciendi pro Diœcesi, necnon Ecclesiasticas pro Clero, & Sæculares personas in Civitate, & Diœcesi hujusmodi pro tempore degentes pro populo, de consilio, potestate, & auctoritate similibus etiam perpetuo concedimus, & assignamus, Civitatemque, Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo de Nankim quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Goan. pro tempore existenti, quoad Metropoliticam, ordinariam jurisdictionem, & superioritatem de dictorum Fratrum consilio, & potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo subjicimus.

Termini Diœcesis Episcopat…

§. 4. Necnon Mensæ Episcopali de Nankim hujusmodi pro ejus dote redditus annuos quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ, quadringentos ducatos auri de Camera constituentium per ipsum Petrus Regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus Rex de suis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum hujusmodi bonis gratiose, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit ex tunc, prout ex ea die, & ex nunc postquam assignati fuerint, ut præfertur similiter perpetuo applicamus, & approbamus.

Mensæ…

§. 5. Et insuper Petro Regi, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus prædictis Juspatronatus, & præsentandi ad dictam Ecclesiam Nankim videlicet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici infra annum ob locorum distantiam tam hac prima vice, quam quoties illa deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi in ejusdem Ecclesiæ de Nankim Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficiendo; ad majorem vero post Pontificalem, ac principales, ac alias dignitates, Canonicatus, & Præbendas, necnon Beneficia erigenda cum de Petri Regis, & pro tempore existentium Regum hujusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primæva erectione, quam ex tunc deinceps

Regibus …tugalliæ …vatur jus… & præse… di ad Ep… patum, … dignitat… beneficia…

quoties

quoties illa quibusvis modis, ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, Episcopo de Nankim pro tempore existenti prædicto infra terminum a Jure præscriptum similiter per eum ad præsentationem prædicti Petri Regis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis instituendis, etiam eadem auctoritate pariter reservamus, & concedimus.

Clausulæ tituli d. jurispatronatus.

§. 6. Decernentes Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi Petro, & pro tempore existentibus Regibus prædictis ex meris fundationibus, & dotationibus competere illique etiam per Sedem eandem etiam consistorialiter, quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri, & pro tempore existentium Regum prædictorum ad id expressus accedat assensus; & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutis, nullius roboris, efficaciæ, & momenti fore.

§. 7. Sicque per quoscumque Judices etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Lateranen. Concilii novissime celebrati ab Ecclesiis membra distingui, & dividi prohibentis, ac Regula nostra de non tollendo Jure quæsito, & unionibus committendis, ac valore exprimendo quatenus opus sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, applicationis, appropriationis, reservationis, Decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, Quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

XIII.

Erigitur Oppidum de Pekim Machaonen. Diœc. in Civitatem, ejusque Ecclesia in Cathedralem, & Regi Portugalliæ juspatronatus, & præsentandi conceditur.

Similem erectionem habes Constitutione præcedenti. Et dismembrationem quarumdam Provinciarum in eodem Regno Sinarum Innoc. XII. Constit. ed. 1694. Maji , P. 3. Inn. XII. Const. ed. 1696. Octob. 15. P. 6.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Dat. 10. Apr. 1690. An. 1.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

ROmani Pontificis Pastoralis solicitudo in supremo Apostolicæ potestatis solio ex omnipotentis Dei providentia constituta ad ea potissimum dirigitur, per quæ Salvatoris nostri Jesu Christi æterni Patris Unigeniti fides, & gloria in dies magis magisque augetur, & multiplicatur, qui ubi messem multam esse comperit, operariorum penuriam attendens, & ministrorum suorum curas variis diei horis ad opera mittere non destitit; cum & ipse, ut homines salutaris vitæ, & Cælestis Patriæ cultores efficeret, de summis Cælorum ad hujus mundi infima, & in Sacrosanctæ Crucis Ara pro nostra salute in pretium immolari dignatus sit, cujus cum licet immeriti vices geramus in terris inter multiplices curas, quæ ex Apostolico munere Nobis incumbere dignoscimus, illa præsertim cordi nostro est, ut multiplicata messe, & Agri Dominici cultores multiplicentur, quorum assiduis operibus, & fructuosis ministeriis fructus spiritualis ad centesimum usque augeatur, & Populus Christianus eisdem Rectoribus gubernetur, quos pater æternus sui operis ministros esse disposuit. Propterea piissimi Patris familias partes favorabiliter implere curamus.

Causæ d. Erectionis.

§. 1. Sane cum charissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris pio præponderans affectu, quod in toto vastissimo Imperio Sinarum, in quo infinitæ propemodum Gentes ad cognitionem veri luminis & Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium accesserunt; unica tantum Ecclesia Cathedralis Machaonen., quæ de Jure patronatus dicti Regis ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, reperiatur, cujus Episcopus ob locorum distantiam singulorum vultus inspicere, aliasque partes boni Pastoris in Universum exercere nequiret, attendens, quod in eodem Imperio etiam reperirentur inter cætera unum Oppidum de Pekim nuncupatum Incolarum multitudine, præsertim Christifidelium, ac militum, ac magistratuum numero copiose refertum, & ad quod ex omni parte Regni Sinarum pars maxima, & fere totius Imperii divitiæ confluunt, & merces undequaque advehuntur, & in dicto Oppido una Ecclesia Beatæ Virgini dicata, aliis inibi existentibus, major, & principalis, cui Missionarii ejusdem Lusitani Regis inserviunt, & in qua missæ, & alia Divina Officia celebrantur, & Ecclesiastica Sacramenta administrantur jam pridem erecta, & fundata existeret cum Sacrario ad Divinum cultum sufficienter instructo; Proptereaque dictum Oppidum de Pekim a Diœcesi Machaonen. dismembrari, & in Civitatem, dictamque Ecclesiam Beatæ Virginis in Cathedralem erigi, & in ea Catholicum Antistitem, & Pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsa fide confirmare, & majora Seminaria plantare, Dominicique ovilis septa ædificare, cæteraque Pontificalia omnia in illis partibus exercere possit, & debeat omnino expediret, devotionis suæ zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per ejus literas humiliter supplicasset.

Preces Regis Portugalliæ.

§. 2. Idcirco nos matura super his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propaganda Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatæ, cui negotium dismembrationis, & erectionis hujusmodi discutiendum a Nobis remissum fuerat, habita deliberatione Oppidum prædictum de Pekim Episcopali, & Ci-

Dismembratio d. Oppidi a Diœcesi Machaonen.

Ejus Erectio in Civitatem, & Ecclesiæ B. M. V. in Cathedralem.

vili titulo dignum judicantes, piis d. Petri Regis votis libenter annuentes de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Oppidum de Pekim prædictum ab Ordinaria Jurisdictione Episcopi Machaonen. Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus, illudque, ac ejus Clerum, & Populum quo ad legem Diœcesanam ab Episcopi Machaonen. superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus, ac Oppidum de Pekim prædictum Civitatis, illiusque Incolas civium nomine, & titulo, ac honore decoramus, illudque in Civitatem, quæ de Pekim denominetur, & in eo dictam Ecclesiam Beatæ Virgini dicatam in Cathedralem Ecclesiam sub invocatione ejusdem Beatæ Virginis pro uno Episcopo de Pekim nuncupando, qui illi præsit, ac Ecclesiam ipsam ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat, necnon in ea, & dictæ Civitatis, ac ejusdem Ecclesiæ Diœc. tot dignitates, Canonicatus, & præbendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quod inibi divino cultui, & dictæ Ecclesiæ servitio, ac Ecclesiastici Clerici decori sibi videbuntur convenire de prædicti Petri, & pro tempore existentis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis consilio, & assensu, ac prævia eorum congrua dotatione quamprimum fieri poterit erigat, & instituat.

Institutio Episcopatus ad instar aliorum cum subjectione Archiepisc. Goan.

§. 3. Necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ Ordinis, quæque Jurisdictionis, & cujuslibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quæ aliis tam in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Dominiis, quam alibicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus de Jure, vel consuetudine, vel alias quomodolibet ex privilegiis, gratiis, & Indultis, & dispensationibus Apostolicis quæcumque fuerint, etiam per literas Apostolicas eis desuper nominatim, & in specie concessas, auctoritate, & facultate suffulti facere, & quibus uti solent, & possunt pariformiter, æque principaliter, & absque ulla prorsus differentia perinde, ac si sibi quoque nominatim, & in specie concessa, & expressa fuissent, etiamsi talia sint, quæ specialem notitiam, & mentionem requirant, & sub generali concessione non veniant, in sua Diœcesi de Pekim facere, gerere, & exercere libere, & licite possit, & pro tempore existenti Archiepiscopo Goan. Jure Metropolitico, prout ante separationem, & dismembrationem hujusmodi existebat, subsit cum sede, & mensa, aliisque insigniis Episcopalibus, necnon præeminentiis, & honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ Cathedrales Ecclesiæ Regnorum, & Dominiorum prædictorum similiter de Jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu Indulto Apostolico, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Termini Diœcesis d. Episcopatus.

§. 4. Ac eidem sic erectæ Ecclesiæ Oppidum de Pekim sic in Civitatem erectum pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus dictæ Diœcesis Machaonen., juxta divisionem per eundem Regem, vel per Machaonen., ac de Pekim, & de Nankim similiter in Civitatem erigendam Episcopos de ejusdem Regis commissione inter se faciendam pro Diœcesi, necnon Ecclesias pro Clero, & sæculares Personas in Civitate, & Diœcesi hujusmodi pro tempore degentes pro Populo de consilio, potestate, & auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus, & assignamus; Civitatemque, Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo de Pekim quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Goan. pro tempore existenti, quoad Metropoliticam, Ordinariam Jurisdictionem, & superioritatem de dictorum fratrum consilio, & potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo subjicimus.

Mensæ D[...]

§. 5. Necnon mensa Episcopali de Pekim hujusmodi pro ejus Dote, & redditus annuos quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ quadringentos Ducatos auri de Camera constituentium per ipsum Petrum Regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus Rex de suis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum hujusmodi bonis gratiose, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & obtulit, & solvere quotannis promisit, seu promittit ex tunc prout ex ea die, & ex nunc postquam assignati fuerint, ut præfertur similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Regibus [...]tugalliæ [...]vatur jus[...] & præsen[...] d. ad Ep[...]patum, [...] dignitate[...] beneficia[...]

§. 6. Et insuper Petro Regi, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus prædictis Juspatronatus, & præsentandi ad dictam Ecclesiam de Pekim videlicet Nobis, & pro tempore existenti Rom. Pontifici infra annum ob locorum distantiam tam hac prima vice, quam quoties illa deinceps quovis modo, etiam apud Sedem Apost. vacare contigerit, per nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem hujusmodi in ejusdem Ecclesiæ de Pekim Episcopum, & Pastorem ad præsentationem hujusmodi, & non alias præficien. Ad majorem vero post Pontificalem, ac principales, & alias Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas, necnon Beneficia erigenda, cum de Petri Regis, & pro tempore existentium Regum hujusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primæva erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, Episcopo de Pekim pro tempore existenti prædicto infra triennium a jure præfixum similiter per eum ad præsentationem Petri Regis, & pro tempore existentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum in ipsis dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis instituendis, eadem auctoritate pariter perpetuo reservamus, & concedimus.

Clausul[a] Tituli ju[s]patrona[tus]

§. 7. Decernentes Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi Petro, & pro tempore existentibus Regibus prædictis, ex meris fundationibus, & dotationibus competere, illique etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri, & pro tempore existentium Regum prædictorum ad id expressus accedat assensus, & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutis, nullius roboris, efficaciæ, & momenti fore.

§. 8. Sicque per quoscumque Judices, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus Lateranen. Concilii novissime celebrati ab Ecclesiis membra distingui, & dividi prohibentis, ac Regula nostra de non tollendo Jure quæsito, & unionibus committendis, ac valore exprimendo quatenus opus sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu

quævis

quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus; contrariis quibuscumque.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, applicationis, approbationis, reservationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, Quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Extenditur in perpetuum Indulgentia Stationum Urbis ab Innocentio XI. Confraternitatibus Beatæ Mariæ de Mercede Redemption. Captiv. ad decennium concessæ.

Aliæ Indulgentiæ harum Confraternitatum extant Inn. XI. Const. ed. 1678. Decem. 25. P. 3. Et Clement. XI. Const. ed. 1703. Jun. 23. P. 3.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias per fel. rec. Innocentium PP. XI. prædecessorem nostrum accepto, quod nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri tunc sui Confraternitatibus, seu Congregationibus Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, seu alicui ex Domibus Regularibus ejusdem Ordinis aggregatis, illarumque Confratribus, & Consororibus Christifidelium sub duro Barbarorum jugo languentium libertati sedulo incumbentibus quamplures Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, non tamen infrascriptas misericorditer in Domino concesserant: Idem Innocentius prædecessor eosdem Confratres, & Consorores ad pietatis, & Christianæ charitatis erga illos, qui dura immanium Christiani nominis hostium servitute opprimuntur, exercenda opera uberiorum, eisque hactenus non concessarum spiritualium gratiarum elargitione incitare cupiens, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, supplicationibus quoque dilecti filii Bartholomæi de Ribero Ordinis præfati Vicarii, & Procuratoris Generalis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum canonice eo usque erectarum, & in futurum erigendarum personis utriusque sexus, quæ aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, aut suarum respective Confraternitatum Ecclesias, seu Oratoria in diebus Stationum Ecclesiarum Almæ Urbis nostræ tunc suæ, prout in Missali Romano exprimuntur devote visitassent, & ibidem pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon Captivorum præfatorum liberatione, eorumque perpetua perseverantia in Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei professione pias ad Deum preces effudissent, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequerentur, quas consecutæ fuissent, si easdem Ecclesias Urbis ad id deputatas in diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitassent concessit, & indulsit, & alias prout in ejusdem Innocentii prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 12. Februarii 1688. expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluit, & quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenius continetur. Nunc autem nos ad peramplius augendam eorumdem Confratrum, & Consororum religionem, & animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac aliquod paternæ nostræ erga Ordinem præfatum, cujus nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Protectores Apostolica auctoritate deputati eramus, benevolentiæ monumentum extare cupientes, supplicationibus ejusdem Bartholomæi Vicarii, & Procuratoris Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem Indulgentiarum, & peccatorum remissionem, ac pœnitentiarum relaxationem Confratribus, & Consororibus supradictis præmissa peragentibus, a memorato Innocentio prædecessore ad decennium factam, ut præfertur in perpetuum, servata cæteroqui earumdem Innocentii prædecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus. Causæ Extensionis. Preces Procuratoris Gen. Extensio præfatæ Indulg.

§. 1. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ idem Innocentius prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XV. Aprilis MDCXC., Pontificatus Nostri Anno Primo.

XV.

Communicantur Privilegia, & Indulgentiæ cæterorum Regularium Ordini B. M. de Mercede Redemp. Captiv.

Aliud privilegium vid. Clem. X. Const. ed. 1675. Jul. 19. Pont. 6. Indulgentias vero Clem. X. Constit. ed. 1673. Decem. 29. Pont. 4. & Clem. XI. Constit. ed. 1717. Aug. 4. Pont. 17.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 28. Julii 1690. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili æternæ Sapientiæ arcano Speculatores Domus Israel, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, Religiosos ordines in Ecclesia Dei pie, sancteque plantatos, ac uberes bonorum operum fructus proferre jugiter satagentes, favoribus, & gratiis, quibus possumus, amplissimis libenter prosequimur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Bartholomæus de Ribero Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres, & Religiosi ejusdem Ordinis in Captivorum Redemptione, gravissima quæque discrimina, & pericula ad id subeunda, indefesse occupantur, & ut tam pium opus eo alacrius continuent, ac utilius exequantur, plurimum cupiant aliarum Religionum, & Ordinum gratias, & privilegia hactenus a Sede Apostolica Causa d. Communicationis.

concessa, dicto eorum Ordini, illiusque Fratribus, & locis per Nos, & Sedem eamdem concedi, & communicari. Nobis propterea idem Bartholomæus Vicarius, & Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gener.

§. 2. Nos igitur memoratum Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede, cujus nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Protectores Apostolica auctoritate deputati eramus, propenso Apostolicæ charitatis studio complectentes, ipsumque Bartholomæum Vicarium, & Procuratorem Generalem, & singulares Ordinis hujusmodi personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eidem Ordini Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, & Regularibus locis sub illo comprehensis, necnon Magistro Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessori, Superioribusque Provincialibus, & Conventualibus, aliisque cujuscumque nominis Officialibus Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in eo professis, Fratribus pro tempore ad Captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus personis Regularibus, Novitiis, Conversis, Donatis, Oblatis, Ministris, famulis, cunctisque tam Officiariis, quam domesticis, & eorum Domibus inservientibus, & cæteris dicti Ordinis, ac illius Domorum, & Regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis, ac Christifidelibus illorum Ecclesias, seu Cappellas pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, Indulgentiis, aliisque prærogativis, & gratiis universis, & singulis tam spiritualibus, quam temporalibus, singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac personis, tam Canonicorum, quam Clericorum Regularium ubivis existentium institutis, & non solum Ordinibus Monasticis, sed etiam Regularibus Mendicantium, & non Mendicantium, tam pro redimendis Captivis, quam alias quomodolibet Ordini SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, necnon omnibus, & quibuscumque Congregationibus Regularibus, & præcipue Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, & Canonicorum Congregationis Lateranensis, Sanctissimi Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentiæ, & Sanctæ Crucis Colimbriæ, Clericorum Regularium de Somasca, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum Piarum, ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Casinensi, aliisque Monachis & Monasteriis Sancti Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui B. Mariæ de Guadalupæ, necnon Societatis Jesu, ipsisque Carthusiensium, Præmonstratentium, & Reformatorum Cistercensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque familiis, & Societatibus Regularibus, militiis, Hospitalibus quibuscumque, & piis locis Regularibus, ac quibuscumque personis nunc, & pro tempore existentibus prædictorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, & Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, necnon ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis prædictæ Nuncios, vel etiam tam Apostolica prædicta, quam Ordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritatibus respective, aut alias quomodolibet quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter, tam per modum Communicationis, & ampliationis, quam simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniant, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instar, sed speciatim, & nominatim pariformiter, & æque principaliter in omnibus, ac per omnia absque ulla prorsus differentia, perinde ac si illa dicto Ordini B. Mariæ de Mercede, illiusque Capitulis Generalibus, Magistro Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis prædictis, specialiter, expresse, & nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant: ita quod omnes, & singuli dicti Ordinis B. Mariæ de Mercede, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, & Ministri quocumque nomine appellati, eosque favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regularium, & familiarum Generales, Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores Conventuales, aut Claustrales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocumque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter, ut supra habeant; fratresque, & Personæ Regulares dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Magistri Generales, Superiores, Ministri, & cæteri alii cujuscumque appellationis præpositi, & Præfecti in dicto Ordine B. Mariæ de Mercede expresse professi, & in ejus gremio, & observantia viventes Fratres, & personas Regulares dicti Ordinis B. Mariæ de Mercede cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum hujusmodi perpetuo secundum observantiam Regularem, & Canonicum Institutum dicti eorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede regere, & gubernare, & respective visitare valeant, neque dictus Ordo B. Mariæ de Mercede super prædictis omnibus, & singulis a quoquam quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut alias quomodolibet in Judicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

Communicatio dd. Privilegiorum, & Indulgentiarum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper, & perpetuo, tanquam ad Divini cultus, & bonorum operum augmentum, & Religionis propagationem tendentes, validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & in-

Clau[...]

tegros

tegros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore, quovis prætextu, occasione, vel causa recedi, aut resiliri, easdemque præsentes sub quibusvis similium, aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, & etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes sedemque prædictam sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tempore factis minime comprehendi, vel confundi, sed semper, & perpetuo ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam, sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, & fore; ipsique Ordini Beatæ Mariæ de Mercede suffragari.

§. 4. Sicque, & non alias per quoscumque Judices etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios, judicari, & diffiniri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in synodalibus, provincialibusque, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Regularium Domorum, locorum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis illi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quod ipsarum præsentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obsignatis stetur, eademque prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXI. Julii MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XVI.

Extenditur senarius numerus Magistrorum ad duodenarium in Quiten. Provincia Eremitarum S. Augustini.

Similis extensio pro Provincia Bætica extat Const. ed. 1690., Jan. 21. Pont. 1. Et Provincia Mexicana Inn. XII. Const. ed. 1692. Sept. 28. Pont. 3.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 31. Julii 1690. An. 1.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Philippus de Zamora frater expresse professus, & Procurator Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Sacra Theologia præsentatus, quod cum in proximo præterito Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1685. celebrato pro eadem Provincia sancitum fuerit, ut ad illam omnia Decreta, quæ pro cæteris Indiarum Occidentalium Provinciis dicti Ordinis edita fuerant extendenda essent; in eodem vero Capitulo Generali inter cætera pro Mexicana Provincia ejusdem Ordinis decretum fuerit, quod senarius Magistrorum numerus usque ad duodenarium extenderetur, si tamen desuper hujus Sanctæ Sedis facultas accederet, ipse Philippus Procurator plurimum expedire existimat, ut non obstan. quibusdam fel. rec. Clementis PP. VIII. prædecessoris nostri in simili forma Brevis literis super senario in omnibus fere Indiarum Provinciis præfatis Magistrorum numero non excedendo emanatis, quæ incipiunt, *Admonet nos &c.* duodenarius Magistrorum hujusmodi numerus pro dicta Provincia Quitensi a nobis statuatur, ita tamen, ut quo ad promovendos ad Magisterii gradum hujusmodi postulatio a Diffinitorio facienda indispensabiliter requiratur, ac quædam Constitutio rec. mem. Innocentii PP. XI. prædecessoris pariter nostri, quæ incipit, *In suprema &c.* pro eadem Provincia die 17. Martii 1679. edita sub numeris 27., & 28. omnino servetur Nobis propterea dictus Philippus Procurator, etiam nomine dictæ Provinciæ humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Id Decretum fuerat i Capitulo Generali An. 1685.

Preces Procuratoris, & Provinciæ.

§. 1. Nos igitur ipsum Philippum Procuratorem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut de cætero senarius d. Provinciæ Quitensis Magistrorum numerus ad duodenarium augeatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ in supradicta Innocentii prædecessoris Constitutione præscripta sunt, religiose, & exacte serventur, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extensio dicta juxta Inn. XI. Constitutionem facienda.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præfatis, aliisque quibusvis literis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, & Provinciæ Quiten. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia

roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXXI. Julii MDCXC. Pontif. Nostri Anno Primo.

XVII. Conceduntur Privilegia Capellanis Communibus Sanctitatis Suæ.

Huic similes sunt Const. Inn. XI. ed. 1680., Mar. 13. Pont. 4. Et Inn. XII. ed. 1693. Dec. 4. Pont. ut supr. Tom. 7. pag. 238.

Dat. 2. Aug. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Grata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joachinus Tenacciolus Presbyter Civitatis Castelli Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, ac Carolus Emidius Ridolphus Asculan. Hieronymus Novarien. respective Civitatum, vel Diœcesum, Joannes Dominicus Cozzardus Romanus, & Bernardinus Brusetti Venetus Presbyteri Moderni Capellæ nostræ Pontificiæ Capellani, familiares nostri Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum Testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est (*quæ sequuntur vide in laudatis Constitutionibus.*)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die II. Aug. MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XVIII. Prohibetur, ne augeantur, vel diminuantur sine S. Sedis licentia onera solvi solita ærario Hospitalis Sancti Joan. Hierosolymitani.

Concessa fuit facultas recipiendi nonnullos Magno Magistro ab Inn. XI. Const. ed. 1686, Jun. 25. Pont. 10. Et ab Inn. XII. editæ fuere nonnullæ Ordinationes contra frequentem receptionem ad habitum Const. ed. 1697. Maji 11. Pont. 7.

Dat. 5. Aug. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Constitutionis.

Cum sicut accepimus quamplurimæ, & sane gravissimæ expensæ, quas Hospitale Sancti Joannis Hierosolymitani, juxta laudabilia ipsius instituta, tam pro assiduis Hospitalitatis officiis in proximos exercendis, quam pro diuturnis ad Catholicæ Fidei defensionem, & propagationem, adversus Christiani nominis hostes gerendis bellis sustinere cogitur, certos ejusdem Hospitalis redditus in contributionibus, responsionibus, aliisque quovis nomine nuncupatis oneribus per Priores, Bajulivos, ac Præceptores, seu Commendatarios dicti Hospitalis communi ærario ipsius Hospitalis solvi consuetis, ac dudum super Prioratibus, Bajulivatibus, & Præceptoriis, seu Commendis Hospitalis præfati vigore statutorum, seu stabilimentorum, ac Ordinum Capitularium ejusdem Hospitalis auctoritate Apostolica confirmator., seu alias auctoritate præfata imposit. consistentes, longe excedant: Nos ejusdem Hospitalis indemnitati, ac simul ne majoribus oneribus Priores, Bajulivi, ac Præceptores, seu Commendatarii præfati, his præsertim calamitosis temporibus prægraventur, quantum cum Domino possumus providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero Magnus Magister, ac Conventus Fratres, Consilium, Capitulum Generale, & alia Tribunalia quæcumque, aliæve quælibet quavis præeminentia, & potestate fungentes, personæ Hospitalis præfati sub quovis quæsito colore, causa, vel prætextu absque nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, Constitutiones, responsiones, aliaque onera præfata super Prioratibus, Bajulivatibus, Præceptoriis, seu Commendis, & aliis quibuscumque beneficiis Hospitalis prædicti, ut præfertur imposita, augere, vel diminuere, seu ut augeantur, seu diminuantur permittere, aut consentire audeant, seu præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Præterea, quod de cætero contributiones, responsiones, aliaque onera prædicta communi ærario dicti Hospitalis, prout hactenus observatum fuit, omnino solvi debeant, earumdem tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Prohib[itio] prædicta [mo]tu propri[o] facta sub [pœna excom]munica[tionis]...

Confi[rma]tio præse[n]tium lite[ra]rum.

§. 1. Mandantes propterea dilectis filiis Magno Magistro, & Consilio dicti Hospitalis, omnibusque aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut easdem præsentes literas in Cancellaria ejusdem Hospitalis recipiant, & admittant, ac registrent, recipique, & admitti, ac registrari curent, & faciant.

Clausul[a]...

§. 2. Ac decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu nostræ, aut Sedis Apostolicæ intentionis, vel quocumque alio defectu notari, redargui, impugnari, in Jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari minime posse.

§. 3. Sicque ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quæcumque dicti Hospitalis Tribunalia, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; salva tamen eisdem Magno Magistro, & Consilio facultate in casibus particularibus, prout æquitas, & justitia exegerint, & dummodo trium saltem ex quatuor partibus ipsius Consilii per secreta suffragia præstandus ad id accedat assensus, providendi.

Excipi[un]tur casus [par]ticulares.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, &

Or-

Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Hospitalis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis; & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Hospitali, illiusque Magno Magistro, & Conventui, Fratribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris die V. Augusti MDCXC., Pontif. nostri Anno Primo.

Confirmatur, & innovatur creatio Congregationis Presbyterorum Sæcularium B. M. Assumptæ Bracharen., eique Privilegia, & Indulgentiæ conceduntur.

Similis Congregatio in Civit. Portugallien. confirmata fuit ab Inn. XI. Const. ed. 1683. Maji 20. Pont. 7., & ab hoc Pontifice Const. ed. 1690. Octobris 5. Pont. 1. concessa fuit quædam facultas Presbyt. Missionis.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium meritis licet imparibus ineffabili divinæ bonitatis abundantia evecti, divini cultus, & animarum salutis incremento, ac fidei Catholicæ propagationi quantum Nobis ex alto conceditur, intendimus, & propterea Clericorum Congregationes id operari cupientes propensis studiis promovemus, & instituimus, favoribusque, & gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri sæculares Congregationis sub titulo Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ in Civitate Bracharen. Ordinaria auctoritate canonice (ut asseritur) erectæ, quod alias tunc existens Archiepiscopus Bracharen. eamdem Congregationem in dicta Civitate pro Presbyteris sæcularibus, qui sub clausura voluntaria absque votorum obligatione propriæ, alienæque saluti studere, Missionibus, & verbi Dei prædicationi operam dare, ac Sacramentales Christifidelium confessiones audire, aliqua pietatis, & Christianæ charitatis opera exercere deberent ad instar Congregationum Oratorii Sancti Philippi Nerii in Ecclesia Sanctorum Mariæ in Vallicella, & Gregorii de Urbe dudum auctoritate Apostolica erectæ, & Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ Ulyssiponen. a fel. rec. Clemente PP. X. prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 6. Maji 1671. expeditas literas confirmatæ sub Constitutionibus, sive statutis particularibus pro eadem Congregatione Ulyssiponen. editis, & a præfato Clemente prædecessore per alias pariter in forma Brevis die 24. Augusti 1672. emanatas literas approbatis, illorumque appendice erexit, & instituit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes præfata pietatis, & charitatis opera exercere hactenus studuerint, illisque in futurum quoque juxta pium dictarum Congregationum Institutum adjuvante Domino operam dare intendant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces dictor. Presbyterorum.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes, ut ad pia, & sacra opera hujusmodi promptiores reddantur, uberioresque in Vinea Domini fructus incrementum dante Deo, proferre satagant specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, veris existentibus narratis, & quatenus dicta Congregatio Bracharen. alias canonice erecta, & instituta fuerit, erectionem, & institutionem ipsius Congregationis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: Et nihilominus in Ecclesia dictæ Congregationis unam præfatorum Presbyterorum, & Clericorum sæcularium in eam pro tempore recipi volentium Congregationem sub memorato titulo Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ ad instar supradictarum Congregationum Oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe, & Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ Ulyssiponen. Dummodo tamen iidem Presbyteri, & Clerici Ordinationes, & instituta dictarum Congregationum alias a rec. mem. Paulo PP. V. prædecessore pariter nostro, ac præfato Clemente prædecessore respective confirmata receperint, seu recipiant, & illa pro viribus observare intendant, sub Constitutionibus, sive statutis illorumque appendice prædictis, auctoritate, & tenore præfatis, itidem perpetuo erigimus, & instituimus.

Confirmatio, & Innovatio d. Congregationis.

§. 4. Ac modernis, & pro tempore existentibus Præposito, & aliis Presbyteris ejusdem Congregationis sic de novo erectæ, qui ab Ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, illisque pœnitentia debita pro modo culpæ, & aliis, quæ injungenda fuerint injunctis, absolutionem impendere salutarem possint, & valeant. Sacerdotes vero, & Clerici in eadem Congregatione recepti, eorumque Ministri pro tempore quoque ibidem permanserint, Parochis, eorumque Jurisdictioni minime subjaceant, ipsique Sacerdotes sibi invicem, ac Clericis, & Ministris præfatis, etiam laicis quæcumque Ecclesiastica Sacramenta, quovis, etiam Paschatis Resurrectionis Dominicæ, tempore vice, & loco Parochi ministrare. Superiores autem ipsius Congregationis per præsentes erectæ, per se, vel alium, seu alios ex ipsis jam approbatis suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, neque in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, absolvere, illisque debitam pœnitentiam similiter injungere. Iidemque Superiores receptos inobedientes, & ipsius Congregationis Constitutionum transgressores punire, & pœnitentia pro modo culpæ, servata tamen forma Ordinationum, & inhibitionum hujusmodi afficere, & si sibi vide-

Privilegia, & Facultates.

bitur,

bitur, cum consensu Majoris partis dictæ Congregationis, culpabiles ejicere invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, libere, & licite similiter possint, & valeant dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus. Præterea Presbyteris, & Clericis in eamdem Congregationem pro tempore receptis, ne ipsa Congregatione, etiam ex justissima causa, nisi prius illam Superiori Congregationis hujusmodi pro tempore existenti manifestaverint, egredi audeant quovis modo, vel præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per contrafacientes eo ipso incurrenda auctoritate, & tenore prædictis prohibemus, & interdicimus. Ac demum, quod præfata Congregatio perpetua sit, & esse intelligatur, præsertim quoad Missiones, subjecta omnimodæ Jurisdictioni Archiepiscopi Bracharen. pro tempore existentis, a quo nihilominus Ordinationes, & Instituta ipsius Congregationis immutari, aut alterari minime possint auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium pariter perpetuo statuimus, & ordinamus.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Indulgentiæ.

§. 6. Ut autem Ecclesia Congregationis, sic erectæ in majori veneratione habeatur, & a Christifidelibus Congregationis frequententur honoribus, aliique Presbyteri, & Clerici sæculares ad ipsam Congregationem per præsentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis, qui eamdem Congregationem de cætero ingredientur die primo eorumdem ingressus, si vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam; ac ipsis nunc, & pro tempore existentibus Presbyteris, & Clericis, aliisque conviventibus ejusdem Congregationis in eorum mortis articulo Nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, etiam plenariam: necnon tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui ejusdem Congregationis per præsentes erectæ Ecclesiam die festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino etiam perpetuo concedimus, & elargimur; necnon tam Presbyteris, & aliis ejusdem congregationis quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus ejusdem exhortationibus interessentibus, decem annos; & qui Ecclesiam dictæ Congregationis in Purificationis, & Annunciationis, ac Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis festorum hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ut præfertur oraverint, septem annos, & totidem Quadragenas; eisdem vero Presbyteris, & aliis dictæ Congregationis, quoties divinis Officiis in sua Ecclesia, vel Oratorio more ejusdem Congregationis celebrandis, aut congregationibus particularibus, vel privatis, & secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut Infirmos consolati fuerint, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, tam pro Animabus Presbyterorum, & aliorum dictæ Congregationis quam aliorum in Christi charitate Defunctorum, recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de injunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, & synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Sep. MDCXC., Pontificatus nostri Anno Primo.

XX

Conceditur Presbyteris Congregationis Missionis, aliisque ei aggregatis facultas absolvendi a casibus reservatis, & Indulg. plen.

Extat quædam facultas concessa superiori Gen. ab Inn. XI. Const. ed. 1679., Jun. 5., Pont. 3. Alex. VIII., Const. ed. 1690., Sep. 13. Pont. 1. habes facultates Presbyterorum B. M. V. Assumptæ, & Inn. XII. Const. ed. 1699., Mar. 21., Pont. VIII. confirmantur Constitutiones Presbyterorum Missionis.

Dat. 5. 1690. A

ALEXANDER PAPA VIII.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordi

COElestium munerum Thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus libenter illis elargimur, quos pro sua in Deum, & Proximos charitate, ac Catholicæ Religionis zelo animarum saluti procurandæ omni studio incumbere intelligimus, ac eorum vota favoribus prosequimur opportunis, prout in eodem Domino conspicimus expedire.

Causa Concessionis.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus Edmundus Iollis Superior Generalis Congregationis Missionis Nobis nuper exponi fecit, ipse Presbyteros, & alios dictæ Congregationis in diversas Christianæ Reipublicæ Provincias ad Christifidelium salutem procurandam, juxta dictæ Congregationis Institutum, mittere consueverit, & nonnulli Presbyteri, seu Clerici in Civitate Parisiensi Congregationi præfatæ aggregati reperiantur, quorum director perpetuus est superior ejusdem

Con-

Congregationis, quique una cum Presbyteris ipsius Congregationis ad Missiones proficiscuntur, & aliquando seorsim Missiones hujusmodi magno cum fructu exercent: Nos eorumdem mittendorum pietatem, & operam, eorumque ad quos illi mittentur religionem, & devotionem spiritualibus gratiis confovere, atque augere cupientes prædicti Edmundi superioris Generalis precibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatis Presbyteris dictæ Congregationis, nec non aliis Presbyteris in Civitate Parisien. eidem Congregationi aggregatis, ut præfertur, qui cum deputatione, seu consensu superioris dictæ Congregationis eorum Directoris, Missionibus operam dederint, ad audiendas Christifidelium Confessiones ab ordinariis locorum approbatis, facultatem absolvendi quoscumque Christifideles, eorum Confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque peccatis, delictis, & excessibus, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis in foro conscientiæ tantum, exceptis tamen casibus contentis in literis die Cœnæ Domini legi solitis, ac solummodo in locis, ad quæ iidem Presbyteri per Ordinarios fuerint ad exercendas Missiones specialiter evocati, & ubi non erunt Missionarii Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum, ac injuncta pro modo culpæ pœnitentia salutari, aliisque, quæ fuerint injungenda, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus.

§. 2. Præterea de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis presbyteris, tam dictæ Congregationis, quam illi aggregatis prædictis, & aliis mittendis ubi tamen non erunt Missionarii supradictæ Congregationis de Propaganda fide, & aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram, & Apostolicam benedictionem per præsentes impertimur, nec non eisdem vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ exaltatione, Principum Christianorum unione, Infidelium conversione, hæresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem pro unica vice tantum, & in actu prædictæ missionis, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, Rectores, ac verbi Dei Prædicatores, ut in suis quisque Ecclesiis, cum Populus frequentior fuerit, præsentes literas, & omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eisdem Presbyteris, & aliis favorem, & auxilium in præmissis præstent. Præsentibus ad septennium tantum valituris.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, seu dictæ Congregationis Missionis Secretarii subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Octobris MDCXC. Pontificatus nostri anno Primo.

XXI.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris super controversiis de residentia Generalis, loco Capitulorum, aliisque inter Generalem, & quosdam Religiosos Ord. B. Joan. Dei Congregationis Hispaniæ.

Confirmata fuere Decreta cujusdam Capituli intermedii ab Inn. XI. Constit. 1686. Aug. 17. P. 10. Et a Clem. XI. revocatæ Conventualitates Constit. ed. 1673. Maji 10. P. 3.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 7. Oct. 1690. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Decisio dict. Controversiarum commissa fuit Card. Protectori.

NUper pro parte dilectorum filiorum Moderni Superioris Generalis Congregationis Hispaniæ Ordinis Beati Joannis Dei, ac Francisci Pretell, & Francisci Alvarez de Azevedo fratrum expresse professorum Provinciarum Castellæ, & Portugalliæ dictæ Congregationis, Nobis expositum fuit, quod cum alias nonnullæ controversiæ inter eumdem Superiorem Generalem ex una, ac dictos Franciscum de Pretell, & Franciscum Alvarez de Azevedo, tam proprio, quam procuratorio nomine dilectorum pariter filiorum Petri Fernandez de Ayllon, Hieronymi Bacherii, & aliorum Fratrum dictæ Congregationis ex altera partibus de, & super loco Residentiæ ejusdem Superioris Generalis, necnon convocatione, seu celebratione Capitulorum Generalium, & intermediorum dictæ Congregationis, ac privatione, seu suspensione supradicti Petri ab officio Secretariatus Congregationis prædictæ, rebusque aliis latius in processu causæ deductis exortæ essent; nos negotium hujusmodi remisimus ad dilectum filium nostrum Gasparem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Carpineum nuncupatum Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem, ut controversias prædictas jam pridem in Congregatione Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita vertentes decideret, eisque debitum finem imponeret. Unde idem Gaspar Cardinalis, & Protector, cum pluries, & voce, & scriptis utramque partem coram se accersitam audivisset, visis subinde, & consideratis dicti Ordinis Constitutionibus, documentis publicis, totoque processu Causæ, & Causarum in partibus facto, aliisque omnibus necessariis, & opportunis mature perpensis, decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum d. Cardinalis.

Species facti.

§. 1. *Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Sanctæ R. E. Presbyter Cardinalis Carpineus SS̃mi D. N. Papæ Vicarius Generalis, & Ordinis B. Joannis Dei apud Sanctam Sedem Protector.* Cum Sanctissimus D. Noster Alexander PP. VIII. peculiari ejus rescripto coram Nobis exhibito dignatus fuerit arbitrio nostro benigne committere, ut controversias omnes jam pridem in Sacra Congregatione Emorum, & Rmorum DD. Sanctæ R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita verten. inter Fratres Franciscum Pretell, & Franciscum Alvarez Azevedo Ord. B. Joannis Dei in Regnis Hispaniarum, tam nomine proprio, quam procuratorio Fratrum Petri Fernandez de Ayllon, Hieronymi Bacherii, & aliorum in supplici Libello SS̃mo D. N. porrecto enunciatorum ex una, ac P. Fr. Emmanuelem de Errera Procuratorem Generalem dicti Ordinis Regni Hispaniarum in Romana Curia existentem partibus ex altera de, & super residentia ejusdem P. Generalis convocatione, seu celebratione Capitulorum Generalium, & intermediorum, nec non Inquisitione, & respective condemnatione supradicti P. Fr. Petri Fernandez de Ayllon ob causas, de quibus in Processu desuper confecto, & nobis exhibito, rebusque aliis coram Nobis latius deductis decideremus, ac debitum finem hisce litibus, & controversiis imponeremus; Cumque ad hæc peragenda, atque definienda pluries, & voce, & scriptis utramque partem co-

ram Nobis accersitam audiverimus, & deinde visis, & consideratis Ordinis prædicti Constitutionibus, documentis publicis, totoque Processu causæ, & causarum in Partibus fact., aliisque omnibus necessariis, & opportunis, visis videndis, & mature perpensis tandem ad omnium harum controversiarum terminationem vigore præsentis nostri Decreti distincte devenire ut infra statuimus. Auctoritate igitur ab eodem SSmo D. N. Nobis attributa volumus atque decernimus, ut in posterum tam P. Fr. Joannes de Cobaleda præsens Generalis, quam omnes, & singuli futuri, & pro tempore existentes Generales suam residentiam facere teneantur in Conventu, Domo, seu Hospitali designando in futuro proximo Capitulo Generali suo tempore celebrando, cujus arbitrio, atque declarationi, totalem hujus rei terminationem remittere intendimus, prout præsenti Decreto remittimus. Hortamur tamen, & in D. admonemus omnes, & singulos vocales, ad quos spectabit d. Capitulo interesse; ut circa hanc designationem loci, seu Conventus, & Hospitalis id statuant quod pro bono pacis, ac Religionis utilitate, & incremento expediens esse censuerint, & interim pro eo tempore decurrendo usque ad primum Capitulum futurum Generale injungimus P. Fr. Joanni de Cobaleda moderno Generali, ut ipse una cum tota sua Curia residere teneatur in Conventu, vel Hospitali Matriti, prout ibi residere mandamus.

De residentia Generalis.

De loco celebrationis Capitulorum.

§. 2. Item circa celebrationem Capitulorum Generalium, & intermediorum pari nostro perpetuo valituro Decreto præcipimus in futurum servandas esse Constitutiones Ordinis in Capitulo 16., & 39. hoc est semper, & in perpetuum prædicta Capitula celebranda esse in loco, Conventu, seu Hospitali a Patre Generale Ordinis, ejusque Diffinitorio pro tempore existente designando, quavis asserta consuetudine in contrarium non obstante, prout etiam in Congregatione Episcoporum, & Regularium sub die 17. Martii 1689. resolutum fuit. Proindeque modo incipiendo a Capitulo intermedio, ut infra celebrando præsentis Decreti tenore, ac virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis inferius exprimendis injungimus, & mandamus eidem P. Fr. Joanni de Cabaleda, ut nulla habita ratione alterius cujuscumque convocationis, sive a se, sive ab aliis quacumque auctoritate, superioritate, & jurisdictione munitis forsan anno proxime elapso fact. quas tanquam pro non factis haberi, & nullius roboris, ac momenti esse volumus, atque mandamus, statim visis præsentibus se conferat ad Conventum, seu Hospitale in Civitatem Cordubæ, ibique convocet omnes, & singulos Patres, seu Fratres, ex quibus Diffinitorium juxta Constitutiones Ordinis componitur, ad effectum, ut ad tenorem dictarum Constitutionum ipse Pater Generalis cum suo Diffinitorio pro celebratione futuri Capituli intermedii determinet, seu assignet locum illum, sive Conventum, vel Hospitale, quod magis commodum, utile, aut necessarium pro rebus Religionis agendis, atque determinandis eidem Diffinitorio videbitur; quatenus vero vel temporis angustia, vel motus in Religione exorti, & dissidia ad aures nostras cum maximi animi nostri admiratione perventa non permitterent, ut d. Convocatio Diffinitorii in Conventu, vel Hospitali Cordubensi, ut supra peragi posset, tunc ad illos, seu illa sedanda prout decet, & nos omnino exoptamus, atque præcipimus pro hac vice d. proximum futurum Capitulum intermedium celebretur in Conventu, seu Hospitali Matritensi, prout ibi, ac non alibi illud celebrari mandamus, ex hac tamen provisione non intendimus auctoritati, ac facultati d. P. Generali, & Diffinitorio competenti, nec in minimo quo ad hoc præjudicari in posterum unquam, sed eam semper salvam, & intactam remanere, si vero dicti loci, Conventus, sive Hospitalis determinatio, vel designatio commode fieri valeat pariter eidem Patri Generali præcipimus, ut novas literas convocatorias pro celebratione d. Capituli intermedii quod sub die 3. Mensis Maji proxime futuri in loco, ut supra designando, vel in Conventu, sive Hospitali Matriten. quoties Diffinitorium, prout supra convocari nequeat, fieri mandamus, expediat, & sub pœnis arbitrio ejusdem Patris Generalis omnes, & singulos vocales, qui debent, & possunt commode interesse celebrationi hujus Capituli convocet, ut omnes debito tempore valeant in unum convenire.

De electione Officialium.

§. 3. Sicut autem in iisdem Constitutionibus Ordinis Cap. 39. statuitur Electiones Provincialium, Priorum, aliorumque Officialium faciendas esse in Capitulo intermedio, & ejus officium per triennium durare, ac respective absolvere tempore Capituli Generalis, ita tamen committimus, & mandamus servandam esse pariter dispositionem Constitutionum, & ad earum præscriptum eligi novos Provinciales, Priores, & Officiales in hoc Capitulo intermedio celebrando, illorumque Provincialatus, Prioratus, & officia terminare debere in proximo Capitulo Generali, perinde ac si fuissent suo tempore electi; ita tamen ut ipsi Provinciales, Priores, & Officiales gaudere, & potiri debeant omnibus Juribus, prærogativis, & præeminentiis, ac haberi, & reputari debere, ac si integro triennio Provincialatus, & officia exercuissent in eisque extitissent, etiam respectu intermediæ vacationis de qua fit mentio in d. Capitulo 39. Constitutionum Ordinis.

De Vocibus.

§. 4. Præterea ad tollendas omnes dubiorum Causas, atque occasiones declaramus omnes Priores, aliosque habentes vocem in Capitulo intermedio juxta tenorem earumdem Constitutionum in d. Cap. 39., & Cap. 25. interesse debere, ac vocem in antedicto proximo intermedio Capitulo habere, etiamsi elapsum sit tempus triennale eorum Officii, & Capitulum intermedium tempore a Constitutionibus Ordinis præscripto celebratum non fuerit.

Absolutio Generalis a censuris, & pœnis.

§. 5. Quoniam autem, ut præfertur P. Joannes de Cabaleda Generalis, fuit ex commissione Tribunalis nunciaturæ publice excommunicatus, privatus voce activa, & passiva, & in alias pœnas condemnatus, propterea ad omnem bonum finem, & cautelam, ipsum P. Generalem absolvendum fore, & esse duximus, prout præsentis Decreti tenore ad cautelam ab excommunicatione forsan incursa ex supradictis facultatibus Nobis ut supra attributis absolvimus, & liberamus, atque itidem ab omnibus, & quibuscumque aliis pœnis irrogatis, vel comminatis liberam., & absolven. fore, & esse, atque etiam a privatione vocis activæ, & passivæ, prout absolvimus, & liberamus, ac proinde eumdem Patrem Generalem quatenus opus sit esse in pristinum restituendum, ipsumque continuare debere, seu manutenen. esse in dignitate, & munere Generalatus exercitio totali suæ auctoritatis, & Jurisdictionis, necnon jure vocis activæ, & passivæ omnibus, & quibuscumque aliis præeminentiis, & prærogativis, prout in pristinum quatenus opus sit restituimus, & manutenemus, ac amplius pro hac causa, seu occasione hujus causæ non esse molestandum, prout amplius non molestari mandamus.

Redintegratio Patris Secretarii.

§. 6. Quo vero ad P. Fr. Petrum Fernandez de Ayllon Secretarium Religionis, dicimus privationem, seu suspensionem ab officio Secretariatus a P. Generali, vel ejus Delegato demandatam, sive ab alio quocumque Judice, etiam Tribunalis nunciaturæ factam, ac similem privationem vocis activæ, & passivæ, necnon pœnam

rele-

relegationis, & carcerationis, aliasque pœnas de quibus in Sententia, seu processu non sustineri, & proinde dicimus, & declaramus, illas omnes, & singulas revocandas esse, prout revocamus, & abolemus. Procedentes tamen ex integro, & ex auctoritate Nobis demandata decernimus P. Fr. Petrum Fernandez, ex quo satis luit ob carcerationem, & diuturnam suspensionem ab ipso passam absolvendum, & liberandum esse, prout absolvimus, & liberamus, ac in Officio Secretariatus, illiusque exercitio, voce activa, & passiva, omnibusque aliis honoribus, & prærogativis manutenendum, seu quatenus opus sit reintegrandum fore, & esse, prout manutenemus, & quatenus opus sit reintegramus, & pro hac causa, pro qua a P. Generali inquisitus, & condemnatus fuit amplius molestandum non esse, prout non molestari mandamus, & de, & super præmissis perpetuum silentium imponendum fore, & esse, prout imponimus. Admonemus tamen, atque præcipimus P. Fr. Petro Fernandez, ut in posterum sub quovis prætextu, vel quæsito colore a lusu alearum, & Taxillorum omnino se abstineat, sub pœna privationis officii, vocis activæ, & passivæ, omniumque aliorum honorum, præeminentiarum, & prærogativarum, & sub pœnis carcerationis, aliisque gravioribus arbitrio nostro.

ecutio ...dictorum ...ium. §. 7. Et ita in omnibus servari volumus, & mandamus, quibuscumque in contrarium non obstantibus, atque stricte P. Joanni de Cabaleda Generali, omnibusque aliis, & singulis ad quos spectat, injungimus, atque mandamus, ut statim visis præsentibus parere debeant, & hoc nostrum decretum executioni demandare, & in actis Capituli intermedii registrare sub pœnis contrafacientibus privationis Dignitatum, & officiorum vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illas, seu illa, nullitatis omnium, & singulorum actorum, etiam excommunicationis, aliisque pœnis arbitrio nostro incurrendis, ad quas irremissibiliter contra inobedientes statim habita notitia inobedientiæ, procedemus. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die 2. Februarii 1690. G. Cardinalis Carpineus Vicarius, & Protector, & Judex deputatus.

...eces am...m par... §. 8. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Decretum hujusmodi a memorato Gaspare Cardinale Protectore editum ab utraque parte unanimi consensu acceptatum fuerit, ac propterea iidem Exponentes illud quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ...nfirmatio ...ti De... præinsertum memorati Gasparis Cardinalis, & Protectoris Decretum cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

...lausulæ. §. 9. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Provinciarum, Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VII. Octobris MDCXC. Pontificatus Nostri Anno primo.

XXII.

Confirmantur Constitutiones Monachorum Silvestrinorum.

Nonnullæ aliæ Constitutiones approbatæ fuerunt ab Inn. XI. Const. ed. 1683., Jan. 15., P. 7. Et a Clem. XI. confirmatum fuit quoddam Decretum Congreg. Gen. Const. ed. 1720, Maji 20., P. 20.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 15. Oct. 1690. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PAstoris æterni vices licet immeriti gerentes in Terris, ea, quæ pro felici Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ monasticæ Instituto mancipatorum regimine, & in via mandatorum Domini directione provide salubriterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, præsidio libenter constabilimus.

Hæ Constitutiones approbatæ fuerunt in Capitulo Gen. 1686. §. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti Filii Abbas Salvator Salvatori Procurator Generalis Congregat. Monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis Sancti Benedicti, & Joannes Matthæus Felicianus Monachus expresse professus, ac de præsenti Abbas Monasterii Sancti Stephani de Cacco nuncupati de Urbe dictæ Congregationis, quod cum alias ad Regulæ ejusdem Sancti Benedicti præscriptum, nec non juxta antiquorum ipsius Congregationis statutorum variarum literarum Apostolicarum quarumdam S.R.E. Cardinalium Congregationum Decretorum, ac Capitulorum Generalium ipsius Congregationis dispositionem compilatæ fuissent nonnullæ Constitutiones, Vocales dictæ Congregationis in eorum Capitulo Generali mense Junio 1688. celebrato concorditer, & nemine illorum discrepante per vota secreta approbarunt, & propria subscriptione firmarunt easdem Constitutiones, tenoris, qui sequitur, videlicet:

PRIMA DISTINZIONE.

Dell' Offizio Divino.	Cap. 1.
Del Capitolo quotidiano.	Cap. 2.
Della Disciplina Comune.	Cap. 3.

Dell' Offizio Divino Cap. I.

DEL MATUTINO.

§. 1. Ne' luoghi, dove saranno almeno sei Corali, sieno tenuti alzarsi a Matutino, se in ciò non fussero per qualche giusta causa dispensati dal P. Generale, o dal Capitolo Generale, e il tempo di sonare da Maggio fino a Settembre a sei hore di notte, nel mese di Settembre a sette, di Ottobre a otto, di Novembre a nove, di Decembre a Gennaro a dieci, di Febbraro a nove, di Marzo a otto, di Aprile a sette. Udito, che averanno il primo segno, si levino subito, e speditisi da loro particolari bisogni, vadino con grave prestezza in Chiesa, ove ciascheduno prenda l'acqua benedetta, e cavatosi il capuccio, passando avanti l'Altare facci a Dio umile riverenza con debita composizione di mani, e di vita, e così entrati in Coro inginocchiandosi faranno orazione nel secreto del cuor loro, finche la Campana dia l'ultimo segno, dandosi tempo da un segno all'altro, che i Monaci possano arrivare comodamente in Coro. Poi fatto il segno dal superiore, si alzaranno in piedi, e al segno del medemo l'Eddomadario comincianà con voce alta, grave, e divota, e continuarà conforme alle Rubriche del novo Breviario Monastico ove saranno notati i Santi del nostro Ordine, e della Diocesi. Tanto puntatamente, e con tal divozione doveranno dire l'ore Canoniche, che la mente concordi con la voce, e la voce con l'interno.

§. 2. E perchè in tutti i nostri luoghi venga con egual forma lodato il Signore, ordiniamo, che ne'Monasterj, dove saranno sei Corali, nella Natività di Nostro Signore nelli tre giorni della settimana Santa, e nella solennità del P. S. Silvestro si canti tutto il Matutino fuorchè i responsorj delle dodici lezioni, & i Salmi, e Cantici del secondo, e terzo Notturno, che doveranno però recitarsi molto puntatamente, lasciandosi in arbitrio del Superiore far cantare i Responsori delle prime quattro lezioni, come alcune volte si pratica, potendosi anco sonar l'Organo per respiro del canto. Nell'altre feste di prima Classe di tutto l'anno si canti l'Invitatorio, il *Venite exultemus Domino &c.* l'Inno del Matutino, il *Te Deum laudamus &c.* e dal Capitolo delle laudi fino al fine. Et in tutte l'altre feste dell'anno si canti il *Te Deum &c.* e il *Benedictus* con la sua Antifona. Ma dove sarà numero minore di Corali, nelle sudette prime solennità si canti, come si è detto per i giorni di prima classe di tutto l'anno, quando non possa cantarsi come sopra, a che dovranno i Superiori sforzarsi, e in tutte l'altre feste si canti il *Te Deum laudamus &c.* e il *Benedictus* con la sua Antifona. E in quanto all'ora di recitarlo; dove non si alzi la notte, da Pasqua di Resurrezione fino a tutti i Santi si reciti dopo le ventun' ora, e dalla festa di tutti i Santi fino a Pasqua, o la mattina circa l'Alba del giorno, o la sera alla prima Ave Maria dopo la consueta orazione, che comunemente si fa in Coro, come al suo luogo.

Di Prima, Terza, Sesta, Nona, e Messa Conventuale.

§. 3. Provveda il Superiore, che a tal ora si suoni a Prima secondo la diversità de' tempi, che i Monaci non si levino più tardi di quello devono per dar lode al Signore nella prima ora del giorno. Subito dunque, che sarà dato il segno per l'ora di Prima entrino i Fratelli in Chiesa con l'ordine, che s'è detto al Matutino, e fatto il cenno dal Superiore, se gli dia principio secondo le Rubriche del nuovo Breviario Monastico.

§. 4. Chi non sarà giunto in Coro avanti che sia finito il *Gloria Patri &c.* del primo Salmo, sodisfarà stando in piedi fin tanto che le sia fatto segno dal Superiore, (il che deve osservarsi in tutte le ore Canoniche) & allora se ne vada al proprio luogo, la qual cosa facci parimente il Superiore, stando alquanto in piedi, che sia veduto da tutti, e si porti poi al suo luogo, quando li piacerà. Errando alcuno de'Novizj, o Professi in Coro, o nel leggere, o in altra cosa subito terminata la lezione, o altra azione, e per qualunque errore, si gettino in terra con ambi i ginocchi, e bacino terra. Ne sia mai lecito ad alcuno de'Corali partir dal Coro senza licenza del Superiore, e tornando prenda sempre la benedizione da chi tiene il primo luogo.

§. 5. Ne' giorni festivi di tutto l'anno, dove saranno sei Corali dopo Prima si cantino in Coro le Litanie de'Santi con li versetti in fine *Salvos fac &c. Memento Congregationis &c. Dominus vobiscum &c.* e con l'Orazione *Deus cui proprium est &c.* della festa corrente, e del P. S. Silvestro, ed essendo festa della Beatissima Vergine in luogo delle Litanie de'Santi, potranno dirsi quelle della medesima Vergine. Negl'istessi giorni festivi ad ora debita si canti Terza, poscia la Messa Conventuale con fare in ogni luogo nelle Domeniche l'*Asperges* dell' acqua benedetta per la Chiesa, indi si dica Sesta, e dopo pranzo Nona. Ma ne'luoghi dove sarà minor numero de Corali, recitare ad ora competente l'ore sudette, che potrà essere circa due ore dopo la levata del Sole si canterà la Messa conventuale al meno in tutti li giorni festivi dell'anno, tutti i Sabbati non impediti in onore della Vergine, in qualunque primo Giovedì del mese non impediti in onore del P. S. Silvestro. Et ogni primo Lunedì del mese similmente non impedito la Messa di *Requiem* per i nostri fratelli, Protettori, e Benefattori Defonti, in ordine a che non possono dispensare i Superiori locali senza espressa licenza del P. Generale, che invigilarà, e ricercarà specialmente nelle visite, acciò sotto alcun colore, o pretesto non si contravenga alla presente ordinazione, e chi contraverrà de'Superiori locali soggiaccia alla pena di media colpa, e ad altre ad arbitrio del Padre Generale.

Del Vespro, e Compieta.

§. 6. Giusta la consuetudine de'Luoghi, e de' tempi si suoni all'ora debita al Vespro, che ne'

giorni

giorni festivi deve cantarsi tutto con molta pausa e divozione in qualunque de'nostri Monasteri, o sia di maggior, o minor numero de'Corali col suono dell' Organo, dove sarà il comodo. Ne' Monasterj poi dove saranno sei Corali anco in tutti i giorni feriali si canti ogni giorno il *Magnificat* con la sua Antifona, e Orazione.

§. 7. Ad ora competente, che non sarà prima delle ventun'ora, e mezza si suoni parimente ogni giorno, e in qualunque luogo a compieta, quale ne'giorni festivi dovrà cantarsi sempre, e ne' feriali recitarsi con pausa, e divozione. Ed in qualunque luogo, o sia di maggiore, o di minor numero de'Corali si canti ogni giorno, dopo la Compieta, o dopo il Matutino, quando la sera si reciti di giorno in venerazione della Vergine secondo l'antica consuetudine, e Decreti Capitolari la *Salve Regina*, o altra Antifona che corra in suo luogo, à che parimente non possa dispensare alcun Superiore locale, e contravenendo, soggiaccia alla pena della media colpa, e ad altre ad arbitrio del P. Generale, che doverà riceverlo in atto di visita.

Dell'Offizio della Beatissima Vergine.

§. 8. Doverà recitarsi l'Offizio picciolo della Vergine in Coro tutti i giorni, che accaderà farsi l'offizio di feria, o di qualche Santo semplice, eccetto quando si farà l'Offizio di S. Maria in Sabbato, come nella rubrica del novo Breviario Monastico, e mentre che si recitarà, nessuno ardischi di sedere, fuorchè i Vecchi, e i deboli dispensati dal Superiore.

§. 9. E non solo in tal modo sia onorata la Gloriosa Vergine Madre di Dio, ma anche per riverenza, e divozione di lei, come quella a cui il P. S. Silvestro con tutta la Congregazione in fin da principio hebbe somma venerazione in tutte le nostre Chiese, com'anche s'ordina nell' antica Costituzione, sia eretta la Compagnia del santissimo Nome di Maria, e sia tenuta in quella divozione, che si può maggiore, procurando, che arda la lampada avanti il suo Altare, e continuando l'uso antico di cantare ogni Sabbato una Messa votiva in sua lode con le Litanie, dovendosi cantare anco la sera. Et in suo onore si facci anco il Mercordì, come si dirà al cap. 5. della presente distinzione, con altre divozioni contenute ne'Capitoli di detta Compagnia, perchè sotto la di lei protezione può sperarsi grandissimo profitto.

Come abbiano a sodisfare l'Offizio Divino i Conversi.

§. 10. I Conversi in vece dell'ore Canoniche siano obbligati recitare ogni giorno l'orazione Domenicale, e la salutazione Angelica con questo numero, ed ordine. In cambio del Matutino dicano dodici *Pater*, ed altretante *Ave Maria*. Per il Vespero sette, e cinque per ciascheduna dell'altre ore. Quelli poi, che sapendo leggere diranno l'Offizio della Vergine, non siano tenuti dire li sudetti *Pater*, & *Ave Maria*. Siano anco tenuti i Conversi alzarsi a matutino secondo gli verrà ordinato dal Superiore ne'luoghi, che si alzaranno i Corali, come parimente siano obbligati assistere sempre in Coro ne' giorni festivi al Vespero, quando però per grave urgenza non fossero dispensati dal medesimo Superiore. Chi controverrà soggiaccia alla pena di farne pubblica colpa in Refettorio, e non emendandosi, dopo la terza volta, a mangiarvi pane, ed acqua.

§. 11. Avvertendosi tanto i Corali, quanto i Conversi, che quando il P. Generale, o il Superiore locale passa avanti i Monaci sia lor fatta la debita riverenza, come conviene. E parimente terminata qualunque Ora Canonica, fatta la dovuta riverenza all'Altare, tutti escano ordinatamente con silenzio, e modestia dal Coro; e dopo il matutino, o riposino, o legghino o faccino orazione, ma con tal forma, che non s'inquietino gl'altri.

Del modo da tenersi da' Monaci in Coro.

§. 12. Stando i Monaci in Coro devono ricordarsi, che sono alla presenza di Dio, onde gli conviene star ivi con timore, e tremore, ben composti di vita, con le mani sotto lo Scapulare, quando non vi tenghino Breviario, o Diurno, non curvi, o appoggiati sconciamente alle sedie, non faccino strepito, o nel purgarsi il naso, o nel moversi da' sedili, e sopra tutto cantino, e legghino sempre con voce uniforme, e concorde, perchè dalla forma esteriore possa comprendersi la divozione interna.

§. 13. Non sedano i Monaci, mentre si dice il Salmo, *Domine quid multiplicati sunt*, l'Invitatorio, Il *Venite exultemus Domino*, gl'Inni, Il *Te Deum laudamus &c.* l'Evangelio, i Capitoli di qualunque Ora, il *Benedictus*, & *Magnificat* con le loro Antifone, le Preci, l'Offizio della Vergine, e quando non seda il Superiore, o non lo permetta come specialmente potrà fare con i più vecchi, e con deboli.

§. 14. Facciano la genuflessione col ginocchio fino a terra passando avanti il Santissimo Sagramento, al *Venite exultemus Domino*, dicendosi le parole *venite*, & *procedamus &c.* quando dal Diacono si dica *Flectamus genua &c.* nell'Evangelio dell'Epifania alle parole, *Et procidentes adoraverunt eum*, nell'In principio della Messa al *Verbum caro &c.* nel Mercordì Santo all'Introito *In Nomine Jesu omne genu flectatur*, e in ogn'altro tempo, che sarà notato nelle Rubriche.

§. 15. Facciano la genuflessione con ambi i ginocchi passandogl' avanti il Santissimo Sagramento, o stando esposto alla loro presenza, facendosi in Coro l'*Asperges* dell'Acqua benedetta, nel *Credo* alle parole, *Et incarnatus est &c.* dopo il *Sanctus* fino all' *Agnus Dei* nelle Messe cantate, alla benedizione del Sacerdote, nel fine della Messa, il giorno del Venerdì Santo all'adorazione della Croce, e in ogn'altro tempo, che parimente sarà notato nelle Rubriche secondo la forma prescritta nel Cerimoniale.

§. 16. Faccino riverenza piegando profondamente il capo qualunque volta si nominarà il nome di *Gesù*, *di Maria sempre Vergine*, de' nostri Santi Patriarchi *Benedetto*, *e Silvestro*, del Santo, di cui si celebra in quel giorno la festa, *Al Gloria Patri &c.* di qualunque Salmo, o dove accaderà dirsi, alli versetti *Sit nomen Domini benedictum &c. Sanctum, & terribile nomen ejus*, *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu*, *Humiliate capita vestra Deo*, *Benedictus es Domine in firmamento Cæli*, e qualunque volta si nominarà espressamente la *Santissima Trinità*, il che si faccia sempre con modo, e gravità religiosa senz' affettazione, e chi contraverrà soggiaccia alla pena di recitare privatamente una volta il Salmo *Miserere mei Deus &c.* o ad altra salutare ad arbitrio del Superiore quando non vi fosse emenda.

Del Capitolo Quotidiano.

CAP. II.

§. 1. Alla prudenza del Superiore si rimette l'ora di fare il Capitolo quotidiano, se per qualche giusta causa non possa farsi all'ora di Prima. Dopo dunque, che il Sagrestano averà dato il segno, tutti i Monaci entraranno in Capitolo, dove fatta la debita riverenza alla Maestà Divina, e sagra Immagine, che sarà nel luogo del Capitolo,

tutti sedano ordinatamente, prima il Superiore, e poi tutti gl' altrj secondo l'ordine delle precedenze già stabilito. Dica il Lettore. *Jube Domne benedicere*, ed il Superiore, *Divinum auxilium &c.* i Monaci rispondano, *Amen.* Poi il Lettore reciti il Martirologio, e finito, l'Ebdomadario dirà, *Pretiosa in conspectu Domini* con le preci, ed orazioni seguenti, indi postisi tutti a sedere, il Lettore leggerà la Lezione della Regola, dopo la quale nominarà tutti i morti, che in quel giorno sono notati nel nostro Calendario, dopo dicasi il *De profundis &c.* con tutto quello, che si ordina nel Breviario Monastico in fine di Prima.

§. 2. Occorrendo, che il Superiore entri in Capitolo dopo gl' altri, all' ora i Monaci si levino tutti in piedi, e si pongano poi a sedere, dopo che vi si sarà posto il Superiore, il quale quando dirà *Benedicite*, tutti si inchinino dicendo *Deus*, dopo lo stesso Superiore dica, *dicamus de Ordine nostro*, e subito quelli, che si sentiranno colpevoli in alcuna cosa, prostrati in terra, dichino le colpe loro, domandandone perdono. E se la colpa sarà tale, che meriti la correzione, si preparino a riceverla, ed umilmente confessino il proprio errore, la qual correzione sarà fatta dall' Abbate, o da altro, che sia in suo luogo.

§. 3. In Capitolo non parlino mai i Monaci, se non per due cagioni, una per dire le colpe loro, o quelle d'altri semplicemente, l'altra per rispondere al Superiore, quando saranno richiesti, se però non fosse necessario parlar secretamente all' orecchio per ricordare alcuna cosa necessaria al Capitolo. Nessuno facci querela contro l'altro per solo sospetto. Quando il Superiore ordinarà, che si facci qualche orazione in comune, tutti s'inchinino, ed il simile faccino tutti quelli, a' quali egli ordinarà alcuna cosa. Ma s'imporrà qualche Offizio a chi si sia, come la Cantoria, la Sagristia &c. umilmente prostrato in Terra, accetti tutto quello, che li viene comandato.

§. 4. Se per caso entrasse nel Capitolo qualche persona di gran dignità, tutti gli faccino riverenza con inchinarsi. E lo stesso si facci nel passare avanti simili persone, e siano accettate all' orazione se l'addomandaranno.

§. 5. Si guardi ciascuno di notificare, o parlar fuori di Capitolo delle colpe, o secreti trattati in Capitolo, e chi contraverrà digiuni tre giorni in pane ed acqua, e le sia data una disciplina di quindici battiture, o più ad arbitrio del Superiore, o di chi tiene il Capitolo.

Della Disciplina Comune.

CAP. III.

Ciascuno de' nostri Monaci o Corale, o Laico sia tenuto darsi la Disciplina in secreto una volta la settimana per penitenza de' suoi peccati, se però non fosse in viaggio, ovvero infermo. E quanto alla disciplina comune, la quale secondo il solito, si fa ogni venerdì, l'ora di farla sia in arbitrio dell' Abbate, o di chi tiene il suo luogo; l'Avvento però, e la Quaresima si facci due volte la settimana, cioè il Mercordì, ed il Venerdì, ed anco in particolare il Giovedì Santo. In segreto poi potrà farla ciascuno secondo la sua divozione, e consseglio del Padre Spirituale. Nel farla s'osservi la forma del Breviario Monastico verso il fine.

Delle Confessioni particolari, e de' Predicatori.

CAP. IV.

§. 1. Finito, che sarà il Capitolo quotidiano, potrà ciascuno confessarsi, o in altro tempo in luogo decente ove parerà al Superiore. E circa il modo di confessarsi, e forma dell' assoluzione sacramentale si osservi l'Ordine, e consuetudine della Santa Romana Chiesa. Deve avvertirsi, che in ogni tempo possono ascoltarsi le confessioni. Ed i Penitenti sempre devono stare in ginocchione, e col capo scoperto se non siano Infermi in letto. Li confessori poi devono essere prudenti, e discreti, di modo che sappiano porger rimedio alli proprj, ed agl' altrui peccati, e non fomentarli, o per poca avvertenza pubblicarli, e però deve osservarsi il Decreto del Visitatore Apostolico, che i Confessori siano deputati dal Superiore in ciascun Monasterio per confessare i Monaci, e nessuno confessi senz' esser prima approvato dal P. Generale, il quale se bene si può riservare alcuni casi, nondimeno deve in ciò osservarsi il Decreto di Clemente VIII. e le risoluzioni della Sacra Congregazione sopra tal Decreto.

CUM (sicut accepimus) per Constitutiones Urbanas nuncupatas Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum à fel. rec. Urbano PP. VIII. praedecessore nostro confirmatas inter alia in caput sextum Regulae ejusdem S. Francisci Tit. 6., cujus est haec inscriptio -- *De Conventu Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe* -- dispositum reperiatur in haec verba -- *Romanus Sanctorum duodecim Apostolorum Conventus peculiari providentia, Sancta Reformationis disciplina, Sacrorum studiorum propagatione, divinarum rerum obsequio, ac temporalis administrationis cura, quam diligentissime regendus est, statuimus propterea, ut ex quibuscumque, tam ultra, quam citra Montes Provinciis Patres, & Fratres, qui vitae integritate, morum compositione, ac sapientia inter caeteros conspicui sint, ibi de familia collocentur; sint tamen ad superiorum arbitrium amovibiles; inutiles verò Fratres a Generali Ministro omnino removeantur. Sint vero ea vitae innocentia, eaque puritate conspicui, ut nec Praelaturas ambitiosae praeventionis titulo, nec aliud quidpiam, quod Religiosos viros dedeceat, ullo pacto perquirere, vel attentare praesumant.* Praemissa vero tametsi saluberrime fuerint instituta, & ordinata consilio, nihilominus non ita exacte, & accurate, ut par est observentur: Hinc est quod Nos eadem praemissa prospero, felicique dicti Conventus regimini, & gubernio apprime conducibilia esse, & fore considerantes, ac proinde perpetuo illorum robori, & inviolabili observationi, & ne ea in posterum ullo modo convelli, vel labefactari possint, pro commissa Nobis coelitus Pastoralis Officii cura praecidere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, eadem praemissa ex memoratis Constitutionibus excerpta tenore praesentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac ea omnia, & singula ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse de caetero observari mandamus, & praecipimus, illaque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi, vel allegari posset, restituimus, & plenarie reintegramus.

Particula Constitutionum.

Causa Confirmationis.

Confirmatio d. particulae motu proprio edita.

§. 1. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis, aut quovis alio quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu ad terminos juris reduci, vel in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse.

Clausulae.

§. 2. Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, & alios quoslibet quacumque praeeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nec ipsis praesentibus literis unquam derogari posse, aut derogatum censeri per quascumque Literas Apo-

Apostolicas non facientes specificam, & individuam de eisdem præsentibus literis mentionem.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventus, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VI. Decembris MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXVIII. Condemnantur duæ theses, seu propositiones, una tamquam hæretica, altera tamquam scandalosa, temeraria, & piarum aurium offensiva.

Dat. 24. Aug. 1690. An. I.

Feria v. die 24. Augusti 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctiss. D. Nostro Alexandro Divina Providentia Papa VIII., ac Eminentiss. & Reverendiss. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Exordium. SAnctissimus D. N. ALEXANDER PP. VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere; Et cum sui Pastoralis officii munus sit, oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, ac deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries, & mature discussis infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

Propositiones condemnatæ.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis vero in conformitate actus cum regula morum: Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: Hunc Homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

II. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plene, & mature consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis; Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, itaut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim, seu Propositionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Die 24. Augusti 1690. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancel. Apost., in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Petrinum D. N. PP., & Sñæ Inquisit. Curs.

XXIX. Triginta, & una Propositiones tamquam temerariæ, scandalosæ, male sonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ, hæreticæ respective damnantur, & prohibentur, easque vel docere, vel defendere tam publice, quam privatim sub pœna excommunicationis interdicitur.

Dat. 7. Dec. 1690. An. II.

Feria v. die 7. Decembris 1690.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctiss. D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VIII., ac Emis, & Rmis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Exordium. SAnctissimus D. N. ALEXANDER Divina Providentia PP. VIII. prædictus: Pro Pastorali cura ovium a Christo Domino sibi commissa de earum salute solicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Emis, ac Rmis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ videlicet.

I. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

II. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato mortali.

III. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

IV. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus & solis Fidelibus.

V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

VI. Gra-

VI. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, *A gratia sufficienti: libera nos Domine.*

VII. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, Charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

VIII. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

IX. Re vera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

X. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut Cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

XI. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

XIII. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

XIV. Timor gehennæ non est supernaturalis.

XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

XVII. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

XVIII. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

XIX. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

XX. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

XXI. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

XXII. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

XXIII. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest Amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

XXIV. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. Virgine MARIA in die Purificationis suæ per duos Pullos Columbarum, unum in holocaustum & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.

XXV. Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

XXVI. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est.

XXVII. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermissis illis, *Ego te baptizo.*

XXVIII. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit. *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

XXIX. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

XXXI. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus mature consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit XXXI. Propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, itaut quicunque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas XXXI. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Confirmantur, innovantur, declarantur, & ampliantur Constitutiones Inn. XI. aliorumque contra surripientes, vel retinentes Hostiam consecratam. XXX.

Dicta Innoc. XI. Constitut. ed. fuit 1677. Mar. 29. Pont. 1.

ALEXANDER EPISCOPUS

Dat. 22. Dec. 1690. An. 2.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Inn. XI.

CUM alias a fel. recor. Innocentio Papa XI. prædecessore nostro emanaverint Literæ tenoris -- INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei, *Ad perp. rei memor.* Ad nostri Apostolatus auditum (*Reliqua vide suo loco*). Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto quarto idus Martii Pontif. Nostri Anno Primo.

Scopus Pontificis in hac Const.

§. 1. Hinc est, quod Nos tam execrandum scelus, ac nefariam temeritatem, quantum in Nobis est, cohibere, & propterea præinsertam, & quascumque alias tam Sacrorum Canonum, quam aliorum Romanorum Pontificum pariter prædecessorum Nostrorum Constitutiones, & Ordinationes favore Fidei Catholicæ, ac Officii Sanctæ Inquisitionis in præmissis, & circa ea quomodolibet emanatas confirmare, & respective declarare, ampliare, & extendere volentes, Motu proprio non ad alicujus super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, præinsertas Literas d. Innocentii prædecessoris, necnon prædictas Constitutiones, & Ordinationes, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, quorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, earumdem tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, & innovamus, easque inviola-

Confirmatio, & innovatio prædd. Constitutionum motu proprio edita.

bilitet, & inconcuſſe ſervari volumus, & mandamus.

Declaratio & ampliatio earundem.

Nullæ excipiuntur perſonæ.

§. 2. Et nihilominus omnes quaſcumque, & ſingulas perſonas, tam Sæculares, quam Eccleſiaſticas, etiam Regulares cujuſcumque Dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Sancti Joannis Hieroſolymitani quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clauſis munitas, & ſuffultas, ſpeciali, ac etiam ſpecialiſſima nota dignas, & eas, quæ nominatim, & individualiter exprimi debent, neque aliter, quam ſub præſcripto certæ formæ in generalibus, aut ſpecialibus Conſtitutionibus includi, & comprehendi poſſunt, ac ſolent, nulla prorſus excepta, ſub præinſerta Innocentii prædeceſſoris Conſtitutione prædicta comprehenſas, & ſi quas ex eis pro tempore atrociſſimi hujus criminis Reos eſſe conſtiterit, has omnibus, & ſingulis, tum antiquis, tum in dicta præinſerta Innocentii prædeceſſoris Conſtitutione innovatis, etiam quoad Eccleſiaſticos degradationis realis, & traditionis brachio Sæculari pœnis omnino, & irremiſſibiliter obnoxias fuiſſe, & eſſe, cognitionemque prædicti ſceleris contra eas ad Ordinarios Eccleſiaſticos, & ad Inquiſitores contra hæreticam pravitatem, qui juxta hujus noſtræ, & aliarum quarumcumque ad favorem Fidei, & Officii Sanctæ Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutionum editarum formam, & tenorem procedere valeant, ac debeant privative quoad alios quoſcumque, ſpectaviſſe ac ſpectare, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & conſilio pariter tenore præſentium declaramus, ſtatuimus, atque decernimus.

Cognitio hujus ſceleris privative pertinet ad S. Inquiſitionem.

Comprehenduntur etiam per ſe, vel de mandato retinentes, vel alio transferentes Hoſtias.

§. 3. Inſuper hac eadem Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione iiſdem motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & conſilio, memoratam præinſertam dicti Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem cum declarationibus, ac diſpoſitionibus prædictis, omnibuſque, & ſingulis ſuperius expreſſis, & contentis, contra quoſcumque, ſive Sæculares, ſive Eccleſiaſticos, etiam Regulares, ut præferrur, expreſſos, qui dictas Hoſtias, vel particulas conſecratas quocumque modo, etiam ſive qualitate furti per ſe ipſos, vel alios quoſcumque, aut de alterius mandato habuerint, ſeu retinuerint, vel alio transferre, ſeu tranſportare præſumpſerint, ſuper quibus ſtari volumus judicio, & interpretationi præfatorum venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Inquiſitorum, quibus pariter cognitionem ſuper prædictis reſervamus juxta caſuum, & perſonarum circumſtantias, & qualitates cum iiſdem pœnis, etiam traditionis brachio ſæculari, earumdem tenore præſentium ampliamus, & extendimus.

Clauſulæ.

§. 4. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ memoratus Innocentius Prædeceſſor in ſuis Literis præinſertis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, quod præſentes Literæ, poſtquam ad valvas Eccleſiæ Lateranen., ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex noſtris Curſoribus, ut moris eſt, publicatæ, & affixæ fuerint, omnes, & ſingulos, quos concernunt, ac concernent in futurum, perinde afficiant, & arctent, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent, quodque illarum tranſumptis ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum fides adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi oſtenſæ, & exhibitæ forent.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum Confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, declarationis, ſtatuti, Decreti, reſervationis, ampliationis, & extenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo, XI. Kal. Januarii Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

XXX[I]

Confirmantur quædam Decreta Capituli Generalis Ord. Servorum B. M. V.

Dat. 13. Ja[n.] 1691. An[...]

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordiu[m]

Militantis Eccleſiæ regimini per abundantiam divinæ bonitatis, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, præpoſiti, illa quæ pro felici, proſperoque Religioſorum Ordinum in Eccleſia Dei pie, ſancteque inſtitutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adſpirante ſuperni favoris auxilio proferre jugiter ſatagentium gubernio, & progreſſu, provide, ſapienterque conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, libenter cum id a nobis petitur, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio conſtabilimus.

Decreta prædicta [...] ta fuere [...] Capitulo [Ge]ner. 1690

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Prior Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis, quod noviſſime, videlicet Menſe Aprili proxime præterito in hac alma urbe celebratum fuit, pro felici ipſius Ordinis, ejuſque Fratrum regimine, & directione, edita, & facta fuerunt nonnulla Decreta tenoris qui ſequitur, videlicet:

Decreta Capituli Generalis Fratrum Ordinis Servorum B. V. M. celebrati in Conventu Sancti Marcelli de Urbe die 30. Menſis Aprilis Anni 1690.

De Fe[sto] B. M. V.

Primum, quod Feſtum Septem Dolorum B. M. V., quod ex Apoſtolicæ Sedis indulto quolibet anno tertia Dominica Septembris celebratur, habeatur tanquam feſtum principale noſtri Ordinis, in cujus honorem Sabbato immediate antecedenti regulare Jejunium ab omnibus noſtri Ordinis Fratribus, & Sororibus ſit obſervandum, ita ut a nullo Superiore diſpenſari poſſit extra caſum neceſſitatis.

De Veſti[bus]

2. Priores Conventuum obſervari curent cap. 19. noſtrarum Conſtitutionum de veſtibus, quod ſi corrigere negligant ſuos ſubditos pileos uniformiter religioſos non deferentes, aut bireta ſerica, chirothecas, vel pallia per Civitatem, vel quid aureum aut argenteum ſuis in veſtibus, aut manibus portantes, utraque voce careant in proxime futuro Capitulo Provinciali: cui itidem pœnæ ſubjicientur Priores, ſi Sacerdotes ſine Scapulari Sacra peragere, aut cum bireto ſine amictu ad altare accedere, vel in ſacris peragendis tunica brevi, ſcilicet itineraria uti permittant.

De Lu[dis]

3. Quod omnes, & ſinguli, aut inter ſe, aut cum ſæcularibus ludos a lege prohibitos habentes, excommunicationem incurrant, reſervata facultate abſolutionis, juxta formam Conſtitutionum.

De Prof[eſſis]

4. Quod Juvenes profeſſi nullimode a conventibus in quibus eſt Novitiatus, aut Profeſſatus uſque ad annum vigeſimum primum ætatis removeantur, qui pariter de idoneis Magiſtris ad literariam eruditionem ſpectantibus ſubſidio honorario a Capitulo Provinciali taxando, conductis, ſint proviſi. Quod ſi contigerit aliquem Juvenem profeſſum ob legitimam cauſam a Provinciali removendum eſſe, talis Juvenis in alio Conventu, in

quo vel Novitiatus, vel Professatus sit, de familia assignetur, consulto tamen prius Priore Generali.

5. Si redditus Conventuum non sint sufficientes, ut in illis Juvenes professi alantur, tunc in Capitulo Provinciali decernantur subsidia, quibus in prædictis Conventibus Professatus institui queat, & conservari.

de Priori- 6. Item decrevere, ut Dietæ auferantur, & quod Priores Provincialium more durent per triennium, hoc tamen pacto, quod quolibet triennio a Generali, consulto Provinciali, confirmationem petant, & obtineant. Quod si justis de causis Generalis illos confirmare noluerit, tunc eligatur a Generali, Provinciali, & socio novus Prior, qui perseveret in officio usque ad Capitulum Provinciale, eadem quolibet anno confirmatione a P. Generali obtenta. Priores autem qui de facto sunt postquam per biennium suo fuerint officio perfuncti, illos Prior Generalis, aut confirmare, aut novum Priorem, si expedire videbitur, eligere valeat usque ad proximum futurum Capitulum Provinciale.

Provin. Corficæ. 7. Mature considerantes Diffinitores, quomodo in Provincia Corficæ abusus aboleri, ac Religiosi mores introduci possent, post reiteratas, ac diligenter discussas varias propositiones decrevere, quod quinque Conventus, qui sunt in Corsica aggregentur quatuor aliis sub dominio Januensium, & Ducis Massæ existentibus, & ex illis nova erigatur Provincia, quæ Genuensis nominetur. Cæteri vero novemdecim Conventus, qui vel sub Ducatu Sabaudiæ, vel aliorum Principum Dominio existentes ad Provinciam Genuensem modo spectant, aliam efforment Provinciam, quæ Pedemontana dicatur, dummodo tamen Conventus Taurinensis subsit oneribus, quibus suberat Conventus Genuæ quoad contributiones.

Provin. Lombar. 8. Item perpendentes varia, & multa inconvenientia, quæ in Provincia Lombardiæ, ob Conventus sub diversorum Principum Dominio locatos contingant, statuere, quod ex viginti quatuor Conventibus, qui præsentem Lombardiæ Provinciam efficiunt, quatuordecim sub Ducatu Mediolanensi existentes, comprehenso Conventu S. Joannis Baptistæ de Mandrisio in Ditione Helveticorum, segregentur a cæteris, & recentem Provinciam efforment, quæ Mediolanensis vocetur; altera vero ex decem reliquis Conventibus conflata, antiquam denominationem retineat Provinciæ Lombardiæ.

Provin. Germa. 9. Cum decem, & novem Conventus Provinciæ Germaniæ multum inter se sint dissiti, decrevere, ut ex illis omnibus in proximo Capitulo Provinciali, duæ erigantur Provinciæ, quæ divisio facienda sit per Diffinitorem Generalem, Priorem Provincialem, Socium, Diffinitores Provinciæ, & Diffinitores perpetuos, habito tamen consensu P. Generalis. Hujusmodi autem, & supra relatæ Provinciæ, quando erunt divisæ, hunc Ordinem inter se servabunt, ut Provincia illa, in qua principalis Conventus ex Religionis annalibus apparebit antiquior, aliam præcedet, ab eisque decernatur præcedentia.

promo- is ad, us. 10. Quod promovendi ad gradus possint promoveri sive in Capitulo Provinciali ad formam Constitutionum, sive in visitationibus juxta Indultum Sa. Me. Clem. IX. In Conventibus tamen, in quibus studium majus vigeat, scilicet in Provincia Tusciæ in Conventu Sanctissimæ Annunciatæ de Florentia: In Provincia Romana in Conventu Sanctæ Mariæ Novæ de Perusio: In Povincia Romandiolæ in Conventu Servorum Bononiæ: In Provincia Mediolanensi in Conventu Servorum de Mediolano: In Provincia Lombardiæ in Conventu B. Virginis de Regio: In Provincia Tervisina in Conventu Servorum Patavii: In Provincia Venetiarum in Conventu Servorum de Venetiis: In Provincia Mantuana, vel in Conventu S. Barnabæ de Mantua, vel S. Georgii de Bononia: In Provincia Genuensi in Conventu Servorum Genuæ. In Provincia Pedemontana in Conventu Sancti Primi de Papia: In Provincia Neapolitana in Conventu S. Mariæ Mergellinarum: In Provinciis vero Hispanica, & Gallica ad libitum Patris Generalis, cui promotioni interesse possint, si velint, & qui sunt Diffinitores perpetui, & qui sunt, vel fuere Regentes.

11. Cum justis de causis, nemo ex promovendis ad gradus in proxime elapsis Capitulis & Dietis fuerit promotus, Diffinitores decrevere, quod P. Generalis tempore visitationis habendæ in Conventu Sanctissimæ Annunciatæ de Florentia possit illos promovere, & habeantur ac si promoti fuissent in Capitulis, & Dietis proxime elapsis pro hac vice tantum.

12. Item quod observetur Decretum Capituli Generalis anni 1682. ne quis scilicet Exprovincialium publicæ correctioni Prioris subjiciatur, dummodo tamen publice, & non provocatus Priori non insultet, & quod Exprovinciales præcedant cæteros Magistros, qui non fuere Provincialis officio perfuncti. Exprovinciales verò inter se servent ordinem promotionis ad Magisterium, quibus privilegiis fruantur etiam, qui Theologiam vel alias scientias, in aliqua publica Universitate, vel ut Regentis in aliquo majori studio per duodecim annos Theologiam professi fuerint, sicut etiam qui Procuratoris Generalis officio fuere perfuncti: Decretum autem in Capitulo Generali anni 1652. emanatum habetur ad verbum in Registro generali *lib. 12. fol. 2. n. 3.* Provincialis &c. De Exprovincialibus, aliisque.

13. Item decretum fuit, quod Procurator Ordinis præcedat omnes Provinciales extra eorum Provincias existentes, non vero in propria provincia. De Procuratore Ord.

14. Si in electionibus faciendis, contigerit duos ex propositis vota habuisse paria supra medietatem, tunc ad Præsidentem Capituli spectet decernere, quisnam illorum præferendus sit; si verò nullus remaneat electus in Provincialem, tunc per tres vices termino duorum dierum faciendas, iterum fiat electio, quod si adhuc nullus remaneat electus, tunc Provinciam regat Diffinitor Generalis, donec P. Generalis Sanctam Sedem consulat, & conformiter ad ejus oraculum provideat. De Electionibus.

15. Item, quod omnino servetur cap. 6. Constitutionum descrip. ad habitum. In casu vero transgressionis Provincialibus, & Prioribus fuit imposita pœna privationis vocis activæ, & passivæ in futuro Capitulo Provinciali. Fratres verò alterius Religionis professi neque ab ipso Generali absque consensu Capituli Provincialis recipi possint. De recipiendis ad habitum.

16. Placuit prætatum *cap. 6.* extendere, quod scilicet quilibet recipiendus ad habitum, habeat consensum Patrum Conventus illius Civitatis, vel loci, in qua natus est, vel Conventus vicinioris, si nullus Conventus sit eo in loco, in quo est natus.

17. Cum Priores Conventuum iteratis vicibus magno Conventuum detrimento per notabile tempus a suis Conventibus abesse audeant, Decretum fuit, ne quis illorum in posterum per iteratas vices ultra mensem, vel aliud tempus notabile in anno sine licentia sui Provincialis abesse possit sub pœna privationis ab officio juxta formam Constitutionum *cap. 19.* De residentia Priorum.

18. Ad obviandum dissentionibus hucusque oriri solitis decretum est in Ecclesia S. Philippi de Tuderto nullam in posterum erigendam esse Societatem Sæcularium. De Societate Sæcularium.

19. Item decretum fuit, quod P. Generalis curam Annales Ordinis continuandi alieni in Chronologicis perito demandet; cujus petitionem a nostri Ordinis Conventibus transmittantur notitiæ ad Religionem spectantes, quæ in ipsorum archiviis reperiuntur. De Annalibus Ord.

20. Item considerantes Diffinitores quantum incommoda sit visitatio Conventus Sanctissimi Salvatoris de Monte Ferrato Provinciali Mantuæ, ut De Conventu S. Salvatoris.

fere

fere nunquam visitetur, decrevere quod in posterum præfatus Sancti Salvatoris Conventus ad Provinciam Pedemontanam, & illius loco ad Mantuanam Conventus Sancti Syri de Castro Noveto spectent; sicque utrisque Provincialibus, commoda erit respective visitatio.

Preces Prioris Generalis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Prior Generalis Decreta hujusmodi, quippe ad conservandum & solidandum in Ordine prædicto regularis observantiæ vigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentia, exactiorique observatione, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula Decreta præinserta, in eisque contenta quæcumque, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, ac Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Januarii MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXII. Conceditur Clericis Scholarum Piarum facultas emittendi Professionem ante biennium Novitiatus.

Const. ed. 1690. Febr. 22. P. 1. eis concessa fuere calcei, & tibialia. Et a Clem. XI. Const. ed. 1708. Jun. 19. P. 8. Confirmatur eorum introductio in Civit. Albanen.

Dilecto filio nostro Gaspari S. R. E. Presbytero Cardinali Carpineo nuncupato nostro in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 23. Jan. 1691. An. 2.

Dilecte fili noster Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quod juxta dispositionem Constitutionum dictæ Congregationis auctoritate Apostolica confirmatarum Novitii Congregationis hujusmodi biennium Novitiatus ante professionis regularis emissionem peragere debeant.

A Constitutionibus biennium Novitiatui assignatur.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicta Congregatio Religiosis, qui literarum studiis apprime instructi vacationis suæ officiis erga proximos satisfaciant, plurimum indigeat, studia vero præfata in Domibus Regularibus ipsius Congregationis Novitiatui hujusmodi agendo destinatis, in secundo ipsius Novitiatus anno, prout dictæ Constitutiones permittunt, attenta earumdem Domorum paupertate, quippe quæ ex eleemosynis sustentantur, nequaquam peragi valeant, ac proinde idem Procurator Generalis opportunam Noviiiis supradictis facultatem ad professionem præfatam juxta formam a Concilio Tridentino Cap. XV. Sess. 25. de Regularibus præscriptam post unicum probationis annum, pro Superioris Generalis dictæ Congregationis pro tempore existentis arbitrio, emittendam, quemadmodum alias a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad certum tunc expressum tempus concessa fuit, similiter a nobis concedi summopere desideret. Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii præfati Interpretum consilio, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis petitam facultatem emittendi professionem regularem supradictam, peracto uno dumtaxat Novitiatus hujusmodi anno Clericis Novitiis memoratæ Congregationis auctoritate nostra Apostolica pro suo arbitrio, & prudentia gratis impertiatis, salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Causæ prædictæ Concessionis.

Preces Procuratoris Generalis.

Concessio præfatæ facultatis.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Scholarum Piarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Jan. MDCXCI. Pontif. nostri Anno Secundo.

INNOCENTIUS XII.
PONTIFEX CCXLVI.
ANNO CHRISTI MDCXCI.

INNOCENTIUS XII. Neapolitanus, Antonius Pignatellus antea vocatus, Ducis Minervini Filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Tit. Sancti Pancratii, Episcopus Aletinus, postea Archiepiscopus Neapolitanus: Summus Pontifex electus fuit die 12. Julii 1691. Coronatus vero die 15. ejusdem Mensis; Creavitque Cardinales 29. Vixit annos 85., Menses 6., dies 14.; In Pontificatu autem annos 9., Menses 2., dies 15. Obiit die 27. Septemb., 1700. sepultusque fuit in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes Mensem 1., dies 26.

I.

Promulgatur Canonizatio S. Joannis a S. Facundo Ord. Erem. S. Augustini, una cum Indulgentia in ejus Festo.

Permissum fuit ejus Officium & Missa a Clem. VIII. die 19. Junii 1601. Sanctus vero declaratus fuit ab Alex. VIII. die 16. Octob. 1690. Pont. 1.

15. Julii An. 1.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

rdium.



RATIONI congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Romana Curia commorantium unanimi consilio decreta, definita, & statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

e causa atusSS. dscrip- erit ab VIII.

§. 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII. Prædecessor Noster pia secum consideratione perpendens, quod Gloriosus in Majestate sua Unigenitus Æterni Patris Filius Christus Dominus, & Redemptor Noster, qui omnes Homines vult salvos fieri, & veniens in hunc Mundum pacem evangelizavit, e Cælorum summitate prospiciens conditionis humanæ dignitatem, satis nunquam deploratæ miseria, cui primi Parentis culpa dedit initium, deformatam, criminumque tenebris obscuratam, ineffabili semper dispositione providit, ut suis apte temporibus exurgerent Viri sanctitate conspicui, qui hominibus senescente Mundo in pejora ruentibus adjutrices manus porrigerent, & gliscentium vitiorum spinas de Ecclesiæ vinea evellerent, ac tanquam lucernæ inter effusas peccatorum tenebras viam ad cælestem Patriam commonstrarent. Et hinc dum Hispania partim Mahumetanæ perfidiæ, & Saracenæ tyrannidis pertinacibus adhuc reliquiis occupata, partim frigescente charitate præpotentibus, ac pluribus diræ præsertim simultatis vitiis languebat oppressa, ad illuminandas obtenebratas peccatorum mentes, eosque revocandos ad viam salutis, & pacis, Joannis de Sancto Facundo nuncupati spiritum suscitavit, qui in tempore iracundiæ factus reconciliatio, ac æmulatus charismata meliora, ore simul, & opere doceret, quanta erga Deum æstuaret charitate, quanta in proximum dilectione, quantoque contra vitia, & dissidia afficeretur odio, factus contra ea declamator acerrimus. Justum proinde idem Alexander Prædecessor ratus, ut eximium hunc Virum virtutibus, & miraculis præclarum, quem corona expressa signo Sanctitatis Dominus redimiverat in Cælis, Sanctorum etiam laurea coronaret in terris, operi jamdiu pertractatæ Canonizationis ultimam manum admovit, servatis tamen servandis, & præviis legitimis processibus, quorum summam juxta memorati Prædecessoris præordinationem ad perpetuam rei memoriam, & Christifidelium ædificationem hisce Apostolicis literis duximus recensendam, ut sequitur. Vita d. Sancti ab hoc Pontifice describitur.

§. 2. In Oppido Sancti Facundi vulgariter Sahagun nuncupati, eaque Hispaniæ parte, quæ vergit ad Septentrionem, prope Diœcesim Legionensem post diuturnam matris sterilitatem piis parentum precibus impetratus Joannes, circa annum reparatæ salutis millesimum quadringentesimum trigesimum natus est: ut vero sortitus erat animam bonam, pie a parentibus educatus cœpit ab ipsa pueritia non obscura dare futuræ sanctitatis indicia. Ejus Nativitas & pueritia. Præventus enim a Domino in benedictionibus dulcedinis, & inde puerilia pertæsus, ac de pace condiscipulorum solicitus, quæ ad concordiam, bonos mores, pietatem, cæterasque virtutes conferebant, illis proponebat, ejusque zelo succensus, qui linguas infantium facit esse disertas, ubi vel locus, vel saxum prominens occurrebat, mira supra ætatem facundia concionabatur, innocenti præsignans tyrocinio, quantus, quam-

que proficuus præco altissimæ veritatis esset futurus.

Adolescentia.

§. 3. Ætate, & virtute adolescens humanioribus literis, Philosophiæ, & Theologiæ, multoque magis pietati operam dedit apud Monachos Sanctorum Facundi, & Primitivi. Interim vero ordinatus in Clericum, beneficio, cui cura animarum imminebat, per Vicarium, donec ad Presbyteratum promoveretur regendo, Patre adnitente præponitur. At Evangelicum documentum boni pastoris cognoscentis oves suas, & ab illis cogniti reformidans, atque inde anxius tum de ovibus non pastoris, sed mercenarii custodiæ, quamvis temporaliter creditis, tum de fructibus non suæ, sed interpositæ personæ labore partis, illibatam conscientiam, cujus stimulis angebatur, non prius, quam eodem beneficio dimisso pristinæ tranquillitati restituit.

Plura argumenta charitatis erga proximum.

§. 4. Emenso studiorum curriculo inter Episcopi Burgensis familiares adscitus, ea enituit morum honestate, præclaraque indolis specie, ut apud ipsum intimam nactus benevolentiam, & gratia valens, pro omnibus, præsertim pro pauperibus ad suum Pastorem confugientibus non inutilis intercessor existeret. Sacris insignitus ordinibus a memorato Episcopo amplo Ecclesiæ Burgensis Canonicatu donatus, post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris, sed manum suam inopi liberaliter aperiens, & palmas suas extendens ad pauperem, uti fidelis dispensator, & prudens, uberes dicti Canonicatus, & aliorum beneficiorum fructus dispersit, dedit pauperibus, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi.

§. 5. Nec tamen hic substituit ardens ejus Deo placendi, & serviendi desiderium, sed ut proprium electorum est, ire de virtute in virtutem, ad altiora respiciens, & Christum propter Christum non propter sua quærens, familiari, quo apud præfatum Episcopum Burgensem fungebatur ministerio, Canonicatui, & beneficiis omnibus abrenuncians, solisque eleemosynis pro Missæ sacrificio ad sui sustentationem contentus, ferventius orationi, & attentius sacrorum librorum lectioni animum adjunxit, & ne sibi solum, sed aliis viveret, cœpit verbum Dei magno auditorum concursu, parique profectu in eadem Burgensi Civitate annunciare.

§. 6. Irrepserat tunc Salmanticæ summa, & impunis peccandi licentia, adeoque exarserant potissime inter Nobiles intestina odia, & pertinacia diffidia, ut inde Civitas in efferatas factiones scissa, maxima animorum acerbitate, cædiumque frequentia sæviret, quando Æterna Majestas charitatem Servi sui, ut illuc tanquam pacis Angelus pergeret, excitavit. Piis ibi operibus, & verbi Dei prædicationi præ viribus, & utiliter plurium annorum spatio addictus, nihil timuit, nihil recusavit, nihil omisit, ut animas peccatorum cœno eruens, Deo lucrifaceret, & civiles flammas rore pietatis, & imbre prædicationis extingueret.

Ingressus in Religione S. Augustini, & in ea progressus.

§. 7. Sed ut Dei virtus in infirmitate Joannis magis eluceret, gravi calculorum morbo corripitur, a quo cum non posset, nisi extremo, & ancipiti sectionis remedio Medicorum judicio liberari, in eo qui sanat omnes infirmitates, confisus, votum vovit religiosæ vitæ instituum capessendi, si ab eodem gravi morbo, gravioríque sectionis discrimine ad majorem Dei gloriam convaluisset. Exaudivit Dominus deprecationem Servi sui, qui pristinæ restitutus sanitati, reddidit Altissimo vota sua in Religione Eremitarum Sancti Augustini, selecto Salmanticensi Conventu, ubi Regularis disciplinæ strictior observantia vigebat.

§. 8. Annum agens probationis, licet ætate provectus, gradu Baccalaureus, Ordine Sacerdos tanta enituit humilitate, modestia, & obedientia, ut tanquam lucerna super candelabrum luceret omnibus, qui in domo erant; tyrocinium quippe Religionis virtus veterana præcesserat. Emissa professione per arduas Regularis perfectionis semitas abnegando semetipsum, jactoque profundo fundamento humilitatis in sublime virtutum consurrexit, & exinde animarum zelo magis exardens, ac propterea omnia sustinens, in Deo, qui perennis charitas est, mansit, & Deus in eo.

Inimicitias sedavit.

§. 9. Superseminaverat interea humani generis inimicus plura, & pejora vitiorum, & recrudescentium diffidiorum zizania, ad quæ eradicanda e claustro revocatur Joannes, qui Religionis lorica, & Dei virtute præcinctus, pietatis, ac pacis inimicos sic in Domino adorsus est, & persequutus, ut non converteretur, donec deficerent. Apostolico spiritu insurgebat in scelera, & fervido simul, ac facundo charitatis impetu sic vehebatur in odia, ut surdæ alioquin pacificis consiliis aures, & indurata inveteratis peccatis, & simultatibus pectora non possent resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur per os ejus. Hinc ut civium discordias evelleret, aliquorum magis pertinacium odia in seipsum convertit, dum illis vitia exprobrabat, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui; at nullis injuriis revocatus, nullis periculis, vel minis territus unquam potuit a sancto opere dimoveri, sed potius persequutionem patiens propter justitiam animo semper invicto nunquam fuit promptior, quam inter discrimina, nunquam fortior, quam inter adversitates; si tamen aliquando Divinum verbum seminavit in lacrymis, uberes etiam manipulos plurium animarum Deo reconciliatarum in exultatione messuit. Cum iis, qui odio habebant pacem, erat pacificus, & Evangelici Samaritani instar, sauciarum animarum misericordia motus, easdem opportune modo compungebat vino acris comminationis Divini judicii, modo fovebat oleo sperandæ remissionis peccati. Non e suggestu solum, sed in privatis colloquiis peccatores ad pœnitentiam, & discordes revocavit ad pacem. Natura mitis, aspectu jucundus, eloquio suavis, audientium conciliabat affectus, extinguebat odia, arcebat vindictas, felix mediator pacis, potens intercessor veniæ, strenuusque Salmanticensium diffidiorum dissipator, & sedator: Nec mirum quia Divino magisterio instructus ad aram Sacris operans de iis, quæ ad animarum salutem, & diffidentium pacem annuncianda erant, ab ipso Christo Domino erudiebatur.

In audiendis Confessionibus assiduus.

§. 10. Muneri concionandi ministerium addebat Sacramenti Pœnitentiæ, ut qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderant, Deo reconciliarentur. Impiger operarius in vinea Domini audiendis confessionibus pœnitentium, qui fama Sanctitatis, & experientia charitatis allecti ad eum jugiter confluebant, naviter, & proficue incumbebat, alios dulci sermone recreans, alios suavi simul, & gravi correctione ad contritionem excitans, & a recidivis lapsibus præmuniens gnarusque restitutionem rei alienæ esse actum justitiæ ad salutem necessarium, suspensa interim absolutione, confitentes ad illam peragendam non verbis solum, sed opportunis factis coadjuvabat.

Religiosi amoris in proximum argumenta.

§. 11. Eodem charitatis impulsu frequenter consolabatur afflictos, invisebat ægrotos, & quæsitis eleemosynis inopiam pauperum sublevabat, felix perditarum animarum venator, pro-

stitutarum

stitutarum mulierum, quas concionibus, cohortationibus, precibus, & quæsitis similiter opibus a dæmonis servitute redemptas, victimas ab impudicitiis purificatas offerebat Deo in holocaustum acceptabile.

§. 12. Nec secundum duntaxat ex duobus mandatis, in quibus universa lex pendet, & Prophetæ; dilectionis nimirum erga proximum fideliter servavit, sed multo magis primum, & maximum ardentis amoris, quo ferebatur in Deum ex toto corde suo, in tota anima sua, & in tota mente sua. Hinc in sæculo voluntariæ paupertatis studio pinguia beneficia Ecclesiastica dimisit, effusus in preces, in Dei meditatione defixus, & operibus pietatis addictus a mundo, ejusque illecebris segregatus vivebat; in claustro autem trium votorum exactissimus cultor, ac virtutum præfulgens exemplar, & quasi cælestem vitam agens, corpus suum hostiam viventem, & animam sanctam Deo placentem semper exhibuit; & tamen in hac innocentia vitæ, & cordis simplicitate singulis diebus non semel salutari Pœnitentiæ Sacramento magis purificari concupivit, quasi cum Psalmista ad Dominum incessanter clamaret: Amplius lava me.

§. 13. Cum igitur immaculatus ambulasset in lege Domini, & toto corde exquisivisset eum, meruit singularis charismate cælestis beatitudinis suavitatem in hac vita prælibare. Eo enim fidei, & charitatis ardore rapiebatur in Deum in augustissimo Missæ Sacrificio, ut Cæli gaudia prægustans, Christum Dominum Sole splendidiorem, & lucidiora stellis vulnera exhibentem intueretur, vivis è fontibus Salvatoris hauriens in gaudio fluenta vitæ, & arcana Cæli mysteria; unde ab Altare post longum temporis intervallum divelli vix poterat, quotidiana discens experientia, quam suavis esset Dominus, ejus mira dulcedine superfusus, quia tunc demum plenè satiaretur in gloria Dei: cujus eximii & perfecti doni descendentis a Patre luminum præter plurimos testes, & historicos omni fide dignos relator, & prædicator extitit Sanctus Thomas de Villanova, qui post obitum Sancti Joannis in eadem Religione, & Præsulatu Valentino suaves virtutum omnium odores effudit.

§. 14. Postremo cum bonum certamen certavisset, cursum consummavisset, fidem servavisset, Sacramentis Ecclesiæ effuso cordis affectu receptis, properans ad coronam justitiæ, die undecima Junii anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo nono pie, sanctèque obdormivit in Domino, qui fidelem Servum suum miraculis ad ejus intercessionem patratis clarificavit.

§. 15. Fama igitur sanctitatis, quæ eo viventе invaluerat, post obitum in dies excrescente, piæ mem. Paulus Papa III. etiam Prædecessor noster prævio examine processuum annis 1488. & 1525. ordinaria auctoritate factorum, per suas in forma Brevis expeditas literas die 22. Maii 1542. confectionem novorum processuum super puritate fidei, Sanctitate vitæ, & miraculis B. Joannis delegavit, quibus absolutis, & postmodum jussu recolendæ memoriæ Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri, primum per Hieronymum Pamphilium, & Joannem Garziam Millinum tunc causarum Palatii Apostolici Auditores, deinde per bo. me. Cæsarem tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Baronium, Silvium tituli Sancti Salvatoris in Lauro, Antonianum, & Robertum tituli Sanctæ Mariæ in Via, Bellarminum nuncupatos S. R. E. Presbyteros Cardinales, ex quibus Antonianus vitæ, & miraculorum relationem exaravit, & demum ad eorumdem Cardinalium relationem in Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum diligenter recognitis, & examinatis; idem Clemens Prædecessor piis claræ memoriæ Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, ac Collegii maximi S. Bartholomæi, necnon Prioris, & Fratrum Conventus S. Augustini Salmanticensis, ac Provincialis, & Fratrum ejusdem Ordinis Provinciæ Castellæ precibus benigne annuens, de supradictorum Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum voto, ut in Ecclesia Sancti Augustini Salmanticæ; ubi corpus ejusdem Beati Joannis etiam tunc requiescebat, & summa veneratione asservabatur, Officium, & Missa de communi Confessoris non Pontificis singulis annis postridie ejus obitum, nempe die duodecima Junii ob festivitatem S. Barnabæ antecedenti die undecima cadentem, libere, & licitè celebrari posset, similibus in forma Brevis literis die decimanona Junii 1601. datis indulsit, & hujusmodi Indultum idem Clemens Prædecessor prius ad Universum Ordinem Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, & quascunque Domos, & Ecclesias tam Fratrum, quam Monialium ejusdem Ordinis ubique locorum, & postmodum ad omnes Ecclesias tum Clericorum Sæcularium, tum cujusvis Ordinis Regularium Salmanticæ, & Oppidorum de Sahagun, seu Sancto Facundo Patriæ Servi Dei, necnon Ceæ patriæ ejus genitricis aliis in eadem forma Brevis literis sub diebus 15. Octobris, & 24. Novembris anni 1603. demum felicis recordationis Innocentius Papa X. etiam Prædecessor noster decreto memoratæ Congregationis Rituum approbato die 14. Februarii anni 1647. ad omnes Ecclesias Civitatis, & Diœcesis Burgensis extenderunt, & ampliarunt.

Quæ deinde ab eodem extensa fuere.

Similiter ab Innoc. X.

§. 16. Magisque interim fama sanctitatis, & miraculorum percrebrescente, & in vim specialis commissionis ab ejusdem recordationis Paulo Papa V. pariter Prædecessore Nostro signatæ confectis de annis 1622. & 1623. binis novis processibus remissorialibus, & compulsorialibus in præfatis Civitate Salmanticæ, & Oppido de S. Facundo, cum supervenerint notoria decreta similis recordationis Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, signata postmodum fuit a memorato Innocentio X. Prædecessore commissio reassumptionis causæ in statu & terminis, in quibus reperiebatur, eaque directa præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Congregationi, quæ attentis dictis literis in forma Brevis præfati Clementis Prædecessoris super concessione, & extensionibus respective indulti Officium, & Missam celebrandi, die 27. Junii 1651. ad relationem bonæ memoriæ Julii tunc tituli Sanctæ Susannæ Presbyteri Cardinalis Sacchetti nuncupati, declaravit constare, cultum Beato Joanni exhibitum fuisse, & tunc exhiberi vigore dictorum Indultorum Apostolicorum, & propterea hujusmodi casum inter exceptos in decretis ab eodem Urbano Prædecessore super non cultu editis comprehendi. Cumque in eorumdem decretorum exequutionem ex præfatis prioribus processibus ante indultam venerationem peractis plene constitisset de puritate fidei, sanctitate vitæ, & virtutibus requisitis ad solemnem Canonizationem; quorum relatio olim, ut præfertur, commissa Cardinalibus Baronio, Antoniano, & Bellarmino, & a dicto Cardinale Antoniano subscripta exhibita fuit una cum summario testium, & actorum desuper confecto; memorata Congregatio Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum die 21. Julii Anni 1668. ejusdem memoriæ Petro tituli Sancti Callisti Presbytero Cardinali Vidono nuncupato referente, censuit, procedendum esse ad ea, quæ post venerationem supervenerant, si placuisset piæ memoriæ Clementi Papæ IX. etiam Prædecessori Nostro, qui facta prius prædictorum relatione eadem die benigne annuit.

Examinatis, examinandis, & edito a Congr. Decreto, permissum fuit a Clemen. IX. examen eorum post exhibitum cultum.

Probatio relevantia, & veritate duorum, a Congreg. definitum fuit deveniri posse ad Canonizationem.

§. 17. Quare in Congregatione coram ejusdem memoriæ Clemente Papa X. similiter prædecessore nostro habita die octava Martii anni 1672. ad relationem præfati Cardinalis Vidoni discusso dubio de iis, quæ post indultam Beato Joanni venerationem supervenerant, idem Clemens X. prædecessor Consultoribus prius auditis de Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus Præpositorum consilio decrevit, ex dictis posterioribus Processibus in eadem Sacra Congregatione die 25. Septembris anni 1663. examinatis, & approbatis, constare de eorum relevantia, nempe continuatione famæ sanctitatis, devotionis Populorum, & miraculorum, & percrebrescentia cultus, & venerationis, ac ex octo inter plura selectis duo miracula concludentissime probata esse declaravit: Primum scilicet Elisabethæ Gomez de la Roccha, quæ cum cancro in mammilla sinistra per sesquiannum inveterato, & in molem insignem aucto, & altero subtus brachium in latere sinistro prope cor Medicorum judicio insanabilibus laborasset, post accessum ad Sepulchrum ejusdem Beati, illiusque invocationem, necnon post confessionem Sacramentalem, & susceptionem Sanctissimæ Eucharistiæ, ac impositionem habitus illius super mammillam mane sequenti iterata Beati invocatione, sana, & incolumis a prædictis cancris, & acutis, quibus afficiebatur doloribus, absque ullo signo, seu vestigio prædictæ infirmitatis comperta est. Et quarum Emmanuelis de Castello gibbosi per triennium ex ruptura spinæ dorsi ob lapsum e scala, dum erat novennis, qui cum propterea cogeretur curvatus medio corpore manibus super genua appositis, & cum adjutorio substentaculi sic incedere, ut se erigere volens cum impetu procideret, ductus a matre ad sepulcrum Beati, ut novemdialibus precibus incumberet, illuc ingressus ab ingentibus, quos patiebatur doloribus, & ab incurvatione sanus evasit, consolidatis nimirum vertebris disruptis, cruribusque sic corroboratis, ut domum maternam veloci gressu redierit, substentaculum in altum gerens, ac demum etiam a gibbositate convaluit, postquam denuo a matre in Capellam Beati ductus Evangelium in fine Missæ lectum audivit, permanente tamen osse elevato, ubi prius erat gibbosus, quapropter eadem Congregatio audito prius in voce, & in scripti Fidei Promotore, & accersitis denuo Consultoribus, communi omnium voto censuit, eundem Clementem X. prædecessorem quandocumque sibi visum fuisset, posse ad solemnem ejusdem Beati Joannis de Sancto Facundo Canonizationem juxta S.R.E. Ritum, & Sacrorum Canonum decreta devenire, eumque Sanctum cum Deo regnantem definire, atque universali Ecclesiæ colendum, & venerandum proponere.

Preces, & suffragia Alexan. VIII. oblata fuere pro Canonizatione.

§. 18. Verum prædefunctis interim eodem Clemente X. ac similis memoriæ Innocentio Papa XI. etiam prædecessoribus nostris, solemni adhuc Canonizatione non expleta, cum aliæ preces memorato Alexandro prædecessori a Charissimo in Christo filio nostro Carolo II. Hispaniarum Rege Catholico, necnon a pluribus Venerabilibus Fratribus nostris tunc suis ejus Nationis Episcopis, ac dilectis filiis universo Sancti Augustini Ordine, ac pluribus ejusdem Nationis Civitatibus fuissent humiliter porrectæ, ac subinde Venerabilis Frater noster tunc suus Flavius Episcopus Portuen. S.R.E. Cardinalis Chisius nuncupatus, vice Venerabilis Fratris nostri tunc sui Alderani Episcopi Ostiensis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cybo nuncupati præfatæ Congregationis Præfecti morbo tunc detenti, in Consistorio ipsius Alexandri prædecessoris secreto summam processus, suamque, & aliorum Collegarum suorum dictæ S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum sententiam exposuisset, cæterique in eorum Consistorio præsentes Cardinales ei unanimi suffragio adhæsissent: Et postea in alio publico Consistorio, quo præter Cardinales præfatos etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in Urbe commorantes, & dilecti filii Romanæ Curiæ Prælati, ipsiusque Alexandri prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Joannes Franciscus Fagnanus nostræ tunc suæ Consistorialis Aulæ Advocatus de vita, virtutibus, & miraculis dicti Beati Joannis de Sancto Facundo dixisset, ac nomine Regis, Episcoporum, Civitatum, & Ordinis præfatorum supplices deprecationes pro ejusdem Canonizatione detulisset, idem Alexander prædecessor ejusmodi deprecationes libenter excepit, quibus Sanctorum albo adscribendus sibi proponebatur impiger contentionum sedator, ut æstuantibus undique sæculi hujus tot privatarum simultatum, & efferatorum bellorum fluctibus, atque procellis ad ejus præsidium conversi Fideles, pacem, & concordiam exposcentes, firmam tranquillitatis stationem, tum in via hujus vitæ, tum in Cælesti Hierusalem, quæ est beata pacis visio, felicissime consequerentur.

§. 19. Antequam tamen ad rei tam gravis deliberationem procederet, orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus publice indictis, & concessa ad hoc fidelibus indulgentia, Divinæ voluntatis beneplacitum, sine prævia cujus intelligentia infirma fuisset qualibet deliberatio, explorare satagit: Ac ad omnes accuratissimi Judicis partes explendas, exquisivit primum sententias præfatorum Venerabilium Fratrum nostrorum tunc suorum dictæ S.R.E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe commorantium, qui in Consistorio semipublico ad hunc effectum postmodum habito, præsentibus etiam nostris tunc suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ex iis quæ ab eo proposita, & relata fuerunt, Beatum Joannem de Sancto Facundo Canonizandum esse unanimibus suffragiis aperte decreverunt; Unde gaudens ex animo, hujusmodi Canonizationem in magnam Dei gloriam, splendidumque Ecclesiæ Catholicæ decus cessuram esse, aperte intellexit, ac decimam sextam tunc decurrentis mensis Octobris diem præclaræ hujusmodi solemnitati designans, perspectam eorumdem pietatem ad perseverandum in effundendis ad Dominum infallibilis veritatis enixis precibus, impense hortatus fuit, ut ipso inspirante præstantissimo huic negotio supremam rite manum imponere posset.

§. 20. His peractis cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum decretis, præfatæ S.R.E. consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda, & observanda erant, idem Alexander prædecessor prædicta designata die sextadecima Octobris anni præteriti millesimi sexcentesimi nonagesimi, Pontificatus sui secundi, in Sacrosancta Beati Petri Apostolorum Principis Basilica, quo solemni Ritu cum Venerabilibus Fratribus nostris tunc suis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus suis, Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo, & tertio pro Canonizationis decreto instantiis per dilectum filium nostrum tunc suum Petrum S. Laurentii in Damaso Cardinalem Otthobonum nuncupatum nomine memorati Charissimi in Christo filii nostri Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici, post sacros hymnos Litanias, aliasque preces, & post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam ad

honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua, matura deliberatione præhabita, & Divina ope sæpius implorata, ac de præfatorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, Beatum Joannem de Sancto Facundo una cum Beatis Laurentio Justiniano, Joanne a Capistrano, Joanne de Deo, & Paschale Baylon SANCTUM esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesia universali quolibet anno die ejusdem festo memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

§. 21. Eademque auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ejusdem Sancti Joannis ad sepulcrum, in quo ejus Corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta.

§. 22. Quibus peractis Deum Patrem Æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus veneratus, sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti Joannis merita precatus fuit, atque Missæ ad Altare Beati Petri Apostoli cum ejusdem Beati Joannis commemoratione a Venerabili Fratre nostro, tunc suo Palutio Episcopo Sabinen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Alteriis nuncupato solemni Ritu celebratæ interfuit, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concessit.

§. 23. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, relaxatione, concessione, aliisque præmissis, ex eo, quod super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ ejus superveniente obitu confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, relaxatio, concessio, aliaque præmissa a dicta die sextadecima Octobris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri Prædecessoris literæ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur; Quodque præsentes literæ ad probandum plene decreto, definitionem, adscriptionem, statutum, relaxationem, concessionem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 24. Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



† *Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.*

† *Ego Flavius Episcopus Portuen. Cardinalis Chisius.*

† *Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franzonus.*

† *Ego Petrus Episcopus Sabinen. Cardinalis de Alteriis S.R.E. Camerarius.*

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maidalchinus.*

† *Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.*

†

†

†

†

† *Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presbyter Cardinalis Acciajolus.*

† *Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Cardinalis Carpineus.*

† *Ego Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis d'Estrées.*

†

†

†

† *Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.*

† *Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Casanate.*

† *Ego Galeatius Tit. S.S. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Marescottus.*

† *Ego Fabritius Tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Spada.*

† *Ego P. Thomas Hovardus Tit. Sanctæ Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis de Norfolcia.*

† *Ego Joannes Baptista Tit. S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Spinula.*

†

† *Ego Savus Tit. S. Petri in Vincula Presbyter Cardinalis Millinus.*

†

† *Ego Fr. Laurentius Basilicæ Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis de Laurea.*

† *Ego Jacobus Tit. S. Mariæ in Ara-Cœli Presbyter Cardinalis de Angelis.*

†

†

†

†

†

†

† *Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis de Gæssen.*
†
† *Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Petruccius.*
†
†
†
† *Ego Joseph Saens Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre.*
† *Ego Leander Tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus M. Pœnitentiarius.*
† *Ego F. Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Carafa.*
† *Ego Bandinus Tit. S. Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciaticus.*
†
† *Ego F. Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis de Abdua.*
† *Ego Tussanus Tituli Sanctæ Agnetis extra Mœnia Presbyter Cardinalis de Janson de Fourbin.*
† *Ego Joannes Baptista Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Rubinus.*
†
† *Ego Joannes Baptista Tit. S. Bernardi Presbyter Card. Costagutus.*
†
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Flavius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Astallius.*
†
†
† *Ego Petrus Tituli S. Laurentii in Damaso Cardinalis Diaconus Ottobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.*
† *Ego Carolus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bichius.*
†
† *Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Homodeus.*
† *Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego Franciscus S. Angeli in Foro piscium Cardinalis Barberinus.*
† *Ego Laurentius S. M. in Aquiro Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

II. Promulgatur Canonizatio S. Paschalis Baylon Ord. Minor. Discalceatorum, una cum Indulgentia in ejus Festo.

Beatus declaratus fuit a Paulo V. die 29. Octobris 1618. Sanctus vero ab Alex. VIII. die 16. Octobris 1690. P. I. Alias Canonizationes vide in Constitutione præcedenti, & Clem. XI. Constit. ed. 1712. Maji 21. P. 12.

Dat. 15. Julii 1691. An. 1.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, tunc in Romana Curia commorantium, unanimi consilio decreta, definita, & statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu Literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Hic S. ab Alex. VIII. optimis de causis SS. albo adscriptus fuit.

§. 1. Dudum siquidem fel. recor. Alexander Papa VIII. Prædecessor noster, pia secum meditatione considerans, quod Unigenitus Dei Filius splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris qui pro lapsi medela hominis in utero Virginis caro factus, semetipsum exinanivit, obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut genus humanum tam ineffabili excitatum exemplo per humilitatis semitas secum ad æternæ gloriæ exaltaret consortium, haud raro infirma, ignobilia, & contemptibilia Mundi eligit, ut fortia quæque confundat, & non glorietur omnis caro in conspectu ejus, ac propterea paupertatem divitiis, ignobilitatem nobilitati, & simplicis animi demissionem elationi cogitantium sublimia præponens, sapientiam, & gloriam hujus Sæculi, ejusque Principum despicit, humili spiritu, & sincero cordis delectatus affectu. Inter alios autem ex hujusmodi conditione selectos, quibus Ecclesiam suam, quam humilitate vult crescere, fecundavit, anteacto Sæculo præstantissimum exaltatæ humilitatis exemplar erexit in suo fideli Servo Paschale Baylon Laico, seu Converso expresse professo Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum quem humilibus genere, & loco natum, custodiendisque ovibus addictum, sustulit de gregibus Ovium, & de post fœtantes accepit, implevitque Spiritu Sapientiæ, & intellectus, ut quem suscitarat de terra inopem, collocaret in Cælo cum Principibus Populi sui. Quibus de rebus certior factus idem Alexander Prædecessor ex processibus diligenti inquisitione confectis & sedula discussione examinatis, ex quibus de illius vitæ Sanctitate, & miraculis ad ejus intercessionem patratis evidenter constare percepit, Beatum Virum Sanctorum albo solemniter adscripsit, animo ex tunc revolvens hujusmodi vitæ, miraculorum, & actorum summam Catholicæ Ecclesiæ notam facere, quod cum ipse, morte præventus, non expleverit, Nos qui Divina disponente Clementia in ejus locum successimus, hujusmodi seriem ex memoratis processibus breviter desumptam, in hunc, qui sequitur, modum, ad perpetuam rei memoriam duximus enarrandam.

Vita d. S. primo describitur a Pontifice.

Ejus Nativitas.

§. 2. Anno a partu Virginis 1540. Sacro recurrente Festo Pentecostes, natus est Dei Servus in Oppido *Turris Formosæ* Diœcesis Seguntinæ in Regno Aragoniæ, ex Catholicis, sed pauperibus Parentibus, ablutusque fuit aqua Baptismatis, & procedente tempore Sac. Chrismate.

Pueritia.

§. 3. A teneris annis insigne futuræ Sanctitatis specimen dedit, dum adhuc puer quascumque mundi illecebras, & innoxios etiam ejus ætatis, & conditionis ludos, & exercitationes aspernabatur. Abiens post vestigia gregum, quorum custodiæ paterna illum inopia destinaverat, sedulo satagebat, ne illæ alienis agris, vel pascuis damnum aliquod inferrent. Virtutum cultor eximius orationi, abstinentiæ, pudicitiæ, & silentio deditus, a juramentis, mendaciis, detractionibus, ac vanis, & otiosis verbis penitus abstinebat, ac socios ad odium peccati, Deique Religionem, & amorem, ac in Deiparam pietatem qua verbo, qua exemplo suaviter excitabat, adeo ut omnes tantæ innocentiæ, & singularium virtutum admirationes jam tum prævidérent, magnos hujus Servi Dei futuros in Sanctitate progressus, quem in ætate puerili adeo innocentem vitam agere dignoscebant.

Adolescentia.

§. 4. Simplex, rectus, & timens Deum ætate simul, & virtutibus crescebat Paschalis humilitate, charitate, modestia, morumque suavitate, sic eorum, qui ipsum noverant, conciliabat affectus, ut sancta monita, & consilia libenter excipientes, & ipsum diligerent, ac in ejusdem conversatione magnopere delectarentur. Id quod præsertim accidit prædiviti cuidam ejus hero, qui prole carens, eundem adoptare, & suorum bonorum hæredem designaverat instituere, sed gnarus Paschalis, quod quicun-

que

que Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei, accipientes Spiritum adoptionis, in quo clamant Abba Pater, adoptivam heri filiationem, ac hæreditatem despexit, sperans tum se beatius fore Filium, & hæredem Dei, cohæredemque Christi, cum paupertate, humilitate, suique corporis mortificatione Christo ipsi compateretur.

§. 5. Ardore itaque Religiosi Instituti, quod paupertate, & observantia præstaret, ab ineunte ætate succensus circa annum salutis 1564. voti compos efficitur, ex pastore ovium in gregem Domini adscitus sub Regula S. Francisci Strictioris Observantiæ in Provincia Sancti Joannis Baptistæ Regni Valentiæ, ubi summo fervore, & gaudio, habitu Minorum Discalceatorum suscepto, riteque emissa Regulari Professione iis cumulatus virtutibus statim apparuit, & disciplina Religionis instructus in illis ita profecit, ut tamquam lucerna ardens iis, qui in Domo Dei, & Religioso consortio vivebant, præfulgeret.

§. 6. Sancti Institutoris sui exemplo pauper, & humilis, volens excelsam fabricam virtutum construere, de fundamento prius cogitavit humilitatis, qua in abjectissimis Conventus Officiis sese libenter exercuit, & si quando ab illis propter vitæ sanctitatem, vel ætatem jussu Superiorum retrahebatur, supplices, humilesque preces non intermittebat, donec eorundem exercitio simul cum aliis Laicis, & juvenibus Fratribus restitueretur. Sui contemptor eximius quidquam in propriam laudem, neque audire voluit, neque retulit. In loquela, incessu, vultu, oculis, omnique actionum genere profundam ostendebat humilitatem, quin de se ipso adeo demisse, & vilissime sentiebat, ut cum præclaræ vir Sanctitatis haberetur, ipse tamen nullis se præditum meritis, magnum peccatorem reputaret, & affirmaret. Rogatus ut manus imponeret super ægros, pristinæ se valitudini per ejus merita restituendos fore sperantes, summa animi demissione se comiter excusabat, donec vel obedientiæ præcepto compulsus. vel postulantium precibus motus, eos signo Crucis aliquando obsignaret, frequentius vero suaderet iisdem, ut sua se manu signarent, quo reddi corporis sanitatem, & robur in Crucis virtute perciperent.

§. 7. Paupertatis non in sæculo solùm, sed etiam in Religione amantissimus, ejusdem S. Institutoris imitator egregius, unica tantum induebatur tunica, eaque aspera, angusta, abjectissima, multisque frustis refecta, ratusque supervacaneum esse munditiem in cilicio quærere, eadem femoralia destructa prorsus, & lacera, ac quibus poterat fragmentis resarcta, ad decem, & octo annos pertulit.

§. 8. Nec carnis mortificationem in sola, & extrinseca indumenti asperitate continuit, sed eandem ne unquam noxie moliretur in spiritum, continua maceravit inedia, & perenni afflictatione subtegit. Parcissimo ejus cibo frequens succedebat in pane, & aqua jejunium, & quotidiano ejus victui necessaria rigide subtrahens, alendo servabat pauperi. Plerumque vino abstinens, nigriora, & duriora panis fragmenta, ac deteriora, & ab aliis Fratribus derelicta edulia, quando poterat sibi deligebat. Nudam humum, aut rudes tabulas pellibus superimpositis aliquando stratus pro lecto habebat, frustumque ligneum, vel saxum pro pulvinari, ibique jacens, vel parieti innixus brevissimum carpebat somnum, reliqua nocte orationi data. Nudis incedebat pedibus, etiam longum, vel arduum iter agens. Duris flagellationibus, variis, & asperrimis ciliciis, ferreaque catena, bis, terque circumducta corpus dilanians, illud in adeo districtam servitutem redegit, ut in eo spiritus pacifice dominaretur, nihilque vel minimum tum in sæculo, tum in Claustro usus fuerit peragere, vel dicere, quod ipsius castitatem unquam offenderet, vel adumbraret.

§. 9. Religiosis paupertatis, & castitatis virtutibus indivisibilem earum comitem obedientiam adjunxit, quam ita exacte, ita studiose colendam suscepit, ut totus a Superiorum nutibus pendens, ne quid minimum unquam petens, vel desiderans, omnia licet dura, & ardua ab illis demandata, reverenti semper gaudio susceperit, & alacri promptitudine impleverit, præsertim vero religiosæ obedientiæ, cujus studio exardebat, simul ac Catholicæ Fidei, cujus zelo flagrabat, insigne præbuit experimentum, cum a Superioribus jussus longum, & asperum iter per terras plerumque hæresis labe fædatas peragere, jussa capessere cunctatus non est, eaque hilaritate, qua injunctum emensus est iter contumelias probra, minas, & lapidationes ab hæreticis Catholicæ Religioni, præsertim Regularium Ordini apprime infensis, patienter, & fortiter pertulit, illorumque impie de fide sentientium audaciam retundens publice, & palam Catholicam doctrinam, & Fidem professus est, a quibus persecutionibus, & angustiis licet Dei misericordia tandem evaserit, defuit tamen ei potius martyrium, quam ipse martyrio.

§. 10. Nullam pene diu noctuque labi sinebat horam, qua non esset in preces effusus, seu mente elevatus in Deum. Quidquid temporis sibi ex obedientiæ præscripto muneribus, proximorum saluti, brevisque somni tormento potius, quam quieti superat, totum id orationi, & contemplationi ubique impendebat, & Dei præsentiam, in ipsis exterioribus actibus non oblitus, jugi cum attentione, & interna oratione venerabatur. Pervigil semper nocte intempesta, nocturnis horis aderat, & quamvis perpetuis laboribus, atque afflictationibus fatigatus, & pene fractus, nonnisi post auroram revertebatur in cellulam, toto eo tempore in Choro, vel Ecclesia inter meditandi delicias traducto.

§. 11. Zelator animarum quas alloquebatur ad compunctionem, & expiationem peccatorum, Deique, & virtutum amorem mira disponebat dulcedine, Doctrinam Christianam docebat ignaros, Religiosos ad perfectionem suavi excitabat eloquio, corda antiquis odiis ad vindictam accensa, & aliorum, pietate, vel auctoritate præstantium suasionibus inflexibilia, paucis verbis sedabat, & veniæ intercessionem ad pacem, & meliorem frugem revocabat.

§. 12. Hinc Altissimus, qui sapientiam præbet diligentibus se, justo huic, quem deducebat per vias rectas, absconditos sapientibus, & prudentibus hujus sæculi sapientiæ, & scientiæ suæ thesauros cælitus revelavit. Homo enim literarum plane rudis, nulloque mortalium magistro eruditus, adeo excelso scientiæ dono meruit illustrari, ut altissima Catholicæ Fidei mysteria de Trinitate, Incarnatione, Prædestinatione, Gloria cælesti, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & alia hujusmodi, necnon difficillimos Sacræ Scripturæ sensus, etiam disputando, cælesti sublimitate tractaret, parique dilucidatione explicaret arduas quæstiones a doctissimis etiam Theologis propositas, quos tamen non tenebat admiratio, quoquomodo Literas sciret cum non didicisset, quia in eo infusæ divinitus scientiæ donum ad evidentiam dignoscebant.

§. 13. Prophetico etiam spiritu afflatus nonnulla futura, & præsertim ægrotis integram valetudinem, sanis infirmitatem, sibique, & aliis mortem prædixit.

§. 14. Traducto itaque, & consummato Sanctæ Vitæ curriculo per arduas pœnitentiæ, & aliarum virtutum semitas, quibus per Dei gratiam Regno Cælorum vim inferre, illudque violentus rapere studebat, post gloriosa Mundi hujus certamina Sacramentis Ecclesiæ rite, sanctoque munitus, die 17. Maji anni 1592., qua prædixerat hora, in Conventu Oppidi Villæ Regalis Dertusen. Diœcesis in Regno Valentiæ beato fine quievit, quique ab infantia spiritu sem-

Obedientia, & Zelus Catholicæ Fidei.

Orationes.

Cura de aliena salute.

Scientia infusa.

Prophetia.

Obitus.

per vixit, spiritu, & ambulavit, ac desideria carnis non perfecit, eodem illapsi olim super Apostolis Spiritus Sancti recurrente die, quo natus fuerat in terris, meruit æternum triumphaturus renasci & in Cælis.

Exequiæ cum miraculo.

§. 15. Statim ac Beati Viri obitum fama vulgavit, ad illius venerationem mira undique populorum multitudo confluxit, quæ antiquam Sanctitatis opinionem, eo vivente excitatam, etiam in ejus cadavere confirmari mirata fuit, dum istud licet exanime, quo fervidus, quem in vita habuerat erga Eucharistiæ Sacramentum demonstraretur affectus, visum est in illius elevatione oculos aperire, mox & in depositione occludere, quod pariter in elevatione, & depositione Calicis renovavit.

§. 16. Piæ multitudinis obsequio, & devotæ ægrotantium spei opus fuit triduana Cadaveris expositione indulgeri, nec eam spem fefellit eventus, liquore quodam ex ejus vultu, & collo tunc temporis manante, quo alicui perliniti integram sanitatem receperunt. Inter quos Catharina Simonis pluribus effecta tumoribus, iisque uno excepto perforatis, ac Medicorum, & Chirurgi judicio post biennalem curationem insanabilibus, hujusmodi delibuta liquore ab omni morbo, & tumoribus, cicatrice dumtaxat remanente, illico convaluit; id quod omni, vel cicatricis abolito vestigio obtigit etiam Ursulæ Mascarellæ, eodem liquore perunctis inveteratis fœmorum ulceribus, quibus excruciata fuerat, post triennales medelas incassum semper adhibitas.

Tumores & ulcera sanavit.

§. 17. Ex iis etiam, qui expositum cadaver deosculantes Servi Dei opem intima devotione implorarunt, Baptista Cabillin, & Isabella Cano prorsus attracti, ille crure, & sic claudus, ut sine fulcimento non valeret incedere, ista brachio, & manu per sesquiannum, ut ejus sanationem Chirurgi jam desperassent, ad eorumdem membrorum pristinum robur, & usum, acsi nunquam læsa fuissent, repente revocantur.

Membrorum usum restituit.

§. 18. Joanna Dominica cum sexagesimum tertium ætatis suæ annum ageret, ex alto delapsa, talem ossis sacri fracturam, & alterius ossis in fœmore luxationem passa fuerat, ut genua flectere, & sine fulcimentis incedere prorsus nequiret, sed quinto ægritudinis suæ anno adhuc insepulti Servi Dei manum ubertim fluentibus lacrymis osculata, illiusque intercessionem ex corde deprecata, cum se fulcimentis niteretur, attollere, repente vehementi dolore, os fractum consolidari, & luxatum sensit reponi, statimque expedite, & sine ullis fulcimentis ambulavit, & incolumis effecta est.

Os fractum, & luxatum composuit.

§. 19. Cæcilia Sorli in altero corporis latere septemdecim mensibus fuerat ea correpta paralysi, ut inibi nullus prorsus motus, vel sensus carnis a qua pungenti ferro tentata, nec sanguis exibat, remansisset, brachio, & crure pendentibus, manu attracta, digitis immobiliter aduncis, carneque ejusdem lateris adeo consumpta, ut solam, & siccam pellem ossibus superinductam haberet, meritis Beati Paschalis in spem salutis erecta, ad ejus sepulcrum curavit afferri, statimque ac singulis membris læsis applicabatur catena, qua Dei servus in vita præcingebatur, sensus, motus, robur, caro, incessus, & pristina salus redibant, donec Cæcilia ingenti perfusa gaudio citato per Ecclesiam gradu exiliens discurrit.

Membris motum, & sensu reddidit.

§. 20. Ob quoddam sanguinis profluvium, nec pupillæ, nec ulla earum vestigia remanserant Michaeli Gabaldo, qui a sexto ætatis mense ad septimum annum vitam duxerat non cæcitate solum, sed superveniente surditate deplorabilem; emisso per afflictam matrem voto, Sepulcrum Beati Paschalis adeundi, ejusque ope ferventius invocata, e vestigio puer videns, & audiens ad illam festivus occurrit, perfectumque utriusque sensus usum jugiter exinde retinuit.

Duplicis sensus deperditum usum concessit.

§. 21. Extrema unctione jam delibutus, & desperantibus salutem Medicis agebat animam Petrus Gil, qui magnis febribus, vomitibus, aliisque accidentibus septem, vel octo mensium spatio fuerat afflictatus, gravissimum exhalans fœtorem, corruptis præ morbi gravitate visceribus vix mœstissima Uxor votum invisendi Beati Paschalis Sepulcrum, & parata funeri deferendi amiserat, cum Vir nulla mora surrexit incolumis, & Uxore comite Votum emissum persolvit.

Lethale morbum [...]tinxit.

§. 22. Fama igitur Sanctitatis B. Paschalis miraculis, & gratiis ad ejus invocationem, & intercessionem obtentis, in dies percrebrescente, post varias probationes ordinaria auctoritate receptas, supervenit delegatio Apostolica, cujus vigore, confectis quinque processibus, iisque primum a tribus Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, qui accuratam, & distinctam edidere relationem, & postmodum in Congregatione tunc Sacris Ritibus Præpositorum Cardinalium bon. mem. Roberto Tit. S. Mariæ in Via, dum vivebat Presbytero Cardinale Bellarmino nuncupato referente, diligenter examinatis, & mature discussis, piæ mem. Paulus PP. V. etiam prædecessor Noster humilibus supplicationibus universi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum, clar. mem. Philippi III. tunc in humanis agentis Hispaniarum Regis Catholici, bon. mem. Francisci Cardinalis Lermæ nuncupati, & totius Regni Valentiæ Procerum inclinatus, de eorumdem Sacris Ritibus Præpositorum Cardinalium consilio, ut præfatus Dei Servus in posterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die 17. Maji qua obdormivit in Domino, a Fratribus ejusdem Ordinis in Regno Valentiæ commorantibus tanquam de Confessore non Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, Officium recitari, & Missa celebrari, necnon in Ecclesia Fratrum ejusdem Ordinis Oppidi Villæ Regalis in eodem Regno Valentiæ existentis, ubi ejus corpus requiescere asserebatur ab omnibus Presbyteris tam Sæcularibus, quam Regularibus Missa similiter celebrari libere, & licite valeret, Apostolica auctoritate per suas in forma Brevis die 29. Octobris anni 1618. desuper expeditas Literas, concessit, & indulsit, & hujusmodi Indultum per similes in forma Brevis Literas die 10. Februarii anni 1620. ad omnes utriusque sexus Religiosos d. Ordinis Minorum regularis observantiæ in Regnis Castellæ, & Aragoniæ commorantes, pari auctoritate ampliavit, & extendit, atque ut in Villæ Regalis, ubi ejusdem Beati Paschalis corpus requiescere, & Turris Formosæ, ubi idem Beatus natus, ac educatus asserebatur, Oppidis prædictis, ab omnibus utriusque sexus Regularibus, ac etiam Presbyteris, & Clericis Sæcularibus de eodem Beato Paschali, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani hujusmodi de communi Confessoris non Pontificis Officium recitari, & Missa celebrari respective valeret, eadem auctoritate concessit pariter, & indulsit.

A Paul[...] Beatus d[...] ratus fui[...] Officio, Missa di[...] Maji.

§. 23. Reassumpta postmodum in statu, & terminis causa, in vim specialis Commissionis manu rec. mem. Innocentii Papæ X. similiter Prædecessoris Nostri signatæ, post novos Processus interpolatis temporibus confectos, eadem Congregatio Sacris Ritibus Præpositorum S. R. E. Cardinalium ut de cultu B. Paschali auctoritate Apostolica in vim præfati Indulti ejusdem Pauli Prædecessoris exhibito, & de validitate Processuum hujusmodi super iis, quæ post indultam Beatificationem supervenerunt, rite confectorum, satis constitit, tandem in Congregatione die 27. Septembris anni 1673. habita coram ejusdem mem. Clem. Papa X. etiam Prædecessore Nostro, discussis plerisque Miraculis, quæ Deus, qui facit mirabilia magna solus inter-

Probat[...] ritate du[...] miracul[...] post Bea[...] cationem [...] tratorum Clem. X[...] finitum procedi[...] se ad Ca[...] nization[...]

ceſſione Servi ſui dignatus eſt operari, duo, & ſane celebriora ad relationem bo. mem. Camilli Tit. S. Euſebii, dum vixit Presbyter Gardinalis de Maximis nuncupati, ex unanimi Conſultorum ſententia, & præfatorum Sacris iiſdem Ritibus Præpoſitorum Cardinalium ſuffragio, uti omnibus probationis calculis abſoluta, comprobata fuerunt. Primum nempe Franciſci de Bargas, cui index ſiniſtræ manus ſecuris ictu ita præciſus, ut vix cutis particulæ cohæreret, ſtatim conſolidatis oſſibus, nervis, & cute omnino validus reſtitutus eſt. Et quartum Dominici Perez agricolæ, qui ope Beati implorata ad primum ligonis ictum ex aridiori terræ ſitu perennis, & numquam, vel excreſcentis, vel deficientis aquæ fontem exilire obtinuit, quo publica Loci, & Armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus, quæ felic. rec. Urbani Papæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri Decreta exigebant. Idem Clemens Prædeceſſor, accitis iterum Conſultoribus eorum unanimem ſententiam, & Cardinalium præfatorum ſuffragia probavit, poſſe videlicet quandocunque tuto deveniri ad ſolemnem memorati B. Paſchalis Canonizationem, juxta Ritum S. R. E., & Sacror. Canonum inſtituta, eumque definiri cum Deo regnantem in Gloria Sanctorum, & eorum Catalogo adſcriptum toti Eccleſiæ colendum proponi.

Preces, & ſuffragia pro Canonizatione.

§. 24. Interim vero eodem Clemente, & ſimilis recordationis Innocentio Papa XI. etiam Prædeceſſoribus Noſtris viam univerſæ carnis ingreſſis, ultima manu huic Canonizationis negotio nondum admota, cum aliæ preces memorato Alexandro Prædeceſſori a Chariſſimis in Chriſto filiis Noſtris Leopoldo Romanorum Rege in Imperatorem electo, & Carolo Hiſpaniarum Rege Catholico, porrectæ fuiſſent, & ſubinde Ven. Frater Noſter tunc ſuus Flavius Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Card. Chiſius nuncupatus vice Venerabilis etiam Fratris Noſtri tunc ſui Alderani Epiſcopi Oſtienſis ejuſdem S. R. Eccl. Cardinalis Cybo nuncupati præfatæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, in Conſiſtorio ipſius Alexandri Prædeceſſoris ſecreto ſummam proceſſus, ſuamque, & aliorum Collegarum ſuorum d. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum ſententiam expoſuiſſet, cæterique in eodem Conſiſtorio præſentes Cardinales, & unanimi ſuffragio adhæſiſſent; & poſtea in alio publico Conſiſtorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in Urbe commorantes, ac Dilecti Filii Romanæ Curiæ Prælati, ipſiuſque Alexandri Prædeceſſoris Familiares convenerant, dilectus etiam Filius Alexander Caſalius Noſtræ tunc ſuæ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus de Vita, virtutibus, & miraculis d. B. Paſchalis dixiſſet, atque præfatorum Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Hiſpaniarum Regis Catholici, & univerſi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nomine ſupplices preces pro ejuſdem Canonizatione detuliſſet, dictus Alexander Prædeceſſor hujuſmodi preces effuſo cum exultantis animi ſenſu excepit, & attendens, quod ad Eccleſiæ Catholicæ gloriam etiam numerus, & excellentia Sanctorum, qui illam illuſtrarunt pertineat, gaviſus ſummopere fuit ab eximiis prædicti, & aliorum Beatorum virtutibus, meritiſque in eodem Conſiſtorio relatis præſtantiſſimum ſibi præberi argumentum ejuſdem Eccleſiæ gloriam amplificandi, firmam præſertim in ſpem adductus, fore, ut fideles tunc ejus ſupremæ cuſtodiæ commiſſi ad tam præclara ſequenda veſtigia vehementer excitarentur.

[...]ctæ ſup[...]tiones.

§. 25. Ut autem difficillimum opus rite conficere valeret, a memoratis Fidelibus juxta præſcriptas jam a ſe ſalutares pœnitentias, pia ferventique nuncupari vota impenſe in Domino flagitavit, ut ſupernorum luminum Pater caligantis humanitatis velo reſciſſo, Divinum beneplacitum, ſine prævia cujus intelligentia infirma fuiſſet quælibet deliberatio, ſibi oſtenderet. Quin etiam ad omnes accuratiſſimi Judicis partes implendas, antequam ſuper re tam magni momenti decerneret, advocavit in conſilium præfatos Ven. Fratres Noſtros tunc ſuos dictæ S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos tunc in Urbe commorantes, qui poſtmodum in Conſiſtorio ſemipublico ad hunc effectum indicto, præſentibus etiam Noſtris tunc ſuis, & Sedis Apoſtolicæ Notariis, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus ex eis, quæ ab eo propoſita, & ex proceſſu relata fuerant, B. Paſchalem Canonizandum eſſe apertis ſuffragiis unanimiter cenſuerunt.

Canonizatio d. S. cum aliis 4. ab Alexan. VIII. celebrata fuit.

§. 26. Cum itaque nihil aliud deſideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, præfatæ S. R. E. antiqua conſuetudine, ac Decretorum ejuſdem Urbani Prædeceſſoris præſcripto agenda, & obſervanda erant, idem Alexander Prædeceſſor adveniente prædeſtinata die 16. Octobris anno præterito 1690. Pontificatus ſui I. in Sacroſancta B. Petri Apoſtolorum Principis Baſilica, quo ſolemni Ritu cum Venerabilibus Fratribus Noſtris, tunc ſuis ejuſdem S. R. E. Cardinalibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus ſuis, Clero Sæculari, & Regulari, & maxima Populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, ſecundo, & tertio pro Canonizationis Decreto petitionibus per dilectum Filium Noſtrum tunc ſuum Petrum S. Laurentii in Damaſo Cardinalem Otthobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, poſt Sacros Hymnos, Litanias, aliaſque Preces, & poſt Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem SSmæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac ſua matura deliberatione præhabita, & Divina ope ſæpius implorata, ac de præfatorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum tunc in Urbe exiſtentium conſilio, B. Paſchalem Baylon, una cum Beatis Laurentio Juſtiniano, Jo. a Capiſtrano, Joanne de Sancto Facundo, & Jo. de Deo, SANCTUM eſſe decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adſcripſit, ſtatuens ab Eccleſia Univerſali quolibet anno die 17. Maji, qua obdormivit in Domino, memoriam ipſius inter Sanctos Confeſſores recoli debere. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Indulgentia plenar. in ipſa die Canonizationis, & alia 7. ann. & totid. quadr. in ejus feſto conceſſa.

§. 27. Quibus peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris Sempiternum Filium, ac Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus veneratus, Sacroque Hymno *Te Deum* ſolemniter decantato, peculiari Oratione, etiam per dicti Beati Paſchalis merita precatus fuit, atque Miſſæ ad Altare B. Petri Apoſtoli, cum ejuſdem B. Paſchalis commemoratione a Venerabili Fratre Noſtro tunc ſuo Paluzio Epiſcopo Sabinen. ejuſdem S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato, ſolemni ritu celebratæ, interfuit, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſit. Viſitantibus autem quotannis in præfato die feſto ejuſdem B. Paſchalis Sepulcrum, in quo ejus Corpus requieſcit, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit in forma Eccleſiæ conſueta.

§. 28. Ne autem de Decreto, Definitione,

Relata omnia declarantur veriffima a Pontifice.

Adſcriptione, Statuto, Conceſſione, Relaxatione, aliiſque præmiſſis, ex eo quod ſuper illis ipſius Alexandri Prædeceſſoris Literæ, ejus ſupervenientc obitu, confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæſitari: Volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod Decretum, Definitio, Adſcriptio, Statutum, Conceſſio, Relaxatio aliaque præmiſſa a dicta die 16. Octobris anni 1690., ſuum conſequantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Alexandri Prædeceſſoris Literæ ſub Datum ejuſdem diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes Literæ ad probandum plene Decretum, Definitionem, Adſcriptionem, Statutum, Conceſſionem, Relaxationem, aliaque præmiſſa ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Clauſulæ.

§. 29. Cæterum, quia difficile foret præſentes noſtras Literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum voluntatis, & Decreti infringere, eique auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo primo, Idibus Julii, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



† *Ego Alderanus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Cybo.*
† *Ego Flavius Epiſcopus Portuen. Cardinalis Chiſius.*
† *Ego Jacobus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Franzonus.*
† *Ego Petrus Epiſcopus Sabinen. Cardinalis de Alteriis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius.*
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maidalchinus.*
† *Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.*
†
†
†
†
† *Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presbyter Cardinalis Acciajolus.*
† *Ego Gaſpar Tit. S. Mariæ Tranſtyberim Presbyter Cardinalis Carpineus.*
† *Ego Cæſar Tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis d'Eſtrées.*
†
†
†
† *Ego Franciſcus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.*
† *Ego Hieronymus Tit. S. Silveſtri in Capite Presbyter Cardinalis Caſanate.*
† *Ego Galeatius Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Mareſcottus.*
† *Ego Fabritius Tit. S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Spada.*
† *Ego P. Thomas Hovardus Tit. Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Presbyter Cardinalis de Norfolcia.*
† *Ego Joannes Baptiſta Tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Spinula.*
†
† *Ego Savus Tit. S. Petri in Vincula Presbyter Cardinalis Millinus.*
†
† *Ego Fr. Laurentius Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum Presbyter Cardinalis de Laurea.*
† *Ego Jacobus Tit. S. Mariæ in Ara-Cœli Presbyter Cardinalis de Angelis.*
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis de Gaſſen.*
†
† *Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Petruccius.*
†
†
†
† *Ego Joſeph Saens Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre.*
† *Ego Leander Tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus M. Pœnitentiarius.*
† *Ego F. Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Carafa.*
† *Ego Bandinus Tit. S. Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciaticus.*
†
† *Ego F. Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis de Abdua.*
† *Ego Tuſſanus Tituli Sanctæ Agnetis extra Mœnia Presbyter Cardinalis de Janſon de Fourbin.*
† *Ego Joannes Baptiſta Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Rubinus.*
†
† *Ego Joannes Baptiſta Tit. S. Bernardi Presbyter Card. Coſtagutus.*
†
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Flavius SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Aſtallius.*
†
†
† *Ego Petrus Tituli S. Laurentii in Damaſo Cardinalis Diaconus Ottobonus S.R.E. Vice-Cancellarius.*

† Ego

† Ego Carolus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bichius.

†

† Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Homodeus.

† Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.

† Ego Laurentius S. M. in Aquiro Diaconus Cardinalis de Alteriis.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro piscium Cardinalis Barberinus.

II. Conceduntur Privilegia spiritualia Monachorum Congregationis Casinensium Congregationi Benedicto-Bavaricæ.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1688. Julii 10. P. 12. concessa fuere Privilegia & Indulgentiæ Congregationis Helveticæ.

11. Aug An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

rdium. CReditæ nobis Divinitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ Monasticæ Instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre jugiter satagentium curam gerentes, felicioribus eorum in via Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur providere studeamus. Cum itaque, sicut dilectus filius Bonaventura Oberhveber Monachus expresse professus, & Procurator in Romana Curia Congregationis Bavaricæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, etiam nomine dilectorum filiorum Gregorii Abbatis Monasterii Schyrensis Præsidis, & cæterorum Abbatum dictæ Congregationis, nobis nuper exponi fecit, alias Congregatio prædicta a fe. re. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro erecta, & instituta, ac pluribus gratiis, Indultis, & Privilegiis decorata fuerit, & subinde idem Innocentius Prædecessor pro felici, prosperoque ejusdem Congregationis regimine, & gubernio nonnullas in primo ipsius Congregationis Capitulo Generali editas Constitutiones auctoritate Apostolica confirmaverit, & approbaverit, & alias prout in binis ipsius Innocentii Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 26. Augusti 1684. & die 6. Februarii 1686. respective expeditis literis; quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & insertis haberi volumus, uberius dicitur contineri; nunc vero ipse Bonaventura, ut regularis observantia, quæ per Dei gratiam in eadem Congregatione viget, latioribus in dies proficiat incrementis, ipsi Congregationi, ejusque Monasteriis, & Monachis easdem gratias, exemptiones, Indulta, Indulgentias, favores, & privilegia saltem ad res spirituales, & salutem Animarum spectantia, quibus Congregatio Casinensis Monachorum Ordinis prædicti gaudet, communicari plurimum desideret: Nos ipsius Bonaventuræ votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, dictosque Gregorium Abbatem Præsidem, aliosque Abbates specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatæ Congregationi Bavaricæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, illiusque Monasteriis, Monachis, & personis nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis Indultis, favoribus, exemptionibus, gratiis, & privilegiis spiritualibus dumtaxat dictæ Congregationi Casinensi, ejusque Monasteriis, Monachis, & personis quomodolibet etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, & quibus eadem Congregatio Casinensis, ejusque Monasteria, Monachi, & personæ de præsenti utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt pari modo uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si Indulta, favores, exemptiones, gratiæ, & privilegia spiritualia hujusmodi ipsi Congregationi Bavaricæ, ejusque Monasteriis, Monachis, & personis specialiter concessa reperirentur, sine præjudicio tamen gratiarum, Indultorum, & privilegiorum eidem Congregationi Bavaricæ a supradicto Innocentio Prædecessore, sicut præmittitur, concessorum, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis Bavaricæ, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

IV. Confirmatur, & innovatur Constitutio Urb. VIII. pro necessitatibus Locorum Terræ Sanctæ.

Similis confirmatio extat Alex. VIII. Const. ed. 1689. Novem. 18. P. 1. & hujus Pontificis Const. ed. 1696. Feb. 24. P. 5. reperitur confirmatio alterius Constitutionis pro iisdem locis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 29. Sept. 1691. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

SAlvatoris, & Domini nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in Terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas in eam præcipue pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur. Exordium.

§. 1. Cum

Ab Urbano VIII. injunctum fuit Ordinariis, & Generalibus, ut bis in anno exponi curarent necessitates Locorum Terræ Sanctæ.

§. 1. Cum itaque alias fe. re. Urbano Papa VIII. Prædecessori nostro exposito, quod Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, hæreticorum, & schismaticorum Tyrannidem, & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus Prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, & Quadragesimæ temporibus, tam per verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ipsius Urbani Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilecti filii Bernardi Josephi a Jesu Maria Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum professoris, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici Concionatoris, necnon Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Consultoris, ac ejusdem Terræ Sanctæ Commissarii, & Procuratoris Generalis nobis nuper expositum fuit, ipse quo præfatæ Urbani Prædecessoris literæ, quæ a re. me. Innocentio X. Clemente etiam X. Innocentio XI., ac Alexandro VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, prædictas Urbani Prædecessoris literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces Procuratoris Gen. Min. de Obs. Reform.

Causæ hujus Constitut.

Confirmatio, & innovatio præd.

Fides de executione dd. Constitutionum ab Ordinariis exhibenda.

§. 2. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi præfati in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum facienda, referant se præfatis Urbani Prædecessoris, & præsentibus nostris literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus insuper ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Septemb. MDCXCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

V.

Confirmatur concordia super erectione Cathedræ Theologiæ in Universitate Oscen. inita inter Monachos Cisterciens. Congreg. Hispaniarum, & Episcopum, aliosque.

De Universitatibus FF. Prædicatorum agitur Alex. VIII. Const. ed. 1690. Nov. 7. P. 2.

Dilecto filio nostro Petro S. R. E. Presbytero Cardinali de Salazar nuncupato.

Dat. 14. Nov. 1691. An. I.

INNOCENTIO PAPA XII.

Dilecte fili noster salutem, & Apost. bened.

Erecta fuit d. Cathedra sumtibus Monasterii B. M. V. de Piedra pro Monachis Cisterciensibus.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Monachi Congregationis Hispaniæ Ordinis Cistercien., quod cum ipsi alias sumptibus Regalis Monasterii Beatæ Mariæ Virginis de Piedra nuncupati dictæ Congregationis Tirasonen. Diœcesis Cathedram de Prima nuncupatam cum facultate Sacræ Theologiæ in Universitate studii Generalis Oscen. a pro tempore existentibus Monachis dicti Monasterii tantum, & eveniente casu eorum deficientiæ, a cæteris Regnorum Aragoniæ, & Navarræ Monachis Congregationis hujusmodi obtinendam fundaverint, iidem Exponentes, ac dilecti filii Abbas, & Monachi Monasterii supradicti ex una, necnon Venerabilis frater modernus Episcopus Oscen., dilecti pariter filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Oscen., prædicta Universitas, ac communitas, & Homines Civitatis Oscen. ex altera partibus ad occurrendum litibus, & dissidiis, quæ super fundatione hujusmodi oriri possunt, mense Aprilis 1689. ad quamdam transactionem, seu concordiam inter se devenerunt, cum pactis, & conditionibus infra scriptis videlicet.

Concordia.

§. 1. Conventum fuit primo, quod Episcopus Oscen., Capitulum, Universitas, Rectores, Doctores, Magistri, Cathedratici, Conciliarii, & Consilium Universitatis Civitatis prædictæ opportunum præstent consensum, ad hoc, ut Congregatio Cisterciensis præfata erigere possit, & erigat in dicta Universitate Cathedram Theologiæ sub denominatione *Prima* pro Monachis dictæ Congregat. in perpetuum cum pacto, quod eadem Congregatio reportare debeat approbationem Regiam, & Apostolicam.

§. 2. Quod quoties casus vacationis evenerit d. Cathedræ Vicarius Generalis dictæ Congregationis, & Abbas prædicti Monasterii Regii de Petra pro tempore teneantur præsentare coram Deputatis dictæ Universitatis duos Monachos ejusdem Monasterii, quorum alter eligendus erit a Vicario Generali, & alter ab Abbate Monasterii de Petra, & quatenus in dicto Monasterio unus dumtaxat reperiatur cum infrascriptis qualitatibus, iidem Vicarius, & Abbas eligere valeant alium ex aliis dictæ Congregationis Monasteriis; Si vero nullus in dicto Monasterio cum infrascriptis qualitatibus reperiatur, Vicarius Generalis teneatur præsentare alium, & alium Abbas præfatus, qui nequeat a Vicario Generali super hac præsentatione impediri, nec è contra.

§. 3. Quando vero præsentatio fiet de duobus Monachis, quorum alter sit filius dicti Monasterii de Petra, & alter alterius Monasterii post factum ab ipsis exercitium literarum pro dictæ Cathedræ provisione Universitas arbitrium suum dare teneatur Monacho filio dicti Monasterii de Petra.

§. 4. Item, quod Vicarius Generalis, & Abbas non possint præsentare Monachos, nisi prius constet Deputatis dictæ Universitatis quod iidem Monachi legerint spatio decem annorum Philosophiam, aut Theologiam in Religione, aut Universitate prædicta, quodque bis se opponendo in concursu alicujus Cathedræ Philosophiæ, vel Theologiæ dictæ Universitatis legerint, & si aliquis ex dd. Monachis præsentatis legerit in Universitate duorum annorum spatio mediante approbatione Deputatorum, aut Scholasticorum nihilominus habilis sit absque dictis oppositionibus.

§. 5. Item quod Cathedra non vacet nisi Monachus de ea provisus illam dimittat post lapsum 25. annorum a quibus legerit, hic vero Monachus remaneat quidem cum titulo, sed sine stipendio, & Monachus pro tempore, pro quo legerit sit subjectus visitationi Deputatorum &c. observationibus Statutorum disponentium de obligationibus Cathedraticorum, & si casus evenerit, quod aliquis privari debeat Cathedra, tunc Deputati teneantur prius dare notitiam Vicario Generali de causa ob quam privandus sit.

§. 6. Quodque Religio illum e contra nequeat amovere a Cathedra nisi prius constet Deputatis de causis amotionis.

§. 7. Item Vicarius Generalis, & Abbas ad faciendam præsentationem prædictam tempus habeant trium mensium a die vacationis.

§. 8. Quod-

§. 8. Quodque Provisus intra duos menses post provisionem gradum in Sacra Theologia suscipiat, alias jus amittat in d. Cathedra, & procedatur pro alia provisione, quodque locus in Universitate, & functionibus ejusdem esse debeat juxta antiquitatem gradus sui Doctoratus.

§. 9. Item, quod Monachus teneatur legere ab hora nona usque ad decimam, quodque non possit legere nisi materias, quas assignaverint Consilium Universitatis, teneatur observare turnum, & præsidere in materia de qua legerit modo, & forma quibus solent cæteri Cathedratici.

§. 10. Quod in eventum substitutionis possint Deputati alium Monacum substituere absque præsentatione Vicarii Generalis, & Abbatis durante impedimento Provisi.

§. 11. Quod omnes Monachi Collegæ Professores Theologiæ in Collegio S. Bernardi d. Civitatis studere teneantur apud Cathedraticum dictæ Cathedræ *de prima* absque eo, quod sit necessarium, quod studeant apud Cathedraticum de prima Sacræ Theologiæ, dictæ Universitatis,& apud dictam Cathedram erectam studere possint quindecim Scholastici Sæculares, & triginta remanere debeant pro Cathedra *de prima* Universitatis, quos nominabit Rector dictæ Universitatis.

§. 12. Quod Religio investire teneatur mille libras ad satisfactionem Deputatorum, seu aliam summam necessariam pro annuo reddituu lib. 50. per Deputatos consignandarum Cathedratico.

§. 13. Quod ultra dictas mille libras teneatur Congregatio tradere Deputatis duas libras, & sex solidos annuatim, & 46. sortis pro expensis propinarum, ac propriis expensis fabricare mansionem pro Cathedra, & Cathedraticus obligatus sit solvere Deputati jura vacantis.

§. 14. Casu, quo Congregatio omittat concurrere ad dictam Civitatem, & Universitatem, Cathedra sit solum pro filiis Regii Monasterii, & si in eo non adsint Religiosi habiles, liceat Deputatis providere Cathedram de idoneo extra Religionem, donec habilis existat Monachus filius d. Monasterii, quatenus juridice probetur, quod eadem Domus de Petra approbaverit, vel procuraverit resolutionem, quod nempe Congregatio non concurrat cum suo Collegio ad dictam Universitatem amittat in perpetuum Jus Cathedræ quod è converso amittant cæteræ Domus Congregationis non concurrentes cum Collegio.

§. 15. Eveniente casu, quod supra assignatum stipendium deperdatur; & Monasterium de Petra non subroget alia bona, tali casu expiret hujusmodi fundatio.

§. 16. Demum quia Abbas Regii Monasterii S. Salvatoris de Legre, & Cathedraticus Philosophiæ Regens Cathedram Sacræ Scripturæ multum laborarunt in fundatione d. Cathedræ, possint idcirco ad eam præsentari ex pacto &c. prout in dicta concordia plenius continetur.

[Concordia ...ata confir... ...ta fuit a ...ge Catho... ...o.] §. 17. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Charissimus in Christo Filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus transactionem, seu concordiam hujusmodi confirmaverit, & servari mandaverit, ipsi vero Exponentes, ut omnia in ea contenta in posterum adimpleantur, nec de illorum validitate unquam dubitari contingat, transactionem, seu Concordiam præfatam Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. [...eces Congregationis.]

§. 18. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio circumspectioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & postquam utrique loco Pio transactionem seu concordiam hujusmodi expedire judicaveris, eamdem transactionem, seu concordiam cum pactis, & conditionibus supra expressis, auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & prudentia gratis approbes, atque confirmes. [Committitur Confirmatio Apostolica Card. de Salazar.]

§. 19. Non obstantibus quatenus opus sit, fel. rec. Paul. II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterii, & Congregationis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. [Clausulæ.]

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XIV. Novemb. MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

VI.

Confirmantur Constitutiones Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Extant quædam Decreta Capituli Gen. Innoc. XI. Const. ed. 1687. Maji 15. P. 11. Et aliud Decretum hujus Pontificis Const. ed. 1693. Octob. 24. Pont. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

[Dat. 7. Dec. 1691. An. 1.]

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis muneri, illa quæ pro feliciter gubernandis, & salubriter dirigendis Religiosorum virorum vota sua Altissimo in sanctitate, & justitia assidue reddere satagentium; ac propriæ, alienæque non spirituali tantum, sed etiam corporali saluti studiosa charitate jugiter incumbentium Ordinibus in Ecclesia Dei pie sancteque institutis provide, prudenterque disposita, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, & felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur. [Exordium.]

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Martinus Salvator Gilaberti Vicarius, & in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magister, quod cum alias ad præscriptum cujusdam Ordinationis in postremo Capitulo Generali dicti Ordinis editæ pro felici, prosperoque ipsius Ordinis regimine, & gubernio nova Constitutionum ejusdem Ordinis coordinatio, seu compilatio facta fuerit, subinde Constitutiones hujusmodi sic coordinatæ, seu compilatæ ad fel. record. Alexandrum PP. VIII. prædecessorem nostrum transmissæ fuerint, ut suo, & hujus Sanctæ Sedis patrocinio munirentur. Ipse Alexander prædecessor easdem Constitutiones sibi exhibitas nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris tunc suis S. R. E. Cardinalibus, quorum pietas, pru- [Jussu Capituli facta fuit præd. Compilatio, ad Alex. VIII. transmissa, & a nonnullis Cardin. ad examen revocata.]

dentia, rerum usus, & Sacrorum Canonum peritia sibi longe perspecta erat, discutiendas commisit, qui Mandatis ejusdem Alexandri prædecessoris morem gerentes illas mature, diligenterque examinarunt, & nonnullis adjectis, aliisque ubi opus fuit, correctis, & emendatis, Constitutiones ipsas in unum Volumen redigi curarunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Ubi, a quibus, & qua auctoritate confecta fuerit d. Compilatio.

§. 2. Noverint universi, quod cum die 15. Novembris anno Domini 1687. essent legitime vocati, & congregati in hoc Curiæ Matritensis Cænobio Regalis, ac militaris Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Religiosi viri ex prædicto Ordine destinati ad novam exequendam coordinationem, compilationem, texturamque Constitutionum ejusdem Ordinis stabilitam in septimo Decreto ejus Generalis Capituli in Conventu, & Civitate Optensi Regni Castellæ proxime celebrati die prima Junii anno superiori 1686. in quo videlicet sancitum fuit, ad præfatam novam, perfectioremque Constitutionum compilationem quædam specialis institueretur Congregatio Religiosorum ex primis, & præcipuis ejusdem Ordinis, quos in hunc modum ad prædictam Congregationem nominatim assumpsit, nimirum pro Aragoniæ, Galliæque Provinciis R. P. M. F. Josephum Linas totius dicti Ordinis Generalem Magistrum, Dominum Varoniarum de Algar, & Escales, & supremi Senatus Fidei Censorem, pro Castellæ Provincia, R. P. M. F. Josephum Gonzalez tunc temporis Provincialem ejusdem a Consiliis supremis Inquisitionis Senatus, Regisque Immaculatæ Conceptionis confessibus, & Academiæ Salamantinæ vespertinum moderatorem, pro Valentina Provincia R. P. M. F. Damianum Stephanum Diffinitorem Generalem ejusdem, pro Vandalica R. P. M. F. Marcum de Ostos Exprovincialem, & Diffinitorem Generalem ejusdem Provinciæ Concionatorem Regium, ac præfati Summi Fidei Cœtus Censorem, pro novæ Hispaniæ Provinciis R. P. M. F. Michaelem Mayers Exprovincialem, & Diffinitorem Generalem Castellanæ Provinciæ Exvicarium Generalem ejusdem novæ Hispaniæ Provinciarum Regiumque Concionatorem, pro Peruanis Provinciis, & Italicæ R. P. M. F. Ferdinandum de Carbayal, & Ribera Exvicarium Generalem earumdem Provinciarum Concionatorem Regium, ac in Urbe Generalem Procuratorem, in quorum insuper locum cum a præfato Capitulo concessa fuisset facultas prædicto Reverendissimo Generali, ut quolibet deficiente alios per se solum, & pro libito substitueret, & ipse virtute facultatis hujusmodi pro prædictis R. P. M. F. Josepho Gonzalez, & R. P. M. F. Ferdinando de Carbayal legitime postmodum impeditis ob assumptionem primi ad Episcopatum Mirobrigensem, & secundi ad Archiepiscopatum Insularum S. Dominici alios instituisset viros pro primo scilicet R. P. M. F. Petrum Garzia Provincialem Provinciæ Castellæ, & ejus fortasse loco si munere, vel alias impediretur, uti revera impeditus fuit, R. P. M. F. Hieronymum de Mendoza Diffinitorem Generalem, ejusdem Provinciæ, Regiumque Concionatorem, & pro secundo R. P. M. F. Jacobum Brisegno Provincialem Chilensem, qui tunc aderat in Regali Conventu Matritensi, cum in hoc inquam omnes prædicti vere essent legitime congregati, ut præmissum est in forma Diffinitorii Generalis, & prædictæ plenitudine potestatis utentes ad præfatam Constitutionum texturam sibi a Capitulo Generali concessa, denuoque roborata, & confirmata a Sanctissimo D. Nostro Innocentio XI. in ejusdem Bulla, quæ incipit *Militantis Ecclesiæ* sub datis Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maii anno Domini 1687., & sui Pontificatus undecimo, cumque tam prædictus Magister Ordinis, quam tota præfata Congregatio in ejusdem secretarium me infra subscriptum F. Michaelem de Ulete præsentatum de numero ex dicta Castellæ Provincia legitime constituissent initium dederunt prædictæ Congregationis actibus, & sessionibus cum ea solemnitate, & invocatione Spiritus Sancti, quæ in nostri Ordinis generalibus Diffinitoriis de more præmittuntur. Et in illis quidem rebus omnibus serio consulto, & mature discussis prædictam Constitutionum compilationem ordinarunt in hanc quæ sequitur formam.

Incipiunt Constitutiones Fratrum Sacri, & Regalis Ordinis Beatissimæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum.

PROŒMIUM.

Cum vera Religio sine legibus non subsistat, vix sacra nostra Redemptorum familia extitit Divinitus revelata ab Immaculata, & Beatissima Virgine Maria illius dignanter in sui honorem cælitus institutrice, & fundatrice piissima cum Gloriosus Parens noster S. Petrus Nolascus, quem, ex prædicta ipsius revelatione, & præcepto ejus structorem, fundatorem, & Patriarcham instituerat de illius statutis cœpit sedulo cogitare, quæ, ut tam congrue, quam rei gravitas postulabat conderentur una cum inclyto Jacobo Primo Aragoniæ Rege, quem non secus eadem Revelatio effectorem, & Patronum ejus constituit elaboranda commisit illius sæculi in Ecclesiasticis Juribus sapientiori viro, tunc utriusque a sacris confessionibus Sancto scilicet Raymundo de Pegnafort, cui ut in ore trium staret hoc verbum, utque opem pro constructione tanti operis ferret præfata revelatio utique innotuerat. Is autem manum adamussim imponens operi ex illorum auctoritate certas vivendi leges vitæ contemplativæ nostro Ordini, & Instituto accommodas efformavit, quas a singulari in Altissimo Redemptionis famulatu Parentis nostri peritia in formam Constitutionum concinne ordinatas ipse, ut primus Ordinis Magister, Fundator, & Legislator a suæ Institutionis initio universis ejus fratribus præsentibus, & futuris, observandas proposuit, ac postea earum confirmationem sub Regula Sancti Augustini a Gregorio S. P. obtinuit anno Domini 1230. Pontificatus sui Tertio, & a nostra fundatione 12.

Hæc quidem fuit prima nostri Ordinis legislatio, quæ in substantialibus non est hactenus innovata, nam illæ primitivæ Constitutiones, quo ad substantialia statuta revera sunt istæ, quas usque modo Ordo noster professus est; in accidentalibus tamen varia additamenta (rerum, & temporum varietate sic exigente) pro meliori ejus regimine receperunt S. Sedis Apostolicæ confirmatione munita primo scilicet per Gregorium X. anno Domini 1273. & sui Pontificatus 2. Deinde per Joannem XXII. an. D. 1327. & sui P. 11. per Martinum V. anno D. 1419. & sui Pontificatus 2. & anno D. 1420. & sui Pontificatus 3. Per Calistum III. anno D. 1457., & sui Pontificatus 3. Per Paulum II. anno D. 1469. & sui P. 6. Per Julium III. an. D. 1556., & sui P. 3. Per Gregorium XIII. anno D. 1576. & sui P. 4. Per Sixtum V. anno Domini 1589., & sui Pontificatus anno 4. Per Clem. VIII. anno Domini 1594. & sui Pontificatus 3. & anno Domini 1600. & sui Pontificatus 9. & anno Domini 1604. & sui Pontificatus 13. Per Paulum V. anno Domini 1607. & sui Pontificatus 3., & anno Domini 1614. & sui Pontificatus 10. & an. Domini 1616. & sui Pontificatus 12. Per Gregorium XV. anno Domini 1621. & sui Pontificatus 1. & anno Domini 1622. & sui Pontificatus 2. Per Urbanum VIII. anno Domini 1627. & sui Pontificatus 5. & anno Domini 1628. & sui Pontificatus 6. Per

Alexandrum VII. anno Domini 1662. & sui Pontificatus 8. ac denique per SS. D. N. Innocentium XI., qui simul cum robore suæ Apostolicæ confirmationis plenam nobis facultatem largitus est ad exequenda nostri Ordinis antiqua desideria eliminandi ab anteacto Constitutionum volumine omnes redundantiæ, diminutionis, omissionis, confusionis, incongruæque distributionis, defectus ex inconcinna dictorum statutorum adjectione intertextos, & ad auferendum, addendum, variandum, & exprimendum omne quod ad id, & ad majorem nostri Instituti observantiam promovendam visum fuerit nobis expedire ita suum Diploma Pontificium, quod incipit *Militantis Ecclesiæ* sub datis Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Maii anno Domini 1687. & sui Pontificatus 11.

Hac ergo Apostolica auctoritate suffulti, nostrasque Sacras Constitutiones ab omni nevo vindicare cupientes, post accuratam, ac debitam rei tanti ponderis discussionem unanimi consensu primo decrevimus, quod ut in posterum omnis ambigendi locus erga anteacta statuta de medio tollatur solum ex eis vim Constitutionis habeant in futurum, quæ in octo sequentibus distinctionibus continentur; ad has enim integrum nostrarum Constitutionum corpus juxta propriam suarum partium descriptionem reducimus, ut sub una Regula, & professione viventes uniformi observantia regulari Deo famulemur. Faxit Deus, ut omnis eis labor impensus disciplinæ, severitati, & in majori Ordinis bono proficiat.

DISTINCTIO PRIMA.

De Cultu Dei, & divinis laudibus.

Licet omnis Religio se totam in Dei cultum exhibeat, inde tamen sacratius in ejus honorem erigitur unde Divinis laudibus mancipatur. Noster autem Ordo non tantum ex debito Religionis hunc Dei cultum a limine assumpsit, sed ea maxime quod Redemptionis Institutum elicuit. Cum enim Moyses jussu Dei liberasset Populum, & in alteram Rubri crepidinem sustulisset, hanc Domini dignationem ejus laude conclusit, dum illud canticum extulit *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Hinc nos igitur digne novo debito in Dei laudibus occupamur, & chori profitemur officium, & redemptionis misericordiam, quam misit Dominus Populo suo perpetua gratiarum actione decantemus, faciem ejus Psalmis, & Hymnis præoccupantes, ut quod dignatione incepit, miseratione promoveat.

CAP. I.

De Divino Officio.

1. Audito primo signo pro singulis horis, quibus septies die, noctuque ad Dominum convenimus præparantes se Fratres, & ante finem secundi omnes ad chorum accedant, quasi in odorem Domini humiliter, & devote currentes, ubi secundum horæ qualitatem, aut festi, Divinum officium reverenter compleant, quod Fratribus Clericis sacris nondum initiatis, si forsan choro aliquando non interfuerint, privatim persolvere præcipimus.

2. Quotidie Missa Conventualis in universis Ordinis domibus juxta ritum festivitatis decantetur, cui omnes adesse teneantur, qui ultro Clericorum aut laicorum frater ei non adstiterit privatam inviolabiliter audiat.

3. In Missa Conventuali præter communia, & particularia suffragia, quando ritus permiserit, dicatur oratio pro SS. D. N. Papa, pro felici statu Ecclesiæ, pro Rege, & pro captivis christianis, quam in privatis pariter dicendam injungimus.

4. Universim nostri Ordinis Sacerdotes modeste, & graviter Sacrum celebrent, atque ita suis manibus verbum vitæ contrectent, ut Sacramenti altitudo, Religionis pietas, & eorum fides elucescat.

5. Id tempus Sacris peragendis Sacerdos immoretur, quo nec audientibus prolixitate tœdium ingerat, nec devotioni celeritate teporem inducat: Solemnibus videlicet moram solemnitati congruam, Privatis verò dimidiam horam ad minus impendat.

6. Ante celebrationem Sacerdos aliquandiu ad tanti Sacramenti celsitudinem traducat animum, propriamque vilitatem tota humilitate perpendat, sicque, & non aliter audeat de pane illo edere, & de calice bibere, quo sumpto simile sibi vacans per spatium temporis tanto Mysterio consentaneum debitas Authori gratias reddat.

7. Tam chori, quam Altaris officium nedum in essentialibus, verum in cæremoniis, ac Ritibus juxta Romanas Regulas omnimode celebretur, ubi autem illæ nihil præscripserint, Rubricæ nostri Ritualis observentur.

CAPUT II.

Quo tempore, & qualitate horæ singulæ persolvendæ sint.

1. Ne autem horarum tempora, & modus incerta pro libito maneant, firmiter statuimus, ut Matutinæ in toto nostro Ordine perpetuo, & inviolabiliter media nocte dicantur. Quo circa severissime Magistri Generalis, Provincialis, & Prælatorum localium conscientias oneramus, si eas ad aliud tempus transferant, vel transferri permittant nisi propter casum ita inevitabilem, ut plus cogere, quam indulgere videatur, qui si forte accidit a die Pentecostes inclusive, usque ad festum Sancti Augustini dicantur post completorium, reliquis verò temporibus, eodem simili casu occurrente, non nisi hora noctis Nona Matutinas cantari, vel recitari juxta festi diversitatem strictissime præcipimus. Quod si Prælatus contrarium fecerit, suspensionem ab officio per sex menses incurrat; Provincialis autem, aut Visitator, qui eam non exequatur voce activa privetur in proximo Provinciali Capitulo.

2. Prima non longe a solis ortu dicatur, neque completorium ab ejusdem occasu. Tertia hora quasi decima, quam Missa Conventualis, & hanc sexta subsequatur. Nonam post prandium expleri præcipimus, nisi diebus a Romano Rituali præscriptis, & temporibus nostri Adventus, & Quadragesimæ, quibus (exceptis Dominicis) nona dicta reficimur. Vesperas denique extra quadragesimam hora secunda, vel tertia post meridiem juxta diversitatem temporis certa omnino statione præfigimus. Has autem Horarum metas sic esse immobiles desideramus, ut eas Prælatus minime prætermittat.

3. Ex horis hujusmodi Primam, Tertiam, Vesperas, & completorium quotidie modulabimur, reliquas autem recitari concedimus, exceptis Matutinis in Nocte Natalis Domini, in tribus Tenebrarum diebus majoris hebdomadæ, & festis Resurrectionis, Pentecostes, Revelationis Dominæ nostræ Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede, & S. P. nostri Petri Nolasco, in quibus solemnitatibus Matutinas integre cantari præcipimus, in cæteris verò utriusque classis adminus incipiantur cum cantu usque ad primum Hymnum inclusive, & deinceps cantetur *Te Deum* cum laudibus usque ad finem demptis Psalmis, & Antiphonis earum. Kalendam quoque singulis diebus decantari statuimus. Si quam autem horam extra prædictas decantari sit in usu, consuetudinem non destituimus, sed laudamus, & progredi suademus in melius.

4. Modus recitandi, & modulandi horas canonicas sit jugiter devotus, & gravis cum pau-

sa, & silentio solemnitati consonis ita versuum medietatem, & finem intercidentibus, ut nulla vocis protractio tædio mentem afficiat, sed uniformitas desinentiæ, & devotionem augeat, & perfectum vox pariter sit unisona : hanc autem omnes ea mentis attentione pro viribus semper eliciant, qua Divini officii pensum Deo gratius, & fructuosius sibi reddant.

CAPUT III.

De Oratione mentali.

1. Cum oratio mentalis sit totius vitæ Spiritualis fundamentum, & comes individua, qua duce de virtute in virtutem gradimur, donec perfectionis verticem conscendamus, universis nostri Ordinis fratribus stricte præcipimus, ut bis adminus in die mentaliter orent dimidiam saltem horam pro qualibet vice mane videlicet, & vespere illud Propheticum præseferentes : *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

2. In hoc ergo almo, & fructuoso exercitio per tritam Sanctorum viam Fratres incedant habita ratione uniuscujusque status, & indigentiæ, sed semper præ oculis habentes frequentiorem causam cur multi in hoc itinere parum, nilve proficiunt esse indebitum modum ejus præparationem, inchoationem, exercitationem, & conclusionem conficiendi, quod orationis dispendium a nostris Fratribus relegare cupientes quædam monita pro dictis ejus partibus debite exercendis ab illis indeficienter observanda levi saltem manu attingere necessarium indicamus.

3. Quo circa præparationis utriusque discrimen animadvertentes non minori studio remotam quam proximam intendant. Quo ad primum enim (quæ utpote prævia dispositio ad fructum ex oratione percipiendum præmitti debet) prava opera, vana colloquia, mundanas cogitationes, inordinatos affectus, & cætera alia, quæ distractionibus fomentum præbent frequenti divinæ præsentiæ exercitio a se omnimodè avertant. Quo ad secundum autem accedente orationis tempore conscientiæ statum agnoscant bonum spirituale, quo magis indigeant prævideant, considerationes, & effectus ad illud assequendum efficaciores præveniant materiam iis magis idoneum aliquo lectionis genere præparent, totamque illius seriem ad id ipsum provide pro viribus referant, sicque, & non aliter ad orationis locum reverenter accedant.

4. Orationem inchoaturi signo Crucis Deum præsentem fide viva concipiant circa se existentem, vel intra se manentem per existentiam, præsentiam, & potentiam, & cordis sui intimos excessus penetrantem, opus quod faciunt agnoscentem, & ad ipsum adjuvantem : tunc Deum præsentem adorent, actum contritionis eliciant, & gratiam bene orandi ab eo postulent, ac demum ad purificationem intentionis cum debita resignatione transeant, qua se totos Dei voluntati committentes, nihil amplius quam ejus Divinum beneplacitum, uberioremque animæ profectum in hujusmodi exercitio intendere protestentur.

5. In exercitatione semper intellectus voluntati facem præferat, ut in meditatione exardescat ignis. Unde a materiæ præparatæ considerationibus incipientes omnes illius causas, effectus, & circumstantias modo discurrendo, modo ponderando percurrant, usque dum ad aliquem devotum affectum excitentur, tunc enim ità sinent voluntatem opus suum exequi, ut quanto tempore affectus afficit animum, tanto in eo perseverent, minime interim soliciti, quod meditandum supersit extincta tamen affectione, vel tepescente ad aliam, vel alias affectus excitantes, vel discursivas, vel ponderativas considerationes redeant. In quibus actibus aures veluti circulo versentur, ita ut omnia dirigantur ad opus & usui virtutum inserviant.

6. Jam orationi finem impposituri tribus actibus eam concludant; Primus sit gratiarum actio, quæ ex his, quæ meditati fuerint quodammodo oriatur, & maxime de omnibus, quæ in ipso rationis decursu a Divina benignitate susceperint, quibus tandem pro beneficiis generalibus creationis, Redemptionis, ac reliquis omnibus tam universali Ecclesiæ quam sibi præstitis grates superaddant. Secundus sit oblatio, qua æterno Patri merita Christi, & omnium Sanctorum, seque ipsos cum illis, atque omnia sua opera cum perfecta resignatione in omne Dei beneplacitum offerant. Tertius denique sit petitio eorum, quæ ad æternam salutem pro se sunt necessaria, deinde pro universali statu totius Ecclesiæ, pro supremo illius Pastore, & Domino, universisque Prælatis pro Regibus, & Principibus, pro Prælatis, & Redemptoribus nostri Ordinis, ejusque Benefactoribus, conservatione, & augumento, & specialissime pro fidelibus captivis, qui in Saracenorum potestate detinentur, vel sunt in periculo abjurandæ fidei, & pro Fratrum, Captivorumque animabus in Purgatorio detentis adhibitis etiam B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum intercessionibus.

7. Hanc autem orandi formam, sic mane, & vespere implebimus. Primo enim ante Primam cum jam Fratres in Choro convenerint, ibi ante omnia flexis genibus Spiritus Sancti gratiam suppliciter exorent dicentes Antiphonam : *Veni Sancte Spiritus &c. Sub tuum præsidium confugimus &c. ℣. Emitte spiritum tuum &c. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix &c. Salvos fac servos tuos &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c. Oremus Deum, qui corda Fidelium &c. Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum insere pectoribus amorem tui nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias : Defende quæsumus Domine B. Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis per Christum Dominum nostrum, Amen.* His dictis adminus per dimidiam horam in Oratione permaneant, quam similiter habeant post Completorium, & eadem deprecatione præveniant. In fine vero facto signo a Prælato Cantor incipiat Antiphonam : *Conceptio tua* cum versu, & Oratione consuetis, prout in Rituali.

8. Præfatis ergo temporibus teneantur omnes Fratres nullo excepto, nec etiam Magistro Generali ad Orationem Mentalem convenire, nisi propter grave impedimentum, & rationabilem causam, qua raro indulgendum appareat, qui autem interesse alibi quotidie etiam iteragentes bis in die mentaliter orent, & hanc institutionem observent pro temporis opportunitate, & loco secum illud Davidicum conferentes. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.*

CAPUT IV.

De Inclinationibus.

1. Inclinationes dicimus ea sensibilia signa, quibus Deum, vel ejus Sanctos, aut Sancta, seu etiam homines propter Deum reveremur, & colimus. Quinque in Ordine nostro secundum rerum, & honoris diversitatem exponimus, quas capitis ad genua profundam genuflexionem, & prostrationem appellamus. Inclinationem Capitis Sacris præcipue nominibus Jesu Domini nostri, & Beatissimæ Virginis Mariæ cum magna cordis humilitate debemus impendere. Tum etiam nominibus Sanctorum, de quibus in die proprio, aut fit memoria, aut officium Capitis inclinationem reddimus : idem facimus, & in Hymno *Gloria in Excelsis Deo* -- ad eos versus--

Adoramus

Adoramus te, gratias agimus tibi, & suscipe deprecationem nostram, in simbolo ad verba -- *Simul adoratur* -- ad *humiliate Capita vestra*; & Orationem sequentem, ad benedictionem Sacerdotis in fine Missæ, & cum pacem, incensum, & aquam benedictam suscipimus; Prælatis item transeuntibus, vel cum ad eos accedimus, aut recedimus Capita reverenter subjicimus. Tandem cum in Refectorio aliqua Nobis per Hebdomadam obedientia subjungitur, caput licet opertum similiter inclinamus.

2. Corpus usque ad genua dimittimus, quoties Chorum ingredimur, vel egredimur, conversi ad Fratres vultu, quasi per Salutationis Officium. Ad omnes horas Officii parvi Beatissimæ Virginis Mariæ, cum ejus Orationem Angelicam præmittimus pro singulis, & ad eas Orationes, quibus finiuntur, vel fit commemoratio in Missa, aut officio, necnon etiam quoties occurrerit *Gloria Patri* similiter inclinabimur. In Officio autem majori excipitur primum *Gloria Patri*, in quo pro singulis horis profunda utimur inclinatione. In postremis Hymnorum versibus, & ad illos: *Sit Nomen Domini Benedictum*, *& Benedicamus Patrem*, *& Filium*, simulque ad eam Præfationis clausulam *Beatæ Mariæ*; *& te in Veneratione &c.* necnon in Prima cum dicimus *Sancta Maria*, *& omnes Sancti &c.* hac ipsa Corporis deflexione curvabimur, quam etiam cum sedemus sine erectione committimus.

3. Profunde quidem inclinamur ad Orationes Dominicam, & Angelicam, & Credo, quas singulis respective horis præmittimus in silentio, & quibus Officium; & Completorium tempore Paschali; diebusque Dominicis concludimus eadem inclinatione devolvimur ad primum *Gloria Patri* in Officio majori, ut prædiximus, & omnes ejus horarum Orationes, & primam dumtaxat in Vesperis, & Officio Missæ ad Collectam pro Ecclesia, & quam Prælatus indixerit pro necessitate communi ad omnes preces, & Confessionem, dum eas non genuflexi recitamus, & in Refectorio ad Orationem *Retribuere &c.*

4. Genuflexiones autem uno, vel bino genu in sequentibus exercemus. Primo ad ingressum, vel regressum a Choro, cum SSmum Sacramentum adoramus ad preces, & Orationes Missæ, & Officii tempore Adventus, & Quadragesimæ, quatuor temporibus, & vigiliis usque ad *Benedicamus Domino*, præterquam in diebus, quos excipit Cæremoniale nostrum, ad Preces, & Orationes Officii Defunctorum, ad versus *Tantum ergo*, *o Salutaris Hostia*, si Sacramentum sine velamine pateat, vel Processionaliter deferatur, in Hymno *Vexilla Regis*, ad versus: *o Crux*, ad illos etiam *Ave Maris Stella*, *Veni Creator Spiritus*, *Veni Sancte Spiritus*. In Psalmo Invitatorii ad verba, *Et procidamus ante Deum*, in Hymno *Te Deum* ad versum *Te ergo quæsumus* in verbis etiam *In nomine Jesu omne genu &c.* nisi hæc sint in introitu Missæ, ad illa insuper *Christus factus est pro Nobis &c.* & in toto Psalmo *Miserere*, & Oratione *Respice quæsumus*, qua concluditur in triduo majoris Hebdomadæ, in processionibus Litaniarum ab initio earum, usque ad verba *S. Maria*, si autem non fiat processio in tota Litania genuflectimus, ut in Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecostes.

5. Genuflexione item utimur in Psalmis Pœnitentialibus, & precibus Gradualium in fine Lectionum ad *Tu autem Domine* in Antiphonis B. Mariæ, quibus hora, vel Officium concluditur, nisi Paschali tempore, & diebus Dominicis, in Kalenda Nativitatis Domini ad ea verba *in Bethlehem Juda* &c. usque ad *secundum carnem* inclusive.

6. Cum prope Altare Sacramenti gradum facimus si lateat, uno genu, utroque vero si pateat humiliter genuflectimus. Crux etiam, quæ per medios Fratrum Choros transierit genuflexione adoratur. Sicut, & feria quinta post inclusum in Urna Sacramentum usque ad mane Sabbati Sancti eumdem ei reddimus honorem.

7. Genuflectimus insuper ad hæc omnia Evangeliorum verba -- *Et procidentes adoraverunt eum*. *Verbum caro factum est*, *Et procidens adoravit eum*, *Jesus autem exclamans &c.* *Jesus autem emissa voce &c.*, *Et hæc dicens expiravit*, *Et inclinato capite &c.* Et in adoratione Crucis feria sexta majoris hebdomadæ ad ea verba: *Venite adoremus*: ad illa etiam Symboli: *Et Incarnatus est*: ad *Flectamus genua*: & ad versum: *Adjuva nos* in Missa dicto: *Sanctus*: usque ad elevatum, & depositum Calicem præterquam in feriis Adventus, Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliis, & Missa Defunctorum in quibus genuflexionem trahimus usque ad verba: *Pax Domini* inclusive, a quibus tamen excipimus Vigilias Nativitatis, Ascensionis, & Pentecostes, & ferias temporum ejusdem Paschæ.

8. Cum Subditus aliquid recipit a Prælato genuflectens osculatur manum ejus, vel Scapularium dicens: *Benedictus Deus in Donis suis*: item quando Benedictionem ab eo suscipit ad iter agendum, vel ad illum ex eo revertitur suscipiens habitum, etiam genuaflectit coram Prælato toto tempore, quo ei Sermonem instituit, quod, & servat ad trinam repetitionem versus: *Suscipe me Domine &c.*, & ad Lectionem Professionis, sic etiam sistitur &c. Communicatus coram absolvente se, & qui in pane, & aqua in medio Refectorii abstinere præcipitur. Culparum Confessionem in Capitulo hac humiliatione incipimus dicentes *Pater veniam peto*. Generalis autem, & Provincialis in primo accessu ad Domos benedictionem itinerantium ita pariter humilitati suscipiunt, sicut & reliqui Fratres, sic etiam cereos, & Ramos die Purificationis, & Palmarum, cumque cinere aspergimur, & tandem ad versum: *Clementissime Deus* in Sepultura Fratrum.

9. Demum Fratres nostri prostratione succumbunt, cum aliquid canendo, aut legendo in Choro erraverint, & tandiu ita permaneant, donec ad surgendum a Prælato signum accipiant, qui tamen si eis aliquam obedientiam, aut Officium injunxerit prostratione suscipiant. In Refectorio si in ministerio Fratrum offenderint labem prostratione vindicent, quam omnes servitores cum Lectore iterum in fine faciant pro universis defectibus ministrando, aut legendo commissis, si quis alium scandalizaverit tanto temporis spatio ante ipsum prostratus occumbat, usque dum suscitetur ab ipso, suscipiens Professionem, aut habitum postquam eo indutus fuerit similiter procidat, donec Orationes super eum dicendæ finiantur. Post electionem Magistri Generalis, aut Provincialis, dum super utrumque in Ecclesia Orationes, & benedictiones effundimus ipsi eas prostrati suscipiunt: quibus etiam ad Domos nostras primo accedentibus in eorum Benedictione itinerantium universi Fratres prostrarentur ad Psalmum *Ad te levavi*, & reliquas Orationes. Tandem & ad Confessionem, dum in Capitulis absolvimur, & ad Psalmum *Miserere* in fine Sepulturæ Fratrum.

CAPUT V.

De Officiis, quibus Beatissimam Virginem Mariam prosequimur.

1. Et si totos ad pedes Beatissimæ Virginis Mariæ Matris, & Fundatricis nostræ nos devotio provolvit, nihil tamen æquum, aut dignum ejus erga nostrum Ordinem beneficiis reputamus: cæterum ei rependere quantum pro nostro modulo possumus desiderantes primo constituimus, ut diebus ferialibus, vigiliis, & festis simplicibus quibus etiam Ecclesiæ officium parvum B. Mariæ recitandum instituitur illud juxta Romanorum Ritum ab omnibus in Choro speciali devotione compleatur, reliquis autem diebus per annum præter triduum majoris hebdomadæ simi-

liter in Choro ante, vel post horas Canonicas recitari constituimus a Fratribus Clericis, & Novitiis cum assistentia sui Magistri, quibus etsi totam Communitatem non jubeamus adjungi, monemus tamen universos in Domino, ut vel se illis immisceant, aut saltem privatim hoc pensum singulis diebus Dominæ nostræ persolvatur.

2. Sabbato autem cujuslibet hebdomadæ (exceptis festis duplicibus primæ, ac secundæ Classis) secundum antiquam Ordinis consuetudinem post primam inviolabiliter Missa de Beata Virgine, juxta Romanum Ritum in omnibus Conventibus solemniter celebretur, ad quam stricte vocamus universos Fratres, cujuscumque sint qualitatis, ne Magistro quidem Generali excepto. Eodem die pariter omnes Fratres post completorium, ad Ecclesiam processionaliter accedant Cruce cum Acolythis præeunte, & sequente Sacerdote cum Pluviali albo, ibique Antiphonam *Salve Regina* coram B. Maria Virgine concinant, qua finita, incipiant Cantores Antiphonam *Conceptio tua*, & eam continuante Choro eodem ordine procedatur ad specialem Capellam ejusdem Beatæ Mariæ, ibique cum versu, & oratione juxta antiquam Ordinis Constitutionem concludatur. Quod si ad Processionem istam locus apte non suppetat, inibi consistentes Fratres eamdem Antiphonam prosequantur, & finiant.

3. Singulis mensibus opportuniori Dominica fiat in omnibus Conventibus Ordinis processio Scapularii ad Vesperam, in qua Imago B. Mariæ Virginis deferatur in memoriam revelationis ejusdem, qua Ordinem nostrum instituit, quibus diebus si habeatur concio omnes Indulgentiæ Scapulario, & huic diei concessæ fideliter exponantur.

4. Ad festum præterea B. Mariæ Virginis de Mercede sub primam Augusti Dominicam constitutam præter solemnitatem ritualem, habeatur insuper concio, & processio, & quæcumque alia solemnitas juxta facultatem Conventus.

5. Adhuc ad ejusdem honorem statuimus, ut juxta pristinam Ordinis Constitutionem nulla construatur Ecclesia, quæ si fieri possit ejus nomini non consecretur, & in ipsa pro titulare habeatur, alioquin autem Capellam saltem specialem sub ejus titulo, & nomine stricte præcipimus erigendam.

6. Et sicut Fratres ipsam Beatissimam Virginem alte suis cordibus debere esse infixam, ei que dicatum totum Ordinem, & ab ipsa suum in honorem erectum instituimus, & ordinamus, ut sigilla majora tam Ordinis, quam Provinciarum Beatæ Virginis Mariæ Imaginem pro stemmate contineant secundum festivitates illius, itaut quam Provincia jam habeat, vel posthac virtute præsentis Constitutionis intra latius ordinandæ denuo suscipiat, illam quoque, & propriam sibi Patronam revereatur, & celebret. Quod si dicta festivitas Provinciarum, & sigillorum numero non sufficiant, aliquis de Sanctis nostri Ordinis sub eodem cultu, & celebritate assumatur.

7. Denique statuimus, ut universi Fratres Imaginem Beatæ Virginis Mariæ semper in Cellis habeant, quam ad ingressum, & egressum ore, corde, & inclinatione salutent. Quod similiter faciunt ubicumque per claustra, & Conventum illis occurrat, sic enim servulos, & filios decet, quinimo jure cogimur tam egregiæ Dominæ, & Matris piissimæ umbram colere, cujus dignanter umbraculo refovemur.

CAPUT VI.

De horis Fratrum Laicorum.

1. Ne autem Fratres Laicos, dum eos vitæ activæ subjicimus a contemplativæ quoque profectibus repellamus, ipsos eisdem temporibus, quibus ante Primam, & post Completorium ad mentalem Orationem communiter convenimus, inviolabiliter quoque ad eam accedere constituimus.

2. Cæterum, ut fructus horarum canonicarum quas sacris initiati, & Clerici Deo diebus singulis impendimus non sit omnino alienus a laicis pro suo modulo ab ipsis pariter implendos salubriter ordinamus. Matutinas igitur incipiant dicendo *Pater noster, Ave Maria, & Credo*, deinde *Domine labia mea &c. Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.*, & pro Nocturnis, & laudibus quindecim orationes Dominicas, & totidem recitent Salutationes Angelicas. Et tandem pro conclusione dicant *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, in cujus fine adjiciant *Per Dominum nostrum &c. Benedicamus Domino &c.* Reliquas autem horas inchoent per *Pater Noster, Ave Maria* supradicto in Prima *Credo, & Deus in Adjutorium &c.* & uti supra finiant, pro singulis vero decies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam devota meditatione persolvant. In fine completorii præter propriam terminationem illius totum suum officium concludant dicentes *Pater Noster, Ave Maria, & Credo*, ad similitudinem Clericorum.

3. Hæc quidem omnia officio tantum majori congruere intelligimus, ut autem, & minori, seu parvo Beatæ Mariæ laicorum etiam oratio respondeat eisdem districte præcipimus, ut singulis diebus Rosarium Beatæ Mariæ recitent quinque nempe decadas Salutationum Angelicarum, quas incipiant ab Oratione Dominica. Totum autem illud ita ritualiter inchoabunt, & finient, sicuti Matutinas majores, & aliquam officii formam, ritumque contineant.

4. Denique nostri Ordinis utriusque sexus Tertiarios, si claustraliter vivant adhæc omnia esse penitus obligatos similiter constituimus.

CAPUT VII.

De frequentia Sacramentorum.

1. Qui vitam spiritualem eligimus, & in perfectionis Monte Sacra esurire Paschata profitemur ad eam præcipue convenit aspirare pinguedinem, & spiritualem alimoniam, quam mentes nostras Sacramenta reficiunt. Quo circa universis nostri Ordinis Presbyteris hortamur, ut singulis diebus sacrum celebrent, nisi ægra valetudo, aut urgentissima, vel Prælato nota causa præpediat, qui autem celebrationem crebro prætermittere inventus fuerit, prævia monitione pœna reclusionis integrum mensem a Prælato puniatur.

2. Fratres vero non Presbyteri tam Clerici quam Laici, & nostri Ordinis Tertiarii utriusque sexus claustraliter viventes præmissa humiliter sacramentali confessione, atque aliis pietatis exercitiis (per quæ communem ad minus disciplinam in Novitiatibus intelligimus, & privatam laicis) ad Sacram Eucharistiam communiter accedant singulis diebus Dominicis proxime, non occurrente ante, vel post illas aliqua ex supra scriptis solemnitatibus, in quibus Sacram etiam Communionem illis omnibus sumere præcipimus, festis scilicet Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Matris ejus fundatricis nostræ, etiamsi non sint de præcepto, utroque festo S. Michaelis Archangeli, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum, & Evangelistarum, SSmi Joseph, atque Parentis nostri D. Petri Nolasco, & reliquorum Sanctorum Ordinis, ejusque festivitatibus, die insuper omnium Sanctorum tam Ecclesiæ, quam Ordinis, ac denique diebus omnibus, quibus absolutionem habemus ad Populum. Hujusmodi autem Communiones omnes non Presbyteri cum Novitiis, & Lai-

cis

cis in Conventibus nostris communiter suscipiant.

CAPUT VIII.

De Ecclesia, ejusque sanctitudine, & cultu.

1. Quoniam Domus Domini, Domus orationis vocatur, eamque idcirco deceat sanctitudo, enixe super hoc ministerii ejus invigilare præcipimus, ne colloquia habeantur in illa, præsertim temporibus celebrationis Officiorum. Visitationes vero feminarum, & alloquia politica quantumvis necessaria, & honesta, etiam ad vesperam prohibemus in Ecclesia, nisi cum expressa licentia Prælati. Quando autem cum facultate prædicta ita fieri decenter expediat, totis tamen viribus interdicimus ne in locis confessionibus designatis hujusmodi misceantur alloquia, ne tam sancta, sed illa etiam decedentibus erubescant.

2. Denunciamus autem universis Fratribus, quod juxta Decretum SS. D. N. Innocentii XI. nunquam in Ecclesia, aut ejus Capellis, Sacristia, vel Claustris cibum, aut potum sæcularibus quovis urgente prætextu, aut personæ celsitudine deferant, nec quomodolibet deferri permittant.

3. Quia vero Sacramentum Pœnitentiæ, & suscipientibus ad veniam, & illud recusantibus ad ædificationem, & exemplum interdum profiteri agnoscimus, nolumus, ut loca pro eo designata sint in Ecclesiæ latibulis, sed palam ubi peccatores provocent, & alliciant. Quo circa nostri Ordinis Confessoribus strictissime prohibemus, ne quaslibet præsertim feminas ad hoc Sacramentum per angulos Ecclesiæ, aut devia loca suscipiant.

4. Quantum ad Ecclesiæ cultum sit maxime Sacrista solicitus, ut debito ornatu, & honestate perfulgeat, eam, & Capellas frequenter everri faciat. Altaria singulis diebus mundentur a pulvere. Ornamenta omnia non incomposita, sed quasi Deo Sacra pie, & devote contrectet linea non minus sordere patiatur, sed crebris juxta usum lotionibus niteant, & corporalia permaxime universa quidem si sint lacera resarcienda curet, neque omnino disrumpi permittat.

5. Quo circa universis Commendatoribus præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ut in fine triennii ornamenta Sacristiæ novo semper augmento ampliata dimittant: incrementum vero sub fide depositariorum Capitulo Provinciali cum reliquis rationibus Conventus exhibeant: Lucernam ante Venerabile Sacramentum sic Sacrista perenniter ardere satagat, ut si ejus extinguatur incuria, gravis culpæ pœnam incurrat.

6. Renovatio Sacramenti verno tempore per omnes hebdomadas privatim, aut solemniter celebretur juxta consuetudines Conventuum, hiemali verò ultra duas hebdomadas protrahi non liceat.

7. Oleum Sanctum singulis annis suo quoque tempore renovetur, & vas, in quo reponitur decenti sit materia & arte dolatum; Ea vero omnia in quibus venerabile Christi Corpus asservatur qua parte saltem, aut concavitate tangitur, sint argentea, & deaurata intrinsecus, sicut & de Calicibus ordinat Rituale; Sacraria autem ubi ponitur Sacramentum corporalibus, & Ara consecrata rite, & decenter esse instructa præcipimus.

8. Quæ omnia, ut observatione vigeant universis Commendatoribus injungimus, ut præter communes visitationes Prælatorum Superiorum, ipsi ter in anno visitent solemniter Sacraria, & universa vasa Sacramentalia, eorumque loca, atque Sanctorum reliquias, eaque omnia recenseant, qua munditia, qua reverentia, & qua hujusmodi nostrorum statutorum obtemperatione consistant, quæ ornamenta sint lacera, quæ deficiant, & ea refici, vel innovari faciant. Has autem visitationes perpetuo fieri constituimus sub prima die mensis Januarii, Maji, & Septembris nulla Ecclesiæ, vel Ordinis solennitate impedita.

9. Juxta pristinam Ordinis consuetudinem, & statuta plura Cymbala in Ecclesiis nostris possumus constituere, ut sit discrimen aliquod inter primum, & secundum signum quibus ad Chorum, vel Ecclesiam ducimur.

CAPUT IX.

De obitu, & Sepultura Fratrum.

1. Dum Frater Infirmus jam mortis discrimen contrahit, provideat illi Commendator, ut de Sacramentis nondum susceptis juxta inferius cap. 13. dist. 1. ordinanda, & de duobus Fratribus, spiritu, & doctrina præditis, qui ei perpetuo adhæreant, & adjuvent usque ad obitum, qui si diuturna mortis instantia vexentur, poterunt alternare laborem.

2. Postremum ægroto agonem ineunte per totum Conventum pulsetur crepitaculum, & omnes Fratres ad ejus Cellam conveniant, ubi commendatione animæ cum devotione peracta, cantetur totius Symbolum Fidei quousque animam exhalaverit.

3. Cum jam autem fuerit vita defunctus cantetur responsorium: *Subvenite Sancti Dei*, & statim postea induatur Regularibus indumentis, sicut alii Fratres, nisi prius opus sit cum lavacro tergere. Et sic habitu, & pallio jam induto, manus coaptentur ante pectus alba victa devinctæ, & Cruce affixa pollicibus. Deinde ducendus est opportuno tempore ad Capitulum, vel Sacristiam, aut alium commodum, & assuetum locum ubi strato super terram panno decente aptabitur hinc inde usque ad horam Sepulturæ, ardentibus cereis, & vase cum aqua benedicta ad pedes apposito. Hinc autem, & ubicumque post obitum quousque sepeliatur, extiterit, semper ei Fratres Clerici, seu Presbyteri a Prælato designati adhæreant, & Psalterium cum devotione recitent, ac debitum reddant pietatis officium.

4. Accedente tempore quo deferendus sit ad Ecclesiam, ut eo præsente Missa celebretur, vel ad locum, ubi sit Sepulturæ tradendus omnes Fratres sine exceptione conveniant, ibique suffragia a Rituali nostro præfixa persolvant.

5. Diligentissime etiam, & pro viribus curent Prælati Ordinis, ut ubicumque Frater noster extra claustra obire contigerit, si possibile sit ad aliquam nostri Ordinis Ecclesiam deferatur, ubi prædictam ei reddamus pietatem, ut quos dilectio copulavit in vita, etiam in morte non separet, alioquin autem si difficile appareat in Parochia, seu viciniori Monasterio quasi sub deposito sepeliatur.

6. Si vero (quod Deus avertat) Frater aliquis proprietarius decesserit, vel alteri crimini obnoxius, cui Sacri Canones Ecclesiasticam denegent sepulturam, is humetur in Agro, forma, & casibus inferius Dist. 5. cap. 8. ordinandis.

7. Commendatoribus denique præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ut pro defunctis Fratribus librum habeant in suis Conventibus, in quo omnium illorum nomina, annus pariter, mensis, & dies obitus diligentissime notentur, insuper, & sub quo Generali, Provinciali, & Commendatore decesserint, & si fieri possit, qua die professi fuerint. Quod si vitæ laudabilis extiterint, aut aliunde quoque viri eminentes, & posteritati commendabiles omnia ibi fideliter conscribant, ut facile de hoc plene possint historiæ nostræ, & Patrum exempla reduci. Hunc autem librum visitationi absque ullo penitus diffugio subjicimus.

CAPUT X.

De Suffragiis mortuorum.

1. Quam primum decesserint Fratres nostri, etiamsi sint Novitii, Commendator ejus Domus,

ubi quisque obierit Provincialem, aut Vicarium Provincialem, & omnes Commendatores Provinciæ sub pœna suspensionis ab officio per sex menses de illius obitu admoneat, quem nihilominus Provincialis, aut Vicarius Provincialis confestim ut admonitus universis suæ ditionis Conventibus renuntiet, ne defectu notitiæ ulla sit mora in suffragiis.

2. Pro quolibet Fratre defuncto domus illa, cui Conventualis erat designatus sine intermissione aliqua per tres dies Missa Defunctorum juxta Rituale Romanum solemniter celebretur, quæ singulis diebus cum responsorio in Ecclesia concludatur, iis etiam distribuatur integrum officium Defunctorum sub ritu duplici sicut in die depositionis Defuncti, cui cantus adhibeatur prout fuerit in Conventibus assuetum, per novem item dies a decessu continuos finito prandio, & pulsatis interea cymbalis responsorium decantetur a Fratribus.

3. Quod attinet ad singulos Fratres Domus, ubi decesserit tres Missas pro Conventuali Presbyteris constituimus, Clericis vero, & Novitiis non impeditis Psalterium integrum in Choro, vel Oratorio Novitiatus cum assistentia sui Magistri, impediti vero extra chorum, id compleant, quod quidem commutari stricte prohibemus, Conversis autem, ac Tertiariis utriusque sexus integrum Rosarium B. Mariæ præscribimus: quibus ulterius addimus, ut per tres dies a decessu, ejusque notitia Indulgentias a Paulo V. Regularibus suas Ecclesias visitantibus, in eisque devote orantibus concessas lucrari, & pro dictis Fratribus applicare contendant.

4. Hæc eadem suffragia per totum Ordinem pro Magistris Generalibus, qui in officio, vel eo functo decesserint pariter, & pro socio, & Secretario Generali in munere obeuntibus, etiamque pro Diffinitoribus, aut Rectoribus generalibus morte in via ad Capitulum Generale perventis fieri constituimus.

5. Ad hæc ipsa quælibet Provincia tenebitur pro iis, qui sunt, aut fuerint Provinciales, atque pro actuali Visitatore in illis respective domibus suæ visitationi concreditis. Cæterum pro Fratribus non Conventualibus, etiam Novitiis singulæ Domus Provinciæ teneantur ad unam Missam solemnem, & vigiliam Defunctorum cum responsorio ad finem. Singulos autem earumdem Domorum Presbyteros ad unam missam privatam adstringimus, Clericos vero ad septem Psalmos Pœnitentiales, Conversosque, & Tertiarios, ad tertiam partem Rosarii, & utriusque præterea prædictam Ecclesiæ nostræ visitationem, ut superius injungimus. Fratribus item ex Ordine nostro ad Episcopalem, Archiepiscopalem, aut aliam quamlibet dignitatem evectis eadem adhibeantur suffragia, quæ vi Constitutionis in Ordine decedentibus persolventur.

6. Singulis mensibus prima scilicet die illorum festo novem lectionum non impedita, fiat officium pro Defunctis cum Vesperis, Nocturno, & Laudibus juxta Rituale Romanum, pro quibus ulterius Missam, & Anniversarium superaddimus de cætero perpetuo, & solemniter per totum Ordinem celebranda.

7. Insuper prima die similiter non impedita, quæ Sanctorum nostri festum subsequitur fiat in toto Ordine solemnis commemoratio omnium Defunctorum Fratrum, Sororum, & Benefactorum illius ad instar illius solemnitatis, qua omnium fidelium Defunctorum memoria secunda Novembris ab universa Ecclesia recolitur, quæ quidem suffragia, Missas, atque omnia pietatis officia, quæ Domino hac die totus Ordo dicaverit pro Defunctis præfatis perpetuo esse applicata constituimus.

8. Similiter sancimus, ut quam primum SS. D. N. Papæ obitus innotuerit, vel Catholicorum Regum Nostri Sacri Ordinis Patronorum, fiant pro illis solemnes exequiæ cum Missa, & officio duplici Defunctorum, ita ut omnia totius Ordinis bona opera, & Sacrificia, quæ in prædicto Exequiarum die ab universis Fratribus peragantur, pro ipsis etiam perpetuo censeantur applicata; quam pariter pietatem, & gratitudinis officium erga Eminentissimum Cardinalem nostri Ordinis Protectorem eadem firmitate stabilimus.

9. Singulis quoque annis juxta pristinam Ordinis consuetudinem die 23. Julii inclyti Aragoniæ Regis Jacobi primi Patroni, & Fundatoris nostri piissimi memoriam funeris solemniter celebrabimus: cui ejusque Successoribus Defunctis cuncta hujus diei bona opera per ordinem adhibemus.

10. Ulterius singulis annis præter suffragia prædicta quatuor Anniversaria solemnia cum Missa, & officio duplici in nostro Ordine fiant. Primum tertia die post Purificationem B. Mariæ pro animabus Parentum nostrorum. Secundum prima die post octavam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli pro sepultis in Ecclesiis, & Cœmeteriis nostris. Tertium prima die post octavam S. P. N. Augustini pro familiaribus & Benefactoribus nostris, & quartum prima die post festum S. Dionysii pro animabus Fidelium Captivorum in Captivitate fideliter obeuntium.

11. Qualibet feria secunda (extra tempus Paschale) cantetur post Primam Missa quotidiana Defunctorum, eaque finita fiat processio, in qua cantentur sex responsoria pro ipsis secundum antiquam Ordinis consuetudinem. Quod si prædictam Missam ritus festi solemnis primæ, vel secundæ classis impediat in feriam tertiam, vel quartam, & non longius transferatur.

12. Ut autem nostris defunctis Fratribus perpetuo censum aliquem rependamus firma pietate decernimus, ut singulis annis in omnibus Conventibus Ordinis pro ipsorum animabus certus Missarum numerus ex privatis applicetur, nimirum, in Majoribus Conventibus centum, in mediis quinquaginta, & viginti in infimis. Clerici autem, & Conversi Fratres fructum Communionum, & bonorum operum Adventus, & Quadragesimæ ipsis pia largitione dispertiant: illi præterea semel in mense unam vigiliam Defunctorum, isti vero tertiam Rosarii partem recitent. Quæ omnia sic inviolabiliter omnes respectivè impleant, ut nullo unquam diffugio, vel indulgentia prætereant.

13. Tam communiter, quam privatim Conventus, aut Fratres nostri nullum Missarum numerum accipiant, nisi quam commodè, vel licite adimplere valeant; neque insuper Conventus nostri propter eleemosynam de præsenti se adstringant in perpetuum ad aliquem numerum Missarum tam solemnium, quam privatarum, nisi interveniat licentia Provincialis in scriptis, & annualis census pro illis sic juxta consuetudinem æqualis, & quantum fieri possit nulla fraude, vel eventu fallibilis: Commendator autem qui secus fecerit privationis officii pœnæ subjaceat, etiam pœnis contentis in Constitutione 45. Urbani VIII. de celebratione Missarum.

14. Diligenter omnes Prælati seu Commendatores invigilent, ut omnium Defunctorum Fratrum nomina publicis schedulis, seu Tabellis in Choro, vel Sacristia sint inscripta cum annotatione diei, mensis, & anni, & Conventus ubi decesserint, quæ quidem Tabellæ per singula Triennia renoventur, quas Visitatorum Judicio subjicimus, ut per eas Suffragiorum pro Fratribus celebratio qualiter sit impleta non lateat.

DISTINCTIO SECUNDA.

De Redemptione Captivorum.

Ifis genus electum, & Regale Sacerdotium instruximus, quæ ad Sacrificandum Deo Ho-

ſtiam laudis Religionis jure poſtulantur. Eſt autem Reliquum, ut huic Ordinis Tabernaculo ad exemplar, quod in Monte revelationis monſtratum eſt confirmato legis tabulas omni ſtudio, curaque dolatas reponamus. Et cum principalius Inſtitutum principaliorem locum ſibi vindicet recta ideo intentionis ſerie primas de Redemptione leges incidemus.

CAPUT I.

De poteſtate Magiſtri Generalis ſuper exercitio Redemptionis.

1. Redemptionis Inſtitutum in Ordine eſt quædam cura, & tutoris officium univerſis ejus Fratribus a Beatiſſima Maria commiſſum his verbis -- *Quibus præcipua ſit cura captivos ab Infidelium tyrannide liberandi.* Unde cæleſti jure, & poteſtate collata a puriſſima Fundatrice noſtra hanc Redemptionis curam totus Ordo proſequitur.

2. Et licet ſinguli Fratres ex Inſtituti viſceribus, & Almæ Virginis præcepto ad illius actus voto ſtrictiſſimo teneantur, non eis tamen incumbunt niſi juxta nutum, & diſpoſitionem Prælatorum, quibus ad Redemptionem ineſt tota Ordinis poteſtas, & Regimen. Commendator namque in ſuo Conventu, Provincialis in ſua Provincia, & Magiſter Generalis in toto Ordine, ſuam quiſque reſpective facultatem poſſidet ſuper regimine hujuſmodi, ita tamen ut Magiſter præcipuam, & ſupremam poteſtatem obtineat, cui totus ſubditur Ordo in Redemptionibus exequendis.

3. Hinc ergo noſtra Diſcalceata Familia in iis quæ ad Redemptionem captivorum attinent virtute concordiæ quibuſdam inter utramque familiam Capitulis ſtabilitæ per Gregorium XI. confirmatæ, & per Urbanum VIII., & Innocentium X. declaratæ Magiſtri Generalis directioni, & Juriſdictioni ſubjicitur.

4. Unde firmiter ſtatuimus, ut ad ſolum Magiſtrum Generalem pertineat Redemptiones ubique faciendas inſtruere, & tempus earum in Capitulis Provincialibus deſignatum, prout magis expedient prorogare, aut contrahere; & pariter ad quod Regnum, Civitatem, vel oppidum mittendæ ſint conſtituere.

5. Muneris eſt ejuſdem quotieſcumque Redemptor, aut Redemptores a Diffinitorio Capituli Provincialis deſignati quavis cauſa, vel ratione defecerint, eos per ſe ſolum extra Capitulum noviter inſtituere. Hac eadem facultate gaudeat erga Procuratores Generales Redemptionis tam pro toto Ordine, quam Provinciis in Capitulis Provincialibus electos ſi eos extra Capitulum deeſſe contigerit.

6. Eidem tamen ſtrictiſſime præcipimus ſub pœna Excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ut nulla ratione, vel prætextu transferre liceat eleemoſynas unius Provinciæ in aliam ſive ad redimendum captivos illius, aut uberiorem in ea Redemptionem agendam, ſive ad repignorandum aut debita in aliqua Redemptione contracta ſolvendum.

7. Super hoc autem declaramus captivorum eleemoſynas in Provinciis Indiarum collectas debere ſemper juxta antiquam Ordinis Conſtitutionem Bullis Apoſtolicis confirmatam Caſtellæ Vandaliæque Provinciis applicari, ut una cum earum eleemoſynis nomine ſui, & Provinciarum Indiarum in Caſtellæ, & Vandaliæ Redemptionibus impendantur. Unde ſub præcepto, & Excommunicatione præfatis dicto Magiſtro ſimiliter prohibemus, ne illas in Redemptiones aliarum Provinciarum quolibet ex præmiſſis, aliove quocumque fine diſtrahat.

CAPUT II.

De Fratribus bonorum Redemptionis Exactoribus, & Collectoribus Eleemoſynarum.

1. Ex merito Inſtituti non tantum nos per omnia in captivos effundimur uſque ad eorum ærumnas, & captivitatem ſubſtinendam, ſed & eleemoſynas, pro ipſis emendicare profitemur, facti pro pauperibus indigentes, ut ait Apoſtolus. Hinc ergo univerſis Fratribus declaramus hujuſmodi laboribus ex eodem Inſtituto, & voto ipſos fore ſemper, & ubique ſubjectos.

2. Sed ut prædictæ eleemoſynæ, & bona omnia ad Redemptionem quomodocumque ſpectantia, nulla ratione jacturam ſubeant, in qualibet Provincia ſit Procurator Generalis a Diffinitorio intra Provinciale Capitulum eligendus, cujus ſit pro viribus cauſas bonorum Redemptionis in quolibet Senatu, vel Tribunali peragere.

3. In quolibet item Conventu alium ſpecialem Procuratorem Conventus inſtituat, ad quem pertineat univerſa pro ſuo Conventu Redemptionis bona præfixa diligenter comparare, atque redditus annuos, Legata, ceſſiones, res perditas, vulgo *Monſtrencos* exigere, liteſque de illis modeſte, & viriliter proſequi, ac cætera omnia perſolvere circa prædicta bona, quæ jure ad ſuum Conventum pertineant.

4. Procuratoribus autem Generalibus, & particularibus ſtrictiſſime præcipimus, ſub pœna privationis ſuorum officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ, ut quandocumque in Conventibus ubi reſident computa fiant, ipſi quoque compareant coram Commendatore, ac Depoſitariis, quibus, & de cenſibus comparatis; de ſtatu litium, de perceptione legatorum, & quorumcumque bonorum ad Redemptionem, & ſuum munus pertinentium rationem reddant. Similiter, & univerſis Commendatoribus, ac depoſitariis ſuper eiſdem pœnis præcipimus, ut nullatenus ſuorum Conventuum computa aggrediantur, nec rationem dati, & accepti ſuſcipiant, niſi peracta prius, quæ ad Redemptionem pertineant.

5. Cæterum ut eleemoſynæ captivorum uberius in dies accreſcant eadem diſtinctione univerſis Conventuum Prædicatoribus injungimus, ut in omnibus oppidis, Eccleſiis in Territorio, & ditione ſui Conventus incluſis prædicent Redemptionem ſemel ad minus in anno, & tempore cujuſque Loci fructibus opportuno. Poſtquam autem concionem habuerint hora competenti cum loci Miniſtris, & aliis viris probatæ auctoritatis (quos potius comitate, quam jure privilegiorum cogi optamus) locum omnem circumeant, & oſtiatim eleemoſynas exigant pro captivis, & ſi aliqua de venturis fructibus offerantur in libro ad hoc deſtinato memoria tradant congruenti ab ipſis tempore exigenda.

6. Inter hæc omnia diligenter caveant, ne aliquando ſe muneri prædicandi committant, niſi Indulgentiarum Bullis, Regumque privilegiis inſtructi, nec non licentia Prælati Ordinis, ſigillo munita, ac etiam Diœceſani, quibus adjungent ſpecialem procurationem ad colligenda ſi qua invenerint bona, reliqua Inſtrumenta, quæ videantur opportuna deferant, ne ab Eccleſiarum Rectoribus, vel quovis alio prædicare, & eleemoſynas colligere impediantur.

7. Concionatores miſerias, cruciatus, ærumnas fidelium Captivorum apud Barbaros, & præcipue abjurandæ fidei diſcrimina prudenter, flebiliter, & devote, populis exponant. Id tamen omnino caveant, ne quemquam verbo lædant, vel alienæ profeſſionis Fratribus detrahant, aut ſcandali apicem ſub pœna gravis culpæ quomodolibet inferant, quo pacis vincula rumpant, Indulgentias Romanorum Pontificum Ordini non conceſſas publicare

non audeant sub pœna excommunicationis majoris, & gravissimæ culpæ præter alias a jure præfixas; veritatem in omnibus diligant, & mendacium penitus abhorreant.

8. Quapropter Prælati hujusmodi prædicationis, & collectionis munera nonnisi Fratribus Deum timentibus, & virtute præditis imponant, qui omnia prædicta, ut desideramus exerceant, & in exigendis eleemosynis verbis, gestis, & moribus se pios, sobrios, & honestos exhibeant. Quibus insuper sub formali obedientia, & pœna privationis muneris prædicandi, & vocis activæ, & passivæ præcipimus, ut nihil bonorum Redemptionis directe, neque indirecte colore, titulo, vel prætextu aliquo tam vero, quam falso sibi quomodolibet applicent, aut in alium finem etiamsi honestum, & pium distrahant, nisi quæ pro conductione necessaria visa fuerint.

9. Ut ergo istud prædicationis munus ferventius exerceatur, & nulla negligentia tepescat universis prædicatoribus Redemptionis per totum Ordinem declaramus sibi non fore computandos ad gradum Præsentaturæ de Pulpito obtinendum annos singulos, quibus, ut pie dicitur non prædicaverint, aut Collectam eleemosynarum quovis modo non fecerint.

10. Ditiones, & Territoria ad Collectam eleemosynarum, & exactionem omnium bonorum Redemptionis in Capitulo Provinciali cujuslibet Provinciæ designata nullus Procurator, Prædicator, aut Frater confundat, vel prætereat, sed unusquisque in suis finibus laboret, ut collectiones cum distinctione, & sine invidiæ fomite fiant, ne meritum unius operarii ex aliena messe ditescat.

11. Solicite studeant Procuratores, ut in singulis Urbibus, & earum Parochiis in Villis, Oppidis, & Castris totius Ditionis suæ constituantur Sindici, vel quos Fratres Redemptionis appellamus, qui diebus Festis petant eleemosynas, & eas fideliter custodiant; ad hoc autem eos sufficienti juris auctoritate instruant per Instrumentum publicum, & in eorum absentia omnia Redemptionis bona, cum opus fuerit exigere, & prævenire valeant. In omnibus Ecclesiis, diversoriis, & locis publicis capsulas, vulgo *Cepos* affixas semper esse solicitent, quibus Fideles pietatis suæ largitiones inferant.

12. Caveant Prælati, ne hujusmodi eleemosynarum collectionem personis Sæcularibus sub quavis conventione committant, sed nostris dumtaxat Fratribus præfatis moribus, & honestate conspicuis.

CAPUT III.

De Administratione, & Custodia Bonorum Redemptionis.

1. Non satis adhuc prudenter Redemptionis eleemosynas huic Sacculo æternitatis intulimus, si eum a tineis negligentiæ, vel quavis humani cordis erugine non defendimus. Hoc igitur studio universis Commendatoribus indispensabiliter, & sub pœnis inferius infligendis statuimus, ut in quolibet Conventu Arcam specialem, & diversam a deposito Conventus destinatam habeant, cui omnia Redemptionis Bona fideliter injiciantur, & secure consignata permaneant.

2. Sed ut de cunctis, & singulis discreta ratio habeatur tres libros omnino diversos a prædictis Commendatoribus confisci, & in eadem Arca servari præcipimus, Primus sit ubi expresse annotentur Patronatus, Possessiones, Census, aliaque jura perpetua ad Redemptionem pertinentia cum relatione Instrumentorum, & nominibus eorum, a quibus exigenda sunt, & temporis tractu mutantur. Secundus contineat pia Legata, Donationes, Cessiones, Credita, pecuniarum proventus fructuum ex procuratione, & quæstura procedentium cum eleemosynis ubilibet minutatim collectis, & quæcumque alia Bona adventitia. Tertius sit quasi major, & Index universalis aliorum, in quem referenda est omnis quomodolibet ratio dati, & accepti idest omnis pecuniæ quocumque titulo adeptæ, & pariter quomodocumque consumptæ.

3. Et non solum in prædicto Deposito hujusmodi libros consignari præcipimus, sed etiam privilegia omnia Apostolica, & Regia, cum universis pariter Scripturis, & Instrumentis ad Bona Redemptionis, & eorum accuratam administrationem, & collectam pertinentibus pro quibus si ad lites aliquas extrahantur substituatur Schedula nomine Procuratoris extrahentis, & loci, vel Tribunalis, cui præsentari contigerit inscripta.

4. Hujusmodi Depositum tribus sit clavibus obseratum, quarum unam habeat Commendator, secundam Procurator Redemptionis, & tertiam dignior Depositarius. Illud utique nullatenus recludatur, vel reseratum maneat nisi semper iis tribus clavigeris una concurrentibus, & pariter attestantibus, quidquid dati, vel accepti præscribitur, reponitur, aut extrahitur. Si quis autem contrarium fecerit, pœnam privationis officiorum, & utriusque vocis incurrat.

5. Similiter constituimus, ut in quolibet Conventu præcipuo, & Capite cujuscumque Provinciæ aliud sit depositum generale a Conventuali discretum, cui inferantur omnes pecuniæ Redemptionis totius Provinciæ, & fideliter custodiantur. In illo pariter contineatur liber, in quo singulæ pecuniarum Missiones specialiter, & distincte pro singulis Conventibus memorentur, ut de eo, quod quisque miserit, & in Redemptione laboraverit ratio habeatur in promptu, circa Clausuram vero, & reserationem ipsius serventur eædem, quæ de reliquis superius ordinavimus sub eisdem pœnis privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, itaut omnia Redemptionis Deposita tribus semper clavibus sint inviolabiliter obfirmata.

6. In Regionibus Peruanis apud Indias pecuniarum Collectæ depositi Generalis cujuslibet Provinciæ ad Generale Depositum Provinciæ Limensis deferantur, ut inde sub classe Regia ad Depositum Generale Conventus Hispalensis pro Castellæ, & Vandaliæ Provinciis secure mittantur. In nova vero Hispania Thesaurum Depositi Generalis Provinciæ Lautemalæ ad Depositum Generale Provinciæ, & Conventus Messicani confluere providemus, ut inde utriusque Depositi pecuniæ ad præfatum Hispalense Depositum adsportentur, ad quod etiam, utpote transvectioni commodius, quæ in Provincia Insularum S. Dominici colliguntur recto tramite deducantur.

7. Quo circa universis Indiarum Vicariis Generalibus, & Provincialibus injungimus in id solertissime incumbere, ut prædicta Redemptionis bona, & suarum Provinciarum Collectæ Navibus bene instructis, & validis ad præfatam Hispalim Civitatem deveniant, & ejusdem Urbis Commendatori, & Procuratori Generali Redemptionis, ac Depositario digniori tradantur, qui profecto adhibito, aut authentico Testimonio ea cuncta suscipient, generalique Deposito inferent, ut suo tempore usibus Redemptionis dumtaxat integre deserviant.

8. Ulterius ipsi Commendatori, & prædictis aliis duobus Clavigeris ejusdem Conventus enixe præcipimus, ut post susceptam præfatam pecuniam confestim sub testimonialibus literis rem totam Ordinis Magistro denuncient, & summas omnes allatæ pecuniæ fidelissime referant, necnon Provincialibus Castellæ, & Vandaliæ, ut eorum neminem Thesauri fundum lateat, ex eoque Redemptio suo tempore decernatur.

9. Rursus etiam præsenti Constitutione universis per totum Ordinem Fratribus cujuslibet qualitatis, aut conditionis extiterint, & tam Prælatis, quam Subditis distincte præcipimus sub pœna excommunicationis majoris, & privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, ut si ali-

aliquid quomodocumque susceperint pro Redemptione Captivorum intra terminum 24. horarum ad Depositum deferant, & tribus ejus Clavigeris manifestent, & tradant, qui pariter sub eisdem pœnis confestim, & sine mora, quæ præfatum terminum excedat hujusmodi deposito simul inferent, & in libro ibidem incluso debita ratione conscribant.

10. Sub ipsis quoque pœnis, & ulterius virtute formalis obedientiæ, & privationis officiorum, atque inhabilitatis ad illa in perpetuum universis etiam, & eisdem, ut superius Fratribus præcipimus, ut prædicta Redemptionis bona undecumque obtenta, & ubilibet custodita in toto, vel in parte nulla ratione, vel prætextu vero, vel falso ad alia etiam indigentiæ, aut cujuscumque pietatis impendia transferant, seu transferri permittant, nisi ad usus ipsius effectivæ redemptionis. Nec insuper sub eisdem pœnis prætextu qualiscumque securitatis a pignore interveniente pecunias extrahant, vel mutent, neque cum bonis Conventualibus permisceant; sed discretim cum fidelitate reponantur, & sint semper in proprio Deposito, ut jam statutum est. Neque demum fructus Redemptionis pie a fidelibus erogati cum fructibus Conventibus confundantur, sed seorsim pariter, & cum distinctione serventur.

11. De ipsis adhuc fructibus prohibemus, ne possint a Conventibus emi, vel pretio quomodolibet comparari, nisi prius juxta æqualitatem taxentur, & pecunia inde proveniens illico, & sine mora solvatur, & proprio inferatur Deposito. Quod si quis Commendator secus egerit, vel quicumque alius tam Prælatus, quam Visitator, aut Claviger Depositi Redemptionis quomodocumque fieri permiserit, aut simulaverit, vel etiam quicumque Frater hæc sciens non denunciaverit, eisdem pœnis superius in hac Constitutione positis subjacebit. Et quasi Reus, & fractor prædicti formalis præcepti puniatur.

12. Si vero Frater aliquis quacumque conditione, Dignitate, Officio, vel qualitate munitus bona Redemptionis quoad aliquid defraudasse convictus fuerit, non solum voce activa, & passiva, omnique officio, & dignitate perpetuo maneat privatus, sed illum neque Provincialis, neque Magister Ordinis valeat ad prædicta, vel aliquod eorum restituere, neque a reatu, vel pœnis eripere, nisi Diffinitorium generale dumtaxat unanime, & conforme, ac nemine discrepante, fraude tamen soluta, & restitutis ablatis.

13. Quæ omnia in hac Constitutione præmissa sic ab omnibus Prælatis per totum Ordinem observari præcipimus, ut si aliquo modo contrarium fecerint, vel facientes, permittentes, scientesve, & non denuntiantes in sua noxa, vel culpa toleraverint, & eos præfatis pœnis emendare noluerint ipsos Prælatos eisdem præcepto, & pœnis innodatos esse decernimus.

14. Provincialibus vero solicite super hoc invigilare præcipimus, atque ita diligenter cunctorum Fratrum bona Redemptionis tractantium Fidem, zelum, & munera perscrutari, & sic acriter Censuræ hujus labis intendere, ut ne apicem quidem de illa convictis ignoscant; quinimo eos, sive Commendatores, sive subditos, quos negligentes, & huic nostræ tam salubri Constitutioni adversantes invenerint de facto privatione suorum officiorum, atque utriusque vocis afficiant, aliisque pœnis pro criminis magnitudine plectant.

15. Insuper Commendatoribus eodem zelo subjungimus, ne Animalia, quæ Ministerio Redemptionis inserviunt aliqua Conventus opera quavis ratione distrahant, neque vendantur, neque permutentur, nisi prius licentia in scriptis a Provinciali obtenta.

16. Tandem vero ut apud Judicium Capituli Provincialis non lateat qua fidelitate bona Redemptionis tractentur, qua securitate serventur prædicta, & quo fervore Conventus omnes, ac eorum super hoc Ministri, & Collectores in aggregandis, excolendis, & custodiendis eleemosynis elaborent sub formali obedientia præcipimus Commendatoribus universis, ut deferant ad Capitulum, vel mittant una cum rationibus Conventus, aliam specialem, & separatam authentice, & a Depositariis subscriptam, quæ sit transumptum ad literam omnium contentorum in libro Redemptionis, quem majorem diximus a principio triennii usque ad finem, tam circa datum, quam acceptum cujuscumque sit generis, Commendatores autem Domorum ubi extant Deposita generalia præter specialem rationem prædictam sub eodem teneantur præcepto deferre ad ipsum Capitulum aliam similem ad literam ab eis pariter authentice deductam ex eodem libro majori Depositi generalis, ut collata ista in Diffinitorio cum reliquis particularibus, & perspectis omnibus eorum rationibus, & computis appareat qualiter inter se cohæreant, & vel Fides, ac solicitudo omnium Redemptioni ministrantium cum laude probetur, vel negligentia, seu labes cum securitate puniatur.

CAPUT IV.

De modo, opportunitate, & conditionibus quibus est exequenda Redemptio.

1. Etsi dilectio nesciat habere modum, ejus tamen operi modum, & formam imponimus, ne pereat aliquando dum imprudenter assumitur, sic enim quandoque potest jacturam pati Redemptio si eam per media bella, pyratas, atque infida maria improvide Ordo suscipiat. Hinc ergo Magister Ordinis primum cavere debet ut illa ab ejusmodi timoribus omnino tuta procedat, ac secura, & ulterius, ut Infidelium regio, seu tractus sit profecto salubris, & nulla contagione laborans, ne dum Captivos refovere pergimus a morte, vel furibus præcludatur charitatis intentio.

2. His itaque bene, matureque prospectis, quoniam etiam aliunde nolumus Redemptiones aggredi sine sufficiente Collecta, idcirco præcipimus ne Capitulum, aut Magister eas pro libito decernant, nisi cum facultates suppetant ad congruentem numerum, ne dum exiguos crebro peragimus sumptus, & expensæ sæpius iteratæ potius Captivis noceant, quam proficiant.

3. Per hoc tamen non intendimus casum illum excludere quo ad qualemcumque Redemptionem aliquando properare compellimur, dum nova insolita, & speciali acerbitate infidelium plures certo scimus in ingentibus versari periculis, valdeque indigere Redemptione, & solatio. Quod quia non semel contigit huic etiam necessitati desiderantes occurrere Magistro Generali consulimus, ut re mature inspecta eligat ubique, quod sibi melius expedire videatur.

4. Quandocumque autem firma Decreto Statuta fuerit Redemptio statim Procuratores Generales illius in Regiis Curiis residentes omnia Instrumenta regalia quibus opus fuerit ad Redemptionem instruendam rite sibi expediant, & Commeatum vulgo *Salvocondotto* nuncupatum ab Infidelium Principe, in cujus ditione agenda est Redemptio confestim, & diligenter obtinendum curent, quæ omnia debita forma suo tempore tradantur Redemptoribus.

5. Sex ante mensibus, quam proficiscatur Redemptio fiat ejus prima publicatio per Procuratores Generales appensis publicis Tabellis impressis in omnibus Civitatibus, & Oppidis præcipuis Regnorum unde eadem sit mittenda Redemptio.

6. Subinde constituimus, ut duobus mensibus ante Redemptionis egressum in omnibus Conventibus Provinciæ, aut Provinciarum a

quibus

quibus expeditur fiat indeficienter a Fatribus solemnis publicatio cum Processione per Civitatem, aut locum, habita prius concione ad Populum, in qua sicut, & in schedulis per loca publica affixis, publicentur Indulgentiæ nostris Confratribus concessæ ad dictam Processionem, & publicationem personaliter adsistentibus, pieque etiam referantur Captivorum labores, & ærumnæ. Hæc autem omnia, ut mature tempore prædicto a Commendatoribus compleantur, eos ita opportune de exitu Redemptionis Provinciales admoneant, ut publicatio fiat veluti prædicitur.

7. Commendatoribus vero præcipimus, ut tempore hujus publicationis, & per totum diem aut dies, si opus fuerit Fratres aliquos designent, qui eleemosynas pro tam egregio charitatis opere a Fidelibus instanter, & opportune deposcant.

8. Infra tempus autem sex mensium præfatæ publicationis enixe Provincialibus constituimus in id solertissime incumbere, ut omnes eleemosynæ, tam in Depositis particularibus Conventuum, quam apud locorum Syndicos, vel ubique dispersæ inferantur Depositis generalibus Provinciarum, ne mora in illis colligendis serum, & importunum reddat Redemptionis egressum.

9. Cæterum, ut opus, quod a charitate procedit ab ipsa etiam, quæ non æmulatur summo pietatis fœdere, & sine contentione fiat, firmiter stabilimus; ut in Hispania Redemptiones Provinciarum Aragoniæ, & Valentiæ dum ad Redemptionem proficiscuntur ab ipso initio executionis muneris, usque ad finem, nulla altera alteri superioritate præcellat, sed fraternæ Societatis vinculo quavis charitatis Ministri, nullam sibi quisque majorem potestatem arrogare præsumat, quin potius cuncta Redemptionis opera fraterna æqualitate perficiant.

10. Redemptionum, quæ in Provinciis Castellæ, & Vandaliæ simul hactenus fieri consueverunt, unionem, aut consuetudinem non frangimus, imo de cætero eodem semper vinculo peragi constituimus, itaut eadem fraterna æqualitate, & potestate, quam in præfatis Redemptionibus ordinavimus, ipsi quoque Redemptores Castellæ, & Vandaliæ in omnibus suis actibus utantur, in iis videlicet, quæ ad Redemptionem attinent.

CAPUT V.

De Redemptoribus, & institutione illorum.

1. Fratres itaque, qui a Diffinitorio Provinciali intra Capitulum, vel extra illud a Magistro Generali pro Redemptione agenda designantur semper eligantur vita, ætate, scientia, moribus, & discretione præditi, & quos non lateat cautela, & zelus secundum scientiam, ne vel ab Infidelibus possint quoad aliquid fraude, vel dolo decipi, aut ab ipsis etiam captivis figmento periculi, atque ærumnarum, nec alioquin quavis arte deludi.

2. Ex duobus Redemptoribus cujuslibet Provinciæ unus saltem eligatur semper gradu Magisterii, vel Præsentaturæ de numero in Sacra Theologia insignitus, qui vel ejus Socius (si fieri possit) jam de munere sit expertus, & Redemptionis opus aliquando peregerit.

3. Fratres autem hujusmodi non per interpositas personas, nisi cum necessitas urgeat, statim constituemus, sed per se ipsos ab initio in finem Redemptionem exerceant, quibus enixe subjungimus, ut pro viribus captivorum saluti provideant, debitaque illis officia charitatis impendant non cessantes cum Apostolo nocte, & die unumquemque monere cum lacrymis. Et cum publice non liceat ne Redemptio patiatur injuriam, eos cum eodem Apostolo docere per Domos, & loca devia, ac nihil subtrahere utilium quominus annuntient eis in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, & qualiter illam cunctis laboribus, pressuris, & vinculis præferre debeant, & plusquam vitam diligere.

4. In hoc Redemptionis commercio sic fide Redemptores se gerant in emptionibus, & pactionibus cum fidelibus ut illis nullam doli suspicionem ingerant, sed Christianæ, religiosæque fidelitatis testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt tota sinceritate contendant. Eam autem misericordiam cum captivis exerceant, qua non omnes, seu quoscumque liberare constituant, sed postquam caute, & prudenter redemerint necessarios, de cætero consulant charitatis ordinem, & quantum fieri possit eos eligant, quos plus fidei discrimen, ac pressuræ vexaverint, Pueros, & Adolescentes, feminas propter fragilitatem ætatis, & sexus in libertatem quamcitius vindicare festinent, itaut semper major fidei praeponatur utilitas, in reliquis regula, & ordo æquitatis servetur.

5. Unde Redemptoribus Castellæ, & Vandaliæ Provinciarum omnino præcipimus, ut quia eleemosynæ, quas offerunt ex majori parte sunt ex Provinciis Indiarum omnes earum Indigenas quantum eis liceat redimere studeant. Quam Regulam universis in genere Redemptoribus ex debito æquitatis præscribimus, quod redemptis prius illis, qui in fidei discrimine versantur, eorum postea Regnorum captivos impensius nitantur eripere, unde eleemosynæ provenerunt.

6. Quapropter, etiam cavere debent ne pecunias, quas pro Redemptione alicujus determinatæ personæ acceperint a Parentibus, Consanguineis, vel amicis in alterius libertatem expendant, quod si Captivum illum pro quo specialiter fuerant consignatæ quacumque causa redimere non possint, eas integras omnino servent, ut suis largitoribus cum fidelitate reddantur.

7. Ipsis ulterius præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, ne titulo augendæ Redemptionis eleemosynas, alioque quocumque salubriter, atque honestissime excogitabili eas per hujusmodi commercium ulli lucro, vel augmento subjiciant, neque ab alio id quovis modo fieri permittant, sed totum Redemptionis Thesaurum pure, & in propria specie pecuniæ secum ad Infideles deferant, nullasque merces ex ea comparent, etiamsi apud illos carius venditæ ingens Redemptioni, & captivis lucrum importent, eisdem insuper prohibemus, ne personas Sæculares titulo servitutis, necessitudinis, aut alio quolibet ultro secum transfretare sustineant.

8. Verum si Redemptoribus ad Infidelium oras sit omnino interclusus aditus, tunc ipsis, ne se, & captivorum bona in jacturam temere projiciant, per interpositas personas Redemptionem exercere liceat.

9. Ut Redemptores majori fide, charitate, & commodo omne suæ villicationis munus adimpleant sub dictis pœnis illis præcipimus, ut singuli singulos libros habeant pro sua quisque Provincia, vel Regno, in quibus omnia pro captivorum redemptione tam ab Ordine, quam aliunde a Sæcularibus per modum eleemosynæ, subsidii, & adjutorii suscepta fideliter præscribant, dato prius tradentibus testimonio acceptæ pecuniæ. Quæcumque necessario expenderint, etiam in eosdem libros referant, ut quandocumque opus fuerit rationem dati, & accepti reddere ubique valeant.

10. Insuper in prædictis libris memoratos esse volumus, & statuimus omnes captivos, relatis propriis nominibus, eorum ætate, patria, tempore servitutis, & Redemptionis pretio, ad finem autem superaddi sancimus publicum Instrumentum omnium eorum, quæ in tota Redemptione sunt gesta, & fuerint notatu digniora. Qui-

ra. Quibus ita peractis, fratres remeatum instruant, & cum captivis rexertantur ad propria, recepto prius a singulis juramento fidelitatis, quod pacifice sibi eos ducentibus obedient, & quo voluerint sequentur per duos menses ex quo fidelium oris, ad quas diriguntur appulerint. Cæterum interea omnia in via necessaria ministrentur eis pia largitione, & consilio.

11. Injungimus vero ipsis Redemptoribus sub pœna prædicta, ne superfluos sumptus tam in se ipsis, quam in aliis, & tam euntes, quam redeuntes de Bonis Redemptionis faciant, sed se gerant in omnibus sobrie, parce, & humiliter, ut decet Ministros Christi, & dispensatores bonorum indigentium.

12. In Redemptionis munere exercendo, caveant omnino ne instructiones regias, & quas Magister Generalis illis prudenter ingerat, aliquatenus prætereant, sed eis solicite incumbant.

13. Peractis itaque Redemptionibus, ipsis Redemptoribus præcipimus, ut in duobus immediate Capitulis districtam sui muneris rationem reddant, ita nimirum, ut si Capitulum prius occurrens fuerit Provinciale, illi, & Generali immediate postea gerendo semel, & iterum rationem exhibeant, attamen si Generale Capitulum prius habeatur, huic eos primo subjicimus, & deinde specialiter Provinciali proxime celebrando, ut iis a quibus est accepta pecunia jure reddatur ratio de expensis illius.

14. Quare Diffinitoribus utriusque Capituli, & illis omnibus, ad quos hujusmodi judicium attineat sub interminatione ultionis æternæ præcipimus, ne illud leviter, sed toto æquitatis pondere assumant, libros eorum exactissime evolvant, foliorum notas, & quantitates singulatim relegant, & iterum ad summas novo examine ducant universam rationem dati, & accepti, & qualiter sibi cohæreat diligentissime discutiant, neque aliquid fine censura prætereant, aut sumptus quoslibet, & impendia, nisi justa, & rationabilia, minime vero superflua admittant. Si autem eos quoad aliquid negligentes, aut noxam contraxisse fortasse reperiant, illos pœnis nostræ Constitutionis, & severa ultione sine moderamine plectant. Interim tamen donec primam rationem primo Capitulo exhibeant, ut prædicitur ad nullum promoveantur officium.

CAPUT VI.

De opportunitate, & forma a Redemptoribus servanda in executione Quarti voti.

1. Cum nostri voti excellentia, & dignitas, ut impleatur opportune, & utiliter non parvam prudentiam exigat illud specialiter ordinare duximus, quo sit videlicet tempore, & casibus exequendum, si enim aliquando contigerit, ut finito jam thesauro, & tota Redemptionis stipe consumpta, parumve sufficiente, Captivus, aut captivi aliqui emergant cujuscumque sexus, ætatis, aut conditionis extiterint, de quo, vel quibus prudenter, & rationabiliter timeatur abnegatio fidei, tunc (exigente jam nostri Ordinis voto, & vicibus Instituti, quo Nos Beatissima Virgo Maria Christi exemplo configuravit) unus Frater pro illo, seu illis alacriter se devoveat, & vinculo charitatis tradat, maneatque pro pignore detentus in potestate Infidelium signatis pretio, & termino solutionis ejus.

2. In hoc autem charitatis facinore caveant prudentissime Redemptores, ne aliquando leviter eo zelo, aut æmulatione ducantur, quæ non est secundum scientiam, ut ait Apostolus, cum enim non ad voti literam, quæ aliquando occidit, sed ad ejus spiritum oporteat intendere, non ultro se debent pro quolibet Captivo, aut quavis causa tradere, nec pro alienæ Redemptionis debitis, aut pro ætate, sexu, vel qualitate personæ pactionem, & pignus statuere, sed pro solo fidei discrimine, & Redemptione Animæ, quæ est totus finis, & scopus charitatis hujusmodi; quia etsi pie quoque corpora exuimus, ea per hoc tendimus ne ferrum pertranseat animam; & vincula corporis fiant pariter mentis laqueus ad captivitatem æternam.

3. Quando autem aliquis de Redemptoribus sic vadimonium pignus, & sui traditionem instituit diligenter studeat, ne unquam pacto, seu conditione se obliget Infidelibus, ut ad ipsos deferatur Captivus de Secta, & Natione sua apud Christianos detentus.

4. Sic ergo Redemptione peracta licet unus Redemptor maneat, non ideo moram alter faciat, sed quamprimum ad regressum se expediens eam festinanter non dolens, sed gaudens de remansione socii ad propria reducat, quibusdam prius eleemosynis Captivis remanentibus plusque mœrore, & egestate laborantibus juxta uniuscujusque indigentiam distributis.

5. Redemptorem vero relictum apud Barbaros nolumus esse desidem, sed operosum quasi apem in salute Captivorum procuranda, & cunctis eorum necessitatibus sublevandis. Attendens enim ad petram unde fuit excisus ob oculos semper habeat non se tantum mansisse obsidem propter Redemptionem periclitantis, sed id sæpius divina dispensatione contingere, ut Captivis ex commercio Infidelium non raro languentibus morum, & fidei sit magister, & Medicus; ut cum Tobia tribuat illis monita salutis ad vitam, cum Joseph autem erudiat ipsos vitæ puritate, & exemplo, & deinde secum Ezechielem conferens, quod perierit requirat, quod abjectum est reducat, quod confractum est alliget, quod infirmum consolidet, quod pingue, & forte custodiat.

CAPUT VII.

De forma dimittendi Redemptionem, & deprecatione pro illa.

1. Cum jam tempus accesserit, quod dimittenda est Redemptio, omnes Fratres cum palleis infra Caputium congregentur, qui hinc inde per choros ordinati ducant Prælatum cum Redemptoribus ad Ecclesiam, usque ad gradus supremi Altaris, ubi in cornu Evangelii parata erit Sedes quam occupans Prælatus, & Fratribus per Choros adstantibus, vel sedentibus Redemptoribus ante Prælatum genuflexis, vel si alioquin expedit prope illum sedentibus brevem sermonem, ut pondere gravem, & charitate fluentem, Redemptionisque muneri peropportunum instituat, in quo scilicet voti, & promissæ fidei sapienter reddat memores, & quemadmodum salutem animarum supra se ipsos diligere oporteat non timentes pericula, vel pressuras, non formidantes sanguinem, aut mortem acerbissimam, sed adhæc omnia perferenda debere esse paratos in obsequium fidei, & suæ professionis, ac etiam charitatis intuitu.

2. His, & aliis prudenter Redemptoribus admonitis priusquam benedictionem itinerantium Prælatus tribuat, procedat ad faciendam pro eis deprecationem, ut illis Deus propitius adsit in executione sui muneris, supernaque ipsos virtute accingat, ad quod surgentibus fratribus Chori stans Prælatus inchoet Antiphonam *Introibo in Domum*, Chorus autem addat Psalmum.

Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi: Calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Do-

O Domine quia ego ſervus tuus: Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo Hoſtiam laudis: & Nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: in atriis Domus Domini, in medio tui Jeruſalem. *Gloria Patri &c.*

Deinde repetatur Antiphona *Introibo in Domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Qua recitata dicatur, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Pater Noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.
℟. In die mala liberabit eum Dominus.
℣. Immola Deo Sacrificium laudis.
℟. Et redde Altiſſimo vota tua.
℣. Propter miſeriam inopum, & gemitum Pauperum.
℟. Nunc exurgam, dicit Dominus.
℣. Reſpice de Cælo, & vide, & viſita vineam iſtam,
℟. Quam plantavit dextera tua.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Vota quæſumus Domine ſupplicantis Populi cæleſti pietate proſequere, ut & quæ agenda ſunt videant, & adimplenda, quæ viderint convaleſcant.

Deus qui per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti, vota noſtra, quæ proveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere.

Deus qui nos a ſæculi vanitate converſos ad æternæ vocationis accendis amorem: pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam Nobis, qua in te perſeveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præſidiis, quæ te donante promiſimus impleamus; & noſtræ profeſſionis executores effecti, ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere pertingamus.

Deus omnium Sanctorum ſplendor mirabilis, qui Ordinem noſtrum per Beatiſſimam Virginem Mariam divinitus inſtituere dignatus es, quique Sanctis tuis Petro Nolaſco Patri noſtro, Raymundo Nonnato, ac Beatis Petro Paſchaſio, & Armengaudo inviolabilem in redimendis captivis dediſti charitatis effectum: præſta quæſumus; ut greſſus noſtri in eorum ſemitis perficiantur, & ejuſdem charitatis donum, quod in illis continuo veneramur obſequio, nobis quoque ſpirituali largitate donetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Peractis hujuſmodi precibus ulterius ad benedictionem itinerantium progrediendo incipiat ipſe Prælatus Antiphonam. *In viam pacis*, & chorus proſequitur, cum cantico *Benedictus*, quo terminato per *Gloria Patri* repetitur Antiphona. *In viam pacis*, & proſperitatis dirigat vos omnipotens, & miſericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur vobiſcum in via, ut cum pace, ſalute, & gaudio revertamini ad propria. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Eſto eis Domine Turris fortitudinis.
℟. A facie Inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non opponat nocere eis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie.
℟. Proſperum iter faciat eis Deus ſalutarium noſtrorum.
℣. Vias tuas Domine demonſtra eis.
℟. Et ſemitas tuas edoce eos.
℣. Utinam dirigantur viæ eorum.
℟. Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aſpera in vias planas.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodiſti, quæſumus, ut hos famulos cuſtodire digneris: Eſto eis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce quo tendunt proſpere perveniant, & demum incolumes ad propria redeant.

Adeſto quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuo ſemper protegantur auxilio.

Deus, qui tranſtuliſti Patres noſtros per mare Rubrum, & tranſvexiſti eos per aquam nimiam, laudem tui nominis decantantes: te ſuppliciter deprecamur, ut in via, & navi famulos tuos repulſis adverſitatibus, curſu tranquillo, vel portu ſemper optabili tuearis per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

3. Finitis orationibus Redemptores ſurgant dicentes, *Procedamus in pace*, & chorus reſpondeat, *In nomine Domini Amen.* Prælatus autem addat eis: *Et ſit Deus in itinere veſtro, & Angelus ejus comitetur vobiſcum.* Quo dicto ſuſcipiat eos Prælatus profunde parum inclinatos ad amplexum, & oſculum pacis illis vale dicens, quod & ſimiliter faciant omnes Fratres, & poſtea deducant eos ad Januam Conventus vel Eccleſiæ unde viam incipiant.

4. Sic itaque Redemptoribus, & toto Redemptionis commeatu dimiſſis ſingulis diebus ſine intermiſſione, uſque ad regreſſum, in omnibus Provinciæ, aut Provinciarum Conventibus cujus, vel quarum nomine fit Redemptio inſtituenda, & facienda eſt poſt Miſſam Conventualem hujuſmodi deprecatio, Antiphona *Aſpice Domine.* Deinde dicatur Pſalmus 97.

Qui Regis Iſrael intende, qui deducis velut ovem Joſeph.

Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe.

Excita potentiam tuam, & veni ut ſalvos facias nos.

Deus converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſervi tui?

Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.

Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannaverunt nos.

Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantaſti eam.

Dux itineris fuiſti in conſpectu ejus: plantaſti radices ejus, & implevit terram.

Operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei.

Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus.

Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus? Et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur, viam?

Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum convertere; respice de cælo, & vide; & visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Incensa igni, & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Gl. Patri &c.*

Quo finito repetitur Antiphona: Aspice Domine de Sede Sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram, qui Regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Oremus pro Fratribus nostris absentibus.
℟. Salvos fac servos tuos Deus meus sperantes in te.
℣. Misit Moyses servum suum.
℟. Aaron, quem elegit ipsum.
℣. Ut audiret gemitus compeditorum.
℟. Ut solveret filios interemptorum.
℣. Pro afflictis, & captivis.
℟. Libera eos Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.
℣. Egressus in salutem populi.
℟. In salutem cum Christo tuo.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te Stella duce pandisti tribue famulis tuis quæsumus iter prosperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo Sancto, comitante ad eum, quo pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeant.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & exaudi clementer, ut famulis tuis, quos dono gratiæ constituisti tui operis ministros, da fiduciam tui operis exequendi, & in eorum ministerio, quod tuæ pietatis est, operari.

Deus qui Beatum Petrum Apostolum a vinculis absolutum illæsum abire fecisti: famulorum tuorum in captivitate positorum vincula absolve, eosque ipsius meritis illæsos abire concede.

Da fidelibus tuis quæsumus Domine in tua æde, & servitute constantiam, ut in charitate tua firmati nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis: & Beatissimæ Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes a cunctis hostibus & periculis redde securos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPUT VIII.

De regressu Redemptionis, & quemadmodum sit ab Ordine suscipienda.

1. Redemptores itaque absoluta jam Redemptione, ut præmittitur, & relictis infidelium oris ita suaviter, prudenter, & misericorditer cum captivis toto profectionis temporis se gerant, ut potius cum Christo dilectionis vinculis captivam ducere captivitatem, quam liberam censeantur, ipsis autem in Regionibus fidelium constitutis ubicumque Conventus Ordinis occurrat si juxta urbis, vel loci præstantiam possit Redemptio suscipi solemniter, & tum processione, & concione ad Populum nullo modo prætermittatur, forma autem erit hæc.

2. Conveniant Fratres cum cappis ad Ecclesiam, ibique processionaliter ordinati, & cruce cum Acolythis præcedente, & sequente Sacerdote cum Pluviali albo, & Cruce parva in manibus accedant ad Januam Ecclesiæ, ubi simul omnibus consistentibus Redemptores ingrediantur, & genuflexi ante Sacerdotem adorant Crucem de manu ejus, & aqua benedicta aspergantur, & postea incipiat Antiphonam *Vivit Dominus*, Cantores autem intonent Psalmum 125. quem alternando chorus prosequatur.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter Gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Gloria Patri &c.*

Hoc finito repetatur Antiphona, Vivit Dominus quoniam custodivit vos Angelus ejus, & hinc euntes, & ibi commorantes, & inde huc revertentes, & revocavit vos nobis gaudentes in victoria sua, & in evasione, & liberatione vestra. Deinde dicitur Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Deduxit eos Dominus in viam rectam.
℟. Ut venirent in Civitatem habitationis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Miserere quæsumus Domine his famulis tuis, & quidquid in via eis subripuit visus, vel auditus malæ rei, aut otiosi sermonis totum ineffabili pietate deleas, & abstergas.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

3. Hac benedictione peracta incipiant Cantores Hymnum, *Te Deum*, & revertantur omnes processionaliter ad Altare majus, ubi Sacerdos deposita super illud Cruce, & finito Hymno inchoet Antiphonam sequentem, quam Chorus prosequatur. In Mari viæ tuæ in aquis multis. Deduxisti sicut oves Populum tuum in manu Moysi, & Aaron. Transtulisti eos per Mare rubrum, & transvexisti eos per aquam nimiam, Postea Sacerdos adjiciat

℣. Benedicamus Patrem, & filium cum Sancto Spiritu.
℟. Laudemus, & superexaltemus eum in Sæcula.
℣. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum.
℟. Benedicite Domino.
℣. Dicant qui redempti sunt a Domino.

℟. Quos redemit de manu Inimici, & de Regionibus congregavit eos.
℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

Excita quæsumus Domine tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ majora remedia percipiant.

Omnipotens, & misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude: ut mente, & corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur.

Deus, qui per Gloriosissimam filii tui Matrem ad liberandos Christifideles a potestate Paganorum nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: præsta quæsumus, ut quam pie veneramur tanti operis Institutricem, ejus pariter meritis, & intercessione a peccatis omnibus, & captivitate Dæmonis liberemur.

Deus, qui in tuæ charitatis exemplum ad fidelium Redemptionem S. Petrum Nolascum P. N. Ecclesiam tuam nova prole fœcundare divinitus docuisti: ipsius nobis intercessione concede, a peccati servitute solutis in Cælesti Patria perpetua libertate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Et fidelium captivorum animæ, & omnium fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

4. Hisce conclusis eodem, vel alio die disponatur extra Conventum Processio solemnis, in qua captivi bini, & bini promiscue cum Fratribus nostris ordinentur, & Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Imago ab ipsis, vel a nostris Fratribus, seu Confratribus deferatur. In hac autem Processione Fratres cantare debent Psalmos: *In convertendo Dominum captivitatem Sion &c.* & *In exitu Israel de Ægypto* unum post alterum successive alternantes usque ad ingressum Ecclesiæ quo tendit Processio, in cujus limine statim Cantores incipiant Hymnum: *Dei Mater Virgo*, prout in festo Beatæ Mariæ de Mercede, quo finito cum propriis versu, & oratione si matutino tempore gerantur hi actus, celebretur Missa solemnis, & propria de eadem B. Virgine Maria de Mercede, quæ in proprio Ordinis extat cum Gloria, & Credo tanquam pro re gravi, & cum secunda oratione pro gratiarum actione, & post Evangelium fiat concio ad Populum.

5. Si autem vero iste habeatur post meridiem præmissa Processione sola totum Concione concludatur, in qua specialia, si qua fuerint Redemptionis gesta & captivorum pariter labores, ac pressura, eorumque in fide pericula maxime periculorum, & Adolescentulorum, Indulgentiæ insuper concessæ Ordinis Confratribus, qui hujusmodi, & aliis Redemptionis actibus adstiterint expendantur.

6. Finita Missa, aut concione penes diversitatem temporis, ut prædicitur, si hæc fuerint acta in aliena Ecclesia, revertatur Processio eodem ordine, & Hymni *Te Deum* modulatione ad Domum, & Ecclesiam nostram, & terminabitur cum versu, & oratione de Beata Virgine de Mercede, si autem in Domo nostra contigerint post Missam eisdem Hymno versu, & oratione concludatur.

7. Post hanc vero solemnitatem in principali Conventu Provinciæ celebratam, statim Procurator Generalis Redemptionis excuti curet catalogum per totam Provinciam evulgandum, locisque publicis affigendum, in quo sint suo ordine descripta nomina, & cognomina eorum omnium, qui a captivitate liberati fuerint una cum ætate, patria, tempore captivitatis, pretio libertatis, & subsidiis pro illis erogatis.

8. Quibus omnibus expeditis, & captivis per dies aliquot omnibus charitatis operibus recreatis, eos omnes Rosario, & Scapulario cum Ordinis signo muniri præcipimus, & unicuique juxta posse viaticum dare aliquod, ut sic cum benedictione dimissi ad propria sine mendicitate valeant remeare cum gaudio. Sed quia loci distantia, vel ægra valetudo eos quandoque possunt ad petendum Eleemosynas cogere singulis conferri volumus authenticum de ipsorum Redemptione testimonium una cum precibus ad Judices ordinarios, & locorum Ministros tam Ecclesiæ, quam Sæculi, ut eos Misericorditer suscipiant, & dimittant, ne profugos, aut vagos reputent.

9. Redemptionibus denique (qui sane prædicta omnia explere, vel explenda sedulo curare debent) cum jam nihil superfit agendum duobus mensibus excursis barbas statim radere Constituimus.

DISTINCTIO III.

De votis, & Regularis observantiæ disciplinis.

Cum omnium Ordinum Imago, vel Typus non solum fines, sed eorum etiam vota essentialia, accidentaliaque statuta, referat, requiritur, ut præstitutis nostri Ordinis finibus de illius votis essentialibus, & disciplinis differamus.

CAPUT I.

De voto Obedientiæ.

1. Qui pie volunt vivere in Christo, ejusque sectari vestigia se ipsos abnegare debere docuit Evangelium. Hoc sane est jugum, quod suave, & levissimum prædicamus. Hic est summus perfectionis vertex, quo dirigitur totæ vitæ Regularis intentio, & quo violenti jugi secum bello conscendunt, ut denique Cælum rapiant, proinde Fratres nostri voto obedientiæ se accingunt, ut ad perfectionis apicem tendentes, eo magis inveniant, quo magis bellum propriæ voluntatis amittant.

2. Obedientia itaque est prompta voluntas adimplendi a Superioribus imperata secundum legem Divinam, & Ecclesiasticam, ac etiam quæ continentur in Regula, & Constitutionibus Ordinis, quibus semper aut lata, aut stricta obedientia Fratres redigantur, ut nihil fit, quod sine obedientiæ merito gerant. Hæc enim, ut prædictum votum sic Ordini, ejusque Regulis, & Prælatis subjicit, ut penitus sub letali teneamur implere quidquid ejus virtute præcipitur.

3. Præceptum vero in Regula, & Constitutionibus, aut Prælatorum verbis nullum intelligimus, nisi fuerit circa illa, ad quæ jam aliunde tenemur ratione voti essentialis, vel Divinæ, vel Ecclesiasticæ legis, vel nisi sub formali obedientia intimetur. Verba autem, quibus illud debent Fratres concipere sunt frequenter hujusmodi: Præcipimus in virtute formalis, aut Sanctæ obedientiæ: in virtute Spiritus Sancti: sub pœna excommunicationis majoris latæ, vel

ferendæ Sententiæ: sub interminatione Divini Judicii: sub obtestatione mortis æternæ: sub maledictione, indignatione, aut ira Dei incurrenda: & aliæ similes comminationes, & execrationes, quæ sua gravitate, & tenore formale præceptum, & ejus intentionem denotant, quibus tamen uti non debet Prælatus, nisi materiæ gravitas expostulaverit.

4. Declaramus autem eam esse materiam gravem, & præcepto formali dignam, quæ directe idest expresse, vel indirecte, idest implicite, seu etiam per se, vel ex fine, aut circumstantiis conducit ad observantiam legis Divinæ, aut Ecclesiasticæ, & votorum essentialium Ordinis, ac etiam interdum Regulæ, & Constitutionum illius, ne videlicet vita Regularis in communi dilabatur, cum ejus observantia in communi sit de substantia Religionis.

CAPUT II.

De Voto Paupertatis.

1. Cum Evangelica Paupertas Religiosis maxime sit necessaria, quam Deo voverunt, omnis proprietas Religioso prorsus detestabilis esse debet. Quocirca nullus Frater a vera paupertate potest, neque debet esse exemptus, unde sub excommunicationis majoris pœna præsenti Constitutione sancimus ne quis Fratrum Professorum aliquid proprium habeat, neque pecunias, neque vasa aliqua aurea, vel argentea, neque illa expendat, neque consumat absque sui Prælati licentia, neque rursus quidquam sine Commendatoris venia vendat, neque emat.

2. Si quid vero ex hujusmodi bonis alicui Fratri donatum fuerit ab Amicis, vel Consanguineis, aut quibusvis aliis Personis, quacumque ratione id receperit, intra spatium viginti quatuor horarum Prælato proprio manifestet, ut in communi Deposito custodiatur, & pariter intra dictas horas id absque licentia non consumat.

3. Præcipimus autem Prælatis, sub pœna privationis officii, ne a sibi subditis ex his, quæ in communi Deposito habent, quidquam, vel in minima quantitate, neque ad brevissimum tempus sumant, ut mutuo petant.

4. Nullus Religiosus possit habere annuos redditus, seu census, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, quod si secus fiat, ipsis statim privetur qui habuerit, & Conventibus, quibus ex vi Constitutionis pertinent, applicentur.

5. Neque Superioribus liceat Bona aliqua stabilia tanquam propria Regularibus Fratribus concedere, etiam ad usumfructum. Fratres tamen itinerantes, pecuniam portare poterunt, ita sane, ut quamprimum ingressi fuerint proprium Monasterium, in quo sunt moraturi, intra prædictas horas omnia, & singula Commendatori suo, vel Prælato omnia, & singula manifestent.

6. Attendant autem Fratres nostri, quod singulis annis semel omnia, quæ in usu retinent, Commendatoribus suis exponant, & realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, & specialem licentiam utendi eis accipient a Prælato.

7. Procuratores poterunt suum habere Marsupium, quatenus ad sumptus Conventus fuerit necessarium. Quicumque vero Frater, seu Procurator, bona Ordinis quæcumque, seu pecunias receperit, eorum omnium reddat suo Commendatori, atque Conventui rationem. Magister autem Generalis, aut Provincialis, omnium, quæ receperit Diffinitorio Capituli pariter rationem sunt reddituri.

8. Similiter Vicarii Generales Indiarum tenentur reddere rationem omnium, quæ in Ministerio sui officii receperint: itaut nullus in Ordine nostro remaneat, quin eorum omnium, quæ ipse receperit, computum, & rationem reddat. Qui vero contrarium fecerit, aut contra seriem harum Constitutionum, proprietarius repertus fuerit, sciat se esse socium Judæ, & biennio activa, & passiva voce privandum, & pœnis proprietario ex jure taxatis subjacere. Et in eo casu liberam habeat Commendator potestatem auferendi Bona, aut pecunias proprietarii, in quibus deliquit, eaque Conventui applicare, seu Fratribus indigentibus distribuere, ut bene Prælato placuerit. Quod si quis (quod Deus avertat) proprietarius mortuus fuerit, sepultura careat Ecclesiastica, & extra Cœmeterium ad campos sepeliatur.

9. Insuper in Cellis Fratrum nolumus Prælatos admittere aliqua supellectilia serica, aurea, argentea, aut alioquin pretiose elaborata, & contexta, non picturas, laminasve profanas, seu nobilibus, seu deauratis limbis circumdatas, sed devota solum, & quæ mentem ad Deum erigant, non inficiant; nullum item pretiosum scrinium, seu, quod pro majestate sæculi vanitatem sapiat. Neque plures iterum sellas, sed paucas, & humiles. Nulla tandem ad genus utensilia, quæ vel artis elegantia, vel nobilitate materiæ regularem paupertatem, & honestatem dedeceat.

10. Ne autem dilecta paupertas in Fratrum cordibus excedat, pro inventario conficiendo Prælatis subjungimus, ut Capitulum instituant in quo eosdem ad omnem proprietatem ex mentibus relegandam, & juxta voti professionem solam paupertatem affectu, & opere prosequendam graviter, & religiose præveniant. Ipsis vero Fratribus sub formali præcepto obedientiæ præcipimus, cujuscumque conditionis, officii, vel qualitatis extiterint, ut singulis annis sub feria quinta majoris hebdomadæ, aut Festo S. Andreæ, seu alio forsan die secundum consuetudinem Provinciarum, Inventarium faciant de his omnibus, quæ apud se habeant concessa ad usum a Religione, vel Prælatis: in quo clare, distincte, & manifeste omnia recenseant, & exponant de præsenti habita, vel ad eorum usum quomodolibet pertinentia, & quidquid circa illa tam ratione voti, quam alicujus justitiæ, vel debiti necessarium duxerint adnotare. Quæ quidem ita declarari præcipimus, ut toto corde Prælato subjicere curent, sicut in Inventario, & resignatione omnium ad usum concessorum facta ob mortis intuitum, ut si illa Fratrem subito præoccupari contingat, pie munitus paupertate decedat.

11. Hoc itaque Inventarium sic accurate factum subscribant Fratres ipsi, & obsignatum Commendatori tribuant, ut in communi Deposito servetur. Ulterius etiam ordinamus, ut Fratres non tantum sua bona utensilia modo dicto signata (ob finem inferius exponendum) Prælatis, & Religioni subjiciant, sed simul eis vere, & realiter manifestent, a quibus, & novam illis utendi facultatem accipiant.

12. Neque ab his actibus excipimus Fratres nostros ad Episcopatum, vel ad aliam quomodolibet dignitatem assumptos, quibus similiter constituimus, ut priusquam Ordinem deserant, simile Inventarium, & resignationem faciant de omnibus, quæ ad usum receperint a Prælatis, & retinent in effectu. De quibus si Prælati consentiant aliqua extra Ordinem eos deferre secum, fiat cum prævia declaratione, pactione, & obligatione authentica quamprimum ea reddendi ipsi Ordini. Instrumentum vero hujusmodi pactionis apud Conventum filiationis eorum maneat in Deposito Scripturarum, ut tempore opportuno virtute illius possit exigi quidquid ex prædictis non fuerit solutum. Nihilominus tamen si prædictam solutionem ad obitum usque distulerint, & illa ultra non expedita decesserint, ad bona spiritualia, & suffragia pro illis Ordinem non teneri decernimus.

13. Non dissimilia Fratribus ægrotantibus præ-

cipimus, videlicet, ut instante sumptione Viatici, si non sit periculum in mora præfatum Inventarium, & abdicationem ab omnibus sibi ad usum concessis ante Viaticum faciant adstante indeficienter Confessario ab ipso de licentia Prælati assignato, in hoc autem postrema paupertatis alienatione, ita se destituant universis bonis ad usum, & sic illa Religioni subjiciant, ut veros se ostendant amatores inopiæ, nihil sibi omnino retineant, nil silentio prætereant, ordinemve latere præsumant, si quid debeant, vel ipsis debeatur exponant, ne quid quoquomodo prætermittant, quod conscientiam redigat in angustias. Summopere tandem caveant ne illos spes aliqua vitæ decipiat, quominus omnia tota sinceritate cordis adimpleant.

14. Finitum itaque Inventarium cum Confessario subscribant, quod deinde obseratum, sigillatumque Commendatori, & Depositariis tradatur, qui foris id pariter subscribentes ad commune depositum referant, ubi usque ad Fratris obitum custodiatur, quo superveniente, non quidem clanculum, sed solemniter volumus aperiri a Prælato coram Depositariis, & supradicto Confessario, qui omnem reserationem ejus in ipso inventario referant, & subscribant, quo possit authentice constare de bonis usualibus Defuncti, & debitis, si quæ fuerint, ut de inventis apud illum cum æquitate solvantur, & residua juste distribuantur eis, ad quos jure communi, & nostrarum Constitutionum sine dubio pertineant.

15. Proinde igitur declaramus non posse Infirmum Fratrem ab invaletudinis initio de iis, quæ ad usum habet, disponere in beneficium Conventus, vel in manibus Prælati, etiam Magistri Generalis locare, nec in favorem Ordinis reponere, aut reservare, atque adeo multo minus alicui personæ Sæculari committere, aut concedere, sed omnia in Inventario palam scribere, & manifestare, ne injuriam faciat partibus ad ejus utensilia jus habentibus ex æquitate, & justitia, vel ex nostrarum Constitutionum dispositione, qui vero secus egerit, ex nunc proprietarium declaramus.

16. Ad hoc autem universis Fratribus ab ægrotationis exordio usum bonorum omnium sibi a Superioribus concessum interdicimus, nisi ad ea dumtaxat, quæ ad morbum sublevandum ipsis opus fuerint, ita videlicet, ut si aliquid absolute, vel sub conditione obitus, alicui donaverint, aut valetudinis intuitu sibi reddendum tribuerint, similiter declaramus in proprietatem incidere: quo circa universis Superioribus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ne prædictis ad id licentiam indulgeant.

17. Procuratoribus denique cujuscumque domus nostræ negotia gerentibus omnino præcipimus, ne aliquando de redditibus, & quibuscumque aliis bonis pro suo munere jam receptis, quidquam penitus apud se retineant, sed quamprimum Commendatori, & Depositariis manifestent, ac tribuant, ut Deposito Conventus inferatur sub pœna gravioris culpæ ad Superioris arbitrium.

CAPUT III.

De Voto Castitatis.

1. Sicut Regularis vita paupertate, & obedientia perficitur, ita castimoniæ voto decoratur. Ut ergo discant Fratres, quantum eos Votum Castitatis adstringat, illud esse sciant novam quamdam obligationem, quam sibi quisque imponit ad omnem continentiam sub onere Sacrilegii servandam, unde jam eis licebit agnoscere quantis vinculis post Votum teneantur ad pudicitiam, quam si temerent, non eorum tantum frangitur Deo facta promissio, sed etiam lex Divina, & interdum humana, idcirco solertissime studeant, ut mentis, & corporis puritatem custodiant, qui in uno crimine tot reatus inveniunt.

2. Ut autem ab omni se diabolica fraude tueantur, statuimus in primis, & in Christi visceribus suademus ne ab eorum oculis, & manibus decidant consilia S. P. Nostri Augustini quibus in Regula eos salubriter ad observantiam pudoris instituit. Quando enim in via procedunt simul eis ambulare præcipimus, & cum pervenerint, quo tendunt, simul inviolabiliter stare, ut alter alterum, quem vereatur testem semper habentes suam invicem pudicitiam custodiant. In incessu, & statione nihil gerant, quod pudorem non sapiat, aut eorum Sanctitatem dedeceat. Oculos semper a sæculi vanitatibus avertant, & ita dimissos ferant, ut aliquando non incidant in objecta feminarum, ubi laqueum inveniant, quas etsi videre non prohibeantur, eas tamen appetere, vel ab ipsis appeti velle criminosum est. Non dicant, vel existiment se habere animos pudicos, si habeant oculos impudicos, & libere undequaque vagantes, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius, eorum semper sint casta, & pura alloquia, gestus non fracti, nec soluti, aures non otiosis, non scurrilibus, non inhonestis intentæ, sed sensus, & omnes eorum actus ita compositi, ut interiorem animi puritatem redoleant, feminarum consuetudinem, & familiaritatem maxime vitent, nec etiam inter piissimas nimis de se, vel ipsis credendo sub pietatis colore versentur, quas proinde caventes nonnisi rarissime, breviterque visitent, imo tantum cum sola urgeat necessitas, aliter enim non reputent non decere, nec sine magno discrimine admitti.

3. Nullus Frater prophana cantica, nec impura poemata, nec libellos de rebus amatoriis, vel qui petulantiam resonent quacumque ratione componat, legat, cantet, neque apud se retineat sub pœna gravioris culpæ, verbis etiam lubricis, æquivocis, aut vanissimis amasiorum fabellis nemo utatur, alioquin a Prælato puniatur ex merito fœminarum, insuper tripudia, ludos scenicos, aliaque festiva, & inania sæculi spectacula velut Babylonis idola severissime vitari præcipimus.

CAPUT IV.

De Voto Redemptionis.

1. Super tria prædicta vota essentialia, quæ omnibus Religionibus sunt communia, quartum sibi, Ordo noster adhibuit circa Redemptionem Captivorum, vi cujus sic ad animarum lucra, & libertatem spiritualem totam dirigit Redemptionem sensibilem, ut pro redimendis animabus a periculis abnegandæ fidei, & damnatione perpetua omnes suos Fratres vinculis, sanguini, vel etiam morti subjiciat.

2. Sed quia hæc Ordinis charitas plus indiget expositione, quam legibus, idcirco ne lateat Fratres, quod, qualeque sit hujusmodi Votum illud esse declaramus, promissionem quamdam voluntariam, & absolutam redimendi Captivos a vinculis mentis, & corporis, tam auro, vel argento, quam sui traditione in pignus, si necesse fuerit pro salute animarum, & fidei abnegandæ periculis.

3. Ex hac ergo declaratione primo intelligimus omnes Fratres nostros ita Redemptioni fidelium Captivorum esse alligatos, ut non solum ad eam exequendam in effectu debeant esse perpetuo dispositi si ab Ordine mittantur; sed etiam ad colligendas eleemosynas, aut quæcumque alia gerenda (si ad id a Prælatis eligantur) sine quibus Redemptionis actus ad effectum duci non possit, qui enim fini se obliget, media pariter necessaria cogitur adimplere:

sciant autem ut in his debeant ex toto rigore Prælatis obtemperare haud istis necessum esse, ut formali utantur præcepto, sed sufficit simplex, & pura voluntatis expressio, cum in materiam incidat, jam aliunde ratione hujus quarti voti obligantem.

4. Declaramus insuper hoc Votum essentiale, quia nostrum Ordinem inseparabiliter in sua specie, & substantia constituit ex vi primævæ institutionis, quam Sanctus Patriarcha Noster Petrus Nolascus Voti obligationem continere voluit, & expressit, a totoque Ordine sic intelligi, sicut ita perpetuo professi sunt Patres nostri, & opere compleverunt.

5. Nec putare debent illa verba *si necesse fuerit* Voti absoluti rigorem evacuare, aut aliquam speciem Voti conditionati constituere, quo aliquod illis præbeatur effugium. Per illa enim sicut absolute vovemus Institutum redimendi, & omnes ejus actus necessario suppositos ante sui traditionem in pignus, ita pariter absolute promittimus in obsequium fidei tradere nosmetipsos pro captivis in ejus abnegandæ periculo constitutis. Adhoc quippe implendum nulla est interposita conditio, quam possit expectare Votum, sed est protinus exequendum ubicumque periclitatur fides, & nostra solum traditione redimitur. Unde Fratres prædicta verba non ut conditionem accipiant, sed potius, ut expressionem, & declarationem, quod nempe Votum Ordinis præter Redemptionem absolutam Captivorum tendit ulterius, etiam absolute ad eam perfectissimam charitatem, ut Fratres nostri per sui traditionem, fidem, & animas redimant a necessitate, & periculo, & hoc semper, & ubique sine ulla conditione proficiant.

6. Ex natura hujus Voti iterum declaramus valde oportere Fratres nostros esse jugiter obsequio fidei devictos, & se in ejus actibus exercere, crebroque de illa explicitam professionem facere, ut cum casus adveniat, quo tam heroice pro illa se devovere, & usque ad mortem tradere oporteat nullo mœrore tepescant, sed se audacter, & valide objiciant. Inter Fideles insuper commorantes, dum pignoris tempus impletur, aut Redemptioni incumbunt, si de fide postulati, vel etiam (ut sæpius contingit) de ipsius abnegatione pulsati, seu pro illa, & munere suo carceribus, & ærumnis afflicti fuerint, cogitare debent ad quam sortem illos Dominus vocare dignatus sit, ut suæ dilectionis, & fidei pugiles constitueret.

7. Demum pro Captivis tam vivis, quam Defunctis orare illis omni studio præcipimus; ut quos auro, & argento redimere non possunt, saltem orationibus eorum vincula satagant dissolvere, & in Purgatorii cruciatibus adjuvare.

CAPUT V.

De Silentio.

1. Cum ad observantias vitæ Regularis properemus, quæ legis Divinæ, & Votorum sunt antemurale, & custodia, primo in silentio incidimus, quia juxta Prophetam est revera custos justitiæ, & (ut ait B. Jacobus) ita per silentium Religiosi efficimur, & qui non frænaverit linguam suam, ejus sit vana Religio.

2. Silentium ergo semper habeant Fratres nostri in Ecclesia, in Choro, Dormitorio, Refectorio, & Claustro. Post Completorium vero ubique libere præcipimus a signo, quod hyeme pro silentio fiet hora octava, æstate autem hora nona, quo etiam tempore a prandio usque ad Vesperas silentium esse statuimus.

3. Prædictis autem horis facto cum Cymbalo Conventuali signo universis Fratribus injungimus, ut confestim ad proprias Cellas se recipiant, ubi altius, & profundius non a verbis solum, sed ab aliis sensuum locutionibus, & actibus se abstineant, & super illius diei gestis cum Deo, & corde loquentes, examen conscientiæ faciant de iis omnibus, quæ negligenter, & indebite perpetraverint; si quæ vero invenerint deploranda veniam a Domino impetrent. Quibus actis, & non aliter audeant se recipere in Requiem.

4. Si Fratri in Refectorio res aliqua opus fuerit, eam signo, seu brevi, & submissa voce postulet, ne Lectoris verbum, nec pabulum mentis impediat: Infirmi, & decumbentes, vel Hospites in Hospitio non adstringuntur silentio, illius tamen temporibus ita inter se sint remissa; & moderata colloquia, ut nullo strepitu silentibus officiant.

5. Fratres itinerantes in mensa silentium teneant, vel saltem vitent tumultuosa colloquia, ille vero qui major, aut dignior in Ordine fuerit, poterit loqui si libeat, & cæteris præstare licentiam extra Refectorium. Cum Episcopis autem, & Magnatibus aliquando conviventes silentium reverenter, & religiose custodiant, quod quidem rumpere non audeant cum sibi per eosdem non liceat. Magister, aut ejus Locumtenens cunctis Fratribus secum prandentibus, Provincialis, ejus Vicarius, vel Visitator duobus tantum, & uni denique Commendator poterunt indulgere silentium. Fratres in confessione culparum de fractione silentii se humiliter accusent, & juxta meritum puniantur Commendatorum arbitrio.

CAPUT VI.

De Disciplinis.

1. Ut antiqua vitæ Regularis observantia non excidat, quam hactenus Ordo sustinuit, firmiter stabilimus, ut in Vigiliis, quæ jejunantur, & per totum Adventum, & Quadragesimam, in quatuorque temporibus si fiat officium de feria Fratres nostri disciplinas virgarum recipiant, modus vero in illis servandus hic erit: finito Completorio, & recitatis *Pater noster*, *& Ave Maria*, *& Credo*, præparent se omnes Fratres, sicut moris est ad suscipiendam disciplinam detectis scilicet humero, vel scapulis, quo facto dicant, *Confiteor Deo*, Prælatusque, aut ejus Vicarius, vel illis absentibus Hebdomadarius stans in medio dicat *Misereatur vestri &c.* Deinde incipiat Psalmum *Miserere mei* tenendo Manipulum virgarum in manu, quo dorsum Fratrum verberare incipiat, & sic prosequetur usque ad *Gloria Patri* eos percutiendo in singulis versibus alterne a Choro, & ipso recitandis: Finito Psalmo subjungatur ab omnibus *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, *Kyrie eleison*, & Prælatus dicat *Pater noster*, quo tacite recitato adjiciat.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos Domine.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. Dum autem Psalmus, Versus, & Oratio recitantur circumeat Prælatus, vel Vicarius ejus aut Hebdomadarius Ordines Fratrum utriusque Chori incipiendo a parte superiori, quæ est in dextero, & prosequendo ab inferiori parte sinistri donec Psalmus cum Versibus, & Oratione finiantur; si autem adeo magnus sit Fratrum numerus, ut unus se cito expedire nequeat, Vicarius, vel alter ex antiquioribus incipiat a superiori parte Chori sinistri donec Fratrum Ordines semel tantum utrque decurrat.

3. Hanc utique antiquam, & Regularem Ordinis obſervantiam ſic inviolabiliter præfatis diebus exerceri deſideramus, ut Prælatum eam prætermittentem, aut ferentem prætermitti digniſſime reddamus ab officio ſuſpenſum per ſex menſes. Præter has virgarum diſciplinas a Prælatis infligendas, alias a ſe ipſis recipere volumus Fratres noſtros, ut etiam ſe ipſos viriliter caſtigationibus emendent.

4. Singulis itaque ſextis feriis totius anni, atque etiam quartis tempore Adventus, & Quadrageſimæ peracto completorio ſi adhuc dies ſupereſt pauliſper ſpectata nocte omnes Fratres conveniant in Eccleſia, vel Choro, & ibi communem exerceant diſciplinam recitantibus inter ea Prælato, vel ejus Vicario, & Conventu alternatim prædictum Pſalmum ſemel, & iterum, vel ſecundum Domorum conſuetudinem cum Verſibus, & Oratione præfixis ab ipſo Prælato dicendis: alias autem diſciplinas, quibus ultro, & privatim Fratres afficiuntur ſi prudenter, & cum diſcretione fiant non ſolum laudabiles reputamus, verum & ſalubriter ſuademus.

CAPUT VII.

De Jejuniis.

1. Sane per medium Corporis alitur vita mentis, quam pinguiorem facimus, quo plus ſquallore langueſcimus. Ne ergo Fratres noſtri a ſobrietate deficiant, ſic eos in ratione victus inſtituimus. Primo enim a Paſcha uſque ad primam feriam ſecundam excluſive, quæ diem omnium Sanctorum immediate ſubſequitur, & a die Natalis Domini uſque ad Dominicam Quinquageſimæ incluſive bis eos refici conſtituimus, exceptis tamen diebus Rogationum, ſextis feriis, vigilia Pentecoſtes, jejuniis quatuor temporum, & iis, quæ ab Eccleſia, vel Ordine noſtro fuerint inſtituta, vel in Diœceſibus, aut locis intra præfata tempora obſerventur.

2. A feria vero ſecunda incluſive, quæ diei primæ Novembris, & feſto omnium Sanctorum proxima ſuccedit uſque ad Natalem Domini excluſive, & pariter a feria ſecunda Quinquageſimæ incluſive uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini excluſive continuum teneant jejunium, & ſervata conſuetudine Eccleſiæ comedendi poſt Veſperas in Quadraſima, reliquis diebus prandeant Nona dicta, exceptis tamen in utroque tempore diebus Dominicis.

3. Præter hæc autem jejunia aliaque per annum, quæ ſunt de præcepto Eccleſiæ, jejunandum eſt, etiam in diebus Rogationum, & omnibus ſextis feriis excepta illa, in qua feſtum Natalis Domini inciderit; inſuper & in vigiliis omnium feſtorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, tam Ordinis, quam Eccleſiæ, in vigilia quoque S. P. N. Petri Nolaſco, ac denique diebus illis, quibus conſuetudine aliqua, vel Conſtitutione locorum, aut Diœceſum fuerint indicta jejunia.

4. Quo ad qualitatem victus in omnibus jejuniis obſervandam ſic enixe diſponimus. Primo enim in Quadrageſima Fratres noſtri a lacticiniis, aliiſque cibis in ea prohibitis abſtineant. Circa alia verò Jejunia firmiter ſtabilimus, ut in omnibus per annum ab Eccleſia conſtitutis, vel in Diœceſibus, aut locis lege aliqua, vel conſuetudine firmatis, in feria ſecunda, & tertia Quinquageſimæ, unde incipit Quadrageſima noſtra, & per totum etiam Adventum Ordinis, atque omnibus ſextis feriis per annum, quadrageſimali cibo reficiantur, præterquam tempore Paſchali, vel ubi Piſces commode haberi non poſſint. Quam tamen exceptionem ad eas Provincias, Regiones, & loca non extendimus ubi apud ſeculum aliquæ de prædictis jejuniis ſuo cibo Quadrageſimali lege, vel conſuetudine, ſerventur.

5. Fratres tamen itinerantes omnia jejunia de præcepto Eccleſiæ, aut aliter ſpeciali lege, vel conſuetudine obligantia quantum ſit poſſibile ſemper obſervare præcipimus, nec victum quadrageſimalem dimittere. In reliquis autem diebus jejunii, præterquam in Adventu Ordinis bis eos refici ſuſtinemus, modo alimentum quadrageſimale non deſerant.

6. Quando dies S. P. N. Petri Nolaſci, aut aliud præcipuum feſtum in feriam ſextam inciderit, Prælatum in jejuniis diſpenſare poſſe concedimus, ſicuti, & cum debilibus, vel quovis aliquo labore, aut literarum ſtudio occupatis.

7. Mortificationes publicas, & voluntarias a Fratribus in Refectorio fieri, modo ſint prudenter, & cum benedictione Prælati, permittimus & laudamus. Denique feria ſexta majoris Hebdomadæ in pane, & aqua ſemper inviolabiliter jejunabitur.

CAPUT VIII.

De Collatione.

1. Tempore, vel die jejunii hora congrua ad collationem Cymbalo Conventuali a Vicario pulſetur, congregatis autem fratribus, Refectorarius Campanella Refectorii Signum faciat, ut intrent. Quibus ingreſſis, Lector dicat, *Benedicite*, & Hebdomadarius benedicat dicens: *Largitor omnium bonorum benedicat potum ſervorum ſuorum.* Conventus vero reſpondeat, *Amen.* Dum Lector legit poterunt Fratres bibere, & finita Lectione ſigno Vicarii, Prælati, aut Præſidentis, dicat ipſe Prælatus, aut Vicarius, vel eorum abſentia Hebdomadarius, ad quem ex officio pertinet; *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*, & Conventus reſpondeat, *Qui fecit Cœlum, & Terram*, ac deinde omnes pariter egrediantur. Qui ſero ad hanc obſervantiam veniens introire velit nullam ſpectet Prælati, aut Præſidentis licentiam.

2. Si vero aliquis collationi non interfuerit, nec biberit cum communitate, & cum benedictione, & venia Superioris, poſteaque bibere voluerit, poſtulet a Majori licentiam, & collationem, ſeu obſervantiam in ea bibendi cum benedictione, compleat & merito.

CAPUT IX.

De Cibo.

1. Hora competenti ante prandium, vel cœnam pulſetur a Vicario ad primum ſignum conventuale Cymbalum, quo audito conveniant omnes Fratres ad Veſtibulum Refectorii, ſeu locum qui dicitur *De profundis* ſuas undequaque ſedes habentem, ubi ſi lavacrum extiterit debito ordine manus abluant, ac denique ſedeant expectantes cum omni modeſtia, & ſilentio ſecundum ſignum minime dandum, niſi cibus fuerit paratus, illo autem facto ſurgant omnes, & Prælato, aut eo, qui præeſt Pſalmum *De profundis* incipiente, illum alternis Verſibus pro benefactoribus Defunctis proſequantur, quo finito Refectorii nolam in ſignum ingreſſus Refectorarius pulſet, cum vero jam intraverint Prælatus ſignum faciat, atque Hebdomadarius benedictionem inchoet dicens *Benedicite*, & Conventus reſpondeat *Benedicite*, & proſequantur benedictionem juxta Ritum, & formam Eccleſiæ.

2. Nemo Fratrum in Conventu exiſtentium præter Servitores, Lectorem, Domuſque Cuſtodes in prima menſa deficiant, niſi prius obtenta licentia. Quot quot autem remanſerint, comedant in ſecunda, itaut tertiam facere non liceat. Incepta prima menſa nullus Refectorium ingrediatur abſque licentia Prælati, aut qui ejus loco præſideat, non miniſtretur cibus Majoribus, aut Miniſtris, qui non apponatur Conventui, niſi Valetudinarii ſint, quibus aliqua ciborum, & condimenti diverſitas permittitur, vel quibus alias harum Conſtitutionum Jure fuerit indultum, Frater non mittat cibum ad Fratrem, ex-

cepto

cepto Prælato, aut de licentia, & permissione illius, cæterum sibi data ex utroque latere assidenti poterit impartiri.

3. Commendatores Conventuum semper in Refectorio comedant, & reficiantur de communi cibo Conventui præparato. Refectorio etiam Infirmariæ, atque Hospitum Receptores intersint, nisi assistentia Infirmorum, aut Hospitum eos extra illud comedere cogat, vel aliunde Prælatus ex alia simili causa rationabiliter dispensaverit.

4. Nunquam incipiant comedere Fratres in Refectorio, nisi prævio signo Prælati, neque surgant a mensa, donec prandium, vel cœna finiatur, pariterque fiat signum ab ipso. Quod si Prælatus, aut ejus Vicarius non adfuerit dignior ex parte Hebdomadæ Sacerdos signum faciat, si ante finem comestionis Fratrem aliquem urgeat necessitas egrediendi, non id nisi adepta licentia Superioris, dictive Præsidis exequatur.

5. Dum Fratres comedunt semper unus lector aliquo spirituali, & frugi pabulo mentes eorum reficiat, ne solæ fames sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Quid autem legendum sit, Prælatus, aut consuetudo decernat; Regula tamen S. P. N. Augustini omnibus sextis feriis indeficienter legatur, in omnibus vero lectionibus ita sit Lector assiduus, & in paucis frequens, ut neque eas nimia festinatione interjiciat, neque longo silentio protrahat, sed quantum sufficiat, & paululum quiescat alitus: conclusa refectione ad Prælati signum dicat Lector: *Tu autem Domine miserere nobis*, & fratres respondeant: *Deo gratias*, & ad Cymbali pulsationem singuli surgant a mensa. Hebdomadarius autem sibi iterum dato signo a Prælato, incipiat gratiarum actiones, quas prosequatur Conventus juxta eumdem Ecclesiæ Ritum.

6. Temporibus, quibus Fratres bis reficiuntur, carnibus utantur diebus scilicet Dominicis, tertiis, & quintis feriis. In sextis vero piscibus & cibo Quadragesimali vescantur, cum exceptionibus tamen superius declaratis, & licet jam in Sabbatis ex præcepto Ecclesiæ a carnibus abstineamus, quia tamen in quibusdam Provinciis, & Regionibus aliquam piam super hoc, vel omnino contrariam consuetudinem novimus, idcirco propter honorem Beatissimæ Virginis Mariæ matris, & Fundatricis nostræ in dictis Regionibus, Provinciis, & locis Fratribus nostris absolute præcipimus, ut in die Sabbati penitus ab omni esu carnium abstineant, aliis denique diebus scilicet feria secunda, & quarta pariter a carnibus temperent juxta usum, & consuetudinem nostrarum Provinciarum in Ordine.

7. Nulli fratri, ubi Conventum habuerimus liceat extra illum comedere, nisi de licentia Prælati, quam raro concedi volumus. Tempore jejunii duæ portiones ministrentur Fratribus juxta qualitatem temporis, & jejunii, quibus insuper apponatur obsonium ex leguminibus, oleribus, aut victu ejusmodi confectum. Patimur subinde Prælatum eis quidquam aliud adhibere, prout opus esse judicaverit, domusque facultas permiserit, cui item præcipimus, ut in dies Natalis Domini tribusque sequentibus in festo Epiphaniæ, ac triduo Pascatis, & Pentecostes, atque etiam in S. P. N. Nolasci, & Beatæ Virginis Mariæ de Mercede solemnibus in hujusmodi celebritatum honorem portionem duplicem ultra solitam universis Fratribus elargiatur, præmittens aliquod edulii genus quo mensam incipiant, & postremo superaddens pulmentum quo illam finiant. Hæc autem Cibariorum ratio (uno prædictorum tantummodo ferculorum adempto) in solemnitatibus etiam Circumcisionis, Corporis Christi, Assumptionis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, triumque nostri Ordinis Sanctorum Raymundi Nonnati, Petri Paschasii, & Armengaudi ab ipso omnino servetur.

8. Nec solis Fratribus hanc præfatis diebus humanitatem fieri desideramus, sed & pauperibus ad Domus nostras accedentibus, quibus non tantum diebus singulis eleemosynam frangendo panem esurientibus cum Propheta, verum etiam in celebritatibus istis largiorem charitatis alimoniam erogari præcipimus.

9. Si Commendatores, seu Prælati Conventuum a Refectorio frequenter absfuerint, vel Fratrum quempiam, sive Præsentatum, sive Magistrum crebro abesse permiserint officio, & commenda priventur.

CAPUT X.

De Vestitu.

1. Fratres nostri vestes laneas; & omnino albas semper, & ubique ferant in honorem puritatis Beatissimæ, & immaculatæ Virginis Mariæ Matris nostræ, ac signum interni candoris animi, quem in moribus profiteri tenemur, non lineis, sed lanea tunica utantur ad carnes nisi in valetudinis gratia Prælatus dispensaverit, reliqua vero interiora indumenta dommodo etiam sint semper, & omnino alba, poterunt esse linea, lanea, seu pellicia, quibus superindui posse concedimus tunicam laneam usque ad genua honestatis causa demissam.

2. Superior tunica sit rotunda, & nullatenus pro parte anteriori aperta, & ita longa ut fluat circa plantas pedum, scapularium tantisper sit brevius, cappa tunicæ æqualis: caputium ita breve omnibus esse præcipimus ut pro parte anteriori medium pectoris parumper, aut pene nihil excedat, & cuspis ejus a posteriori vix a cintorio transeat; pars vero, quæ caput operit ita prædictæ sit magnitudini congrua, ut facile capiti, vel humeris semper composita adhæreat, nec supra dorsum, & scapulas hinc inde præ magnitudine decidat.

3. Frater autem, qui profanis quomodolibet indumentis utatur, & tam interius, quam exterius non omnino albis, aut in materia, forma, vel arte sæculum redolentibus, seu prædictæ Constitutioni adversantibus reclusioni sex mensium, & pœnæ gravioris culpæ subjaceat.

4. Omnes Fratres nostri extra domum scuto, vel stemmate Ordinis in cappa, seu scapulario, sub pœna gravis culpæ semper insigniti procedant: Tunicam exteriorem subter scapularium præcingant zona nigra ex corio quam nunquam mutent in laneam, lineam, vel olivatam, nec arte aliqua curiosam, sed sit simplex, & ita longa, ut juxta Scapularii mensuram pendeat.

5. Chirothecas, & ocreas omni tempore, etiam viatoribus interdicimus, lacerna modo sit penitus alba ad injuriam frigoris, & pluviæ propulsandam equitantibus se munire permittimus. Ad operiendum caput etiam itinerantes semper utantur galero nigro, & honesto, & aliud quodcumque Sæculare operimentum, quamvis & album maxime vitent.

6. Commendatoribus insuper enixe præcipimus, ut omnibus suis Fratribus tam interius, quam exterius necessaria indumenta suppeditent. Qui autem ab aliquo postulatus concedere recusavit, puniendus veniat in Capitulo Provinciali ad arbitrium Diffinitorii, & Magistri; ipsis tamen, & universis Prælatis localibus specialiter præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in Capitulo quamvis sint Præsentati, aut Magistri, & in suo triennio habitum novum, & integrum universis suis conferant Fratribus professis tam Presbyteris, quam Clericis, & Laicis absque ullo discrimine, neque eos veteri aliqua ratione destituant, de quo Testimonium authenticum sibi a Conventu exhibitum deferant inviolabiliter ad Capitulum, quo eos hanc Constitutionem compleviffe probetur: quibus denique simili-

ter injungimus, ut nihil indumenti sibi parare audeant ex bonis Conventus, nisi illud etiam communiter Fratribus dispensaverint sub pœna privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

CAPUT XI.

De Lectis.

1. Ne in lectulis, aut stratis præter naturæ debitum studeamus refoveri deliciis, universis Fratribus constituimus ut nunquam nudi dormiant, sed tunica, caligis, ac zona præcincti, neque in Dormitorii Cellis, & ubilibet intra claustra cum duobus linteaminibus jaceant, sed uno contenti sint, cum illud habere voluerint, qui autem in prædictis Cellis duo postulaverit aut habere præsumpserit, uno die in pane, & aqua jejunet.

2. Singuli Fratres singulas habeant Cellas in Dormitorio, & quilibet eorum in proprio lectulo singulariter cubet sub pœna gravioris culpæ minime a Prælato relaxandæ. Tegumentis laneis desuper utantur, & super Culcras fæno, vel paleis, & ad summum lana refectas, aut super alia viliora, & asperiora stramina recumbant, cæterum extra Monasterium jacere poterunt, sicut eis fuerit stratum, ne gravamen inferant hospitibus.

3. Nemo excepto Magistro Ordinis habeat specialem locum ubi jaceat separatum a Cellulis Dormitorii, nisi propter rerum Custodiam, ut sunt Commendatores, & Sacristæ, quibus extra Dormitoria Conventus eorumque Cellarum Ordines in alia peculiari eo tantum fine pernoctare concedimus. Hujusmodi vero Custodes secum habeant honestos Fratres ad custodienda prædicta; Hospitalibus autem secundum Judicium Commendatoris provideatur. Præsenti denique Constitutione firmiter prohibemus, sub pœna gravioris culpæ minime relaxandæ, ne Frater aliquis ubi Conventum habuerimus, extra illum pernoctare audeat, quavis ratione, vel causa.

CAPUT XII.

De Rasura.

1. Fratres Rasuram, & tonsuram Capitis in cudine non nitorem, aut cultum quin potius abjectionem, & quasi decus reputent. Hinc ergo universis expedit ut eam sibi modeste adhibeant non ad placitum oculi, sed ad contemptus, & humilitatis arbitrium. Rasura itaque fit desuper non modica, neque in omnibus corona æqualis, sed juxta magnitudinem capitis sic rasa per circuitum, ut inter ipsam auriumque summitatem tres tantum digitos Capilli defluant. Barbæ etiam ita abradantur, ut nihil faciei, neque mento promineat.

2. A Pascha usque ad festum omnium Sanctorum habeatur Rasura quintadecima quaque die; alio vero tempore semel tribus hebdomadis, aut juxta consuetudines Provinciarum, ita tamen, ut propter festa solemnia per dies aliquot eam differri, vel præveniri liceat. Ad illam autem ita omnes Fratres indispensabiliter suo ordine accedant, ut nemo tonsorem a communi Rasura, ut in Cella radatur, distrahere possit.

CAPUT XIII.

De Infirmis.

1. Nulla sane salubrior Regularibus disciplina, quam manus Domini cum ab ipso tangimur, & corripimur, hæc autem licet de his non sit, quæ ultro eliguntur, aut præcipiuntur ab Ordine libenter tamen excipiatur a Fratribus, ut castigationes hujusmodi in omni patientia, & longanimitate sustinentes, fructum inde cum gaudio reportent, & possideant; Prælatis vero ante omnia districte præcipimus, ut Infirmis Fratribus opportuna, ac debita Sacramentorum collatione provideant summo studio, operaque nitentes, ut quam primum in languorem inciderint, vel intra unius ad summum, sive duplicis diei spatium pœnitentiæ susceptione ad secundam post naufragium tabulam confugiant; in gravi deinde vitæ discrimine constituti adhibito (si non sit moræ periculum) medici consilio Sacram Viatici Refectionem percipiant, ac denique instante mortis articulo priusquam sensibus destituantur salutifero extremæ unctionis præsidio muniri contendant.

2. Cunctis Fratribus in Domino commendamus, ut debita Infirmis officia charitatis exhibeant, & maxime Commendatores, quibus ita specialiter incumbit Infirmos recreare, ut citius convalescant juxta Regulam S. P. N. Augustini, unde sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ eisdem præcipimus ne quovis titulo, vel prætextu necessaria, tam ad victum, quam medicamentum, atque honestum etiam lectulum Fratribus denegare audeant.

3. In Domibus nostris sit Infirmaria, vel locus specialiter deputatus, ubi jaceant, & comedant Fratres ægrotantes, & debiles, huic autem præfici debet unus Frater Presbyter charitate, & prudentia solicitus, quem obedienter in omnibus adjuvet alius Frater Laicus, aut Clericus: si vero Infirmaria non fuerit, atque Infirmus in propriis Cellis decumbere oporteat, nihilominus Commendator sub eisdem pœnis eumdem Fratrem Presbyterum, & socium similiter ad ægrotantium curam semper, & ubique designet, ex quibus ille major, hic minor Infirmarius sit, & dicatur, omniaque Infirmorum obsequia simul respective perficiant; cæterum ut impensius ægris Fratribus inservire valeant, & in nullo ministerio ipsis deficere sub inflictis pœnis Commendatoribus præcipimus, ne dum ægrotis actu ministraverint ratione aliqua illos impediant, seu quocumque Conventus munere distrahant.

4. Insuper ut prædicitur infirmarius major post ea, quæ opus fuerint ægrotantibus custodire, ac de illis suo tempore providere, locum specialem habeant, ubi universa utensilia, & alia quæcúmque pro eorum cura, & recreatione reposita sint, cujus quidem loci duæ sint claves, quarum unam habeat Commendator, alteram vero præfatus infirmarius major.

5. Sed ne ibidem custodita dispereant, Commendatori præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, ne inde, vel minimam supellectilem, aut quidquam aliud extrahant pro Hospitibus, sive alio quocumque fine, vel causa, neque id dictus permittat Infirmarius. Quod ut firmius servetur, statuimus, ut hæc omnia Infirmorum bona Infirmarius accurate conscribat in libro speciali quamprimum fuerint illis applicata (ut suo loco dicetur) aut alioquin quovis modo comparata. Quem utique librum Visitator in sua visitatione judicet, & si prædicta bona graviter invenerit a Commendatore dissipata, vel in usus Hospitum conversa, illum ipso facto ab officio absolvat, atque Infirmarium etiam pro merito permissionis respective corripiat.

6. Cum Infirmorum solatium sint piæ Fratrum visitationes, quibus ad sufferentiam, illiusque mercedem exigantur; idcirco universis Commendatoribus primo subjungimus, ut singulis diebus indispensabiliter omnes suos Infirmos visitent, & cum ipsis non solum Fratris sed & Patris, & Pastoris officium exerceant; Reliquis autem Fratribus in Christo consulimus, ut hoc frequenter charitatis munus obire non desinant illud Apostoli præseferentes: Quis infirmatur, & ego non infirmor?

7. Ægrotantes poterunt vesci carnibus semper de consilio medici, & benedictione Prælati, prout eorum exegerit infirmitas. Nulli Religioso quantumvis male habenti causa Infirmitatis detur licentia exeundi ad Sæcularium Domos,

ut ex

ut ex ea ibidem recreetur; qua de re conscientiæ Prælatorum onerantur. Si Commendatorem infirmari contigerit, in Cella ubi bona domus custodiuntur, poterit curari, Fratribus leprosis intra septa sui Conventus seorsim ab aliis medela adhibeatur, quæ si ob Domus angustiam, aliamve legitimam causam inibi exerceri non possit, de licentia Magistri, seu Provincialis ad aliam Domum Ordinis ad hoc idoneam transferatur.

8. Quilibet autem Frater, qui in ægritudinem deciderit per se, vel per aliam personam a Prælato benedictionem postulet ad sui curationem. Qui tandem gravi imbecillitatis incommodo, tenuive valetudine non laboraverit, neque ciborum langueat fastidia, jejunia neutiquam præmittat, nec specialem quærat victum, sed communi refectioni subjaceat. Fratres valetudinarii, & senes jam confecti semper, & ubique baculos gestare potetunt, quos reliquis omnino interdicimus.

CAPUT XIV.

De Minutione.

1. Minutionem quater in anno fieri posse permittimus juxta Textum Canonis de statu Monachorum cap. Cum ad Monasterium : primam in Mens. Septembris, secundam post Natale Domini, tertiam post Pascha, & quartam circa festum S. Joannis Baptistæ.

2. Declaramus autem Fratres non teneri prædictis temporibus, aut per annum uti minutione, nisi de consilio Medici, qui vero sine illo voluerit minutionem facere, nequeat eam eligere, nisi in præfatis anni stationibus.

3. Minuti extra Refectorium in Infirmaria comedant, triduoque prout debilitas exigat recreentur. Causa vero minutionis poterunt vesci carnibus, si expedire visum fuerit, exceptis diebus ab Ecclesia prohibitis. Hoc autem tempore minutos choro, & silentio non adstringimus.

CAPUT XV.

De Capitulo Quotidiano.

1. Præcipua totius vitæ Regularis exercitatio ea est, quam in Capitulis culparum exequimur, ubi nos ipsos de negligentiis contra Regulam, & Constitutiones perpetratis humiliter accusamus, & salubriter a Prælato correcti observantiores evadimus. Cum itaque ab observantia, aut omissione hujusmodi Capituli integritas, vel ruina regularis disciplinæ dependeat, ea propter universis Commendatoribus in Christi visceribus, imo sub ejus ira, & indignatione, & sub pœna privationis officii, ac utriusque vocis enixe præcipimus, ut ad minus qualibet feria sexta vel opportuniori die cujuslibet hebdomadæ prædictum Capitulum post completorium celebrent.

2. Congregatis igitur Fratribus, & in Capitulo, vel choro ordine suo sedentibus, dicat Prælatus : *Benedicite Patres : Dominus sit vobiscum*, & omnes paulisper inclinati respondeant, *Amen*: deinde proponat Fratribus, quibus quantisque officiorum vinculis teneantur orandi pro Sanctissimo D. Papa, & felici statu Ecclesiæ, pro Rege, & Regni prosperitate, pro statu, & Prælatis Ordinis, pro Benefactoribus ejus vivis, atque Defunctis, & etiam pro captivis, quibus specialiter, ex Instituto adstringimur tam in vinculis, quam in Purgatorio constitutis.

3. Hac itaque monitione præmissa, surgat Prælatus, & dicat : *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen Sanctum tuum vitam æternam* : Et chorus respondeat, *Amen*, & subscripti alternis versibus Psalmi recitentur.

Psal. 122.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cælis.

Ecce sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis. *Gloria Patri &c.* *Psalm.* 129.

De Profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum Redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. *Requiem æternam &c.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Oremus pro Domino Papa.

℟. Dominus conservet eum, & vivificet eum & Beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manibus inimicorum ejus.

℣. Salvos fac servos tuos, & ancillas tuas.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus prætend e super famulum tuum Papam nostrum, & super cunctas Congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris; & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequantur.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo Regi nostro cum prole Regia, & dirige eos secundum clementiam tuam in viam salutis æternæ, ut te toto corde perquirant, quæ digne postulant assequantur, & te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant, & Magistrum nostrum Generalem, & Provincialem, & Ordinem nostrum, & nos famulos tuos ab omni adversitate custodi.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut Indulgentiam, quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur, qui vivis, & regnas &c.

4. Hisce peractis Prælatus Novitios omnes egredi faciat a Capitulo, ut liberius possit proponere, arguere, & increpare, quæ ad honestatem, & correctionem Fratrum communiter, vel particulariter viderit expedire. Qua de re ipsi enixe suademus ne vereatur interdum singulorum culpas publicas, & graves signanter corripere, neque, ut unius crimini, & rubori parcat, totam communitatem vaga suspicione commaculet, & Fratribus rerum ignorantibus ansam præbeat male in se invicem cogitandi; quæ

enim jure, vel facto sunt publica, si prudenter oporteat ipse reus designatus publica objurgatione reprehendat.

5. Post hæc autem, ut ad judicium de culpis regularibus, & manifestis defectibus procedatur, & propria accusatione innotescant, quæ Prælatus singula possit salubriter emendare, dicat ipse Fratribus: Dicite culpas: quo audito surgant ordine suo incipiendo ab inferioribus primi, aut secundi Chori juxta dispositionem Prælati, qui prout libuerit inchoare Chorum eligere, Fratresve regulariter vocare poterit. Cum autem Frater steterit ante Prælatum flectat genua, & dicat *Pater veniam peto*: Prælatus vero: surge Frater, qui surgens, & stans parum inclinatus confiteatur culpas, & se accuset de defectibus manifestis contra Constitutiones, & Regulam commissis dicendo sic in genere vel alioquin expressius-Quod in omnibus non observo Regulam B. Augustini, nec Constitutiones Ordinis, non custodiendo silentium, nec recitando attente, & devote horas, & Divinum Officium tarde surgendo, & male legendo, & in essentialibus non obediendo corde, & opere, nec paupertatem Spiritus amando, nec honeste vivendo, nec ferventer Deum diligendo, *ideo dico meam culpam, & peto misericordiam Dei, & vestram.*

6. Si vero culpa talis sit, ut nedum verbo, verum etiam opere correctione indigeat, præparet se Frater ad illam, quam Prælatus, seu ille, qui præceperit infligat. Culpas autem, de quibus, & quando in hoc Capitulo se ipsos possint Fratres amplius, & ferventius accusare, vel debeant in Cap. 1. Dist. 5. declarabimus. Nemo tandem in Capitulo loquatur, nisi culpas dicendo, vel Superiori ad interrogata respondendo, nec alio stante, & loquente præsumat ad loquendum assurgere.

7. Etiamsi Novitios ab hujusmodi Capitulis arceamus, non propterea ab hac disciplina eos prorsus excludimus, quin potius desiderantes, ut in ejus tyrocinio hac etiam institutione proficiant illorum Magistro præcipimus ut in Novitiatu semel quoque in hebdomada cum ipsis, & reliquis professis Clericis indeficienter simile habeat Capitulum, quo simul omnes correctionibus, & humilitate ædificet.

8. Finitis vero culpis prosternant se omnes, & dicant, *Confiteor Deo*: deinde Prælatus stans dicat *Misereatur vestri &c. Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus Amen.* Deinde surgant omnes, & Prælatus dicat *Adjutorium nostrum in Nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram*, & sic solvitur Capitulum junioribus præcedentibus.

DISTINCTIO QUARTA.

De accedentibus, & quomodolibet recipiendis ad ordinem.

Ad configurandam spiritualem Ordinis ideam ex Institutis, & Votis præcedentibus conceptam jam viva saxa deligimus, quæ disciplinarum tunsione polita, & fraternis charitatis nexibus apta ad fastigium perfectionis exurgant.

CAPUT I.

De examine vocationis, & qualitatibus nostrum Ordinem ingredientium.

1. Non credere omni spiritui, sed unumquemque probare diligenter, an ex Deo sit, Sanctus Joannes Apostolus monuit, cujus sane documento instructi universis Commendatoribus constituimus, ut quando aliquis nostrum Ordinem aggreditur, & ejus habitu indui postulat, assumpto secum Magistro Novitiorum vocationem ejus uterque caute, & subtiliter perscrutentur, quo scilicet Spiritu, qua mente regularem vitam eligat, quem sibi finem proponat, num zelo melioris frugis, & ut Deo liberius famuletur, an potius levitate, vel humano aliquo affectu ducatur, vel an sæculi inopiam, & aliquas sui status ærumnas effugiat, quæ quidem ab eo prudenter extorqueant.

2. Rursus eum interrogent, quare nostrum potius Ordinem, & Institutum præ ceteris eligat, ubi plane ei arduas nostræ charitatis, & professionis semitas exponant. Ordinis austeritates, & Vota pure, & simpliciter detegant, & quartum præcipue, quo debeat animam suam tradere pro Captivis, usque ad sanguinem, & interitum.

3. Et antequam procedatur ulterius semel, & iterum moneant, ut Sacramentorum frequentia, & simplici observatione Deum pulset, quatenus si expediat hanc sibi voluntatem firmare dignetur; est enim fidelis, & nulli se denegat humiliter postulanti. Interim vero attendant solicite an hæc impleat, & quid inoperetur dilatio, quæ in falsa vocatione solet frangere motum in vera tamen urgere ferventius.

4. Sed quia sunt aliqui defectus ita patentes ad sensum, ut ob præstantiam, & decentiam status protinus eos debeamus advertere, nolumus iisdem labentes de vocatione, aliisve defectibus agitari, nec aliquod ulterius de ipsis examen fieri, sed solo primo sensuum judicio depelli, ac omni expectatione vacuos illico a Commendatore dimitti.

5. Unde cunctis sequentibus ingressum nostri Ordinis denegamus cæcis videlicet, vel altero carentibus oculo, aut valde oculorum lumine laborantibus, claudis, gibbosis, graviter deformibus, caduco morbo, seu alio habituali patenti, & æque gravi languentibus, spadonibus, etiam & habentibus membrum aliquod principale mutilatum, & stolidos demum, & fatuos ab ingressu Ordinis interdicimus, præcipientes Commendatoribus sub pœna privationis officii, & vocis utriusque, ne alicui de prædictis habitum concedere audeant, nisi aliunde appareat aliqua notabilis Religionis utilitas, quæ honeste vincat deformitatem, aut morbum, simulque cum eo dispensetur in scriptis a Provinciali, vel Generali Magistro.

6. Cum itaque Postulator habitus ab omnibus hujusmodi defectibus, & maculis immunis apparuerit, satisque de vera vocatione fuerit comprobatus, statim mittatur ad examinatores pro hujusmodi negotio a Provinciali deputatos, & eum non semel, sed iterum, & tertio de arte bene legendi latine, de mentis acumine, in genii dexteritate, & quam sit in grammatica sufficiens omni æquitate censeant, qui si illum ita deficientem ingenio, & latinitate reperiant, ut non eam sufficientiam calleat literarum, qua ad Sacros Ordines postulat Concilium Tridentinum, ipsum omnino reprobent, si autem habilem invenerint justo judicio suscipiant. Quam utramque censuram non soli Prælato deferant, sed etiam Capitulo Conventus veraciter exponant, quo circa eorum conscientias strictissime oneramus. Cum Proceribus autem, & viris perillustribus, aut magnis fortunæ bonis, seu arte aliqua insigni pollentibus unde commodum ingens Religioni proveniat poterunt dispensare Magister, aut Provincialis in scriptis, & non aliter de exacta grammaticæ sufficientia, itaut sit satis non dubium specimen proficiendi tempore, quod superfit ad Sacros Ordines suscipiendos.

7. Admissa igitur a Conventu hujusmodi approbatione Examinatorum, eligatur ab eodem per suffragia secreta unus Frater idoneus prudentia, & fidelitate commendabilis; qui sub nomine informantis procedat ad informationem de moribus, & vita, & omnibus aliis conditionibus, quas juxta Decreta Pontificum, & Constitutiones nostras habere debet quicumque accedit ad Ordinem, pro quo munere fideliter

obeundo, præter pœnas gravissimas, quibus infra constringitur jurare, ulterius volumus præfatum informantem in manibus Prælati se id peracturum secundum Deum, & propriam conscientiam.

8. Huic ergo sic jure, & fidelitate munito Prælatus cum Conventu præbeat commissionem cum interrogatorio a se, & duobus, & aliis de Capitulo subscriptam, & pariter signatam, ac omni juris auctoritate publice roboratam. Ipse vero informans non statim procedat ad inquisitionem publicam, sed honori consulens, ac decori Parentum, & Consanguineorum, prius cum discretione, ac silentio cuncta interroganda serventur, in quibus, si aliquod impedimentum sufficienti, & timorata personarum attestatione sibi revelatum fuerit ab omni statim inquisitione recedat. Sin autem nihil invenerit receptioni contrarium, publicam informationem aggrediatur ante, vel post ipsam receptionem juxta diversitatem personarum, ut statim dicetur. Quam rite, & debite, quovis tempore factam, ac demum clausam, & signatam Prælato tribuat, & ipse congregato Capitulo referari, & legi faciat, ut de illa censeatur an sit bene, vel male confecta, & habilitas postulantis ad ingressum agnoscatur.

9. De majoribus sexdecim annis semper fiat informatio authentica ante receptionem, nisi periculum sit in mora, in quo casu juxta specialem dispositionem, aut moderationem super hoc Clementis VIII. sufficere volumus prævium juramentum Commendatori præstitum a Postulante, quod nullis impedimentis ex eo singulariter interrogatis sit inhabilis ad nostrum Ordinem ingrediendum, modo ante professionem fiat plenaria informatio de illis.

10. Quod utique juramentum quandocumque fieri contingat semper adnotari præcipimus in libro receptionum Conventus, & a Commendatore subscribi, & pariter a jurante cum duobus Testibus per illum in sua subscriptione relatis, & subscribendis: circa minores autem sexdecim annis, licet sit melius, semper de illis ante receptionem inquirere, nullam tamen præcise informationem præviam, & juridicam, aut juramentum exigimus, nisi inquisitionem secretam. Cæterum probationis tempore illam fieri authenticam, & professionem antecedere præcipimus. Qualitates autem vel impedimenta, quæ juxta omnia jura, & respective pro singulis recipiendis, professurisve examinanda sunt ab informante ita in sequentibus ordinamus.

11. Primo enim inquirat de moribus, & anteacta vita, de Patria, & legitimitate parentum. Quo circa strictissime constituimus, ut Decretum ex Motu proprio S.D.N. Sixti V. exequatur, quod nullus ex Sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, aut affinitatis gradum procreatus ad habitum in aliqua Religione admittatur (sub professionis nullitate alibi exprimenda) nisi solummodo in Fratrem Conversum, aut Laicum, omni seclusa ascendendi ad altiorem gradum in Ordine. Alios vero illegitimos, spurios, vel naturales, etiam alias legitimatos pariter ab Ordine prohibemus, nisi prius de illorum vita, & moribus, ac de universis aliis requisitis ad Ordinem fiat accurata discussio, & alioquin receptio illorum ex fide dignis testimoniis universæ Religionis commodo, & utilitati appareat pro futura. Qua de re in Generali, seu Provinciali Capitulo matura deliberatione habita, & unanimi Diffinitorii Provincialis, vel Generalis consensu, ad habitum approbentur.

12. Nihilominus tamen sic recepti ad gradus, honores, & dignitates Ordinis perpetuo sint inhabiles, nisi a S. Sede Apostolica indulgeantur, poterit autem Diffinitorium Provinciale, aut Generale in Capitulo congregatum, cognita tamen prius, ex expressa in dispensatione specie illegitimatis cum iis etiam ad præfatos honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, præterquam ad Magistratum Ordinis, & Provincialatum, quam dispensationem, & ejus causam authentice in librum Ordinis referendam esse decernimus. Circa Fratres vero alterius Ordinis an, & quando debeant ad nostrum admitti Cap. 3. seq. specialiter declarabitur.

13. Deinde salubriter in Domino constituimus ne quis ad habitum quacumque ratione, vel causa admittatur, qui originem ducat a Maurorum genere, Saracenorum, Hebræorum, vel etiam Hæreticorum, aut aliorum quomodolibet a fide nostra aberrantium, & propter quam, directe, vel indirecte fuerint a S. Inquisitione puniti, quod tamen sic accipimus, ut Maurorum Illustrium, & Hæreticorum sobolem, eo usque vitemus, donec generationum tractu, vel aliter hæc labes, & nota deleta sit, & habitus fidei firmatus, ita videlicet, ut quod apud vulgus nullam infamiam, aut notam vilitatis, seu despectionis patiantur, neque eorum affinitates caveant, vel abhorreant aliæ stirpes ingenuæ, reliquis autem supra quartam etiam generationem ingressum ad Ordinem intercludimus, si quomodolibet innotuerit, & non sit penitus abolita eorum infamia, vel labes.

14. Ulterius ab Ordine nostro prohibemus omnino criminosos, vel furto, latrocinio, homicidio, vel quocumque alio simili, aut majori crimine, ejusve publica punitione, jure, vel facto infames. Item si sint conjugati, & a juribus Matrimonii canonice non soluti, si sint, vel fuerint servi, si tenentur ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum, si reddendis rationibus ita fuerint obnoxii, ut ex hujusmodi causa lis, vel molestia eis jam illata fuerit, vel quam inferri timeatur.

15. Illum insuper, qui ratione abjecti muneris, & officii sit in Republica infamis, qui occulta aliqua infirmitate gravi contagiosa, aut incurabili laboret, qui sit lunaticus, vel ebrius, qui semel a nostro Novitiatu, vel alterius Ordinis fuerit expulsus, vel alias de jure ab ingressu Ordinis quomodolibet sit prohibitus, nullo modo ad habitum nostrum recipiendum esse firmiter constituimus.

16. Si quis autem informans de supradictis omnibus conditionibus, & requisitis examen non fecerit, vel aliquod in eo negligenter, aut malitiose prætermiserit, sive contra illa quidquam Prælatus aliquis attentaverit, quocumque tempore id innotuerit, illos voce activa, & passiva omnibusque officiis, dignitatibus, & honoribus perpetuo privatos, & ad hæc inposterum inhabiles declaramus.

17. Comperto igitur pulsantem nullo de præfatis impedimentis, vel aliis hucusque præmissis ineptum esse ad habitum, præcipimus Commendatori, ut si ille futurus sit Laicus, nequeat ipsum inducere, nisi prævia licentia in scriptis Magistri, vel Provincialis sub pœna privationis officii, si vero Clericus, servetur consuetudo Provinciarum, quando autem Magister, aut Provincialis per se ipsos aliquem ad Ordinem admittere, & induere constituerint, nunquam id per se solos absolute faciant, nisi de consensu, & suffragiis ejusdem Conventus, ubi prædictum Pulsantem induendum esse decreverint.

18. Sed ut in re tanti momenti omnis adhibeatur æquitatis industria, præcipimus universis Prælatis sub pœna suspensionis ab officio per sex menses, ut neminem proponere possint Conventui, qui per suffragia admittatur ad habitum nisi pridie Capitulum singulatim moneri, & citari fecerit omnes Fratres habentes ad hoc suffragium, sequenti vero die eos capitulariter congregabunt sono Cymbali Conventualis post Vesperas, aut Matutinas, vel quando Fratres adesse domi frequenter consueverint, & non aliter ex quibus

duas

ditas ad minus tertias partes habentium suffragium debere Capitulo interesse firmissime constituimus. Si autem Prælatus aliquid secus fecerit, puniatur ad arbitrium Provincialis, aut Generalis Capituli, tunc autem si major suffragantium pars de admissione consenserit manebit postulans ad habitum approbatus, sin autem omnino repulsus, & nullatenus Conventui amplius proponatur.

19. Quo circa declaramus omnes Presbyteros, & Clericos nostri Ordinis jam Sacris initiatos suffragium habere in præfatis Capitulis receptionis ad habitum, & professionem emittendam. Tertiarii denique utriusque sexus non admittantur ad Ordinem, neque induantur habitu, nisi de expressa in scriptis licentia Provincialis, aut Magistri, & prævia informatione de moribus, & vita, facta, & approbata a præfato Ordinario, & sui Conventus Capitulo.

CAPUT II.

De forma interrogandi Testes ad informationes prædictas.

1. Cum informans juxta prædicta processerit ad interrogationem Testium, istos debet eligere de antiquioribus Populi: unde Novitius, vel suscipiendus ad habitum ortum duxerit, ab ipsisque juramentum exigere, quod in omnibus, de quibus fuerint interrogati, sine aliqua subreptione, obreptione, vel offectu veritatem ostendent, quos pariter moneant vi juramenti adstringi ad occultos etiam, ignominiosos que defectus illius, de quo interrogandi sunt sub pœna perjurii aperiendos. Hac ergo nominatione, & juramento præmissis sic unumquemque interrogabit.

2. Primo ut dicat quam ætatem habeat, & an sit Consanguineus N. Novitii, vel Postulantis habitum in Conventu N., an inimicitiam, aut simultatem exerceat cum ipso, vel Parentibus ejus, & Avis tam paternis, quam maternis, an eum comprehendat aliqua juris exceptio, qua prohibeatur, ut testimonium reddat de prædicto.

3. Secundo an cognoscat præfatum N. Novitium, aut Postulantem habitum in Conventu N., & sibi noti sint Parentes ejus, & Avi paterni, & materni; an sciat prædictum N. Filium esse legitimum ipsorum, & ut talem vulgo reputatum, & habitum; quod si respondeat esse illegitimum, alterius de specie illegitimitatis interroget, an sciat esse naturalem, vel spurium, an autem incestuosum, aut Sacrilegum, natumve de ejusmodi Parentibus, & Avis usque ad tertium gradum.

4. Tertio an sciat, & noverit præfatum N. non esse de genere Judæorum, Maurorum, Hæreticorum, aut a S. Inquisitione punitorum causa Fidei directe, vel indirecte, & tam remote quam proxime, vel in quocumque gradu ducat genus a prædictis, vel ab aliis quomodocumque judiciali nota, punitione publica, jure, vel facto, seu abjecti muneris turpitudine infamibus, qui ut tales dedecore, ignominia, & fœdæ sobolis macula sint vulgo notati.

5. Quarto an noverit prædictum N. ad ingressum Ordinis esse liberum, & neque servum, neque originem trahentem a servis, neque ligatum vinculo Matrimonii, neque tali illius sponsione, quæ Religionem ingredi prohibeat, an Parentes habeat gravi, vel extrema inopia laborantes.

6. Quinto an sciat præfatum N. esse virtutis studiosum, & pravis moribus non corruptum, neque crimen aliquod perpetrasse, ut furtum, homicidium, aut aliud simile jure, vel facto publicum.

7. Sexto an sciat prædictum N. non contraxisse debitum, quod dissolvere nequeat, nec implicatum esse ratiociniis, quorum causa lis aliqua, vel contentio ipsi possit inferri, aut illata sit, vel quam pariter in Ordinem derivandam fore timeatur.

8. Septimo tandem in illi sit notum præfatum N. bona frui valetudine, nullamque habere infirmitatem occultam, aut contagiosam, quibus omnibus ab informante susceptis, & pariter ratificatis a Testibus, atque ab iis, & informante subscriptis, reliquisque de jure servatis claudenda est informatio, & Capitulo Domus præsentanda, ut prædicitur.

CAPUT III.

De non recipiendis Fratribus alienæ Professionis.

1. Ut autem de Fratribus alienæ Professionis ad nostrum Ordinem suscipiendis specialiter, & expressius maneat declaratum, statuimus, & ordinamus, quod nullus de prædictis cujuscumque qualitatis, aut conditionis extiterit (exceptis Nobilibus Militaribus,) possit ad nostrum Ordinem admitti, quo circa taxatur Magistri Generalis ac etiam nostri Procuratoris Generalis in Urbe potestas, ne unquam ad transitum hujusmodi Fratrum valeant præstare consensum, sub nullitate receptionis, ac etiam Professionis ipso facto, sicut eadem ratione, & ut quisque in sua vocatione contineatur præfatis Magistro Generali, & Urbis Procuratori restringitur, eadem potestas præbendi consensum super transitum nostrorum Discalceatorum ad nostræ observantiæ familiam.

2. Si autem aliquis de prædictis alia via legitime receptus fuerit infra decem annos a sua receptione in Commendatorem nullatenus assumatur, neque in Ordine nostro aliquam administrationem exerceat.

3. Quod si quis Mendicantium, aut quicumque alius de Fratribus antedictis ad Ordinem nostrum, vel familiam fuerit translatus, & Professionem emiserit Regularem, transferri nequeat deinceps a nostro Ordine ad alium absque Sedis Apostolicæ licentia specialem, & expressam mentionem faciendo de Statuto, & Ordinatione factis a Martino V., ut constat ex ejus Bulla plumbea, & originali, quæ extat Salmanticæ in qua pariter decernitur irritum esse, & inane quidquid secus scienter, vel ignoranter a quocumque quavis auctoritate fieri contingat.

CAPUT IV.

De potestate, & forma tradendi Habitum.

1. Cum initiare ad Ordinem, & illius habitum tradere sit actus potestativus, proinde ne defectu facultatis sit aliquando irritus, vel inanis præsenti Constitutione declaramus ad habitum conferendum habere canonicam potestatem primo, & immediate Commendatorem Domus ad quem postulator accessit, & ubi capitulariter est admissus; Magister autem Generalis, & Provincialis, eorumque Visitatores in actuali visitatione, tamquam potestate Superiores simili facultate fruuntur, prævia tamen approbatione Conventus. Vicarium vero Commendatoris ab hoc actu secludimus, quem nihilominus Præsidentibus in Capite concedimus. Verumtamen habitum Laicis, vel Tertiariis conferendi, vel Præsidenti in Capite, imo neque Commendatori jus aliquod permittimus, nisi de licentia Magistri Generalis, vel Provincialis in scriptis.

2. Admisso igitur postulante, admonendus est a Magistro Novitiorum, ut habitum omnino humilem, & interiora indumenta penitus alba, & tunicas laneas sibi præparari faciat cum lectulo, insuper mensula, lucerna, aliisque paucis, & modestissimis utensilibus pro Cellula. Quibus jam paratis, & præstituta die, qua ille induendus est novo homine, & mutandus in virum alterum suadendus est ab eodem Magistro, ut Sacra Confessione, & Communione se muniat ac remissionem omnium peccatorum, quam pro eo die Smus

Paulus

Paulus V. indulsit a Deo impetrandam. Accedente vero hora traditionis habitus, prædictus Magister eum in omnibus ab ipso agendis, & Prælato respondendis solicite instruat, totum insuper, & integrum habitum prope apponendum curet. Quibus vel aliis etiam pro suo munere constitutis, & congregato capitulariter Conventu sono Campanæ in Choro, vel Ecclesia seu alibi etiam sedente Prælato, intrat ipse Magister Novitiorum secum ducens induendum nondum rasum, quem ad Prælati pedes genuflexum statuet. Cum autem ab eo interrogatur *quid petis* statim ille parum profunde inclinatus respondeat: *Misericordiam Dei, & vestram.* Deinde manens genuflexus, Sermonem, & verba Prælati audiat devote, & attente.

3. Is vero ferventer, & graviter arduam illam viam, quam ingreditur exponat, quam sit difficilis, quam laboriosa, quam ærumnarum sensibus, & mortificationum tribolis consita, quam nihil propriæ voluntatis includat, non delicias, non requiem, sed famem, sitim, vigilias, & perpensam inopiam; verum licet initio sit amara, sit tamen usu, & consuetudine, ac Divino subsidio in medio suavior, & tandem in fine felicior, cum laborantibus in ea brachium æternæ Beatitudinis præparatur.

4. His, & aliis a Prælato expositis, interroget induendum: an velit perseverare in vocatione sua, vel plus amare sæculum, quam Ordinem eligere? quo respondente: *Volo amplecti Dei famulatum, & Beatissimæ Virginis Mariæ filium instituti,* dicat statim Prælatus: *Dominus, qui incœpit, ipse perficiat,* & Conventus respondeat *Amen.* Deinde surgit Prælatus, & exuit eum sæculari habitu (pallio videlicet) & interea dicit: *Exuat te Deus veteri homine, cum omnibus actibus suis.* Conventus vero respondeat *Amen.* Deinde Prælatus sumens habitum Religionis in manus dicat: *Ego auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & quæ est mihi ab Ordine commissa trado tibi habitum Novitiorum Ordinis Nostri, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* & respondeat Conventus, *Amen.* Quando autem induit Scapularium dicat: *Induat te Deus novo homine, qui secundum Deum creatus est in justitia, sanctitate, & veritate,* & Chorus respondeat *Amen.* Post hæc se prosternente Novitio,

Cantor incipit Hymnum.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, Charitas,
Et Spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri Corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis,
Surrexit ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Quo finito dicat Prælatus.

℣. Emitte Spiritum tuum Domine, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvum fac Servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Prætende Domine famulo tuo sæculo renuntianti dexteram tuam cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur. Per Christum Dominum Nostrum. *Amen.*

OREMUS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum benedicere digneris, cui in tuo Sancto Nomine habitum Sacræ Religionis imponimus, ut te largiente, & devotus in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum Nostrum. *Amen.*

Tandem aqua benedicta aspergatur, & ad osculum pacis deferatur a Magistro, atque ultimum locum habeat, tempusque probationis ei designetur a Prælato, juxta decretum Concilii Tridentini *Sess.* 23. quod est integer annus, ut ipse austeritatem Ordinis, & fratres mores ejus experiantur, & probent, de Jure enim Novitius Monasterium ingreditur probaturus, & probandus a fratribus.

5. Si autem pluribus habitum conferri contigerit mutanda sunt in verbis, & Orationibus supradictis quæ rationabiliter mutari debeant. Vestes Novitiorum sæculares usque ad tempus eorum professioni præfixum sub custodia fideli serventur. Receptio Novitii scribi debet statim in libro speciali receptionibus tantum destinato, relatis anno, mense, die, & hora eadem, & Magistro Novitiorum subscribentibus cum duobus aliis fratribus testibus, qui quidem liber in depositum Conventus includatur solertissime servandus ne pereat.

CAPUT V.

De institutione Novitiorum.

1. Ut nihil utilius in Ordine quam Novitiorum instructio, ita nihil, aut pondere gravius aut opere difficilius; etenim Novitiatus quædam virgultorum novella plantatio est inde ad hortum Domini frutices eliguntur, & surculi de stipitibus sæculi avulsi, ac in domo Domini plantati inseruntur in bonam olivam non sine magno labore, ac industria.

2. Hæc autem sedulo considerantes, & quantum in Domino possumus boni Ordinis frugi providere cupientes inviolabiliter constituimus, ut in qualibet Provincia ab ejus Diffinitorio Provinciali inter Capitulum Domus, seu Conventus potiores, & aptiores eligantur, in quibus sancte, & pie Novitii nostri omnem Ordinis disciplinam ediscant, & regulariter instituantur a suis Magistris, itaut in aliis Conventibus probationis annum nequeant traducere.

3. Cæterum si in aliqua domu ad novitiatum non designata, & assumpta, aliquis recipiatur ad Ordinem, Commendator ejus quam primum illum transferat ad quamlibet ex Conventibus ad probationem electis, juxta Provincialis arbitrium, quod quidem a Commendatore

fieri præcipimus infra unum mensem a receptione sub pœna privationis officii.

4. Domus autem Novitiorum in hujusmodi Conventibus sit locus segregatus a professorum convictu, ita sane, ut licet fratres Clerici sint etiam intra novitiatum usque ad sacerdotium cum ipsis quoque nolumus Novitios habere commercium, sed sicut hujusmodi Clericos, & Novitios ab omnibus aliis fratribus, speciali clausura loci separamus, ita ipsos a se invicem propriis Dormitoriis intra Novitiatum dividimus quantum facultas Conventus, & loci amplitudo permiserit. Ad hoc autem utriusque Dormitorii Cellæ sint numero sufficientes, ne binos in eadem convivere sit necesse, aut lectulos in aliqua duplicari, sed singulæ singulos habeant, ut profundius silentio, & solitudini studeant, vel gerant spiritualia liberius.

5. In Novitiatu etiam præter alia communia commoda, locus deputetur spiritualibus collationibus habendis, cæremoniis, & Rubricis addiscendis, regularibus pariter disciplinis, & culparum Capitulis exercendis idoneus. Insuper, & Oratorium, in quo nemo aliquid agat nisi id, ad quod factum est, unde, & nomen accepit.

6. Novitiatus semper sit clausus, ejusque clavem solum habeat Magister Novitiorum, aut socius, illique soli, vel Prælato liceat alicui concedere ingressum, si vero ingrediens loqui cum Novitio voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

7. Quoad Magistrum Novitiorum, pariter, ut supra decernimus, ut in singulis præfatis domibus ab eodem Capituli diffinitorio instituatur vir quidem Religiosus, virtute, prudentia, doctrina, moribus, & matura ætate præditus, qui Commendatori sit subjectus in omnibus. Si autem extra Capitulum vacaverit, ad Provincialem pertineat Magistri Novitiorum electio.

8. Hic ergo Magister statim, ac Novitii in locum novitiatus introducti fuerint, eis prudenter suadeat, ut per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam diluant præstantiam illis Religiosæ vocationis aperiat, & Dei vocantis misericordiam, qua eos dignatus est a sæculi laqueis, & vanitatibus eripere pio sermone non sileat. Illos regula, & Constitutionibus informet, & ad perfectam votorum observantiam inducat: Præcipua vero ad ardentissimam nostri instituti, & quarti voti charitatem, ut paulatim eos conformes faciat Imagini filii Dei, & exemplum dilectionis ejus ipsorum cordibus ingerat, obedientiam eis laudet, paupertatem extollat. Pudicitiam puris verbis insinuet, & pietatem erga proximum Deo dilectissimam referat, ut singulis votorum virtutibus eorum mens, & anima ferveat.

9. Inter hæc omnia Catechismum Christianæ disciplinæ sæpius eis in doctrima sana, & patienter exponat, humilitatem cordis eos habere doceat, & frequenter, pure, & lacrimabiliter cum integritate, & pudore confiteri, & cælestem panem exurire, & ante sumptionem in oratione, & peccatorum assidua deploratione se exercere, ut ad Eucharistiam diebus *Distinct.* 1. *Cap.* 7. constitutis accedant, confessiones eorum solus audiat Magister. Si tamen Prælatus aliter expedire judicaverit, ad alios confessarios virtute, zelo, & prudentia probatos, ducere poterit, si quæ Novitius justa de causa petierit alium confessarium superior teneatur illum dare.

10. Ulterius debent instrui Novitii ad orationem mentis, & oris quotidie agendam, ad quam Magister typum, ordinem, & tempus perscribat, eosque pariter instituat ad conscientiam sæpius in die discutiendam, libros Mysticæ Theologiæ devotos, & spirituales apud se retinere, & crebro legere studeant, ut in eis scientiam sanctorum edíscant meditandi, & contemplandi modos, & discrimina differant, & cuique alterum eorum statuat prout gradus perfectionis, & necessitas postulaverit. Vitas etiam Patrum, & sanctorum Ordinis lectitandi consuetudinem ingerat. De quibus omnibus in loco ad eadem destinato cum Magistro, vel socio quotidie per dimidiam ad minus hora collationem spiritualem indispensabiliter habeant.

11. Quantum ad Orationem vocalem maxime incumbat, ut horas canonicas in Choro attente, & devote persolvant, & quidquid recitent tam intra, quam extra Chorum non sola voce, & spiritu, sed mente pariter psallant, Regulis Divini Officii, cæremoniis, & ritibus, juxta Romanum, & usum Ordinis nostri eos diligenter imbuat, pro quibus, & reliquis ex Regula, & Constitutionibus pertractandis singulis diebus tempus speciale præstituat ab omnibus aliis occupationibus ereptum. Integrum Horarum pensum eos quotidie implere assuefaciat, ut cum professi fuerint propensius illud exerceant. Novitios laicos ministerium rei sacræ specialiter edoceat, & universim omnes ad hoc munus comiter, & devote exequendum juxta rubricarum, & cæremonialis Ordinis apices solertissime instruat.

12. Ad devotionem, cultum, & pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam invitet illos sæpissime, & sic ad ejus dilectionem provocet, eamque velut signaculum ipsorum cordibus infigat, ut nihil sit in ore, nihil in mente, vel opere, quod Mariam non resonet, nihil eis sine Maria sapiat, nihil cum Maria displiceat, & cuncta in ejus nomine aggrediantur, & gerant qui ejus officio parvo in Choro non interfuerit, id privatim inviolabiliter compleat. Post cœnam autem, tam Novitii, quam Professi quinque Rosarii decadas cum Litania Lauretana devotissime in Oratorio recitent, quibus peractis examen conscientiæ faciant per aliquam morulam ad arbitrium Magistri, posteaque sibi ipsis, & Dormitorio benedicant antequam ad quietem se recipiant.

13. Singulis sextis feriis, vel alia ejusdem hebdomadæ culpas dicant Magistro Capitulariter congregato, quos autem ille aperte negligentes, aut lapsos in aliqua regulari culpa deprehenderit, verbo, & opere corrigat, non quidem acerbe, vel acriter, sed suaviter, & mite, ut eos ad meliorem frugem potius benignitate, quam severitate inducat, quo modo in Capitulo, vel ubicumque objurgati fuerint, a Superiore veniam captare debeant instituat; aliquando etiam sine causa tam Novitios, quam Professos nonnulla mortificatione prudenter exerceat, vel interdum ad punitionem præparari jubeat, ut animi promptitudinem ad obediendum agnoscat.

14. Novitius se semper in sua Cella contineat, nec ad aliam transeat sine licentia Magistri, nullibi oculos sublimes habeat, sed dimissos sibi aliquid danti, & auferenti, aut etiam improperanti, vel laudanti, se devote, & humiliter inclinet. Prospera, & adversa unanimiter, & æqua fronte suscipiat, de re nulla cum alio contendere audeat, nec se, vel alium proterve defendere, si fratri suo scandalum ingerat, prosternat se ad pedes ejus donec illum surgere jubeat.

15. Cum sæcularibus nullo modo Magister eos colloqui permittat, & cum parentibus rarissime, & a se prius obtenta licentia, cum fratribus Conventus nullam consuetudinem habeant nec ad brevissimum sermonem, aut moram ipsis adhæreant, sed juxta illos submissis oculis silentes transeant nullam penitus respondendo aut interrogando præbentes occasionem ad alloquia, multo magis eorum Cellas ingredi caveant, etiam vocati nisi a Prælato dumtaxat.

16. A domu Novitiorum semper bini egrediantur, & non aliter professos quantum fieri possit idem servare intendimus. Epistolas neque scribant neque mittant, sive recipiant sine licen-

tia Magistri, qui eas primo legat. Similiter neque in refectorio, seu extra cuiquam aliquid largiantur, aut mittant, neque sibi ab aliis oblata (nisi a solo Prælato) suscipiant sine venia ipsius Magistri, qui propterea quidquid eis opus fuerit, provideri solicitet secundum possibilitatem Conventus.

17. Disciplinas singulariter frequentes suscipiant prout devotionis fervor, & spiritualis necessitas exigat, verumtamen non eas imprudenter assumant, sed cum discretione, & consilio Magistri, præter Conventuales, & a Constitutione præfixas in vigiliis communionis totus Novitiatus communem disciplinam accipiat, ad quam omnes Magister prævio sermone accingat aliisque dispositionibus, & exercitiis præparari studeat, ut digne ad cæleſtem mensam accedant.

18. Omnibus Novitiis assignetur a Prælato qui eos plano, & vulgari cantu instruat sub pœna suspensionis ab officio per sex menses, & præter hanc artem ad nullam aliam scientiam nisi Philosophiam, seu Theologiam eos quomodocumque distrahere permittimus, nisi peracto integro anno, in quo de rebus Ordinis Divino officio rite, & debite recitando, & perite cantando, & de Constitutionibus, & regula satis superque fuerint edocti, qua de re omnem dispensandi facultatem Provinciali atque etiam Magistro Generali detrahimus.

19. Novitios tam Clericos, quam laicos, ita Novitiatus clausura contineat, ut in receptione usque ad emissam professionem nemo inde exeat quocumque quæsito colore, vel prætextu ad fratrum cuilibet ministrandum tam transeunter, quam permanenter cujusque gradus, & conditionis extiterit, etiamsi fuerit Prælatus, neque commune aliquod officium Conventus singulatim extra novitiatum exerceant, sed bini dumtaxat aut plures nulla rursus eis copia fiat a Monasterio egrediendi nisi ad aliquem communem actum comitante eos semper Prælato aut Magistro.

20. Si vero aliquis Novitius clausuram frangat, & septa Monasterii etiam per brevem moram, & habitu non dimisso prætereat, quacumque mente id faciat, etiamsi animo redeundi, non admittatur denuo, nisi facti vehementer pœniteat, & iterum incepto probationis anno a tempore, & hora sui reditus, & novæ receptionis ad Ordinem quæ omnia adnotari debent in libro receptorum prout sic gesta fuerint, ut sciatur quod usque dum vergat eadem hora post annum a regressu profiteri non potest.

21. Sed quoniam semper sæculum expugnare Novitios bello suo durissimo non dubitamus, idcirco pro illis sobrie Magister invigilet, ne de omnibus sibi traditis perdat quemquam, unde si mœstum aliquem, tædiove affectum deprehenderit, prudenter, & bonis actibus a pravis suis cogitationibus avertat, injungat illi ferventius orare, jejunare parcius, confiteri, & communicare frequentius. His enim talis Diabolus deterretur, & vincitur. Cum autem sic illum monuerit forte lucrabitur collabentem, si tamen ab eo despectus perierit, sciat sanguinem ejus de manu sua requirendum esse.

CAPUT VI.

De admissione Novitiorum ad Professionem.

1. Cum dicat Apostolus: Omnia probate, & quod bonum est tenete, proinde non omnes, aut quoscumque Novitios eo solum quod Novitiatum impleverint ad professionem suscipimus, sed eos tantum, quos integer probationis annus, & morum integritas idoneos ad Ordinem ostenderint, nec informatio authentica indignos aliunde prodiderit.

2. Sed ne in re tam gravi defectu declarationis, aut qualibet alia causa male fiat admissio, consentaneum inculcare duximus, quæ ad legitimam professionem jure communi, & nostro requiramus. Primo enim nullum ad professionem admittimus, nisi completo anno ab ætatis suæ, & uno integro probationis, quem quidem annum etiamsi Novitius intraverit ante 15. ætatis suæ, declaramus canonice non incipere usque ad ejus finem, quo perfecte a puncto in punctum elapso fieri debet professio, etsi aliter attentetur sit invalida, & irrita juxta sanctiones Concilii Tridentini, quæ omnia constare debent per testimonia de Jure legitima.

3. Insuper antiquis nostris Constitutionibus inhærendo irritam & inanem declaramus professionem eorum, quos ad eam Prælatus admiserit inconsulto Conventu, & absque majoris partis sui Capituli consensu, qui tamen Prælatus sine illo, aut sine prædictis conditionibus Concilii Tridentini quemquam ad professionem ausus fuerit admittere, officio, & dignitatibus, ac voce activa, & passiva, maneat perpetuo privatus.

4. Similiter juxta motum proprium Sixti V. ab Alexandro VII. in constitutionibus nostri Ordinis confirmatum, inaniter, & irrite ipso facto profiteri statuimus, eos omnes qui ex sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum fuerint progeniti, poterunt tamen ii de licentia Magistri Generalis, aut Provincialis, juxta motum ejusdem Sixti, ad professionem Conversorum admitti; si alioquin bona indole, & morum honestate sint præditi, nec eos aliquod juris, seu nostræ Constitutionis impedimentum afficiat: Prælatus vero, qui hujusmodi natalium defectus habentes ad professionem, vel etiam receptionem scienter admiserit, vel informans in informationibus simulaverit, gravissimis pœnis, a Sixto V. inflictis, & in superiori parte jam declaratis, severissime plectendos esse denuntiamus.

5. Sub eadem insuper nullitate professionem nostram interdicimus universis alienæ professionis Fratribus; nisi de Nobilibus Ordinum Militarium extiterint: juxta decreta SS. Pontificum, Urbani VIII., & Alexandri VII., ac nostri pariter Ordinis instituta; Superius quoque in cap. 3. hujus dist. ordinata. Quicumque autem prædictis in hoc capite conditionibus, aut defectibus laborantes ad professionem nostram accesserint, & obreptitie, ac subreptitie id est affectata falsitate, vel tacita veritate illam emiserint, quocumque tempore id appareat, protinus ab Ordine nostro expellantur, ut inaniter ipso facto professi.

6. Prælatis vero præcipimus sub excommunicationis sententia ipso facto incurrenda ut quando Novitius vocatur ad professionem suscipiendam, protestentur illi, non esse mentem eorum Conventus, nec Ordinis consentire ad ipsam si contagiosam occultam, aut incurabilem aliquam infirmitatem, servitutem, conjugium, alienæ pecuniæ obligationem, seu genus ab Hebræis supra quartam etiam generationem, vel Mauris, sive a S. Inquisitione directe, vel indirecte fidei causa punitis, aut ab aliis quomodocumque nota dedecoris inustis, celaverit; dum tamen labes, macula, & infamia, omnino extincta non sit.

7. Rursus declaramus professionem in Ordine nostro debere semper fieri solemniter in manibus Prælati.

8. Si ab Ordine nostro Novitius aliquis repellendus sit, Prælatus exposita prius Capitulo, causa expultionis de consilio ipsius tonsuram radat, & habitu illum exuat dicens: *Ego auctoritate Domini Nostri Jesu-Christi, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli ab Ordine mihi tradita, exuo te habitu Novitiorum nostri Ordinis, & ab illius observantia te absolvo, & restituo te in priorem statum sæcularem in quantum ego possum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

9. Verumtamen Prælato consulimus, ne sit

ubique facilis in expellendis Novitiis, nec nimis pium se præbeat in ipsis retinendis. Qui autem frigescente vocatione voluerit repetere sæculum; non statim dimittatur, donec eum aliquo interjecto tempore pii Fratres exhortentur, ut si forte levitate aliqua, vel Diabolica fraude deceptus in hanc cogitationem inciderit, ad perseverantiam excitetur. Si tamen admonitus renuerit, suo relinquatur arbitrio, & si nondum fuerit sui juris, benigne Parentibus, aut tutoribus tradatur.

10. Cum vero in sua vocatione perseveraverit, intra duos menses professioni proximos proponendus est a Prælato Capitulo, ut per suffragia secreta probetur, aut reprobetur ad illam; Prius tamen procedendum est ad informationem, & testimonium, quod de illius (etiam Laici) habilitate, & aptitudine reddere debet coram Capitulo Magister Novitiorum, cui præcipimus in virtute obedientiæ, ut quos expertus fuerit in Novitio defectus professionis merito refragantes absque ullo studio, animique affectione patefaciat, an illum videlicet durum, & protervum in obediendo notaverit, an superbum, rixosum, inquietum, & seminatorem discordiarum, an stupidum, rudem habentem, an corporis habitudine, vel indolis pravitate observantiis regularibus adversum vel incommodum, an turpi vitio a natura, seu inveterata consuetudine subjectum, ob aliumve quemcumque notabilem defectum professione indignum. Qui autem his, & similibus, seu corporis, seu animi morbis de more laboraverit, nullatenus ad suffragia admittatur, sed confestim de consilio Capituli rejiciatur a Prælato: quod si undequaque dignus appareat, statim per secretos calculos ad approbationem, vel reprobationem procedatur, ubi Fratres juxta testimonium Magistri Novitiorum, & proprium quod fecerint de Novitio judicium, eum omni æquitate repellant, vel suscipiant.

11. Demum hujusmodi Novitiis, jam ad professionem admissis denuntiamus quod si intra duos præfatos menses, & non antea quidquam de suis bonis habitis, vel habendis disponere voluerint, libere id faciant, præmissa licentia Ordinarii, juxta dispositionem Concilii Tridentini.

CAPUT VII.

De professione, ejusque solemnitatis forma.

1. Cum jam dies advenerit, qua Novitius profiteri debeat (sive id sit in Ecclesia post Offertorium, sive in Choro, aut Capitulo) constituatur a Magistro genibus flexis ante Prælatum, cui sub excommunicationis sententia præcipimus, ut prius quam ab eo Novitius professionem, & vota suscipiat, singulorum substantiam & vincula ei graviter exponat: quid nempe illum obliget votum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & præcipue quartum speciale nostri Ordinis ex visceribus, primævaque institutione ipsius emanans; vi cujus Fratres nostri absolute promittunt redimere captivos, & ulterius, & æque absolute se tradere in pignus & quæcumque vitæ discrimina pro periclitantibus in fide, quos jam argento, vel auro redimere non potuerint.

2. Post hæc debet illi proponere omnia incommoda, & asperitates Ordinis quodque eas observare debet, prout in Constitutionibus continetur. Quibus sic expositis interroget professurum: an ipse bene perpensis, eligat potius manere in Religione, quam ad Sæculum reverti; quo asseverante surgat Prælatus dicens: *Dominus qui incœpit ipse perficiat.* Et Fratres respondeant, *Amen.* Postea vero illum exuat Caputio, Cappa, & Scapulario sub his verbis: *Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus suis.* Et Chorus respondeat, *Amen.* Ad hæc insuper benedictionem habitus in hanc formam adhibeat.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui regimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum quod Sancti Patres ad innocentiæ, & Sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui hoc usus fuerit te induere mereatur: qui vivis, & regnas &c.

Deinde aspergatur aqua benedicta: tunc flexis genibus Novitius ter dicat hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Et ter respondeat Conventus: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui. Gloria Patri &c.* Postea induat eum Prælatus vestibus benedictis dicens: *Ego auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & auctoritate ab Ordine mihi commissa, do tibi habitum Professorum Ordinis nostri in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et quando incipit induere, dicat: *Induat te Deus homine, qui secundum Deum creatus est in justitia, sanctitate, & veritate*; tunc prosternatur Novitius, & Prælatus dicat.

OREMUS.

Deus Misericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil sanctum inchoatur, nihilque boni perficitur, adsint nostris precibus aures pietatis tuæ, & hunc famulum tuum cui in tuo Sancto Nomine, habitum Sacræ Religionis nostræ imposuimus a mundi impedimento, & sæculari desiderio defende; & concede ei, ut in hoc sancto proposito devotus persistere, & remissione peccatorum capta ad electorum valeat pervenire consortium. Per Christum, &c. Amen. Deinde dicat. *Psalm.* 132.

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum.

Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in Sæculum. *Gloria Patri.*

Quo finito Prælatus incipiat Litanias, & Conventus respondeas ut sequitur.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus. Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus. Mis. nobis.
Spiritus Sancte Deus. Mis. nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Mis. nobis.
Sancta Maria. ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.
Sancte Michael. ora.
Sancte Gabriel. ora.
Sancte Raphael. ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro nobis.

Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines. orate pro nobis.
S. Joannes Baptista. ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ. orate pro nobis.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Jacobe. ora.
Sancte Joannes. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Jacobe. ora.
Sancte Philippe. ora.
Sancte Bartholomæe. ora.
Sancte Matthæe. ora.
Sancte Simon. ora.
Sancte Thaddæe. ora.
Sancte Mathia. ora.
Sancte Barnaba. ora.
Sancte Luca. ora.
Sancte Marce. ora.
Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ. orate pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini. orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes. orate pro nobis.
Sancte Stephane. ora.
Sancte Laurenti. ora.
Sancte Vincenti. ora.
Sancte Petre Paschasi. ora.
Sancte Petre Armengaude. ora.
Sancti Fabiane, & Sebastiane. orate.
Sancti Joannes, & Paule. orate.
Sancti Cosma, & Damiane. orate.
Sancti Gervasi, & Protasi. orate.
Omnes Sancti Martyres. orate.
Sancte Silvester. ora.
Sancte Gregori. ora.
Sancte Ambrosi. ora.
Sancte Augustine. ora.
Sancte Hieronyme. ora.
Sancte Martine. ora.
Sancte Nicolae. ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confessores. orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores. orate.
Sancte Pater noster Petre. ora.
Sancte Antoni. ora.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Bernarde. ora.
Sancte Dominice. ora.
Sancte Francisce. ora.
Sancte Pater Raymunde. ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ. orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ. orate.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Agata. ora.
Sancta Lucia. ora.
Sancta Agnes. ora.
Sancta Cæcilia. ora.
Sancta Catharina. ora.
Sancta Anastasia. ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ. orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. Intercedite pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis Domine.
A damnatione perpetua. Libera nos Domine.
Ut regularibus disciplinis nos instruere digneris. Te rogamus audi nos.
Ut præsentem Fratrem conservare, & visitare digneris. Te rogamus.
Ut statutum nostrum roborare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut nos in tuo sancto Servitio conservare digneris. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui non mortem peccatoris, sed per pœnitentiam, & emendationem vitam semper inquiris, te suppliciter deprecamur, ut huic famulo sæcularibus actibus renuntiante large pietatis tuæ gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitæ præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis te donante percipiat per Christum &c.

OREMUS.

Deus, qui renunciantibus sæculo mansionem præparas in Cælo, dilata hujus Sanctæ Congregationis temporale habitaculum cælestibus bonis, & præsta, ut fraterna teneantur compagine, charitatis unanimes, continentiam præceptam custodiant; sobrii, simplices, & quieti, Professionis donum in Ordine tuo sibi datum fuisse, gratia cognoscant, concordet eorum vita cum nomine, ut professio sentiatur in opere. Per Dominum &c.

OREMUS.

Deus, qui nos a sæculi vanitate conversos ad æternæ vocationis accendis amorem, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quæ te donante, promisimus impleamus, ut nostræ professionis executores effecti ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere pertingamus.

3. Deinde surgat Novitius & professionem a se, vel ab alio conscriptam, publice faciat, & legat in hac forma. Ego Frater N. filius ex legitimo Matrimonio. N. & N. in loco (urbe, vel oppido) N. natus, & procreatus, facio professionem, & promitto obedientiam, paupertatem, & castitatem observare, Deo, & Beatissimæ, ac immaculatæ Virgini Mariæ, atque Beato Parenti Nostro Divo Petro Nolasco, & tibi N. Commendatori hujus Domus N. regalis Ordinis ipsius immaculatæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Vice Reverendissimi P. N. Magistri Generalis, & successorum ejus, secundum regulam S. P. N. Augustini, & Constitutiones prædicti Ordinis, prout in eis continetur, eroque obediens tibi, & successoribus tuis, usque ad mortem, & in Saracenorum potestate, in pignus, si necesse fuerit, ad redemptionem Christi fidelium detentus manebo.

4. Exinde vero prosequatur in hæc verba: Quam professionem sponte, & libenter emitto, peracto jam integro probationis anno, & præmissis omnibus requisitis, juxta Concilii Tridentini decreta, & prædicti Ordinis Constitutiones, quæ omnia rite, & legitime in me processerunt, & debite facta sunt: In cujus rei testimonium, hanc Canonicæ professionis attestationem feci, & propria manu subscripsi.

5. Hic autem memoret Conventum, ubi profitetur, & annum Domini, diem, mensem, & horam, ac etiam annum fundationis, & revelationis Ordinis ab immaculata, & fundatrice nostra, & postea se subscribat; quæ omnia contestari debet Prælatus, & alii duo Fratres, pariter subscribentes; liber autem professionum semper in deposito Conventus diligentissime custodiatur. His rite peractis, dicat Prælatus.

℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

℟. A Templo Sancto tuo quod est in Hierusalem.

6. Deinde donet ei Communem societatem Professi, manus suas claudens, & dicens: Omnes quamvis per gratiam Baptismi Fratres simus in Christo, & unum Patrem habeamus in Cælo, si ejus præceptis prout possumus obsequimur, proculdubio tunc maxime unimur, quando orationibus, & beneficiis invicem nosmetipsos copulamus; quemadmodum, & in primitiva Ecclesia, quibus cor unum erat, & anima una, quorum vitæ amore plures accensi, possessiones, & facultates rerum vendentes congregatis cum Matre Jesu in unum pretia deferebant, gaudentes, quæ accepta Apostoli tradebant omnibus ut opus erat; sicque iste ut proficiat in Domino ipso inspirante, & eorum exemplo communitus, nostris optat jungi consortiis. Idcirco damus ei communem societatem vivendi nobiscum, quantum a Domino possumus promereri, & nostrum est elargiri, quatenus cum electis a remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere. Per Christum &c. Amen.

7. Tandem vero ipse Prælatus, cum reliquo Conventu suscipiant illum ad osculum, & amplexum pacis, tamquam Fratrem sibi jam cohærentem, quem iterum ad pedes ipsius redeuntem . . . . . admonet, ut gratias Deo referat pro tanto munere adepto, & ei designet postremum locum inter professos sui status.

CAPUT VIII.

De regimine Professorum, eorumque promotione ad Sacros Ordines.

1. Post professionem itaque, ne Fratrum adolescentia, sine recto, & severo moderamine diffluat, nec eis sub propria Cella, proprium nutum, & libitum relinquamus, eapropter statuimus, ut professi nostri debeant esse sub potestate Magistri Novitiorum, donec ad Presbyteratum ascendant, ut illos eo tempore Novitiatus contineat cum dormitorio, & Cellulis, quantum fieri possit a Novitiorum convictu separatis. Inde autem non egrediantur, nisi cum licentia Magistri, vel socii, qui eorum vitam dirigere, & cum Novitiis virtute, & timore Domini, regularibusque disciplinis instruere debent. In Choro ad omnes horas eos non sedere permittimus, sed stantes pariter cum Novitiis recitare, vel canere.

2. Laicorum etiam educationi providentes pariter constituimus, ut professi Laici per septem annos a professione subjaceant Magistro Novitiorum, qui similiter quantum potuerit, eorum curam sustineat, & regularibus imbuat disciplinis, ac præsertim Catechismum Catholicum, quam frequenter ipsis ut rudioribus, & illiteratis aperiat.

3. Strictissime autem Prælatis præcipimus, ut neminem ad Sacros Ordines promoveant, nisi decursis a professione tribus annis, & non aliter. Licentiam vero ad Ordines suscipiendos, nullam posse Prælatum præbere declaramus, nisi Provincialem in sua Provincia, & pro toto Ordine Magistrum Generalem, quibus iterum in virtute S. Obedientiæ præcipimus, ne cuiquam ex Fratribus nostris, tribuant licentiam, vel eos permittant ad Sacros Ordines promoveri, nisi juxta formam Concilii Tridentini, & cognita prius eorum sufficientia, debita ætate, morum honestate, & literarum peritia, a se vel examinatoribus comprobata, quibus sub eodem præcepto subjungimus, ut in hoc examine se fideliter, & exacte gerant. Ipsique, vel Prælatus a quibus examinatus fuerit ordinandus, referant Capitulo Conventus, quæ circa ejus habilitatem, aut inhabilitatem compererint. Capitulum vero (ex illis tantummodo congregatum, qui sacris sunt initiati, eademque solemnitate, & conditionibus, quas pro recipiendis ad Ordinem, & professionem ordinavimus) procedat ad probationem per suffragia secreta, quam utique omni æquitate facient, juxta sufficientiam sibi a Prælato, vel examinatoribus declaratam, & juxta mores, & dignitatem vitæ, quam in ordinando fuerint experti, quorum si major pars ordinando faveat, maneat approbatus, sin autem repulsus, donec de suis se defectibus corrigat, & reddat habilem Ordinibus. De his quidem omnibus Commendator, per literas testimoniales certiorem faciat Magistrum, vel Provincialem, ut rite, & Canonice suas literas dimissoriales expediat.

4. Obtenta igitur jam licentia, strictissime præcipimus Commendatori, ut qui Sacris Ordinibus initiandus sit, per decem dies continuos non patiatur egredi de Conventu, nec Cella, nisi ad actus Conventuales, & Spiritualia Communitatis exercitia, quibus ulterius alia superaddat; ut se ad novum statum condigne disponat, & indulgentiarum beneficia, quæ Paulus V. per dictorum se dierum spatium præparantibus indul. sit, assequatur.

5. Fratres Clerici, qui sine licentia Magistri Generalis, aut Provincialis, eorumve loca tenentium seu falsatis, vel suppositis eorum literis, si quæ etiam quibuscumque aliis subreptitie suffulti Sacros Ordines susceperint; careant spe dispensationis in Ordine nostro ad illorum exercitium, & habitu exuti a Magistro Generali, vel Provinciali, de consilio duorum Prælatorum mittantur ad triremes per tres annos, de quarum tamen pœna Magister in Capitulo Generali, cum ejus Diffinitoribus ex justis solum, & rationalibus causis poterit dispensare.

6. Si Frater Laicus statum Clericalem, & consequenter minores, & Sacros Ordines suscipere intendat, nullo modo ad id indulgeri, nec facultatem a Provinciali, quacumque ratione obtinere valeat, nisi consulta prius Sacra Congregatione regularium, & cum illius expressa approbatione, sub pœna excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum, & dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, aliave in posterum obtinenda, in quo etiam taxatur potestas Magistri Generalis, sub eisdem pœnis.

7. Quod si Frater aliquis Laicus absque prædictis licentia, & approbatione Sacris Ordinibus initiari ausus fuerit, confestim damnetur ad triremes per sexennium, quarum pœnam sic severe infligimus ut Prælatos omnes, eam non exequentes, a Divinis in utroque foro suspendamus.

CAPUT IX.

De Monialibus.

1. Cum omnibus utriusque sexus Deum in Ordine nostro colentibus debitores simus non-

nulla

nulla Monialibus nostris conferre statuta decrevimus, ut de illis, etiam quantum possumus provideamus; eas igitur omnes, quæ subsunt nostro Ordini ipsius Magistro Generali, & Provinciali subjicimus, quibus sit cura, ut illæ Regulam S. P. N. Augustini sine offensione custodiant, nec non antiqua documenta, & constitutiones sanctimonialium nostri Ordinis cum modificationibus, aut reformationibus constitutionum particularium cujuscumque Provinciæ, vel Conventus; in reliquis autem ad omnium illarum regimen & directionem pertinentibus canones Ecclesiæ sedulo observari præcipimus.

2. Rursus declarando sancimus, ut solum ad Magistrum Ordinis vel Provincialem, seu utriusque locum tenentes privative licentiam ad ingressum, & professionem nostrarum Monialium in scriptis semper expediendam conferre pertineat. Quo circa diligenter caveant, ne quæ ad Chorum admitti postulant ingressum assequantur, nisi perite noverint latine legere, ut debite horas, & Divinum officium persolvere sufficiant. Iisdem quoque conditionibus, aliis de Jure communi & suarum Constitutionum particularium requisitis diligenter invigilent, quibus rite cognitis, & examinatis, per se, vel alios a se designatos, illas ad habitum, & professionem suscipiant.

3. Cum & visitationes facere ad eos consequenter pertineat, similiter constituimus; ut per se quoque, aut Visitatores idoneos earum Monasteria semel in triennio visitent. Ulterius, electionibus Commendatricium præsideant, vel alios Ordinis Fratres delegent industria, zelo & prudentia præditos, qui totam electionem peragant, & conducant secundum Decreta Concilii Tridentini sessione 25. cap. 6., & 7.

4. Insuper ordinamus, ut in Diffinitorio Capituli Provincialis cujuslibet Provinciæ eligantur Confessarii pro singulis Sanctimonialium domibus Ordini subjectis, viri quidem provectæ ætatis, & sensuum potius canitie, vel maturitate pollentes, literis etiam, & prudentia decori; quibus severe præcipimus, ne aliquando Clausuram Monialium ingrediantur, nisi dum casus urgeat a jure permissus, quo tamen eveniente numquam solos eos ingredi patimur; sed cum uno socio viro similiter probato, qui ab eorum latere nunquam recedat, sed semper alter ab altero videatur.

5. Præter hos autem, nemo ex aliis Ordinis Fratribus cujuscumque conditionis existat prædictam clausuram ingredi præsumat, quin facultatem a Magistro Generali, vel Provinciali, in scriptis obtineat, quos enixe monemus ne in ea elargienda nimis faciles se præbeant, & proclives, sed in casibus a jure, & Apostolicis Constitutionibus dumtaxat præfixis sub pœnis, & Censuris in illis contentis.

6. In Conventibus denuo erigendis nullam Monialium suffragium habere volumus pro electione Commendatricis, nisi elapsis ab eorum constructione duodecim annis: interea tamen pertineat electio ad Magistrum Generalem, vel Provincialem, quibus inerit potestas eam faciendi de Monialibus ipsius Conventus, vel alterius nostri Ordinis, prout magis expedire judicaverint, quæ quidem electio de triennio in triennium est semper agenda.

7. Etiamsi Moniales nostræ Institutum, & Votum Redemptionis opere adimplere non valeant, quia tamen mens, & animus sunt satis ad meritum, & ferventis cordis oratio aliquando vincula contrivit, idcirco universis nostri Ordinis Monialibus constituimus, ut in orationibus, & spiritualibus exercitiis, specialiter orent pro Captivis, & Redemptoribus, eorum maxime, dum in redemptionis actu versantur, pro quibus a dimissione illius, usque ad regressum eamdem deprecationem in Choro facere præcipimus; prout superius Distinct. 2. Cap. 7. ordinatum est.

8. Quo circa eisdem severissime præcipimus ut in suis Ecclesiis Capsellam, arculamve habeant; in quam fideles pro redimendis Captivis eleemosynas inferant; tandem in id juste incumbant, ut Sacrista, seu alia persona singulis diebus præfatam eleemosynam exigat.

CAPUT X.

De Susceptione, & Regimine Tertiariorum.

1. Monialibus utcumque directis, expedit etiam, ut Tertiarios non prætermittamus, de quorum pietate bonum in Christo odorem ab ipso Religionis limine plerumque suscepimus, ut illis ergo cujuscumque sexus extiterint, non sine delectu, & consilio Ordinis pateat ingressus, præcipimus Commendatoribus, & Prælatis localibus, ne unquam Tertiarium aliquem, vel Tertiariam instituant, nisi prævia in scriptis Magistri Generalis, vel Provincialis facultate.

2. Circa Tertiarias autem non claustraliter viventes nullam omnino licentiam a prædictis Magistro, & Provinciali dispensari volumus nisi prius fide digno Testimonio eis constet de morum integritate, & rei familiaris copia, quæ victui sufficere possit, cum reliquis qualitatibus ad id jure requisitis.

3. Sub dictis ergo conditionibus, & non aliter, præfatus Magister, aut Provincialis, licentiam tribuant Prælato locali, ut possit ejusmodi fœminas induere. Huic autem stricte præcipimus, ut tam in istis, quam in aliis cujuscumque sexus Tertiariis induendis, servet omnino Breve Apostolicum S. D. N. Innocentii XI. Ordini nostro expeditum, quod incipit: *Nuper pro parte &c.* Datum Romæ die 30. Septemb. 1680. ubi statuitur non licere Superioribus localibus Ordinis delegare auctoritatem conferendi habitum prædictis Tertiariis, sed hoc pertinere ad ipsos privative, posse tamen semel indutos per se ipsos regere, & instituere, vel si mallent aliquem Fratrem Ordinis designare, virum probum, & spectabilem, qui eos inserviat in iis, quæ observare debent.

4. Omnibus vero Tertiariis utriusque sexus, tam intra, quam extra claustra degentibus salubriter constituimus, ut primo Regulam Sancti P. N. Augustini præ manibus habeant, & prout congruat statui inviolabiliter observent, ulterius etiam Constitutiones pro ipsorum modulo, & conditione contextas ad observantiam ducant, & super omnia sic Prælatis obediant, ut juxta suum propositum, aut simplicem Votorum Professionem, pie, & laudabiliter vivere censeantur, & dignam retributionem promereant a Domino. De his ergo debet eos impense præmonere Director illorum, & plus, minusve hujusmodi regularis disciplinæ observantias, & obligationem commendare, secundum eorum distinctionem, & vitæ ab ipsis propositæ differentiam.

5. Universis tamen pium onus pro Captivis orandi subjungat, quia illorum redemptio est specialis finis Ordinis nostri cujus habitum, seu Professionem, qui quomodocumque susceperit eorum subsidio respective se consecrat, ut pro illis redimendis, quantum possit, & se adstringerit elaboret, aut saltem pretium orationis impendat.

6. Præterea Director, Tertiariis omnibus claustraliter viventibus declaret eos in hujusmodi pietatis præmium cunctis potiri gratiis, indulgentiis, peccatorumque remissionibus Fratribus professis nostri Ordinis indultis absque ullo penitus discrimine juxta formam, & tenorem Bullæ in eorum favorem a SS. Innocentio XI. specialiter expeditæ, quæ incipit: *Cum sicut,* sub

Datis Romæ die 8. Augusti 1681. claustraliter vero non viventibus indulta edisserat, & gratias ipsismet ab eodem Innocentio XI. concessas juxta Bullæ seriem *Nuper pro parte* incipientis sub datum ibidem die 22. ejusdem mensis, & anni.

CAPUT XI.

De Confraternitatibus Scapularii nostri Ordinis, deque institutione, & sodalitatibus eorum.

1. Quamquam ab antiquis temporibus, ex Constitutionibus Apostolicis usus semper viguerit præfatam Confraternitatem erigendi, ipsique alias extra Ordinem aggregandi; dudum tamen SS. Clemens IX. in sua Bulla, quæ incipit: *Insuper eminenti* sub Datis Romæ 7. Idus Septembris, Anno Incarnationis Domini 1668. sui Pontificatus secundo de integro facultatem indulsit, tam Magistro Generali nostræ observantiæ, quam etiam vice Generali ejusdem Excalceatæ familiæ, eorumque respective Procuratoribus Generalibus in perpetuum, ut utriusque sexus Confraternitates, tam sub invocatione B. Mariæ de Mercede, quam alia quavis nuncupatione, ubique locorum erigere, & instituere valeat, illasque sic erectas, & institutas illius Archiconfraternitatibus aggregare, ipsisque communicare omnes ejus gratias, privilegia, & indulta; servata tamen forma a SS. Clemente VIII. super hujusmodi erectionibus, & aggregationibus constituta.

2. Ex his autem ubicumque erigenda sit Confraternitas nostri habitus sub invocatione B. Mariæ de Mercede, tam in Ecclesiis Ordinis, quam extraneis semper id fiat de consensu, auctoritate, & Literis Magistri Generalis Ordinis; vel ejusdem Procuratoris Generalis in Urbe, qui quidem consensus, & Literæ in capite Libri ipsius Confraternitatis intexantur.

3. Ut igitur in Confraternitatibus erigendis forma a Clemente VIII. præscripta servetur, prædictus primo Magister, aut Procurator satagere debet, ut ante omnia facultas ex Ordinario loci, ubi Confraternitas sit instituenda comparetur, cujus Literis testimonialibus sibi liquido constet de approbatione illius, & ejus Christianæ pietatis, & Statutorum, quibus exercere intendit; secundo cavere debeat ne inibi, alibive locorum ad tria milliaria circumjacentium, alia prius Confraternitas erecta sit, licet super hac distantia, ob justam causam ab Ordinario loci approbatam dispensare, & in loco viciniori novam institutionem facere possit. Tertio ea tantum Confraternitati, quam erigit, privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta communicare debet, quæ Ordini nostro, seu Archiconfraternitati in specie sunt concessa; non autem, quæ per extensionem, vel communicationem indulta, neque insuper hanc communicationem faciat sub generali forma, & ad instar, sed expresse, & in specie singula privilegia, & spirituales gratias referendo, prout specialiter continentur in Bulla SS. Innocentii XI. quæ incipit *Exponi nobis*; sub Datis Romæ die 23. Decembris Anno Domini 1678., & sui Pontificatus tertio, aut in aliis, quæ nunc, aut pro tempore emanaverint.

4. Ad institutionem autem hujusmodi Confraternitatis in Ecclesiis nostris, semper a quibusdam discretis Fratribus, una cum futuris sodalibus aliqua prius condantur statuta, seu leges, quibus recto Ordine juxta finem ejus, & pietatis officia dirigatur, inter quæ id minime prætermittendum quod scilicet Prælatus Domus, vel Frater alius ab ipso designatus sodalium Congregationibus intersit, tamquam eorum director, & Voto gaudens decisivo in omnibus.

5. Et ne, quod in nostri Ordinis beneficium a Summis Pontificibus concessum fuit ipsi aliquando noceat, ordinamus, ut Magister Confraternitatem nostram in alienis Ecclesiis præsertim regularium, non instituat nisi sub hac expressa conditione, quod si noster Ordo domum in eodem loco temporis decursu fundaverit, institutio Confraternitatis in aliena Ecclesia facta, eo ipso penitus expiret, & nullius reddatur valoris, quin potius Magister novam tunc erectionem in Ecclesia nostra servatis servandis facere possit. Hæc autem omnia sic firmare studeat, ut tam Superiores cæterarum Ecclesiarum, in quibus instituenda fuerit Confraternitas, quam ipsi Confratres juramento promittant, se nunquam directe, neque indirecte, nec per se, neque per alios impedimento fore, quo minus nos, si occurrat occasio, novum ibi Monasterium acquirere valeamus; imo expresse protestentur se ad id quatenus opus fuerit ex nunc pro tunc suum præbere consensum.

6. Cæterum quia, & erectio nostræ sodalitatis Scapularii, & aggregatio alterius ad illam semper debet cedere in Beneficium Redemptionis, ut in illam utraque, juxta mentem, & verba præfati Clementis X. sedulo incumbat. Idcirco tam sodalibus nostræ Confraternitatis de Mercede, quam alterius isti aggregatæ statuimus, ut primo sodalem aliquem designent, qui diebus festis petat eleemosynam pro captivis in Ecclesiis ad prædictas Confraternitates respective pertinentibus: secundo, ut singulis diebus omnes sodales utriusque sexus ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitent, pro patientia, & fortitudine Captivis fidelibus impetranda: tertio, ut Confratres nostri jejunent Sabbatis, omnibusque Vigiliis Festorum Beatæ Virginis Mariæ præcipue revelationis, & apparitionis ejus ad nostri Ordinis fundationem.

7. Qui ergo Confrater esse voluerit rite, & recte susceptus, & bonorum omnium spiritualium, quæ nostræ sodalitati Scapularii ex dispensatione Apostolica sunt concessa, fieri particeps, in libro Confraternitatis conscribi debet, & Scapularium ab aliquo Superiore Ordinis, vel ab eo potestatem habente benedictum, una cum scuto suscipere, juxta formam, sequenti capite, tradendam, illudque jugiter deferre, quamquam eo amisso, usuve consumpto possit aliud non benedictum assumere. Potestas autem ad benedictionem Scapularii præstandam, sit privative penes omnes Ordinis Prælatos, hoc tamen servato discrimine, quod Magister potest illud pro tota Ecclesia benedicere. Provincialis pro tota Provincia, & uterque pariter benedictionem, & traditionem ejus delegare. Prælatus vero localis non ad benedictionem, sed ad traditionem dumtaxat illius suam facultatem subdelegare valet. Insuper, ut sodales actu consequantur indulgentias, & gratias nostræ Confraternitati concessas, debent opere implere omnia pietatis opera, quæ pro singulis assequendis constituta sunt a Summis Pontificibus.

CAPUT XII.

De suscipientibus ex devotione Scapularium, & recipiendis ad beneficia Ordinis, & forma utriusque servanda.

1. Si aliquis ex devotione habitum nostrum, vel Scapularium cum Ordinis signo gestare voluerit, prius illud benedicatur a Prælato, vel ab eo potestatem habente, qui simul induat postulantem, & utrumque fiat ut sequitur.

Benedictio Scapularii.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui regimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hunc habitum, quem Sancti Patres ad innocentiæ, & sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui usus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen. Deinde aspergat habitum aqua benedicta, & eo postulantem induat dicens: *Ego auctoritate Domini nostri Jesu-Christi; & Apostolorum Petri, & Pauli, & mihi ab Ordine commissa, do tibi Habitum Religionis nostræ, propter devotionem, quam geris ad Sacratissimam, & Immaculatam Matrem Dei Mariam, & Ordinem ejus, suo nomine fundatum, cum quo in præsenti gratiam Spiritus Sancti adipisci valeas, & in futuro sæculo gloriam æternam, quæ præmium est electorum: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Amen.

Postea dicatur Hymnus: Veni Creator Spiritus. Distinct. 4. Cap. 4.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperántem in te.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum (vel famulam tuam) bene ✠ dicere digneris, cui in tuo Sancto Nomine Habitum Sacræ Religionis nostræ imponimus, quem ex devotione cupit portare dum vitam duxerit in humanis, ut te largiente, & devotus (vel devota) in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2. Si quis vero desiderat Fraternitatem nostram, & Beneficiorum Ordinis nostri participem fieri, constituatur flexis genibus ante Prælatum, qui stans dicat: *Ad te levavi &c. Gloria Patri &c. ut in Distinct. 3. cap. 15., deinde Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Prætende Domine famulo tuo (vel famulæ tuæ) dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quod digne postulat assequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Et ego auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum Petri, & Pauli, & potestate mihi ab Ordine commissa, do tibi participationem in omnibus, quæ Dominus dederit fieri per Fratres nostros, sive sint Missæ, orationes, jejunia, vigiliæ, disciplinæ, prædicationes, vel alii labores, maxime Redemptionis Captivorum, ad quam noster Ordo dicatus est, sive alia quæcumque bona, ad quæ omnia, & singula, te recipio: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Amen.

Similis forma in benedicendo, tradendoque Habitu Confratres fieri volentibus observetur.

DISTINCTIO QUINTA.

De culpis, & transgressionibus Regularibus earumque pœnis.

Sicut Dominus primo plantavit Paradisum, deinde vero hominem a se conditum in eo posuit, qui operaret, & custodiret illum, & tertio tandem pœna mortis deterruit, si legem sibi latam frangeret; nec juxta loci sanctitudinem viveret: ita nos pariter ab initio in primis tribus distinctionibus Paradisum Religionis nostræ in tota substantia, & integritate plantavimus; in quarta vero Fratres posuimus, qui operentur, & custodiant disciplinam. Nunc autem cum ad quintam accedimus, eam de transgressionibus, & pœnis usque ad exilium, & repulsam ab hoc Paradiso instituimus.

CAPUT I.

De culpis Regularibus, & pœnis earum in genere.

1. Audito hic nomine culpæ, caveant Fratres, ne per illud culpam essentialem, aut Theologicam semper intelligant, quæ mortaliter, aut venialiter lædat; nomen enim culpæ in præsenti si consideretur ut pura transgressio simplicis Constitutionis, aut Regulæ, solum usurpari debet pro culpa legali, quatenus respicit pœnam legis, cui nos omnes, etiam sine vera culpa subjicimur. Alia vero transgredi possumus, quæ ex qualitatibus, vel materia ad culpam essentialem pertineant.

2. Culpas autem hujusmodi in quatuor genera dividimus, videlicet in levem, gravem, graviorem, & gravissimam. Illam quidem levem appellamus, quæ ex levi, aut veniali malitia committitur, vel est tantum pura regularis transgressio ex sola inadvertentia, cum fragilitate, & absque ulla speciali malitia procedens. Reliquas vero, vel dicimus graves ex solo majori pondere materiæ a Regula tantum, seu Constitutionibus simpliciter ordinatæ, etiamsi absit malitia, & vera ratio culpæ, vel eas graviores, aut gravissimas nuncupamus ratione adjuncti præcepti contemptus, seu gravis malitiæ, secundum magis, & minus ex lege Divina, vel Ecclesiastica provenientis.

3. Et licet ad hæc quatuor genera culparum omnis transgressio Regulæ, Constitutionum, Votorum, & quorumcumque præceptorum reducatur, eo quod materia sit semper ex se, vel circumstantiis levis, gravis, gravior, aut gravissima, non omnes tamen, sed aliquos tantum sub distinctis generibus immediate constituimus, non solum quia eas diligentius vitari intendimus, sed eo maxime, ut Prælati ad earum similitudinem pro reliquis, pœnas inferant, ubi non fuerint a lege taxatæ, & cum opus fuerit eas prohibere sub pœna gravis, gravioris, aut gravissimæ culpæ, mensuram in exemplis habeant unde pœnas prudenter, & prohibitiones addiscant.

4. Tandem itaque ut circa pœnas culparum inferius designandas, & universim omnes alias, quæ sunt in nostris Constitutionibus dispersæ, aut a Prælatis imponendæ recta ratio habeatur, ut tam jure, quam prudentia delinquentibus inferantur, decernimus, & declaramus, quod nullis pœnis in Constitutionibus, seu alibi inflictis (nisi sit pœna excommunicationis latæ sententiæ) sit aliquis in Ordine obnoxius usque dum Prælati declaratio superveniat.

CAPUT II.

De levi culpa.

1. Cum de parvis transgressionibus agimus, quas, vel nulla, aut levis malitia perpetrat, non omnes quidem ad censuram ducimus, sed quas specialiter regularis observantia commendat, & magis vitari intendimus unde levis culpa est. Si quis mox, ut signum factum fuerit non statim relictis omnibus ad Chorum devote, & festinanter Deum laudaturus se conferat. Si quis in Choro legendo, cantandove offenderit, & non statim coram omnibus humiliter se prostraverit. Si quis Divino Officio non intentus, vagis oculis, & motu incomposito aliquam mentis le-

vitatem ostenderit. Si quis in Ecclesia, Refectorio, aut Dormitorio silentium fregerit, vel strepitum aliquem concitaverit, seu ibidem riserit, sive aliis Fratribus causam ridendi præbuerit. Si quis lectiones, vel alia quæ in Choro legere, aut cantare debuit, non satis ea prævideritꝰ

2. Item levis culpa est si quis eleemosynas redemptionis exigendo, sive inter sæculares quomodocumque versando otiosa locutus fuerit, vel commiserit. Si quis in vigilia Natalis Domini non interfuerit mature Capitulo, ut prænuntiatis Redemptionis nostræ exordiis Deo Redemptori nostro mente, & corpore gratias referat. Si quis dormitando in Choro, se non sobrium, ac devotum insinuet.

3. Insuper levem culpam dicimus, si quis Altaris, vel Ecclesiæ ornamenta, seu libros non advertenter, & accurate tractaverit. Si de concessis ad usum alicui Fratri nonnulla pauca sine ipsius licentia acceperit. Si quidquam utensilium fregerit, vel emiserit; si quid cibi, aut potus effuderit, aut de hujusmodi quidpiam, sine Benedictione sumpserit. Si quis horam, qua in Conventum debet venire protraxerit. Si communi refectioni aliquando non adfuerit. Si commune mandatum leviter impositum præterierit.

4. Denique levem culpam incurrit, qui vestes suas, aut libros loco statuto non deposuerit ordinate, vel eis negligenter usus fuerit. Si quis leve mendacium dixerit. Si quis literas scribat, vel recipiat sine speciali licentia Prælati. Si quis de victu, & vestitu querimoniam fecerit.

5. De his ergo, aliisque similibus Fratres se in Capitulo accusent, & aliis humiliter veniam postulantibus injungatur a Prælato aliquis Psalmus in pœnam, quem flexis genibus recitent, vel quod Terram, aut pedes Fratrum humiliter deosculentur, qui autem de illis non se accusaverint, majorem pœnam subeant, juxta Superioris arbitrium. Sciant tamen omnes, qui hanc humilitatem impleverint lucrum indulgentiarum assequi a Paulo V. Apostolica dignatione dispensatum.

CAPUT III.

De gravi Culpa.

1. Gravis culpa est, si quis ultra modum cum aliquo in judicio contenderit. Si Frater cum Fratre intra, vel extra Monasterium lites habuerit. Si quis alicui Fratri aliquam non gravem contumeliam objecerit. Si quis in alium Fratrem se verbis inordinatis invexerit. Si quis jejunia Ordinis sine justa Causa violaverit. Si quis ad communes disciplinas non convenerit. Si quis ab Oratione Mentali semel, atque iterum abfuerit. Si quis ad Capitulum quotidianum non accesserit. Si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit.

2. Rursus gravem culpam statuimus, si quis sibi concessa, vel donata suscipiat, sine Prælati licentia. Si quis rem parvi momenti, sibi collatam celaverit. Si quis oculos ad vana sæculi immodeste direxerit. Si quis indumenta, vel aliud æqualis, seu majoris ponderis, ex concessis ad usum alicui Fratri propria auctoritate sibi applicare præsumpserit.

3. Insuper gravis culpa est: si quis aliquid cum juramento, sine necessitate negaverit, vel protulerit. Si quis immodestum sermonem vaniloquum, aut scurrilia dixerit, vel (quod gravius est) in usu habuerit. Si quis leve mendacium de industria profudisse repertus fuerit. Si quis aliquid dixerit, vel egerit, quo Fratres juste, non tamen graviter offendantur. Si quis in officio cui præpositus est negligenter se gesserit, ut sunt Commendatores, Procuratores, Clavigerii, aut alii quicumque, qui munus sibi impositum levi expleant solicitudine. Si quis Fratri præteritam culpam (levem scilicet, aut gravem) pro qua jam satisfecerit exprobaverit. Si quis cum fœmina, vel suspecta, vel in loco suspecto locutus fuerit.

4. Ulterius ut gravis culpæ reum puniri statuimus: si quis cum licentia Prælati egressus a Monasterio ultra terminum assignatum moram fecerit. Si quis de via veniens eadem hora Benedictionem a Prælato non susceperit. Si quis interiorem laneam tunicam, sine dispensatione Prælati, si vestes insuper laneas, & omnino albas, etiam iter faciens non induerit. Si quis in ipso itinere, vel ubicumque extra domum signum Ordinis, vel sursum non gestaverit. Si quis cum fugitivis, & apostatis, quandiu pœnitent consuetudinem, & familiaritatem habuerit. Si quis ubi Conventus Ordinis adest extra illum pernoctare ausus fuerit.

5. Amplius gravis culpa sit, & severissime vindicanda, si quis publice pilam, publice, vel privatim talos, ludifolia, aut alia sortiludia de jure prohibita, seu quoscumque profanos ludos exercuisse repertus fuerit.

6. Adhuc culpam gravem dicimus; si quis molestiam, injuriam, aut quodcumque aliud damnum sibi a Fratribus illatum Parentibus, Cognatis, vel amicis, quasi pro solatio aperuerit. Si quis petitiones, & literas, quæ pro negotiis Conventuum mittuntur ad Superiores subscripserit, nisi prius in Capitulo pleno legantur, ibique publice subscribantur ab omnibus. Si quis aliquam de his gravibus, aut levibus culpis in se, vel alio proterve defenderit.

7. Pro his ergo, & similibus culpis, qui veniam sine proclamatione exoraverit, correptione suscepta, vel etiam disciplina adhibita, si juxta qualitatem culpæ Prælato placuerit tres dies in pane, & aqua jejunet. Proclamatus autem, & in Confessione obduratus, si sit aliunde convictus, juxta duritiam sui cordis districtius a Prælato puniatur.

CAPUT IV.

De graviori Culpa.

1. Ad graviorem culpam sequentia crimina ducimus. Primo enim si quis peccatum lethale commiserit. Si quis latro domesticus, vel ebrius deprehensus fuerit. Si quis in Patres majores, aut stirpem alicujus Fratris turpe quidquam, vel indecorum objecerit, vel eadem in judicium Ordinis deferat, quæ testimonio nostrorum Fratrum probare nequiverit. Si quis de bonis sibi collatis, sive ad usum permissis quidquam in materia gravi Prælato celaverit. Si quis jejunia ab Ecclesia locis, seu diœcesibus instituta, temere violaverit. Si quis literas cujuscumque ad se non directas resecare, legere, aut abscondere audeat, nisi fuerit Prælatus illius ad quem diriguntur. Si quis in Curia sæculari pro Causa aliena testimonium cum juramento perhibeat, sine licentia Prælati, & potissime si pretio, odio, vel amore id præstiterit. Si quis præceptum obedientiæ a Prælato, vel Constitutionibus impositum prætererit. Si quis Votum castitatis temeraverit.

2. Ad hanc etiam culpam trahimus, si quis per contumaciam, vel manifestam rebellionem suo Prælato fuerit inobediens, vel cum eo protervitér contendere ausu temerario præsumpserit. Si quis pro declinanda obedientia sibi, vel alteri injungenda, seu posita, vel pro Conventualitate assequenda, seu mutanda, vel pro impetrando officio, dignitate, aut gradu, sive pro aliis quibuscumque a Prælatis Ordinis obtinendis per se, vel alium, favores extra Ordinem procuraverit.

3. Id genus præterea sunt si Prælatus infirmis Fratribus, quæ Medicus præceperit, & eorum valetudini fuerint necessaria, non opportune providerit. Si quis sine voce, vel munere

ad Ca-

ad Capitulum Generale, vel Provinciale accesserit, sine speciali licentia in scriptis a Magistro, vel Provinciali respective concessa. Si quis scribens ad Capitulum, de his quæ ad statum Ordinis, aut alicujus domus monere conveniat vera non scripsisse convictus fuerit. Si Commendator rationem reddens in Capitulo de Domo sibi credita Diffinitorium falsa narratione deceperit. Si quis aditum fœminis ad Clausuram patefecerit, easve deduxerit, aut intrasse permiserit. Si quis sine licentia Prælati a Monasterio egrediatur.

4. Iterum culpa gravior est, si quis bona Ordinis ad curam sibi tradita dissipaverit. Si quis ab statutis, ordinationibus, & correctionibus Ordinis, vel Commendatorum obedientia ad alium Judicem appellaverit, vel etiamsi Prælatos legitimos, & ordinarios recusatione depulerit. Si quis extra viam juris, exemptionem ab Ordinis obedientia, vel correctione procuraverit. Si quis Fratrem, vel Ordinem nostrum in aliquod apud alias quascumque personas diffamaverit. Si quis arma offensiva habuerit, vel portaverit. Si quis in sententiam excommunicationis rite latam scienter inciderit.

5. Qui ergo hujusmodi culpas commiserit, si de his proclamatus sponte confiteatur, & veniam obsecrans immanitatem sui sceleris lacrimabiliter planxerit, vapulet juxta qualitatem suæ resipiscentiæ, & criminis, & per duos menses incarceratus, omnibus sextis feriis in Refectorio super nudam terram jejunium panis, & aquæ sustineat. Aliis vero diebus, sicut cæteri Fratres reficiatur. Quod si inconfessus, & renuens legitime convincatur, prædicta severius augeatur pœna, juxta discretionem Prælati.

6. Si autem pœna carceris minuatur, & Prælatus ei communem societatem indulgeat, nihilominus prædictam abstinentiam eodem modo indeficienter compleat, donec præfati duo menses finiantur, & sit interea omnium novissimus in Conventu, & qui ob culpam perpetratam non erubuit membrum fieri diaboli, ad tempus (ut resipiscat) a consortio ovium Christi maneat segregatus, per quod in eam humilitatem deveniat, ut quatenus sejungitur a societate Fratrum, ita Angelorum consortio se agnoscat indignum. Ipse vero quandiu in hac pœnitentia versetur nullo fungatur officio, nisi transactis prædictis duobus mensibus, neque in aliquo vocem habeat, nisi in accusatione sui. Illis vero elapsis, & peracta hujusmodi pœnitentia ad pristinum statum reducatur.

7. Quoniam autem præter dicta crimina, sunt alia nonnulla sub genere gravioris culpæ designanda, quæ ob specialem sui malitiam, speciales quoque pœnas exigunt, ultra superius declaratas: idcirco sequentia addere constituimus. Si quis enim gesta nostri Ordinis, punitiones, aut alia, quæ prudenter decet signari silentio in medium proferat, & aperiat, graviorem culpam commisisse declaramus, & præter communem pœnam de cætero hujusmodi proditorum Ordinis ab universis ejus consiliis, & electionibus perpetuo depellimus. Si quis Fratrem a carcere extraxerit, aut instrumentum porrigat, quo illum, & vincula incarceratus fregerit ejusdem culpæ reum facimus, eisdemque pœnis obnoxium, quas merebatur extractus. Si quis ulterius conspirator extiterit quoad vixerit ad aliquam administrationem temporalem, aut spiritualem nostri Ordinis sit ineptus. Si quis sigillis Provinciarum, aut Ordinis utantur, & cum illis literas Magistri, aut Provincialium confingat, omni voce activa, & passiva sit perpetuo privatus, nec illi ad honores ulterius literæ faveant, quas temerarie præsumpsit. Si quis denique usurariam artem, seu mercaturam, vel negotiationem aliquando instituerit, præter excommunicationem, suspensionem, & alias pœnas a jure inflictas, graviorem culpam cum pœnis ejusdem incurrere declaramus, & aliis insuper ad arbitrium Prælati pro criminis qualitate subjicimus.

CAPUT V.

De gravissima culpa.

1. Ante omnia, gravissima culpa est incorrigibilitas illius, qui nec culpas veretur admittere, nec pœnas recusat ferre, vel ex earum sæpius repetita inflictione prudenti judicio cognoscitur non proficere. Item gravissima culpa est. Si quis manus in Prælatum injecerit. Si quis Diabolica temeritate fœminas ad malum, & turpem finem in Clausuram induxerit, vel ibi cum aliqua turpiter egisse, auxiliove fuisse deprehensus fuerit. Si quis secreta, & consilia, quæ in Capitulis versantur, sæcularibus, aut aliis quibuscumque detexerit, unde damnum, seu infamia, aut Ordinis divisio proveniat. Si quis collector Eleemosynarum Redemptionis indulgentias Romanorum Pontificum, ab Ordine non obtenta Populis prædicare præsumpserit.

2. Frater autem, qui scelera prædicta commiserit, vel alia quæcumque a Prælatis, quando fuerit opus sub hoc genere constituta, detrudatur in carcerem tempore sex mensium ferreis vinculis morandus, vel diutius juxta meritum criminis & Prælatorum prudentiam, unde omnibus quartis, & sextis feriis sub eisdem vinculis extractus ad Conventuale prandium ducatur, ut coram Fratribus in medio Refectorii jejunet in pane, & aqua, & dignam flagellationem suscipiat, si fuerit Clericus totum illius caput ad instar laici tondatur, & sic maneat toto tempore quo pœniteat. Si vero fuerit Presbyter & ratione aliqua pœna vinculorum, & carceris ex parte ipsi dimittatur, sit tamen a celebratione, & Sacrorum Ordinum exercitio suspensus omni tempore pro suo luendo crimine in hac nostra Constitutione præfixo: Excarceratus autem cujuslibet ille conditionis extiterit per duos menses caputio, & Scapulario intra Monasterium exutus incedat. Clericis vero, & Laicis addimus ut præfatis duobus mensibus sint in Conventu novissimi.

3. Sed quia in his etiam, sicut in gravioribus ultra relata crimina, sunt alia sceleratiora, quæ ex sui magnitudine graviores pœnas a jure taxatas habent vel præfatis exigunt ab Ordine severiores; hac de causa decernimus gravissimam esse culpam si quis Bullas seu instrumenta Pontificum confingere attentaverit, aut illis confictis, usus fuerit. Si quis etiam falsam pecuniam excusserit, vel in usum Populi iniqua fraude dispersit, & ut plura id genus scelera, uno verbo amplectamur, culpam gravissimam ducimus omne illud crimen, quod apud sæculum pœnam capitis promeretur, nec non illud quod jure communi, aut nostrarum Constitutionum triremibus dignum sit.

4. Illis igitur, qui talia perpetraverint debite prius, & rite convictis, & ante omnia præfatis macerationibus jam correptis pœnam ipsarum triremium assignamus pro tempore a Prælatis decernendo juxta gradum, & qualitatem criminis, quam Magister, aut Provincialis cum duobus Diffinitoribus, aut Prælatis judicialiter inferat, non quidem per expulsionem ab Ordine, sed per habitus expoliationem. Sic autem damnatus elapso jam tempore pœnitentiæ tenetur ad Ordinem regredi, & suis Prælatis præsentari, quem & isti similiter tenentur suscipere, & Conventualitatem assignare, ut inter Fratres habitu communi indutus communi consortio perfruatur. Volumus tamen ut inter ipsos sit insuper antiquitate posterior, & perpetua infamiæ irregularitate obstrictus, quam ex suo delicto, vel

pœna contraxerit, & ita quidem irremiſſibiliter, ut ſola auctoritate Apoſtolica valeat relaxari.

5. Qui autem ita damnandus ſit ad triremes, ſi ante diffinitivam ſententiam earum jam expleverit incarcerationem, & alias pœnas culpis graviſſimis ſuperius deſignatas, nihilominus in carcere detineatur, donec illa fuerit lata a Prælato eadem forma ut ſuperius.

CAPUT VI.

De crimine Apoſtatæ & fugitivi.

1. Declaratis hujuſmodi, & aliis ſequentibus ſpecialiter providere decrevimus, ut ſpecialem immanitatem criminum oſtendamus, & quam ſevere vindicari debeant, cum eſſentialem profeſſionem, & totam ejus ſubſtantiam proſtituant. Quicumque igitur ſuæ vocationis oblitus in Apoſtaſiam inciderit, aut habitum temere dimiſerit, vel eo etiam retento ab Ordine fugam arripuerit, ipſo facto ſciat ſe eſſe excommunicatum in quam ex nunc ipſum declaramus incurſum.

2. Præter has inſuper pœnas graviſſimæ culpæ ſuperius illatas ipſis ſuperaddimus cum diſtinctione tamen exequendas juxta diverſitatem criminum, & circumſtantias eorum. Cæterum qui temere habitum dimiſerint, præter omnia prædicta ſit etiam in Conventu noviſſimus, & propriam antiquitatem non obtineat, donec per Magiſtrum Ordinis, aut Provincialem cum eo fuerit diſpenſatum, modo diſpenſatio non fiat niſi duobus poſt annis a regreſſu ad Ordinem, & detracto inviolabiliter toto tempore Apoſtaſiæ, quo profugus, & alienus ab Ordine permanſerit.

3. Quod ſi ſecundo apoſtataverit, vel aufugerit, dicta pœna duplicetur, & pariter idipſum fiat, ſingulis vicibus, quibus talia commiſerit. Si vero in ſe reverſus ad Religionem ſua ſponte redierit & humiliter ad pedes Prælatorum veniam exoraverit, illum tamquam Prodigum ad domum Patris revertentem benigne ſuſcipiant, & mitius cum illo ſe gerant, nec cum omni acerbitate prædictis pœnis ſubjiciant, ſed eas juxta humilitatem, lacrimas, pœnitudinem, & labis etiam magnitudinem temperent.

4. Ut ergo huic Ordinis malo, & ipſis ejus deſertoribus Prælatis, ut Apoſtatas, & fugitivos noſtri Ordinis, ſi quos noverint evagari diligenter inquirant, & perſequantur per ſe, & per Fratres ſibi ſubditos, & ubique captos ad Ordinem reducant. Quem autem Prælatus comprehenderit, vinctum in carcere ſui Conventus detineat, aut in alium intra Ordinem tutius ſervandum transferri faciat, & interea certiorem de illo Provincialem reddat, ut Conventum ipſi deſignet, ubi juxta Decreta Urbani VIII. pœnitentiam facere, & pœnas ſolvere debeat.

5. Cum autem Apoſtata ex aliena Provincia fuerit, id Generali Magiſtro, & Provinciali cujus ille ſit ſubditus denuntiet, ut ad eundem pœnitentiæ finem de aſſignatione Conventus, & illius in eum conductione provideant. Si vero Prælati Apoſtatas, & fugitivos ſuſceperint, vel eos, ut prædicitur ſibi notos exacta ſolicitudine non requirant, graviſſimas ſe noverint pœnas ipſo facto incurrere auctoritate Sanctiſſimi Urbani VIII. a Sacra Congregatione Concilii Tridentini ſeveriſſime latas, tam privationis officiorum actualium quam vocis activæ, & paſſivæ ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & cum reſervatione ad Sanctiſſimum.

6. Si quis inſuper cum fœmina fugam ceperit, aut ſecum bona Ordinis direpta, vel expilata detulerit, puniatur ſicut ille qui bis Ordinis Deſertor extiterit.

7. Qui vero ſepta Monaſterii frangens, & ab illo in effectu recedens, veram Apoſtaſiam, vel fugam inceperit, & paulo poſt revertatur, licet brevitas temporis nec veram tollit Apoſtaſiam aut fugam, vel excommunicationis incurſum, atque adeo abſolvendum eſſe ab illa cenſeamus; nolumus tamen ut ita graviter puniatur, ac cæteri, nec pœnis graviſſimæ culpæ ſubjaceat, ſed tantum gravioris, quas adhuc attemperare poterit Prælatus, juxta temporis morulam, & revertentis humilitatem, & lacrimas.

8. Ne ergo hæc, & alia crimina ob proceſſus defectum, vel Prælati ſilentium impunita maneant, omnibus Prælatis, etiam Magiſtro Generali diſtricte præcipimus, ut contra hujuſmodi criminoſos, ac etiam proprietarios, incorrigibiles, & quoſcumque alios graviorem, & graviſſimam culpam committentes Proceſſus, & Cauſas diligentiſſime inſtruant, & perficiant uſque ad diffinitivam ſententiam juxta formam regularibus præſcriptam. Finitos autem cuſtodiri, & ſervari provideant in Archivio communi cujuslibet Provinciæ uſque ad obitum delinquentis. Quod non tantum eo fine inſtituimus, ut prædicta crimina rite, & recte ſecundum jura puniatur de facto; ſed etiam ut poſt eorum punitionem, ſi caſtigatus nova crimina adjiciat, vel in jam correcta relabatur, conſtare poſſet de illius incorrigibilitate, ſi ulterius procedendum ſit ad expulſionem, vel an gravius plectendus ex occaſione relapſus, poſt obitum vero delinquentis omnes dicti proceſſus comburantur.

9. Quo circa volumus, ut nec Provincialis, nec Magiſter Ordinis tales criminoſos poſſint a delicto abſolvere, eorumve proceſſus, & cauſas ſuſpendere, ſed illas ad diffinitivam uſque ſententiam ducere, & duci facere rite, & debite concludendas ad præfatos fines, Proceſſuumque cuſtodiam. Quod ſi Generalis, vel Provincialis huic ordinationi non pareant, in proxime ſequenti Capitulo corrigantur.

10. Qui juxta regularium formam juridice fuerint convicti de triplici Apoſtaſia, vel fuga, cum jam in prima, & ſecunda proceſſerit debita correctio, confeſtim pro tertia fuga, vel Apoſtaſia triremium ſententiam ſubeant per tres annos.

11. Fratribus autem præcipimus, ut cum Apoſtatis, & fugitivis, dum in domibus noſtris pœnitent, nullam familiaritatem inſtituant.

12. Tandem qui ſemel apoſtataverit, de cetero ad nullum officium, vel adminiſtrationem temporalem, aut ſpiritualem admittatur, niſi per Provincialem aut Magiſtrum poſt quatuor annos, a regreſſu ad Ordinem, cum eo fuerit diſpenſatum.

CAPUT VII.

De crimine proprietatis.

1. Ut proprietatis iniquitas, quæ eſt omnium malorum radix, & origo ex fratrum cordibus deleatur, & hæc Evangelica dilectione paupertatis incaleant, Commendatoribus univerſis ſub pœna privationis officii per ſex menſes ſtatuimus, ut die jam ſuperius in hac noſtra Conſtitutione præfixo, ad inventarium de conceſſis ad uſum Prælato reſignandum, congregato Capitulo, fratres ſuos de perfecta rerum temporalium abdicatione ferventer admoneant, illiſque pariter infligant, vel denuntient excommunicationis ſententiam jure hujus noſtræ Conſtitutionis illatam, aliaſque de jure pœnas adverſus hanc execrabilem proprietatis malitiam, & cordis cupiditatem incuſſas, quam eiſdem, & eſſe ſacrilegium, & veram furti fœditatem includere prudenter exponant.

2. Si quis autem de proprietate convictus fuerit, præter gravioris culpæ pœnas, & excommunicationis majoris ſententiam illius ſuperius impoſitas juxta decreta Concilii Tridentini, eum per biennium voce activa, & paſſiva privatum declaramus: pecunias vero, aut alia quæcumque bona illius, qui de proprietatis crimine convictus fuerit, Commendator apprehendat,

ſtatim-

statimque moneat Magistrum, & Provincialem, ut de illis prudenter, & cum æquitate, provideant, attento jure domus, vel cujuscumque alterius, ad quem ex æquo pertineant.

3. Frater insuper, qui per se, vel alium mercaturam, aut usuram instituit, seu etiam ille, qui bona, & res Conventus, aut Ordinis furtive, & quomodolibet injuste alienaverit, tamquam vere proprietarium præsenti Constitutione declaramus, & pœnis ejusdem criminis subjicimus.

4. Qui autem proprietarius (quod Deus arceat) e vita decesserit tanquam Judæ socius sepultura Ecclesiastica privatus in campo sepeliatur.

CAPUT VIII.

De Appellationibus, & recusationibus frustratoriis.

1. Cum naturæ humanæ conditio prona, & facilis sit ad malum, & plures sui status, & professionis immemores litigia, & discordias occasione appellandi anxie perquirant, ut sub querimoniarum, supplicationum, & appellationum velamento evagandi ansam arripiant, & sub sanctitatis prætextu bona Ordinis in detestabiles usus consumant in nostræ Religionis jacturam, & Divinæ Majestatis offensam, præsenti Constitutione in virtute Spiritus Sancti, & sub excommunicationis sententia præcipimus, ne quis Capitulo, vel extra, in aliquo loco quacumque dignitate in Ordine, statu, vel conditione sit præditus, audeat ab statutis, ordinationibus, correctionibus, vel obedientia Magistri Generalis, Provincialis, Diffinitorii, aut cujuscumque Prælati alium Judicem (salva semper auctoritate Apostolica) appellare, vel per viam appellationis, aut cujusvis quærimoniæ eorum judicio non acquiescere.

2. Transgressor vero hujus dispositionis, ut pœnam gravioris culpæ, absque spe relaxationis incurrat constituimus, quam si forte sustinere renuerit, ex nunc pro tunc ipso facto excommunicamus, rursus etiam illum in carcerem includi præcipimus, inhabilemque ad omnem administrationem spiritualem, vel temporalem manere in perpetuum. Qua de pœna solus per se Magister, vel Provincialis cum Diffinitorio, & prævia correctione, ac validis pœnitentiæ gemitibus dispensare possit.

3. Quod si in eam vesaniam audaciamque devenerit, ut ad profana sæculi tribunalia confugiat, & ad illa quovis prætextu, aut quæsito colore, causas ordinis, & earum appellationes deferat, quicumque ille fuerit, & quavis conditione, dignitate, vel gradu insignitus, se noverit incursurum in excommunicationis sententiam a Sanctissimo Clemente VIII. in hujusmodi audaces severissime latam, solique Romano Pontifici citra mortis articulum reservatam, necnon in privationem perpetuam utriusque vocis, officiorum, & dignitatum, ac etiam inhabilitatem ad illa ipso facto, & absque declaratione aliqua: quas pœnas non dissimiliter participant omnes illi, qui directe, aut indirecte favent, & consulunt præfato recursui.

4. Similiter etiam præcipimus, ut nemo ex nostris fratribus in suis causis judicialibus Prælatos Ordinis legitimos, & Ordinarios recusare valeat, nisi justa adsit, & gravissima ratio, quam recusator probare teneatur, nec illa valorem habeat, priusquam esse rationabilem censeatur per duos Patres ab eo videlicet eligendos, qui Prælati recusati Superior fuerit immediatus. Probatio autem a recusante fiat intra terminum a prædictis Patribus sibi designatum. Interea vero dum intra illum de justa recusatione agitur, Prælati recusati causas, quæ apud illos versantur omnino suspendant. Si autem recusator in probatione defecerit, voce activa, & passiva maneat per decennium privatus; & biennio sub pœna reclusionis, & gravioris culpæ de sua levitate, & temeritate pœniteat.

CAPUT IX.

De impetrantibus favores, & literas deprecatorias pro captandis honoribus.

1. Cum in electionibus ad officia, & collationibus dignitatum Ordinis summopere cavere debeamus, ne hæc eadem per favores extraneos, aut potentum deprecationes, & literas extorqueantur a fratribus, unde, vel Ordo, ejusque regimen obturbetur, seu deprimatur æquitas, vel Prælati in arcto positi pendeant, a favoribus autem amoventes deprecantium in se, vel Ordinis indignationem concitent; idcirco sub formalis obedientiæ præcepto statuimus, & ordinamus; ut nemo ex nostri Ordinis fratribus ab aliqua persona extra illum, quacumque dignitate, gradu, vel eminentia præcellat, neque a communitate aliqua populi, vel urbe, seu quolibet alio senatu, congregatione, vel cœtu, per se, vel alium, aut alios preces, vel literas deprecatorias, comminatorias, monitorias, commendatorias, aut quascumque alias, ad Magistrum Generalem, Provincialem, Capitulum vel ejus Diffinitores, seu etiam ad Ordinem, quovis modo directas pro dignitate aliqua, officio, aut alio quocumque honore obtinendo, quomodolibet impetret, vel impetrare contendat.

2. Si quis autem aliquid de prædictis tam in genere, quam in specie, hac via procuraverit, vel etiam obtinuerit, necnon qui dictis favoribus, aut literis impetrandis auxilium dederit, aut eorum quoquo modo impetrationem participaverit, ac etiam qui illis sponte oblatis, & minime conquisitis usus fuerit præter pœnam gravioris culpæ privatus maneat voce activa, & passiva, ac omnibus honoribus, gradibus, & officiis obtentis, & cum perpetua inhabilitate ad illa, quas pœnas ipso facto incurrendas declaramus, universis vero Prælatis præcipimus, ne illas unquam aliqua ratione modificent, nec præfatis literis, aut favoribus quomodolibet acquiescant.

3. Quod si frater aliquis extra prædicta pro quavis alia gratia, ut conventualitate, studio, impunitate culpæ, aut similibus præfatos favores applicaverit, unde Prælatorum regimen, & regularis vitæ semita disturbetur, gravioris culpæ pœnis sine relaxatione, etiam a Magistro subjaceat.

CAPUT X.

De culpa, & pœnis incorrigibilium.

1. Qualiter hujusmodi scelerati probari, & agnosci debeant satis jure communi, & præcipue decretis Sacræ Congregationis Concilii auctoritate Smi Urbani VIII. editis luculenter instruimur, ut non solum de illis disciplinis regularibus rite, & canonice vindictam sumat, sed etiam, ut vel ad eos tempus justo judicio a communi societate separatos, quo pœniteant, vel a se perpetuo repellat, ut gregem Domini non inficiant.

2. Cum ergo aliquis ex suæ proterviæ, & indurationis merito sit repellendus ab Ordine, id minime fiat, nisi vere juxta juris communis dispositionem censeatur incorrigibilis, & penes dicta decreta Sacræ Congregationis Concilii per unum annum in jejunio, & pœnitentia in carcere probetur. Quo elapso si non melioris frugis evaserit, quin potius in eadem, aut nova, & similia scelera dilabatur, tunc quasi putre membrum a religionis corpore præcidatur, ne in illud morbus accrescat, fiat tamen judicio solius Magistri Ordinis de consensu, & assensu sex Patrum de gravioribus religionis, quos juxta concessionem Alexandri VII. fore decernimus in singulis Pro-

vinciis totius Ordinis quatuor Diffinitores Provinciales, & duos Diffinitores Generales, vel istorum defectu duos Electores generales ejusdem Provinciæ, ita videlicet, ut in quacumque Provincia Generalis extiterit, in ipsa cum prædictis Patribus, & Diffinitoribus, seu Electoribus illius, de quocumque fratre Ordinis possit ferre sententiam.

3. Probatio autem de his omnibus sic rite, & canonice fiat, si quis enim in causis inferius designandis deliquerit, conficiendus est legitime processus ad formam regularibus constitutam, & per sententiam puniendus, quod si secundo in idem, vel aliud simile, aut gravius delictum inciderit facto denuo processu per novam sententiam corripiatur, & pariter moneatur, ut ab hujusmodi criminibus resipiscat, sub pœnis incorrigibili debitis. Si tertio tandem deliquerit in prædictis, instructo iterum alio processu, & sententia lata ad pœnas incorrigibili designatas condemnabitur, & potissime ad carcerem per unum annum.

4. Ut ergo scelera pateant de quorum repetito lapsu, & tandem de incorrigibilitate reus convinci debeat, denuoque repelli sententia maxime designatus, videlicet Apostasiam, vel fugam, expilationem, vel dissipationem bonorum Redemptionis, & Ordinis frequentes cum aliis fratribus contentiones, & rixas cum gravi percussione violenta, & præcipue si hæc eadem conspiratio insuper, vel seditio in Prælatos exerceantur, partialitates, & divisiones in Conventibus quasi more castrorum agere, vel fovere, clausuræ violationem, carnis lapsum cum quolibet complice patratum, falsam accusationem, seu testimonium falsum literarum Apostolicarum, vel etiam Superiorum Ordinis confictionem, rapinam, & furtum, ebrietatem, ingressum ad Monasteria Monialium, veneficium, vel alia id genus flagitia, & enormia scelera sæpius iterata, & correctionibus non emendata.

5. Statim igitur, ac pro istis rite, & debite fuerit Frater expulsus debet Magister Ordinis sententiam in eum latam, notam facere Diœcesano Loci, & eum pariter habitu clericali indutum illius juri, & obedientiæ subjicere, ipsum autem expulsum de sequentibus admonebit. Primum per expulsionem non relaxari illius vota Ordini nostro essentialia, & ab ipso in professione emissa, sed suspendi dumtaxat in his videlicet, quæ status expulsorum non patitur; in illis vero quæ non repugnant adstringi omnino ad eorum observantiam. Secundum si fuerit sacris initiatus manere suspensum ab omni ordinum exercitio, obligari tamen ad recitationem officii. Et tertium teneri in conscientia sese corrigere, & convertere in bonam frugem, ut dignus fiat, qui ad misericordiam, & Ordinis consortium denuo suscipiatur.

6. Ipsis tamen Prælatis in Christi visceribus sua demus, ut antequam gravissimum, & extremum expulsionis remedium experiantur, memores sint Paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam ex officio, & Christi imitatione profitentur, nihilque intentatum relinquant, quo animas Fratrum sibi creditas lucrari, & a profundo malorum eripere omni studio, & dilectione contendant, ne si ob hanc negligentiam in vitiorum barathrum decidant, & aliquando pereant ex illorum manu Dominus istorum sanguinem exigat.

7. Ut autem litibus caveamus, quas ex hujusmodi expulsionibus oriri forte contigerit, præsenti Constitutione sancimus, ut literis, sive expulsionis sententiæ ista clausula inseratur, omnia nihilominus jura, actiones, & successiones, tam ex jure communi, quam ex privilegiis, seu statutis Ordinis, occasione suæ professionis ipsi Ordini in genere aut alicui Provinciæ, Congregationi, seu Conventui ipsius in specie qualitercumque pertinentia eisdem reservamus & in nullo penitus derogamus.

CAPUT XI.

De absolutione Apostatæ, vel cujuslibet excommunicati.

1. Cum absolvendus fuerit Apostata, vel alius quicumque excommunicatus ab hujus censuræ vinculo se humiliter, flexis genibus, Prælato submittat, vel ei, cui vicem delegaverit, habeatque nudum dorsum, & scapularium super caput, & faciem; Prælatus vero, aut absolvens teneat virgas, seu aliud flagelli genus in manu, quo illum verberare debet, & dum ipse cum conventu Psalmum *Miserere mei*, alternis versibus recitat, ad finem cujusque versus nudam scapulam verberet, in conclusione vero Psalmi dicatur, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater Noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, & Ecclesiæ tuæ sanctæ a cujus integritate deviavit, restitue, ut peccatorum remissorum veniam consequendo reddatur innoxius.

Deus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut quem delictorum, & excommunicationis catena constringit miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Post Orationes autem hujusmodi recipiat juramentum a prædicto Fratre, quod erit obediens præceptis Ecclesiæ, & Ordinis, ejusque Superioribus universis. Deinde dicat: *Confiteor Deo &c.* Absolvens autem adjiciat: *Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Et ego auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate qua fungor absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris propter Apostasiam, vel violentam manuum injectionem, vel propter contumaciam (semper exprimendo causam), & ab omnibus trangressionibus, excessibus, seu omissionibus regulæ, & Constitutionum nostrarum quantum ego possum, & quod non possum suppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Jesus Christus, & restituo te societati Fratrum nostrorum, & communioni, & unitati fidelium Christi, & dispenso tecum in omni irregularitate, quam incurristi. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et postea injungat Prælatus pœnitentiam, ut sibi visum fuerit. Quod si excommunicatio non sit ob delictum publicum omnia prædicta fiant omnino secrete.

CAPUT XII.

De Incarceratione Criminosi.

1. Cum pœna carceris sit frequens in Constitutionibus nostris, & quanto ea sit severior, tanto majori studio Charitatis indigeat, propterea Fratribus declaramus eam non esse ita de se infligendam, ut excludat miserationis, & lenitatis officium.

2. Ab hoc ergo in qualibet Provincia communibus expensis per ejus Provincialem a Conventibus erigendis constituantur carceres, cum omni genere vinculorum in quibus scelerati Fratres detineantur vincti, & compediti, aut tantum inclusi, juxta meritum criminis. Qualitas autem loci, plus ad securitatem, quam immanitatem accedat. Sit etiam sufficienti lumine conspicuus, & diuturno tempore incarceratus recitare valeat Divinum Officium, & libros spirituales legere, quorum usu, & consuetudine sa-

lubriter, & fructuose tempus insumat; qua propter Prælatis injungimus, ut semper incarcerato si horis canonicis fuerit adstrictus Breviarium apponi faciant, cum aliquibus de prædictis libris spiritualibus, aut sanctorum vitas continentibus, & illum moneant, ut in his legendis versetur, & Divini Officii pensum non desinat.

3. Ulterius ipsis præcipimus, ut semel ad minus in hebdomada illum adeant, & visitent, ac omni qua potuerint consolatione permulceant, mentem ejus erigant ad pœnitentiæ fructum, ac labores, ac pœnas inflictas tolerandas gratis, & fructuose ferendas: quod si per se exequi non valeant, Fratrem aliquem ex gravioribus adhibeant, qui sit potens charitate, consilio, & loco sui prædictas visitationes impleat.

4. In necessariis ad vitam sit etiam diligens Prælatus ut nihil deficiat, neque potus, aut cibi patiatur inopiam, neque in his, aut aliis nimis ærumnose tractetur, lectulus sit ei stratus, non majori cura, quam suæ congruit pœnitentiæ, vel crimini, sed ut miserationem decet, & exigit fraterna dilectio.

5. Præcipue vero eidem Prælato subjungimus, ut debito intentus charitatis officio statutis temporibus pœnitentiæ Sacramentum ab incarcerato suscipiendum curet. Quoad Missam vero audiendam diebus festis similiter ordinamus, ut ubi secure, & tuto id valeat impleri, aut decenter in ipso carcere fieri hunc illi fructum nulla ratione prohibeat.

CAPUT XIII.

De modificatione pœnarum.

1. Quamvis equidem multa sint, quæ in Superioribus culpis, excessibus, seu criminibus, aut aliis etiam in hac nostra Constitutione dispersis observare canonice jubeat sublimis auctoritas Ordinis, quæque statuta districtius exequenda præcipiant; tamen quia defectus præsentium temporum, & languentem humanæ conditionis statum consideramus, quibus, non solum mentes, sed etiam corpora deficiunt, fragilitate humana & fomite prævalentibus, ea propter Salvatoris nostri exemplo inhærentes; qui semper misericorditer agit, & figmento nostro compatitur, præsenti Constitutione ordinamus, ut ad pœnas contra prædictas culpas, & crimina expressas, tam declarandas, & exequendas, quam modificandas, mitigandas, commutandas, & relaxandas potestatem habeat Magister in toto Ordine, Provincialis in sua Provincia, & Commendator in Commenda, quibus ex jure nostrarum Constitutionum conceditur hæc facultas ubicumque ab ipsis, vel a jure restricta non fuerit.

2. Hanc autem sic intelligimus, ut ubi pœna minime relaxanda, vel sine spe relaxationis, aut aliis verbis similibus denunciatur, potestas Magistri, aut Diffinitoris Generalis, & Provincialis excludenda non veniat nisi prohibeatur expresse, cum tantum per illa inferiorum Prælatorum potestatem restringere censeamus. Ipsos tamen, quibus hæc insit dispensandi, vel relaxandi facultas monemus in Domino, ut numquam facile, & pro solo libito, sed rationabiliter, & justa semper ex causa dispensent, aut modificent, & impleta prius majori parte pœnitentiæ ipsi delinquenti assignatæ, signisque doloris, & manifestæ correctionis præcedentibus.

3. Quoniam autem, etsi culpas omnes æqua lance studeamus appendere, & eas pœnis æqualibus vindicare, numquam tamen unius esse ponderis invenimus, nec etiamsi pares sint, parem pœnam exigunt ob discrimina personarum, quas justitia distributiva respicere oportet; ideo Prælatorum discretioni subjungimus, ut si in prædictis quatuor generibus culparum, aliisve specialibus criminibus reatus fiat gravior, aut levior ratione circumstantiæ; quæ malitiam ejus nimis augeat, vel minuat, hanc semper tamquam primam inter rationabiles causas præseferant, ut vel pœnam legis in suo rigore exequantur, vel augeant aliquando, aut etiam modificatione, vel relaxatione demulceant.

4. Si vero differentia sit in personis, tanto rationabilius poterit commutari pœna, quanto reus insignior, & excellentior extiterit: non solum quia in istis levis pœna eo redditur gravior, quo fuerit conditio nobilior, etiam ex hac parte major, & minor in ipsa pœnæ diversitate coæquantur, sed etiam quia Regularibus expedit, ut vel hæc ordinis fulcra non vilibus omnino pœnis de honestate corruant, vel ut eorum flagitia non prodantur ex toto, sed quantum liceat abscondantur a parvulis, ne suo exemplo plus scandalo noceant, quam exactæ castigationis strepitu proficiant. Talibus ergo cum deliquerint pœnam de honestate in alias eorum præcellentiæ consonas commutari consulimus.

DISTINCTIO SEXTA.

De exercitio, & professione literarum.

Supra montem Christum jam mole Religionis erecta literarum lucernam accendimus quam ex instituti debito amplecti compellimur, non solum, quia cum reliquis proximorum saluti, & instituendis populis mancipemur; verum etiam quod ob speciale professionis vinculum cum paganis, & gentilibus, fideique desertoribus, & in ea sæpe nutantibus frequentissime versamur, inter quos oportet Fratres nostros juxta Apostolum amplecti eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere, necnon, & illis rationem reddere cum de rebus fidei sæpe numero postulantur.

CAPUT I.

De studiis, eorumque professoribus in communi.

1. Ut ergo juxta præmissa nostri Ordinis Professionem impleamus, & nulla sit in eo domus, ubi aliqua pia literarum disciplina non vigeat, præsenti Constitutione decernimus ut in singulis Provinciarum Capitulis designentur a Diffinitorio omnia studiorum genera, quæ singulis domibus secundum earum possibilitatem expediant, itaut in magnis, & præcipuis constituantur Doctrinæ Scholasticæ, expositivæ, & Moralis Theologiæ, aut Philosophiæ, prout opportune conveniat; in paucis autem collationes ad minus, & conferentiæ Theologiæ Moralis, & Expositivæ inviolabiliter habeantur.

2. Præcipue vero in qualibet Provincia unam saltem domum præfixam esse statuimus, quæ sit, & gaudeat juribus Collegii pro studiis dumtaxat S. Theologiæ, ubi sub uno Rectore, & studiorum Regente Lectores, & Fratres studentes expeditius quam alibi S. Disciplinæ dent operam, & uberiorem capiant ex ea proventum.

3. In prædictis domibus, & Collegiis pro S. Theologia designatis constituantur duo Lectores matutini, & tertius vespertinus, cum uno Magistro studentium, quartus autem non addatur nisi forsan pro legendis artibus, ubi hæc studia liceat quoque constitui. Quibus superaddimus unum Fratrem Regentem, qui curam studiorum sustineat, eaque moderetur, quemadmodum stabilitur inferius.

4. In nulla domu studia prædicta, tam artium, quam Theologiæ permittimus nisi suffi-

ciens auditorum numerus suppetat, quem in utroque ad minus senarium ex Fratribus Ordinis postulamus.

5. Provinciali ad quem attinet prædictos Fratres ad artes, seu Theologiam addiscendas eligere, vel etiam Magister si id aliquando ex causa legitima sibi assumpserit nullo modo eos ad studia præfata deputet, nisi prius per testimonium ab examinatoribus Conventus exhibitum sibi manifeste de illorum sufficientia, & capacitate liqueat, quos enim in Grammatica non sufficienter informatos invenerit nullo modo ad artes audiendas mittat, nec similiter, quos in artibus non satis instructos deprehenderit, Auditores Theologiæ constituat, sed illos eo transferat, ubi sufficientes reddantur hujusmodi facultatibus a quibus eos omnino rejiciat, donec ad illas respective probentur idonei.

6. Ut autem Disciplina in præfatis Auditoribus nulla distractione frigescat, Commendatoribus statuimus, ut nulli eorum in diebus lectionis licentiam a domo egrediendi concedant, etiam cum suis Lectoribus, nisi ad conclusiones publicas: nec similiter prædictis diebus ad communes recreationes eos procedere permittat, nec ipsis lectionem quacumque ratione prohibeant.

7. Insuper constituimus, ut nullus Frater mittatur ad Collegium pro audienda Theologia, nisi per unum annum in alia domo auditor illius extiterit. Cum autem eligendus sit, fiat semper prævio examine, & oppositione publica coram Prælato Superiori, exponendo scilicet per dimidiam horam quæstionem, vel materiam aliquam de artibus sibi ante 24. horas, & non amplius sortitam, & ulterius per dimidiam respondendo argumentis in illam objectis a suis oppositoribus, vel eorum defectu, ab his quos Prælatus superior designaverit, qui illum si approbatus manserit poterit ad Collegium mittere.

8. Præfato denique Prælato constituimus, ut nulla ratione, vel causa Novitium aliquem ad studium artium, vel Theologiæ suscipiat, nisi jam unum annum in Novitiatu expleverit, ut superius dist. 4. cap. 3. sancivimus.

CAPUT II.

De studiorum Regente.

1. Cum studiorum pondus, & eorum recta ratio ab uno directore, & eo quidem solicito pendere debeat, & præcipua cura moderari, ut literarius ager sub eo cultore floreat, eapropter considerantes frequentissime Commendatores sui Conventus regimine nimis implicatos, ac distinctos, nec quantum expedit curis pariter studiorum intendere posse; præsenti Constitutione statuimus, ut in singulis Collegiis, ac domibus ad disciplinas S. Theologiæ designatis, & non alibi unus Frater speciatim eligatur a Diffinitorio Capituli Provincialis cujusque Provinciæ, qui nomine Regentis in præmissis domibus, & Collegiis sit omnibus studiis, tam Theologiæ, quam artium præpositus, cujus officium uno solo triennio concludatur, a Capitulo scilicet in Capitulum, quod si extra Capitulum vacare contigerit ejus electio ad Provincialem ejusdem Provinciæ pertineat.

2. Et quoniam hujusmodi officium in debita auctoritate constituere intendimus ad ejus electionem virum semper præstanti ingenio ex graduatis exigimus, qui sit Magister, vel præsentatus in literis florens, & assiduus, ac de illarum fruge zelator, necnon, & ab aliis curis, & occupationibus expeditus: si autem inter prædictos non facile suppetat, eligatur de Lectoribus jubilatis, alioquin fiat Regens Collegii, aut domus studiorum antiquissimus in lectura Lector inter omnes ejusdem Collegii, vel domus.

3. Munus Regentis debet esse præcipue studiis sibi commissis invigilare, eaque omni solicitudine promovere, itaut quæcumque illis noceant, prudenter avertat, quæ vero profutura sint ad meliorem frugem pro viribus curare non desinat. Debet etiam præ oculis habere, quæ scripta sint in Constitutionibus nostris, & ea, quæ in dies emanaverint a Capitulis Generalibus, & a Provincialibus, a Magistro Generali, a Provinciali, a Visitatoribus ad rectam studiorum rationem, & dare operam, ut ea diligenter serventur.

4. Ad ejus insuper solicitudinem accedit, quod Lectores quicumque suo muneri officiose intendant, quod lectionibus dictandis sint horis sibi competentibus assidui, quod conferentiis quotidianis, & Conclusionibus, tam mensalibus, quam hebdomadalibus quotiescumque in nostris domibus exerceantur assideant, & ad alias extra Ordinem confluant, eisque debitam vicissitudinem reddant. Illos autem quos in his, aliisve negligentes offenderit, poterit ad lectiones, conferentias, & conclusiones vocare, & simul admonere prudenter, ut munera sua in omnibus legitime compleant, quod si non acquieverint monitioni, rem Commendatori deferat, aut etiam Superioribus Prælatis prout magis expedire judicaverit.

5. De cætero autem Regentibus facultatem impertimur, ut studentium omnium in literarum usu, & executione defectus corripere, & objurgare valeant, ac ipsis etiam pœnitentias, vel abstinentias aliquas infligere, quas tamen si in Refectorio fieri oporteat Prælato notas faciat, cui sane consulimus, ut semper Regentis partibus faveat, quo magis ejus Magisterium auctoritate fulciat. Quod si venia danda sit delinquenti eam consulto Regente largiatur.

6. Cum habendæ sint conclusiones publicæ, quæ typis mandari debeant nullus Lector id audeat exequi, nisi prius eas Regenti subjiciat, ut recenseat, approbet, & subscribat, in quibus si novitates a D. Thomæ doctrina, & sensu devias invenerit omnino prohibeat, & deleat, nec ratione aliqua sub pœna privationis a munere defendi permittat.

7. Conferentiis, seu collationibus Theologiæ, vel artium singulis diebus non feriatis inviolabiliter assistat in ipsis, & Conclusionibus publicis argumenta distribuat, eaque si necesse fuerit resolvat, & ipso loquente omnes sileant. Ad lectionem in conferentiis dicendam Fratrem studentem eligat, servata tamen in his omnibus auctoritate Prælati, cui præsenti semper æquum ducimus hæc munia cum omni comitate deferri, & eo solum annuente Regentem suscipere, & exequi.

8. Si Commendator in disciplina literarum promovenda fuerit negligens, & earum fructum quovis modo impediat, id Regens protinus Provinciali, aut Visitatori aperiat, vel etiam deferat ad Provinciale Capitulum, ut damno adhibeant medelam.

9. Ulterius ad Regentem pertinet, ut determinatas horas Auditoribus, tam vere, quam hyeme juxta Provinciarum consuetudinem ad studendum præfigat, & pro antelucanis unus sit ex illis excubitor, qui reliquos a somno excitet, & ipsis, omnibusque Lectoribus lumen accendat, prout fuerit in domibus consuetum. Ad hoc autem diligenter studeat, ut illis tribuatur oleum, & reliqua necessaria pro studio, ut atramentum, pennæ, papyrus, & alia similia, de quibus sic illis Prælatus large provideat, ut nunquam studia ex præmissorum penuria tepescant. Similiter curæ habeat Regens bonam aulæ dispositionem, itaut fenestræ ad pluviam propulsandam sint bene munitæ, nec vento facile pateant.

10. Recreationes autem quando sint studentibus indulgendæ fiant semper opportuno tempore, & de licentia Prælati, quam solus ab eo postulabit Regens; quo circa declaramus, quod licet omnis res literaria, ejusque acta ordinare ad Regentem pertineat; cæterum in præcipuis, & iis quæ possunt concurrere cum aliis Conventualibus actis, aut eorum opportuna tempora invertere semper Prælatus consulendus est a Regente, ut inter ipsos res literariæ cum aliis Conventus oneribus temperentur, & ita pro singulis eligatur tempus, ut se invicem non impediant, aut importune fiant. In absentia Regentis, antiquior, primusque Lector munus ejus suscipiat, ubi vero lectura tantum artium sit, constituta curam & regimen studiorum Lectori subjungimus.

11. Regens denique si non fuerit Magister, ejus gratia fruatur quantum ad mensuram refectionis, & victus, eique necessarium oleum ad studium præbeatur. Pro se autem præter unam Missam omnibus Sacerdotibus semel in hebdomada concessam alias duas celebrare poterit.

CAPUT III.

De Lectoribus creandis, & oppositione ad Lecturas.

1. Quia ex recta institutione Lectorum pendet maxime proventus, & utilitas literarum, præsenti Constitutione decernimus, ut nullus ad oppositionem lecturæ, tam artium, quam Theologiæ admittatur, nisi decursis in integra Philosophia tribus annis completis prout inferius declarabitur, ac quatuor integris pariter in Theologiæ disciplina peractis, & nisi Conclusiones utriusque facultatis publice defenderit secundum consuetudinem Provinciarum a Capitulo Provinciali approbatam.

2. Oppositiones autem pro qualibet lectura obtinenda, ita inviolabiliter præmittimus ante institutionem Lectoris, ut tam in artibus, quam in Theologia non possit aliquis in Lectorem eligi, nisi facta oppositione in concursu generali, & publico a Provinciali, vel Magistro, seu ab ipsis potestatem habente convocato, & nisi duo graduati de numero ad minus præsentes extiterint.

3. Modus vero oppositionis ita sit; ut quisque videlicet ex oppositoribus, ante 24. horas, & non amplius materiam lectionis eligat, & pro libito suscipiat ex tribus punctis, vel capitulis per sortem sibi ex Aristotele, vel Magistro sententiarum, juxta qualitatem lecturæ propositis, quo tempore elapso confestim in arenam descendat, & per unam horam publice coram Provinciali, aut etiam Magistro, vel eorum potestatem habente, & reliquo concursu punctum, materiam, vel caput sibi sortitum exponat, ut per aliam horam argumentis oppositorum satisfaciat.

4. Hoc itaque examine peracto Provincialis, vel Magister, vel quicumque alius oppositionem celebrans, convocatis omnibus graduatis de numero, ac etiam Lectoribus jubilatis, qui Conventui, Collegiove adfuerint, & ejus similiter Prælato, cum ipsis ineat consilium circa sufficientiam oppositorum, quibus auditis, per se decernat eos, qui in primo, aut secundo gradu manere debeant approbati ad lecturam, pro qua decertaverint; itaut ipse Provincialis, vel Magister, aut alius ab ipsis potestatem habens ad eas, quæ tunc, vel pro tempore vacaverint possit de ipsis, & non aliis eligere, quem maluerit, servata tamen qualitate, & gradu approbationis juxta gradum, & qualitatem lecturæ, vel loci. Secretarius vero approbatos, & reprobatos in Provinciæ libro conscribat, ut qui valeant Lectores eligi publice constet.

5. Si quis vero sine aliqua ex prædictis solemnitatibus creatus fuerit Lector, ex nunc declaramus lecturam ejus nullius esse roboris, & valoris, & annos, quibus legerit ad gradus obtinendos non debere computari pro merito.

6. Declaramus adhuc prædictum examen, seu oppositionem debere in eadem materia fieri, ex cujus genere fuerit lectura providenda, itaut non sufficiat approbatio ad lecturam artium, ut quis censeatur approbatus ad lecturam Theologiæ, aut e converso.

CAPUT IV.

De Officio, & munere Lectoris.

1. Sic institutis Lectoribus a Provinciali, vel Magistro decernimus, & statuimus Lectores artium teneri per tres annos completos continuo legere, & interpretari omnes libros Aristotelis in hac lectura juxta consuetudinem comprehensos, ita scilicet, ut in omnibus tribus annis legat per ordinem Summulas, & Logicam cum Isagoge Porphyrii, & libros prædicamentorum; deinde libros Physicorum cum reliquis de Generatione, & Corruptione, de Anima, Mundo, Cælo, & Meteoris.

2. Cursum vero incipiant a die exaltationis S. Crucis, usque ad festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, a quo die usque ad initium alterius curriculi intermissionem concedimus, ut auditores hoc tempore cum Lectoris auxilio præterea reminisci, & inter se conferre valeant. Quo circa conferentias his etiam feriis quotidie Lector cum illis exerceat. Formam legendi sic esse decernimus, ut in quolibet die lectivo, accepta prius a Discipulis lectione, præcedenti mane, & vespere legant per unam horam; & per dimidiam, quæ legerint, exponant. Hora autem consueta, & a Commendatore, & Regente præstituta conferentias, diebus singulis, sine dispensatione habeant, & conclusiones semel in hebdomada, cum totius Scholæ assistentia, minime prætereant. In quolibet vero curriculo unum ad minus ex auditoribus magis idoneum ad publicum actum accingant, & defendat, & ad publicos extra Ordinem etiam indeficienter conveniant.

3. Lectores autem Theologiæ & mane, & Vespere semper unam horam in legendo, & exponendo lectionem insumant conferentiis quotidie habendis, & in aliqua ex eorum materiis alterne versandis omnes intersint, sabbatinas disputationes in singulis septimanis habeant, eisque indispensabili alternatione præsideant. In quolibet etiam curriculo publicum actum instruant, & defendant, nec ab extraneis umquam abesse, & in illis arguere prætermittant, quotiescumque ipsis servanda ratio vicissitudinis obtingat. Cursum Theologiæ incipiant a prima die post Festum S. Lucæ, & usque ad Dominicam SS. Trinitatis sine ulla intermissione legant: ita tamen ut materiam semper compleant.

4. In Doctrina, stylo, & electione materiæ semper debet Lector se conformare Discipulorum necessitati, & ingenio, ita ut eos magis utilibus, & intelligibilibus imbuat. A superfluis, & inanibus omnino abstineat. Sciat utique in antiquis esse sapientiam, ac proinde vocum novitatibus non adhæreat, nec opiniones a communi sensu devias sectetur, longos tractatus nunquam instituat, sed eos ita clare, & breviter absolvat, ut in singulis curriculis materiam perfecte finire valeat.

5. Universis Lectoribus enixe præcipimus, ut juxta antiqua Ordinis Decreta sæpius in Capitulis Generalibus iterata semper in omnibus, & per omnia, Doctrinam Divi Thomæ secundum sensum & expositionem Thomistarum, ita doceant, ut si in aliquo ab ea recesserint, ipso facto Provincialis eos lectura destituat; maxime tamen studeant, ut circa mysterium Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ semper illud in-

eam partem, & sensum suscipiant, & exponant, unde nitorem ejus, & immunitatem ab omni labe didicimus, & profitemur.

6. Statuimus etiam, ut in qualibet domu totius Ordinis, vel etiam Collegio, ubi vigeat disciplina Theologiæ, duo Lectores matutini semper legant materias Theologiæ Scholasticæ: Tertius vero Theologiæ Moralis, scholastico tamen more tractatum vel materiam sub cursus reprobatione instruat.

7. Lectores tam artium, quam Theologiæ semper in aula, vel loco publico legant, quod si secus fecerint curricula eorum, & annos non approbamus ad meritum.

8. Ut autem omnis Lector dum actui lectionis incumbit inopia temporis non laboret decernimus, ut toto lecturæ tempore sit omnino liber ab assistentia Chori, præter quam diebus festis, & solemnitatibus a lectione feriatis ad Missam majorem, & Vesperas, & ad omnes Matutinas cantandas, ad Missam Beatæ Virginis in Sabbato, ad orationem mentalem Vespere, & mane, & denique ad Capitulum quotidianum, & non ultra. Pro se Missam unam celebrare potest præter assignatam a Constitutione. Oleum pro studio cuicumque Lectori a Conventu tribuatur. Locus eorum ad invicem in actibus, & functionibus literariis sit penes antiquitatem lecturæ.

9. De cætero constituimus, ut juxta Decretum Capituli Optensis a SS. D. N. Innocentio XI. confirmatum, qui decursis omnibus lecturæ curriculis, jam pro Magisterio meritum adimpleverint, gaudeant titulo Lectoris Jubilati, & omnibus immunitatibus, quas Præsentatis de numero, & justitia concedimus, excepto suffragio in Capitulo Provinciali, sitque locus eorum novissimus inter illos tam de lectura, quam pulpito, ita ut præcedant omnes Præsentatos de gratia, servatis tamen apud ipsos Jubilatos ordine, & antiquitate lecturæ.

10. Lectores qui ad Provinciam Italiæ mittantur a Magistro, cum facultate legendi, aut designati fuerint in aliqua illius Provinciæ lectura omnino declaramus habiles, ut rite probatis eorum annis, & lecturæ curriculis in præfata Italiæ Provincia peractis gradus obtinere valeant in propriis.

CAPUT V.

De Magistro Studentium.

1. Ubertatem literarii fructus desiderantes, ne in defectu culturæ languescat, hac de causa decernimus, ut in qualibet domu, vel Collegio ad disciplinam Theologiæ designatis præter tres Lectores prædictos, alius constituatur, qui sit Magister studentium, ad quod munus nullatenus assumatur, nisi jam per triennium lecturam artium laudabiliter impleverit, ut alterius in oppositionibus generalibus pro lectura Theologiæ per unam horam lectionis, alteramque argumentorum legitime decertaverit, simulque approbatus fuerit, & ut talis in Provinciæ libro susceptus.

2. Hujus autem sit munus indispensabile omnibus Theologiæ conferentiis assistere, & alternatim cum singulis Theologiæ Lectoribus eorum materiis & opinionibus præsidere, quorum sensui, & judicio in illis defendendis acquiescere, & consentire debeat. In conclusionibus vero Sabbati, & extra Ordinem, eamdem vicem præsidendi, & arguendi cum prædictis Lectoribus sortiatur. Horis studio designatis diligenter visitet Auditores, & si quos negligentes invenerit, Regente non adstante, puniat, aut puniri faciat.

3. Præterea omnibus diebus feriatis intra curriculum dubium, vel quæstionem literalem Sacræ Scripturæ, eodem more, & forma qua solet casus conscientiæ proponat, ad quam omnes de Schola confluant, & pro libito Magistri studentium respondeat objectis unus de studentibus ab eo designatus, cui præsideat ipse, & tandem resolvat dubium.

4. Qui sic ergo in hoc munere fuerit plausibiliter operosus omnes annos pro gradibus promerendis comparet, tam si revera eos legendo peregisset, modo procedat informatio legitima de illis prout de reliquis Lectoribus fieri constituimus. Præter hoc autem jus habeat ad primam lecturam, quæ proxime vacaverit in Conventu, aut Collegio, ubi munus istud obierit, eisdemque gratiis, & exemptionibus gaudeat, quibus cæteri Lectores actuales Theologiæ.

5. Et licet pro studiis artium Magister studentium semper fuerit hactenus solitus instituí, de cætero præcipimus, ut tantum designetur in domibus artium studio destinatis absque ulla prorsus a Choro, & Altari exemptione.

CAPUT VI.

De Magistris, & Præsentatis.

1. In qualibet Provincia non plures, quam duodecim Magistros Theologiæ suscipimus, neque amplius, quam 24. Præsentatos de lectura. His autem gradibus quos de numero dicimus neminem insigniri liceat, nisi qui exacte, & legitime omnia illorum merita, & requisita compleverit, prout in his Constitutionibus ordinantur.

2. Quo circa præsenti Constitutione enixe observari præcipimus Decretum Capituli Generalis Optensis a SS. D. N. Innocentio XI. confirmatum: quod nullus ad gradum Præsentaturæ de lectura promoveri valeat, nisi decursis integreque peractis 8. annis lecturæ actualis inclusi pariter quos forsan egerit in Magisterio studentium, itaut jam per triennium unam ad minus artium lecturam compleverit; reliquis autem Theologiam sacram ad octavum usque docuerit, aut Magister studentium extiterit. Similiter etiam quod nullus ad Magisterium assumatur nisi ultra prædictos octo annos, alios septem in S. Theologiæ lectura consumpserit.

3. Lectorem autem illum qui de licentia Ordinis, in universitate approbata oppositionem fecerit, & in ea Cathedram obtinuerit, ubique prædictos annos is tam in artium lectura, quam Theologiæ ex toto, vel parte peregerit, nulla ratione excludimus, imo gratius admittimus, & approbamus idoneum ad gradus Præsentaturæ, & Magisterii obtinendos, perinde ac si prædictos annos intra Ordinem complevisset.

4. Pari modo constituimus præmissos annos, debere esse completos, singulisque materiis, & curriculis respondentes. Itaut unus annus non possit complecti duos cursus, tam Theologiæ, quam artium. Quod si aliter eveniat, eos neutiquam ad surreptionem graduum pro merito computamus.

5. Ut ergo omnium annorum lecturæ cujuslibet legitima ratio habeatur, eorum probationes, & informationes immediate fieri constituimus in actu visitationis ab ipsis Provincialibus, vel Visitatoribus, ita scilicet, ut primo fiant privatim in scrutinio secreto, & deinde publice per testimonia sanioris partis Conventus. Quod si ad istas authentice conficiendas Provinciali, aut Visitatori tempus in visitatione deficiat, ille tantum, & non Visitator relinquat, aut mittat commissionem Religioso sibi probato, & idoneo, qui eas ut prædicitur perficiat.

6. Illæ vero ita legitime factæ debent præsentari Diffinitorio Capituli Provincialis, & ibidem examinari, & pariter cum secreta informatione conferri, quam Provincialis, aut Visitator in visitatione susceperit, ut ex ista, & illis fiat a Diffinitorio judicium, cujus est privative informationes intra Capitulum, easque probare, & repellere.

7. Ipsas insuper fieri decernimus de triennio

in triennium in singulisque Capitulis præsentari, quod si hæc præsentatio ultra unum Capitulum protrahatur maneat irrita, annique lecturæ non computentur ad provisionem graduum. Statuimus præterea, non quamlibet informationem hujusmodi approbationem a Diffinitorio Capituli factam sufficere, ut quis maneat expositus, aut jure promotus ad gradum aliquem obtinendum. Illam ergo tantum esse volumus declarationem ad expositionem gradus sine dispensatione requisitam.

8. Unde cum ex Decreto Pauli V. hujusmodi expositio, seu præsentatio semper fieri debeat in vacatione determinata per Diffinitorium Provinciale intra Capitulum Provinciale congregatum, ad quod privative attinet, & ex hoc necessario sequatur gradus extra Capitulum vacantes, usque ad aliud proxime futurum manere suspensos; idcirco ne pro his dilationibus quidquam incommodi Provincia sustineat, consulto, & deliberate statuimus, ut prædicto Diffinitorio liceat intra Capitulum hanc facultatem exponendi, seu præsentandi ad gradus, quemcumque ex approbatis a se ipso Magistro Generali cedere, ut ex ipsis extra Capitulum Provinciale exponat quem maluerit.

9. Ex eodem Pauli V. Decreto ad Magistrum Generalem loco, & vice Capituli Generalis, quoslibet supra dicto modo expositos ad gradus promovere, eosdemque in ipsis confirmare privative pertineat. Qua etiam facultate gaudere volumus Priorem Barchinonæ, aut alium, qui tempore vacationis Magistratus in Vicarium Generalem totius Ordinis successerit.

10. Ordinamus ulterius, ut prædicta requisita ex parte promovendi ad gradus Præsentaturæ, vel Magisterii minime suppleri valeant per alia merita, & exercitia, vel obsequia Religioni præstita, cujusvis ea qualitatis extiterint, quod si quis in posterum præfatis absque requisitis, & conditionibus, tales gradus susceperit, eos irritos, nulliusque roboris declaramus.

11. Nec gradum ejus, qui etiam per longum tempus a Provincia discesserit (nisi forsan maneat adoptatus in alia) mox quasi vacantem cuiquam providere, vel eum quovis modo in numerum subrogare. Si quis tamen gradum ita susceperit, nullitati, & privationi vocis activæ, & passivæ illum de facto subjicimus.

12. Præter dicta vero duodecim Magisteria de numero, & lectura & viginti quatuor Præsentaturas, etiam de numero, & Cathedra, alias etiam sex Præsentaturas pro Prædicatoribus admittimus, quas dicimus de Pulpito, de quibus inferius capite de Prædicatoribus est dicendum, extra præfatos etiam gradus, quos Fratribus ex eo, quo, & pro suo munere laborantibus impertimur. Si quis gradum aliquem per Breve Sedis Apostolicæ obtinere voluerit, nunquam id intendat, nisi de licentia Magistri, nec ea obtenta gradum assequi valeat, quin prius ejus narratio in Diffinitorio Provinciali examinetur, & ibidem de subreptione, & obreptione fuerit ab omnibus absoluta, omnique vitio pura judicetur.

13. Deinde vero ut quis ad collationem, & confirmationem prædictorum graduum, de gratia perveniat firmiter constituimus, ut juxta prædictam Bullam Innocentii XI. sæpius relatam necessario, & inviolabiliter sufficientiæ illius rigorosum, & prævium fiat examen, exponendo scilicet per unam horam punctum aliquod, seu quæstionem Theologiæ Scholasticæ, Moralis seu Expositivæ ante horas 24. a se pro libito electam, ex tribus sibi sorte propositis, ex Magistro sententiarum, aut ex Sacris Bibliis, & per aliam horam expositis argumentis satisfaciat. Quæ omnia fieri debent solemniter in concursu publico coram Provinciali, qui deinde cum duobus saltem Magistris de numero, & totidem Præsentatis de numero, & Cathedra ad approbationem promovendi per secreta suffragia procedat, & juxta eorum majorem partem admittatur, vel reprobetur.

14. Eos tamen ab hoc examine excipimus qui jam alias ex merito lecturæ fuerint approbati a Capitulo Provinciali ad prædictos gradus, vel saltem jam præfatum examen subierint in publicis oppositionibus ad lecturam Theologiæ, & ad illam pariter manserint approbati.

15. Omnes Magistri, & Præsentati, quos de numero, seu lectura prædiximus vocem habeant in omnibus actibus, & electionibus Capituli Provincialis, præterquam in ejus diffinitorio, nisi alioquin ibi ea gaudeant ex munere. Magistris tribuatur socius, qui ad commune Conventus servitium non deputetur, & per eundem e domo egredi volentes licentiam a Commendatore petant. Ultra communem, duas pro se missas in hebdomada celebrare poterunt super communis refectionis mensuram, ejus medietatem illis ubique superaddimus, ipsos item ab omni officio altaris absolvimus, nisi in festis, & solemnitatibus præcipuis, neque in tabula hebdomadæ ad aliquod munus designari possint.

16. Quantum vero ad residentiam in Choro iisdem Magistris denunciamus eos vi gradus specialiter esse ad studium S. Theologiæ Scholasticæ, Moralis, Mysticæ, vel Expositivæ destinatos, juxta quas tum scribendo, tum concionando, tum confessiones audiendo, debent populos instituere, ad quorum profectum sunt vere facti, & appellati Magistri; quapropter dum hujusmodi laboribus specialiter, actu, & assidue pro suo munere intenderint, eos quantum ad Chorum eisdem lectorum actualium gaudere immunitatibus declaramus. Præsentati vero ultra communem missam alteram pro se celebrare valeant in hebdomada, & eos pariter ab officio Altaris absolvimus. In reliquis autem servetur omnibus graduatis tam de lectura, quam Pulpito rationabilis consuetudo Provinciarum a Capitulis Generalibus approbata, & præter illam & præfata nulla ipsis alia privilegia permittimus.

17. Super quibus insuper declaramus Magistros, & præsentatos de gratia, modo dicto creandos in his quoque respective privilegiis, & immunitatibus contineri, ita tamen, ut quantum ad locum, Præsentati de gratia sint posteriores Præsentatis omnibus de lectura, & Pulpito, quos dicimus de justitia. Circa Magistros autem pariter ex gratia institutos observari præcipimus Decretum Capituli Generalis Optensis a SS. Innocentio XI. confirmatum videlicet in hac forma: Quod nullus ad seriem Magistrorum de numero ascendat, quin imo nec Præsentatis de lectura locum auferat, sed illis sint ubique posteriores, & immediate sedeant ante Præsentatos de Pulpito; excipimus tamen illos, qui ex præsentatura de Cathedra, & numero sint ad Magisterium assumpti, quos ad Ordinem etiam Magistrorum de lectura referri decernimus, ita ut locum post eos omnes immediate semper obtineant.

CAPUT VII.

De forma graduandi Magistros, & Præsentatos.

1. Cum ex concessione SS. Alex. VII. Magister Ordinis per se vel alium a se subrogatum facultatem habeat promovendi suos Fratres ad gradus Doctoris, & Baccalaurei, sicut in qualibet Universitate approbata, ideo constituimus, ut ipse pro confirmatione, seu collatione Magisterii, designet aliquem (si per se non conferat) ex Magistris jam confirmatis, & graduatis in promotorem ad talem gradum sub forma constitutionis istius conferendum, a quo promovendus in Magistrum gradum Doctoris Theologiæ solemniter recipiat intra quatuor menses a receptione confirmationis illius, secus enim maneat Magisterio privatus. Præsentatus autem sive a Ma-

gistro, sive a Provinciali ad id jam pridem per se facultatem habentibus a Constitutione nostra ad gradum Baccalaurei eadem solemnitate promoveatur. Ante promotionem vero suffragium non habeat in Capitulo Provinciali. Quam Constitutionem etiam ad Præsentatos de Pulpito extendimus nec non ad Magistros, & Præsentatos de gratia. Forma autem graduandi Magistrum est hujusmodi.

2. Forma graduandi Magistrum. Promotor habeat annulum, & pileum nigrum paratum, ac sedens expectet promovendum, qui flexis ad pedes Promotoris genibus interrogatur ab eo, quid petis, & respondeat humiliter. Peto promoveri ad gradum Doctoratus, & Magisterii S. Theologiæ. Promotor. Promittis tenere, servare, docere, & defendere Doctrinam sanam, & Catholicam juxta determinationem Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ. Promovendus. Promitto, & spondeo in hac forma.

3. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ visibilium omnium, & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. *Amen.* Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime, admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacram Scripturam admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ Legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illa quoque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, & justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo diffinita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, & proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & Defunctis, atque Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica *Transubstantiationem* appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi constanter teneo. Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis curari. Similiter, & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmiter assero. Imagines Christi, & Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum, habendas, & retinendas esse atque eis debitum honorem, atque venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosf. Synodo Tridentina tradita, diffinita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Item juro quod quatenus per Sanctam Sedem Apostolicam licebit tenebo, tuebor, defendam, prædicabo, atque docebo Animam Beatissimæ Virginis Mariæ in primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus, præveniente Spiritus Sancti gratia, intuitu meritorum Jesu Christi Redemptoris, a peccato Originali reservatam, & immunem fuisse, & in hoc sensu festum Conceptionis ejus ab Ecclesia celebrari. *Promotor dicat.*

Quoniam sapientiam vocasti amicam, & amator factus formæ illius quæsisti eam tibi sponsam assumere, ecce Deus dat tibi eam sponsam, ut semper tecum sit, & cor tuum possideat. In signum ergo accipe annulum in manu tua. Accipe inquam annulum in signum fœderis, & ingenuitatis verum. Et ego auctoritate Apostolica per literas nostri Reverendissimi Patris Generalis mihi commissas, instituo, creo, facio te Doctorem, & Magistrum in S. Theologia, doque tibi potestatem, & facultatem publice legendi, docendi, & interpretandi, exponendi, & declarandi Sacram Theologiam: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Deinde surgat, & faciat promovendum sedere in sua sella dicens: Promoveo te ad gradum Magisterii S. Theologiæ annumerans te consortio Doctorum, & Magistrorum dictæ facultatis: ita collocet, & sedere te faciat Dominus cum Principibus, ut solium Gloriæ teneas.

Deinde imponit Pileum, seu Biretum capiti ejus dicens. Accipe Pileum, seu Biretum nigrum cum flosculo candido in signum Magisterii, sic ornet te Deus corona Gloriæ. Deinde elevet, & dans ei osculum dicat: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, crescere te faciat Dominus in millibus, & benedicat tibi in sæcula sæculorum. *Amen.*

Forma graduandi Baccalaureum.

Promovendus flexis genibus ante Magistrum Generalem, vel Provincialem suum faciat Professionem Fidei, ut supra, qua finita dicat Promotor:

Ego

Ego Auctoritate Apostolica mihi commissa promoveo te ad gradum Baccalaurei S. Theologiæ tanquam benemeritum, & valde condignum.

CAPUT VIII.

De Prædicatoribus.

1. Ut autem munus prædicationis in Religione fulgeat, & simul Fratres habiles instituantur ad hujusmodi exercitium. Idcirco decernimus, ut nemo ad illud assumatur, nisi per duos saltem annos Sacram Theologiam audierit, ac Diaconatus Ordine initiatus existat. Cum vero eligendus sit a Provinciali (ad quem attinet) semper id fiat præmisso rigoroso examine coram ipso, & examinatoribus Conventus, cui Provincialis adfuerit, & in sensibus Sacræ Scripturæ, Fideique Mysteriis exacte probetur instructus. Sine hoc vero examine nullus audeat munus prædicationis exercere, neque sine licentiis Superiorum, juxta Concilii Tridentini decretum.

2. In quolibet conventu duos Prædicatores Conventuales admittimus, & non amplius, qui huic labori, cum merito, & jure ad præmium infra designatum incumbant. Quod si plures instituantur nominationes posteriorum inanes omnino reddimus, quantum ad jura merendi. Illis ergo præcipua sit cura prædicare per loca ditionis suæ ad poscendas, & colligendas Eleemosynas pro captivis, cum literis tamen patentibus suorum Provincialium. In quo labore per duodecim annos exerceri debeant, itaut illis non reputetur ad gradum, nec suppleri valeant aliis meritis, nisi vere, & integre hujuscemodi officium perquam diligenter expleverint modo, & forma, hic, & superius *Dist. 2. Cap. 2.* præscriptis. Præter hoc insuper eos teneri volumus, ut conciones Conventus, juxta ordinem, & dispositionem Commendatoris habeant, & conscientiæ casum alterne proponant, & resolvant quotidie ab initio Adventus Ordinis usque ad Dominicam Trinitatis.

3. Qui vero actu in hoc prædicationis munere laboraverint gaudeant exemptionibus ab officio Chori, & Altaris a Matutinis media nocte dicendis, & Prima: insuper missam unam pro se celebrare possunt ultra concessam a Constitutione. Et tandem completis duodecim annis prædicationis immunes etiam ab officio Hebdomadæ declaramus, non tamen a residentia Chori, quam eos de cætero integre sectari præcipimus.

4. Cum pro his, qui præfatæ prædicationis officium compleverint sex Præsentaturas jam pridem Ordo instituerit, in qualibet Provincia eas neminem posse obtinere decernimus, nisi peractis, ut jam præmissum est duodecim annis in prædicationis exercitio, præviaque informatione de illis ab ipso Provinciali, seu Visitatore facta, sub eisdem forma, & tempore annorumque nullitate in Capitulo præsentanda, quæ superius de lectorum informationibus decernuntur. Diffinitorium vero Capituli jus habeat privativum eas approbandi, ac etiam exponendi Prædicatores ad prædictos gradus, & hanc quoque facultatem cedendi Magistro, sicut in gradibus de lectura sancivimus.

5. Ipsis vero Prædicatoribus jam graduatis, easdem immunitates, indulta, & privilegia concedimus, quibus gaudent omnes Præsentati de lectura, vocemque similiter activam, vel passivam in Capitulo Provinciali, & in electione Diffinitorum Provincialium, & Diffinitorum, Electorum Generalium, & cæteris actibus Capituli præterquam in ejus Diffinitorio, nisi ad illud aliunde pertineat.

CAPUT IX.

De Confessionibus, & Confessariis.

1. Per professionem literarum eo maxime ducimur, ut discamus scientiam Sanctorum, mysticamque Theologiam, qua in pœnitentiæ foro ductores animarum efficimur, & lepram a lepra discernimus. Unde eam in confessariis nostris sufficientiam desiderantes, quæ decet Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, firmiter stabilimus, ut nullus Frater in Ordine nostro confessiones audiat sæcularium, neque fratrem alterius Ordinis, nisi prius a Magistro vel Provinciali fuerit approbatus, quibus enixe constituimus, ut ad munus hujusmodi eos tantum fratres eligant, qui literis, vita, & sanctitate fuerint commendabiles, præter has autem licentias ab Ordine, nullus Frater confessiones sæcularium audire præsumat, nisi illam etiam obtineat a Diœcesano, vel ejus Vicario, vel ab alio cui hujusmodi confessiones audiendi jure possit facultatem, vel curam animarum injungere. Caveant autem dicti confessarii, ne aliquid a pœnitentibus exigant, imo neque suscipiant, illud Evangelii adimplentes: gratis accepistis, gratis date.

2. Quilibet Commendator in sua commenda idoneos Fratres assignet, & satis sibi probatos, qui aliorum Fratrum confessiones audiant, omnes tamen conventuales teneantur suis Commendatoribus ad minus semel in anno confiteri, & ab ipso communionem suscipere in missa solemni feriæ quintæ majoris hebdomadæ.

3. Fratres autem, sive conventuales, sive hospites in Conventu commorantes, nullis aliis confessariis confiteantur, nisi tantum illis, quos pro conventu Prælatus designaverit. Extra conventum vero, & ubicumque nostrorum confessariorum copiam non habuerint, confiteri poterunt extraneis confessariis a suis respective Superioribus approbatis.

CAPUT X.

De totius Ordinis, Provinciarumque Historiographis.

1. Agnoscentes utilitatem historiæ, quæ antiquorum Patrum exemplis præsentium sæpe mores effractos instituant, propterea ordinamus ut in Capitulo Generali, quoties opus fuerit eligatur, vel confirmetur unus historiographus, pro toto Ordine, qui omnes res ejus, & gesta, vitasque, præcipue Venerabilium Patrum, præcellentiumque virorum memoriæ tradat, atque inceptam semper historiam novis voluminibus, & tractatibus adaugeat, similiter, & in qualibet Provincia, alius etiam in ejus Capitulis Provincialibus nominetur, qui totius provinciæ res fideliter referat, & digerat, unde, & generalis historiographus totius Ordinis historiam concennare valeat.

2. Volumus autem, ut qui nominati fuerint ad officium hujusmodi sint ad illud genio, naturæque facilitate proclives, sacris etiam, & humanis literis præstantes: ante collationem muneris æquum erit, ut a Provinciali, aliisque viris rerum experimentum fiat, ut cum discretione eligatur, qui proposito, & intentione utilior videatur, & commodior.

3. Dum ergo Generalis Chronographus hoc in opere laboraverit, Fratrem amanuensem semper apud se habeat, ab omni Conventus onere liberum, Oleum etiam, papyrum, & cætera suo muneri necessaria ei a Prælato tribuantur, si non fuerit Magister, gaudeat, quo ad victum, mensura, & portione Magistri, si autem Magister existat eadem victus ratio designetur ei, quam Patribus Provinciæ præfiximus.

4. Expensæ vero, quibus pro scriptis Prælato mandandis indigeat, illi inviolabiliter con-

cedantur

ceduntur ab Ordine : juxta Magistri Generalis dispositionem, cui enixè suademus, ut totis viribus omnia, quæ super hoc fuerint elaborata, semper juris comiti contendat. Duas insuper missas, præter indultam a Constitutione Generali Chronographo perpetuo concedimus in singulis septimanis.

5. Historiographus autem Provinciæ, si propriam, & specialem historiam Provinciæ ordinare, & accedere constituat, id fiat expensis Provinciæ, nisi eas aliunde ipse, vel Prælati provideant, quod si non faciat mittat singulis annis ad Magistrum Ordinis universa, quæ digna relatu invenerit, & elaboraverit, ut generalibus chronicis inserantur.

6. Immunitates, quibus gaudere debet sint una Missa præter communem in singulis septimanis, oleum, papyrum, reliquaque, ad scribendum necessaria, & tandem partes Magistri quoad victum.

CAPUT XI.

De Bibliothecario.

1. Cum Bibliotheca sit communis disciplina fratrum, & officina literarum, unde quis præter inopiam de omnibus edoceri valeat, eam quantum fieri possit omnibus facultatem præcipimus esse instructam, maxime vero in domibus studiorum. Pro custodia autem, & cultura illius fratrem unum pervigilem, & libris omnino deditum constituat Prælatus, cui omnino Bibliotheca, & librorum numerus tradatur, de quibus cum postulatus fuerit, rationem reddere debeat. Ad hoc vero fiat duplex inventarium, quorum alterum in Conventu depositum includatur, alterum vero apud ipsum maneat Bibliothecarium, itaut in fine utriusque, & quotiescumque librorum mutatio fiat in qualitate, vel numero subscribat semper Prælatus cum depositariis, & Bibliothecario.

2. Huic ergo Fratri subjungimus, ut librorum species, sic discretis componat ordinibus, ut secundum diversitates facultatum sint ad invicem separati, qui pertineant ad unam scientiam, & facultatem simul in uno, vel pluribus pluteis per suas cellas, & ordines componat titulo facultatis desuper addito, & signatis voluminibus propriis numeris, ut per eos facile inveniantur in tabula.

3. Præterea studere debet, ut pro nitore, & munditia librorum fenestræ contra pluviam, & ventum præcludantur, ut locus everratur frequenter, & e voluminibus pulvis, & tineæ sæpe numero excutiantur, clavis Bibliothecæ servetur semper apud ipsum, sitque perpetuo paratus ad illam aperiendam studere volentibus, & ibi interim assistendum per se, vel fidelem Socium sibi creditum, & a Prælato designatum, nec quisquam alius specialem clavem obtineat præter Bibliothecarium.

4. Ipse ulterius in id maxime incumbat, ut non solum libri non pereant, sed potius ut in dies accrescant, omnium illorum ita debet esse conscius, & præcipuos saltem in aliqua facultate semper comparari curet, quod quidem commutatis, aut venditis libris duplicatis fieri poterit. Cæterum cum id agi oporteat nunquam exequatur pro libito nisi cum assensu Commendatoris, & Provincialis in scriptis.

5. Sed ut omnis nostri Ordinis Bibliotheca fideliter conservetur, librique ulla negligentia decrescere, vel disperdi nequeant; præcipimus, in virtute Spiritus Sancti & Sanctæ Obedientiæ, sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, ut nullus Frater cujuslibet qualitatis, aut conditionis extiterit possit, nec audeat librum, aut libros, quoscumque, vel quolibet excogitabili prætextu, seu causa ex Bibliotheca extrahere, nec adhoc valeant Prælati facultatem concedere sub eisdem pœna, & præcepto.

6. Qui vero Frater libros sibi ad usum concessos communi Bibliothecæ tradere voluerit, poterit libere, ex ipsis dumtaxat aliquem, seu quos velit pro suo studio deducere. In Conventibus autem exiguis, ubi pauci fuerint libri, eos Prælatus in sua Cella custodiat, de quibus poterit tradere quos Frater aliquis ad studendum postulet; relicta tamen memoria in Chirographo, ut eos debito tempore reddat.

7. Ut denique Bibliothecarius præmissa omnia diligentius expleat, illumque sui muneris nunquam tædeat, ordinamus, ut omni tempore, quo illud obierit, si non fuerit Præsentatus gaudeat omnibus gratiis, immunitatibus, & exemptionibus Præsentati, præter vocem, & locum. Si vero Præsentatus existat, omnia pariter privilegia illi concedimus, quibus Magistri fruuntur excepto loco dumtaxat.

DISTINCTIO SEPTIMA.

De electionibus ad officia, & Potestatibus Electorum.

Ordinis vineam essentialibus jam disciplinis institutam, Fratribusque quasi vitibus plantatis pœnarum vallo munitam, & literarum torculari instructam nunc tradimus Religiosis agricolis, quos in Prælatos assumimus, ut apti adhibita regiminis cultura fructum ejus Domino referant tempore opportuno.

CAPUT I.

De Capitulo Generali, ejusque tempore, & convocatione.

1. Magistri Generalis officium in Ordine nostro non amplius, quam sex annorum spatio concluditur, itaut illud nunquam perpetuari liceat, sicut decreto Gregorii XIII., & Motu proprio Sixti V. præcipitur, neque rursus, qui vicem suæ alternationis inferius declarandæ per sexennium expleverit, eadem iterum vergente non possit denuo in Magistrum Generalem assumi, sed expectari debet sequens ipsius Magistratus vicissitudo.

2. Sex autem annos prædictos mobiles, & Ecclesiasticos intelligimus videlicet a Sabbato in Sabbatum ante Dominicam Pentecostes, vel a Sabbato in Sabbatum ante tertiam Dominicam Octobris, quæ non eodem mense, vel die contingunt, unde si Capitulum Generale præcedens celebratum fuerit Sabbato ante Dominicam Pentecostes, hoc eodem Sabbato sex post annis subsequens Capitulum habendum sit absque dubio. Si vero ob vacationem Magistratus ante sexennium expletum (ut infra constituitur) præcedens Capitulum celebratum sit Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris sequens in ipsum recidat post sexennium. Quod si ob eandem Causam Capitulum habeatur Sabbato ante Pentecostem Capitulum immediate succedens pariter post sex annos finiatur in ipso.

3. Et quamvis aliquando (ut inferius etiam ordinatur) ad Sabbatum ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris transferatur, non propterea futurum proxime Capitulum (extra casum quo hæc translatio octava dierum statuitur) a prædictis Sabbatis ante Dominicam Pentecostes, aut tertiam Octobris amoveatur, sed in ipsam redire præcipimus.

4. Ad hoc autem Capitulum Generale (exceptis casibus vacationis Magistratus inferius assignandis, omnes ejus vocales præsentis Constitutionis jure convocamus, itaut vi illius omnes censeantur convocati ad unum ex prædictis Sabbatis, eo præcise quod expleatur sexennium, atque adeo teneantur accedere ad domum pro eo celebrando in proxime Superiori Capitulo

designatam,

designatam, nihilominus Magister Generalis poterit suas literas convocatorias ad eos opportuno tempore mittere juxta consuetudinem Religionis. Quod quidem præstare tenebitur Vicarius Generalis Ordinis, qui in ejus locum Magistratu qualibet ratione vacante successerit in suis semper literis causam vacationis declarando. Cæterum si Magister juste sit impeditus, & nequeat ad celebrationem Capituli Generalis accedere, Præsidemque in illo nominaverit (quod dicimus in eo casu Vicarium Magistri) nullam is habeat potestatem convocandi, sed per se difaciat Magister Generalis tempore superius declarato.

5. Quocumque autem sive Magistro, sive Vicario Generali Ordinis convocante, sive etiam jure tantum Constitutionis, convocatione facta, & supposita, ut præmissum est, omnes vocales ad præfatum generale Capitulum venire teneantur loco, & die, qui præstituti fuerint, inspectis. Si qui vero noluerint, aut fuerint impediti legitime, jus eligendi maneat apud illos, qui præsentes extiterint.

6. A die convocationis ad celebrationem Capituli, usque ad ejus Conclusionem, in quolibet Ordinis Monasterio fiat quotidie supplex ad Deum deprecatio pro felici ejus eventu, & pro prospero vocalium itinere. Post nonam itaque, vel Missam dicat Conventus Psalmum: *Ad te levavi animam meam, ut 5. Dist. 3. Cap. 15.*, quo peracto, Cantor incipiat: *Veni Sancte Spiritus &c.* & deinde *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℞. Sed libera nos a malo.
℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
℞. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvos fac Servos tuos.
℞. Deus meus sperantes in te.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum &c.

CAPUT II.

De præside Capituli Generalis, & casibus, in quibus ejus celebratio mutatur.

1. Vivente Magistro Generali sui muneris est præsidere Generali Capitulo, si per salutem, & expeditionem liceat, quod si morbo, vel alia justa causa ita fuerit impeditus, ut ipse per se Capitulo adesse non valeat, tunc præsidem ad illud mittere posse decernimus, Fratrem utique nostri Ordinis idoneum, & prudentem, tantoque muneri exequendo literis, & auctoritate non disparem. Hunc autem Magister sub nomine sui Vicarii, & non Vicarii Generalis literis opportunis sigillo suo roboratis ad hunc tantum effectum præsidendi constituat cum ea potestate quam declarabimus inferius.

2. Quoniam autem præter hunc casum potest Magister Ordinis morte, promotione, renunciatione, aliisve causis ab officio deficere: consequens etiam est, ut ad novam ejus electionem in alios Præsides incidamus, & diversis temporibus eveniat celebratio Capituli, providereque debeamus singulis.

3. Cum itaque futuris temporibus Magistratus Ordinis, per obitum, aut renunciationem, vel alias quovis modo vacare contigerit, si id ante quatuor menses proximos mense Pentecostes eveniat Capitulum Generale in Vigilia hujus Paschatis celebretur. Si autem prædictus obitus Magistri, vel alia vacatio (ut præmittitur) succedat intra tempus dictorum quatuor mensium ante perfectum Pascha, tunc celebratio Capituli Generalis ad Sabbatum ante Dominicam tertiam Octobris ejusdem anni differatur, quam scilicet non usualem, sed Ecclesiasticam intelligimus.

4. Similiter si prædicta vacatio Magistratus acciderit ante quatuor menses proximos, d. Sabbato tertiæ Dominicæ Octobris Capitulum Generale in eo Sabbato dictæ Dominicæ tertiæ celebretur. Si autem intra tempus ipsorum quatuor mensium ante dictam Dominicam tertiam Octobris obveniat, tunc ad Sabbatum, seu vigiliam Pentecostes anni immediate sequentis transferatur, itaut celebratio Capitulorum Generalium, & electio Magistri semper in Sabbato, & non alia die instituatur, aut fiat.

5. Unde in hunc finem, & pro majori declaratione hujus nostræ Constitutionis statuimus, ut si a vacatione Magistratus, usque ad vigiliam Pentecostes, plus quatuor mensibus intercedat, itaut ante dictam vigiliam isti quatuor menses expleantur, præfata vigilia habebitur Capitulum; similiter si quatuor prædicti menses finiantur ante Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris, non aliud Sabbatum expectabit electio, sed fiet in ipso.

6. Attamen si a vacatione Magistratus usque ad vigiliam Pentecostes, vel ab ipsa vacatione, usque ad Sabbatum tertiæ Dominicæ Octobris, ita pene quatuor menses interveniant; ut statim post dictam vigiliam, aut Sabbatum compleantur, videlicet intra sequentem hebdomadam, & ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris. Tunc celebratio Capituli Generalis transeat respective ad hæc Sabbata ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris, & non ultra, ne propter paucissimos dies, ita longe Magistri prorogetur electio.

7. Interea vero donec Magister eligatur, cum ad Priorem Barchinonæ, vel ejus defectu ad alios inferius suo ordine declarandos successioni religionis gubernio pertineat, quicumque tamen ille fuerit. Succedit etiam cum omnimoda facultate convocandi, & præsidendi Capitulo Generali usque ad ipsam electionem inclusive, & non amplius, sicut accidit etiam in præsidentia ipsius Magistri.

8. Declaramus autem, ut omnis tollatur ambiguitas, quod quotiescumque vacaverit Magistratus Ordinis intra quatuor ultimos sexennii menses, etiamsi paucissimi dies deficiant, Capitulum Generale celebretur Sabbato, quo sexennium concluditur, itaut Vicariatus Generalis amplius durare non valeat, quam illis præcise diebus, aut intervallo, quod deest, usque ad Conclusionem sexennii, & dictam celebrationem Capituli, quod a præfixo tempore divelli nequeat, nec Vicariatus ultra sexennium procedere.

9. Post electionem vero statim, ac noviter electus fuerit canonice declaratus, ac in vere Magistrum a Capitulo susceptus, si præsens sit jam de cætero transit in illum præsidentiæ munus in universis Diffinitoriis, & actibus, tam publicis, quam privatis ipsius Capituli; si vero abfuerit, idem Præses electionis, omnibus præfatis actibus præsideat modo decreta a Diffinitorio facta a Magistro electo postea confirmentur.

10. Quod si durante Capitulo præ aliqua invaletudine Magister electus, nequeat præesse actibus, & Diffinitoriis Capituli, cujus est ipse Caput, & pars præcipua, tunc illi fas erit, aliquem de vocalibus ad hanc præsidentiam eligere, & in illum transferre omnem suæ vocis auctoritatem pro singulis in Diffinitorio, & reliquis actibus decernendis. Cum tamen eligatur

fiat

fiat authentice, itaut de singulis actis electionibus, & Decretis Diffinitorii, vel Capituli esse rite, & Canonice facta, & non tamquam a corpore, aut Diffinitorio acephalo processisse in libro Ordinis, & ubique constare valeat.

11. Si autem casus adveniat, quod ex temporale obitu Generalis electi ante absolutionem Capituli, nova electio Magistri fieri debeat in ipso Capitulo juxta inferius ordinanda: Tunc huic electioni semper præsideat Prior Barchinonensis, tamquam revera Vicarius Generalis, in hac etiam, etsi brevissima vacatione a Constitutionibus postulatus cui si fuerit absens, aut alioquin impeditus, suo ordine succedant, quos infra præsenti Constitutione decernimus.

CAPUT III.

De eligentibus, & eligendis in Capitulo Generali.

1. Cum Magister Generalis quia prima in Ordine dignitas jus habeat præsidendi Generali Capitulo, idcirco primum locum, & vocem semper obtineat in electione Magistri, universisque actibus totius Capituli electionem præcedentibus in omnibus insuper præfatam electionem consequentibus vocem sortiatur; id ipsum quoque concedimus in Vicarium Generalem Ordinis, vel Capituli, Præsidem illi succedenti.

2. Rursus eos, qui in Ordine nostro munus Magistri Generalis obierint, ita præsenti Constitutione, ad præfatum Generale Capitulum convocamus, ut absolute, ad illud accedere valeant, & vocem electivam, & decisivam habeant in omnibus sicut quilibet ex Diffinitoribus, & Electoribus Capituli, locumque Magistro Generali, & Præsidi immediatum ante omnes Provinciales.

3. In qualibet Provincia quinque sint vocales, qui Votum, & suffragium habeant in Capitulo Generali Provincialis, & quatuor sibi Socii post ejus electionem in Capitulo Provinciali canonice electi, quorum duos Diffinitorum, alios vero electorum Generalium titulo gaudere constituimus. Ex his autem omnibus primum locum habeant Provinciales, deinde Diffinitores Generales, quos subsequantur Electores, juxta antiquitatem Provinciarum.

4. Vocales insuper, quos Electores Generales dicimus, tantum habeant vocem, & suffragium in actibus pleni Capituli, scilicet in qualificatione vocalium ante electionem, & in ipsa electione Magistri, & designarione domus Capitularis, non autem in aliis Congregationibus, quas Diffinitorium, ad differentiam Capituli nuncupamus.

5. Prior autem Barchinonensis, etiamsi non sit Vicarius Generalis, neque præsideat Capitulo, vocem habet, non solum in electionibus illius, sed etiam in Diffinitoriis subsequentibus, & locum post Provinciales, Vicariosque Provinciales immediatum, vocem tamen in omnibus ante illos omnes obtineat.

6. Deinde, qui in Romana Curia, strenue, & cum approbatione communi in Officio Procuratoris Generalis se gesserint per quinquennium, seu Magistri, seu solius præsentaturæ gradu præfulgeant, vocem habent in Capitulo Generali proxime celebrando dumtaxat, & non tantum in electionibus pleni Capituli, verum etiam in omnibus ejus Diffinitoriis usque ad absolutionem, & finem ipsius, ex Decreto Capituli Generalis Optensis a SS. D. N. Innocentio XI. confirmato.

7. Cum temporibus opportunis, & casibus a Constitutione nostra prævisis, & ordinatis possit in defectu alicujus de prædictis Electoribus, aut Diffinitoribus, novus alius vera, & Canonica electione a Diffinitorio Provinciali substitui, super hoc ipso declaramus juxta decreta præsentis Capituli Generalis Optensis hanc substitutionem solum esse intelligendam, & posse fieri aliquo ex prædictis suffragiis certo, & determinate vacare contigerit in effectu, non autem ob solam contingentiam, vel casum quo forte, in itinere, aut in ipso Capitulo quovis modo impediri possit aut deficere. Quod ut immutabiliter impleatur, & non ita late via pateat multiplicandi suffragia, nec pluribus, quam par est, temere, & sine causa determinata adire Capitulum liceat, præsenti Constitutione præcipimus, nullum Electorem, aut vocalem, in locum alterius subrogatum posse de cætero admitti in Generali Capitulo ad aliquem ejus actum, nisi exhibito semper, & realiter præsentato authentico testimonio in ipsa sui creatione a Diffinitorio Provinciali concedendo prout inferius in hac ipsa distinctione cap. 22. ordinatur, quo evidenter constat de defectu determinato, & legitimo impedimento illius, qui ad talem vocem habendam in Capitulo Generali electus fuerit in suæ Provinciæ Provinciali Capitulo.

8. Quantum vero ad eligendos eos qui vocem passivam habeant in Congregatione Generali, statuimus primo ad Magistrum Generalem non quoscumque de ordine esse semper habiles, sed inter ejus Provincias, & Regna, sequentem servandam fore alternativam, ita videlicet, ut semel sit ex tota Corona Aragoniæ, Galliæ, Italiæ, Regnique Navarræ; semel vero ex tota Corona Castellæ, & Portugalliæ, inclusis Provinciis Vandaliæ, & Indiarum Occidentalium, ac etiam Orientalium Congregatione, seu domibus.

9. Quod quidem intelligendum est de filiis dictarum Provinciarum, seu Congregationum, aut domorum, qui in eisdem vere professionem emiserint, nec sola adoptione sint filii. Hujusmodi enim nullatenus tali alternativa gaudere posse decernimus, nisi tantum in concurrentia earum Provinciarum, Congregationum, aut Domorum, ubi primam, & veram filiationem habuerint.

10. Hæc ergo, quæ de Electoribus, & eligendis ordinavimus sic esse firma desideravimus, & sic stabiles eorum voces, ut tam activa, quam passiva privari aut destitui non valeant a Vicario Generali Ordinis toto tempore vacationis Magistratus, ut amplius declarabitur inferius. Quod si ratione alicujus delicti, vel ob alias causas aliquis de prædictis eo tempore appareat active, vel passive inhabilis, & suffragandi actione ex tunc jure communi, vel harum Constitutionum carere videatur, res deferatur ad Capitulum Generale, ubi accurate discussa, decidatur.

11. Si autem Magister Generalis electus mortem obierit ante absolutionem ejusdem Capituli, ubi creatus extitit; non ideo judicamus expletam, & evacuatam alternativam suæ partis, & Provinciarum, quin imo secundum eandem nova fieri debet electio Magistri ex personis ejusdem partis, & Provinciarum. Unde in hoc casu, nullam vacationem Magistratus contingere declaramus, itaut Ordo expectare debeat officium Vicarii Generalis per menses quatuor aut amplius.

12. Ex dictis ergo Provinciis, quæ juxta ordinem præfatæ alternativæ actualem sortem, & concursum habeant in Capitulo Generali unus Frater de universa earum ditione, vel ambitu eligendus est a Capitularibus, sive præsens, sive absens sit a Capitulo, in quo nihil aliud considerare debent, nisi quod ætate sit maturus, & sensibus, doctrina, & Religione præclarus, morum suavitate acceptabilis, disciplinæ regularis amator, & in arte gubernandi, jam probatus diligens Zelator, & prudens.

13. Post celebratam electionem Magistri, eligantur etiam in eodem Capitulo per Diffinitorium Generale, Vicarii Generales Indiarum, & Procurator Generalis Urbis, & quos oporteat constitui pro rebus totius Ordinis in Curiis regum,

juxta

juxta modum, & formam inferius in hac distinctione Cap. 9. & 10. designandam in eodem denique pleno Capitulo eligatur Domus pro celebratione Capituli Generalis proxime succedentis cum alternatione, & qualitatibus in hujus *Dist. Cap.* 11. statuendis.

CAPUT IV.

De electione Magistri Generalis, & forma in illa servanda.

1. Instructo Capitulo, vocales omnes, quos jam in vigilia electionis, vel Sabbati, supponimus Domum Capitularem ingressos juxta inferius Cap. 8. ordinanda in ipsam sono Campanæ conveniant, communiterque procedant ad obedientiam Præsidi exhibendam, quos ille benigne suscipiat, & opportuno tempore Vicarium Capituli sub hoc nomine instituat, qui jurisdictionem ordinariam habeat supra omnes capitulares, & alios Fratres ad Capitulum concurrentes. Talis autem Vicarius eligendus est ex vocalibus illius Provinciæ, in qua celebratur Capitulum Generale, vir quidem industrius, providus, & pacificus.

2. Eadem autem die, & vigilia sub Vesperum congregentur capitulariter prædicti Vocales a Præside juxta morem, & factis commemoratione, & precibus pro SS. D. N. Papa, pro felici statu, & incrementis Ecclesiæ, pro Regibus Catholicis, pro Benefactoribus Ordinis, & fidelibus captivis, vivis, atque defunctis, prout superius *Dist.* 3. *Cap.* 15. de Capitulo quotidiano ordinatur, electionis Præses, Patribus Electoribus brevem, & piam orationem faciat quæ, & de fine convocationis disserat, & ad electionem Magistri Generalis secundum Deum, & canonice peragendam hortetur, ac simul de meritis eligendi, & qua debet præstare virtute, prudentia, Doctrina, & zelo observantiæ regularis eos ferventer admoneat.

3. Hac vero oratione peracta ad examen Vocalium, & legitimas eorum voces canonice discutiendas procedat, & primo per formalem obedientiam, & excommunicationis majoris pœnam, ter illis præcipiat; ut si quis aliquem Vocalium legitimo impedimento, vel censura Ecclesiastica innodatum in Capitulo adesse cognoverit ratione cujus in electione suffragari non liceat, confestim prodat, & nullatenus latere sustineat. Quod si aliquis reperiatur, vel censura Ecclesiastica, vel alio impedimento juris, nostrarumve Constitutionum inhabilis, idque sufficienter probetur facta de eo accurata discussione a Capitulo Generali ab ipso decidatur, & declaretur, & e Capitulo protinus ejiciatur, itaut in hac prima Congregatione, aut sessione, sic maneant Vocales de suæ vocis legitimatæ justo examine comprobati, ut ad futuram, die sequenti, electionem sub certo numero statuantur.

4. Sequenti die primo diluculo, & ad auroram omnes Vocales legitima voce ad electionem suscepti in Capitularem locum conveniant, ibique a Vicario Conventus includantur, quibus locum electionis ingressis celebratur in eo Missa de Spiritu Sancto (quam etiam in toto Ordine, eademque die, & hora cantari præcipimus) ut post illam concio literalis ad Electores latino sermone habeatur hortando eos ad rectam, & bono communi utilem electionem, qua finita flexis genibus concinatur Hymnus: *Veni Creator Spiritus*, & eo cantato surgat Præses, & dicat: *Emitte Spiritum tuum &c.*

OREMUS.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c. & sic ulterius ad sequentia procedatur.

5. Magister Generalis, seu qui ejus defectu præsideat similiter, ut pridie sub formali præcepto, & pœna excommunicationis moneat excommunicatos, suspensos, & interdictos, vel alioquin suffragium, & vocem legitimam non habentes (si qui sint in præfato conclavi, aut quos adesse cognoverit) ut illico recedant, vel prodantur, cum de jure interesse non valeant; quo circa illis protestari debet non esse de mente ipsius aliquem illorum admittere. Si autem occulte se ingesserint nolumus eorum voces, sive suffragia approbare, aut per eas electioni canonicæ derogare, seu quovis modo inferri præjudicium.

6. His itaque præmissis omnes electores adjurari debent a Præside singulatim per Deum, & ejus Sancta Evangelia suis manibus tacta in hanc formam: Juras, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, ac in Animæ tuæ periculum eliges in Magistrum Ordinis, Fratrem, quem revera regulari observantiæ, & publicæ utilitati judicaveris meliorem, & magis idoneum regimini; Elector vero dicit: juro? quo juramento peracto omnes etiam singulatim accedunt ad mensam in qua erit coram Præside vas aliquod præparatum, & secreto in illum schedulas injiciant, quas quidem, tam in hac, quam alia qualibet electione canonice facienda non teneantur Electores a Secretario Capitulari petere, sed ipsi eas infra, vel extra Capitulum ad proprium nutum valeant conscribere prout maluerint. Si autem intra Capitulum aliquis Elector ita langueat, ut nequeat electioni assistere; Capitulum nominet duos Vocales, qui ad Cellam ejus advenientes, accipiant ab eo suffragium clausum, & signatum, illudque ad Capitulum deferant, & eodem secreto in vase reponant.

7. Postquam omnes vota sua, & suffragia in vas præfatum immiserint, tunc Præses Capituli cum duobus Diffinitoribus ex toto Capitulo dignioribus coram secretario vota, & singulas schedulas scrutentur, & computent: an vocalium numero coæquentur. Tunc autem si major pars medietate eligentium in aliquo Fratre convenerit, scrutinium, & electio publicetur ut Canonica a prædicto Secretario Capituli, qui fidem de omnibus præstabit in scriptis.

8. Is autem Secretarius, vel Notarius hujusmodi Capituli semper debet eligi ex Fratribus nostri Ordinis, & nullatenus secularis, præstito prius secreti, & fidelitatis Juramento, cujus quidem muneris est fidem reddere, & authentice literis consignare universa electionis acta, & quæcumque gerantur & decernantur in Capitulo.

9. Si vero major pars eligentium (ut prædicitur) in uno Fratre non conveniat, secundo, tertio, si fuerit opus ad nova suffragia, & scrutinia procedatur, donec major pars medietate eligentium in unum conveniat, & electio fiat Canonica: quod si intra duos dies non elegerint, præcipimus in virtute obedientiæ Commendatori domus, vel ejus Vicario, ut panis, & aqua tantum electoribus ministretur, donec Magistrum Generalem eligant, ex se ipsis, aut aliis absentibus nostri Ordinis, juxta alternativas Superiori capite declaratas.

10. Ut autem in electionibus, quæ a majori parte Capituli fiunt, omnis incertitudo validitatis evitetur, decernimus, quod si eligatur religiosus extra gremium Capituli sufficiat pro majori parte numerus suffragiorum excedens partem alteram in una, ut ex quadraginta uno, vel quadraginta, viginti unum. Et si eligatur Religiosus de gremio Capituli, tunc ad certitudinem validitatis necessarium sit aliud suffragium, ut ex quadraginta uno, vel quadraginta, viginti duo.

11. Si autem in aliqua schedula inveniant scrutatores subscriptionem aliquam, vel signum, quibus persona eligentis innotescat, vel si nihil

in ea sit scriptum aut suffragium inepto tribuatur, non ideo præjudicium patiatur electio, si alioquin sufficienti suffragiorum numero facta sit, ut prædicitur, sed talis schedula subscripta, signata, vel alba, seu in favorem inepti reposita separetur, & pro suffragio cassato, vel potius deposito reputetur, & solum habeatur ratio reliquarum ad scrutandum numerum Canonicæ electioni sufficientem, juxta majorem partem eligentium.

12. Cum autem inter scrutandum aliqua, forte, vel plures inveniantur schedulæ supra numerum vocalium, scrutinium inane reputamus, atque adeo relicto priori ut penitus cassato ad aliud proceditur; denique vero cum jam legitima evadat electio omnes schedulæ coram toto Capitulo protinus comburantur.

13. His itaque peractis, & publicata electione, per Secretarium Capituli statim antequam novus Magister obedientiam suscipiat a Capitulo, debet coram Præside, & Electoribus, Secretarioque prædicto per Deum, & Crucem, & ejus Sancta Evangelia suis manibus tacta, Juramentum facere de sequentibus. Præses interroget. Juras, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, & Constitutiones nostri Ordinis ipsum reges, & moderaberis, omni odio, & amore postpositis? Electus vero respondeat: Juro. Præses iterum: Juras, quod Ordinis instituta, & constitutiones ejus servabis, ac servari facies, & ea pariter exequeris, quæ pro parte Provinciarum Ordinis a suis prædecessoribus approbata, & reservata fuerunt? respondeat Electus: Juro. Præses adhuc: Juras, quod fideliter, & omni studio exequeris, quæ ad Redemptionem Captivorum pertinent, nec in aliquo juxta Constitutiones hujusmodi prædictæ Redemptionis bona, quovis colore, vel prætextu in proprios, vel alios usus convertes, aut converti permittes? respondeat Electus: Juro. Præses autem: Juras, quod omnia bona Ordinis tibi credenda fideliter attrectabis, & de illis, & quibuscumque aliis ad Ordinem pertinentibus, & tuæ dispositioni committendis semper in Capitulo exactam rationem reddes? Electus vero: Juro. Præses tandem: Juras, quod observabis capita concordiæ initæ cum nostra familia Discalceata, circa ministerium Redemptionis prout in ea continetur? Electus respondeat: Juro.

14. Hæc est forma Juramenti perpetuo, & inviolabiliter a Magistro Generali Electo præstandi, qui si omnia, vel prædictorum quidquam jurare recusaverit, electio sit nulla, nec ipse pro Magistro Generali suscipiatur. Si vero juraverit, omnes confestim ad illum accedant, & genuflexi humiliter obedientiam exhibeant, quo facto incipiatur Hymnus: *Te Deum laudamus*, & procedatur ad Ecclesiam locorum ordine servato prout in Capitulo, cujus tamen Præsidi Magister electus adhærebit ad extra, & ubi accesserit ad Altare, ibi prosternatur, & Præses electionis dicat.

℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℞. Deus meus sperantem in te.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus dono tuæ gratiæ prosequaris, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & Gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum &c.

Quibus ita finitis ducitur Magister electus ad Chorum ibique in sede sua se commendat orationibus Fratrum, & populo publicatur electio.

15. Tandem ergo de consensu Magistri electi, & Capituli constituantur Procurator, vel Procuratores qui prædictam electionem Pontifici Maximo exhibeant, ut illam approbare, & confirmare dignetur, quippe cui Ordo noster est immediate subjectus. Si quis vero hujusmodi electioni rite, & recte (ut præmittitur) facta ausus fuerit contradicere, vel obstare, vel ab ea quomodolibet appellare, illum præsenti Constitutione excommunicamus & suffragiis tam in vita, quam in morte, & officiis in Ordine nostro perpetuo privamus.

16. Magister Generalis, qui præfato modo Canonice electus fuerit, suum statim officium exercere incipiat sub titulo Generalis electi, fitque caput, & Prælatus Generalissimus in toto Ordine, cui omnes Provinciales, atque eorum Provinciæ, cum omnibus, & singulis totius Ordinis Fratribus obtemperare teneantur. Postquam vero a Sede Apostolica fuerit confirmatus palam id notum faciat, & denunciet suis Provinciis, ac deinceps absolute nomine, & titulo Magistri Generalis utatur.

CAPUT V.

De officio, & potestate Magistri Generalis.

1. Generalis Magister universalem habeat potestatem in toto Ordine, illam videlicet, quæ supremis Prælatis cujuslibet Ordinis est de jure communi, vel privilegiis concessa, & in posterum concedenda ad omnia, quæ ex peculiari statuto nostri Ordinis non sunt illi prohibita, & ad Curam, seu administrationem totius Ordinis, tam spiritualiter, quam temporaliter exercendam. Unde per se solum in omnibus, & singulis eam potestatem habeat in toto Ordine, quam Provincialis in sua Provincia, & Commendator, seu Prælatus quisque localis in sua Commenda, vel domo. Insuper eam, quæ ad rationem sui officii, ex jure communi, aut privilegio, ex nostrisve Constitutionibus expectare potest. Verumtamen inferiorum Prælatorum ministerio non se immisceat, nisi ob eorumdem defectum, vel cum prudentia, & rationabili causa id postulaverit, semper tamen inferiores illi parere teneantur.

2. Cum igitur ipsi incumbat, tamquam Generali Pastori, & Antisti Ordinem visitare, & proprias oves cognoscere, propterea ipsius conscientiæ consulendo præcipimus in Domino, ut in utroque triennio, totum Ordinem, & omnia illius Monasteria, per se, vel idoneos Fratres (si ipse non valeat) omni studio visitare non desinat. In sua autem visitatione se omnibus justum, & mitem exhibeat, ac regularis observantiæ amatorem, nunc verbo, nunc baculo; vel ferrea etiam virga corripiens si necesse fuerit, itaut omnes sibi subditos quantum sit possibile in bonam frugem, & severam Ordinis disciplinam inducat.

3. Omnimodam autem potestatem habeat modificandi rationabiliter, & ex causa ut superius præmittitur pœnas hac Constitutione inflictas, exceptis tamen casibus ab ea præfixis.

4. Ipsius insuper est potestatis gradus Ordinis confirmare ac reliqua per se exequi, quæ olim agebantur in Capitulo Generali intermedio juxta Pauli V., & Urbani VIII. Decreta, quibus equidem insistentes præfatum Generale Capitulum intermedium de cætero celebrari omnino prohibemus.

5. Ad eum etiam privative pertinet adoptiones, & filiationes Fratrum unius Provinciæ in aliam constituere; si quæ autem Commendæ vacaverint in Provincia ubi reperitur potest eas pro

libito conferre, dum tamen Provincialis ejusdem Provinciæ Commendatorem prius non elegerit. Unde inter ipsos super hoc in prædicto casu præventionis jura constituimus. Similiter in Provincia, cui Magistrum adesse contigerit; si Diffinitorium Provinciæ habendum sit illud convocare potest, & ei pariter præsidere, atque habere suffragium in electione Prioris Barchinonensis, si electionis tempore in ea domo fuerit inventus; non dissimilem potestatem habere decernimus ut convocet, & præsideat, pariterque vocem habeat.

6. Ad Magistrum quoque privative attinet sententiam expulsionis ferre juridice in criminosos, incorrigibiles ea forma, quam superius declaravimus.

7. Item Magister Generalis debet apud se habere duo sigilla, videlicet magnum, & parvum, in quorum primo sit incisa Imago revelationis Ordinis cum ejusdem scuto, & stemmatibus istoque versiculo; per limbum: *Redemptionem misit Dominus Populo suo.* In secundo autem sint tantum prædicta Religionis stemmata, quo ut vere minori utatur in rebus minoribus, illo vero in majoribus tantum, quæ pro rei majestate sic postulant ad perpetuamque rei memoriam subjicimus, ut in fine omnium literarum suarum, seu scripturarum testimonialium anno Domini, apponat etiam annum fundationis Ordinis his verbis. *A descensu vero, & apparitione Beatissimæ, & Immaculatæ Virginis Mariæ ad Fundationem nostri Ordinis anno N.*, quam pariter ab universis aliis Prælatis observari præcipimus, ut antiqua Ordinis consuetudo ab ipsius limine inducta non pereat, tantæque Matris dignationi istud, vel levissimum obsequium deferamus.

8. Magister Generalis potest ulterius præsidere Capitulis Generalibus, & Provincialibus per se ipsum, vel suum Vicarium ad id ab eo specialiter deputatum, & vocem quidem habeat, tam ipse, quam ejus Vicarius in omnibus electionibus, ordinationibus, & Diffinitoriis, usque ad absolutionem utriusque Capituli.

9. Properante jam tempore electionis Provincialis, poterit ipse Magister convocare ad celebrationem Capituli Provincialis, mittendo immediate suas literas ipsi Provinciali, qui illas continuo manifestet Capitulariter Conventui ubi adesse contigerit; ipsas vero deinde mittat illico ad omnes alios Conventus, ut cunctis vocalibus innotescant.

10. Ulterius in concurrentia Capitulorum Provincialium potest Magister quodlibet eorum anteponere, vel postponere per tres menses, a complemento triennii, ut uni, & alteri interesse possit, dummodo nullum a die Sabbati distrahat. Quod etiam præstare valeat, quamvis non sit concurrentia Capitulorum, sed unicum dumtaxat celebrandum, si alioquin sibi visum fuerit expedire. Ultra tamen dictos tres menses non possit Magister Generalis Capitula Provincialia anteponere, nec postponere.

11. Adhuc ad Magistrum pertinebit, ut vere Ordinis Patrem si præsens fuerit electionibus electores dirigere, eos modeste, pie, & religiose monendo, hortando, & instruendo, atque etiam vage suadendo ad eligendum personam digniorem, & magis idoneam ipsius, ut cumque virtutes regimini necessarias Capituli differendo. Si autem non interfuerit id ipsum per literas ad Capitulum, seu electores missas eadem charitate, quæ nunquam agit perperam præstare licebit.

12. Quod si Electores in Provinciali Capitulo congregati intra tres dies a primo exclusive ad electionem designatam de persona eligenda non convenerint, vel electio non sit facta juxta Sacros Canones, Constitutiones, & Decreta Ordinis, atque adeo sit jure cassanda, tunc jus eligendi Provincialem devolvitur in Magistrum, qui illum confestim eligere teneatur.

13. Magister Generalis debet etiam confirmare electionem Vicarii Generalis nostræ recollectionis (si fuerit Canonica) intra dies 15. a primo præsentationis & Patres prædictæ familiæ intra tres menses a die electionis tenentur præsentare illam Magistro Generali pro ejus confirmatione obtinenda ex concordia inter utramque familiam a Gregorio XV. confirmata.

14. Similiter debet electiones Provincialium rite factas confirmare, vel defectum earum ostendere, atque etiam Prioris Barchinonensis si sit quoque Canonice celebrata, in qua tamen si Conventuales de persona eligenda non convenerint intra mensem jus eligendi devolvitur in Generalem Magistrum; qui Vicarios Provinciales in quibusdam casibus inferius cap. 15. hujus dist. exprimendis creare possit sicuti, & in Provincia, quæ ob Provincialis decessum regitur per Vicarium Provincialem ab eo relictum designare Vicarium Generalem, quem pro nulla extra hunc casum Provincia nominare valeat. Hinc tamen excipimus Hispaniæ, Galliæ, Italiæque Provincias. Dicto namque Magistro in Hispania residenti potestatem facimus, ut pro Gallia, & Italia Vicarios Generales instituat. Dum vero in Gallia commoretur, vel Italia eandem facultatem habeat ad eligendum Vicarium Generalem pro Hispania.

15. Licet jure Constitutionis pristinæ Magister Generalis de aliquibus dispensare possit cum Fratribus, illis interdum concedendo nonnullas exemptiones, gratias, & immunitates, nihilominus tamen quia plura, & ingentia damna ex hac liberalitate provenire compertum est, eam in posterum prædicto Magistro interdicimus, eique solum permittimus declarare Fratres aliquos illis immunitatibus, & exemptionibus gaudere, quæ solent appellari reales, & quibus ratione officii, gradus, vel antiquitatis, quadraginta annorum in ordine gaudere possunt juxta Constitutiones hujusmodi, & Decreta Pontificum, seu Capitulorum Generalium.

16. Pro expensis autem sui muneris, & pro vestiariis, aliisque sumptibus Ordinis singulæ Provinciæ teneantur singulis annis præfato Magistro persolvere eam pecuniarum quantitatem, quæ pro earum diversitate, & facultate fuerit a consuetudine stabilita cum approbatione Generalis Capituli, ita tamen ut sive plus, sive minus nulla Provincia, vel etiam Congregatio, seu vice Provincia excludatur a solutione prædicta.

17. Sciat autem Magister Generalis, quod circa hujusmodi Religionis bona meram ei tantum administrationis potestatem concedimus intra Ordinem supra iis quæ ad bonum Ordinis spectant, eaque ideo ut communia, non vero, ut privata respiciat; nullaque insuper ratione, aut prætextu, bona Provincialibus, Commendatoribus, aut quibuscumque Fratribus ad usum concessa sibi quomodolibet determinet, vel assumat. Imo reddituum omnium oppidi de Algar, & quarumcumque contributionum, tam pro vestiariis prædictis, quam alioquin sibi concessarum in Capitulo Generali proxime futuro, vel si ante illud deserat officium Provinciali, & Diffinitorio Provinciæ, ubi repertus fuerit rationem reddere teneatur, ita ut animalia, quæ officio deserviunt cum pecuniis, aliisve rebus ad illud pertinentibus, iisque post redditam rationem supervenerint novo Magistro electo resignet pro usibus sui muneris, vel dicto Provinciali, & Diffinitorio tradat, qui ea Magistro eligendo custodiant.

18. Super omnia vero ipsius interest pro viribus laborare, ut in omnibus redemptio Captivorum ferventer exerceatur a Fratribus, ejusque eleemosynæ omni studio colligantur, fideliterque serventur, ita videlicet, ut suis temporibus

sic omnes integræ fidelium liberationi proficiant, quod nulla ratione, aut prætextu cujuscumque privilegii aliquam, vel minimam partem aliis, quibuscumque usibus applicet, seu applicari permittat.

19. Qua de re omnem ignorantiam propellere desiderantes ipsi Magistro, ut universis Prælatis Ordinis, ejusque Fratribus strictissime, & sub excommunicationis sententia ipso facto incurrenda præcipimus, ut enixe observent & observare faciant Decretum, & statutum editum in Capitulo Generali Barchinonæ anno 1520. ob aliquorumque ignorantiam, aut dubia sæpe in succedentibus confirmatum, & expresse declaratum, prout nunc expresse reproducimus, & declaramus circa renuntiationem, seu potius non admissionem cujusdam tunc recentis Bullæ Sanctissimi Leonis X. de anno 1516. & ejusdem confirmationis a Clemente VII. de anno 1525. quantum ad usum bonorum Redemptionis indifferentium, ita ut quæcumque ab ipsis concessa facultas prædicto Magistro, vel Ordini circa distractionem alicujus partis illorum nunquam censeatur admissa, imo quam primum, & sæpius, ut prædicitur ab ipsis Magistro, & Ordine renunciata, neque tunc in ejus præsentatione, aut aliquando suscepta, sicut eam, ut talem nunc iterum declaramus, & juxta pristinam Constitutionem nostram nullatenus a præfato Magistro, vel quibuscumque aliis exequendam sub prædictis pœnis, & omnibus aliis superius dist. 2. cap. 3. latis ubi cuncta circa prædictas eleemosynas non alio distrahendas prohibita juxta præsentem declarationem, & Decreta superius memorata esse, & fuisse semper intelligenda denunciamus.

20. Pro his ergo Magister debet impensius omnia quantum liceat impedimenta superare, ut Capitulo Generali, ac etiam Provincialibus semper intersit, ubi prædictis maxime, & aliis, quæ ad bonum Ordinis attinent ad oculum valeat providere, ne gregibus sibi traditis propter sui absentiam in Capitulis minus diligenter a reliquis eorum pastoribus consulatur.

21. Ulterius Provinciis magis desolatis, vel minus sibi sufficientibus debet esse favorabilior in concedendis Fratribus idoneis, & utilibus, sive ad legendum, sive ad prædicandum, sive ad alia Ordinis obeunda negotia, juxta utilitatem Ordinis, aut Fratrum transferendorum, vel etiam Provinciæ, a qua, vel ad quam translatio hujusmodi fuerit facienda; nunquam tamen sub hujus facultatis prætextu Fratrem aliquem traducat de vocalibus unius Provinciæ in aliam intra duos menses ante Capitulum Provinciale illius a qua dimittitur. Quod nec alio tempore faciat, nisi rationabiliter urgeat. Contentiones quoque (si quæ fuerint inter Provincias) debet prudenter dirimire, & a mutuis eas injuriis, & vexationibus præservare.

22. Magistri Generales post impletum officium maneant ipso facto Magistri de numero in qualibet totius Ordinis Provincia, ubi reperiantur in omnibus Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus, eorumque Diffinitoriis extra, vel intra Capitulum celebrandis vocem habeant decisivam & electivam in omnibus, honorem paternitatis reverendissimæ non amittant, post Prælatum Conventus locum semper obtinent immediatum, ubicumque voluerint Conventualitatem possunt eligere de licentia Magistri, & ibidem socium penitus ab omni Conventus onere liberum illis dare præcipimus, in reliquis gaudent omnibus privilegiis, & exemptionibus quibuscumque aliis a Constitutione concessis, ita ut juxta supremam dignitatem præteritam amplior eis honor deferatur in singulis.

CAPUT VI.

De successione in Vicarium Generalem Ordinis vacante sede Magistri, & de potestate illius.

1. Ut hæc successio clarius in singulis eventibus statuatur primo & ante omnia decernimus Magistrum Generalem posse ubique, & quovis tempore renunciare Magistratum per se, vel Procuratorem, coram tamen Provinciali, & electoribus, ac Diffinitoribus Generalibus ejus Provinciæ cui adesse contigerit. Qua renunciatione facta, & authentico testimonio per secretarium Ordinis attestata, ex tunc protinus sedem Magistri vacare, & ad illum, qui jure harum Constitutionum sit Vicarius Generalis in Ordine, totum ejus regimen devolvi, perpetuo stabilimus. Cum autem Magister Generalis ad aliquam Ecclesiam, seu Episcopatum eveniat promoveri, non statim sedes Magistri vacua censeatur, nec successorem ad officium Vicarii Generalis vocatum illud posse confestim assumere quousque de præconizatione in Consistorio Romano, & confirmatione a SS. authentico liqueat testimonio.

2. Adhuc sedes Magistri vacare potest, vel per decessum, privationem, aliasve causas de jure præmissas, quacumque autem eveniente, sic successionem ejus constituimus: Cum Prior nostri Conventus Barchinonensis, sive sit confirmatus, sive non confirmatus semper esse debeat caput, & Vicarius Generalis totius Ordinis, quoties Magistro viduetur, & sedes vere vacaverit; idcirco decernimus, ut quacumque ex prædictis causis vacare contigerit, Commendator domus, ubi evenerit (si tamen Provincialis ejus Provinciæ non adsit, cui præsenti actionem istam deferimus) nuntium specialem auctoritate & industria præstantem instituat cum authentico testimonio a Secretario deficientis Magistri recepto de veritate, & causa vacantis; & illum primo mittat ad præfatum Priorem Barchinonensem, ut illud ipsi, suoque Conventui notum faciat, ac nomine totius Ordinis in successionem inducat.

3. Quod si tunc temporis non sit Prior electus in prædicto Conventu, universis ejus Fratribus denunciamus ut intra spatium 24. horarum a puncto notificationis Priorem de more constituant, quod si secus fecerint, vel Prior inventus, aut electus aliunde fuerit impeditus succedat Provincialis, aut Vicarius Provincialis in capite Provinciæ Capitularis ad proxime Generale Capitulum designatæ. His vero deficientibus, succedat Commendator domus pro eodem proxime celebrando Capitulo Generali præfixæ. Qui si etiam fuerit impeditus transeat successio ad digniorem Diffinitorem Generalem ejusdem Provinciæ Capitularis. Et his quoque impedimento constrictis, ad digniorem electorem generalem ipsius.

4. In his autem omnibus rite, ac de jure implendis, ita Nuntius præfatus sit prudens, & industrius, ut ex singulis ante dictis, quæ in præfato Priore, aut aliis post illum vocatis, successionem impediant, authenticum testimonium semper accipiat, prout de jure opus fuerit, & illud secum deferens transeat de uno in alium, donec perveniat ad expeditum, & habilem, cui vacationem sedis, & ipsius successionem in illa notam authentice faciat, ac sigilla conferat Magistratus.

5. His vero quicumque fuerit convocatis illico Fratribus illius domus ubi reperiatur, & in Capitulo congregatis prædictam vacationem sedis, suique in ea successionem cum omnibus testimoniis, hanc, & illam rite adstipulantibus manifestet, & tunc ab omnibus solemniter obedientiam accipiat coram tali nuncio, qui etiam de his postremis actibus fide dignam attestationem recipiat, in qua, & aliis Superioribus semper notabit diligenter annum, mensem, diem

& ho-

& horam possessionis officii Vicarii Generalis, & notificationis ejusdem, ita ut possit omnibus constare juridice de legitimitate successionis.

6. Sed cum hos omnes sui Vicariatus tempore possibile sit deficere, aut impediri canonice, ac proinde nova successione, sit opus; propterea statuimus, ut si Prior Barchinonensis sit Vicarius Generalis, & aliqua causa ex prædictis deficiat simili modo, ut superius notum faciat authentice per nuncium si accidat extra Barchinonem, alioquin intra illam a Secretario præcedentis Capituli Generalis intimetur præfato Conventui, ut Fratres ejus intra periodum 24. horarum ab instanti vacationis, vel ejus notitiæ novum Priorem eligant, qui pariter succedat in Vicarium Generalem Ordinis, quod si non fecerint, aut electus sit etiam (ut præmittitur) impeditus tunc sumpto per nuncium, aut Secretarium prædictum authentico testimonio totius rei gestæ transeat ipse, vel nuncius ad Provincialem, seu Vicarium Provincialem Provinciæ Capitularis, aut alium successive vocatum (ut prædicitur) ipsique notam faciat successionem.

7. Si vero Vicarius Generalis deficiens non sit Prior Barchinonensis, sed alius de vocatis post illum tunc pertineat prædicta successio ad primum ex omnibus prædictis, qui tunc temporis non fuerit impeditus, ita videlicet, ut a Provinciali revertatur, & secundo quærat Priorem Barchinonensem, si jam ejus impedimentum cessaverit, ratione cujus transivit ad Provincialem. Quod si ita non sit, vel Prior non eligatur intra spatium præfatum, iterum revertatur ad successionem Provincialis, aut alios suo ordine vocatos ut supra, de quibus omnibus eadem, & eodem ordine observanda intelligimus si quisquam eorum sit Vicarius Generalis, & deficiat.

8. Sic successione Magistratus in Vicarium Generalem pro tempore vacationis legitime inducta quam primum talis Vicarius literas suas patentes, tam obedientiæ, quam convocationis ad Capitulum Generale celebrandum transmittat ad omnes Provincias, ad quas opportune pervenire valeant ante prædictum Capitulum, & hoc primum esse volumus suæ potestatis indicium.

9. Prior itaque Barchinonensis, aut ejus defectu quicumque alius de prædictis ad hanc successionem assumptus, dum officio Vicarii Generalis fungitur, ita sit revera totius Ordinis Caput, ut supremam, & eandem in omnibus habeat potestatem, & vices, quæ inerant ipsi Magistro, ac proinde gaudeat facultate, & auctoritate sufficienti tanquam supremum caput totius Ordinis ad confirmationem graduum conferendam sicut ipse Magister, & prout superiori *Distinct. Cap. 6.* amplius declaratur.

10. Illi tamen nullatenus liceat aliquem ex vocalibus Capituli Generalis proxime celebrandi mutare, vel privare, aut novos eligere, neque etiam nominare Vicarium Provincialem, quod si tempore sui Vicariatus Provincialem, aut ejus Vicarium deficere contigerit succedat absolute in Vicarium Provincialem quem inferius Cap. 20. de illius successione in Vicarium ordinabimus, unde quantum ad hoc ipsi Electores quos Magister Generalis quomodocumque deficiens reliquerit, permaneant immutabiliter in ordine, itaut sit in eodem statu usque ad electionem futuram, sicut fuerat ante vacationem Sedis.

11. Insuper si tempore sui Vicariatus aliquod Capitulum Provinciale obtigerit celebrandum, nec illud celebrare poterit, nec ab alio quovis modo celebrari, etiamsi compleatur triennium, sed prorogari omnino constituimus in aliam Dominicam in *Cantate* proxime futuram post generale Capitulum, itaut Provincialatus ad quadriennium in hoc casu producatur, ne utique in electoribus Capituli Generalis aliqua mutatio contingat, ut inferius amplius de omnibus Provinciis, & Indiarum præcipue declarabitur in hujus distinctionis Cap. 9.

12. Prior autem Barchinonensis, vel ejus defectu quicumque in Vicarium Generalem successerit, si quando hujusmodi officium suscipit fuerit solum præsentatus ipso facto transeat in Magistrum; dummodo annos lecturæ pro Magisterio adimpleverit, si vero fuerit jam Magister de numero maneat post officium cum exemptionibus, & gratiis exprovincialibus debitis cum præcedentia ad reliquos Magistros suæ Provinciæ, & immediate sedeat post omnes Exprovinciales, qui sunt, vel pro tempore fuerint.

CAPUT VII.

De Vicario Magistri, & ejus potestate.

1. Non solum in vacatione Sedis Magistri in Vicarium Generalem totius Ordinis incidimus, sed interdum etiam propter infirmitatem, aut aliud rationabile impedimentum ipsius Magistri ad alios Vicarios ab eo specialiter nominandos oportet ipsi facultatem concedere, quos & in potestate debeamus instruere.

2. Statuimus ergo Magistrum si ita impeditus sit, ut Capitulo Generali, vel Provinciali interesse nequeat, unum posse idoneum, & prudentem nostri Ordinis Fratrem sub titulo Vicarii Magistri ad Capitulum mittere cum literis opportunis suo sigillo roboratis. Cum autem fuerit in Capitulo, & illud jam sit congregatum sono cimbali, ut assolet, in vigilia ipsius prædictas literas præsentare tenetur, quarum virtute accepta a vocalibus obedientia, ex tunc eandem habeat potestatem in ipso Capitulo Generali, vel Provinciali, quam ipse Magister si præsens adesset, atque eadem illi obedientia, & honor a Commendatoribus, & universis Fratribus Capituli deferantur, quæ ipsi Magistro exhiberentur, & quidquid per ipsum Vicarium, & Diffinitorium Generalis, vel Provincialis capituli ipso durante diffinitum, aut ordinatum fuerit roboris obtineat firmitatem. In utroque autem Capitulo semper, ut vere caput, & Præses illius primam habeat vocem in omnibus, quam primum vero præsidentia ejus expiraverit, eo quod succedat in munus Magister electus immediate post ipsum sedeat, in singulisque sequentibus Diffinitorii, & Capituli actibus vocem habeat, iisque peractis, potestas prædicti Vicarii protinus ipso facto cessabit.

3. Declaramus tamen, quod prædicti Vicarii, seu etiam Provinciales, qui in absentia Magistri Capitulo Provinciali præsident, non gaudeant jure devolutionis quantum ad electionem Provincialis, quam in casibus infra dicendis soli Magistro concedimus, sed eis evenientibus tantummodo possit Vicarium Provincialem subrogare donec delata devolutione ad Magistrum ipse Provincialem in Provincia constituat; in reliquis autem electionibus ejusdem Capituli, & Diffinitorii Provincialis, si devolutiones eveniant, quas alibi etiam Magistro Præsidente committimus, eas quoque prædictis Vicariis aut cuilibet alteri Præsidenti concedimus, si videlicet Electores post tria scrutinia de discordia præmoniti adhuc in quarto diffideant, ne Capitulum moram patiatur, vel maneat imperfectum.

CAPUT VIII.

De Diffinitorio Capituli Generalis, & quibus suffragiis ordine, & potestate constituatur.

1. In Diffinitorio Generali primam semper vocem, & locum habeat Magister Generalis electus, tamquam ejus caput, & præses noviter constitutus, etiam voce gaudeat Generalis absolutus, seu quisquam ex ordine electionis præsul, qui Generali electo immediatus assideat salva

Magistratus antiquitate sequantur, & vocem obtineant, qui jam in Ordine Generales extiterint. Deinde Provinciales, aut Vicarii Provinciales secundum ordinem suarum Provinciarum. Prior autem Barchinonensis locum teneat post dictos Provinciales, Vicariosve Provinciales immediatum, vocem attamen ante illos omnes primam habebit, postea succedat Procurator Generalis in Urbe, & tandem Diffinitores Generales, prout suarum Provinciarum antiquitas postulaverit, etiam in Diffinitorio Secretarium Generalem includimus sine voce tamen si alioquin illa non gaudeat, ut de omnibus Diffinitionibus, Decretis, & electionibus fidem faciat.

2. Omnes itaque prædicti sunt ex quibus componitur Diffinitorium Generale, & vocem, tam electivam, quam decisivam habent in omnibus ejus actibus, & statutis, locum autem, & ordinem, quem eis designamus, etiam extra Diffinitorium in actibus pleni Capituli, vel conventualibus, & domesticis observare præcipimus.

3. Hujus autem Diffinitorii potestas cum sit suprema, & altior in Ordine vim habeat legislativam, tam directive, quam coactive super omnes ejus Fratres, & Prælatos, itaut ab ejus correctionibus, & censura nullus penitus sit immunis, unde in omnibus, & singulis, quæ pro toto nostro Ordine fuerint constituenda, mutanda, vel diminuenda, laudanda, approbanda, declaranda, & confirmanda, nec non punienda, aut moderanda, dispensanda, vel indulgenda, ita se habeat Diffinitorium prædictum, ut illa omnia ordinet, constituat, vel destituat, mutet, addat, seu minuat, laudet, approbet, & confirmet, puniat, seu etiam moderetur, dispenset, vel indulgeat, & firmiter quæcumque decernat, iis tamen exceptis de quibus constitutiones extiterint a Sede Apostolica confirmatæ, quas nihilominus declarare poterit, & quicquid per hanc congregationem, seu diffinitorium fuerit generaliter constitutum, ordinatum, & declaratum universe in toto nostro Ordine observetur, & insuper vim constitutionis habeat, si per tria continua Capitula Generalia statuatur.

4. Tandem vero, ut quæ in Diffinitorio sunt agenda, & decernenda Deo semper auspice fiant, statuimus, ut quoties habendum sit ante omnia invocetur gratia Spiritus Sancti, & dicatur Antiphona, *Veni Sancte Spiritus*, cum alia de Beata Maria Virgine, ut moris est, cum Versibus, & Orationibus consuetis.

CAPUT IX.

De Electione, Officio, & Potestate utriusque Vicarii Generalis Indiarum.

1. Constituto Diffinitorio Generali prima electio, quæ ab illo assumitur est circa Vicarios Generales Indiarum, hæc enim celebratur per suffragia secreta prædicti Diffinitorii, quam tamen poterit assignare Magistro, & in illum se compromittere, ut intra, vel extra Capitulum & quoties vocatio contingat prædictos Vicarios nominet, & ut etiam a Diffinitorio, vel a se nominatos ex juxta causa, jureque servato destituat eorum regiminis metam quinquennium esse statuimus, nisi ob moram successoris, ut prorogetur necesse sit, ut ordinatur inferius.

2. Quomodocumque autem fiat electio semper debet esse præfati Vicarii ex Castellæ, Vandaliæque Provinciis, quarum scilicet non adoptione sed vera professione sint filii, etiamsi alterius nationis existant. Eorum quidem unus eligatur, ut visitet, & exerceat potestatem sibi traditam in Peruanis Provinciis, alter vero in iis, quas Ordo habet in nova Hispania, & Gautemala cum Insulis, & locis illi adjacentibus, & unitis.

3. Quod tamen ita faciat, ut uterque Vicarius, per vices suas eligatur alterne ex præfatis Castellæ, Vandaliæque Provinciis, ita videlicet, ut si Vicarius Generalis Peruanus sit semel ex Provincia Castellæ in sequenti vice idem Vicarius Generalis eligendus sit ex Provincia Vandaliæ, & nullo modo duo Vicarii Generales Peruani, aut novæ Hispaniæ sibi immediate ex eadem Provincia succedant.

4. Quam primum ergo ad quamlibet suarum Provinciarum quisque de prædictis Vicariis perveniat, in qualibet earum domo poterit publicare literas sui muneris quarum virtute Fratres omnes, quibus notificatæ fuerint illum suscipere, & tanquam legitimo Prælato obedire teneantur: sed ut omnibus, & singulis Provinciis sui regiminis præfatæ literæ pateant, unum transumptum authenticum ad eas transmittat, quo pariter a singulis agnoscatur, & suscipiatur, ut verus Pastor, & visitator earum.

5. Sed ne super potestate hujusmodi Vicariorum aliqua dubitandi rimula relinquatur, eam in omnibus esse generaliter ordinariam, Magistro tamen subditam declaramus a quo poterit limitari, si expediat sicut in multis ab his nostris Constitutionibus cohibetur.

6. Ad eos maxime pertinere decernimus visitare, & reformare prædictas Indiarum Provincias, & cum opus fuerit ad debitam observantiam reducere juxta regulam, & Constitutiones Ordinis nostri corripientes, & punientes excessus, transgressiones, & crimina Fratrum.

7. Ipsos etiam potestate instruimus convocandi Capitula Provincialia secundum Statuta Constitutionum hujusmodi eorumque electiones confirmandi, irritasque faciendi in præfatis Provinciis, cum ita de jure secundum formam hic statim constituendam fieri oporteat; præcipimus tamen illis sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, perpetuæque privationis vocis activæ, & passivæ, ne unquam faciant, aut permittant se eligi in Provinciales earumdem Provinciarum, neque si eligantur consentiant, quod si contrarium fiat, talem electionem ex nunc pro tunc ducimus inanem; Electus vero contra Constitutionem istam a Magistro, vel Diffinitorio Capituli Generalis corripiatur, nullatenusque recedat impunis, sed debitis pœnis cum severitate correctus.

8. Etiamsi ut præmissum est hujusmodi Vicariorum officium quinquennio concludamus, ipsos tamen nolumus illud dimittere quousque successor accedat. Quare subditis eorum universis in virtutæ S. Obedientiæ, & sub pœna privationis a voce activa, & passiva præcipimus ut ab illorum obedientia sub prætextu jam adimpleti muneris, aut quinquennii, non audeant quovis modo deflectere, donec alius in officio successerit. Nullus ex prædictis Vicariis Generalibus a Provinciis sibi creditis recedat quousque successori suo exactam rationem de omnibus illis, officioque reddiderit, qui vero a suis Provinciis, & officio discessisse, non reddita prius successori suo præfata ratione repertus fuerit, voce activa, & passiva privatus maneat. Ratio autem, residentiaque prædicta ad Magistrum Generalem deferatur, & usque dum ab isto declaretur immunis, illum ad omne Religionis officium inhabilem declaramus.

9. Ipsis iterum enixe præcipimus, ut in nulla penitus Provincia ex sibi subjectis quacumque ratione, vel causa nominare possint, mittere, aut constituere Commissarium Generalem, aut quocumque alio nomine delegatum, sed earum regimen suis Provincialibus relinquat, quod si casus, & causa gravis accidat, quæ suam præsentiam, & visitationem poscat, aut tempus eas visitandi pro munere immineat, nec ad eas accedere valeant, poterunt pro illis nominare, vel mittere Visitatorem, aut Visitatores, qui in omnibus se gerant, & observent universa, quæ in-

fra

fra *Dist. sequenti, cap...* Alibi de Visitatoribus stabilitur. Si vero contra præsentem Constitutionem aliqua (ut præmittitur) nominatio contingat, nullius fore roboris declaramus.

10. Quo circa observari constituimus sanctionem jam alias memorati Capituli Generalis Optensis a SS. Innocentio XI. confirmatam, qua præcipitur, ut instante ratione, vel causa, quibus necesse sit in præfatis Indiarum Provinciis Visitatorem (ut prædicitur) institui, non possint præfati Vicarii Generales illum eligere, nisi virum auctoritate, & matura discretione præditum, atque gradu saltem præsentaturæ insignitum. Nec item valeant hujusmodi officium, aut quodlibet aliud sive dignitatem, vel administrationem, & honorem suis conferre sociis, aut aliis quibuscumque Fratribus alienigenis, etiamsi in dictis Provinciis, jam adoptione gaudeant, nisi peracto, & adimpleto integro quinquennio a die adoptionis illorum.

11. Cum autem per se, vel alium Provinciam aliquam visitaverint, non possunt ad se revocare Fratres Doctrinarios ad visitationem extra suam Doctrinam, nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem Doctrinis debent prædictam visitationem suscipere, & rationem præfatis Vicariis Generalibus, aut eorum Visitatoribus reddere, neque ab ipsis privari poterunt, & a Doctrinis amoveri, tam extra, quam intra visitationem, nisi prævia justissima causa, & ea prius acta juridice. Caveat tamen Vicarius Generalis, ne unquam Doctrinarius a sua Doctrina recedat, usque dum successor adveniat.

12. Quamvis hujusmodi Vicarii Generales possint confirmare, ut præmittitur, & annullare Capitula Provincialia, & Provinciarum electiones, quæ veniunt de jure cassanda, minime tamen poterunt ad hanc declarationem in judicio procedere, nec similiter in aliis casibus suspendere, vel privare Provinciales, nisi per se tantum, & non per Visitatorem, & quidem prævia causa legitima de jure acta, & conclusa in ipsa Provincia, Provinciales privandi, aut suspendendi, sive ab electione exturbandi. Quæ omnia sic rite implenda, & actuanda præcipimus, ut videlicet privatio, & annullatio electionis dictorum Provincialium semper fiat de consensu, & assensu quatuor Prælatorum, seu Diffinitorum ejus Provinciæ, ubi dictos Vicarios Generales adesse contigerit, suspensio vero de duorum dumtaxat assensu, & non aliter.

13. Sententiam vero sub hac forma a prædictis Vicariis, & Prælatis, seu Diffinitoribus latam, plenum effectum sortiri decernimus qualibet appellatione postposita, & ne Provincia maneat orbata Præsule, continuo cum eisdem Diffinitoribus, vel Prælatis, ac de illorum assensu, & consensu, eademque forma, qua Provincialem suspenderit, aut deposuerit, vel ejus electionem annullaverit Vicarium Provincialem pro eo substituat.

14. Cum autem electio Provincialis post triduum ab aurora Sabbati adhuc discordiam patitur, itaut Electores non conveniant, vel si conveniant non sit electio canonica, tunc ad solum Magistrum, ut reliquas omnes in toto Ordine similes devolvendam esse decernimus. Ipsis tamen Vicariis, necnon præsidentibus loco illorum concedimus, ut interea per se solos Vicarium Provincialem substituant (ne Provincia maneat sine Præsule) & cum eo reliqua Capituli acta persolvant, si vero in electionibus reliquorum Officiorum, quæ fiunt in Diffinitorio, & Capitulo, casus devolutionis eveniant, quos alibi Magistro Præsidenti absolute subjicimus ipsis quoque Vicariis Generalibus, seu eorum loco Præsidentibus quomodolibet, sine restitutione post quatuor scrutinia committimus, ut in hac *Dist. Cap.* 7. declaravimus.

15. Obeunte Provinciali absque nominatione Vicarii Provincialis, non liceat omnino prædictis Vicariis Generalibus, Vicarium Provincialem eligere, sed succedat Commendator domus Capitularis ubi statuta est proxima celebratio Provincialis Capituli, & suo Ordine Diffinitores Provinciæ, aut post eos dignior Provinciæ Magister dummodo prædictos nullum impedimentum adstringat.

16. Vicarii Generales Indiarum habent similiter suffragium in omnibus electionibus, & Diffinitoriis Capituli Provincialis, quotiescumque a Generali Magistro Præsidenti Capitulis, vel Præsidem nominandi facultatem acceperint, illis autem strictissime subjungimus, ut ad præfata Capitula, non alia suffragia, aut vocales admittant, nisi Constitutionibus nostris præscripta, & prout inferius *Cap....* hujus *Dist.* declarabitur.

17. Cum autem prædicta auctoritate suffultus non valeat alicui Provinciali Capitulo interesse, ac necesse fuerit Præsidem institui, illum semper eligat graduatum virum equidem ab omni ambitu, & aliorum partibus alienum, ne vel ad se totam electionem alliciat, vel partes alterius agens Provinciam, & Capitulum dividat, & concordiam ubique desiderabilem frangat, qui mittitur zelator ejusdem. Is eandem vocem in Capitulo, quam Vicarius Generalis si adesset obtineat.

18. Et ne superfluis sumptibus, & contributionibus graventur dictæ Provinciæ Peruanæ, & nova Hispania, statuimus, ut in posterum pro vestiariis Magistri Generalis minime fiant contributiones ibi fieri solitæ, sed tam pro dictis vestiariis, quam pro sumptibus Procuratoris Generalis in Urbe, & negotiis ab eo gerendis, præsenti Constitutione designamus medietatem illarum contributionum, quæ in dictis Provinciis fiunt, & fieri consueverunt pro vestiariis Vicariorum Generalium, itaut tales exactiones, seu contributiones in duas partes æquales dividantur, quarum una mittatur Magistro Generali, altera vero Vicariis Generalibus, pro sui officii sumptibus deputetur.

19. Quibus denuo enixe præcipimus sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ac privationis utriusque vocis perpetuo subeundæ, ut peractis suis officiis præfatam rationem reddant Magistro, & deinde proximo Generali Capitulo de omnibus prædictis contributionibus, ac aliis quibuscumque bonis, quæ toto sui regiminis tempore, tam titulo, & ratione præmissis, quam quolibet officii jure receperint.

20. Ipsis tamen interdicimus ne suos, Secretarium, & socium ordinem sedendi frangere, & locum inter Fratres sibi non debitum patiantur assumere, & ne quidem de cætero pendeat a sola comitate, vel libito, perpetuo observari præcipimus. Quod si Socius, aut Secretarius cujuslibet Vicarii Generalis Indiarum fuerit graduatus suæ propriæ Provinciæ, præsideat omnibus Magistris de numero, sitque ex Provincialibus immediatus. Si vero in sua Provincia graduatus non fuerit, locum obtineat immediatum ante omnes Præsentatos de numero, toto videlicet tempore quo uterque præfatis muneribus respective gaudent, & solum in Provinciis ubi illa exerceant, & non ultra.

CAPUT X.

De electione, & officio Procuratoris Generalis in Romana Curia.

1. Post electionem utriusque Vicarii Generalis Indiarum procedat Diffinitorium ad electionem seu nominationem Procuratoris Generalis in Urbe, secundum formam superiori capite declaratam per suffragia scilicet prædicti Diffinitorii, aut nominationem ab eo traditam, & com-

promissam Magistro. Hanc autem legi alternationis Provinciarum non adstringimus, sed undecumque sit Generalis potest dictus Procurator ex totius Ordinis Fratribus institui, prout melius ad ejus negotia judicatum fuerit expedire.

2. Hujus munus est causas omnes, negotiaque peragere, quæ habuerit Ordo apud Romanam Curiam, atque ea totis viribus promovere, cui pariter jurisdictionem, & facultatem concedimus ad comprehendendum, puniendum, & corripiendum omnes eos Fratres, qui sine licentia in scriptis a Magistro concessa reperti fuerint in Romana Curia, quam adire nemini licere patimur sine prædicta licentia, neque eam a Magistro concedendi, nisi cogat justa, & urgentissima causa.

3. Hujusmodi Procurator Urbis, vir utique debet esse præstantissimus literis, & prudentia decorus, morum suavitate, sensu, & virtute præditus, atque in rebus tractandis industrius. Hujusmodi Ordo noster provideat de sufficientibus expensis ad victum, & omnibus pariter quibus munus ejus indigeat. Non possit Generalis Magister eum absolvere, revocare, aut suspendere, nisi propter delicta, quibus ipso facto justam de jure mereatur a dicta procuratione repulsam. Si vero post factam nominationem tale Procuratoris officium, per mortem, renunciationem, privationem, vel alia legitima causa vacaverit, jus eum noviter eligendi penes Magistrum Ordinis maneat.

4. Is, qui per quinquennium strenue, & laudabiliter in hoc munere Procuratoris se gesserit, vocem semper habeat, tam electivam quam decisivam in omnibus Diffinitoriis, actis, & electionibus proxime dumtaxat futuri Capituli Generalis, & si præterea ante expletum prædictum quinquennium sit, aut fiat Præsentatus; maneat post illud cum gradu Magistri, & cum præcedentia ad omnes, qui in sua Provincia ad talem gradum fuerint promoti post finem prædicti quinquennii; modo habeat aliunde omnia requisita juxta Constitutiones Ordinis, & Decreta Apostolica ad Magisterium de justitia obtinendum, quod si prædictis qualitatibus fuerit destitutus, locum habeat immediatum omnibus Magistris de numero, & si denique ante finitum etiam præfatum quiquennium factus sit Magister de numero, maneat post procurationem cum gratiis, exemptionibus, & loco eorum, qui fuerint Provinciales, sine præcedentia tamen ad omnes, qui tunc, vel postea ex-Provinciales extiterint.

5. Etiamsi prædictum Procuratorem Generalem, per totum Ordinem constituamus in Urbe per hoc tamen non tollimus, quod si Generalis extiterit ex Provinciis sub alternativa Coronæ Castellæ collocatis, aut viceversa Aragoniæ omnes, aut singulæ Provinciæ alternative contraria possint pro se alterum Procuratorem in Diffinitorio Provinciali intra, vel extra Capitulum eligere, & propriis expensis mittere, dum tamen in rebus obedientiæ, & Regularis disciplinæ sit subditus Commendatori Romæ nostri Ordinis, Vicarioque Generali Italiæ, observatis in omnibus nostri præfati Ordinis Constitutionibus, & statutis.

6. Præter Procuratorem Generalem in Curia Romana eadem forma eligantur, & designentur Procuratores Generales totius Ordinis, quibus de facto sit opus in Regum Curiis, tam pro rebus ipsius Ordinis, quam pro redemptione generatim. Et quia extra Capitulum idipsum contingere potest, itaut in aliqua regum Curia oporteat pro prædictis rebus totius Ordinis, & redemptionis aliquem Procuratorem Generalem noviter institui, vel jam institutum removere, aut privari, & in ejus locum alium subrogari, hæc potestas relinquatur Magistro, cujus nominationem deinceps ratam habere volumus, & omnes ab eo nominatos in veros Procuratores redemptionis, & Ordinis respective, & prout de jure opus fuerit constituimus, cum omni potestatis, legitimæque facultatis plenitudine, acsi creati essent a toto Capitulo, vel Diffinitorio Generali.

7. Ipsorum quidem sit muneris ea omnia subire, & versare negotia, quæ ad Senatus, Tribunalia, vel Judices ejus Curiæ, in qua respective fuerint, pertinere videantur, tam pro redemptione, quam Ordine. Qui autem hoc munere funguntur, si non fuerint graduati ex eo solum vocem electivam habeant in Provinciali Capitulo suæ Provinciæ, & in Ordine sedendi post omnes quomodolibet graduatos locum immediatum obtinebunt. Quod si gradum aliquem habuerint, ejus antiquitatem servabunt juxta ejus confirmationem a Magistro. At vero inter se ipsos si aliunde fuerint æquales semper alterum in loco vincat, qui redemptionem procuraverit etiamsi fuerit professione posterior.

CAPUT XI.

De electione Domus Capitularis generalis Capituli, ejusdemque absolutione.

1. Domum Capitularem pro futuro immediato Capitulo Generali per veram electionem omnium vocalium alternatim designari præcipimus, ita videlicet, ut si Generalis electus sit ex Provinciis alternativam Coronæ Aragoniæ, Galliæ, & Italiæ constituentibus, Domus Capitularis eligatur ex aliqua Provinciarum præfatæ alternativæ, & pariter si Magister fuerit electus ex Provinciis ad alternativam Coronæ Castellæ, Portugalliæ, atque Indiarum attinentibus, etiam domus Capitularis immediate futura in aliqua ex hujusmodi Provinciis designetur, itaut electio Magistri immediate futura semper fiat in aliqua Provinciarum, quæ non sunt habituræ vicem, & alternationem. Eam vero sic designatam a Capitulo nullatenus Magistro, nec ejus Vicario mutare liceat, nisi cum instante celebratione Capituli Generalis fuerit impedita peste, aut bello, sive alia causa simili.

2. Ubicumque autem hæc domus assignetur, Electores provideant, ut locus sit salubris, & quantum fieri possit vocalibus cunctis accommodus, & non profusis sumptibus accessibilis, nullaque libertati vocalium ratione suspectus, itaut jura canonicæ electionis inde violari non possint, neque annullationis, sive infractionis periculum ex hac parte timeatur.

3. Ad hanc autem Domum tempore Capituli, omnes Fratres, qui vocales non sint, vel ex munere teneantur omnino accedere, prohibemus: quod ut inviolabiliter observetur, reproducimus Decretum Capituli Generalis Optensis a S̃mo Innocentio XI. confirmatum, etiam alioquin paulo ante memoratum quoad vitanda magna, & intolerabilia dispendia, quæ fieri possunt in hujusmodi accessibus, & stationibus in Domo tam Capituli Generalis quam Provincialis per aliquos Religiosos qui neque sunt vocales, nec de corpore Capituli, nec aliquem in eo habent actum, illis strictissime præcipitur sub pœna excommunicationis majoris latæ Sententiæ trina canonica monitione præmissa ipso facto incurrendæ, & sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & utraque irremissibiliter subeunda, & nullus Frater cujuscumque gradus, aut qualitatis exiterit adire, vel ingredi præsumat Domum Capitularem, neque Civitatem, aut locum cujuscumque Capituli, nisi sit de corpore ipsius, & cum voce, & actu aliquo in illo, vel de licentia in scriptis a Generali Magistro, vel ejus gerente personam expedita.

4. Cum autem prope diem Capituli vocales

jam conveniunt, eos statim in illam ingredi præcipimus, ne indecore per diversoria cursitent, aut morentur incommode. Ingressi, tam de suis Viaticis solvant Conventui victum, donec expensæ Capitulares incipiant. Nimis autem properare, aut valde immature Domum prædictam ingredi omnino interdicimus sub pœna gravioris culpæ, nisi de licentia Magistri, vel Præsidis.

5. Conclusis jam electionibus, ac Decretis prædicti Diffinitorii Generalis totum congregetur Capitulum cui Præses orationem brevem, pia tamen gravitate fluentem instituat, qua omnes ad Regularem Disciplinam severius observandam hortetur, ac deinde omnia Diffinitorii Generalis Decreta, una cum S. Inquisitionis edicto legi, & publicari faciat, & tandem ad absolutionem Capituli forma cap. 18. hujus dist. subjicienda procedat.

CAPUT XII.

De Electione Sociorum Magistri Generalis.

1. Cum ita officio postulante duos sibi Socios debeat Magister assumere illi omni studio consulimus, ut eos semper eligat morum suavitate præditos, Deum timentes, Ordinis Zelatores, discretione ornatos, religiosaque, & amabili conversatione benignos, & nihil aliud de ipsis, & suo munere quærat, nisi solam Ordinis utilitatem.

2. Illorum sit officium ea, quæ viderint, vel audierint in Ordine corrigenda, vel pro illius majori bono disponenda Magistro prudenter aperire, illaque præsertim quæ ad redemptionem Captivorum attinent ad memoriam revocare. Si qua vero Ordinis secreta ipsis crediderit sub districto silentio contineant.

3. Ex his autem Sociis unus ad minus debet esse Secretarius, & in Epistolarum arte disertus qui magis laboret in notando sententiose, & breviter quam sermonem turgidum, & verba sublimia. Debet etiam Ordinis sigilla apud se retinere, literas signare, & pertinentia ad hæc in promptu habere, librosque Magistri, & Ordinis custodire, ad quod munus exercendum in Magistri manibus faciat juramentum contacto suis Evangelio in hanc formam, dicat enim Magister: Juras in animæ tuæ periculum, quod eris fidelis in omnibus, & quæ pro bono Ordinis, tam in ejus visitationibus, quam universo regimine fuerint tibi credita, retinebis, & secundum Deum, & propriam conscientiam tuum munus in omnibus exequeris? Secretarius respondeat: Juro. Alter vero Socius vir sane debet esse totius consilii, literis, & auctoritate præstans, quem possit Magister de gravibus, arduisque rebus consulere, sibique adjutorem adhibere, atque illi interdum si expedierit aliqua sui muneris agenda committere.

4. Dum hujusmodi Socii funguntur hoc munere solius Magistri obedientiam subeunt, & nulli alteri Prælato subduntur. In ordine sedendi Magistris omnibus eminent, & eos tantummodo Exprovinciales præcedunt, & qui talium honore jure harum Constitutionum sunt affecti. Cum autem ab officio recesserint si per tres annos illud obierint maneant cum gratiis, & honoribus Exprovincialibus debitis dempto loco dumtaxat. Socios vero Magistri quos ad honorem dicimus, sic jam in posterum destituimus, ut nullam ulterius eorum electionem in omnibus Provinciis permittamus, nisi tantum eorum, quos Magister in exercitio constituit, ut sibi continuo adhæreant.

CAPUT XIII.

De loco, tempore, convocatione, & Præside Capituli Provincialis.

1. Ordinatis jam superius, quæ pertinent ad Capitulum Generale, occurrit statim Capitulum Provinciale eadem forma, & distributione ordinatum. Quoad locum ergo celebrationis ejus semper in ea Domo fieri constituimus, quæ in præcedenti Capitulo designata fuit a Diffinitorio Provinciali, vel in suis casibus a Magistro, ut infra Cap. 17. hujus Dist. statuitur.

2. Nulli penitus Ordinis Fratri hanc Domum Capitularem, aut locum ejus adire, neque intrare liceat, sine ministerio, vel voce, aut sine licentia in scriptis Magistri, vel Provincialis, aut alioquin Præsidis a Capitulo admissi sub pœnis in hac Dist. Cap. 11. latis; cæterum quisque facultatem habeat mittendi ad Capitulum, & scribendi literas ad Præsidem Provincialem, & Diffinitores circa ea, quæ ad statum Domus Provinciæ, seu Ordinis expedire judicaverit, modo veritatem profiteatur. Quod si contrarium repertum fuerit, pœna gravioris culpæ puniatur.

3. Quantum vero ad tempus prædicti Capituli semper illud Sabbato ante Dominicam in *Cantate* fieri constituimus, nisi per Magistrum Generalem propter concursum plurium Capitulorum, aut aliam rationabilem Causam transferatur, vel anteponatur, juxta facultatem sibi concessam, & superius in hac Dist. Cap. 5. declaratam.

4. Provincialis officium tribus præcise annis concluditur a Sabbato in Sabbatum prædictæ Dominicæ regulariter computandis; ita scilicet ut triennium, non quidem naturalibus, sed annis Ecclesiasticis constituatur: unde si ratione facultatis præmissæ anteponendi, & postponendi Capitula præcedens celebratum sit diebus aliquot ante, & post prædictum Sabbatum, non ideo Capitulum subsequens eadem die præcedentis celebrandum est, sed ad Sabbatum præfatæ Dominicæ in *Cantate* redire debet.

5. Attamen ab his legibus omnes Provincias Indiarum excludimus, quas propter vastitatem Regionum, Climatumque varietatem suæ consuetudini hactenus ab Ordine, jam probatæ relinquimus, ita tamen ut Sabbatum Capitulare, in qualibet earum, & quovis anni tempore, respective designatum sit semper initium, & consummatio triennii, & terminus pariter unde sumatur facultas protrahendi, seu anticipandi Capitula cum Vicariis Generalibus, si id aliquando expedire videatur, & specialem ad hoc facultatem habuerint a Magistro.

6. Si autem contingat impleri triennium vacante Sede Magistri celebratio Capituli Provincialis prorogabitur in Dominicam in *Cantate* immediate futuram, post Capituli Generalis celebrationem, ut Ordo Magistratu quovis modo vacante in eodem penitus statu consistat usque ad electionem Magistri.

7. Circa vocationem prædicti Capituli decernimus, ut properante ejus tempore possit Magister Generalis convocare ad ejus celebrationem per literas patentes mittendo eas immediate Provinciali, quas ille continuo manifestabit, & notas faciet pleno Capitulo illius Conventus ubi adesse contigerit, & inde ad omnes alios transmittet. Si autem Magister Generalis reperiatur in aliquo Conventu illius Provinciæ, ubi habendum sit Capitulum prædictæ literæ convocatoriæ prius notificari poterunt capitulariter dicto Conventui, posteaque ad Provinciale mitti, qui pariter reliquis Conventibus illas notas faciat.

8. Quod si duobus ante mensibus, quam compleatur triennium literæ convocatoriæ Magistro Provinciali Provinciæ ubi habendum est Capitulum notificatæ non fuerint, tunc casus, & non aliter Provincialis suas literas convocatorias publicare poterit, quas si forte neuter expediat, sciant vocales se vi hujus Constitutionis esse convocatos ad Capitulum die, quo juxta supradicta haberi debet, & in loco a Diffinitorio præcedentis Capituli designato celebrandum. Illos

autem

autem qui comparuerint aliis non expectatis ad omnes electiones, & alia necessaria, quæ in his Capitulis consueverunt fieri, & decerni sine mora procedere posse, & debere decernimus. Quibus omnibus ita robur, & firmitatem adjicimus, ac si omnes in unum convenissent, absentibus non obstantibus.

9. A die convocationis ad celebrationem Capituli usque ad ejus conclusionem in quolibet Provinciæ Monasterio fiat quotidie supplex ad Deum deprecatio pro felici ejus eventu, prosperoque vocalium itinere uti supra in hujus dist. cap. 1. stabilitur.

10. In hujusmodi Capitulis primus de jure Præses sit semper Magister Ordinis ubicumque possit ad illa commode accedere, & inveniri contigerit. Si autem fuerit rationabiliter impeditus, vel alia causa perurgeat, poterit ubicumque nominare Vicarium, & Præsidem ad celebrationem cujuslibet Capituli Provincialis, quod etiam facere poterunt Vicarii Generales Indiarum juxta facultatem a Magistro concessam, ut superius præmisimus. Quod si prædicti Præsides deficiant propriis Provincialibus, seu Vicariis Provincialibus hæc munia committimus, nisi forte gubernante Vicario Provinciali a defuncto Provinciali relicto adsit Provinciæ (ut potest) Vicarius Generalis pro illius regimine electus juxta ea quæ superius in hac dist. cap. 5. stabilivimus in quo casu defectu Præsidis a Magistro nominati præsideat dictus Vicarius si fuerit expeditus.

CAPUT XIV.

De electoribus, & eligendis in Capitulo Provinciali.

1. Magister Generalis, seu quisquam alius ejus loco suffectus in Præsidem primam vocem habeat in Capitulo Provinciali. Deinde Provincialis, vel Vicarius Provincialis in capite, postea qui aliquando fuerit Magister Generalis in Ordine, Diffinitores Provinciæ, omnes Magistri, & Præsentati de numero Provinciæ, tam ex Cathedra, quam Prædicatione, nec non qui per Breve speciale sanctissimi a Provincia admissum hujusmodi gradus obtinuerint, cum voce, & voto in Capitulo cum hac tamen conditione, quantum ad Præsentatos, quod videlicet prius in aliqua Universitate de licentia Ordinis, vel a Magistro Generali, aut Provinciali suæ Provinciæ ad Baccalaureatus gradum sint promoti.

2. Etiam vocem, & suffragium habeant omnes Commendatores, seu Præsides in capite omnium Conventuum Provinciæ. Deinde eodem gaudeant suffragio & voce in suis respective Provinciis Procuratores Generales Provinciæ tam pro Redemptione, quam Provincia, quocirca firmiter statuimus Procuratores Generales totius Ordinis solum posse creari, & institui in præcipua curia Regnorum, quæ sint sub uno Principe; aliter enim dicto suffragio non gaudere, ultra prædictos ab hac Constitutione vocatos, nullus Superior alios vocales instituere, vel creare possit sub utriusque vocis privatione in perpetuum, & sub nullitate Capituli. Omnes igitur prædicti Fratres tenentur venire ad Capitulum, nisi Infirmitate, vel alia simili causa legitime sint impediti, de qua certum faciant Capitulum per literas testimoniales.

3. Commendatores autem per tempus duorum mensium ante celebrationem Capituli Provincialis, non possint privari sua Commenda, possunt tamen ab officio suspendi, usque ad celebrationem Capituli in quo nihilominus votum, & suffragium habebunt. Qui autem eum suspenderit, Præsidem Conventui præficiat.

4. Similiter statuimus: ut intra prædictos menses ante Capitulum nemo possit renunciare officio, ratione cujus habet suffragium in Capitulo sub pœna inhabilitatis ad omnia Ordinis officia. Si tamen justa de causa quis renunciaverit loco illius nominatus voce in Capitulo non gaudeat.

5. Ex vocalibus autem præfatis solum Patres Provinciæ, Magistri, & Commendator Domus Capitularis Provinciæ poterunt secum unum socium adducere. Cum autem vocales ad Capituli locum accesserint, statim se in domum Capitularem recipiant, non enim eos patimur per diversoria vagari; ita tamen ut ante celebrationem Capituli non de Conventus expensis, sed de suis Viaticis alantur. Caveant autem sub pœna gravioris culpæ, ne sic audeant properare, ut ante tres dies domum Capitularem ingredi præveniant, nisi de licentia Magistri Generalis, aut Provincialis.

6. Si vero Commendator aliquis impeditus fuerit, quominus ad Capitulum veniant Fratrem mittat aut nuncium cum literis, causam & statum Domus continentibus; Provincialis vero, aut Vicarius Provincialis, vel Visitator scripto, seu verbo accedat, semper instructus de his, quæ in suo regimine, aut visitatione reliquerit, vel digna invenerit providentia Capituli.

7. Circa eos, qui in omnibus electionibus Capituli Provincialis voce gaudent passiva, sub electionis nullitate constituimus ut qui eligendus sit in Provincialem, debet esse totius disciplinæ regularis amator providus, & discretus, ac literarum ornamento conspicuus, simulque Magister, vel Præsentatus illius Provinciæ, & ab ea admissus, duodecimque saltem annos a professione adeptus. Deinde decernimus, ut qui jam Provincialis extiterit, aut etiam Vicarius Provincialis in capite per duos integros annos non potest eligi in Provincialem, nisi post completum officium duobus trienniis ab eo vacaverit.

8. Diffinitores Provinciæ debent esse gradu Magisterii, vel Præsentaturæ insigniti, vel adminus antiquitate 20. annorum a professione præstantes. Quo circa ut nullus serpere possit error jam antiquitatem probandam fore decernimus per authenticum testimonium, omni fide, & juris authoritate roboratum: statuentes insuper sub eadem nullitate, ut qui in præcedenti Capitulo, vel extra illud jam fuerint in Diffinitores assumpti, in proximo sequenti Capitulo denuo eligi non valeant, neque extra illud in aliorum locum substitui, donec integrum triennium elabatur.

9. Diffinitores Generales, indispensabiliter debent esse Magistri, vel Præsentati. Electores vero Generales idipsum habeant, vel ad minus 20. annos antiquitatis a professione, quam debent etiam authentico testimonio comprobare, ut Diffinitores Provinciæ, sub eadem pœna nullitatis electionis sub qua similiter statuimus, ut qui in uno Capitulo, vel extra illud sit electus Diffinitor, aut Elector Generalis, non possit ad idem officium eligi in proximo sequenti Capitulo, possit tamen in eis alternare, ita ut fiat Elector, qui prius extitit Diffinitor & e converso. Qui tamen actu est Provinciæ Diffinitor, minime potest eligi in Electorem, aut Diffinitorem Generalem. Commendatores, & Prælati locales, vel Gradum habeant, vel sexennii ad minus a Professione antiquitatem excedat, ita ut in aliqua Domu Vicaria, seu Novitiorum Magisterio saltem per triennium simul sint probati, vel actu annos lecturæ, seu prædicationis ad gradum aliquem de justitia promerendum a Capitulo approbatos obtineant. In eligendis vero ad cætera officia nullum aliud speciale requisitum exigimus, præter ea, quæ in suis propriis locis pro electione ipsorum agenda designamus.

CAPUT

CAPUT XV.

De prima die Capituli Provincialis, ac suffragiorum ejus regulatione.

1. Primam diem Capituli appellamus feriam 6. ante Sabbatum ad electionem Provincialis designatum. In mane ergo dictæ feriæ sextæ hora quasi nona Commendator domus Capituli cimbalum Conventus pulsari faciat in signum inchoationis Capituli, ut intelligatur, ex eo jam apertum esse, & inceptum, ac deinceps vocales non posse egredi domo Capitulari, usque dum fiat Provincialis electio. Electores autem ad prædictum signum Conventualiter congregati accedant simul ad præsentiam Magistri, vel Vicarii Generalis ab eo nominati, & horum defectu Provincialis, ut se illi in Capituli formam exhibeant, a quo etiam ex eo tempore revera suscipiantur, ut tales cum benignitate, & amore. Si vero adsit Præses missus ejus literæ a Secretario Provinciæ in hac ipsa Capitulari Congregatione legantur, & ut talis exinde suscipiatur ab omnibus.

2. Sic autem inchoato, & aperto Capitulo, illius Præses constituat unum Fratrem ex vocalibus virum prudentem, discretum, & solicitum, qui sit Vicarius ejusdem Capituli, sine cujus licentia nemo Fratrum audeat egredi a Monasterio, simulque diligenter provideat, ut nullus maneat extra illud.

3. Eodem die ad vesperam omnes vocales congregentur in Capitulo, ibique Præses Commendationem faciat pro Domino Papa, pro Rege, pro Benefactoribus Ordinis, pro fidelibus captivis, & pro felici statu Ecclesiæ, super quibus enixe debet injungere vocalibus, ut in suis semper obsecrationibus prædictorum memoriam repetant, ac brevi oratione præmissa surgat Præses, & incipiat Psalmum; *Ad te levavi ut supra Distinct.* 3. *cap.* 15., *deinde Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Oremus pro Domino Papa.
℟. Dominus conservet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas.
℟. Deus meus sperantes in te.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus prætende super famulum tuum Papam nostrum N. & super cunctas Congregationes sibi commissas spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceat perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequantur.

4. Post hanc deprecationem ipse Præses aliam plane gravem, & piam Orationem instituat, in qua finem, ad quem convenerint proponat, & simul vocales omni verborum pondere ad electionem Provincialis Deo sane dignam, & Ordini profecturam hortetur. Ea autem finita Secretarius Magistri, vel alius Frater ab ipso, vel Præside in Notarium Capituli Electus, & prævio secreti, & fidelitatis Juramento susceptus referat omnes Fratres defunctos ejus Provinciæ a tempore Capituli immediate præteriti, qui semper debent esse inviolabiliter conscripti in libro Capitulorum ipsius Provinciæ, & per illum legi fideliter, ipsisque relatis surgant omnes, & dicant *De profundis clamavi &c. & in fine Requiem æternam &c. Kyrie eleison &c. Pater noster &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.
℟. Et animas Pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Absolve quæsumus Domine Animas famulorum tuorum Fratrum nostrorum ab omni vinculo delictorum, ut in Resurrectionis Gloria inter Sanctos, & electos tuos resuscitati respirent: per Christum Dominum nostrum. Amen.

5. In fine autem Præses pia exoratione commendet orationibus Provinciæ animas prædictorum Fratrum, ac deinde ad censuram, vel examen, & probationem eorum, qui in tali electione vocem, & suffragium habent procidatur. Quo circa Præses moneat ter, & præcipiat vocalibus universis sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ut si quem agnoverint de præsentibus aliquo juris communis, aut nostrarum Constitutionum impedimento obstrictum, ob quod Capitulo interesse, aut electioni, seu electionibus suffragari nequeat, illico notum reddant. Si quis vero præfato modo reperiatur impeditus, a Congregatione Capituli ejiciatur, quousque impedimentum ab ipsa mature, & sedulo discutiatur, quæ si in illud inveniet, declarabit, & innodatum protinus quippe qui suffragio legitimo careat a Capitulo repellet. Qui autem de suæ vocis legitimitate, & valore Canonico fuerint comprobati, & sub certo numero constituti ad futuram Electionem progrediantur.

6. Si quæ sint literæ Apostolicæ, seu Regales ad Capitulum directæ, hæ coram toto Capitulo ab ejus Secretario referantur, & legantur. Idem fiat de iis, quas Magister miserit, aut Vicarius Generalis, si forte Capitulo non adfuerint. Aliæ vero literæ, vel Epistolæ, si Fratrum Ordinis fuerint, majori Religionis commodo, & utilitati providentium Diffinitorio reserventur. Si autem sint commendatitiæ a quocumque tam intra, quam extra Ordinem expeditæ nulla ratione aperiantur quousque finiatur Capitulum.

CAPUT XVI.

De secunda die Capituli Provincialis, ac de Provinciali, aliisque hac die eligendis.

1. Diem secundam Provincialis Capituli dicimus Sabbatum ad electionem agendam destinatum; in eo quidem omnes vocales ad Auroram signo cimbali convocati simul ingrediantur Capitulum, & statim dicetur Missa Spiritus Sancti, quem omnes interea humiliter exorent, ut eis ostendat quem elegerit ne in humana ipsi electione displiceant. Hanc autem Missam in omnibus Provinciæ Domibus pariter eadem ipsius Sabbati hora cantandam esse decernimus. Illa vero peracta in Capitulo omnes genuflexi invocent Spiritus Sancti gratiam, Cantantes hymnum *Veni Creator Spiritus &c. ut supra Dist.* 4. *cap.* 3. *in cujus fine surgat Præses, & dicat.*

℣. Emitte Spiritum tuum Domine, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta

sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

2. Deinde vocalibus suo Ordine sedentibus fiat concio, quam literariam dicimus, sermone latino, ut est moris in Ordine, qua similiter præmoneatur digniorem Fratrem in Provincialem ita eligere, ut electio sit Deo acceptabilis, & majori bono Provinciæ profutura. Ea vero finita Præses Capituli primo, secundo, & tertio moneat pridie sub præcepto, & sententia excommunicationis ut omnes (si qui sint) de jure prohibiti, a præsenti electione recedant, vel ut eos denuntient, quicumque tales adesse sciant. Quo circa debet Magister, aut Præses protestari universis nullam sibi profecto incidere mentem aliquem ex prædictis ad electiones suscipiendi. Si qui forte occulte se immiserint & impedimenta celaverint, non propterea eorum vox illegitima præjudicium aliquod inducat electioni futuræ.

3. Postea singuli Electores, & Vocales suo ordine accedant juraturi in manibus Præsidis per Deum & Crucem, & Sancta Dei Evangelia propriis manibus tacta, videlicet sub hac forma: Præses eos interrogat dicens: Juras, quod omni odio vel amore postpositis, eliges in Provincialem Fratrem Ordinis, & Provinciæ nostræ, qui ad minus duodecim annos integros professionis obtineat, & virum sane Religiosum, providum, & prudentem, atque etiam Doctrina commendabilem, & vel Magistrum, vel Præsentatum ab Ordine, & Provincia admissum, & qui denique tuo judicio dignior appareat, & tam in spiritualibus, quam etiam temporalibus præstantius Provinciam moderetur, & diligat? Elector autem respondeat: Juro.

4. Hoc ergo juramento sic præstito fit statim coram Præside vas aliquod præparatum in quod vota, seu schedula secreto mittantur, ita tamen ut mittentes eas, & vas ab omnibus videantur. Postquam vero prædictas schedulas & vota omnia in vas præfatum intulerint; tunc Præses cum duobus Diffinitoribus Provinciæ dignioribus, & Secretario Capituli vota omnia computent, & scrutentur & si major pars medietate eligentium (juxta omnia in Magistri electione tradita) in aliquo Fratre convenerit, tunc scrutinium publicetur, & denuncietur electio ut Canonica, & Secretario Capituli, qui fidem de omnibus præstabit in scriptis. Si autem major pars eligentium non convenerit, secundo, tertio, & quoties opus fuerit ad scrutinium procedatur, donec major pars medietate eligentium conveniat, Canonicaque evadat electio.

5. Si autem Electores intra triduum a primo ingressu ad Auroram Sabbati jam prædicti de persona eligenda non conveniant, aut electio in eodem triduo non emergat Canonica, & legitima; tunc jus eligendi devolvatur ad solum Magistrum Generalem, qui statim si sit præsens per se solum debet Provincialem eligere. Si vero sit absens Præses Capituli certiorem reddat Magistrum de devolutionis eventu, & interim nominet per se Vicarium Provincialem, cum quo prosequatur, & concludat Capitulum, qui & Provinciam gubernabit, donec Magister Provincialem elegerit. Verum si electio litigiosa fuerit, & non satis aperte irrita, etiam si fiat intra triduum mittatur similiter ad Magistrum, a quo judicium pariter expectetur, & interea Provincialis electus, non destituatur officio, sed habeatur ut talis usque ad declarationem Magistri.

6. Si vero contingat (ut superius etiam prædicitur circa electionem Magistri) ut in aliqua schedula seu suffragio scrutatores reperiant aliquam subscriptionem, aut signum, quo deveniatur in cognitionem eligentis, vel sit omnino alba, aut in favorem inepti conscripta, non ideo præjudicium inferat electioni, sed talis schedula quæcumque sit comparetur ab aliis, & pro suffragio nulla reputetur, solumque habeatur respectus ad reliquas schedulas, juxta majorem partem omnium vocalium.

7. Semper numerentur schedulæ antequam legantur, & si una vel plures supra vocalium numero repertæ fuerint, omnes simul separentur, & relicto priori ut prorsus inani ad aliud scrutinium procedatur. Tandem vero cum jam eo scrutinio, & præfatis schedulis legitima electio deprehensa fuerit, omnes illæ protinus comburantur coram omnibus in ipso Capitulo ita ut nulla de quocumque scrutinio maneat. Si numerus suffragiorum sit impar, servetur ad electionem Canonicam idem quod in electione Magistri cap. 4. hujus dist. ordinatum manet.

8. Peracta igitur electione, & a Secretario publicata Capitulo antequam ab eo suscipiat electus obedientiam debet se sistere Præsidi, ibique per Deum, & Crucem & Sancta Dei Evangelia suis manibus tacta Juramentum sequens genuflexus elicere. Præses enim illum sic interrogat. Juras, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, & juxta Constitutiones Ordinis Provinciam tibi commissam gubernabis omni odio, & amore postpositis? Electus autem respondeat: Juro. Præses insuper: Juras quod eris obediens Magistro Generali Ordinis, & successoribus ejus, & quod fideliter, & omni studio, curam, & solicitudinem ages circa Redemptionem Captivorum, ejusque eleemosynas colligendas? Electus vero: Juro. Ulterius Præses: Juras, quod de omnibus, quæ receperis, quovis modo, in Diffinitorio rationem reddes, neque relaxationem hujus juramenti, aut dispensationem in aliquo a Sede Apostolica postulabis? Electus vero: Juro.

9. Hoc itaque sic dato Juramento, omnes surgant, & a Capitulo processionaliter egredientes ad Ecclesiam procedant cantantes Hymnum: *Te Deum*. Ubi prostratus Provincialis Electus Benedictionem suscipiat a Præside eadem forma, quam supra in hac Dist. cap. 4. retulimus. Eaque finita Fratres ad illum suo ordine accedant, genuflexique ei obedientiam exhibeant.

10. Si autem persona electa fuerit absens a Provincia, potest Magister Generalis, vel Præses de consilio Diffinitorum nominare Vicarium Provincialem ad regimen Provinciæ, & ad Diffinitorii, & Capituli munia gerenda, cum omnimoda facultate Vicariis Provincialibus per Constitutionem concessa, quem Provincialis Electus revocare non poterit, neque alterum denuo nominare, usque dum suam Provinciam ingrediatur. Si autem non a Provincia, sed solum a Capitulo sit absens, Nuntius mittatur ad ipsum, qui ex parte Præsidis, & ipsius Capituli notam faciat illi authentico testimonio electionem, quam si acceptaverit, eo mature possit accedere ad Capitulum ante conclusionem illius, eo quam primum se conferat, ubi omnia prædicta cum ipso fiant. Si autem venire nequeat in ipso Conventu ubi adest (absens vero a Provincia in prima suæ Provinciæ domo) prædictum faciat Juramentum in manibus Commendatoris, & cantato Hymno *Te Deum*: præfatisque Benedictione, & orationibus super ipsum a Commendatore recitatis accipiat obedientiam a Fratribus.

11. Quod si munus, & electionem declinaverit, & solutum sit jam Capitulum, res deferatur Magistro, qui, vel admissionem electo jubeat, vel Provincialem Provinciæ per se ipsum provideat. Si tamen id accidat in remotis, valdeque dissitis Provinciis a residentia Magistri, & quæ per Vicarios Generales gubernantur, debet ab ipsis interim constitui Vicarius Provincialis, usque ad deliberationem Magistri; ne tam longo tempore Provincia suo Præsule maneat viduata.

12. Electio Provincialis intra Hispaniam debet præsentari Magistro Generali intra sexaginta

dies,

dies, alias sit irrita, & vana, & Magister Generalis tenetur illam confirmare, si Canonice, & juxta formam Constitutionum facta sit, quod si renuerit illam confirmare, causas, & defectus Canonicos erga electionem, vel personam electam manifestare debet. Provinciæ autem Galliæ, & Italiæ intra tempus quatuor mensium tenentur præsentare coram Magistro Generali, electionem sui Provincialis; quod si intra dictum tempus illam non præsentaverit, electio sit irrita, & nulla; Provinciales vero Indiarum a Vicario Generali, & postea a Magistro ordinis confirmationem petant.

13. Quandocumque autem nullitas electionis fuerit a Magistro declaranda, aut Provincialis alioquin ex causa legitima deponendus, nunquam id faciat per alium, sed per se ipsum, & de consensu, & assensu quatuor ex dignioribus Magistris ejus Provinciæ ubi reperiatur, quod si tantum fuerit suspendendus, duo tantum ex prædictis sufficiant.

14. De Vicariis autem Generalibus, & quibusdam aliis, qui hujusmodi Capitulo in absentia Magistri præsideant, quam, & qualiter facultatem habent in prædictis, & aliis jam respective in propriis locis hujus Dist. superius ordinatum relinquitur, & in sequentibus statuetur.

15. Completa electione Provincialis, quam primum fieri possit ad electionem Diffinitorum Provinciæ transeat Capitulum: hos quatuor in unaquaque Provincia constitui decernimus, viros equidem discretione, ac zelo ad majorem Provinciæ utilitatem bonumque præstantes, & conditiones cap. 14. hujus Dist. habentes, quos eadem forma scilicet per suffragia secreta, & a toto Capitulo eligendos esse constituimus, itaut in electo major pars medietate eligentium convenire debeat, servarique omnia quæ de aliis electionibus superius sæpe decrevimus.

16. In ipsorum electione si post trina scrutinia vocales admoniti, adhuc in quarto diffideant, jus eligendi migrabit in præsidem; novis autem Diffinitoribus electis Priores subito expirant, & eorum locum recentes assumant, illique ad eum, qui alias ad ipsos attinet statim revertantur. Ex quibus si forsan aliquis non graduatus extiterit, nullam amplius vocem, aut ingressum habeat in aliquo actu Capituli cum jam ad illud nulla alia ratione pertineat.

17. Quicumque autem in Diffinitorem sit quovis modo creatus, sequens Juramentum super tacta Evangelia facere debet in manibus Præsidis Diffinitorii, vel Capituli, qui sic illum interroget: Juras quod secundum Deum, & propriam conscientiam, atque omni odio, & amore postpositis, quæ tui sunt muneris exequeris, & non personarum sed in omnibus solius Ordinis, & Provinciæ bono prospicies? Ipse vero Diffinitor respondeat: Juro.

18. Post præfatam Diffinitorum Provinciæ electionem procedat immediate Capitulum ad Diffinitores, & Electores Generales eadem forma creandos, viros quidem prudentia, & Religione præditos, atque etiam conditionibus ut superius cap. 14. hujus dist. declaratis, in his autem electionibus si post tria scrutinia Electores admoniti ulterius in quarto non conveniant vis eligendi transeat ad Præsidem illius Capituli.

19. Cum aliquis Diffinitorii Generalis officium denuo susceperit jurare debet in manibus Præsidis Diffinitorii, suis Evangeliis superpositis, quæ sequuntur. Juras (inquit Præses) quod secundum Deum, & propriam conscientiam atque omni cordis affectione posthabita, omnes tui muneris actus, totis viribus implere conaberis, & numquam in rebus decernendis eris personarum acceptor, sed solius boni totius Ordinis, & regularis Disciplinæ Zelator? Diffinitor autem: Juro.

20. Denique ab eodem pleno Capitulo nominentur Judices causarum, & examinatores annorum lecturæ, & prædicationis omnium Lectorum, & Prædicatorum, qui eos probare voluerint, & tandem designentur calculatores rationum a quibusque Fratribus in Capitulo reddendarum.

CAPUT XVII.

De tertia die Capituli Provincialis, rebusque ab ejus Diffinitorio peragendis.

1. Die tertia Capituli scilicet Dominica, seu postridie electionem fiat solemnis Processio, Missaque celebretur ab ipso Provinciali electo (si fuerit expeditus) de festivitate illa, vel Sancto Ordinis, quam jam consuetudo Provinciæ stabilierit, vel Magister, sive ejus Generalis Vicarius, Provincialisve absolutus designaverit, atque in ea habeatur concio de ipso, quæ simul ad Institutionem Electi dirigatur. In hac Missa communicare debent Fratres omnes non Presbyteri; Sacerdotes vero Capituli, dictis primis tribus diebus Divina celebrent pro Benefactoribus Ordinis: ad Vesperam ejusdem Provinciæ conclusiones habeantur, residuis vero diebus juxta morem Provinciarum mane celebretur officium, & concio. Conclusiones autem Vespere; ita tamen, ut postremo die officium cum concione semper sit pro Defunctis.

2. Ab hac ergo die, vel a Vespere diei præcedentis, quando id non incommode fieri possit, debent sine ullo temporis dispendio celebrari Diffinitoria, quæ intra Provinciale Capitulum constituuntur primo ex persona Magistri, vel alterius pro eo Præsidis, & deinde ex Provinciali electo, & Provinciali, seu Vicario Provinciali absoluto ad dexteram, & sinistram ipsius Præsidis collocatis, & quatuor Diffinitoribus Provinciæ, hinc inde quoque sedentibus secundum Ordinem dignitatis, sive antiquitatis ad invicem, itaut graduatus non graduato semper emineat, & inter ipsos servetur qualitas graduum, & antiquitas eorumdem.

3. Qui Generales jam fuerint si huic Diffinitorio tam intra, quam extra Capitulum adesse libuerit eos omnino cum voce electiva, & decisiva suscipimus. His omnibus additur ubique Secretarius, sive Magistri, sive Præsidis Capituli, sive alius quisquam ad hoc munus a prædictis electus qui fidem præstare valeat, & signare literis universa, quæ ibi fuerint decernenda.

4. Omnes ergo personæ prædictæ excepto Secretario (nisi fuerit etiam Diffinitor) suffragium decisivum habeant in hoc Diffinitorio, tam in Decretis pro bono Regimine, & reformatione Provinciæ, quam in electionibus per illud agendis, quæ omnia, ut secundum Deum fiant invocari debet in cujusque Diffinitorii initio gratia Spiritus Sancti, recitando Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*: cum versu, & Oratione consuetis.

5. Deinde Præses cum prædicto Diffinitorio nulla alia persona cujuslibet status, officii, vel conditionis admissa, invicem conferat, quæ fuerint ordinanda, & agenda, ad quod Præses 1. 2. & 3., moneat, ac juret, & præcipiat omnibus ex Diffinitorio in virtute Spiritus Sancti, ut in his quæ fuerint decernenda per se ipsos non personas, vel odium in eas, vel amorem accipiant, & in corrigendis Fratribus solius disciplinæ regularis zelo, non livore ducantur, in conferendisque dignitatibus solius Ordinis, & Domorum ejus utilitati prospiciant.

6. Hoc præcepto, & adjuratione cuncti ex Diffinitorio præventi procedant ad sequentia suo Ordine, & maturitate exequenda, ubi primum singuli Commendatores resignare debent titulum suæ Commendæ, & de illius statu integram rationem reddere, per transumptum a calculo-

rum totius triennii compendio deductum a seque, & Præside, clavariisque Conventus subscriptum, quod coram Diffinitorio de verbo ad verbum legatur, ut Commendatoribus ipsis ad Congregationem accersitis, ejusdem nomine Præses pro uniuscujusque merito operosum laudet, desidem vero increpet, si quem falsa perhibuisse probatum fuerit, is pœna gravioris culpæ puniatur. Si qua debita Commendator aliquis in suo Conventu non soluta reliquerit, eaque Diffinitorio celaverit, ipsa per eum, & Depositarios, qui simulationi consenserint solvenda esse constituimus.

7. In prædicto transumpto pariter de receptis pro redemptione Captivorum fidelem penitus rationem reddat Prælatus, itaut nullus audeat venire ad Capitulum sine vero, & legitimo computo eorum omnium quæ pro redemptione undecumque susceperit. Ad quem etiam uberius comprobandum deferre teneatur ad Capitulum transumptum dati, & accepti omnium eorum quæ ad redemptionem attinent prout adest in libris redemptionis juxta superius Dist. 1. Cap. 4. stabilita circa quæ Diffinitorium diligenter exploret, quo fervore charitatis hujusmodi, nostrique instituti impleantur officia, & quem in iis injuria temporum invenerit, omni severitate corripiat.

8. Deinde Magister Generalis si adsit, & Provincialis absolutus, aut eorum Visitatores si sint ex Diffinitorio proponant illi, quæ in visitationibus, vel extra, tam communi, quam privata emendatione, aut reformatione digna in Provincia perscrutati fuerint, quibus sane, ut Diffinitorium de salubriori medela provideat rebus mature, exacteque discussis opportuna reformationis Decreta super omnibus instituat.

9. Rursus de litibus inter Fratres auditis causarum judicibus Diffinitorium judicet, easque omnino dirimat juxta majoris partis arbitrium. Si Visitator, aut Provincialis, seu Vicarius Provincialis absolutus proclamatus fuerit, & accusatus fuerit legitime, vel de aliquo crimine convictus, corripiatur a Diffinitorio secreto, vel prout æquitatis ratio, & culpæ qualitas postulaverit, & secundum pœnas a jure, vel Constitutione suscipiat.

10. Similiter examinatores annorum lecturæ, & Prædicationis exhibeant sua judicia de illis, ut ab ipso Diffinitorio feratur sententia eos juxta meritum approbando, aut etiam reprobando, vel si opus sit exponendo ad gradus Ordinis calculatores. Denique supputationem ad Capitulum pertinentium non dissimiliter proponant Diffinitorio quod sentiunt de illis, ut debitum circa eos Decretum Diffinitorium proferat.

11. His peractis procedat Diffinitorium ad Prælatorum localium nominationem eos ad hoc munus eligendo, quos majori bono spirituali, ac temporali Domorum secundum Deum, & propriam conscientiam meliores judicaverit, cum qualitatibus Cap. 19. hujus Dist. designatis, deinde pro redemptione peragenda duos redemptores instituat cum conditionibus in Cap. 5. Distinct. 2. stabilitis. Et si ad eam proxime perficiendam collectæ Eleemosynæ sufficiant, tempus pariter statuat, quo debeat expediri. Quod si ex redemptoribus electis, aliquem post Capitulum mori, vel languere contigerit, illum Magister Ordinis ex ejusdem Provinciæ Fratribus pro libito reproducat.

12. Ulterius prædictum Diffinitorium pro negotiis ipsius Redemptionis ad totam Provinciam spectantibus unum Procuratorem Generalem nominare debet, & alium pro rebus ipsius Provinciæ peragendis, quibus deficientibus quomodolibet post Capitulum a Provinciali, similiter designentur, decernentes, ut cuique Procuratori ex prædictis, tam Provinciæ, quam redemptionis, & tam intra, quam extra Capitulum creato, semper Diffinitorium Provinciæ instrumentum præbeat Procuratorium cum plena aut limitata facultate, quæ pro opportunitate unicuique respective conveniant, & quotiescumque opus fuerit eam augeat, vel cohibeat, eandemque cum habeat, acsi a toto Capitulo traderetur.

13. Postea ab eodem stabiliantur Diffinitorio Novitiatuum Domus atque eorum Novitiorum Magistri, utrorumque vero mutationem, aut novam institutionem extra Capitulum non permittimus, nisi rationabilis, & gravis causa perurgeat, qua superveniente ad id potestatem extra Capitulum Provinciale, seu Vicario Provinciali relinquimus, itaut de Domibus Novitiorum non sine Diffinitorio constituat, de ipsorum vero Magistris per se solum providere valeat.

14. Deinde studiorum regentes pro Domibus Theologiæ Scholasticæ, uti supra Cap. 2. Distinct. 6. instituat, & Fratrem aliquem literis, & genio præstantem Provinciæ Historiographum eligat, & ubi Conventus Monialium habemus pro illis Vicarios destinet omni sufficientia, & morum honestate conspicuos, qui earum confessiones audiant, atque illas spiritualiter dirigant.

15. Denique prædictum Diffinitorium eligat Domum Capitularem pro futuro immediate Capitulo, cujus electio sic semper a præfato Diffinitorio privative fiat, ut nulli alteri Prælato compromissa relinquatur, ne si ille obire contigerit sine designatione loci, hic vagus maneat, ignotusque vocalibus, quibus ab ipso ante acto Capitulo expedit, & volumus innotescere; ex tunc enim ad illum jure Constitutionis convocati sunt omni tempore etiamsi, ut possunt, Convocatoriæ deficiant, facultatem tamen ad eam commutandam, aliamque denuo instituendam instante tempore convocationis ad Capitulum, justaque, ac rationabili causa interveniente prædicto Diffinitorio, & Magistro Generali concedimus. In quo casu, vel quolibet alio in quo Domus Capituli, tam Generalis, quam Provincialis mutationem subeat, non ideo jura successionis Magistri, vel Provincialis in suis respective casibus ad Provincialem Provinciæ Capitularis, aut Commendatores Domorum utriusque Capituli pertinentia mutari permittimus, sed maneant semper apud illos ad quos juxta priorem electionem Domus Capitularis attinebat.

16. In prædictis autem nominationibus, ac Decretis, & quibuslibet aliis a dicto Diffinitorio determinandis aut eligendis absque suffragiis secretis, si vota in partes æquales dividantur, prævaleat illa, cui Præses adhæreat. In cæteris vero electionibus, quas per vota secreta fieri debere stabilitum manet, serventur ea, quæ pro casibus devolutionis in suis propriis locis sancita reliquimus.

17. Conclusis tandem, quæ in Diffinitorio decreta, & peracta fuerint, nemo Vocalium si forsan aliquos de ordinatione aliqua, vel actu turbatos inveniat, se ita in illis excuset, (etiamsi non consenserit) ut Socios suos calumnietur, aut prodat, Auctoresque fuisse manifestet eorum, de quibus turbatio, querimoniaque processerit. Unde super hoc prædictis Diffinitoribus, ut universis aliis prædictum Diffinitorium Provinciale constituentibus in virtute Spiritus Sancti, & sub excommunicationis Sententia præcipimus, ut nullus ea, quæ in Diffinitorio versantur alicui detegat, aut foras quomodolibet effundat, ne insuper alii Fratres (sub eisdem censura, & præcepto) ea, quæ in Capitulo geruntur Sæcularibus aperiant.

CAPUT XVIII.

De ultima die Capituli Provincialis, formaque absolutionis in illo servanda.

1. Capitulum Provinciale, quamcitius desiderantes

siderantes finiri, illud in feriam tertiam, vel quartam post Sabbatum electionis juxta Provinciarum consuetudinem tantummodo prorogari permittimus ne Provincia gravetur sumptibus, quibus diebus ea omnia, quæ Cap. præcedenti Diffinitorio agenda præscripsimus, ita Præses pro rerum, & temporis opportunitate digerat, ut nihil intactum relinquatur. Postremo vero die Præses, congregato Capitulo, brevem spiritualem, devotamque habeat orationem, qua Prælatos electos ad suum munus recte, & fideliter exequendum graviter instruat. Deinde a Secretario Capituli legantur coram omnibus cuncta acta ipsius, cum Decretis, & Statutis, pro majori reformatione Provinciæ a Diffinitorio editis. Ulterius etiam publicetur edictum S. Inquisitionis juxta præceptum ejusdem.

2. Iis peractis ad absolutionem procedatur forma sequenti. Præses Capituli Confessionem dici jubeat, quam Fratres flexis genibus, & in faciem parum inclinati, recitent, eaque finita dicat Præses: *Misereatur vestri &c.*, & statim subjungat: *Ego auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate mihi commissa absolvo vos, & omnes Fratres nostro regimini commissos ab omni vinculo excommunicationis, & suspensionis, & pariter dispensationem indulgeo super quacumque irregularitate (si forsan quis indigeat) atque etiam remissionem ab omnibus transgressionibus, excessibus, seu omissionibus Regulæ, & nostrarum Constitutionum quantum ego possum, & quod non possum suppleat, & perficiat summus, & omnipotens Sacerdos, & Pontifex Dominus noster Jesus Christus, & injungo vobis in pœnitentiam, & remissionem omnium peccatorum, quidquid boni feceritis, & specialiter jugum obedientiæ, & regularis observantiæ disciplinam. Neque intendimus absolvere perditionis, & iniquitatis filios, scilicet proprietarios, & Apostatas, sed per viscera misericordiæ Dei nostri eos primo, secundo, & tertio monemus, ut Profugi, & Apostatæ humili corde revertantur ad sinum suæ professionis, & Ordinis; Proprietarii vero, & bonorum temporalium cupidi, & amatores ad sui voti, & veram professionis inopiam redeant, & resipiscant, alioquin eos ex nunc in scriptis denuo excommunicationis sententia innodamus, idque declaramus: & quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti benedicimus in Christo charissimos fratres, tam absentes, quam præsentes, quantum possumus, & quod fragilitas nostra non obtinet, suppleat, & perficiat Dominus noster Jesus-Christus sua larga benedictione, qui sit vobiscum in itinere vestro, & ad Domos vestras sanos, incolumesque reducat. Qui vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

3. Tunc surgentibus Fratribus cantor incipiat Hymnum *Te Deum*, quem alternis versibus canentes procedant omnes ad Ecclesiam, ubi eo finito dicat Præses:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A Templo Sancto tuo, quod est in Hierusalem.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Christum &c.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

4. Postea suo ordine manus Præsidis osculentur, & sic absolvitur Capitulum, eoque absoluto Præses specialiter congregabit Diffinitorium Provinciale in quo legantur literæ ad Diffinitorium, vel Capitulum missæ, initioque non recitatæ, quibus prudenter, & consulto respondeant.

5. Præcipimus tandem, ut ubicumque Capitulum Provinciale celebretur, cui Magister Ordinis non adfuerit, teneatur Præses illius ab isto, vel Constitutione nostra designatus omnium ejus actuum, nullo excepto, fidele transumptum de verbo ad verbum authentice conscribi facere in forma secundi Originalis, ab iisdemque a quibus primum similiter subscriptum remittere ad Magistrum, ut de illius valore, ac ritu plenius decernat, & judicet.

CAPUT XIX.

De Officio, & potestate Provincialis, ac de ejus Secretarii institutione, & munere.

1. Provincialis, quam primum canonice fuerit electus utatur officio suo sub titulo, & nomine Provincialis electi ante confirmationem a Magistro, eamque obtentam universæ Provinciæ denunciet, & deinceps titulum habeat Provincialis, cui omnes, & singuli Fratres Provinciæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus obedire teneantur.

2. Sub præcepto formali obedientiæ, pœnisque ad arbitrium Magistri Generalis imponendis præcipimus, ut nemo Provincialis, quamvis sit Magister possit assumere titulum sibi Magistri Provincialis, nec illo uti in subscriptionibus literarum officii, sed id solum præstare valeat Generalis Magister.

3. Provincialis in tota sua Provincia eandem potestatem habeat in omnibus, & singulis, qua gaudent Commendatores in suis Conventibus, eam tamen nunquam de plenitudine exerceat, nec addat suo muneri, nisi negligentiæ defectusque Commendatorum id postulent atque urgeat causa legitima.

4. In triennio sui officii omnia, & singula Monasteria suæ Provinciæ per se, vel si non potuerit per idoneos Visitatores bis visitare teneatur, & omnibus tamquam verus Pater, tam in spiritualibus, quam temporalibus discreto regimine provideat, & simul studeat singulas, si valeat, oves sibi traditas, agnoscere.

5. Extra actualem visitationem poterit Fratres a Domo in Domum transferre, vel ipsis licentiam petentibus, vel prout necessitas Domorum, ratioque regiminis postulaverit. Diligenter tamen attendat, ut semper id fiat absque nota scandali, & denigratione Ordinis, & Fratrum, quod potissime in ipsis visitationibus observabit, in quibus, nisi causa mutationis palam, publiceque perurgeat, non debet esse festinus, sed eam prudenter differat tantisper, donec in Fratris famam suspicio non pateat.

6. Licentias in albis nunquam Fratribus largiatur, aut eas Commendatoribus relinquat, quas autem illis miserit pro mutandis Fratribus nisi intra dies quindecim intimentur, nullum deinceps habere valorem patimur, si denuo a Provinciali, seu a Visitatore non reproducantur.

7. Super his autem ita sit Provincialis discretus, & prudens, ut Fratres periculosos, aut discolos semper a Conventibus parvis removeat, eosque transferat ubi melius custodiri possint, & communi exemplo observantiæ regularis in meliorem frugem induci. Reliquos vero inspectis semper eorum qualitatibus in Provinciæ Domos distribuat, prout major fructus, solatiumque Domorum, ac Fratrum exegerit. Cum autem transferuntur de loco in locum, curare debet, ut a Commendatore a quo recedunt Viaticum inviolabiliter accipiant secundum viæ, & itineris longitudinem.

8. Cum Provincialis Conventum aliquem visitandum ingrediatur, statim licentias Confessiones audiendi Confessarius non graduatis de justitia suspendat, donec novo examine approbentur. De omnibus tamen caveat, ne quando per desidiam, aut negligentiam a sufficienti peritia muneris excidant, & quoscumque noverit, vel suspicetur inhabiles, aut in disciplina moralis Theologiæ remissos, eos proprio per se judicio, & examini, cum discretione subjiciat, quos autem insufficientes invenerit a munere subito avertat, nec amplius illud eos exercere permittat, quousque peritiores appareant sciens de omnibus illis, ac de erroribus ex eorum ineptia derivatis assertionem Domino redditurum.

9. Circa Provinciam, & Domos debet divisiones, si quæ sint pro viribus interimere, eas, & earum partes ad unitatem concordiamque ducendo, querelas etiam, & lites, si quæ inter Conventus oriantur super eorum negotiis, quam citius terminare, & extinguere. Conventus novos, qui evidenter reputentur utiles procurare. Acta Capitulorum, literasque Magistri, quæ ad reformationem expedita fuerint, ibique per Conventus scribi facere, & legi. In absolvendis Commendatoribus, qui boni reputantur non debet esse facilis, neque propter eorum instantiam, fratrumve importunitatem, eos amoveat quin potius foveat, & erigat, eisdemque infensos comprimat, ac deterreat. Poterit autem Commendatores ab una in aliam Commendam transferre, cum id Religionis commodo expedire judicaverit.

10. Ulterius ipsi præcipimus, ut intra duos menses, ante celebrationem Capituli Provincialis Commendatores sua commenda privare nequeat, licet eos valeat ab illa suspendere usque ad dictum Capitulum. Quo circa diligenter servare debet, quæ superius in Cap. 14. hujus Dist. ordinata reliquimus causas omnes processus, & informationes in triennio suo formatos suo debet successori tradere, quæ nullomodo comburi, aut disperdi patimur, nisi eorum sint fratrum, qui jam a vita decesserint.

11. Pro sumptibus, & vestiariis ad suum munus attinentibus singulis annis, eam a sua Provincia taxationem suscipiat, quæ fuerit in usu a Capitulis Provincialibus comprobata, nec ulterius quidquam exigere constituimus. Si quæ autem expensæ speciales occurrant proportione servata, ex Provinciæ Domibus colligendæ non prius eas taxet, quam consulat Diffinitorium Provinciæ, ut quid cuique Domui respondeat juxta earum mensuram rationabili computatione deducat, taxationemque jam factam Magistro remittat, ejusve personam gerentibus in remotis Provinciis, quibus annuentibus, taxasque prædictas approbantibus, & non aliter ad earum exactionem deveniat sub pœna privationis vocis passivæ, aliisque ad arbitrium Diffinitorii Capituli imponendis in proxime futuro Capitulo. Cum autem per Monasteria transierit caveat, ne illa superfluis sumptibus gravet, sed moderata hospitalitate sit contentus ubique, nequi Domos adjuvare tenetur, earumque subsidio consulere, illas diruat impendiis.

12. In expensis Capituli Provincialis ita sit moderatus, & sobrius, ut gloriam lati cordis pretio Domorum pauperum non emat. Sit ergo ministratio victus, qua regularem modestiam deceat, quod ut in posterum certa lege observetur, communibus obsoniis alia tantum duo moderata, & qualitate similia superaddi permittimus sub eadem pœna prædicta, & quod insuper pro his excessibus nequeat augmentum mensæ Capitularis exigere.

13. Quam primum electus fuerit Provincialis in munereque susceptus sibi debet Secretarium deligere, quem non patimur ab alio nominari, illi tamen consulimus, ut ad tale munus Fratrem semper instituat, qui sit in consilio maturus, in secreto fidelis, in Epistolarum arte disertus, & in zelo regularis observantiæ sibi omnino conformis, isque in manibus Provincialis priusquam suum exequatur ministerium præstet juramentum eadem forma, qua supra Cap. 12. hujus Dist. stabilivimus.

14. Secretarii interest librum Provinciæ regere, & in eo Diffinitorio, eorumque electiones, & acta, notare, visitationes pariter ab ipso Provinciali factas ab initio usque ad finem in Conventuum libros diligenter authenticeque referre, alias vero Visitatoribus commissas cura pervigili custodire, querulos interdum de Provinciali Fratres debet in tranquillitatem, & bonum de illo sensum inducere, itaut inter eorum, & Provincialis partes, semper discretum mediatorem exhibeat, si graduatus non fuerit infra Procuratores Generales vocem in Capitulis habentes, primus ubique sedeat, dum actu munus obierit. Quo item tempore, & intra Provinciam constitutus solius Provincialis obedientiæ subjaceat, neque in Commendatorem assumi valeat.

15. Provincialis tandem in fine sui muneris omnium, quæ in toto illius decursu receperit, tam pro suis expensis, quam aliis quibusque, quovis titulo, ratione, vel causa ad suum officium pertinentibus rationem reddat in Diffinitorio Capituli.

16. Circa immunitates eorum qui fuerint Provinciales, ordinamus, ut Socium habeant, nullis Conventus oneribus impeditum qui in omnibus eos adjuvet, prout necesse habuerint omnes Missa pro sua intentione celebrare possunt, communis refectionis quantitas, & mensura sit illis ubique dupla, & in reliquis Magistrorum immunitatibus perfruantur. Qui vero exemptiones hujusmodi non harum vi Constitutionum, sed a Superioribus, vel tribus etiam Capitulis Generalibus indultas obtineant illis gaudeant excepto loco, Paternitate reverenda, & mensura duplice victus, quæ nemini ulla unquam ratione concedi posse decernimus.

CAPUT XX.

De successione in Vicarium Provincialem, & potestate illius.

1. Cum sæpissime, multisque de causis Vicarium Provincialem oporteat institui, opere pretium est omnes casus hujusmodi successionis exponere, & ordinare, & quam ubique potestatem habeat, qui eam obtinere contingat. Quo circa duo genera Generalis Vicarii Provincialis agnoscimus, alium in Capite, & alium substitutum. Primum autem semper Fratres intelligant, qui non habet supra se Provincialem, sed sit Provinciæ caput, ex defectu principalis creatum. Vicarium vero substitutum existiment, qui secundum jura harum Constitutionum illius loco statuatur.

2. Declaramus autem illum appellari debere Provincialem absolute, nullaque ratione Vicarium, qui per veram, & canonicam electionem sit a Capitulo electus, jure devolutionis a Magistro. Provincialis electus, vel confirmatus, quocumque tempore extra Capitulum renunciaverit, nullatenus poterit Vicarium Provincialem sibi substituere, sed in regimine succedat Commendator Domus Capitularis a Provinciali Capitulo designatæ, vel illo legitime impedito dignior ex Diffinitoribus Provinciæ, modo sit graduatus, alioquin transeat successio ad digniorem graduatum Provinciæ, quam sane ratam esse statuimus, donec confirmetur a Magistro, aut alium Vicarium Provincialem pro libito eligat si maluerit, similiter graduatum cui soli

hanc

hanc potestatem in hoc casu, ubicumque non fuerit limitata concedimus; neque ullus ille Vicarius Generalis, etiam totius Ordinis aliquando gaudere præsumat.

3. Prædictam autem conditionem graduati ita semper in omni nominatione, & successione observari præcipimus, sive electio Vicarii Provincialis fiat a Magistro, vel Provinciali, aut alio quocumque, sive jure constitutionis eveniat semper in graduatum incidat, & secus facta sit irrita juxta Capituli Generalis Optensis Decretum a SS. D. Nostro Innocentio XI. confirmatum.

4. Ejusdem Capituli aliud Decretum a prædicto similiter Innocentio confirmatum observari subjungimus, ut videlicet Provincialatu quovis modo vacante nullus Provincialis absolutus, aut qui Vicarius Provincialis in capite per duos annos aut amplius extiterit, possit immediate Vicarius Provincialis in capite a quocumque constitui, nisi duobus trienniis a Provincialatu, vel Vicariatu decursis.

5. Insuper si Provincialis extra Capitulum versetur in mortis periculo potest Vicarium Provincialem sub literis, & authentico testimonio relinquere, qui si succedat in omnibus suis Juribus, usque ad finem triennii, & nequeat ab aliquo revocari, nisi prævia causa delicti. Tunc autem Magister Generalis poterit (si velit) illius Vicariatu durante Vicarium Generalem in illa Provincia instituere. Quod si Provincialis absque præfata nominatione decesserit succedat, ut a S. Constitutione postulatus, etiamsi alioquin habeat Vicarium Provincialem, jam antea quomodolibet subrogatum, quem nullo modo in hoc casu succedere patimur, nisi fuerit a Provinciali specialiter nominatus, ut ei succedat post obitum.

6. Quantum vero ad impedimenta, & casus, quibus extra mortis articulum necesse ducimus Vicarium Provincialem institui, decernimus, ut quotiescumque Provincialem, ab officio suspendi contigerit jus instituendi pro tempore suspensionis Vicarium Provincialem ad illum ipsum, qui eum suspenderit attineat. Si autem Provincialis, qualibet ex causa sit omnino impeditus ad gubernium Provinciæ, tunc necessario debeat Vicarium Provincialem substituere, qui ei succedat irrevocabiliter in omni jure ipsius, atque etiam in suffragio Capituli Generalis. Quod si accidat omnino ad regimen impediri tempore convocationis ad præfatum Capitulum, tunc Vicarius Provincialis ab eo nominatus in dicto Capitulo suffragari nequeat, sed ad suffragium hujusmodi præstandum succedat semper, ut prædiximus Commendator Domus Capitularis, aut alius de reliquis suo ordine a Constitutione vocatis. Qui quidem pariter a nemine revocari valeat, atque in prædicto Capitulo Generali universisque ejus actibus, & Diffinitoriis semper eandem vocem electivam, & decisivam una cum loco possideat, ac ipse Provincialis, si adesset, vereque reputetur in tali Capitulo tamquam ejus Provinciæ Vicarius Provincialis etiamsi solo titulo suffragandi convenerit, hoc ipsum ei quoque concedimus etiamsi Procincialis non sit omnino impeditus ad Gubernium, sed ad iter agendum ad dictum Generale Capitulum, causa infirmitatis, Medicorum judicio comprobata. Similiter si Provincialis egredi debeat extra Provinciam, Vicarium Provincialem usque dum revertatur instituat.

7. Caveat autem Magister Generalis ne vivente Provinciali, & expedito regimine, aut etiam per se substituente in casibus jam præfatis, & debitis alium Vicarium illi substituat, nisi tantum eum de jure, & ex causa illum ab officio suspenderit, vel deposuerit; in iis enim casibus poterit quidem providere de Vicario, qui curam habeat Provinciæ usque ad solutionem suspensionis Provincialis; vel futuram ejus electionem in Capitulo.

8. Licet Provincialis (ut præmissum est) in mortis instanti nominare possit Vicarium Provincialem post obitum, in hoc tamen jure non succedat Vicarius Provincialis, etiam in Capite, sed casu quo ipse Vicarius moriatur, succedat nominatus in renunciatione Provincialis juxta formam in hoc capite num 6. præfixam; in casibus autem quibus dictum Vicarium impediri, suspendi, deponi, vel renunciare contigerit, itaut substitutione sit opus, serventur omnia, quæ in similibus de Provinciali prædiximus.

9. Neque insuper succedit præfatus Vicarius Provincialis in omnimoda potestate, ad privandum, seu amovendum Commendatores a suis officiis in postremo anno triennii; hoc enim tempore nulla ratione patimur posse eos deponere, aut privare, bene vero suspendere, aut de Domo in Domum transferre, prout sibi visum fuerit expedire. Quod si Commendator aliquis in ultimo præfato anno causam privationis perpetraverit, hæc reservanda est Capitulo Provinciali, ibique discutienda, & judicanda legitime. Si vero Commendatorem sola suspensione corripiat, poterit nominare Præsidem sui Conventus sine voce tamen ad Capitulum, qua dictum Commendatorem nolumus destituere, nisi aliunde in regulatione vocalium veniat destituendus legitime.

10. Si Vicarius Provincialis quomodolibet institutus vocem aliunde habeat in Capitulo Generali, vel sit Diffinitor Provinciæ, eligatur semper alius loco illius toto tempore quo fuerit Vicarius Provincialis, ita scilicet, ut tam in Capitulo Generali, quam Diffinitorio Provinciæ, (si accidat celebrari) nunquam deficere possit numerus completus Diffinitorum, aut Vocalium.

11. Circa Immunitates, & privilegia eorum, qui fuerint Vicarii Provinciales firmiter constituimus, ut peracto officio non maneant cum honoribus, & gratiis Ex-provincialibus debitis, nisi Vicarii Provinciales in capite extiterint, idque per duos annos completos obierint: circa locum vero serventur, quæ inferius de ordine sedendi constituimus.

12. Tandem, ut omnia de substitutione Provincialis declarata relinquamus, præsenti Constitutione decernimus, ut si aliqua Provincia ultra mare posita, aut regione longinqua, & a præcipuo illius corpore valde segregata unum, aut plures Conventus obtineat, & eos per se Provincialis visitare decernat, nunquam id faciat nisi in altera parte Provinciæ, quam deserit, aliquem substitutum etiam de graduatis relinquat, nec major, aut præcipua portio Provinciæ maneat Præside destituta. Quod si Conventus ultra mare constituti, aut in alia regione, vel regno nimis longe dissiti, ita sint plures, ut ad rectam eorum gubernationem substituto indigeant, illum posse nominare Provinciali concedimus, ne pro sæpe emergentibus, & extemporaneis hæc illis moderatio deficiat, hos autem substitutos, quia solum sunt auxiliares Provincialis, non Vicarios Provinciales, sed Commissarios, ut præmissum est, appellari præcipimus.

CAPUT XXI.

De Diffinitorio Provinciali extra Capitulum, & Diffinitorum Provinciæ officio, & potestate.

1. Diffinitorium Provinciale extra Capitulum ex Provinciali tantum, seu Vicario Provinciali, & ex illis, qui fuerint Generales, si Provinciæ adesse contingat, & ex Diffinitoribus Provinciæ, præsente ejus Secretario ad effectum

tantummodo præstandi fidem de agendis, vel alii Fratres ad hoc munus a Præside nominati constitui decernimus, & declaramus, ita tamen ut si Magister Generalis intra Provinciæ terminos inveniatur, & illud ingredi voluerit convocandi potestatem, præsidentiam, ac vocem, tam electivam, quam decisivam in eo habeat, absente, vel si adfuerit convocare nolente, maneat convocandi facultas penes Provincialem, vel ejus Vicarium: huic Diffinitorio sic constituto plenam potestatem concedimus ad ea omnia, quæ juxta hujusmodi Constitutiones ad Diffinitorium extra Capitulum attinent, decernentes, & declarantes ad illud privative spectare electiones Diffinitorum, & Electorum Generalium, ac Diffinitorum Provinciæ, qui quomodolibet fuerint instituendi finito Capitulo Provinciali.

2. Si ergo extra Capitulum aliqua de Diffinitionibus Provinciæ quovis modo vacaverit, convocato solemniter Diffinitorio Provinciæ ab ejus Provinciali, seu Magistro, si adsit Provinciæ, ipsique placuerit, novus eligatur Diffinitor pro eo, qui vacaverit: quod similiter observandum est, si aliquis Diffinitor Provinciæ ab illa fuerit absens, congregarique Diffinitorium urgenter expediat, tunc enim pro ejuscemodi functione licebit alium Diffinitorem loco absentis eligere, qui statim expirabit, cum res jam peracta fuerit, neque ullis postea exemptionibus perfruatur.

3. Si quis vero Diffinitor, aut Elector Generalis transacto jam Capitulo renuntiare, aut obire contingat, vel si instante celebratione Capituli Generalis, aliquo Juris impedimento, aut alia qualibet causa fuerit præpeditus, poterit Provincialis, vel Vicarius Provincialis, atque etiam Magister si Provinciæ adsit, nullus tamen alius quicumque sit, Diffinitorium congregare, & cum eo novum Electorem, aut Diffinitorem per vota secreta eligere, & substituere, etiamsi legitime impeditus suum titulum renunciare voluerit, absque tamen præjudicio Juris ejusdem, si forte impedimentum cessaverit, interveneritque Capitulo. Quicumque vero in Electoris, aut Diffinitoris locum subrogetur ad tempus ratione impedimenti functione jam peracta cessabit, & vivente, seu perseverante principali, nulla muneris privilegia retineat, præterquam in ipso Diffinitorio, & Capitulo.

4. In dictis electionibus, & quibusdam aliis, a prædicto Diffinitorio faciendis jura hujus nostræ Constitutionis observari præcipimus, secundum ea, quæ de aliis electionibus sæpe decrevimus, ut rite, & canonice fiant, in quibus si Diffinitorii suffragia intra tres dies a prima electionis inclusive non convenerint, jus eligendi devolvatur in Præsidem; in reliquis vero a Diffinitorio deliberandis, si in partes æquales suffragia dividantur, prævaleat illa cui Præses adhæreat.

5. Ad Diffinitorium Provinciæ pertinet commune bonum Provinciæ pro viribus procurare, audire negotia Fratrum, eorum literas, vel libellos supplices ad Diffinitores directos suscipere, & Diffinitorio opportuno tempore præsentare, vel Secretario Capituli per eum præsentanda committere. Cavendum est autem eis ne aliquid pro Fratre faciant, aut in Diffinitorio proponant, & judicent, quod vel vindictam in alium, aut privatum amorem sapiat, sed jus tantum, & æquitatem.

6. Diffinitores tandem hujusmodi dum in officio permaneant omnibus exemptionibus, gratiis, & Privilegiis Magistrorum de numero gaudere decernimus, si forte Magistros non esse contigerit. Quantum vero ad locum, illum ordinem teneant, quem Dist. sequenti Cap. de ordine sedendi statuimus.

CAPUT XXII.

De Diffinitorum, & Electorum Generalium potestate, & officio.

1. Proprium Diffinitorii Generalis munus est majus Ordinis bonum pro viribus satagere, ad quod cum electus fuerit postulet a Diffinitorio, & ejus Præside hunc sibi laborem in remissionem peccatorum injungi, & sic officium cum humilitate suscipiat, pro eo autem semper, & ubique legitime exercendo instrui debet patentibus literis a Diffinitorio Provinciali omni juris auctoritate suffultis.

2. Cum ergo Diffinitorium Ordinis, ac supremam ejus censuram, potestatemque constituat, nunquam se agere debet, ut personam privatam, sed ut publicam, & regulari observantiæ sedulo intentam. Unde cum ad Capitulum, vel alio procedens ad Conventus Ordinis declinaverit, ita se debet parce, & moderate gerere ut Fratres apud quos diversatur in hoc potius ædificet, habereque possit, audacium in Capitulo ad corrigendos excessus, sumptusque inordinatos aliorum; sit etiam ubique inter Fratres, & extraneos in vigiliis, & sobrietate strenuus, in silentio, & oratione assiduus, in omni honestate, atque observantia regulari fervidus, & ita in verbis, & actibus, bonum de se proferat exemplum, ut evidenter appareat, quod non immerito ad tantum Ordinis fastigium sit assumptus.

3. Factus jam Diffinitor debet diligenter evolvere acta præcedentis Capituli, & cum omni consilio, curaque perspicere, an illa expediat confirmari, vel imo destitui, aliave recentia condi, quibus bonum Ordinis, & observantiæ regularis vergat in melius.

4. Circa officium Electoris Magistri, eadem illi consulimus, quæ de Diffinitore prædiximus, ut videlicet munus suscipiat humiliter in veniam suorum peccatorum, nec non literas testimoniales vocis sibi collatæ a Diffinitorio Provinciali recipiat, & secum ad Capitulum deferat.

5. Quantum vero ad Electionem, tam ipsis Electoribus, quam Diffinitoribus, atque etiam alteri cuicumque vocem electivam habenti subjungimus, ut a tempore sui suscepti muneris Deum orare non desinat, & secundum ejus voluntatem, atque Ordinis utilitatem, tam ipsi, quam alii dirigantur. Cum autem Fratres invenerint discretos, Deum timentes, rerumque, & personarum Ordinis conscius debet cum ipsis conferre libenter, ut per illos de iis, quæ a se agenda sunt plenius informetur. Cavendum est autem ei, ne propter auditum, & famam leviter volitantem ad eligendum aliquem inclinetur, nisi prius digniori fide nuper comparata, circa personæ meritum instruatur. Nec unquam sic aliquis suæ menti insideat, ut si alius postea melior appareat non sit paratus ad vocem in eum transferendam.

6. Ita silenter electionis acta apud se retineat ut nihil penitus de illis aperiat, neque prodat Fratres; qui hunc elegerunt, aut illi adversati sunt, & similia, quæ possunt turbationem inducere. Potissimum vero debet esse cautus, ut in tractatibus ante electionem faciendis ab Electoribus circa personam eligendi sua semper conscientia provideat propter occasiones interdum inde subortas denigrandi famam multorum. Unde super hoc Decreta Urbani VIII. de hujusmodi tractatibus non prohibendis omnino reverentes, tantum ut fiant secundum Deum sine læsione famæ, & cum zelo, & charitate consulimus.

7. Diffinitores, & Electores Generales ita desideramus auctoritate præcellere, ut vix hujusmodi munera non nisi gravioribus dignoribusque Ordinis Fratribus conferantur. Quod si

Diffi-

Diffinitor aliquando non Magifter, vel etiam elector raro non graduatus extiterit, uterque tamen dum munus fuftineat Magiftrorum de numero favoribus, & immunitatibus gaudeat, excepto fuffragio Capituli Provincialis, quod neuter affequitur ratione officii, nifi illud aliunde poffideat. Quantum vero ad locum, & præcedentiam, eam utique retineat quæ Dift. fequenti cap. de ordine fedendi ftabilitur.

CAPUT XXIII.

De officio, & poteftate Commendatorum.

1. Quicumque ad officium Commendatoris in Ordine noftro fuerit eligendus intra Capitulum debet a Diffinitorio conftitui ut fupra Cap. 16. hujus diftinct. ftabilivimus. Extra Capitulum vero fi quovis modo Commendam vacare contigerit folus Provincialis, feu Vicarius Provincialis in capite per fe ipfum fine Diffinitorio Commendatorem inftituet. Si tamen Magifter Ordinis Provinciæ in qua Commenda vacaverit præfens fuerit, poterit etiam pro libito Commendatorem eligere, modo non fit præventus a Provinciali prædicto. Hujufmodi autem Commendator fic denuo creatus ab altero prædictorum eodem jure, & poteftate gaudeat in omnibus, ac fi fuiffet electus in Diffinitorio Capituli.

2. Ubicumque fit eligendus Commendator, vir femper debet effe, qui Monafterio videatur utilior, & ad domefticum regimen, regularifque vitæ cultum, zelo, induftriaque præftantior & cum qualitatibus cap. 14. hujus dift. ordinatis. Si de aliena vero profeffione ad noftrum Ordinem qui quovifmodo tranfierit, nequeat fieri Commendator, nifi poft decem annos a noftra profeffione completos.

3. Nullus, qui fuerit Commendator alicujus domus, five intra, five extra Capitulum electus poffit in ea, per duo immediata triennia fuccedere, nifi forte aliqua notabilis fabrica ab ipfo ibi incepta fic exigat, feclufo enim hoc cafu prædictam electionem intra, vel extra Capitulum nulla ratione permittimus, & fi fecus fiat, fit profecto inanis, & irrita. Nullus etiam Diffinitor Capituli Provincialis poteft Commendator, aut Præfes in capite inftitui, quod fi fiat, maneat Diffinitione privatus, atque alius eligatur pro illo.

4. Quicumque vero creatur Commendator, debet inftrui publicis, & patentibus literis, quas nunquam iter agendo relinquat. In Conventibus autem habeat figillum parvum, cum fcuto Ordinis, quo utatur in publicis inftrumentis, quæ ad ejus officium expedire pertineat.

5. Vicarium, & officiales domus (exceptis depofitariis, Novitiorumque Magiftro) confirmare poterit, aut mutare. Procuratorem autem, aut Procuratores Conventuales, tam pro Redemptione, quam domo fi revocare voluerit, novofque inftituere, id femper fiat de confenfu Capituli Conventualis a quo debent fufcipere juridice procurationem, & titulum.

6. Cunctis Fratribus quoad fpiritualia femper ut bonus Paftor invigilet, eofque in temporalibus pafcat, fingulifque de omnibus provideat, maxime vero ægrotantibus in re nulla deficiat, quæ ad eorum recreationem, & falutem affequendam Medici judicio conducat, ut jam fupra Dift. 3. cap. 23. præcipimus; fenibus autem, & jam ætate gravatis, atque impeditis ea indulgere ftudeat, quæ inferius Dift. fequenti cap...... conftituimus. Infra ambitum triennii univerfis fuis Conventualibus veftiarium præftare teneatur prout fuperius abunde ordinatur Dift. 4. cap. 4. de veftitu.

7. Sine Magiftri Generalis, aut Provincialis licentia in fcriptis ædificationes, neque incipiat, neque profequatur, neque infuper fine dicta licentia quidquam fui Conventus quolibet prætextu, aut colore diruat fub pœna privationis officii, & vocis activæ, & paffivæ ad fexennium.

8. Choro femper interfit ad omnes horas officii, quavis occupatione pofthabita, ut aliis fiat exemplum quo, & verbis interdum eos ad Dei laudes fine intermiffione alliciat; refectorium quoque die, noctuque non deferat, quantum fui muneris patiatur anguftia: Quod fi crebro non interfit his actibus, ab officio, & Commenda deponatur; ut fuperius Dift. 3. cap. 9. manet ftabilitum.

9. A fua domo nunquam fit notabiliter abfens fine licentia Superiorum fub pœna privationis officii, neque recedat ab illa, nifi propter aliquam ejus utilitatem non modicam, quæ femper talis fit, ut non per alium, quam per fe ipfum agi, & comparari valeat. Si rem vero peculiariter, fibique propriam gerendam habuerit, quæ illum a fuo Conventu proficifci compellat femel in fuo triennio per 30. folum dies poffe abeffe concedimus. Dum tamen Conventus non folvat Viaticum & impendia itineris. Quod fi pluribus, quam triginta diebus, aliave fimili profectione indigeat, licentiam exigat a Provinciali, qua inftructus, & non aliter viam inftituat.

10. Ex rationabili caufa per quatuor dies fuis fubditis licentiam indulgere poterit; amplius autem omnino prohibemus fub pœna privationis officii. Quod fi cafus accidat ita extemporalis, & urgens, ut Provincialis arbitrium expectare nequeat, fitque in mora periculum, tunc Commendator, confultis Patribus a Concilio licentiam præftare poffit, valeat, ac protinus Provincialem de facto certiorem reddat.

11. Ut autem nullus Commendator fit negligens in bonis Conventus, & Redemptionis debita ratione tractandis, illis enixe præcipimus, ut diligenter, & accurate obfervare ftudeant, quæ circa eorum computa, & rationes, fidelemque cuftodiam, ac depofitum inferius Dift. fequenti Cap. 11. de Depofitis, & alibi forte præfcripfimus.

12. Ipfis præterea fubjungimus ut nullo modo Miffarum ftipes expendant, neque illas a communi depofito educant, nifi prius fuerit omnis earum celebratio completa. Præter illas autem, quæ funt de jure Conftitutionis, unam relinquat liberam omnibus fuis Presbyteris fingulis Hebdomadibus, quam ipfis per totum Ordinem fuæ intentioni concedimus, quas autem, præter iftam, aliis Fratribus elargimur, ut in propriis jam Capitulis conftituimus.

13. Cuilibet ulterius Commendatori præcipimus fub formali obedientia, & pœna privationis utriufque vocis per tres annos, ut nullo prætextu per fe folum audeat expendere, vel recipere aliquid ad Monafterium pertinens non præfentibus depofitariis, quorum abfentia ad prædicta teneatur vocare aliquem ex fenioribus Conventus. Quod ut inviolabilibus periodis impleatur, fub præfatis pœnis eidem injungimus, ut fingulis feptimanis indifpenfabiliter computa faciat, non quidem privatim, folique Procuratori affociatus, fed publice, adftantibufque Depofitariis, Sacrifta, Difpenfatore Conventus, ejufque Procuratore, atque etiam Procuratoribus Redemptionis, quotquot in ea domo refideant fono cimbali vocatis. Quos omnes hujufmodi computationibus neceffario adeffe compellimus.

14. Commendatores obfervare tenentur motum proprium Urbani VIII. circa bona Ecclefiæ non alienanda. Quod fi quis contra facere præfumpferit alienationes omnes, & fingulas inanes ducimus præfentique conftitutione irritas declaramus. Diffipatorem autem hujufcemodi bonorum Ordinis, qui talia perpetrare attentaverit, non tantum damnamus ad pœnam gravioris culpæ, fine relaxatione fubeundam; verum, & omni cura, adminiftratione, & Commenda Ordinis noftri ipfo facto, hac noftra conftitutione privamus.

15. Commendatores itaque quomodolibet constituti non possunt intra triennium per aliquem deponi, nisi dissipatores bonorum Ordinis reperti fuerint, vel publicum scandalum vel quavis altera privationis causa a nostris Constitutionibus designata processerit, ac de ipsis sint prius de jure convicti. In quo casu Magister Ordinis Provincialis, Vicarius Provincialis, aut Visitator eos deponere poterit, ea tamen conditione, ut semper id fiat a prædictis de consilio duorum Commendatorum, aut Diffinitorum Provinciæ, seu ab uno Commendatore cum Diffinitore. Magister autem in suis respective casibus, prædictos Commendatores, aut Diffinitores adhibeat modo dicto ex personis ejus Provinciæ, ubi repertus fuerit. Si tamen Provincialis, aut ejus Vicarius, seu Visitator aliter in præfata depositione processerit gravissimam correctionem subeat in Provinciali Capitulo. Cæterum absolutionem ab eis factam secus ac prædicitur, etsi revera culpabilem, non tamen invalidam ducimus, neque substitutionem aut novam Commendatoris electionem, ut inanem reputari permittimus, sed factam subsistere, ut urgentioribus incommodis occurramus.

16. Quod si Commendator aliquid commiserit quo in Constitutionibus nostris pœna suspensionis afficitur, illamve promereatur Superioris judicio; tunc Superior per se solum, absque prædictorum Prælatorum, seu Diffinitorum consilio, ac strepitu judiciali rejecto secundum sui ipsius prudentiam pro casibus emergentibus prædictam suspensionem, dummodo sex mensium spatium non excedat infligere possit.

17. Item ipsius interest in magnis solemnitatibus, absente Magistro, vel Provinciali Altaris officium assumere, sepelire Fratres, infirmis Sacramenta ministrare, aliaque similia peragere. Communibus actibus semper intersit, Capitula, & collationes spirituales cum Fratribus habeat, unde eorum profectus, & morum cultura proveniat. Curam etiam habeat, ut mandata, & Ordinationes visitationum, & Capitulorum Generalium, & Provincialium debita observatione vigeant. Singularitates in cibo, vel epulationes superfluas omnino caveat.

18. In jejuniis, & abstinentiis nunquam toti Conventui dispensationes indulgeat, exceptis casibus a constitutione prævisis: officialium negligentias corrigat, ac de iis, quæ ab illis sunt facienda frequenter admoneat & instruat; caveat insuper, ne ipsis ratione officiorum, ea quæ sunt Ordinis negligantur, nisi quantum propter officium compellantur, vel de licentia rationabiliter eis permissum fuerit.

CAPUT XXIV.

De officio, & potestate Præsidis, & Vicarii.

1. Circa Præsides, qui in omni eventu possint, & debeant institui, ut Commendatoribus succedant, aut subrogentur, primo statuimus: ut nullus Commendator, qui domi sibi commissæ resideat, & eam per se gubernare valeat, qualibet ratione Præsidem sibi substituat. Quod si aliquando cum debita licentia peregre proficisci voluerit, vel alioquin mora futura sit diuturnior, ex suo Conventu unum Fratrem magis idoneum in Præsidem subrogare, usque ad adventum suum, nisi aliter Provinciali expedire videatur. Tandem nominationem facere poterit, cum processerit ad Capitulum Provinciale, & nominatus gubernabit usque ad personalem possessionem Commendatoris electi, nisi aliter etiamsi ipsi Provinciali videatur, cui super hoc semper facultatem hujusmodi nominationes reformandi concedimus.

2. Si vero Commendatoris obitus immineat, huic pariter potestatem tradimus ut opportune ante decessum possit sibi Præsidem substituere, qui post illum teneat gubernium, donec Prælatus superior eidem Conventui aliter provideat de Commendatore, vel Præside; quod si ita subito decedat, ut nominare non valeat, aut alias quomodocumque, sine nominatione propria, vel Prælati Superioris a munere deficiat. Tunc dignior in conventu ad ejusque regimen expeditus succedat in locum ipsius sub nomine Præsidis, donec Prælatus superior aliter ut supra providere decernat.

3. Declaramus autem, quod si Commendator ad Capitulum Provinciale quomodolibet non accedat, maneat nihilominus in regimine sui Conventus, donec noviter electus de illo possessionem personalem accipiat, nisi aliter novus Provincialis, aut ejus Vicarius de Præside constituat.

4. Quo circa ut omnis ambigendi locus præcludatur Præsidem alios in capite, interinos alios nuncupamus. Præsidem in capite esse vere, & absolute Prælatum cum potestate omnimoda Prælati localis; primumque in universis Conventus actibus locum possidere declaramus. Illum vero dici, & esse Præsidem in capite intelligimus, & statuimus, qui a Prælato Superiori tamquam talis per speciales literas constituitur; qui tamen ab ipso, pro nutu poterit amoveri per novam electionem Commendatoris, sive alterius Præsidis; dummodo id non fiat intra duos menses ante Capitulum Provinciale, nec hoc tempore suffragia mutentur pro libito, sed serventur ea quæ superius in hac Dist. cap. 14. præmisimus.

5. Reliquos autem Præsides aliter a quocumque quomodolibet institutos, subrogatos, & interinos dicimus, sine nomine quidem, & sensu Prælati, inter quos, qui ab aliquo Prælato quomodocumque non stabiliter, sed ut interinus nominatus fuerit, eam potestatem habeat in utroque regimine, quam ipsi delegaverit, aut concesserit Prælatus instituens cum limitationibus tamen in his nostris Constitutionibus ordinatis.

6. Ille vero qui solo jure Constitutionis absque aliqua nominatione successerit ultra limitationes tam Commendatoribus, quam Præsidentibus in capite, & interinis jam aliunde hic, & alibi a prædicta Constitutione factas nequeat in Conventu quidquam immutare, neque etiam de arduis extemporaneis, urgentibusque decernere, quæ Superioris Prælati non valeant expectare consultum, & directionem, nisi de consensu directorum Patrum. In reliquis autem non limitatis omnis, ubique Præses usualem cursum ordinariæ potestatis directivæ, & coactivæ suscipiant in utroque regimine. Hic autem Præses interinus si fuerit Vicarius in suo loco permaneat; secus autem sedeat immediate ante illum (quem sane tunc Vicarium permanere permittimus) nisi alioquin locum superiorem obtineat.

7. Constitutis Commendatoribus ad unumquemque pertinet quamprimum domum sibi creditam vera, & personali possessione obtinuerit, unum Fratrem in Vicarium eligere, virum utique Religiosum, & prudentem, ac viribus omnino validum, qui ipsum adjuvet in omnibus sui muneris & non propterea nomen, aut sensum Prælati se habere præsumat. Hunc autem debet ipse Commendator instituere cujusmodi potestatem eum velit habere, sive in præsentia, sive in absentia sui, & non ultra se extendere. Declaramus tamen, quod etiam si paucos dies, aut brevem moram Commendator non longe sit absens, prædictus Vicarius sub hoc nomine vices ejus in omnibus gerat quantum ad ea, quæ ad domesticam gubernationem attinent in utroque regimine, ne vel ad horam Fratribus legalis moderatio, cum potestate directiva, & coactiva deficiat. Quæ vero Commendatoris adventum expectare valeant ab ipso quæ sunt illi

restricta,

restricta, vel aliunde hujusmodi Constitutionibus, tam Vicariis, quam Præsidibus inferius limitata nullo modo ab illo exequenda permittimus. In urgentibus autem nihil omnino decernat sine consilio, & assensu discretorum Patrum. Deficientibus in choro, aut refectorio Prælato Vicario, seu Præside dignior Sacerdos ex parte hebdomadarii præsideat, necnon licentiam intrandi, & exeundi concedat.

8. Vicarius etiam de illis, quæ utilia sunt Conventui sive spiritualia, sive corporalia pie apud Commendatorem debet intercedere, si qua his Fratribus gravamina faciat ipsi prudenter ostendere, quæ autem per se corrigere valeat non ea importune Commendatori denuntiare, sed tantum illi graviora deferre. Quo ad locum vero Vicarius omnibus Præsentatis de numero perpetuo immediatus emineat. Duas Missas ultra communem Vicariis omnibus elargimur; quas pro sua possint intentione celebrare, & denique ab officio Chori, & Altaris sint absoluti, quandiu in munere existant.

CAPUT XXV.

De Dignitatibus sine licentia non recipiendis.

1. Cum Fratres (etiam extra ordinem) possint ad plura officia, beneficia, gradus, & dignitates diversimode promoveri, ut ea quidem cum merito, & Religiose suscipiant illis salubriter constituimus, ut nemo absque speciali licentia Magistri, aut Provincialis officium aliquod, gradum, beneficium, aut dignitatem assumat. Quod si secus fecerit præsenti Constitutione, suffragiis, & omnibus beneficiis spiritualibus Ordinis nostri privamus: Fratri etiam, qui in dignitate constitutus, vel quavis alia causa extra Ordinem vivens, Habitum & Instituta Ordinis non servaverit, suffragia Ordinis similiter interdicimus.

2. Si quis autem hujusmodi beneficia, gradus, & dignitates, vel alioquin sine illis, aut rationabili causa vitam degere extra Ordinem favoribus procuraverit, eosque præsertim ab extraneis personis obtinuerit, pœnæ gravioris culpæ ipso facto subjaceat.

DISTINCTIO OCTAVA.

De statu, & regimine omnium Provinciarum Ordinis, & domorum ejus.

Quia neque commune, neque particulare Provinciarum, & domorum regimen, neque officia opportune, & satis complecti potuimus, ea omnia in præsenti distinctione digerimus, ubi quæque hactenus desiderata subdidimus.

CAPUT I.

De Communi Provinciarum regimine.

1. Omnes Ordines Provinciæ singulos habeant Provinciales, & quatuor Diffinitores illius, & pro Capitulis Generalibus duos Diffinitores Generales, & totidem electores, atque etiam pro singulis domibus proprios Prælatos locales, qui Commendatores appellantur, exceptis tantum ad regimen Collegiorum electis, quibus Rectorum nomen permittimus, & ad Barchinonensis Conventus gubernium destinato, quam Prioris nomen datura ob causas cap. 4. dist. sequenti assignandas inviolabiliter gaudere decernimus. Hi autem omnes eligantur ut in dist. Superiori prædiximus. Quo circa declaramus ea omnia intelligenda esse de Provinciis veris, ac formatis, non autem de Congregationibus, aut Provinciis nominalibus, quæ adhuc in veras Provincias erectæ non sunt, has enim infra sub speciali regimine constituimus.

2. Circa numerum graduatorum, quos singulis Provinciis designavimus, similiter declaramus, quod omnis congregatio donec talis extiterit, & in veram Provinciam non erigatur nullam vim habeat ad graduatum aliquem postulandum; quæ autem jam fuerit vera Provincia; ita Magistrorum, & Præsentatorum numeros in prædicta Dist. 6. præfixos, & conditiones ad eos ibidem appositas observari præcipimus, ut nulla excogitabili ratione præfata liceat statuta transcendere, quam ob rem taxatur Capitulis Provincialibus potestas exponendi atque etiam Magistro confirmandi gradus, sine conditionibus a Constitutione ordinatis; & si aliter conferantur, ipso facto sint irriti, etiamsi Provincia sit exigua, numerisque graduatorum cum statutis conditionibus non sufficiens.

3. Quod si in regionibus aliquibus, tractu temporis Ordinem propagari contingat, & fiat aliqua domorum aggregatio ab aliis Provinciis separata, quæ non sit adhuc in veram Provinciam erecta, sed tantum Congregatio specialis, ut ea, quam Ordo possidet in regionibus Maragnonis Coronæ Portugalliæ, illam, quæcumque sit, si non habuerit aliunde specialem formam regiminis a Sede Apostolica indultam veluti congregatio Parisiensis, ita constitui, & gubernari præcipimus, ut ipsi videlicet Magister Ordinis, unum Commissarium Generalem præficiat, cum ea facultate (ordinaria, aut delegata) sibique semper subjecta, quæ visa fuerit expedire, juxta illius distantiam a se ipso.

4. Commendatorum autem electionem, ac reliquas cujuscumque Congregationis regimen spectantia, ita fieri constituimus, ut prædictus Commissarius Generalis de triennio in triennium per literas convocatorias congreget Capitulariter in Conventu a se designato omnes Commendatores, aut Præsides Duces Congregationis ad Sabbatum Dominicæ in *Cantate*, nisi alia fuerit constituta dies: juxta qualitatem regionis, & in eorum Capitulari cœtu novi Commendatores eligantur pro triennio immediate sequenti per suffragia secreta omnium Vocalium; in quibus si post tria scrutinia præmoniti etiam in quarto non conveniant, in ipsum Commissarium devolvantur electiones, sicut, & in aliis per suffragia secreta ordinavimus, si qua vero statuenda videantur pro bono regimine Congregationis mature ab omnibus decernantur, & una cum electionibus prædictis totoque processu Capituli, & statu Congregationis mittantur authentice ad Magistrum, ut quæ viderit confirmanda confirmet, & juxta sibi relata ipsam dirigat in meliusque promoveat.

5. In reliquis autem, quæ prædictis non opponantur eam regere studeat præfatus Commissarius juxta Constitutiones nostras, potissime vero cultum literarum pro viribus instituat, & ad disciplinas artium, & Theologiæ dignos Lectores postulet a Magistro, seu eligat ex suis Fratribus, quos idoneos habuerit servatis per omnia, quæ Dist. 6. circa Institutionem Lectorum stabilita reliquimus, ut subsidio literarum in dies Congregatio procedat in melius, & viris, qui eam promoveant decoretur.

6. Quantum ad transitum de una Provincia in aliam statuimus, ut si hoc fiat per adoptionem Fratrum solus Magister Generalis, & nullus alius Prælatus, etiam Vicarius Generalis totius Ordinis eam concedere valeat, quandocumque autem a Magistro concedatur, semper consilium utriusque Provincialis a quo, & ad quem adhiberi præcipimus. Quod si transitus prædictus non sit ad permanentiam, sed ad tempus pro aliquo negotio gerendo, vel si alioquin Fratrem aliquem extra suam Provinciam transferre conveniat, non solum Magister, sed etiam Vicarii Generales in suis respective Provinciis illam poterunt ordinare, & præbere licentiam, sine prædicto Concilio.

7. Si quis autem Frater sine facultate, & authentico testimonio Magistri, aut alicujus Vicarii Generalis (intra sibi delegatam jurisdictionem) in aliam Provinciam quomodolibet transmigraverit; tanquam fugitivus tractetur a Provinciali, & Commendatoribus illius, & ad Provincialem suæ Provinciæ remittatur.

8. Eadem ratione statuimus, ut nullus Frater suam Provinciam deserens ad Romanam curiam, vel Regiam, aut Regale Prætorium quolibet prætextu se conferat, sine speciali mandato, aut licentia in scriptis Capituli Generalis, vel Magistri, nec similiter in terram Saracenorum transeat absque prædicta facultate, etiam in scriptis Magistri, vel Capituli Generalis, aut Provincialis, ut suo loco prædiximus. Qui autem secus attentaverit tanquam fugitivum in virtute Spiritus Sancti corripiendum esse præcipimus, & a Commendatore, qui eum sic indebite vagantem agnoverit in compedibus detinendum, Magistroque, vel ejus Provinciali denuntiandum, ut ab eo puniatur juxta qualitatem delicti.

9. Præterea omnibus Provinciis sit commune electionis Privilegium, earumque Capitula intra certum terminum præsentare Magistro pro confirmatione obtinenda, vel etiam Vicariis Generalibus ad eam facultatem habentibus. Si enim electio, & Capitulum Provinciale celebretur in Hispania, sine personali præsentia Magistri debet illi præsentari intra sexaginta dies, alioquin sit inanis, & irrita, atque in ipsum devoluta Magistrum, qui profecto illam confirmare tenetur si canonice fuerit celebrata, secundum jura, & Constitutiones hujusmodi, vel ejus defectum ostendere.

10. Provincias autem Galliæ, & Italiæ ad eandem præsentationem Magistro faciendam intra quatuor menses teneri decernimus, sub pœna nullitatis, & devolutionis prædictæ, & eundem pariter Magistrum earum Capitula, & electiones debere confirmare, aut infirmare, ut prædicitur. Congregationem autem Parisiensem quantum ad suum Capitulum, & electionem Vicarii Generalis, eidem legi, & prædictæ confirmationi Magistri, & devolutioni subjicimus. Confirmationem vero Provincialis Indiarum, suis respective Vicariis Generalibus sub forma superiori Dist. Cap. 9. præscripta committimus.

11. Tandem universis, & singulis Provinciis duo sigilla conveniunt, quibus earum Provinciales in suis literis utantur, alterum parvum cum solo scuto, & stemmatibus Ordinis pro rebus exiguis, & communibus. Alterum vero magnum, cum eisdem stemmatibus in calce, & aliqua Imagine alicujus de festivitatibus B. Virginis Mariæ, vel earum defectu, alicujus de Sanctis Ordinis in ejus arca præcipua prout in Cap. sequenti ad unamquamque Provinciam designabimus, cujus quidem signaculum patentibus officiorum, aliisque literis ejusdem ponderis apponatur.

CAPUT II.

De singulis Provinciis specialibusque sigillis earum.

1. In Hispaniarum Regnis Castellæ, & Aragoniæ, ubi primum fundatus extitit Ordo noster, quatuor sunt Provinciæ, quarum prima est Aragoniæ constituta ex Conventibus ipsius Regni Aragonum, & Principatus Cathaloniæ, atque etiam Regni Navarræ, & Sardiniæ detractis Conventibus Tarraconæ, & Dertusæ ex Cathaloniæ, & Turoli, &. Sarrion ex Aragonia, qui simul cum Domibus Regni Valentiæ Majoricæ, & Oran Provinciam Valentiæ constituunt.

2. Regnum Castellæ dividitur in alias duas Provincias sub nominibus Castellæ, & Vandaliæ, quarum localis discussio fiat, & sit a flumine, quod dicitur Guadiana, a quo quidem loca omnia versus Vandalium sita Bethicæ Provinciæ subjaceant, quæ vero a prædicto flumine versus Castellam tendunt ad Provinciam Castellæ pertineant. Cum iis pariter quæ ad Galleciam, Cantabriamque; & Regnum Legionis attinent cum locis terrisque adjacentibus.

3. In Regno Lusitaniæ ex Monasteriis, quæ Ordo possidet in Maragnione apud Indiam Orientalem constituta est quædam Congregatio, & quasi Vice-Provincia sub uno Commissario Generali moderata, si qua vero alia in prædicta India erigantur ad eandem Congregationem, & Commissarii Generalis moderationem spectare decernimus; donec Domorum numerus ad formalem Provinciam, Provinciasve erigendas sufficiat.

4. Deinde Regnum Galliæ unam habet Provinciam, quæ Gallice nominatur, & unam Congregationem ab ea separatam, quæ Parisiensis dicitur. Ex Conventibus autem Romaniæ Regnorumque Neapolis, & Siciliæ aliorumque locorum adjacentium Provincia una consurgit, quæ appellatur Italica.

5. Post Provincias Europæ sequuntur, quas Ordo habet in America, ubi primum incidimus in Provincia S. Dominici, & procedentibus per terrarum tractus versus occidentem occurrit Provincia de Mexico, & Guatamalæ, deinde Limensis, & Cuzcuana; post eas vero Chilensis, & Tucumana, & postrema Guitensis. Quibus jam omnibus commune regimen superius ordinavimus, & propria quibusdam in sequentibus statuemus. Si quæ autem aliæ Domus, vel cœtus Fratrum Ordinis alibi per totum Orbem nunc, aut pro tempore extiterint, ut in Insula Hiberniæ directioni, & providentiæ Magistri subjaceant.

6. Quantum attinet ad sigilla Provinciæ Aragoniæ habeat pro stemmate Imaginem Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ Matris, ac Fundatricis nostræ, in cujus honorem fuit Ordo noster ab ipsa fundatus, & erectus in Civitate Barchinonæ, & illius puritatis signum candenti Habitu decoratus, in limbo autem præfati sigilli, sit versiculus iste: *Tota pulchra es amica mea.*

7. Sigillum vero Provinciæ Castellæ Imaginem Assumptionis ejusdem Beatæ Virginis contineat, cum hoc versiculo incisam: *Assumpta est Maria in Cœlum*: Provincia Valentiæ Mysterium Purificationis ejusdem cum his verbis: *Lumen ad revelationem gentium.* Provincia Vandalica ejusdem præsentationem in templo cum hac inscriptione per gyrum: *Respexit Dominus humilitatem Ancillæ suæ.* Provinciæ vero Galliæ sit pro sigillo Nativitas cum hac litera: *Nativitas Gloriosæ Virginis Mariæ.* Italiæque Provinciæ Visitatio cum hoc versu: *Benedicta tu inter Mulieres.*

8. Ulterius Provincia S. Dominici assumat Imaginem S. Petri Paschasii, sic inscriptum: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Provincia Mexicana Desponsationem Beatæ Mariæ sub his verbis: *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph.* Provincia Guatamalæ effigiem S. Raymundi Nonnati, cum hoc versu: *Suscepisti me de utero Matris meæ.* Provincia Limensis Imaginem S. P. N. Petri Nolasco cum litera: *Majorem charitatem nemo habet.* Provincia Cuzcuana, Divi Petri Armengaudi effigiem hoc versiculo insculptam: *Suspendium elegit anima mea.* Provincia Chilensis habeat pro signaculo Patrocinium B. Mariæ, id est Imaginem ejus, filios sui Ordinis sub pallio protegentis; litera vero: *Beata es Maria Patrona, & Mater nostra.* Provincia Tucumana expectationem ejusdem, cum isto versiculo: *Expectans expectavi Dominum.* Et tandem Provincia Quitensis Imaginem ipsius B. Virginis Dolorosæ his verbis circumscriptum: *Tuam ipsius animam gladius pertransivit.*

9. De prædictis etiam Congregationibus ordinamus,

namus, ut Parisiensis, quæ est in Gallia, suscipiat in sigillum Annunciationem prædictæ B. Virginis cum hoc versu: *Ave gratia plena.* Congregatio vero Maragnionis Imaginem Sanctæ Mariæ ad Nives quasi apparentis in nubibus super collem rigentibus cum hac litera: *Candidiores Nazarei ejus nive.* Quæ quidem signa etiamsi in veras Provincias erigantur semper, & ubique retineant. Universis vero Prælatis stricte præcipimus, ut præfatis sigillis, prout unicuique Provinciæ, seu Congregationi statuuntur in literis publicisque instrumentis obsignandis utantur.

10. Declaramus autem quod per hunc ordinem literæ, quo prædictas Provincias nominavimus non intendimus ipsis derogare suum proprium locum, & Sedem, vel jura antiquitatis earum violare, sed ea omnia illæsa reliquere incolumi. Similiter consistente jure, ac possessione præcedentiæ, qua Vandaliæ Provincia fruitur respectu Provinciarum Indiarum, & primævis suæ institutionis Decretis.

CAPUT III.

De speciali Regimine aliquarum Provinciarum.

1. Quoniam in Ordine nostro sunt aliquæ Provinciæ, vel Congregatio, quæ in aliquibus specialiter gubernantur, expedit quidem ad earum regimen, certis quoque, & perpetuis legibus in nostris Constitutionibus concludamus.

2. Primo enim Provincia Aragoniæ, cum plura regna contineat, electionem Provincialis in ea per alternationem perpetuam fieri constituimus, id quod antehac servatum est, ita videlicet, ut uno triennio sit Provincialis ex Cathalonia, vel Sardinia, in sequenti vero immediate ex Regno Aragoniæ, sive Navarræ eligatur, dummodo reperiantur personæ cum meritis ad tale officium a Constitutione præfixis.

3. Prædicta autem alternativa debet accipi non penes originem, & filiationem sæculi, & naturalem, sed juxta filiationem Conventus, in quo patuit ingressus in Ordinem, ita quidem, ut qui habitum suscepit in Conventibus Aragoniæ, vel Navarræ, poterit esse Provincialis in Aragoniæ alternativa, etiamsi natione sit ex Cathalonia, vel Sardinia, sive e converso.

4. Rursus, ut omnis occasio præjudicii cuicumque parti penitus evellatur, decernimus, & declaramus, quod nemini faveat adoptio, seu nova filiatio in Conventibus alicujus partis, ut illius alternativa gaudere valeat, sed semper pensari debet, secundum filiationem ex reali habitus susceptione in Conventibus alternativæ concurrentis.

5. Circa Diffinitores vero Provinciæ, quos præfatum elegit Aragoniæ Capitulum decernimus, ut una saltem diffinitio semper tribuatur alicui ex Patribus Principatus Cathaloniæ: cum autem Provincia nonnullos habeat Conventus ultra mare in Insula Sardiniæ, quos facile Provincialis gubernare, & proxime suis necessitatibus occurrere, casibusque emergentibus providere non sufficit; propterea constituimus, ut dictus Provincialis eo dirigat unum Fratrem idoneum, qui sit Commissarius Provincialis in prædicta Insula, cum literis, & sufficienti potestate instructus ad libitum, ut Domos ejus gubernare valeat.

6. Quantum ad Provincias Castellæ, & Vandaliæ decernimus etiam, & ordinamus, quod licet in duas sint revera divisæ, Collegia tamen Complutense, & Salmanticense in Provincia Castellæ contenta debeant esse utriusque Provinciæ communia, ita videlicet, ut Collegium Complutense tres Fratres ex Provincia Vandalia, quinque vero Salmanticense in Collegas admittere, & alere teneantur, quod si ultra præfatos numeros alii mittantur ad illa, eos non teneantur sustentare Collegia, sed propriis expensis alantur. Hos tamen omnes Provincialis Castellæ poterit ab uno Collegio traducere in aliud, vel etiam ab studio repellere si expedire judicaverit; & Provincialis Bethicæ, ad quem pro utroque Collegio hujusmodi pertinet designatio in eorum locum alios subrogare, quoscumque autem Fratres, hæc duo Collegia, undecumque in Collegas susceperint denuo per annum Fratrem a prædictis respective Collegiis deputatum probandos esse de genere denunciamus: juxta Bullas SS. Pii IV. utriusque Collegio respective concessas.

7. Ulterius in Regno Galliæ Congregatio, quæ dicitur Parisiensis erecta auctoritate Apostolica donec in Provinciam evadat sub illis legibus conservandam esse decernimus, quas illi Sedes eadem Apostolica ordinavit. In reliquis autem hujusmodi Constitutionibus omnino subjaceat.

8. Adhuc Provinciam Italiæ, quæ utcumque de Fratribus naturalibus, & non paucis de Hispania constituitur sic in electionibus Provincialis moderandam esse decernimus quod videlicet in ea servetur omnino Decretum Sm̃i Pauli V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 12. Junii 1619. Pontificatus sui anno 15. in quo præcipitur, ut prædicta electio Provincialis præfatæ Provinciæ jure alternationis constituatur inter prædictos Fratres Hispanos ex una parte, & reliquos Fratres Italos ejusdem Provinciæ ex altera secundum consuetudinem hactenus in ea servatam, ita nempe, ut ad fruendum prædicta alternativa sufficiat Hispanis Fratribus adoptio per quinquennium integrum in ea Provincia a solo Magistro Generali concessa. Illos autem quos eo Magister ipse non miserit, perpetuo ab universis ejusdem Provinciæ honoribus abdicamus, etiam si aliunde præfato adoptionis tempore gaudeant.

9. Parem vicissitudinem inter prædictos observari præcipimus quantum ad electiones Diffinitorum, & Electorum Generalium, ita videlicet, ut semper in Capitulis quælibet pars, & alternativa unum ex se Diffinitorem, atque Electorem Generalem sortiatur, quam etiam divisionem, & sortem inter ipsos pro Diffinitoribus Provinciæ statuimus, servata tamen etiam ad hæc officia præfata conditione adoptionis. Commendatores autem S. Ursulæ Neapolis, & S. Annæ Panormi semper eligi debent de Hispanis, quibus Domus consignatæ sunt. Commendator vero Romæ secundum consuetudinem eligatur.

10. Et quoniam apud Indias Occidentales in Provincia Quitensi quantum ad Provincialis officium similis viget alternandi consuetudo inter Hispanos scilicet, & ejus regionis indigenas ab ipsa Hispania oriundos; idcirco pariter constituimus, ut prædicta alternatio intelligenda sit, quatenus ex utraque parte suppetat vir habilis juxta Constitutiones nostras ad Provincialatum prædictum: & quantum ad Hispanos, quod similiter præcedat quinque annorum adoptio statuimus, & nunc denuo declaramus de universis honoribus & dignitatibus ab hujusmodi fratribus Hispanis in prædicta, & reliquis Indiarum Provinciis impetrandis.

11. De omnibus insuper Provinciis Indiarum quantum ad Vocales inde ad Generale Capitulum accedentes firmiter constituimus, ut quia longa, & vastissima sunt ab illis regionibus itinera, tam Provinciales, quam Diffinitores, & electores Generales earum Provinciarum, etiam expleto suæ electionis triennio per unum amplius annum sua gaudere voce in Capitulo, modo non superveniat in eadem voce successor in sequenti immediato post electionem prædictorum electus. Quæ omnia, ut sine litibus eveniant fidelibus Instrumentis de tempore electionis eorum esse comprobanda, præcipimus juxta Decretum Capituli Generalis Cathalaunibus a Clemen. VIII. confirmatum die 8. Novembris 1594.

CAPUT

CAPUT IV.

De speciali regimine Domus nostræ Barchinonensis quantum ad electionem Prioris.

1. Cum nostra Domus Barchinonensis sit profecto totius Ordinis Caput, in qua revera processerunt illius initia, idcirco hanc ejus antiquitatem, & dignitatem attendentes, atque pristinam ejus consuetudinem perpetuo observari desiderantes, præsenti Constitutione irrevocabiliter stabilimus, ut Prælatus præfatæ Domus, non Commendator, sed Prior sit appellandus, cujus electio per fratres ejusdem Domus canonice debeat celebrari per vota secreta, & juxta formam Concilii Tridentini: sic autem electus Prior suo munere per triennium, & non amplius utatur, quod quidem semper computari volumus secundum annos naturales, & integros ab ipsa die electionis, nisi in casibus specialibus inferius assignandis.

2. In illa vero vocem habeant omnes conventuales prædicti Conventus Barchinonensis, dum tamen sint sacris initiati, & quatuor annos a professione antiqui, atque etiam præfata conventualitas in ipsa Domo sit saltem unius mensis proxima, antequam Prioratus per mortem, aut alia qualibet causa vacaverit.

3. Decernimus autem, & ordinamus prædictos fratres Conventuales Prioratu vacante vocem electivam habentes non debere tantum esse filios ejusdem Domus Barchinonensis, sed sufficere Conventualitatem prædictam cum conditionibus declaratis, ut in ea electione suffragari valeant, sive fuerint filii ejusdem Domus, sive filii, & habitatores assignati in tota Provincia Aragoniæ.

4. Prædicti ergo fratres, sicut præmittitur ad eligendum idonei eligant, & constituant in Priorem ex se, aut ex aliis Domibus totius Provinciæ Aragonen. qui sit religione, moribus, & doctrina ita præcellens, ut non solum prædictam Domum, sed totum etiam Ordinem suo tempore, & casibus gubernare sufficiat, pro quo statuimus, ut vel Magister de numero Provinciæ existat, vel saltem Præsentatus, etiam de numero, & lectura in eadem Provincia, & electio secus facta sit irrita.

5. In hujusmodi Electione, si adsit Magister Ordinis, vel Provincialis, vel ejus Vicarius, semper alter eorum, qui fuerit inventus præsideat, & suffragium habeat in illa, quod si uterque concurrat præsidentia deferatur Magistro, si eam non malit Provinciali relinquere, si uterque vero sit absens, præsidere debeat Superior, seu Vicarius ejusdem Conventus, vel ejus defectu, fratrer ex tota Communitate professione antiquior. Statuimus autem, quod electio dicti Prioris ad illos tantum ex præfatis Electoribus attineat, qui personaliter fuerint præsentes in illa, sicuti fit in electione Magistri, quod si quis majorem partem medietate eligentium habuerit ille sit, & reputetur tamquam Prior electus. Hanc autem electionem facere teneatur præfatus Conventus intra unum mensem a vacatione Prioratus. Quo elapso, si adhuc non elegerit, tunc Magister Ordinis jure ad se devoluto de Priore provideat.

6. Factam jam Prioris electionem statim Magistro Ordinis explorandam, confirmandamque mitti decernimus. Unde Conventus confirmationem postulans numerum pariter, & nomina omnium vocalium, & simul quot eorum suffragia electus habuerit per autenticum testimonium referat eidem Magistro.

7. Exinde Prior electus consultis Patribus a consilio, Superiorem, seu Vicarium sine mora constituat, qui possit corripere delinquentes, curamque Conventus, & fratrum solicite gerat, secundum quod ipse Prior illum instruxerit, & permiserit.

8. Officium prædicti Prioratus ita præcellit in ordine, ut vacante Sede Magistri semper sit primus ad successionem, & substitutionem vocatus modo, & forma, jam alibi constitutis ubi, & de plenitudine suæ potestatis, & cujuslibet alterius, qui potest esse, vel fuerit Vicarius Generalis satis superque decrevimus, unde per dictum officium nullo modo vacare permittimus durante spatio, ac tempore, Vicariatus Generalis etiamsi triennium talis Prioratus expleatur, tunc ergo, quia in ipso Capitulo Generali, etiam post actam electionem Magistri adhuc Prior Barchinonensis (sive sit Vicarius Generalis sive non) vocem, & locum possidet usque ad finem Capituli, propterea constituimus, ut præfatus mensis intra quem dicti Conventuales Priorem eligere tenentur excurrere non incipiat, nisi a die authenticæ notitiæ consummationis Capituli ab ejus Secretario attestante.

9. Cum autem Prior Barchinonensis prædictus jure Constitutionis vacante Sede Magistri ante expletum sexennium in officio Vicarii Generalis, totius Ordinis cum plena jurisdictione succedat, decernimus, & statuimus, ut si quando dictum Vicariatum adierit, fuerit solum præsentatus ipso facto propter dignitatem officii, supremique totius Ordinis Magisterii in quo succedit Magister habeatur, sit, & nominetur, modo lecturæ curricula a Constitutionibus ordinata pro simili gradu, cum approbatione Diffinitorii suæ Provinciæ jam confecerit.

10. Antiquitas autem hujus Magisterii, ut certum ubique locum obtineat inter Magistros suæ Provinciæ computari debet, a die qua Vicariatum Generalem assumpsit, si vero Magister de numero suæ Provinciæ prius exiterit exemptionibus Provincialis (perinde acsi esset functus præfato munere) gaudeat cum præcedentia ad exteros Magistros suæ Provinciæ, & loco immediato post eos, qui Provinciales fuerint, & postmodum futuri sunt, inter illum autem, & ex-Procuratores Generales Romanæ Curiæ servetur ordo, quem infra in *Cap.* 19. de ordine sedendi statuimus.

CAPUT V.

De visitatione Provinciarum, earumque Domorum.

1. Cum Magister Ordinis intra tempus sui regiminis teneatur per se, vel per alium totum Ordinem visitare, & Provincialis itidem bis totam Provinciam in suo triennio, aut quoties compellatus fuerit specialiter a Fratribus, vel postulet rerum eventus, non importunam ducimus formam visitationis ab ipsis, vel suis visitatoribus faciendæ juris, & æquitatis legibus instituere.

2. Primo enim Magister ingrediens visitare alicujus Provinciæ Domos, debet simul visitationem Provincialis aggredi, unde si antequam accedat ad Domum Capitalem Provinciæ, ubi Provincialis adest aliquas occurrentes Domos in via visitare oporteat in ipsis, etiam de regimine, & reliquis ad Provincialem spectantibus disquirere incipiat secundum formam inferius tradendam.

3. Insuper a Provinciali de Fratrum moribus debet inquirere, ac fratres ipsos in singulis Domibus interrogare si quid emendatione dignum habeant circa bonum, utilitatemque Provinciæ revelandum. De quibus omnibus ejus communem visitationem simul, & particulares Domorum peragat, & concludat.

4. Si visitationes istas non per se Magister adimpleat, debet semper eum visitatorem eligere, qui sit ætate, literis, religione, ac moribus approbatus, cui auctoritatem suam in scriptis conferat, quatenus ad omnia prædicta gerenda sibi expedire videatur. Is insuper debet esse zelo, prudentia, & benignitate præditus. Verumtamen

men qui potens sit irrumpere iniquitatem ne vel fortitudine nimis terreat, vel victus suavitate non adeat; quæ omnia similiter Provinciali, Vicariove Provinciali subjungimus. Visitator autem institutus semper sibi eligat unum Fratrem in Secretarium, qui de omnibus visitationis actibus fidem reddat, Juramentum secreti, & fidelitatis ipsi prius Visitatori perhibeat.

5. Cum vero Prælatus, aut Visitator ab eo missus Domum visitandam ingreditur, debet suscipi, iterantibus exhibenda, prout inferius *cap.* 18. præcipitur. Susceptus autem statim visitationem incipiat, nisi ita sit longo itinere vexatus ut aliqua prius requie levari oporteat. Visitator missus tribus tantum diebus requiescere poterit, quibus tractetur, ut hospes, iis vero elapsis, sine mora visitationem inchoet a cujus initio, ad finem usque dumtaxat sit vere Prælatus, vicesque, & locum sui principalis obtineat in ea tantum Domo, quam visitat cum potestate tamen extra illam quantum ad incidentia, quæ eandem visitationem respiciant, qua finita, & conclusa, si in ea Domo forsitan immoretur, habeatur hospes: sitque Provinciali, & Prælato locali subjectus, visitationem autem in Domibus exiguis, & modicis semper quatuor præcise diebus continuis peragat, & concludat, in magnis vero duos amplius, vel quatuor dies adjicimus, quos præterire non liceat.

6. Si vero delicta aliqua ex visitatione prodierint, quæ processu judiciali indigeant, & intra dictos quatuor, aut octo dies concludi non valeant, tunc in Provinciis Europæ suo principali a quo fuerit nominatus relinquat. In Provinciis vero Hispaniæ a quocumque fuerit missus Visitator, semper Provinciali deferat per dictas causas, ut eas prosequatur, & finiat, ne si Vicario Generali, aut Magistro a quorum altero nominatus fuerit reserventur, ipsis noceat distantia locorum.

7. Ipsi tamen Prælato visitanti ubique consulimus, ut quantum negotia sustineant, præfixos etiam terminos in visitationibus non prætereat, ne Domus per moram gravetur, vel suspicionibus intestini mali ejus fama lædatur. Quod si visitatio non fiat de officio, & more, sed sit irregularis, & ex peculiari causa emergenti, etsi eam quoque, quam citius desideremus absolvi, nulla tamen dierum metam circumscribimus.

8. Si Commendator suæ Domui visitationis tempore non adfuerit, visitatio nihilominus eo non expectato fiat, & Visitator, aut Prælatus ad omnia prædicta, & inferius insuper dicenda procedat. Si quid autem de Commendatore agnoverit emendatione dignum, de justa correptione provideat juxta Constitutiones nostras, & prout Domus necessitas postulet. Si vero pro aliquo testimonio necesse fuerit absentem aliquem fratrem vocare, vel citare, id præstare poterit Visitator nominatus in omni visitatione sub excommunicatione, & præcepto.

9. Visitator itaque ingressus Monasterium pace Fratribus oblata, & congregato Capitulo, si Prælatus non fuerit literas visitationis ostendat, legique faciat coram Capitulo, quibus lectis, & evulgatis, atque illi præstita visitandorum obedientia dicat: *Benedicite Fratres &c.* commendationem deinde pro vivis, & Defunctis instituat, ut habetur in principio Capituli quotidiani. Postea vero piam, & religiosam exhortationem Fratribus habeat secundum eorum qualitatem, & circumstantias Domus, & moneat primo, secundo, & tertio in virtute Spiritus Sancti, & sub obedientiæ præcepto, ac sententia excommunicationis, ut omnes, & singuli odio & amore postpositis sibi clare, & distincte manifestent ea omnia, quæ in communitate, aliquove individuo emendatione, correctione, seu punitione digna repererint, & maxime quidquid in observantiæ ruinam, religionis, sive Fratrum perniciem fuerit perpetratum, si quas rixas, aut dissidia, si qua scandala, vel crimina, & si qua alia ex iis, de quibus in scrutinio inferius declarando interrogabuntur, tam in capite, quam in membris agnoverint, cunctaque abs dubio Fratres singuli cujuscumque gradus, & conditionis extiterint ei aperte declarare debeant, ut illis in judicio, vel extra congruam inferat medicinam.

10. Ut autem Fratres nihil de sibi revelandis occultent, in hoc primo Capitulo, iisdem exponat, quantum illos censura, & juramentum adstringant, quibus omnia sibi nota, ac remedio digna manifestare promittunt, ibi enim adjuret eos per viscera Jesu Christi; quod bonum Ordinis, & Fratrum in justitia, & veritate diligant, quod salutis eorum boni æmulatores existant, quodque Medico ipsorum vetera, vel putrescentia vulnera celantes eorum patroni crudeles, amicique pestiferi non fiant; super hoc enim sit tota, vel præcipua Capituli, ac sermonis materia, quo de ipsorum manibus exquirendum esse protestetur sanguinem ejus, qui suo silentio perierit. Hos maxime securos reddat de secreto a se fideliter, exacteque servando omnibus, quæ sibi quomodolibet revelaverint, prout in conscientia tenetur, & inferius enixe præcipitur.

11. In prædicto deinde Capitulo tam Prælatus, quam Visitator omnes Confessarios publice, & ex officio suspendat, præter graduatos, donec novo examine comprobatos restituat, seu a Ministerio revertat. Cæterum si graduatum aliquem a sufficientia, vel discretione, aliisque pro munere requisitis defluxisse cognoverit, prudenter, & privatim similiter suspendat, donec denuo examinatum approbet, vel removeat.

12. Postea vero intra, vel extra celebrationem Missæ Alba, & pluviali indutus, & cum cereis accensis, & thuribulo secundum formam Ritualis Ordinis visitet Sacramentum Eucharistiæ, an sit, in loco pie, religiose, & ritualiter parato, & instructo, & quo tempore renovari soleat. Videat insuper, & recenseat: an reliquiæ, & oleum infirmorum decenti cultu, & custodia serventur. Deinde an sacra indumenta pro necessitate sufficiant, an apta, & munda sint, & quæ reparanda, quæ sint addenda præcipiat.

13. Post hæc autem in secreto loco solus a singulis Fratribus accipiat juramentum, quod vera proferent ad ea, de quibus interrogati fuerint ab ipso, omni odio, & amore posthabitis, eoque sic præstito, procedat ad inquirendum in genere de statu Domus, de fama, vita, & honestate Prælati, & Subditorum ejus secundum instructionem inferius proponendam, singulaque in emendationem, respective inducat, prout sibi declarata, ac probata fuerint, & justitiæ, vel charitati conveniat. Delicta vero tam Commendatorum, quam Fratrum visitet, corrigat, & emendet, quocumque tempore perpetrata sint, si punita, & emendata non fuerint.

14. Post visitationem rerum Ecclesiæ visitari debent omnes libri rationales, & inventaria Conventus, videlicet liber Missarum, & reliqui omnes dati, & accepti, inventarium Sacristiæ, Infirmariæ, Bibliothecæ, omniumque utensilium, quæ sunt in cellulis Fratrum, cum tabula Defunctorum Provinciæ. Deinde vero libros redemptionis suscipiat, quos diligentius, & accuratius (ut institutum postulat) severissimo examine perpendat, & si quid in illis inveniat extra Constitutiones hujusmodi commissum, absque ulla misericordia corripiat. Si Procuratores autem prædictæ redemptionis tepidos, & negligentes invenerit in hujusmodi charitatis officio, puniat, vel amoveat, secundum qualitatem delicti. Commendatores etiam juxta Constitutiones nostras in hac vel alia culpa deprehensos, poterit Visitator supendere, convictosque privare, ac Præfi-

dem pro illis substituere, donec Prælatus Superior de domo illa provideat, super prædicta autem Commendatoris suspensione declaramus eam posse Prælatum, aut Visitatorem aliquando facere absque eo quod causam, vel rationem exhibeat.

15. Similiter si Vicarium, si Procuratorem Conventus, aut Sacristam dignos depositione, vel remotione probaverit, eos a suis muneribus depellat, atque alios a Commendatore subrogari constituat. Si vero Depositarium hujusmodi privatione afficiat, ejus nominationem Conventui relinquat. Magistrum autem Novitiorum si fuerit a se depositus, Provinciali noviter eligendum deferat.

16. Ad Provincialem denique sive ejus Visitatorem pertinet in ipso actu visitationis informationem de Lectoribus per se ipsos immediate suscipere; itaut in scrutinio secreto fiat omnino certior de illorum negligentia, & defectibus, vel de solicitudine in proficiendo, & docendo, de quibus etiam juxta superius Dist. 6. Cap. 6. ordinata publice testimonium debet accipere a majori parte Conventus de peractisque curriculis juridicam informationem suscipere, ut suo tempore exhibeatur Diffinitorio Capituli. Ex his ergo, & secundum ea, quæ legitima probatione deprehenderit debet eos laudare, vel corripere, aut etiam (si visitationem faciat Prælatus) ipse solus lectura privare, quos a prima sufficientia noverit excidisse.

17. In mutationibus Fratrum si plures amoveri expediat, non omnes dispergat simul, sed transacta visitatione sensim, singulatimque ne scandalum fiat in Populo.

18. Facta ergo visitatione atque omnibus ejus actis scripto mandatis fiant a Visitatore Decreta, quæ sibi visa fuerint expedire prout Domus status, regularisque observantiæ postulet custodia, & sic omnia scripta permaneant, & ubicumque opus fuerit in Diffinitorio, aut Capitulo fidem faciant. Statuta vero, congregato a Visitatore Capitulo inibi legantur, brevique Fratres oratione ad eorum observantiam, aut totius vitæ regularis inviolatam integritatem hortetur, postea omnes se prosternant, & dicant *Confiteor Deo &c.* stans autem Visitator adjiciat: *Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c. Et ego auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate mihi commissa absolvo vos ab omni vinculo irregularitatis, suspensionis, excommunicationis latæ ab homine, vel a jure (si indigetis) & ab omnibus transgressionibus, excessibus, omissionibus regulæ, & Constitutionum nostrarum, quantum ego possum, & quod non possum suppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Dominus Jesus-Christus, & injungo vobis in pœnitentiam omnium peccatorum vestrorum quidquid boni feceritis, & specialiter jugum obedientiæ, ac regularis observantiæ disciplinam in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen,* & sic concluditur, & solvitur visitatio.

19. Tempore visitationis Prælatus semper, aut Visitator cum Fratribus in Refectorio comedat de communi victu, neque singularia sibi fercula parari sustineat, qua de re illius conscientiam oneramus, ne visitatio, quæ mederi debet, excessibus eos inducat potius, quam cohibeat.

20. Prælato, vel Visitatori provideat Conventus necessaria pro impensis itineris usque ad Monasterium proxime visitandum, semper vero religiose, & honeste, Prælatus, aut Visitator incedant cum uno Fratre socio, & servis, & animalibus necessariis, ne Domus dilapidentur a Visitatoribus.

CAPUT VI.

De interrogationibus a Visitatore in inquisitione, & scrutinio secreto faciendis.

1. Ingresso Visitatore scrutinium, & a singulis Fratribus præstito juramento, ut prædicitur illud in hanc formam incipiat: An scilicet Prælatus frequenter absit a Divino Officio, & oratione mentali: an de illis ita sit negligens ut aliquando non ritualiter, ac devote compleantur, neque temporibus a Constitutione dispositis: an residentiam Chori Fratribus persæpe dispenset, eamve curare prætermittat: an circa Ecclesiam, & Missarum celebrationem, secundum omnia Conventus, & Ordinis onera curam adhibeat: an lampades SSmi Sacramenti jugiter ardere non studeat, aut super hoc negligentiam Sacristæ non severe corripiat.

2. Insuper an redemptionis instituto, & eleemosynarum Collectæ minus diligenter intendat: an ea, & universæ redemptionis bona fideliter custodiat, & tractet, & a Fratribus eadem procurantibus similiter tractari faciat.

3. An sæpius Refectorio non intersit, aut Fratres pro viribus interesse non faciat: an illis super hoc nimis indulgeat, aut jejuniorum Ordinis violationi consentiat: an eorum depravatos mores non coerceat, illisque in observantia regulari laxa fræna dimittat: an ab ipsis munera accipiat: an fiat personarum acceptor, seu lenior in pœnis, & observantiæ custodia, quod etiam potissime interrogabit Visitator Generalis de Provinciali, aliisque Prælatis Ordinis, & quos donorum receptores, sive acceptatores personarum invenerit (& maxime ab illis, quos Provincialis in officio, vel commenda suffecerit) propriis deponat officiis, & publicis quoque pœnitentiis vindictam sumat de fœditate criminis, ut illis in correctionem, reliquis vero Fratribus proveniat in exemplum.

4. Ulterius inquirat de Commendatore an quotidiana Capitula habere, fratresque assiduo corrigere prætermittat: an benigne, & comiter, vel durius, quam expedit cum Fratribus se gerat: an erga infirmos debitum charitatis exolvat, vel omnibus postulatus necessaria dispenset: an erga singulos æque affectus appareat, aut divisiones foveat, quas imo tenetur extinguere: an circa bona Conventus infidelis, negligens, aut dissipator existat: an illi census, possessiones, atque eorum instrumenta sint curæ: an singulis Septimanis computos, & rationes faciat. De prædictis ergo præcipue non debet erga Commendatores interrogatio dimitti. Poterit tamen Visitator plura alia, quæ ad eos pertinent inquirere, prout opportune, & congruenter expediat; libros quoque dati, & accepti, & quæcumque rationalia, & inventaria Conventus; etiamsi alioquin visitata denuo perscrutari in examenque, & inquisitionem revocare valeat.

5. De Vicario autem interrogabit: an Choro frequenter intersit: an inter ipsum, & Commendatorem mutua sit intelligentia, quæ Conventus paci noceat, eosdemque Fratribus reddat de aliqua in eos, aut Domum infidelitate suspectos: an Divinum officium statutis temporibus, & devote quotidie celebrandum curet: an in designandis officiis per tabulam Sabbati sit personarum acceptor: an sit de infirmis solicitus, & alia id genus, quæ Visitatori opportuna videantur.

6. Insuper de Sacrista, Procuratoribus, Depositariis, cæterisque ministris, & officialibus interroget an sua munera religiose, & diligenter exerceant. Item de Prædicatoribus, & Confessariis: an suis ministeriis sufficiant ad profectum, eaque laudabiliter, an vero indigne, & cum dedecore compleant.

7. Adhuc de Lectoribus, & studentibus, eorumque Magistro, & Regente studiorum inquirat: qua solicitudine, & utilitate suo quisque muneri incumbat: an Regens studia moderetur cum zelo, disciplina, vel protervius, aut nimis justus in munere discordias cum Prælato sustineat: an Lectores sæpe a lectura deficiant, an in

aliquo a Doctrina *Divi Thomæ* discedant; vel sint novitatis amatores: an singulis diebus non feriatis conferentiæ, statisque temporibus conclusiones habeantur.

8. An Conventibus Novitiatuum de ipsis Novitiis, & eorum pia disciplina diligentissime inquirat: an videlicet Magister ipsorum illis instituendis, verbo, & exemplo invigilet: an sint in Regula, & Constitutionibus, cantu, ritibus, cæremoniis, & arti recitandi satis instructi: an capacitate, sufficientia, & moribus polleant; quibus ad professionem indigent. Si quos autem in hujusmodi deficere inveniat, moneat Commendatorem, eorumque Magistrum, ut ipsos diligentius instituant; & si adhibita omni cura melioris frugis, & sufficientiæ non evadant, eos ab Ordine dimittant.

9. Circa Fratres Laicos inquirat etiam specialiter de illorum institutione in Catechismo, de observantiis Ordinis, de frequentia Sacramentorum, de vitæ honestate, & bona conversatione illorum.

10. Circa Fratres autem in communi, ita ex Prælato, & subditis de sequentibus interroget: an aliqui suspecti sint de horis non recitandis, de non confitendo frequenter, & temporibus a Constitutione designatis, de indevote celebrando, & si quis forte, non justa de causa Missæ celebrationem omittat.

11. Circa vota vero an aliqui utantur superfluitate in vestibus, aut non servent uniformitatem, tam in materia, quam in colore, vel forma: an habeant aliqua utensilia, vel dona suscepta, aut peculia Prælatorum libito, & voluntati non exposita: an sint suspecti de aliqua familiaritate inhonesta, vel impura, sermonum consuetudine: an sine licentia cum Mulieribus quandoque tractatus habeant: an omnes debitam superiori reverentiam exhibeant: an humiliter ferant ejus increpationes, & monita: an aliqua bona redemptionis læserint, vel ea tractantes negligenter, aut cum infidelitate procedant.

12. Circa Constitutiones, & Regulam percontetur: si quis eas contemnat: si quis pro consuetudine frangat: si jejunia Ordinis cum valeat non observet: si quis silentium horis statutis habere despiciat: si quis a Choro sæpius, aut Refectorio, aliisque communibus actibus absit.

13. Insuper: an inter Commendatorem, & Fratres sit religiosa concordia: an sese omnes vero charitatis fœdere diligant, inter quos si qua dissidia, aut partes invenerit, solicite radicem inquirat, & evellat, auctoresque discordiæ cum severitate corripiat: an alii alios decipiant, & non debito se invicem honore præveniant: an mutuis se detractionibus devorent: an (quod absit) species aliqua ludi a jure, & Constitutione nostra prohibita inter Fratres serpat, aut vigeat, vel maxime cum sæcularibus, aut coram illis exerceant: an scandalum aliud commiserint: an contra Prælatos Ecclesiæ, vel statum politicum privatim, aut publice concionãdo aliquid indiscrete protulerint.

14. Tandem in Hospitiis, & exiguis Conventibus, inquirat: an Divinum Officium quotidie celebretur, & potissime in locis ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, & illud recitari statuat coram ipso si nondum invenerit institutum. Illis etiam Ordinem vitæ regularis præscribat, vel jam præscriptam discutiat, & confirmet, prout judicaverit opportunum.

CAPUT VII.

De observandis in prædicto scrutinio a Visitatore, & Fratribus.

1. De præfatis omnibus, & aliis, si pro opportunitate opus fuerit, debet Visitator inquirere ex officio, & in genere; verum ne ipse in iis, & potissime Fratres jura charitatis, aut justitiæ prætereant, ipsi visitatori præcipimus, ut in hac generali inquisitione caveat omnino lædere famam Conventus, aut Subditorum, inquirendo specialiter de persona, aut delicto, nisi fuerit de aliqua, vel aliquo instructus; tam intra, quam extra scrutinium præfatum, ut secundum jura charitatis, & justitiæ specialis inquisitio fieri queat: eo videlicet fine, ut peracto scrutinio ex eo deliberare possit, quæ secreto, ut patet, quæ domestice, & plane, quæ vero in judicio ad vindictam publicam corrigere expediat, & liceat; ne de singulis processus cum strepitu, judicialique mora consurgat. In reliquis vero, de quibus non est infamia, aut suspicio semper inquirat in genere: juxta interrogatoria præmissa, quæ etsi personas munerum, & officiorum videantur attingere, non est ideo particularis inquisitio, cum fiat generaliter ex sola Constitutione, & officio.

2. Quæcumque autem sibi revelentur debet ipse solus sine Secretario conscribere, qui tantum postea vocandus est pro his, quæ sint tractanda in judicio. Ipsi vero Visitatori præcipimus in virtute Spiritus Sancti: ne quidquam de sibi revelatis in prædicta inquisitione generali, directe, vel indirecte cuiquam aperiat. Quod si ex ipsis possit jam satis juste procedere ad inquisitionem specialem, semper eam faciat suppressis nominibus delatorum donec illi in judicio se ipsos manifestent, ac detegi oporteat, prout consuetudo, aut praxis, & facultas regularium, causaque postulaverit.

3. Circa prædicta vero legitime interroganda universis Fratribus declaramus teneri ad Visitatoris mentem respondere, & nihil tegere posse, aut quavis arte celare, & veritatem de his, quæ remedio indigeant, ac veniant revelanda de jure: unde crimina jam publica una cum eorum Auctoribus publice diffamatis, etiam sine prævia correctione fraterna sunt ab ipsis manifestanda absque dubio sub pœna perjurii ut publico scandalo fiat satis. Quæ autem sunt occulta, si tamen vergant in commune damnum, aut tertii, quod superet famam ipsius delinquentis, etiam sine dicta correctione manifestari debent, nisi certo sciant solam correctionem fraternam ad criminis emendationem non sufficere; si vero tantum redundent in damnum ipsius peccantis similiter nota fiant Prælato, præmissa correctione fraterna.

4. Quo circa hanc regulam Fratribus observari præcipimus, quod in omnibus delictis, sive debeat præire correctio Evangelica, sive non. Si tamen aliquando possunt ea licite manifestare Prælato tamquam Patri, vel Judici, nulla ratione prætermittant, neque illa sinant in Fratribus obscurari, aut eos sine Medico, & medela perire propter modicum ruborem, & dolorem famæ apud illum, malint enim vulnera eorum & ulcus, Prælati discretæ providentiæ cum fiducia subjicere, quam eadem occulte putrescere. Prælatus vero in omnibus ad se delatis, ita prudenter se gerat, ut numquam temere, & inconsulto crimina subrogat, sed ea respective medenda suscipiat paterne, vel judicialiter, secundum quod de jure, & charitate magis congruat emendationi delinquentis. Eam tamen regulam sibi observandam statuat; ut secreta secreto, publica publice corrigantur, & coram pluribus, aut paucioribus secundum gradum diffamationis delicti.

5. Quæcumque autem deferenda sint judicialiter semper de illis debet præcedere diffamatio, & suspicio, quæ de jure ad delationem sufficiat. Si reus jam fuerit alioquin emendatus in casibus ita occultis, & ex illis scandalum, & vindictæ publicæ satisfaciendi necessitas non emergat omnino celandus est Judici. Si autem sine scandalo offendat, & fraterna correctio non profit, vel quis eam facere non audeat, Evan-

gelicam tantum denunciationem adhibeat, ut paterne, & sine strepitu corripiatur. Quæ jam fuerint punita, aut correcta, nec paterne, nec judicialiter denuncientur Prælato, nisi morale immineat relabendi periculum; cum ipsi aliquid manifestaverint; debent etiam declarare omnia, quæ illum juvare possint, ad convincendum delinquentem: ex auditu nihil proferant, nisi simul referant a quo, vel quibus audiverint.

6. Facta itaque inquisitione generali agere debet Visitator secundum quod ex illa deprehenderit, quæ enim ut Pater agnoverit, paterne corripienda suscipiat, & si per amotionem a loco aut alia media suavia possit avertere delinquentem a reiteratione lapsus absque nota infamiæ, ita profecto exequatur. Si autem delicta publica invenerit, vel quæ deduci possint, & probari in judicio, & sic oporteat fieri tunc procedant ad inquisitionem specialem prævia semper insinuatione clamorosa, non quidem leviter inter quoscumque vagante, sed a timoratis, & prudentibus attestata.

7. Si autem judicium de aliquo crimine instituat, cum hoc fieri possit per accusationem aut denuntiationem judicialem quæ sæpius pacem turbant in Ordine, seminariumque prodeunt discordiæ, ac fomites invidiæ inter Fratres, idcirco tertia via incedere Prælato consulimus, quæ quieti, & societati fraternæ magis convenit. Jamque est a regularibus in consuetudinem ducta, quod videlicet Visitator procedat ad inquisitionem specialem non quidem ad instantiam juridicam accusantis, aut denuntiantis, sed ex solo officio idest utendo ipsorum delatione, & notitia sufficienti, & legitima in prædicto scrutinio, vel extra, vel ab ipso clamore facti legis, aut vera infamia delicti tanquam accusatoribus fictis accepta; in hac enim forma nullius personæ accusantis, vel denuntiantis nomen scriptum appareat in processu, sed Testes a Prælato ex officio vocati coguntur attestari, quod noverint sine strepitu, & nota livoris unius Fratris in alium cum hæc omnia tunc fiant ex sola Judicis æquitate, & officio, juxta notitiam in præfata generali inquisitione susceptam.

8. Hæc est enim via corripiendi, & judicandi salubrior, & charitati conformior, & vix in Ordine reperietur delictum, quod vel paterna correctione, vel præfata ex officio emendari non sufficiat. Si autem aliquod occurrat, quod propter commune bonum indigeat accusatione, vel denuntiatione judiciali, hæc prius quam illa eligenda est, quia lenior, & magis charitatem redolens, nisi forte accusatione sit opus omnino ad majorem vindictam sceleris, vel si ab ea delator reverti noluerit, velut pars læsa clamat ad Judicem.

9. Quæcumque autem assumantur, debet fieri coram Secretario, qui delationem scribat cum nominibus delatoris, & tertium; in quo tamen casu si Fratres in inquisitione speciali judicialiter deferre, & ratificare noluerint, quæ in generali detulerunt debent cogi præcepto, & censuris, & ipsi tenentur obedire Judici. Sciat autem accusans, ipsum esse obligatum ad probandum plene debitum sub pœna talionis, cui etiam aliquatenus subditur denuncians, qui sine sufficienti fundamento denunciavit, aut accusator palliatus reperiatur, qui eo dignoscitur, cum revera utitur nomine denunciantis, & nihil scribi permittit, nec vult delata subscribere, aut illis nomen dare, & omnino pœnas talionis effugiat.

10. Delationes, quæ importune malignitatem redolent non debet Visitator admittere; admissas autem, & tales postea repertas non prosequi, sed rescindere, quinimo prudens consilium erit veras aliquando non tractare in judicio, ex quibus forsan majus scandalum formidatur, quam profectus eruitur, dum ex ipso judicio altius in delinquentem, aut Communitatem crepitare consuevit infamia, vel ignis discordiæ in Fratribus exardescere. Talibus autem Prælatus suaviter, & paterne medeatur secundum prudentiam sibi datam a Domino. Melius est enim aliquando, oleo maturare, & concoquere vulnus, quam illud ferro inscindere, suaque putredine judicio publico diffusa delicatos & ignaros inficere.

11. De levibus nunquam instituatur judicium; sed de plano corripiantur secundum Ordinis statuta, & juxta prudentiam & censuram Prælati. De iis etiam Fratres respondere tenentur in scrutinio præfato, præsertimque aperire quæcumque possint in communem ruinam observantiam inducere.

12. Visitator autem, & omnis Prælatus caveat ab epistolis non subscriptis contra Fratrem aliquem sibi directis, quas debet omnino despicere; ut per eas de tali Fratre ad inquisitionem specialem deveniant, etiam si epistola non subscripta testes adhibeat: quod si subscriptam ab aliquo Fratre sibi noto recipiat, poterit ab ipso rem diligenter investigare, quousque satis sit, ut ea versetur in judicio.

13. Sæcularium delationes, aut literas in Fratres nunquam suscipiat, nec eos pro testibus admittat, nisi crimen, vel scandalum Fratris urgeat, & solum fuerit inter sæculares nullo sciente Fratre commissum.

14. Denique cum Prælati sint quasi signum ad sagittam, nec possint omnibus placere, sed potius in eos multorum odia succenseant, idcirco in eosdem accusatio non est facile a Visitatore admittenda sed diligentem cautelam adhibeat, ut ex qualitatibus Prælati subditorum ac prudenter, delicti agnoscat, an ex Invidia, zelove æquitatis delatio procedat, & sic se gerat in omnibus, & provideat ne Prælati criminationibus versentur injustis; ut tamen caveat, ne sub hac umbra criminibus insolescant. Cunctis ergo prædictis a Visitatore servatis ita se habeat cum Fratribus, & delictis: ut quantum possit nihil impunitum maneat, & omnes sub meliori fruge, & conversatione relinquat.

CAPUT VIII.

De domibus acceptandis, ac noviter erigendis, in regularique Clausura constituendis.

1. Nulla domus in qua Fratres nostri debeant commorari sive sit Conventus formatus, sive hospitium per aliquem Fratrem nostri Ordinis acceptetur, vel acceptata dimittatur, aut alio transferatur, seu commutetur in alteram, nisi de licentia Magistri, vel Provincialis: in novis fundationibus servetur praxis consueta. In qualibet autem quæ sit noviter constructa, vel Ordini collata (nisi fuerit domus rusticana, aut hospitium) semper aliquis Frater fiat Commendator, qui sit prudens, & fidelis administrator illius. Hic habeat secum illum numerum Fratrum, quem, & locus exigat, & domus substantia patiatur, a quibus adjuvetur, & humiliter obediatur in omnibus. Debent etiam Divinum officium devote celebrare, & eleemosynas pro Redemptione captivorum impense colligere, & laborare in ipsis, quæ sunt duo nostri Ordinis cardines, & instituta illius in quolibet Conventu exequenda.

2. Pro iis ergo, & aliis quibuscumque Provinciarum domibus debet Diffinitorium Provinciale solicite providere, ut juxta distantiam a se invicem unaquæque (si territorium sufficiat) suum districtum habeat pro eleemosynis captivorum procurandis, qui nullatenus cum termino alterius domus confundatur, sed ita sint ad invicem discreti, ut collector unius domus fines alterius non attingat, & quisque tantum fiat de suæ suæ messe caudalibus.

3. Domus

3. Domus autem, quæ de cætero erigantur in Ordine ita exsurgant ambitu, & mole capaces, ut & templa Deum, & cultum ejus deceant, & frequentiæ Populi aliunde sufficiant, nec numero Fratrum sit locus aliquando futurus angustior, sit inquam ita latus, ut omnes officinas, & Cameras regulari domui necessarias, & congruas modeste intra se continere valeat. Enixe vero consulimus; & in quantum liceat præcipimus: ut universis domibus Ordinis si loci amplitudo permiserit semper aliqua pars vel area separetur ad opus horti, ut intra illas habeant Fratres aliquod recreationis levamen, nec illud foris quærere indigeant.

4. Rursus claustra in eis ædificanda ita clausa, & obserata extruantur; & jam extructa similiter reformentur, quatenus sit possibile, quod transitus ad Chorum hyemis asperitatibus non pateat, ne fiat inde prætextus dispensandi aliquoties Matutinas media nocte dicendas.

5. Quascumque autem domos nostras, quæ jam sint vere Cœnobium, Conventus, vel Monasterium, sic legibus clausuræ subjicimus, ut nulli Commendatori, Præsidi, vel Vicario, aut cuicumque particulari Fratri liceat sub pœna privationis officii, & utriusque vocis in perpetuum in designatam clausuram introducere, seu ingredi permittere, quocumque colore, vel causa, etiam serviendi, aut curandi ægrotos. Quo circa declaramus clausuram Monasterii, Cœnobii, vel Conventus esse ea omnia, quæ pertinent ad ipsius habitationem, ac domicilium, exceptis Ecclesiis, & Claustris inferioribus, si capellas, & sacella contineant. In quo casu ad hujusmodi claustra fœminas ingredi permittimus, tempore dumtaxat celebrationis Missæ, aut processionis alicujus. Poterit tamen in hoc Magister, vel Provincialis pro bono regimine declarare, & interpretari difficultates, quæ in hac parte occurrere solent.

6. Sæculares in domibus nostris convivere, aut pernoctare non permittimus. Delinquentes autem, qui se ad Monasteria recipiunt, ut capturam effugiant, nullus Prælatus ultra tres dies patiatur in suo Conventu manere, & potissime intra claustra sub pœna privationis officii; Frater vero, qui prædictos clam, aut quomodolibet retinuerit, pœnæ gravis culpæ subjaceat, & Conventualitate privetur.

7. In fine tandem statuimus: ut in quacumque domo cellæ, & cameræ illius sic Fratribus a Prælato distribuantur, ut semper potiores dignioribus conferantur.

CAPUT IX.

De possessionibus habendis, cæterisque bonis temporalibus.

1. Possessiones, redditus, & eas quæ pertinent ad commune proprium, vel tangunt possessionis titulum liceat Ordini nostro tenere, & possidere. Unde universis Commendatoribus nostris licitum erit de consilio suorum Conventualium prædicta bona acceptare, ut habeantur, & possideant in communi, seclusa omni proprietate singularium: si qua vero Conventus bona possideat in annuum perpetuumve censum redigenda, sive jam extinctorum censuum sint capita, sive pecunia ex hæreditario, aut alio quovis Jure proveniens, sive quocumque titulo accepta, vel donata Conventui, id nequaquam facere possit solus Commendator, aut Procurator aliquis, sed Conventus dumtaxat cui privative competit, tamquam dictorum bonorum Domino. Ad hoc autem debet congregari Capitulum, ac de consensu majoris partis res ista decerni, interveniente tamen licentia Provincialis in scriptis ab ipso Conventu Capitulariter petita, discussaque fideliter securitate, & bonitate hypothecæ, & quod aliis censibus, & contractibus non teneatur adstricta.

2. Super his ergo bonis, & aliis quibuscumque statuimus, & ordinamus, ut tam Generalis, Magister in Ordine, quam Provincialis, & Commendatores in suis respective Conventibus, & Provinciis diligenter requirant, aut requiri faciant scripturas omnes, & publica instrumenta possessionum, redituum, legitimarum, actionum, & quorumcumque aliorum bonorum ad Ordinem nostrum, Provincias, & domos ejus quomodolibet pertinentium, ut illa in communi deposito ordine debito, & accurate custodiantur, ita sane, ut facile dignoscantur rescripta omnia, & publica instrumenta bonorum omnium prædictorum, & sint in promptu, quoties necesse fuerit.

3. Commendatoribus autem præcipimus sub pœna privationis officii, quod quoties aliquis census, & hypotheca cujuscumque possessionis Conventus in novum possessorem transeat; de hoc semper memoriam faciant in libro speciali expressis nominibus ementium, atque etiam illorum qui noviter, & de facto possident Terras, domos, aut hæreditates liminares, quibus hypotheca, hæreditas, censualis, aut possessio Conventus adhæret, itaut probatio identitatis eorum nunquam perire valeat, nec oblivione deleri, sed tractu successivo novorum Dominorum semper diligentissime notato omni tempore dominio Ordinis pateat. Quod insuper, ut aliunde non pereat sub præfatis pœnis ejusdem commendatoribus constituimus, ut omnes Dominos prædictorum censuum, hæreditatum, aliorumque bonorum Conventibus respondentium in toto suo triennio, aut etiam in antecedentibus invocatos obliget, ut novo instrumento juridico se ipsos debitores Conventibus fateantur.

4. Similiter omnia debita tam activa, quam passiva debent Commendatores in libro speciali conscribere, ut omnium illorum nomina ulla oblivione deleantur. Nomina insuper, tam debitorum, quam creditorum in ipso etiam libro memorari præcipimus, ut quid cuique debeatur aut debeat, Conventui constare valeat. Si quid autem mutuo Commendatores accipiant, semper id faciant numerata pecunia coram Depositariis, & inter debita activa in prædicto libro conscripta, in librisque majoribus Conventus dati, & accepti tam in solutione, quam receptione dictæ mutuatæ pecuniæ, quod si contrarium faciant, tam ipsi Depositarii, quam Commendator pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum incurrant, & sint obligati debito donec illud Conventui solvant.

5. Statuimus præterea, ut Superiores Ordinis quacumque auctoritate, seu facultate præfulgeant, nullo modo possint bona quæcumque in alteram Provinciam, vel etiam de uno Conventu in alium traducere, juxta Constitutionem Clementis VIII., ejusque tenorem sub datis Romæ 19. Januarii 1601.

6. Quantum vero ad alienationem bonorum Ordinis districte præcipimus, ut neque Magister Generalis, neque Provincialis, aut illorum Capitula, neque Commendatores, aut illorum Conventus, vel quilibet alius possit per se, vel alterum remittere, aut condonare, neque renunciare hæreditatem legitimam, aut alia quæcumque bona, quæ fratribus, & hæreditario Jure Paterno, vel Materno, aut quovis alio illis, & Ordini debeantur.

7. Super quibus similiter observari præcipimus Decretum Sacræ Congregationis Concilii speciali jussu SSmi. Urbani VIII. editum die 7. Septembris anno 1624., ubi perpetuo prohibetur omnibus Superioribus cujuslibet Religionis sub pœna privationis omnium officiorum, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda bono-

bonorum immobilium pretiosorum alienatio, aliæque actiones, & contractus circa eadem bona in eodem Decreto contenta, nisi eadem Sacra Congregatione, & cum ipsius expressa licentia præterquam in casibus a Jure permissis, & pro redemptione Captivorum.

8. Præsenti Constitutione statuimus, & decernimus, ut bona stabilia, ad fratrisque legitimam pertinentia, semper illi Monasterio tribuantur, ubi talis frater habitum religionis suscepit. Cum autem e vita discesserit, universa bona mobilia, quæ ad usum possidebat, sic dividantur, ut habitus, & vestes religiosis magis indigentibus a Commendatore distribuantur, pertinentia vero ad lectulum, & mensam, quæcumque illa sint ducantur ad infirmariam, ejusque deposito inferantur, in quo hujusmodi utensilia pro Infirmis tantum custodiri præcipimus modo, & forma jam suo loco prædictis. Cæterum libri a Magistro, vel Provinciali Conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur. Sedilia vero, mensæ, & omne genus arcæ, tegumentorum, vestiumque custodiæ, ministerium scribendi, lucernæ, & candelabra, & id genus utensilia maneant ipsi Conventui, ubi frater decesserit, in communique ejus inventario describantur, tamquam bona ipsius Conventus; itaut perpetuo conserventur in Cellis ejusdem ad usum religiosorum.

9. Reliqua tandem bona, quæ præter dicta superfuerint solutis ante omnia debitis Defuncti in quatuor partes æquales dividantur, quarum prima pertineat ad Conventum in quo Defunctus habitum suscepit. Secunda ad Provincialem pro expensis Provinciæ. Tertia reponatur in custodia Religiosi designati a Magistro Generali pro victu, & sustentatione sui, & pro sumptibus officii. Quarta vero ad ipsum Magistrum Generalem pro expensis, & causis Romanæ Curiæ mittatur.

10. Declaramus tandem ad hanc divisionem, & partes non pertinere, neque inter spolia reputanda esse ea debita, quibus Conventus aliquis adstringatur fratri decedenti ratione commendæ ab eo gubernatæ, & si quid de hoc in computis, & rationibus talis Conventus prædicto fratri debitum apparuerit eo defuncto cedat in beneficium Conventus, & deleatur a debitis.

11. Circa bona autem, quæ Magister Ordinis decedens ad se pro suo tempore pertinentia reliquerit, distincte præcipimus Provinciali ejus Provinciæ in qua prædictus Magister obierit, ut ea omnia tamquam bona Ordinis diligentissime colligat, & in aliquo deposito fideliter custodienda reponat. Ex quibus solutis prius omnibus debitis Magistri, & Ordinis, si qua fuerint, reliqua futuro proximę Generali Magistro omni cura reservet, illique quam primum electo subjiciat, eidemque rationem reddat de illis.

CAPUT X.

De Depositariis Conventus.

1. Ut autem prædicta Conventuum bona debita ratione, & fidelitate serventur, & dirigantur, duos Depositarios, seu Clavarios in singulis domibus institui præcipimus, qui libere, & per schedulas, suffragiaque secreta capitulariter eligantur, nec aliter possit ullus Commendator illos designare, aut nominare sub pœna privationis officii, nec eadem die, qua proponit electionem, eam perficiat, sed unum diem ad minus pro electione conferenda, fratribus concedat.

2. Ad hujusmodi munus semper eligendus est frater, qui sit arte calculandi sufficienter idoneus, probatæque fidelitatis. In Conventibus autem ubi fuerint graduati unum saltem ex illis necessario duximus assumendum, alterum vero de reliquis fratribus ejusdem Conventus.

3. Ad eos quidem pertinet regere libros omnes dati, & accepti, & omnium rerum, quæ pertinent ad Conventum rationem habere, & secundum proprias earum species, & qualitates diversos libros statuere, in quibus omnia cum distinctione scribantur.

4. Quantum enim ad pecunias illis districte, sub excommunicationis majoris pœna præcipimus, ne in libris rationalibus quantitatem aliquam cujuscumque sit generis apponant, aut subscribant, quæ realiter coram ipsis non fuerit numerata, & in deposito recondita, nisi statim de illa fiat solutio aliqua ab ipsis quoque Depositariis cum Commendatore vere, & realiter creditori numeranda, nec sub eadem pœna permittant, quod sumptus, & expensæ, omnisque ratio dati, & accepti confuse adnotentur, sed distincte, & cum omni claritate adjectis pariter nominibus dantis, & accipientis, sive etiam vendentis, & ementis.

5. Si qua autem debita contra Conventum in triennii fine remaneant, inviolabiliter ea debent scribere in ratione, & computis Capitulo Provinciali exhibendis, quod si non faciant, illis, & Commendatori irrelaxabiliter solvenda relinquimus, itaut licet Conventus eorum solutionem faciat, ipsi eandem teneantur Conventui retribuere. Præfatis ulterius depositariis injungimus, ut computos a Commendatore fieri contendant tempore, & forma superius Cap. 23. Dist. præstabilitis. Prætereaque, ut bona redemptionis, ac debitam de illis rationem diligentissime sumenda curent, juxta ea, quæ Dist. 2., & 3. præcipimus.

6. Insuper ipsis Commendatoribus, & Depositariis constituimus, ut nullas externorum quantitates in communi deposito custodiendas suscipiant, & inferant, nisi sub hac lege, quod ad restitutionem earum Ordo noster minime teneatur, si furto, vel incendio, aut quavis alia ratione simile periri contigerit.

7. Tandem si Depositarius aliquis a suo exercitio, & munere sit quomodolibet impeditus, tam per brevem, quam diuturnam moram, clavem depositi, & exercitium muneris alteri fratri consignet; cui se credere posse cognoverit, illeque omnem ejus potestatem obtineat, sitque subjectus omnibus prædictis, sicut Depositarius ipse.

8. Quoniam autem potissime ad Depositarios attinet bonorum Conventus habere expressam notitiam, ac libros eorum dirigere, in illisque scripturas, & novos hypothecarum dominos, censuumque notare debitores, & de cunctis exactam rationem habere, & reddere valeant, una cum Commendatore in Capitulo. Idcirco statuimus, ut unus eorum, qui ex judicio Prælati plus sit diligens, & disertus in custodia, & peritia scripturarum, officium Archivarii exerceat, & ita habeat cuncta instrumenta disposita, ordinata, & servata, ut quantum sit possibile disperdi non valeant: habeat apud se clavem semper Archivii, a quo nullum instrumentum extrahi permittat, nisi per breve tempus, relictaque memoria extrahentis, ad quem finem, & quo deferat illud; curet pariter, ut locus sit aptus, & mundus a pulvere, tineis, vermibus, & muribus, unde scripturas sæpius lacerari contingit, ac nimis antiquas, antequam penitus abeant, denuo a suis originalibus extrahat, vel illud medium adhibeat, quoad fidem publicam maneant semper cum viribus.

CAPUT XI.

De Procuratoribus Conventualibus.

1. In quolibet Conventu pro suis bonis temporalibus agendis, unus, vel plures Procuratores eligantur, juxta pondus, & multitudinem

rerum

rerum agendarum. Illum autem, vel eos poterit Commendator designare, qui magis ad artem fori, ejusque tractanda negotia sint habiles de consensu Capituli Conventualis ad quod privative pertinet per suffragia vivæ vocis hujusmodi Procuratores instituere cum jure, & facultate ipsis ab eo concedenda pro libito: si vires unius fratris ponderi sufficiant nullo modo Commendator Procuratores multiplicet, neque prætextu procurationis fratrem aliquem audeat sublevare ab officio chori, & Altaris, aliisque Conventus oneribus, quo si secus fiat, Provincialis sua potestate coerceat.

2. Ab ejusdem Commendatore, & Capitulo, eodemque ritu constituitur Procurator Conventualis redemptionis, ad quem pertinet omnia Captivorum bona intra terminos sui Conventus, vel undequaque ad eum spectantia solicite procurare, & exigere, cuicumque autem ex dictis Procuratoribus instrumentum Procurationis authenticum respective tribuatur a Conventu, cum ea facultate, quæ pro opportunitate visa fuerit expedire. Illis vero enixe præcipimus sub pœna gravioris culpæ, ut nulla se ratione distendant in aliorum negotia extra Ordinem procuranda. Quod si alia Domus nostra ejus procuratione specialiter indigeat, eam nunquam assumat, nisi de licentia Provincialis, ab eoque antea perpensis suæ primariæ obligationis oneribus, ne extra illam nimis ad alia dispersus suæ obedientiæ, & domui non sufficiat.

3. Procuratores autem dum fuerint in actuali exercitio sui muneris, non teneantur officio hebdomadæ, aut Altaris, & unam pro se Missam, præter a Constitutione assignatam universis Presbyteris, celebrare poterunt in singulis septimanis.

CAPUT XII.

De Capitulis Conventualibus.

1. Plura quidem in Conventibus eveniunt quæ, vel de jure, aut consuetudine, & prudentia, nonnisi Capitulariter ordinantur, & fiunt; unde receptiones ad habitum, & professionem, & Ordines etiam majores, aut minores suscipiendos, electiones Depositariorum, vel si quæ sint aliæ nominationes, graviaque negotia, quæ vel ex se postulant, aut consueverint fieri per suffragia secreta, semper decernantur in Capitulo Conventuali, in quo tantum vocem habeant sacris initiati. Contractus autem, & negotia, vel dubia, quæ pertinent ad bona temporalia, ut emptiones, vel admissiones hæreditatum, aut censuum, nominationes Procuratorum, & alia, actiones similes in eodem Capitulo Conventuali decernantur per suffragia vivæ vocis ab omnibus Conventualibus, & Professis ejusdem Domus, & sensus majoris partis Capituli prævalebit. Procurator redemptionis Conventus in hoc etiam Capitulo, ab omnibusque Conventualibus nominatur.

2. Nullum negotium ad bona temporalia Conventus, vel ad Ordinem pertinens, quodque in Capitulo proponere sit necesse, eadem die qua proponitur resolvatur, sed in diem sequentem, aut alium differatur resolvendum, & illud inter se versandi, & maturius decernendi locum habeant fratres, ne aliquando resolutio, & consilium extemporaneum, & nimis propere datum Ordini, vel Conventui damnum aliquod inferat. Quo circa præcipimus Commendatoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum, ne unquam huic Constitutioni adversentur, neque arte aliqua, tempus eligant importunum pro hujusmodi Capitulis habendis, sed semper eos congregent illis diebus, & horis, quibus fratres regulariter consueverint adesse conventui, & sanior pars, & Patres a consilio non absint.

3. Sub prædictis pœnis eisdem Commendatoribus constituimus, ne supplicationes, aut petitiones, quæ pro rebus suarum Domorum exhibendæ sint Superioribus propriis nominibus Conventualium subscriptæ subscribere faciant, nisi prius lectæ fuerint in pleno Capitulo, & in eo publice ab omnibus subscribantur singulis proprium sensum affirmativum, vel negativum declarantibus. Quibus etiam sub pœna gravis culpæ præcipimus, ne aliter prædictas petitiones nomine proprio subscribant.

CAPUT XIII.

De Patribus a Consilio.

1. Quædam modica frequenter oriuntur in Ordine quæ Prælatus potest sine consensu aliorum expedire: quædam vero sunt adeo magna, ut nullo modo debeant sine consilio totius Conventus peragi, nec resolvi: quædam tandem sunt media ad quæ tractanda, & exequenda sufficit; vel forsan etiam in gravibus expedit paucorum adhibere consilium, ne vel Conventus nimis gravetur Capitulis, & Prælatus pro suo libito prædicta resolvens minus sapienter agat contra Salomonis eloquium.

2. De nimis arduis, & gravibus, quæ de jure, vel usu exigunt assensum Capituli jam superiori capite constituimus. Nunc autem pro rebus mediis, atque etiam interdum difficilibus, quæ non expedit toti Conventui subjicere specialem cœtum discretorum Patrum in singulis domibus totius Ordinis designamus, quorum suffragia, non quidem decisiva, sed tantum consultiva permittimus. Caveat tamen Prælatus, ne sibi nimis fidenter adhærens sanioris, vel majoris partis sensum quandoque despiciat.

3. Ad hunc cœtum constitui debent fratres, qui sint probatæ directionis, exercitati in agendis, amatores boni, in suo sensu non nimis abundantes, quique Dei spiritum habere credantur, quæ omnia cum in Patribus Provinciæ, Magistris, Præsentatis, Lectoribus Jubilatis, & qui fuerint Commendatores facilius inveniantur ratione literaturæ, vel experti regiminis, omnes prædictos, modo sint Conventuales ad istum cætum, & consilia designamus; ubi autem non fuerint tres de prædictis, Vicarius Conventus, Prædicator Conventualis, & Magister Novitiorum, vel Professorum, atque etiam quicumque senior, quadraginta annorum a professione, vel amplius vocandi sunt ad consilium cum quibus prædicta negotia, & potissime, quæ pertinent ad bona ipsius Domus debet tractare, & consulere Commendator, & præcipue res illas, quæ raro circa gubernationem Domus evenerint.

CAPUT XIV.

De Notariis Apostolicis a Prælatis Ordinis eligendis.

1. Cum ex Constitutione Beati Pii V., & Julii III. Prælatis regularibus sit concessum, ut unum, tres, quatuor, aut plures fratres in Notarios Apostolicos valeant instituere, tam pro toto Ordine, vel Provincia, quam pro domibus singulis, & cum omnimoda potestate, quæ de jure sit tradita huic muneri; propterea decernimus, ut primus Magister si velit pro toto Ordine, & Provincialis pro tota Provincia unum Fratrem illius sibi satis ad hoc probatum, & idoneum Notarium Apostolicum nominet, qui si opus fuerit mandata, Privilegia, Gratias, Concessiones, Indulta, & rescripta Apostolica quæcumque Ordini concessa, ejusque utilitatem quomodolibet concernentia cuicumque personæ rite notificare possit, atque alia cuncta, quæ de jure fidem publicam exigunt instrumentis authenticis consignare speciali signo, vel rubrica

roboratis, cum omnibus aliis, ad quæ in Constitutionibus prædictorum Pontificum facultas continetur indulta.

2. Commendatores autem pro suis Conventibus unum similiter de suis fratribus in hoc munere instituant, quoties in Conventu opus sit, aut designatus deficiat, qui omnia prædicta pariter possit agere ubicumque expedierit, & fidem publicam reddere, ut vere Notarius.

3. Forma autem illud instituendi, vocato namque fratre a Prælato coram Testibus sufficientibus, & idoneis, sive extraneis, sive ab Ordine assumptis recipiat ab eo Juramentum sub hac forma. *Ego Frater N. promitto, & juro Deo Omnipotenti, & Sanctiss. D. N. Papæ N., & tibi N. quod officium a te mihi traditum auctoritate & largitione Apostolica fideliter exercebo in omnibus & per omnia, sic me Deus adjuvet, & hæc sua sancta Evangelia.*

4. Præstito juramento tradit illi calamum cum atramentario dicens. *Accipe potestatem notificandi, & intimandi* (in toto Ordine) *vel* (in ista Provincia) *quibuscumque personis, etiam regibus mandata, indulta, & privilegia Apostolica, necnon quæcumque alia in Bulla fel. rec. B. Pii Papæ V. contenta, faciendique publicos actus, & instrumenta, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Amen.

5. Forma vero literarum quibus constare debeat talem fuisse in hoc munere constitum hæc, vel alia similis esse potest: Pateat universis quod Nos Fratres N. Provincialis, aut Commendator ex Auctoritate SSmi D. N. Pii PP. V. per suas literas datas Romæ apud Sanctum Petrum die 21. Martii anni 1571. quæ incipiunt, *Debitum Pastoralis officii*, creavimus, constituimus, & deputavimus in Notarium dilectum nobis in Christo P. F. N. Ordinis nostri Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Professum, & hujus nostræ Provinciæ N. Filium, vel Conventualem hujus Conventus N. virum moribus præstantem, & fide, & virtute commendabilem ad intimanda, & notificanda quæcumque indulta &c., & faciendi quæcumque instrumenta &c. recepto prius ab eo coram nobis genuflexo Juramento fidelitatis ad sacra Dei Evangelia coram Testibus infrascriptis, Datum &c. In quorum fidem &c., & postea subscribat ipse Provincialis instituens cum Testibus vocatis, quæ omnia referendabit, & signabit Secretarius ejusdem, vel Commendator instituens.

CAPUT XV.

De Magistro Novitiorum.

1. Magistrum Novitiorum non pro universis Domibus constituimus, sed illis tantum quas Diffinitorium Provinciale in Capitulo designaverit, in quo pariter pro munere præfato viros ab eo non dispares eligendos esse decernimus, juxta ea, quæ Dist. 7. Cap. constituimus. Novitiatus enim sunt plantationes Ordinis, ubi virgulta, & surculi sine cultura silvescunt, studiose vero irrigata, & effusa surgunt virtute frugifera.

2. Hinc ergo Magister Novitiorum debet semper eligi, qui sit in virtute probatus, in observantia sedulus, in doctrina sufficiens, in docendo patiens, & assiduus, in corrigendo suavis, & mitis non pro genio, & indole durus, nec tamen qui exardescere nesciat, sed qui in opportunitatibus non frangatur, nec auctoritate vilescat.

3. In hoc autem officio quanto desiderio possumus graviores Ordinis fratres, & virtute, & prudentia, & literis præstantiores semper adhiberi concupiscimus, quibus in Christi visceribus suademus, ut ad illud quandoque vocati nulla causa detrectent, sed culturam excipiant tot meritis, & frugibus Domino placituram.

4. Quæ autem ad Magistrum Novitiorum sic exoptatum attineant circa executionem sui muneris jam superius Dist. 4. Cap. 5. de instructione Novitiorum satis superque sancivimus; illum tamen ita liberum in sua potestate relinquimus, ut quantum ad regimen Novitiorum, & eorum correctiones propter defectus, tam intra, quam extra novitiatum commissos solus ipse sit arbiter, tantumque Prælatis, & Commendatori subjaceat: Professos etiam ita omnino ipsi subjicimus, ut Vicarius Conventus solum extra Novitiatum possit eos aliquando corripere, cum videlicet ad publicam emendationem expedierit, defectuve prædicti Magistri. In reliquis correctiones eorum semper ipsi relinquat, si Magister Novitiorum infirmari, aut abesse ad tempus eveniat ipse Commendator fratrem idoneum cum eadem potestate substituat.

5. Ut autem hujus oneris, gravissimique plane muneris pondus dignis compensationibus sublevetur, quibus & potentis humerus alliciatur ad illud præsenti Constitutione decernimus, ut quicumque non graduatus per duodecim annos continuos in præfixis Domibus Novitiorum a Diffinitorio Capituli, vel Provinciali præfectus, cum approbatione, & laudabiliter hoc fuerit functus officio, maneat exemptus perpetuo ab hebdomada, aliisque officiis, & Ministeriis pœnalibus communitatis, & tabulæ officiorum, & dum actu est in munere eadem exceptione gaudeat, & ultra unam missam, quam pro se concedimus universis fratribus in hebdomada alias duas suæ intentioni liberas indulgemus. Quantum vero ad victum, sic illum tractari præcipimus sicut Magistros de numero, prout in qualibet Provincia fuerit consuetum.

6. In reliquis autem Provinciæ Domibus, ubi Novitiatus non existat, si fratres professos, quos Clericos, & non Presbyteros nuncupamus adesse contigerit semper in alio loco speciali, & a reliquorum convictu separato receptos contineri præcipimus sub cura tamen, & directione unius provecti, probique fratris qui sit, & dicatur Magister Professorum, qui eos essentialia Ordinis doceat, & instituta, bonosque mores in Novitiatibus tradita nunquam ab eis excedere permittat, quinimo ad illa, objurgando, & puniendo promoveat.

CAPUT XVI.

De Examinatoribus Conventus.

1. In singulis Conventibus Provinciæ, in quibus Provincialis expedire judicaverit duos Examinatores instituat, quorum censura primo, & præcipue subjicimus omnes qui accedant ad suscipiendum habitum, & eos probent circa sufficientiam in literis, & capacitatem ad illas, quibus examinatis debent omnino fideliter referre Capitulo Conventus, quid de illis sentiant circa meritum, qua super re servare studeant, quæ superius dist. 4. Cap. 1., & 6. stabilivimus de prædictis.

2. Similiter ad eos pertinet examinare Fratres ordinandos, & eos, qui ad studia literarum mittendi sunt, ac de ipsorum sufficientia Provinciali, ac Capitulo Conventus respective suum judicium ex æquo detegere; quo circa ipsius conscientias oneramus, ne Fratrem aliquem immature ad Philosophiam, seu Theologiam approbent, & præcipue ad Sacros Ordines suscipiendos, ne vel in studio perdant operam, vel in ministrando Altari stultum exhibeant Domino ministerium. Si quos autem in aliis examinandos susceperint sibi a Provinciali commissos, semper cum æquitate procedant ne in eos Deus damna retorqueat, quæ ex eorum approbatione devenerint.

CAPUT XVII.

De Zelatore Conventus.

1. Cum in Ordine statutis temporibus silentium observari debeat, & pro eo, aliisque Zelandis unum Fratrem adhiberi oporteat, quem Zelatorem, aut Circatorem dicimus; idcirco de cætero constituimus, ut munus istud semper exerceat Vicarius Conventus, qui sub tacitis horis, quibus silere constringimur semel, aut pluries totam Domum, ejusque officinas, & loca intra clausuram perambulet; & si alicubi Fratrem, vel Fratres invenerit, qui contra Religionem, vel debitam honestatem regulæ aliquid locuti fuerint, vel fecerint auctoritatem habeat eos corripiendi, secundum facultatem a Prælato susceptam: quod si apud aliquos, dissolutiones Commendatori non silendas agnoverit, eas illi suo tempore deferat, vel gravius ipse corrigat, & emendet, ita scilicet, ut semper totus Conventus in debita tranquillitate, & quiete temporibus silendi permaneat.

2. Nec per hoc intendimus Commendatorem ex præfato zelandi munere sublevare; imo denuo illi præcipimus, ut tam circa custodiam domus, & clausuræ, quam circa quietem, & tranquillitatem illius semper, ut verus Pastor, & excubiator invigilet.

CAPUT XVIII.

De Fratribus iter agentibus, & Hospitibus.

1. Dum Fratres nostros urgeat itinerandi necessitas, nullus viam instituat, nisi de licentia Prælati Superioris, vel Commendatoris respective juxta ordinata superius Distinct. præcedenti Cap. 22., qui vero secus audeat puniatur juxta ea proxime dicenda, & alibi jam præmissa.

2. Omnes Fratres Viatores Ordinis nostri secum perpetuo ferant in scriptis prædictam licentiam sui Prælati, vel literas testimoniales, quas ubique ostendere valeant. Si autem eas non ferant, nec Epistolam commendatitiam, aut alia instrumenta non exhibeant, neque aliunde non esse fugitivos, aut Apostatas innotescat, detineantur a Prælato in custodia, vel carcere, donec rei veritas pateat, & tunc cum ipsis agatur secundum qualitatem delicti, & juxta superius dicta de Apostatis, & fugitivis.

3. Omnes Fratres, cum sint in via semper Divinum Officium recitent. Sacerdotes autem si opportune liceat nunquam rem Sacram facere prætermittant, nullus quoque dies eos sine Oratione prætervolet, quam bis habere debent juxta Constitutionem nostram; etiam in via constituti. Si plures simul incedant semper digniori in omnibus deferant, & obediant, & modestiam ubique interius, exteriusque præseferant, non utantur nisi vestibus omnino albis, & prout superius Dist. 4. cap. 10. de vestitu præcipitur.

4. Fratres Viatores uti poterunt æquitaturis, non profane, sed modeste stratis, quas omnino interdicimus Fratribus non viatoribus cujuscumque qualitatis, aut dignitatis extiterint, ita videlicet, ut ad egrediendum domo, & incedendum intra loca ubi sunt Conventus nulli sit licitum quodcumque genus equitaturæ quomodolibet per se, vel alium ubicumque habere, neque in illa equitare quocumque prætextu, vel causa, sub pœna privationis utriusque vocis, & inhabilitatis ad officia, super quo taxatur potestas Magistro, aliisque Prælatis universis, ut nonnisi Fratribus ad negotia Ordinis, & magni ponderis destinatis indulgere valeant, in eoque tantum loco ubi propter ejus magnitudinem, & alia incommoda incessus ita expedire judicaverit.

5. Propterea nullus audeat ingredi curiam regiam, nisi immediate post duodecim horas Commendatori Conventus nostri se præsentaverit. Quod si secus fecerit a Commendatore in carcerem injiciatur donec a Provinciali veniam recipiat.

6. Si quis itinerando stationem facturus sit in loco ubi est Conventus Ordinis, semper ad illum accedat, & præstet Commendatori obedientiam. Quod, ut nemo facere prætermittat, & virtus hospitalitatis ubique in Ordine fulgeat Commendator Commendatorem supervenientem cum honore suscipiat, & universis Ordinis viatoribus juxta qualitatem personæ omnia officia charitatis impendat, & maxime ad pernoctandum inviolabiliter retineat, & cogat quamdiu moram fecerit in loco sui Conventus. Et licet Fratres aliorum Ordinum quasi nobiscum vinculo veræ fraternitatis adstrictos non dissimili hospitalitate suscipiamus, Fratres tamen Ordinum S. Dominici, & S. Francisci, quos cum nostro uno quasi fœtu parturivit Ecclesia, & ex hoc ad invicem arctiori fraternitate copulamur; specialibus etiam charitatis officiis, juxta Constitutionem pristinam in domos nostras inducimus, & omni studio, & hilaritate refoveri præcipimus.

7. Fratres nostri hospites sine licentia Commendatoris domus in qua sunt, nihil agant, neque ab ea egrediantur, sed illi deferant in omnibus obedientiam, etiam in correctionibus, si expedierit. Rursus per tres dies eos Commendator in hospitio recreari faciat, quibus si ea in domo diutius immorari necesse sit Refectorium cum cæteris adeant, & utantur consueta refectione Conventus.

8. Nullus Frater viam prosequuturus discedat a Monasterio, ubi stationem fecerit, nisi prius a Prælato obedientiam accipiat. Deinde coram ipso (si libeat) vel alio Sacerdote prostratus dicat *Psalm.*

Levavi oculos meos in monte, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum, & terram.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Gloria Patri &c.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac &c.
℟. Dominus vobiscum &c.

OREMUS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum &c.

Et aspergatur aqua benedicta.

9. Quotidie autem dum viam aggreditur dicat: *In viam pacis, Et Benedictus Dominus Deus Israel &c.* ut in Breviario Romano. Cum vero ad propriam domum redierit, vel in via ad aliquam ex Ordine declinaverit; dicat in ipso ingressu: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Et statim se conferat ad Prælatum pro benedictione suscipienda ipsi dicendo; *Benedicite.* Deinde coram aliquo Sacerdote dicat *Psalmum.*

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

Ecce ficut oculi fervorum in manibus dominorum fuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ fuæ: ita oculi noftri ad Dominum Deum noftrum donec mifereatur noftri.

Miferere noftri Domine, miferere noftri: quia multum repleti fumus defpectione.

Quia multum repleta eft anima noftra: opprobrium abundantibus, & defpectio fuperbis.

Gloria Patri &c.

℣. Kyrie eleifon,
℣. Chrifte eleifon,
℣. Kyrie eleifon.
℣. Pater nofter &c.

OREMUS.

Miferere quæfumus Domine huic famulo tuo, & quidquid in via ei furripuit fenfus, totum ineffabili clementia deleas. Per Chriftum &c.

10. Quando vero Prælatus, feu Vifitator viam incipiat, vel ab illa regrediatur eifdem Pfalmis, & orationibus dimittendus, & fufcipiendus fit. Quod fi Magifter Ordinis, vel Provincialis de via veniat, & primum acceffum faciat ad aliquam Domum Ordinis, tunc eo jam properante Campana Ecclefiæ convocandi funt Fratres ad fores ejus in duos Choros divifi cum Sacerdote pluviali albo induto, & parvam Crucem geftante, quos præibunt Crux magna Conventus cum Ceroferariis, & fic omnes fufcepto Magiftro, vel Provinciali intrabunt Ecclefiam cantantes, *Te Deum*, in cujus ingreffu Sacerdos prædictam Crucem parvam illi genuflexo adorandam offert.

11. Inde proceditur ad Capellam majorem, ibique Magifter, vel Provincialis genuflexus orabit paulifper, dum Hymnus *Te Deum* canitur, quo finito Sacerdos ftans in Altari dicit.

℣. Salvum fac fervum tuum Domine.
℟. Deus meus fperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiffionibus Chrifti.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobifcum.
℟. Et cum fpiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens fempiterne Deus, qui facis mirabilia magna folus prætende fuper famulum tuum N., & Congregationes illi commiffas fpiritum gratiæ falutaris, & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Protege Domine famulum tuum fubfidiis pacis, & Beatæ Mariæ femper Virginis patrociniis confidentem a cunctis hoftibus, & periculis redde fecurum. Per Chriftum Dominum noftrum. Amen.

12. Abfolutis Orationibus, omnes Fratres fe profternunt Magiftro, feu Provinciali genuflexo manente, fuper quem Sacerdos facit benedictionem itinerantium incipiens *Pfalmum. Ad te levavi &c.* cum *Gloria Patri &c.*, quem recitat alternative Conventus; deinde additur: *Kyrie eleifon &c., & Pater nofter &c. Et ne nos inducas &c.* ℟. *Deus meus &c. Dominus vobifcum:* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Miferere quæfumus Domine huic famulo tuo, & quod in via furripuit vifus, vel auditus malæ rei, aut otiofi fermonis totum ineffabili pietate deleas, & abftergas. Per Chriftum &c. ℟. Amen.

13. His peractis furgat Magifter, vel Provincialis cum Fratribus, & incipiat Pfalmum: *De profundis &c.* cum *Requiem æternam &c. Kyrie eleifon, Chrifte eleifon, Kyrie eleifon.* Deinde dicat: *Pater nofter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Dominus vobifcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus veniæ &c. Per Chriftum Dominum noftrum. ℟. Amen. Requiefcant in pace: Amen.

14. His ergo conclufis fit Cella præparata, in qua fedeat Magifter, vel Provincialis, atque omnibus Fratribus ad obedientiam fufceptis, eifque data pace furgit, & ingreditur Monafterium fociatus ab eifdem Fratribus ufque in Cellam fuam.

CAPUT XIX.

De Ordine fedendi, & honore Fratrum ad invicem.

1. Magifter Generalis, & quicumque illi fucceflerit in officio primum, & præcipuum locum obtineat in toto Ordine, ficut & Provincialis, ejufque Vicarius in tota Provincia, & Commendatores in fuis Conventibus: Vicarius autem Generalis in Provincia aliqua, feu Provinciis defignatus primum fimiliter locum habeat in illa, feu illis, & Provincialibus præferatur, quod etiam intelligitur de Vifitatore Generali refpective in ea Domo, quam actu vifitat a principio ufque ad finem vifitationis ejus. Eadem ratione Vifitator Provincialis præfertur Commendatori, & obtinet locum fui principalis in ea tantum Domo, quam vifitat, & tempore vifitationis dumtaxat Præfides in capite, ficut ipfi Commendatores toti Conventui in prima Sede præfideant. Præfides vero interini teneant locum Vicarii, nifi aliunde digniorem poffideant; quod fi tempore fui gubernii Vicarius permaneat in officio fint immediate ante ipfum.

2. Poft Commendatorem fedeant Generales abfoluti inter quos præcedat femper, qui fit in munere antiquior, rurfus immediate fequantur omnes Exprovinciales cum eodem inter eos Ordine prioritatis officii, quamvis aliquis eorum aliud munus poffideat. Exprovincialibus autem proxime adhæreant, qui fuerint Vicarii Generales totius Ordinis, & Procuratores Generales ejufdem in Romana Curia fecundum conditiones in propriis locis declaratas, & fervato inter ipfos Ordine temporis a quo fuerint jus adepti ad honores Exprovincialium; quod fi ad eos non deveniant, ut fuo loco prædicitur maneant inter Magiftros de numero, cum optione antiquitatis inter illos a die (ut etiam permiffum eft) quo jus ad Magifterium affecuti fuerint, modo tamen impleverint annos lecturæ pro illo, fecus autem inter Magiftros de numero fint femper, & ubique noviffimi.

3. Præterea poft Exprovinciales, & omnes eos prædictos, qui jure Conftitutionis fimili honore gaudent Socios actuales Magiftri federe præcipimus, & inter eos fit ea præcedentia, qua feclufo munere gauderent. His autem accedunt omnes duodecim Magiftri, quos vocamus de juftitia, vel numero, & qui juxta Conftitutiones noftras cum integro lecturæ merito ab Ordine funt fufcepti. Inter eos etiam antiquitas, & prioritas gradus ubique refpicitur, quæ femper in omnibus graduatis ad fe invicem in fui genere comparatis attenditur a die confirmationis gradus a Magiftro; unde jus ad illum, & confequenter ad præcedentiam acquiritur. Ubicumque vero Magiftri fuerint æquales in confirmatione prædicta, refpicienda erit antiquitas profeffionis.

fessionis. Si quis autem Præsentatus de Cathedra ex speciali gratia Sedis Apostolicæ ab Ordine suscepta Magisterium obtineat, sedeat immediate post omnes Magistros de justitia, & numero, qui sunt, & pro tempore fuerint.

4. Post Magistros vero præfatos, reliqui quos hic nominabimus sedeant cum hoc ordine literæ, videlicet: Vicarius Conventus, Præsentati de lectura, Magistri de gratia, Præsentati de Pulpito, Lectores Jubilati, Præsentati de gratia, & denique Procuratores Generales redemptionis, & Ordinis, & Procuratores Provinciales redemptionis, & Provinciæ, si non fuerint graduati, dum tamen omnes vocem habeant in Capitulo. Qui autem de illis graduatus fuerit, sedeat in ordine sui gradus: juxta qualitatem, & antiquitatem illius nullo habito respectu ad procurationes prædictas.

5. Circa reliqua officia, quæ diversis personis accidunt sic ea distribuimus: Diffinitores Generales ex suo genere sunt Electoribus priores, & utrique Diffinitoribus Provinciæ. Cum autem hæc officia in personis Superioris dignitatis extiterint, ut in Patribus Provinciæ, & reliquis adhuc Ordinem pertinentibus, non propterea locum inter se mutare debent, sed semper servare sibi debitum Exprovincialatu, aut alio munere peracto. Infra eos autem usque ad Lectores jubilatos inclusive quicumque prædicta officia subierit ratione illorum omnibus sui generis gradus, & qualitatis antefertur: videlicet si unus Socius Magistri factus Diffinitor Ordinis, aut Provinciæ, sive Generalis Elector ex hoc ipso sit altero Socio prior. Magister vero de numero superet omnes similes, & Magister de gratia expræsentatura de Cathedra electus, eos tantum, qui forsan de hoc Ordine fuerint, sicut etiam Magister de gratia eos dumtaxat qui fuerint qualitatis hujusmodi. Præsentatus autem de Cathedra omnes Præsentatos de Cathedra, & Vicarium Conventus. Præsentatus de Pulpito, omnes ejusdem generis, & Lector jubilatus jubilatos omnes. Infra istos autem si quis fiat Diffinitor, aut Elector Generalis, sive Diffinitor Provinciæ post prædictos jubilatos immediate locum habeat, nec ipsi quomodolibet liceat ratione prædictorum officiorum ad Sedem, & Ordinem superius nominatorum ascendere. Quod si duo intra eundem Ordinem in definitione, aut electione fuerint pares, tunc præcedat, qui alterum alioquin sine dictis officiis anteiret.

6. De Socio autem, & Secretario cujuslibet Vicarii Generalis, tam totius Ordinis, quam Provinciarum, aut alicujus Provinciæ statuimus, quod si fuerint graduati præsideant omnibus Magistris de numero, & sint ex Provincialibus, & eorum juribus a Constitutione faventibus immediate, modo non concurrant cum Sociis Magistri, quibus eos ubique reddimus inferiores. Si vero graduati non fuerint, omnibus Præsentatis de numero præferantur toto tempore, quo permaneant in munere, & solum in Provinciis ubi illud exerceant. Secretarius autem Provinciæ, si non fuerit graduatus sedeat proxime post Procuratores Generales Ordinis, & Provinciæ vocem in Capitulo Provinciali habentibus. Graduatus vero locum in suo Ordine præhabitum non prætereat.

7. Patres graduati, aut aliquo munere affecti aliarum Provinciarum, ubicumque de licentia Superioris extiterint semper sint postremi inter graduatos sui Ordinis, aut dignitatis, & officii.

8. Tandem post omnes superius suo ordine relatos; sequuntur alii Fratres Conventuales secundum antiquitatem professionis, dum tamen ordinati præcedant non ordinatos, & Clerici tam Professi, quam Novitii omnes Laicos Fratres. Si vero contigerit Lectorem aliquem non esse Presbyterum, locum obtineat Presbyteris immediatum.

9. Hæc ita sint extra Capitulum, tempore vero Capituli in omnibus actibus electionum, & Diffinitorii hic Ordo servetur. Quod si fuerit Capitulum Provinciale primi semper assideant Præsidi Provincialis electus, & absolutus a dexteris, & a sinistris illius, & post eos eadem forma Diffinitores Provinciæ, qui tamen in aliis actibus Conventualibus toto tempore Capituli semper sedeant omnes simul in Choro sinistro post ipsum Provincialem electum, cum quo personam totius Provinciæ ita in his actibus gerant. Prior Barchinonensis intra Provinciam Aragoniæ si fuerit Magister, omnes alios Magistros, si autem Præsentatus omnes ejusmodi gradus antecellat.

10. In Capitulo generali primus semper sedeat Magister, sive Præses ante electionem quomodolibet constitutus, ea vero peracta præsideat Magister electus si fuerit præsens, alioquin autem Præses, qui incepit continuabit præsidentiam, & locum. Præsidente vero Generali electo sequitur post ipsum Generalis absolutus, vel quicunque alius, qui Præses Electionis præextiterit. Huic autem succedunt suo Ordine reliqui Generales absoluti si sint in Ordine, & hujusmodi Capitulo intersint.

11. Post illos autem constituimus Provinciales, aut Vicarios Provinciales, juxta suarum Provinciarum antiquitates, & Ordinem. Deinde sedeat Prior Barchinonensis si præsidere non contingat. Postea Procurator Generalis in Urbe, quem sequantur Diffinitores Generales secundum antiquitatem Provinciarum, & postremo eodem Ordine Electores Generales.

12. Denique super hujusmodi declaramus: quod quoties in his Constitutionibus jus, actio, vel res aliqua relinquitur, aut defertur digniori de cœtu, Communitate, aut Capitulo, vel etiam generaliter in designationibus unius præ alio semper intelligatur de illo, qui loco præcellit inter eos Fratres de quibus statuitur dignior.

13. Circa honorem fratrum ad invicem ipsis ipsis enixe consulimus, ut semper alterutri honoribus se præveniant. Quadragenarios autem in Ordine, qui per hanc integram, & non interruptam periodum jugum ejus laudabiliter tulerint a Matutinis media nocte dicendis, Prima, ac Epistola, & Evangelio decantandis, absolvimus, senibus insuper confectis, atque impeditis de sibi necessariis, & Socio, qui curam eorum gerat sic a Prælatis provideatur, ut cunctis ibique fiat veneranda canities.

14. De reliquis statuimus sub pœna gravis culpæ: ut nunquam sibi honores, aut comitates deferant more sæculi, sed ut per Salomonem præcipitur magnatis humilia caput tuum, & Presbytero animam tuam, ut non quasi ad oculum carnis immodicis deflexionibus idolum vanitatis colere videamus, sed quasi spirituales alter alteri ex animo vera mentis humilitate se subjiciat.

15. Sed ut in istis metam Fratribus statuamus, juxta qualitates personarum Ordinis, sic eas tractari præcipimus, ut soli Magistro, & ipso deficiente Vicario Generali totius Ordinis titulus Paternitatis Reverendissimæ deferatur. Expleto tamen officio nulli Vicario prædicto, sed tantum generali absoluto præfatum tituli honorem continuari permittimus. Provincialibus autem, & Vicariis Provincialibus, Sociisque Magistri actualibus, honorem Paternitatis Reverendæ concedimus. Exprovinciales vero, Vicarios Generales Ordinis absolutos, & eos, qui per duos annos Vicarii Provinciales extiterint, & Socios Magistri prædictos, qui per triennium hæc munera subierint, atque etiam Commissarios, & Visitatores, tam Generales, quam Provinciales dum sunt in actuali munere non dissimiliter reveremur. Vicarios vero Generales Provincia-

rum,

rum, tam actuales, quam absolutos hanc eandem reverentiam, & titulum habere decernimus.

16. Magistros insuper, & Præsentatos, atque etiam Lectores jubilatos, qui jam omnia merita pro Magistro adimpleverint Paternitatem habere concedimus. Item Commendatores, Diffinitores, & Electores Generales, Diffinitores Provinciæ, ejusque Secretarios, & omnes Procuratores Generales, & Provinciales ejusdem tituli sunto quandiu officia peregerint, etiamsi illo aliunde non gaudeant. Reliquos vero Fratres quicumque sint, solo reverentiæ nomine appellandos esse ordinamus. Caveant autem omnes sub pœna gravis culpæ, ne hanc honoris diversitatem, & gradus indistincte permisceant, & confundant, sed unicuique quod suum fuerit, tribuant, cum discretione prædicta.

CAPUT FINALE.

Instructio ad Fratres circa omnia prædicta tam in Regula, quam in Constitutionibus ordinata.

1. Cum omnia, & singula, quæ in his Constitutionibus auctoritate, & facultate Apostolica, (ut initio præmissum est) ordinavimus, vel nova textura, expositione, aut omissorum additione in meliorem formam redegimus, ita mature, & consulto deliberata sint, ut nihil in illis inveniatur etiam levissimum, quod non fuerit ad severissimam lancem, & trutinam revocatum. Nulli propterea licitum debet esse quidquam pro suo libito mutare, addere, vel minuere, imo Diffinitoribus Generalibus omnino interdicimus, ut quæ auctoritate Apostolica confirmata, vel constituta fuerint, nulla ratione destituant, neque actis, decretis, aut contrariis inchoationibus deleant, sed ista immota relinquant, ut malint tolerare, vel quomodolibet exponere quæ minus congrue ordinata pro tempore appareant, quam sæpius innovando textum, turpem instabilitatem committere.

2. Quod si propter vicissitudines temporum, rerumque mutationes aliqua innovari, seu mutari necesse sit, fiat semper sine deformatione hujusmodi compilationis, per modumque expositionis dispensatoriæ cum distinctione a Textu, & ad calcem capitis additæ, servata semper integritate illius.

3. Sed, ut etiam in istis non latius pateat constituendi, & addendi, vel innovandi libertas antiquam Constitutionem, strictissime observari præcipimus, ut in præmissis nihil addatur, aut apponatur, modo etiam prædicto, nisi per tria Capitula Generalia continuo successiva fuerit approbatum, aut etiam per unum a Sede Apostolica confirmatum, sive sit per modum Constitutionis novæ, sive dispensationis, aut declarationis antiquæ. Quibus tamen conditionibus præmissis, & non aliter huic volumini, & ad calcem proprii Capitis cum distinctione a textu subjiciatur, & ita vim universalis, & rigorosæ Constitutionis obtineat.

4. Observantiam autem omnium prædictorum sic inviolatam intendimus, ut ne minima quidem pateant despectui ne paulatim in maximis decidamus, nec ita in modicis simplicibus statutis securitatem injungimus, ut majori obligatione occurrente minor observantia urgere nos audeat, cum detrimento potioris.

5. Quod ne contingat interdum legum incompatibilitas temperetur universis Prælatis in ordine dispensatoriam concedimus facultatem, ut quoties prudenter, & rationabiliter expedire judicaverint hujusmodi observantias, fratribus indulgere valeant, & eas quidem præcipue quæ Divinum Officium, aut Captivorum redemptionem, vel præcisam, & communem Ordinis utilitatem impediant, aut generaliter quando minor obligatio, & observantia cum minori complicata videatur. Ab hac tamen dispensatoria facultate excipimus ea, quæ jure communi, nostrarumve Constitutionum ipsis expresse prohibentur.

6. Fratribus autem expedit super omnia summo studio, perpendere, corrigere, & mensura, tam regula, quam Constitutiones præmissæ ad conscientiæ forum pertineant, nec videlicet transgressionis scrupulus eos in angustia constituat, vel inobservantia transeat in contemptum, & lapsus iterati ducant paulisper in foveam.

7. Et licet superius Dist. 3. Cap. 1. de obedientia jam super hoc regulæ sint præmissæ, eas tamen Fratribus non importune inculcabimus, ut in eorum cordibus defixæ permaneant, neque illarum oblivio vergat in conscientiæ periculum unde memores eos facimus, quod regula, & Constitutio, aut etiam Prælatorum verba, seu jussa nullatenus eos obligant ad culpam quæ Theologica dicitur, sed tantum ad pœnam nisi ubi adsit præceptum formalis obedientiæ, vel contemptus Prælati, Constitutionis, aut regulæ, vel nisi in materia, quæ jam aliunde obligat ex voto, vel Præcepto.

8. Præceptum autem formalis obedientiæ, tunc debent intelligere fratres, cum Prælatus, Regula, vel Constitutio præcipit in virtute obedientiæ, aut sub aliis verbis, pœnis, & execrationibus, quæ affectum, & intentionem obligandi significant modo ibidem præfixo. Quomodo autem Prælatus non nisi materia gravi illis uti debeant, & quæ sit illa jam similiter in eodem loco exposuimus.

9. Circa pœnas vero, quas interdum Constitutionibus adjicimus quando, & quemadmodum incurrantur, similiter in Dist. 15. Cap. 1. de pœnis in genere regulam prælibavimus, quam semper fratres habere præ oculis omni studio consulimus, ne per negligentiam, aut errorem se innoxios aliquando reputent, vel per livorem alios innodatos existiment. Quicumque autem præmissam regulam, & Constitutiones sequuti fuerint pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. Amen.

Dies absolutæ Compilationis. Actum, & Sessionum Diffinitorii Generalis finis factus est in Dei Salvatoris nostri, ejusque Sanctissimæ Genitricis Gloriam, & honorem die 30. Novembris anno 1688.

Subscriptiones. Fr. Josephus Linas Magister Generalis. Fr. Petrus Garcia Castellæ Provincialis. Fr. Michael Mareis Exprovincialis, & Diffinitor Generalis Castellæ. Fr. Marcus de Ostos Exprovincialis, ac Diffinitor Generalis Vandaliæ. Fr. Josephus Brizeno Exprovincialis Chilensis. Fr. Damianus Stephanus Diffinitor Generalis Valentiæ. Fr. Michael de Ulate Præsentatus, hujusque Generalis Diffinitorii Secretarius.

Attestatio Secretarii. Cum suo Originali, quod in Generalium Capitulorum libro manet exaratum recte cohæret: in cujus rei testimonium me totius Ordinis Generalem Secretarium subscripsi. Fr. Joannes Navarra Magister Diffinitor, & Secretarius Generalis.

Preces Procuratoris Generalis. §. 2. Quare præfatus Martinus Salvator Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut Constitutiones hujusmodi Apostolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsius Martini Salvatoris Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum

harum

Confirmatio relatæ Compilationis.

harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, hujufmodi fupplicationibus inclinati omnes, & fingulas Conftitutiones præinfertas, & in eis contenta quæcumque, auctoritate Apoftolica tenore præfentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illifque inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & fingulos Juris, & facti, ac folemnitatum quarumcumque in fimilibus etiam de neceffitate obfervandarum, aliofve quoflibet etiam formales, & fubftantiales defectus fi qui in præmiffis principaliter, vel acceflorie, aut alias quovis modo intervenerint, feu interveniffe dici, cenferi, vel prætendi poffent, penitus, & omnino fupplemus, & fanamus.

Claufulæ.

§. 4. Decernentes eafdem præfentes literas, ac Conftitutiones præinfertas femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos fpectat, & pro tempore quandocumque fpectabit in omnibus, & per omnia pleniffime fuffragari, & ab eis refpective inviolabiliter obfervari: Sicque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoftolicæ Sedis Nuncios, aliofve quoflibet quacumque præeminentia, & poteftate fungentes, & functuros, fublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obftantibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, ac quatenus opus fit dicti Ordinis, aliifque quibufvis, etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apoftolicis etiam Ordini prædicto, illiufque Superioribus, Fratribus, & perfonis fub quibufcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliifque efficacioribus, efficaciffimis, & infolitis claufulis, & Decretis in genere, vel in fpecie, feu alias quomodolibet in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis, etiamfi pro illorum fufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, fpecialis, fpecifica, expreffa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per claufulas generales idem importantes, mentio, feu quævis alia expreffio, habenda, aut aliqua alia exquifita forma ad hoc fervanda foret, tenores hujufmodi, ac fi de verbo ad verbum, nihil penitus omiffo, & forma in illis tradita obfervata, exprimerentur, vel infererentur, iifdem præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, & infertis habentes ad effectum præfentium, illis alias in fuo robore permanfuris, harum ferie derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præfentium literarum tranfumptis, feu exemplis, etiam impreffis manu alicujus Notarii publici fubfcriptis, & figillo perfonæ in Ecclefiaftica dignitate conftitutæ munitis, eadem prorfus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipfis præfentibus, fi forent exhibitæ, vel oftenfæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub Annulo Pifc. die VII. Dec. MDCXCI. Pontificatus noftri Anno Primo.

VII. Confirmantur quædam Decreta Fratrum Eremitarum S. Auguftini Provinciæ Bœticæ circa inftitutionem novorum Magiftrorum.

Conftitutio hic laudata, quo auctus fuit numerus Magiftrorum extat Conft. ed. 1690. Jun. 21. Pont. 1. Similes Conftitutiones habentur Conftit. ed. 1690. Jul. 31. Pont. 1. pro Provincia Quiten. Et Conft. ed. 1692. Sept. 28. Pont. 3. pro Provincia Mexicana.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 1. Febr. 1692. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Numerus Magiftrorum auctus fuit ab Alex. VIII.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Bœticæ Ord. Fratrum Eremitarum S. Auguftini quod cum alias fel. rec. Alex. Papa VIII. prædec. nofter per quafdam fuas in fimili forma Brevis literas die 21. Jan. 1690. expeditas indulferit, ut de cætero fenarius dictæ Provinciæ Magiftrorum numerus ad duodenarium fub certis modo, & forma tunc expreffis augeretur, Capitulum Provinciale Provinciæ fupradictæ noviffime, videlicet anno 1691. habitum majori ipfius Provinciæ bono, & decori unice intentum, ac ut incommodis, quæ exinde alias in tranquillitatis ejufdem Provinciæ perturbationem oriri potuiffent, occurreret, conditiones, feu leges quafdam in Magiftrorum hujufmodi inftitutione fervandas propofuit per fuum Decretum defuper emanatum tenoris, qui fequitur videlicet.

Caufa Decretorum.

Decretum Capituli Provincialis.

§. 1. Cum felicis recordationis SS. Domini Noftri Alexandri Divina Providentia PP. VIII. Breve datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 21. Menfis Januarii anno proxime præteriti 1690. Sic incipiens: Ex injuncto Nobis &c. in Archivio Provinciæ affervatum, Diffinitorio conftiterit, & attente cognitum fuerit, in quo prædicti Domini Noftri benignitas huic Bœticæ Provinciæ fovere cupiens illi concedit Magifteriorum numerum fenarium præter aliorum fex numerum, quo Provincia hæc pluries abhinc annis fruebatur; quod cum infpectum diligenter fuerit, & a PP. Diffinitorii diligentia maxima revifum, prædicti PP. decrevere dictam magifteriorum gratiam debere admitti, & acceptandam effe, ficuti de facto accipit, & admittit, his tamen fervandis conditionibus: Quod prædicta magifteria funt taliter diftribuenda, ut femper partialitas Provinciæ ex his fex magifteriis, quatuor obtineat, unum partialitas Hifpalenfis, Eftremaduræ autem partialitas reftans aliud. Et ut diftributio hæc toto fiat Juftitiæ rigore, & fubjectis dignioribus prædicta magifteria conferantur, decrevit Diffinitorium, cui ineft fubjectorum clara notitia ad dicta magifteria numeralia, & ad fex alia, quibus potiebatur antea Provincia, non admittendos effe PP. quos non expreffe, & fpecialiter ad magifterium numeri Diffinitorium poftulaverit. Ad quem gradum nullus poftulabitur à Provincia, qui duodecim annorum completorum fpatio publicus Philofophiæ, & Theologiæ Profeffor intra limites Provinciæ non fteterit, fexque generalium actuum Præfidens agnofcatur, ex quibus conclufionum actibus, adminus quinque Sacræ Theologiæ effe debebunt. Et ne difpenfationes, quas ut obtineant prædicta magifteria PP. folent acquirere emeritorum jus enervantes fortiantur effectum, decernit Diffinitorium P. Reverendiffimo fupplicationem effe faciendam a quacumque, quam Sua Reverendiffima circa hoc expedierit, difpenfatione; ne qui prædictum Lectoratus tempus impleverint, digniorefque inveniantur, Junioribus, qui tempus non expleverint poftponantur, ex quo folent quamplurima damna nafci, plurimæque feditiones oriri: ftatuit idem Diffinitorium prædictam poftulationem ad numeri Magifteria nullatenus efficiendam, quoufque aliquod ex prædictis vacaverit Magifterium, quæ tamen poftulatio a Diffinitorio plena facienda eft, & pro

subjectis earumdem partialitatum, quarum erant præcedentes PP. Magistri vita functi. Et tandem, ut Magisteriorum provisio rectius fiat ex duodecim numeralibus Magisteriis, quibus Provincia fungitur, ex quibus sunt sex antiqua, & noviter concessa sex, Diffinitorium Patrem Reverendissimum existentem, & pro tempore exiturum exorat, ut quando vacare contigerit numerale Magisterium, Magistrum constituat unum ex duobus, vel tribus, & non amplius a Diffinitorio proponendis, tanquam omnibus requisitis instructioribus, & dignioribus, quin P. Reverendissimus existens, vel exiturus possit obligare Provinciam, ut plures alios proponat, quam illos, quos pro prima vice ad Magisterium numerale postulavit. Quem tamen ordinem servandum rogat non solum in noviter concessis Magisteriis, sed etiam in antiquis, quæ pacifice possidet Provincia. Quibus conditionibus a P. Reverendissimo benigne admissis gratia Sanctissimi Domini Nostri, & non aliter (ob incommoda gravia inde absque dubio in pacem Provinciæ progignenda) admittitur, ita taliter quod si Pater Reverendissimus has conditiones renuerit acceptare, decernit Diffinitorium ad SSmum recurrendum, enixe rogans ut Breve prædictum nullius sit roboris, efficaciæ nullius; Si autem Pater Reverendissimus prædictas approbat conditiones, statuit Diffinitorium Sanctissimum D.N. exorandum, ut dispositio hæc sua confirmatione stabilis perseveret, simul præcipiens, quod ex duodecim Magisteriis numerabilibus ad partialitatem Provinciæ octo pertineant duo ad Hispalensem, & alia, quæ supersunt duo ad partialitatem Estremaduræ. Et subinde dictus filius Fulgentius Travalloni Prior Generalis dicti Ordinis suum pariter Decretum super præmissis edidit tenoris sequentis, nempe: *Magister Fr. Fulgentius Travalloni a Monte Elparo Georginas totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti P. N. Augustini Prior Generalis.* Inspectis retroscriptis actis capitularibus nostræ Provinciæ Bœticæ, ac de consilio admodum RR. PP. nobis Assistentium serio, ac diligenter examinatis, primo annuendum, & laudandum censuimus, quod Breve Apostolicum Alexandri fel. rec. Papæ VIII. de extensione Magistrorum ad numerum duodenarium sub conditionibus expressis in primo Decreto executioni mandetur. Ita tamen, ut pro singulis locis Magistrorum de numero duodenario, quoties vacaverint, tres adminus viri doctrina, & statutis conditionibus præditi a pleno Diffinitorio proponantur, & postulentur, ex quibus ad Reverendissimum Patrem Generalem pro tempore existentem aliquem eligere, atque in Magistrum numerarium instituere spectabit, prout meritorum, laborum, & boni Provinciæ ratio postulaverit.

Decretum Prioris Gen.

Preces PP. Provinciæ.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipsi Exponentes Decreta hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta a memoratis Capitulo Provinciali, & Fulgentio Priore Generali edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Febr. MDCXCII. Pontificatus nostri Anno Primo.

VIII.

Permittitur Moderatio particulæ Constitutionum Ord. SS. Trinit. Redempt. Captiv. Discalc. Congreg. Hispaniæ de nonnullis ad habitum non recipiendis.

Dictæ Constitutiones confirmatæ fuere a Clemente X. Const. ed. 1676. Jul. 1. Et a Clem. XI. Const. ed. 1719. Decemb. 6. P. 19. confirmatum Decretum circa mutationem habitus Donatorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 1. Mai 1692. An.

Ad perpetuam rei memoriam.

Constitutiones a qu confirmat & partic prædicta.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a Jesu Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod in Constitutionibus dictæ Congregationis a fel. record. Clemente PP. X. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die prima Julii 1676. expeditas literas in forma specifica confirmatis, cap. 42. §. 2. ubi agitur de personis ad habitum per fratres ejusdem Congregationis gestari solitum non admittendis, inter cætera disponitur hoc verborum tenore: *Nec etiam admittantur Neophitus, nec qui descenderit per lineam rectam in quolibet gradu a Judæis, Hæreticis, Mauris, vel Mauristis, nec ullus, cujus Prædecessores per lineam etiam rectam, ac in quolibet gradu ob hæresis, vel Judaismi, vel Sectæ Mahometanæ crimina puniti fuerint ab hæreticæ pravitatis Inquisitoribus: Quod si aliquis ex dictis in hac Constitutione celans aliquod ex prænarratis impedimentis, professionem fecerit apud Nos, statim ac detegatur tale impedimentum, ejiciatur, quia Religio non præstat suum consensum ad talem professionem. Quapropter omnes in publico coram Communitate moneantur ante receptionem habitus, & etiam ante professionem, quod si habent aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, professio (etiam si fiat) invalida, & nulla est, quamvis pluribus annis in Religione sint.*

1. Cum

§. 1. Cum eadem expositio subjungebat, præinserta Constitutio, tempore, quo Congregatio hujusmodi in Hispania dumtaxat reperiebatur facta fuerit, nunc vero cum eadem Congregatio adjuvante Domino per Germaniam, Poloniam, & alias Mundi partes propagetur, experientia compertum sit Constitutionem prædictam extra Hispaniam quoad Descendentes ab hæreticis servari non posse: Nos propterea dicti Petri Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, enunciatam Constitutionem quoad descendentes ab hæreticis tantum tam quoad admissos, quam quoad admittendos, tam ad habitum, quam ad Professionem in præfata Religione, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium moderamur; firma tamen remanente ipsa Constitutione quoad Hispaniam, & Lusitaniam, ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Margin: ...isa moderationis.] [Margin: ...eces Procuratoris ...n.] [Margin: Permissio moderationis præd.]

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, & ignoranter contigerit attentari.

[Margin: Clausulæ.]

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die I. Martii MDCXCII. Pontificatus nostri Anno Primo.

IX.

Confirmatur Decretum Congreg. particularis in causa nonnullarum Provinciarum Ordinis Carthusien.

Innoc. XI. Const. ed. 1682. Sep. 11. P. 8. extat quædam declaratio Congr. Rituum circa Processionem. Et hujus Pontif. Const. ed. 1692. Nov. 4. P. 2. alia circa prohibitionem egressus ab Eremo.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

[Margin: Dat. 11. Apr. 1692. An. 1.]

Alias in Causa inter dilectos filios Procuratorem Generalem Ordinis Carthusien. ex una, & Fratres Laicos, seu Conversos duarum Provinciarum Hispaniarum d. Ordinis ex altera partibus vertente emanavit a particulari Congregatione nonnullorum ex tunc existentium S. R. E. Cardinalium a fel. rec. Alex. Papa VIII. prædecessore nostro specialiter deputata Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: In Causa vertente inter Patrem Procuratorem Generalem Ordinis Carthusianorum ex una, & Laicos duarum Provinciarum Hispaniarum ejusdem Ord. partibus ex altera, Congregatio nonnullorum Eminentissimorum, & Rmorum S. R. E. Cardinalium per SSmum Dnum Nostrum specialiter deputata, partibus ipsis informantibus referente Emo de Laurea, infrascriptum in modum respondendum censuit, nempe. *Ad primum*, quoad habitum Donatorum, & præcipue quoad caputium in duabus Provinciis Hispaniarum servandam esse consuetudinem. *Ad secundum.* Conversis non competere Votum in Capitulis Conventualibus. *Ad Tertium.* Circa receptionem Conversorum servandas esse Constitutiones Ord. *par. 3. cap. 1. n. 16.* *Ad quartum.* Quoad præsentiam Donatorum in Capitulis culparum, & quoad interventum Donatorum insimul, & Conversorum in Ecclesiis, & Refectoriis itidem servandas esse Constitutiones Ordinis. *Ad quintum.* Spatiamenta Monachorum, non competere Conversis, causamque prædictam non esse amplius proponendam. Romæ 29. Martii 1690. G. Cardinalis Carpineus. A. Altovitus Secretarius.

[Margin: Decretum prædictum.]

§. 1. Cum autem sicut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, ac omnia, & singula, in eo contenta, & expressa auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

[Margin: Preces Procuratoris Gen.] [Margin: Confirmatio relati Decreti.]

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quod spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[Margin: Clausulæ.]

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis,

fis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis, illorum tenores, præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præfentium literarum tranfumptis, feu exemplis, etiam impreffis manu alicujus Notarii publici fubfcriptis, & figillo perfonæ in Ecclefiaftica dignitate conftitutæ munitis, eadem prorfus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipfis præfentibus haberetur, fi forent exhibitæ, vel oftenfæ.

Datum Romæ apud S. Petrum fub Annulo Pifcat. die XI. Aprilis MDCXCII. Pontificatus noftri Anno Primo.

X. Confirmantur Decreta circa alternativam inter Fratres Minores S. Francifci de Obferv. Reformatos Provinciæ S. Nicolai.

Extant aliæ alternativæ Inn. XI. Conft. ed. 1688. Jun. 3. Pont. 12. in electione Commiffarii. Et pro Provincia Januen. hujus Pontif. Conft. ed. Jan. 7. P. 5.

Dat. 17. Maji 1692. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus minifter Provincialis Provinciæ S. Nicolai Ordinis Fratrum Minorum S. Francifci de Obfervantia Reformatorum nuncupatorum, quod alias dilectus pariter filius Joannes ab Aquila Frater expreffe profeffus dicti Ordinis, cum in eadem Provincia, quæ in duas partes, videlicet Baren. & Licien. divifa reperitur, munere Commiffarii Vifitatoris fungeretur, diffentiones componere, & inconvenientibus, quæ inter Fratres Provinciæ hujufmodi Capitularium, aliarumque fimilium electionum occafione oriebantur, occurrere cupiens, pro communi ipfius Provinciæ beneficio, & quiete, concordiam quamdam, feu Alternativam ab omnibus dictæ Provinciæ vocalibus legitime ad id Congregatis firmari, & acceptari, ac unanimi omnium confenfu fubfcribi curavit per Decretum Capituli Provincialis in Conventu Tarentin. Sancti Antonii die 6. Aprilis 1690. defuper emanatum tenoris, qui fequitur, videlicet: Decretum Provinciale. Cum toti huic Provinciæ Strict. Obfervantiæ S. Nicolai univerfalis rumor acceperit paci confulendæ, pietati firmandæ, jurgiis, diffidiifque totam Provinciam vagantibus. Quippe plaufu, & omnium Religioforum, confenfu defiderare non deftitit, ut Provincia æqua juftitia gubernetur, & partium caufa ad Tribunal Eminentiffimi Domini noftri Alderani Cybo vigilantis Protectoris, atque Reverendiffimi Patris noftri Caroli Francifci de Varefio digniffimi Commiffarii Generalis devolvenda fcrutinio deliberaretur, ut in pofterum diffidia cederent, & Barenfis Religioforum Pars, atque Licienfis invicem ne altercari audeat magno fæcularium fcandalo, Strict. Obfervantiæ detrimento, ideo Adm. R. P. Joannes ab Aquila in hac Divi Nicolai Provincia actualis Commiffarius Vifitator auditis omnium utriufque partis vocibus, & toto animo ftabilimentum communi paci inveftigans, ipfemet non alio defiderio ardens, nifi jurgia abolere, nifi pacem firmare, nifi juftitiæ confulere, tandem certiores redditi Eminentiffimus Protector, & Reverendiffimus Pater Commiffarius Generalis præfati, eidem Commiffario Vifitatori Decreto tranfcripfit, ut videre eft in calce. -- Nos Fr. Carolus Francifcus de Varefio &c. & fub fine omnes adamuffim obfervent. Cum voto Eminentiffimi Domini noftri Protectoris ipfe Pater Commiffarius Generalis magna cum prudentia, & juftitia ad officia ipfius Provinciæ obeunda Alternativam tranfmifit, omni juftitiæ confonam præcipiendo in virtute S. Obedientiæ, & fub pœnis contra inobedientes, & rebelles a legibus taxatis. Inde P. Commiffarius Vifitator perpenfis mature omnium defideriis, decretum R. P. Commiffarii Generalis publicat, & ejus mentem in hoc noftro Provinciali decreto firmare decernit, quam videre eft in originali decreto citato, ut fupra; Alternativam (fic ajens) Provincialatus ejufdem Provinciæ ponendam, ftabiliendam, atque in perpetuum figendam effe judicamus inter Patres, feu Religiofos Partium, Nationum, feu Provinciarum Barenfis, & Licienfis. Unde Adm. RR. PP. Commiffarii, & Judex Miniftri Provincialis cum PP. Diffinitorii, & vocalibus Provinciæ ad Comitia Provincialia convocatis, talem Alternativam toto animo acceptare defiderantibus, ita quod in quibuflibet Comitiis Provincialibus, feu Capitularibus congreffibus, Pars Licienfis habeat in Diffinitorio tres fatisfactiones, & etiam tres Pars alia Barenfis tali ordine, & pars Licienfis, tanquam copiofior fratribus, & Conventibus fucceffive per duas vices habeat Provincialatus officium, ipfum habere incipiendo a proximo imminenti Capitulo, cum adfcriptione duorum rationalium PP. in Diffinitorio, ideoque in fingulos novennos annos Pars Barenfis habeat femel Provinciale cum duobus Diffinitoribus, & alio fexennio Cuftodes cum Diffinitoribus, binis, in unoquoque triennio: Sic Licienfes per confequens habeant reliqua in Diffinitorio officia. Præterea difponere etiam volumus Guardianatus pro ejufdem Provinciæ communi pace, & fine offenfione Juftitiæ diftributivæ, ita quod Patres Barenfes duodecim habeant Guardianias, ne autem fumma inæqualitas videatur in Electionibus futurorum Capitulorum, volumus duas alias Guardianias addi Parti Barenfium, ita quod duo alii Guardiani eligantur a Barenfibus ad ipforum fatisfactionem, fed eligendi fint natione Licenfes, ufque dum Conventus ab ipfis recipiendi ad æqualem numerum pervenerint Conventuum Licienfium. Si vero in futurum Conventus Barenfes, Licienfium numerum excefferint ad æqualitatem in utramque partem reductum iri cenfemus. Quapropter Partem Barenfem duodecim Guardianiis confectam præfcribemus Geografice, & fecundum naturam per divifionem, vulgo *la Gravina di Caftellaneta*, & Provinciam Licienfem a Caftellaneta exclufive ufque ad Præfitium. Pariformiter, ut radicitus omnis diffentionis fomentum tollatur in receptione Novitiorum, quæ indifferenter fieri debet, præcipimus, ut de receptis, & approbatis intra numerum folitum a Sacra Congregatione concedi pro quolibet anno duodecim Juvenes, octo Clerici, quatuor Laici de melioribus refpective pro parte Barenfi recipiantur ad habitum, & Profeffionem; Reliqui vero pro complemento numeri præfixi a Sacra Congregatione ex alia parte tanquam numerofiori veftiantur. Unde confulto Adm. RR. PP. Commiffarius Vifitator, & Judex, Minifter Provincialis, Cuftos, & PP. omnes Diffinitores, quam Vocales, ad pedes Eminentiffimi protectoris, & R. P. Commiffarii Generalis fubjicientes unanimi confenfu, quo majori favore deprecantium vota profequi dignentur, pro majoris roboris validitate apud Sac. Congregationem Cardinalium Decreto obfignari. Et quæ in hoc Decreto præfcribuntur ab omnibus in futurum adamuffim obferventur, fub pœna nullitatis Electionum, quæ in contrarium oriri poffint. Datum Tarenti in lo-

co noftri

Inftitutio alternativæ.

Decretum Provinciale.

co nostri Discretorii, Conventus S. Antonii tempore Comitiorum Provincialium die 6. Aprilis 1690.

Subscriptio.

Ego Fr. Thomas a Matera Lector Theologiæ Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Franciscus a Veliis Lector Sacræ Theologiæ Provinciæ Lucensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Theodorus a Tarento Lector Sacræ Theologiæ Provinciæ Liciensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Cherubinus a Nerito Lector Sacræ Theologiæ Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Seraphinus a Turo Theologus Generalis Guardianus, & Vocalis Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Franciscus Maria Valenzano Theologus Guardianus, & Vocalis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Franciscus a Gravina Provinciæ Barensis Vocalis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Franciscus a Cellerario Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bonaventura a Brisuto Provinciæ Barensis Theologus Guardianus acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Franciscus a Turre Lector Provinciæ Liciensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius ab Alliste Provinciæ Liciensis Guardianus Vocalis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bernardus a Sancto Vito Provinciæ Liciensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bonaventura a Gallipoli Provinciæ Liciensis Guardianus acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Nucibus Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bartholomæus a Castellaneta Guardianus Provinciæ Barensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Crinola Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Angelus a Cripaliis Guardianus Provinciæ Liciensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bonaventura a Castellaneta Guardianus Provinciæ Barensis, acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Joseph Maria a Francavilla Guardianus Provinciæ Liciensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bernardinus a Gravina Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Joannes a Bario Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Joannes a Castelletto Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Franciscus a Leghis Guardianus Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Castro Græcor. Guardianus Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Nicolaus Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Ludovicus a Mandurio Exdiffinitor, & Guardianus Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Jacobus ab Altamura Exdiffinitor, & Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bonaventura ab Altamura Exdiffinitor, & Guardianus Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Barnardus a Cequolis Exdiffinitor Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Angelus a Solero Exdiffinitor Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Joannes a Turo Guardianus Barensis acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Brundusio Diffinitor actualis Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Malleis Diffinitor actualis Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Bonaventura a Francavilla Diffinitor actualis Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Jonia Diffinitor actualis Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Honuphrius Custos actualis Provinciæ Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Laurentius a Licio Guardianus exMinister Provincialis Licien. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Honuphrius a Cannato Minister Provincialis Provinciæ Baren. acceptavi, ut supra.

Ego Fr. Joannes ab Aquila Commissarius Visitator.

§. 1. Et subinde dilectus etiam filius Carolus Franciscus de Varesio tunc temporis Commissarius Generalis dicti Ordinis Decretum præinsertum confirmavit, ac observari mandavit per suum pariter Decretum tenoris sequentis nempe: Decretum confirmationis. Ex debito pastoralis officii paci, & tranquillitati nostræ Reformatæ Provinciæ S. Nicolai Barensis consulentes. Alternativam in retroscripto Instrumento descriptam, & in pleno Capitulo celebrato Tarenti die 6. Aprilis 1690. examinatam, propriis subscriptionibus firmatam, & acceptatam a Patribus Vocalibus unanimi consensu, & communi omnium lætitia, in executione ponendam, stabiliendam, atque in perpetuum figendam esse judicamus inter Patres, seu Religiosos Partium, Nationum, seu Provinciarum Barensis scilicet, & Liciensis, ideo tenore præsentium præfatam Alternativam, prout in dicto Instrumento jacet extensam præfigimus, stabilimus, & confirmamus tanquam rationabilem, atque secundum Justitiæ distributivæ præscriptum, majorique pacis, ac tranquillitatis augmento accommodatam, nec non fixam, approbatam, & confirmatam conditione, serie, & ordine superius expresso volumus haberi ab omnibus ejusdem Provinciæ, tam Superioribus, quam Subditis præcipientes in virtute S. Obedientiæ, & sub pœnis contra inobedientes, & rebelles a legibus taxatis, & in omnibus Capitulis, Congregationibus, & Congressibus in posterum faciendis, quæ in ea præscripta sunt omnes inviolabiliter observent, nec contra præfata aliquid attentare præsumant sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Datum ex nostro Aracælitano Conventu de Urbe hac die 26. Aprilis 1690. -- Fr. Carolus Franciscus de Varesio Commissarius Generalis -- De Mandato S. P. Reverendissimæ -- Fr. Innocentius de Criptis Secretarius.

Decretum Commissarii Gen.

§. 2. Ac demum Ven. Frater noster Alderanus Episcopus Ostien. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector suum quoque Decretum super præmissis edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Alderanus miseratione Divina Episcopus Ostien. S. R. E. Cardinalis Cybo Sacri Collegii Decanus, ac totius Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector. Cum retroscriptæ conventiones, & pacta pro concilianda, & stabilienda Religiosorum pace, & quiete in Provincia Reformata S. Nicolai de consensu totius Capituli Provincialis decreta fuerint, nec non per Commissarium Generalem approbata, & confirmata: Nos hujusmodi pacem, tranquillitatemque summopere cupientes prænarratas conventiones, Decreta, pacta, Alternativam auctoritate qua fungimur Protectoris confirmamus, & approbamus, non solum præmisso, sed etiam meliori modo. Præcipientes omnibus, & singulis Superioribus, & Subditis præfatæ Provinciæ, & quibuscumque aliis districte in virtute S. Obedientiæ, ne in posterum quovis prætextu, aut quæsito colore directe, vel indirecte contra prædictum concordatum, & alternativam aliquid innovare, aut attentare præsumant, sed prout jacent eam servent, & execu-

Decretum Card. Protectoris.

tioni mandent, nedum sub pœnis in Decreto Commissarii Generalis, sed nullitate omnium actuum, aliisque arbitrio nostro, & pro tempore existentis Protectoris infligendis. Non obstantibus &c. Datum Romæ hac die 16. Martii 1690. A. Cardinalis Cybo Protector.

Preces Ministri Provincialis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Minister Provincialis Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Ministro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attentis dicti Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris, ac dilecti pariter filii moderni Commissarii Generalis Ordinis hujusmodi relationibus ad eosdem Cardinales transmissis, Decreta præinserta a memoratis Capitulo Provinciali, ac Carolo Francisco tunc Commissario Generali, & Alderano Episcopo, Carolo & Protectore edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVII. Maji MDCXCII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XI.

Conceditur Ministro Generali Tertii Ordinis Sancti Francisci facultas conferendi Doctoratus Lauream suis Religiosis.

Dat. 17. Maji 1692. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constitutionis.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Locatus a Bergamo Prior Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci, quod cum ex præscripto Constitutionum dicti Ordinis præsertim illarum, quæ a fel. rec. Innocentio PP. X. prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 6. Novembris 1648. emanatas literas in forma specifica confirmatæ fuerunt, illi qui ex Ordine hujusmodi Doctoratus, seu Magisterii lauream suscepturi sunt, debeant prius Philosophiam per triennium legere, & deinde onere Sacram Theologiam per quadriennium legendi indispensabiliter suscepto, literas patentes a Ministro Generali pro tempore existente Ordinis præfati obtinere, quarum subinde vigore in aliqua publica studii generalis Universitate se præsentantes, laurea hujusmodi decorantur, non pauci circa præmissa abusus irrepserunt; multi siquidem adepta laurea hujusmodi quadriennalem ejusmodi Sacræ Theologiæ lecturam negligunt; alii vero etiam ipsa triennali Philosophiæ lectura eo quod, aut labores reformident, aut se se ad id inhabiles agnoscant, penitus, vel in parte omissa, literas patentes supradictas præpotenti Patronorum interposita opera, & auctoritate, de manibus dicti Ministri Generalis extorquent, & inde in publicis studiorum generalium universitatibus, ubi nonnumquam magis lucrum, quam virtutis meritum respicitur, Doctoris, seu Magistri titulo decorantur, sicque privilegiis alias, non nisi vere Magistris, seu Doctoribus competentibus gaudent, in maximam studiorum jacturam, & aliorum antiquiorum Sacerdotum dicti Ordinis præjudicium, ac non sine evidenti religiosæ paupertatis detrimento; quandoquidem isti sic laureandi notabiles pecuniarum summas in Ordine supradicto colligunt, illasque sic collectas foris expendunt, & distrahunt.

Preces Ministri, & Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Joannes Procurator Generalis abusus hujusmodi tolli, viamque illis in posterum præcludi plurimum desideret, Nobis propterea idem Joannes Prior Generalis etiam nomine dilecti filii Jacobi Guidotti a Bononia Ministri Generalis ejusdem Ordinis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris nostri Alderani Episcopi Ostien. S. R. E. Cardinali Cybo nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris præfatis Cardinalibus qui etiam dictum Jacobum Ministrum Generalem audiverunt, facta, eidem Jacobo, & pro tempore existenti Ministro Generali Ordinis hujusmodi facultatem privative quoad omnes alios conferendi doctoratus, seu Magisterii lauream fratribus in dicto Ordine professis, qui antea Philosophiam per tres, & super omnibus libris sententiarum Sacram Theologiam per alios quatuor annos laudabiliter legerint, & docuerint, ac duabus saltem publicis Conclusionibus præsederint, & subinde ab eodem Ministro Generali, Procuratore Generali, vel isto absente ab uno per eum deputando, qui præditus sit qualitatibus in cæteris examinationis, ut infra requisitis, necnon tribus aliis ejusdem

Concessio prædictæ facultatis sub certis conditionibus.

Ordi-

Ordinis in eadem Sacra Theologia versatioribus, quique per septennium, laudabiliter legerint in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus dumtaxat, & non alibi examinari, & ab aliis, vel saltem a quatuor eorum per secreta, & reiterata vota, tanquam idonei, & laurea digni approbati fuerint, itaut si secus aliqua in parte fieri contigerit, Minister Generalis privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum si quæ habuerint, & laureati nullitatis collatæ laureæ pœnas respective ipso facto incurrant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Maji MDCXCII., Pontif. nostri Anno Primo.

XII.

Confirmatur Indulgentia Plen. Perp. in Ecclesiis Monialium Visitationis Beatæ Mariæ Virginis in festo S. Francisci Salesii.

Hæc Indulgentia concessa fuit ab Alex. VII. Const. ed. 1666. Septem. 18.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 2. Junii 1692. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

Præd. Innoc. concessit visitantibus Ecclesias dd. Monialium.

Dudum fel. rec. Alexander PP. VII. prædecessor noster pro peculiari sua erga Sanctum Franciscum Salesium, quem ad Omnipotentis Dei gloriam, exaltationem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis incrementum Sanctorum Catalogo solemni Ritu adscripserat, devotione, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Monasteriorum Monialium Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ a memorato Sancto Francisco instituti, tam catenus erectorum, quam imposterum quandocumque erigendorum, & ubique existen. die festo ejusdem Sancti Francisci Salesii a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ejusdem Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 18. Septembris 1666. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, & quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Superiorissæ. §. 1. Nunc autem Nos supplicationibus dilectæ in Christo filiæ modernæ Superiorissæ Monasterii Monialium ipsius Sancti Francisci Salesii de Urbe nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam a memorato Alexandro prædecessore, sicut præmittitur, in perpetuum concessam, ac desuper expeditas ejus literas præfatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium itidem perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. (Confirmatio præfatæ Indulg.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Junii MDCXCII., Pontif. nostri Anno Primo.

XIII.

Confirmantur Constitutiones Congregationis Presbyterorum Sæcularium SS.mæ Trinitatis Peregrinorum, & Convalescentium de Urbe.

Ab Innoc. XI. Const. ed. 1684. Nov. 15. P. 9. confirmatæ fuerunt Constitutiones Presbyterorum Sancti Josephi de Urbe. Et hujus Pontificis Constit. ed. 1692. Jun. 21. P. 1. Constitutiones Presbyterorum S. Luciæ Bononien.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 3. Junii 1692. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito Pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini Divina dispositione præsidemus, ad ea, quæ Christianæ charitatis, atque pietatis opera ubique locorum, & præsertim in hac Alma Urbe nostra, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue promanant, modis congruis promoventur, favorabiliter intendentes, Congregationes Christifidelium in sortem Domini vocatorum laudabiliter in id ipsum incumbentes paterno favore libenter prosequimur, & illis, quæ pro felici earum regimine, & gubernio, provide prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

A quo conditæ fuerint sequentes Constitutiones. §. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior, & Presbyteri Congregationis Presbyterorum sæcularium in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, & Convalescentium de Urbe præfata instituta, quod alias pro felici ipsorum Exponentium, & Congregationis hujusmodi directione a quondam Mariano Sociino, dum vixit, Presbytero sæculari Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii de eadem Urbe formatæ, seu compilatæ fuerunt nonnullæ Constitutiones tenoris, qui sequitur, videlicet.

Costituzioni della Congregazione de' Sacerdoti dell' Archiconfraternità della Santissima Trinità de' Pellegrini, e Convalescenti di Roma.

FINE DELL' ISTITUTO.

Il fine, che devono avere li Sacerdoti chiamati a questa Congregazione, si riduce principal-

mente a due capi, che sono; primo l'acquisto della propria perfezione; secondo la cooperazione al bene spirituale de' Prossimi. E per la conservazione di questi due sublimi fini dovrà ciascun Sacerdote coltivare seriamente un vero spirito Ecclesiastico, ed una fedele osservanza delle presenti Costituzioni, come istromento della propria, ed altrui perfezione, accendendosi ciascuno alla pietà, ed allo spirito, non solamente con la viva reminiscenza dell' obbligo, che porta seco lo stato Sacerdotale, ma anco con la considerazione della Santità dovuta a Roma, debitrice al Mondo di buon'essempio, massimamente in questo luogo, che per esser un Pio Albergo di Pellegrini, si fa oggetto, e quasi un centro, dov'entrano gl'occhi di tutta la Cristianità, aggiongendosi stimolo alla virtù Cristiana con la grata memoria del glorioso Fondatore San Filippo Neri, & anche con verace riflessione della santità, che si contiene neg'essercizj di questo Istituto tutto intento, ed impiegato in opere di carità a Dio gratissime, così di misericordia corporale, come spirituale.

CAP. I.

Come li Sacerdoti doveranno portarsi verso li Signori Superiori.

Professeranno una cordiale, e filiale obedienza, ed ossequio all'Eminentissimo Sig. Cardinal Protettore, ed Illmo Monsignor Primicerio loro Superiori, ed il dovuto rispetto all'Illustrissimi Signori Guardiani, nè s'ingeriranno mai nel loro governo, ne in alcun'amministrazione, o altra cosa temporale, che non li venga da' medemi Signori Superiori imposta, e molto meno averanno, o potranno mai avere alcuna giurisdizione, o dominio sopr'alcun bene presente, o futuro dell'Ospedale, ed Archiconfraternità, ed in caso di legati pii, donazioni, istituzioni, o altre simili lascite, che si facessero a' detti Sacerdoti in generale, o in particolare come Sacerdoti di questa Congregazione, tanto con peso, quanto senza peso di Messe, o altr'obbligo, o per qualsivoglia altra causa, non s'intenda mai da essi acquistata, e loro successori ragione alcuna di dominio, ma spetti all' Archiconfraternità l'amministrazione, ed incombenza per soddisfare, o far soddisfare alla mente de'Testatori, &c. non avendo mai per alcun tempo li detti Sacerdoti da fare, o poter fare figur'alcuna di corpo da se, ed in qualsivoglia minima parte separato dall'Ospedale, ed Archiconfraternità, ma in tutto, e per tutto siano totalmente, come meri Ministri della Chiesa, ed Ospedale nelle cose spirituali, e spettanti alla cultura dell' Anime, sempre dipendenti dalli sopradetti Signori Superiori, perciò averanno d'attendere a' loro Ministerii Ecclesiastici, ed alla direzione dell' Anime, conforme gl' è prescritto nelle presenti Costituzioni; e riconoscendo la paterna carità de' sudetti Signori Superiori in esentarli da ogni cura temporale, ed in provvederli onestamente, acciò senz'altra sollecitudine possino darsi unicamente agl'Apostolici Ministerj, procureranno per esserli grati, avere memoria d'essi Signori ne' loro santi Sacrifizj, e di participarli le loro Orazioni, ed osservanze. Si persuadino però, che il maggior compiacimento, e gratitudine, che potranno usarli, sarà far' esattamente il servizio di Dio, ed osservare fedelmente queste Costituzioni, ed essercizj, dal che prenderanno essi Signori motivo di maggiormente affezionarsi, aver cura, ed invigilare sopra la Congregazione, Oratorio, e Casa, e di proteggerli sempre nelle cose di gloria di Dio, e bene del prossimo.

CAP. II.

Qualità, che si devono ricercare nelli Sacerdoti della Congregazione.

Primieramente si dovrà fare matura riflessione, e considerazione, se il soggetto sia veramente chiamato da Dio a questo santo Instituto, ed a quest'effetto se li faranno fare gl' essercizj spirituali, per esplorare lo spirito della vocazione, e per escludere qualche indegno motivo d'interesse o di rispetto umano, che potesse stimolarlo all' ingresso della Congregazione.

Dovrà essere uomo di conosciuta virtù, e di onorata fama, nè sia stato ejetto da alcuna Religione, nè di razza neofita, che abbia scienza sufficiente per le funzioni dell'Instituto, massimamente per confessare, e sermoneggiare.

Che sia di buona natura, capace di ben convivere in Comunità, ch' abbia buona sanità, e che non sii tanto avanzato nell'età, che si renda inabile a gl'essercizj della Congregazione.

Che possieda il Canto Ecclesiastico, o che ne sia in qualche modo instrutto.

Che non abbia occupazioni, o impieghi poco compatibili con gl'esercizj dell'Istituto.

Ch'abbia sincera, e ferma volontà d'acquistarsi il Cielo con l'opere spirituali, che in essa eserciterà.

Che particolarmente sia uomo d'una solida carità, ed umiltà, e pazienza, poichè l'aver sempre a fatigare per uomini di condizione poveri, e di Nazioni per ordinario straniere, dalle quali non si può sperare alcuna retribuzione umana, ed essendo la fatiga molta, e senz'intermissione, è impresa, che non si potrà sostenere da chi non ha Capitale d'una gran carità, d'una grande umiltà, e d'una gran pazienza; perciò si procuri, che s'ammettano Chierici per gl'Offizj della Casa, o Ospedale, quali possano riuscire atti allo Stato Ecclesiastico per poter meglio coltivarli, e renderli a suo tempo Sacerdoti abili a questo Instituto.

Perchè niuna cosa potrà nuocere tanto all'osservanza dell'Instituto, e servizio di Dio, e di questo santo luogo, quanto l'ammettere Sacerdoti inabili, e poco ben disposti, non si dovrà ricevere alcuno, che prima non abbia frequentato la Congregazione de' Sacerdoti con edificazione, ed osservanza delle loro Regole, e praticato gl' esercizj in questo Instituto, che però dovrà prima d'ammettersi il soggetto ad osservare gl' esercizj, prenderséne licenza dall'Eminentissimo Protettore, e riconosciuto abile da' Sacerdoti già ammessi, ed approvato negli Scrutinj secreti almeno con la maggior parte de'voti, se nè darà parte all'istesso Eminentissimo Protettore, acciò si degni confermare l'elezione.

Stabilito, che sarà alcuno in Congregazione, non possa licenziarsi, se non dall'Eminentissimo Signor Cardinal Protettore, o con li due terzi de' voti di tutti gl'altri Sacerdoti per causa di gravi delitti, o di reiterate inosservanze con la licenza dell'Emo Protettore.

CAP. III.

Osservanze comuni alli Sacerdoti.

Primo faranno ogni giorno all'ora, e luogo assegnato almeno mezz' ora d' orazione mentale in commune, e saranno pronti ad intervenire tutti. Ed occorrendo per legittimo impedimento di non potervisi alcuno trovare, inviolabilmente la dovrà fare da se in altr'ora tenendo per certo, che dal far bene questa, ne verrà in conseguenza il buon adempimento di tutto il restante del servizio di Dio, e del Prossimo, ed al pari dell'Orazione sarà il profitto delle loro Anime, che perciò doveranno essere

molto

molto assidui nell' Orazione, e farla senz'intermissione, abituandosi con frequentissime orazioni giaculatorie.

§. 4. Quoad illos autem ex Fratribus, Nepotibus aliisque Consanguineis, seu Affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium præfatorum; sive veris, sive ut præfertur adlectis, & adscitis, quos eximiis eorum ita exigentibus meritis ad sublimem Cardinalatus dignitatem assumi contigerit, eam quoque de cætero servari volumus moderationem, ut Ecclesiæ, Monasteria, Commendæ, aliave cujusvis generis Beneficia, & officia Ecclesiastica, ac pensiones annuæ super illorum fructibus unicuique eorumdem respective conferenda, commendanda, & concedenda, ac reservandæ, & assignandæ, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ computatis insimul Beneficiorum, & officiorum quibuscumque fructibus, & pensionum quantitatibus, in totum non excedant: in ea tamen taxatione non comprehendantur emolumenta officiorum ejusdem Apostolicæ Sedis, & Romanæ Curiæ S.R.E. Cardinalibus demandari, seu concedi solitorum, aliorumque munerum, quæ ipsis non ad vitam, vel in perpetuum, sed ad tempus seu beneplacitum Romani Pontificis pro tempore existentis demandata, seu concessa fuerint. Declarantes, quod deinceps præfati, qui vitam Ecclesiasticam elegerint, seu ad sublimem Cardinalatus dignitatem fuerint assumpti, quoscumque Titulos fructuum reservationibus gravatos, sive præventivas, vel eventitias pensiones ultra moderationem, ut supra respective præscriptam nullatenus assequi valeant.

Cardinalibus assignari nequeunt ad vitam plusquam 12. millia scuta.

§. 5. Quod si forsan (quod absit) modus circa præmissa sic congruenter, salubriterque præscriptus in posterum excedatur, curæ erit Romanis Pontificibus successoribus, donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones, munerum, & officiorum, seu illorum stipendiorum, & emolumentorum concessiones, ac reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributiones, necnon collationes, commendas, concessiones, reservationes, & assignationes, aliaque præmissa contra, vel ultra modum, ut præfertur, præscriptum factas, seu facta, rescindere, revocare, & in nihilum redigere, ac ut præfertur, donata, elargita, concessa, collata, commendata, reservata, & assignata a Consanguineis, & Affinibus, sive veris, sive adlectis, & adscitis præfatis, eorumque Hæredibus, & successoribus respective, etiam manu regia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine vindicare, & auferre, ac Cameræ Apostolicæ applicare, & incorporare, aliisque respective conferre, commendare, concedere, & assignare, ac alias desuper opportune providere, seu disponere.

Si secus quid fiat, id successor Pontifex rescindat.

§. 6. Quia vero ægrotante Romano Pontifice nonnunquam contigit, ut Signaturæ gratiarum, quæ per *Concessum* fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex dum bene valebat, servare consueverat; statuimus, atque decernimus, ut ii, quibus ejusmodi Signaturas per Concessum a Romano Pontifice ægrotante, etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel alias quomodocumque committi contigerit, cujuscumque status, gradus, Ordinis, & Dignitatis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, nullas hujusmodi gratias signare, vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardinales, qui una cum signatore præfato coram ipsomet Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, earumdem gratiarum supplicationibus, sive minutis, aut Chirographis, aliisque concessionum Scripturis subscribant, alioquin quidquid secus actum, gestumve fuerit, nullum, irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti, & qui huic saluberrimæ sanctioni contravenerint ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ejus successoribus condignis pœnis puniantur.

Modus servandus in signandis gratiis per *Concessum* ægrotante Pontifice.

§. 7. Ut autem præmissa omnia, & singula perpetuo, & inviolabiliter observentur: volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut sicut ejusdem S.R.E. Cardinales in Romana Curia præsentes hanc Constitutionem quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus, etiam Romanis Pontificibus consentire, nec absolutionem a juramento præstito petere, nec oblatam, aut concessam acceptare promiserunt, & jurarunt, item quoque per absentes ab eadem curia dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quandocumque ad eam advenerint, ac per futuros Cardinales in assumptione Pilei promitti, & jurari debeat, promissioque, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungantur, & adscribantur. Occurrente autem quandocumque ejusdem Apostolicæ Sedis vacatione iidem Cardinales in Conclavi quando de observandis fel. rec. prædecessorum Nostrorum Julii PP. II. super electione Romani Pontificis, Pii PP. V. ne Civitates, & loca S.R.E. infeudentur, & Sixti PP. V. de pecuniis in Arce S. Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis Constitutionibus Apostolicis juramentum præstare solent, etiam de præsenti Constitutione per quemlibet eorum, qui Romanus Pontifex electus fuerit, inviolabiliter observanda, & postmodum ipse ad Supremi Apostolatus officium assumptus, post assumptionem hujusmodi hoc ipsum promittere, & jurare debeat, servatis etiam aliis omnibus, & singulis illis, quæ circa juramentum hujusmodi in præfata Sixti prædecessoris Constitutione Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo sexto, undecimo Kal. Maji Pontificatus sui Anno primo edita præscribuntur.

Hæc Constitutio confirmanda est juramento ab omnibus Cardinalibus, & Pontificibus.

§. 8. Has

item adjuncta aliis Constitutionibus, & publicanda.

§. 8. Has quoque nostras literas in libellum redigi, & post prædictas Julii, Pii, & Sixti, quæ in Conclavi legi solent, aliorumque prædecessorum nostrorum Constitutiones adjungi, & in quinterno Cancellariæ nostræ Apostolicæ una cum aliis Constitutionibus Apostolicis adscribi, & ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicari, ipsarumque præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud ubique haberi volumus, quæ iisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Constitutionis, Suppressionis, Abolitionis, Taxationis, Statutorum, Decretorum, Voluntatum, & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo. Decimo Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, promitto, voveo, & juro.



† *Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo, promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Fransonus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego P. Episcopus Prænestinus Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius, promitto, voveo, & juro.*

†

†

† *Ego F. Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Maidalchinus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Nicolaus Tit. S. Calisti Presbyter Cardinalis Acciajolus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Carpineus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Cæsar Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. de Estrees, promitto, voveo, & juro.*

†

†

† *Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Hieronymus Tit. S. Sylvestri de Capite Presbyter Card. Casanate, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Galeatius Tit. SS. Quirici, & Julitæ Presbyter Card. Marescottus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Fabritius Tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Spada, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego P. Thomas Hovardus Tit. S. Mariæ super Minervam, Presbyter Card. de Norfolcia, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Joannes Baptista Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. Spinula, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Fr. Laurentius Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbyter Card. de Laurea, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis de Angelis, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Marcus Antonius Barbadicus Tit. S. Susannæ Presbyter Card. S. Susannæ, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis de Gœssen, promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego P. Maria Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Petruccius, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Joseph Saens Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Leander Tit. SS. Nerii, & Achillei Presbyter Cardinalis Coloretus Major Pœnitentiarius, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Fortunatus Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Carafa, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Bandinus Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Panciaticus, promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presbyter Card. de Abdua, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Tussanus Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyter Cardinalis de Janson Forbin, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Jo. Baptista Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presb. Card. Rubinus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Jo. Baptista S. Anastasiæ Presbyter Card. Costagutus, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

†

†

† *Ego Urbanus S. Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis Sacchettus, promitto, voveo, & juro.*

†

†

†

† *Ego Fulvius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Astallius, promitto, voveo, & juro.*

†

†

† *Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Diaconus Card. Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego C. S. Mariæ in Cosmedin. Diaconus Cardinalis Bichius, promitto, voveo, & juro.*

†

† *Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Homodeus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Diaconus Cardinalis Barberinus, promitto, voveo, & juro.*

† *Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis, promitto, voveo, & juro.*

XVII.

Præscribuntur facultates, quæ competunt Majori Pœnitentiario, & quomodo âb eo exerceri debeant.

Non eadem semper fuit facultas Majoris Pœnitentiarii, uti constat ex Constitutionibus infra laudatis, videl. Pii IV. Const. ed. 1562. Maji 3. P. 3. Pii V. Const. ed. 1569. Apr. 28. P. 4. & Const. ed. 1569. Jun. 17. P. 4. Gregorii XIV. Constit. ed. 1591., Apr. 10. Urbani VIII. Const. ed. 1634. Septem. 17. P. 12. Et aliorum Pontificum. Hujus Pontificis Const. ed. 1692. 7. Idus Maji, P. 1. reformata fuit judicum facultas circa reditum homicidarum. Et Constit. edit. 1692. Novemb. 18. P. 2. revocata fuit facultas Tribunalium particularium.

Dat. 3. Sept. 1692. An. 2.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

ROmanus Pontifex omnium Christifidelium Pater, & Pastor, ejus, qui ut peccatores pretiosi sui Sanguinis profusione redemptos salvos faceret, semetipsum exinanivit, vices-gerens in Terris ad ea, per quæ sibi cælitus commissi gregis salutis uberius consulitur præcipuis debet, & indefessis studiis incumbere, sibique in Petro Apostolorum Principe attributam potestatem, qua infallibili Christi Domini Testimonio, quidquid solverit super terram, erit solutum & in Cœlis, per se, & respective per alios provida dispensatione exercere. Hujus considerationis intuitu Romani Pontifices Prædecessores Nostri Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio, & Majori Pœnitentiario quamplures, & amplas facultates concesserunt, illasque aliquando, in iis præsertim, quæ forum internum non concernebant, reformarunt, & quandoque ampliarunt, & immutarunt, prout rerum, & temporum circumstantiis, opportunitatibus, & vicissitudinibus attente pensatis, censuerunt in Domino salubriter expedire.

A Pio IV. reformata fuit auctoritas officii Pœnitentiariæ.

§. 1. Alias siquidem post antiquiores Officii hujusmodi status felic. record. Pius PP. IV. Prædecessor Noster Officiorum, & Tribunalium Romanæ Curiæ Reformationi Pastorali solicitudine intentus, ad ejusdem Pœnitentiariæ Officium, in quo morum censura, & animarum salus præcipue vertitur, considerationis suæ oculos direxit, habitaque desuper cum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ipsoque Majore Pœnitentiario, ac ejus Officialibus auditis, ac omnibus mature consideratis, de eorumdem Cardinalium consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens Major Pœnitentiarius, Regens, Correctores, Superiores, & Procuratores, ac alii quicumque ejus Officiales, & Ministri ab eorum omnium, quæ in tunc confectis capitulis, & prohibitionibus continebantur, & forum internum, seu pœnitentialem plerumque non respiciebant, concessione, & commissione penitus cessare, & abstinere deberent, per quasdam suas anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quinto Nonas Maji Pontificatus sui anno Tertio expeditas Literas auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit.

A Pio V. revocata fuit omnis auctoritas Pœnitentiariæ, ea excepta Minorum Pœnitentiariorum.

§. 2. Successive recol. me. Pius PP. V. etiam Prædecessor Noster tempus, & necessitatem, suique Instituti rationem postulare perpendens, ut in multis Romanæ Curiæ rebus novam deinceps formam proponeret, ejusmodi vero curam ipsum impensius solicitare, ut ad ea in primis incumberet, quæ salutem, & periculum respiciebant animarum, ac præfato Pœnitentiariæ officio initium capere, novamve illi pro futuris facultatem statuere volens, de Apostolicæ potestatis plenitudine omnem, & quamcumque ejusdem Officii, & Pœnitentiarii Majoris auctoritatem, Jurisdictionem, & potestatem ordinariam, & delegatam, ac omnia, & quæcumque privilegia, facultates, & indulta illis, cæterisque omnibus dictæ Pœnitentiariæ tunc existentibus Collegiis, & Personis ab ipsius Officii institutione per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos, ac seipsum, & Sedem Apostolicam, etiam Motu proprio, & ipsius certa scientia, deque prædictæ potestatis plenitudine tam in genere, quam in specie, ac de mandato speciali, & expresso etiam vivæ vocis oraculo emisso, & ex quibuscumque causis concessa, confirmata, ac etiam pridem a memorato Pio IV. Prædecessore reformata, restricta, & moderata, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restrictivis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & efficacioribus, ac etiam vim contractus inducentibus clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis suffulta, quorum omnium tenores haberi voluit pro expressis, quæcumque essent (potestate Minorum Pœnitentiariorum suorum, & ordinationibus de illis, eorumque statu tunc pridem editis Literis salvis, & integris remanentibus) revocavit, suppressit, & abolevit, & alias prout in ejusdem Pii V. Prædecessoris quarto Kalen. Maji Anno præfatæ Incarnationis millesimo quingentesimo sexagesimo nono, & Pontificatus sui quarto desuper expeditis Literis uberius continetur.

Ab eodem Pio V. instituta fuit nova forma Officii Pœnitentiariæ.

§. 3. Utque memoratus Pius V. Prædecessor habita de Ministrorum qualitate, numero, functionibus, & Officiis ratione explicata novam futuris formam de integro præscribere valeret, qua ipsum Pœnitentiariæ Officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis Officiis magis conveniebant, exoneratum, atque expeditum, deinde ea, quæ Animarum salutem præcipue concernebant, attentiore studio prosequeretur, quinto decimo Kalen. Julii ejusdem anni millesimi quingentesimi sexagesimi noni duas edidit Constitutiones, in quarum prima quæ incipit -- *In omnibus rebus*, Ministrorum qualitatem, numerum, functiones, & Officia in posterum ordinavit: In alia vero, quæ incipit -- *Ut bonus Pater familias*, Pœnitentiariæ hujusmodi Officium nonnullis ibidem relatis facultatibus dumtaxat, quas pœnitentialis muneris maxime proprias, ac egentium Christifidelium remedio accommodatas censuit, communivit.

A d. Pio, & Gregor. XIV multoties ampliata fuit Pœnitentiariæ auctoritas.

§. 4. Deinde nihilominus idem Pius V. Prædecessor, ejusque Successores Romani Pontifices quampluribus vivæ vocis oraculis, & piæ mem. Gregorius Papa XIV. pariter Prædecessor Noster etiam suis in forma Brevis die decima Aprilis anni millesimi quingentesimi nonagesimi

primi expeditis Literis, reformatas, ut præfertur, memorati Officii facultates multoties ampliarunt, & extenderunt.

Ab Urb. III. iterum formata it auctori- Pœniten- riæ.

§. 5. Verum hujusmodi facultatibus valde, ut præfertur, multiplicatis, & adductis; similis memoriæ Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor Noster memoratorum Pii IV., & Pii V. Prædecessorum vestigiis inhærens, per suas die decima septima Septembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi quarti Pontificatus sui Duodecimo in forma Brevis pariter expeditas Literas, prævia, quoad inibi descripta capita, quarumcumque facultatum, seu Indultorum, ac vivæ vocis oraculorum desuper concessorum, & aliter emanatorum, quæ iisdem Literis adversarentur, revocatione, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuit, & ordinavit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Major Pœnitentiarius, & ejusdem Pœnitentiariæ Regens, cæterique ejus Officiales, & Ministri pro tempore existentes, a particularium casuum, & negotiorum inibi expressorum concessione, commissione, & expeditione, quæ alias nullæ essent eo ipso, penitus cessare, & abstinere deberent.

Ab aliis ntificibus stea amata, & derata t d. aucto- Causæ hu- Constitu- nis.

§. 6. Adhuc tamen, & post hujusmodi particularem reformationem alia Romanorum Pontificum ad hæc usque tempora vivæ vocis oracula facultates hujusmodi ampliantia, & respective moderantia supervenerunt.

§. 7. Hinc nos Animarum saluti, & facultatum unicuique Officio, & Tribunali competentium ordini, & distinctioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, ac propterea Literarum Apostolicarum, & vivæ vocis oraculorum præfatorum multiplicitatem, varietatem, & immutationes sedula meditatione pensantes, nostræ Pœnitentiariæ, ac Majoris Pœnitentiarii facultates, seligere, & selectas, cæteris exclusis compilare, & in unum redigere decrevimus, ut quousque facultates hujusmodi extendantur, ac quomodo, & in quibus casibus exerceri possint, & debeant, certe, prompte, & distincte sub unica, & omnium comprehensiva sanctione innotescant.

irmantur ites au- ritatis nitentia-

§. 8. Omnium itaque, & singularum Literarum, & oraculorum hujusmodi, ac aliarum, & aliorum quæcumque sint, & si quæ sint, tenores pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ac salvis, & in suo robore, & statu permanentibus iis, quæ in altera ex præfatis ejusdem Pii V. Prædecessoris Constitutionibus incipien. - *In omnibus* super Ministrorum Pœnitentiariæ præfatæ qualitate, numero, functionibus, & officiis ordinata fuerunt, ac etiam salva semper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanorum Pontificum in quibuscumque particularibus casibus tametsi per præsentes nostras literas non concessis, imo prohibitis, consulendi; itaut ipsi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis speciali mandato desuper vivæ vocis oraculo sibi facto procedere asserenti, indubia fides debeat adhiberi; Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine infrascriptas tantum facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui sequitur modum exerceri posse hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, statuimus, atque decernimus.

oncedi- Majori itentia- lena fa- s absol- i ab om- s culpis, nsuris in ue foro lares vero in isdam

§. 9. Nostro itaque, & pro tempore existenti Majori Pœnitentiario concedimus, ut omnes, & singulos cujuscumque qualitatis, dignitatis, & gradus Ecclesiasticos Sæculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti Regulares, necnon Laicos quoscumque utriusque sexus tam præsentes, quam absentes, ab omnibus, & quibuscumque culpis, criminibus, & excessibus quantumcumque gravibus, & enormibus tam publicis, quam occultis quandocumque, & quomodocumque commissis, & perpetratis, necnon ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis præmissorum occasione latis, & per illos incursis, etiam in casibus nedum Superioribus Regularibus, & Ordinariis, sed etiam nobis, & Sanctæ Sedi specialiter, ac etiam per literas, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reservatis, injuncta semper iisdem pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ fuerint de jure injungenda absolvere, & absolvi mandare possit, & valeat. Regulares nimirum, a culpis, & censuris præmissis in utroque foro, & Ecclesiasticos Sæculares, necnon Laicos a prædictis culpis, & censuris in Foro conscientiæ tantum. Eosdem vero Ecclesiasticos Sæculares, necnon Laicos tunc in utroque Foro absolvere, & absolvi mandare possit, quando agitur de excommunicatis, & suspensis a Sententia generali, vel speciali delegatorum, aliorumque Judicum, quorum Jurisdictio expiraverit, seu etiam de illis, quorum absolutio per eosdem Judices, aut alios fuerit ad Romanum Pontificem, & ad dictam Sanctam Sedem remissa, seu pariter de iis, qui legitimo impedimento detenti præsentiam Judicum, vel illorum, qui eos excommunicarunt, aut suspenderunt, aut alium, seu alios adire non potuerunt.

casibus sub certis conditionibus.

§. 10. Ita tamen, ut prædicti a censuris ab homine latis, seu declaratis in utroque Foro, ut præfertur, absolvendi, in suis congruis casibus respective judicato paruerint, & parti satisfecerint, vel quamprimum potuerint, alioquin in easdem censuras reincidant, satisfaciant: Eadem vero parte oblatam convenientem satisfactionem, quæ tamen in Sententiis, seu Decretis individuata non sit, irrationabiliter recusante, possit Major Pœnitentiarius Judicis, coram quo censurarum causa pendet, conscientiæ remittere, ut convenientem satisfactionem arbitretur, illaque per reum oblata, & per aliam partem irrationabiliter recusata, valeat adhuc firma remanente hujusmodi oblatione ad absolutionem procedere.

De petentibus Romam causa consequendi Indulgentias, vel absolutionem.

§. 11. Romam quoque advenientes ab omnibus per quemcumque Judicem, vel alias quomodocumque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, seu alibi promulgatis, & in eadem Curia notoriis censuris, ad effectum dumtaxat, ut indulgentias, Sacra Urbis Loca Pia, ac religiose invisentibus concessas libere, & licite consequi valeant, itaut simul ac indulgentias præfatas consequuti fuerint, iisdem, quibus antea censuris constricti teneantur, absolvere, & absolvi mandare possit, & valeat. Quodsi censuris ab homine nominatim ligati pro absolutione Romam advenerint, sed pro illa obtinenda fuerint ad eorum Judices remissi, & probabile mortis periculum in itinere pertimescunt, poterit Major Pœnitentiarius ad congruum tempus ab ipso pro hujusmodi itinere agendo arbitrandum, sub conditione, si hujusmodi periculum immineat, & cum reincidentia, si præfati idem periculum evaserint, in Foro conscientiæ tantum absolvere, & absolvi mandare.

De Principibus, & Prælatis.

§. 12. Nequeat tamen in ullis casibus publicis, qui in præfatis literis die Cœnæ Domini legi consuetis continentur, etiamsi Sedes Apostolica tunc vacaret, aut Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset Principes, & alios Jus Imperii etiam Vicario nomine habentes, ac dominia, & Respublicas, seu Personas illorum, & illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios Superiores, Prælatos absolvere, & absolvi mandare.

De iis, qui agunt de electione Rom Pontificis.

§. 13. Minusque possit etiam in occultis, etiam in Foro conscientiæ tamquam S. R. Eccles. Cardinales, & alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui vivente Romano Pontifice de quopiam eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitus, aut pactiones fecerint, seu Sede Apostolica vacante in censuras, seu pœnas in fel. recor. Gregorii Papæ XV., & præfati Urbani VIII. etiam Prædecessorum nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, decimo septimo Kalen. Septembris anno Incarnationis millesimo sexagesimo vigesimo quinto respective emanatis Literis contentas, quomodolibet inciderint, absolvere, & absolvi mandare.

De Astrologis judiciariis.

§. 14. Nec pariter possit etiam in occultis etiam in Foro conscientiæ tantum eos cujuscumque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, qui astrologia judiciaria, vel alias per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, inquirentes, ejusdem Urbani Prædecessoris Pridie Kalen. Aprilis anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo trigesimo primo contra illos editis literis contravenerint, absolvere, & absolvi mandare.

De Violatoribus Immunitatis Ecclesiasticæ.

§. 15. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in Judicium non deductis violatæ Immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

De Apostatis, & hæreticis occultis.

§. 16. Eos tantum Hæreticos in Foro conscientiæ dumtaxat, absque alia abjuratione coram Ordinario, aut Inquisitore facienda, absolvat, seu mandet absolvi, qui cum nemine de suis hæresibus loquuti sunt, & omnino sunt occulti, etiamsi aliquos extrinsecos actus fecerint, ex quibus argui potuissent hæretici. Dummodo tamen ad eosdem actus quamvis de sui natura noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, quantum ipsi sciant, & prout credunt, nullus advertit; Apostatas quoque a Fide Catholica, & Hæreticos in eodem Foro conscientiæ dumtaxat absolvat, seu absolvi mandet in iis solum casibus, in quibus necesse non est complices denunciare; quando nimirum iidem complices mortui, seu ex Regionibus palam infectis sunt, & in illis degunt; non tamen quando Complices Itali, vel Hispani, seu ex illis Regionibus essent, in quibus Inquisitionis Sancti Officii auctoritas viget: omni alia facultate ab hæresi, vel apostasia hujusmodi absolvendi in cæteris, præterquam in casibus, in quibus S. Inquisitionis Officium ad Majorem Pœnitentiarium absolvendos remitteret, interdicta.

De recipientibus munera a Regularibus.

§. 17. Munera a Regularibus contra recolen. mem. Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri anno Incarnationis præfatæ 1594. Tertiodecimo Kalen. Julii editam Constitutionem ultra valorem decem scutorum monetas, recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi; Infra vero prædictum valorem, nonnisi facta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii; seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi.

De infringentibus Clausuram Monialium.

§. 18. Moniales, & quascumque Personas, quæ in casibus publicis clausura earumdem Monialium ad malum finem violaverint, & respective ausæ fuerint violare, non absolvat, nec mandet absolvi, nisi in casibus, in quibus ipsi Episcopi, seu Ordinarii pro ipsis delinquentibus supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium propositam deducti non fuerint.

De Confessariis Monialium.

§. 19. Confessarios Monialibus nullatenus concedat, & Capuccinos in illis regionibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent, in Confessarios non deputet.

De irregularibus ob quodcumque delictum.

§. 20. Ad hæc super quacumque irregularitate, & inhabilitate ex quocumque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocumque defectu provenientes in casibus tamen occultis, & in Foro conscientiæ tantum, prævia in gravioribus casibus matura discussione facienda in Pœnitentiariæ Signatura, dispensare, vel dispensari mandare possit tam cum Ecclesiasticis Sæcularibus, quam cum Laicis respective, cum quibus expediens videbitur, ut Ordinibus initiari, & susceptis etiam Sacris, & Presbyteratus Ordinibus ministrare, & ad Superiores conscendere, ac dignitates etiam Cathedrales, & Metropolitanas, ac quæcumque Beneficia Ecclesiastica quandocumque ante dispensationem alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, necnon hujusmodi Beneficia, & dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu), Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, etiam post delictum assequi valeat.

De irregularibus ob hæresim, vel Apostasiam.

§. 21. Cum Hæreticis, & Apostatis a Fide Catholica, quando hæresis, & apostasia hujusmodi nullatenus est propalata, & casus gravitas non suadet, Pœnitentes ad S. Inquisitionem remittendos esse super quacumque irregularitate, inhabilitate, & infamia exinde contracta, tam ad Ordines, sive susceptos, sive suscipiendos, quam ad Beneficia dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

De ordinatis per saltum.

§. 22. Cum male promotis occultis, non obstante ejusdem memor. Sixti Papæ V. etiam Prædecessoris Nostri anno Incarnationis prædictæ millesimo quingentesimo octogesimo nono Nonis Januarii edita Constitutione, & signanter cum promotis per saltum etiam prætextu licentiarum de promovendo extra tempora, vel non servatis interstitiis, vel sine literis Dimissorialibus proprii Ordinarii, non dispenset, nisi in Foro conscientiæ, quando periculum adesset gravium scandalorum; tunc enim possit in forma Pœnitentiariæ consueta dispensare, ut scilicet omissos Ordines secrete recipiant a quolibet Catholico Antistite gratiam, & communionem cum Sede Apostolica habente, & tunc, & extra tempora, & non servatis interstitiis, & absque præfatis Dimissoriis.

De simoniace ordinatis.

§. 23. Cum promotis ad Sacros Ordines, qui Simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint dispensare, & dispensari mandare possit in occultis dumtaxat, & in Foro conscientiæ tantum, cum clausula monitis monendis, & injuncta gravi pœnitentia, ac re præsertim discussa in Signatura.

De dispensationibus, seu convalidationibus titulorum.

§. 24. A dispensationibus, seu convalidationibus titulorum, etiam in Foro conscientiæ tantum, etiam in occultis casibus abstineat, cum agitur de Simonia reali scienter contracta, & de Beneficiis, super quibus contracta est ipsa Simonia; At si illa contracta fuisset ignoranter, etiam ignorantia Juris inculpata, possit Major Pœnitentiarius in occultis, & in foro conscientiæ tantum dispensare, & beneficiorum post Simoniam obtentorum titulos convalidare, modo Orator de eadem Simonia certior factus quamprimum commode potuerit, petierit dispensationem omni alia facultate in cæteris Simoniæ casibus, & præsertim publicis, interdicta.

§. 25. Titulos Beneficiorum in concursu obtentorum in Foro conscientiæ tantum in occultis convalidare possit, quando tamen inha-

bilitas

bilitas provenit ex aliqua censura, vel quia illa irretitus impetrans administravit.

De compositione, & condonatione fructuum.

§. 26. A convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, infra præfinitum tempus munus consecrationis non susceperint.

§. 27. A compositione pariter, & condonatione fructuum Beneficialium, & Ecclesiarum Episcopalium, ac etiam distributionum quarumcumque quovis modo male perceptorum in casibus non occultis abstineat; In occultis vero possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus componere, vel etiam condonare, injuncta eisdem pœnitentibus erogatione eleemosynæ ipsius Majoris Pœnitentiarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem, videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum personis discrete compositionem concedere, & ea mediante fructus condonare, pecuniis exinde exactis receptori emolumentorum Datariæ Nostræ integraliter consignatis: Pauperibus tamen, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta eleemosyna modo supradicto, quæ nihilominus sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent, fint, & censeantur ordinata.

De irregularitate Regularium.

§. 28. Cum Regularibus autem super irregularitate quorumcumque Criminum quandocumque perpetratorum, vel incursus in censuras occasione, vel quia iidem sic ligati suos Ordines, non tamen in contemptum clavium, exercuerunt, aut illis se immiscuerint, seu aliter quomodolibet contracta, ut eadem irregularitate, & quibuscumque aliis defectibus non obstantibus, susceptis Ordinibus, & eorum Privilegiis uti, ac in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, & Ordines non susceptos suscipere, & in iisdem similiter etiam in Altaris ministerio ministrare; necnon quæcumque, quotcumque, & qualiacumque suorum Ordinum, & Congregationum alioquin canonice obtenta Officia, Beneficia Regularia, munia, præeminentias, Dignitates, & Prælaturas, etiam majores, & principales, retinere, & exercere, necnon eadem, seu easdem (non tamen Generalatum) ad quæ, seu quas in futurum canonice, & juxta eorumdem Ordinum, & Congregationum Regularia Instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere, & libere exercere etiam licite valeant, dispensare, eosque in pristinum, & ad eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, & ad vocem activam, & passivam restituere, reponere, & plenarie reintegrare, & pœnas illis gratiose remittere, & condonare, necnon pro majori absolutionum, & dispensationum præfatarum firmitate quibusvis Constitutionibus, Ordinationibus, Statutis, & Privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, Major Pœnitentiarius præfatus possit, & valeat.

§. 29. Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus occultis in Foro conscientiæ tantum; in publicis vero casibus in utroque Foro, auditis tamen, & supplicantibus Superioribus, bonumque testimonium de ipsis Regularibus ferentibus, gravata in iis eorumdem Superiorum conscientia, & matura circumspectione semper adhibita, cum iisdem Regularibus, ut præfertur, dispensare, & dispensari mandare valeat.

De homicidis, Bannitis, aliisque.

§. 30. Cum homicidis, Bannitis, aliisque delinquentibus, qui memorati Sixti Prædecessoris an. Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo Sexto Kalendas Decembris expeditis literis Religionem ingredi, & in ea professionem emittere inhabilitantur, si expedire videbitur, habilitare, & habilitari mandare, & cum iis, qui homicidia voluntaria commiserint, ut etiam uti Clerici aliquam ex approbatis Religionibus ingredi, ibique profiteri, in utroque Foro, quando sic expedire videbitur dispensare, & dispensari mandare valeat, ea tamen lege, ut sic habilitandi, seu dispensandi Fiscum, & Partem prius concordaverint, & professionem emittant, nec ante professionem hujusmodi in susceptis ordinibus ministrare, nec ad Superiores Ordines ascendere possint.

De Apostatis, Religiosis, & transeuntibus ad aliam Religionem.

§. 31. Quoad Apostatas, & transitum Regularium de una ad aliam Religionem, citra aliquam innovationem interim faciendam, an, & quales facultates Majori Pœnitentiario remanere, reformari, seu concedi conveniat, de nonnullorum S. R. E. Cardinalium desuper a Nobis deputatæ Congregationis consilio suis loco, & tempore decernemus.

De Matrimoniis contrahendis.

§. 32. In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius in Foro conscientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare. At a dispensationibus super quocumque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in Foro conscientiæ tantum tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.

De Matrimoniis contractis.

§. 33. In contractis vero Matrimoniis a dispensatione, seu Matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis pariter abstineat, præterquam si in hujusmodi secundo tantum gradu impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & Oratores simul publice contraxerint, & conjunxerint, & uti Conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis possit dispensare, ac & in iisdem tertio, & quarto gradibus publicis revalidare Matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ literarum Apostolicarum, præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat.

De Dispensationibus, & compositionibus Datariæ pro Matrimoniis.

§. 34. Quod si Oratores, qui obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito tam in primo, & secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto tacita copula inter eos secuta, quam sine honoris detrimento detegere non valent, & ratione hujusmodi taciturnitatis petant dispensationem pro Matrimonio contrahendo, seu revalidationem Matrimonii contracti, possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in Foro conscientiæ tantum concedere, facta quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam hæc gratia absque ulla compositione similiter expediatur.

§. 35. Si vero Oratores, qui obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius habendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis recurrant ad dictam Pœnitentiariam, possit idem Major Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus se uti tales & sub illa expressa qualitate, & forma misera-

bilium

bilium dispensationes a Dataria obtinuisse; Cum iis vero, qui non tanquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti Illustres, fuerint similiter ab eadem Dataria dispensati, idem Major Pœnitentiarius non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa cum Datario pro tempore existente concordanda. Quod si supplicantes sint pauperes, itaut vere, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere nequeant, præfatus Major Pœnitentiarius insimul cum eodem Datario opportune provideat.

De impedimento affinitatis ex copula illicita.

§. 36. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in Matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in Foro conscientiæ tantum; quoties vero affinitas hujusmodi post contractum Matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiæ Foro dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

De impedimento criminis adulterii.

§. 37. Super occulto impedimento criminis Adulterii, si fuerint cum fide data dumtaxat neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis quam contractis Matrimoniis dispensare; Si vero crimen hujusmodi fuisset utroque, vel altero machinante patratum, possit dispensationem concedere, raro tamen, & quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

De pluralitate impedimentorum, & prole.

§. 38. Declaramus tamen, quod facultates præfatæ a nobis majori Pœnitentiario, & ejusdem Pœnitentiariæ Officio concessæ circa dispensationes Matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta hujusmodi multiplicia sint quacunque, & quantacumque multiplicitate, volentes in Literis hujusmodi dispensationum Matrimonialium posse prolem, ubi opus erit, sive susceptam, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiæ tantum, legitimam decernere, necnon apponi clausulam *Nulli &c.* prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Pœnitentiaria servare consuevit.

De Votis simplicibus.

§. 39. Vota simplicia quæcumque quomodolibet emissa, tametsi privato juramento confirmata, etiam castitatis, Religionis, visitationis liminum Sanctorum Petri, & Pauli de Urbe, Sepulcri Dominici, & S. Jacobi de Compostella, possit idem major Pœnitentiarius in alia pietatis opera commutare, votorum implementum differre, ab illorum transgressionibus absolvere, & cum iis, qui Matrimonium contrahendo votum castitatis transgressi sunt ad licite debitum conjugale petendum dispensare, & respective commutari, differri, absolvi, & dispensari mandare semper in foro conscientiæ tantum possit, & valeat, consideratis causis commutationum, dilationum, absolutionum, & dispensationum hujusmodi, & adjectis clausulis, quæ opponere, iisque injunctis, quæ injungere hactenus Pœnitentiaria laudabiliter consuevit.

De Divino Officio.

§. 40. Super recitatione divini Officii, seu horarum canonicarum propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem cum commutatione in alias preces, vel orationes, seu illarum injunctione facultatem habeat dispensandi.

De juramento.

§. 41. Juramenta quæcumque, in quibus exploratum erit, nullum cujusquam agi præjudicium, facultatem habeat in foro conscientiæ dumtaxat relaxandi.

De rebus male ablatis.

§. 42. Quoad male ablata, vel retenta, quando Domini sunt incerti, & casus sunt occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare, vel remitti, seu condonari mandare possit; residuum vero pauperibus, vel in pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata, extorta, seu usurpata sunt, distribui, seu converti mandet.

De Dotibus Virginum.

§. 43. Cum puellis, quæ Virgines non sunt, & dotes petunt, seu obtinuerunt a Confraternitatibus, aut aliis locis, vel dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illis Virginibus tantum dent, seu distribuant, in occultis, & in foro conscientiæ tantum, quatenus illæ inposterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi.

De dubiis.

§. 44. Dubia in materia peccatorum, seu forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum valeat declarare.

De Commissionibus.

§. 45. Commissiones majoris Pœnitentiarii, etiamsi committens, illis nondum præsentatis, re integra desinat quomodocumque Pœnitentiarius existere, non expirent.

De Apostolica Sede vacante.

§. 46. Sede Apostolica vacante major Pœnitentiarius, ejusque Officiales ea tantum facere, & expedire valeant, quæ ad forum conscientiæ pertinent, in reliquis eorum Officium conquiescat, & a quibuscumque Matrimonialibus, & aliis dispensationibus, ac absolutionibus, & declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

De Procuratoribus, & Scriptoribus Pœnitentiariæ.

§. 47. Quotiescumque Procuratores, & Scriptores Pœnitentiariæ secretæ aliqua mala valetudine detinentur, vel ex aliqua legitima causa major Pœnitentiarius expediens judicaverit, possit alios in eorum locum durante infirmitate, seu causa subrogare, seu substituere præstito solo juramento, & cum iisdem obligationibus, quibus alii Procuratores, & Scriptores titulati adstringuntur.

De Minoribus Pœnitentiariis.

§. 48. Nullus minor Pœnitentiarius trium Basilicarum Urbis possit admitti, seu recipi ad Officium, nisi prius a majori Pœnitentiario, ac Pœnitentiariæ Congregatione, seu Signatura fuerit examinatus, & approbatus, & postquam admissus fuerit, nequeat sine ejusdem licentia discedere, seu dimitti, idemque servetur quoad minores Pœnitentiarios Lauretanos, quibus, & aliis supradictis major Pœnitentiarius possit facultatem ad libitum concedere, & restringere, & quorum examen possit in absentia etiam Episcopo in partibus sibi beneviso, committere.

De adeuntibus Pœnitentiarium Majorem.

§. 49. Omnibus Christifidelibus, qui ex veteri, & laudabili Instituto Pœnitentiarium majorem munere suo statutis diebus in hebdomada majori solemni ritu fungentem pie, reverenterque adierint, seseque pœnitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxandi perpetuam facultatem eidem majori Pœnitentiario confirmamus, & quatenus opus sit de novo concedimus.

Clausulæ.

§. 50. Decernentes præsentes Literas, etiam ex eo, quod major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Regens, & Officiales prædicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis legitima, & juridica de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & a majori Pœnitentiario, Regente, & Officialibus prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fun-

gentes,

gentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & diffiniri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 51. Non obstantibus præmissis, & aliis quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & Literis Apostolicis ejusdem Pœnitentiariæ Officio, illiusque majori Pænitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & alias quomodolibet per prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac etiam nos concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis.

§. 52. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 53. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum compilationis, concessionum, prohibitionum, Decretorum, Statuti, voluntatis, declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, tertio nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

VIII. Extenditur senarius numerus Magistrorum Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Mexicanæ Provinciæ ad duodenarium.

Idem factum legitur pro Provincia Bœtica Constit. ed. 1692. Febr. 2. P. 1. Et Clem. XI. Constit. ed. 1710. Maji 20. P. 10. pro Provincia Chilien.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

28. Sept. An. 2.

Numerus Magistrorum ... us fuit a ... itulo ... er. 1685.

CUm sicut dilecti filii Prior Provincialis, & Diffinitores Provinciæ Mexican. in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini nobis nuper exponi fecerunt, Capitulum Generale dicti Ordinis anno 1685. in alma Urbe nostra celebratum senarium Magistrorum numerum in Provincia prædicta, benedicente Domino, multum Terris diffusa usque ad duodenarium extendendum esse censuerit, si nostra, & hujus Sanctæ Sedis facultas desuper accederet, similis vero extensio numeri Magistrorum pro Peruana, & Bœtica Provinciis ejusdem Ordinis in dicto Capitulo Generali facta a fel. rec. Innocentio XI., & Alexandro VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris per quasdam eorum in simili forma Brevis literas die 22. Januarii 1688., & die 21. Januarii 1690. respective expeditas approbata, & confirmata fuerit, nobis propterea Exponentes præfati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi pariter in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Preces Provinciæ.

§. 1. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero senarius dictæ Provinciæ Mexicanæ Magistrorum numerus ad duodenarium, servata tamen in reliquis quoad promovendos ad Magisterii gradum formam per Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones, necnon specialia ipsius Provinciæ Mexicanæ Decreta, & consuetudines præscripta, augeatur auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, & indulgemus. Extensio prædicta.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostoli Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus rec. mem. Sixti V., & Clementis VIII. Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum de senario Magistrorum numero, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ Mexicanæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCXCII., Pontif. nostri Anno Secundo.

XIX. Declaratur Statutum Ordinis Carthusien. Priori Carthusiæ factum non egrediendi a terminis suæ Eremi.

Ab Inn. XI. confirmata fuit nova Collectio Statutorum Const. ed. 1688. Mar. 27. P. 12. hujus Pontificis Const. ed. 1692. Apr. 11. P. 1. extat Decretum Congreg. particularis super quadam causa. Et

Const. ed. 1698. Jul. 25. Pont. 8. confirmatur Constitutio Julii II. pro pace servanda.

Dat. 4. Nov. 1692. An. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cælitus pastoralis sollicitudinis munere ad ea peculiares vigilantiæ nostræ curas libenter convertimus, quæ prospero Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, gubernio ac illorum statui, & quieti conducibilia fore in Domino arbitramur.

Declaratio Capituli Gener. excipientis nonnullos casus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Carthusien., quod tametsi alias Capitulum Generale Ordinis nonnulla statutorum ipsius Ordinis auctoritate Apostolica nuper confirmatorum verba, quibus exprimitur, quod Prior Carthusiæ, nunquam terminos Eremi suæ egreditur, ita declaraverit, ut sub illis urgentes necessitates non comprehendantur, nihilominus, quia aliquando, ac præsertim his calamitosis temporibus contingere potest, ut ipsius Carthusiæ, & aliæ ei vicinæ Domus dicti Ordinis, inter quas tria Monasteria Monialium numerantur, tam gravibus periculis, & damnis obnoxiæ reperiebantur, ut illis non aliter, quam per egressum dicti Prioris ab Eremo prædicta, ejusque personalem assistentiam occurri possit, ipse Procurator Generalis, ut quævis de cætero hac in re controversiarum, & quæstionum occasio penitus præcidatur, peculiari desuper paternæ charitatis, ac prudentiæ nostræ præsidium accedere plurimum desiderat. Nobis propterea dilecti etiam filii moderni Prioris Carthusiæ hujusmodi nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gener., & Prioris Carthusiæ.

§. 2. Nos igitur Priorem, & Procuratorem Generalem prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum consilio, imminentia pericula bellorum, seditionum, tumultuum popularium, & morborum pestiferorum, necnon incendia, ruinas ædificiorum, aliosque graves, & insolitos casus, sive in ipsius Carthusiæ domo, sive in ejus Grangiis a prædicta domo ultra duas dietas non distantibus quandocumque eventuros, quibus non aliter, quam per ipsius moderni, ac pro tempore existentis Prioris Carthusiæ hujusmodi præsentiam provideri valeat, sub prohibitione egressus ab Eremi suæ terminis eidem Priori per statuta supradicta, sicut præmittitur, facta, minime comprehendi; præterea nec etiam sub prohibitione hujusmodi gravium, & urgentium necessitatum casus, qui aliquando in tribus Monasterii Monialium dicti Ordinis eidem Domui, ut præfertur vicinis contingere possunt, comprehendi, itaut illis opportune occurrendi gratia dictus Prior, de consensu tamen Capituli generalis ipsius Ordinis, ad tempus ad id necessarium dumtaxat terminos supradictos egredi libere, & licite, ac absque ullo conscientiæ scrupulo, aut pœnarum per statuta prædicta quomodolibet impositarum incursu possit, & valeat auctoritate prædicta tenore præsentium declaramus.

Declaratio Pontificia excipiens novos alios casus sub certis conditionibus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die IV. Nov. MDCXCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XX.

Confirmantur quædam Decreta Diffinitoriorum, & Capitulorum Generalium pro pace utriusque Congregationis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum.

Const. ed. 1692. Octob. 11. Pont. 2. leguntur Decreta Prioris generalis pro studiis. Const. ed. 1693. Januar. 2. P. 2. extat Decretum Capituli Gener. pro alternativa in Provincia Castellæ. Et Constitut. ed. 1694. Feb. 9. P. 3. declaratur quoddam Breve circa Superiores Monialium Excalceatorum.

Dat. 22. Nov. 1692. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

In præd. Decretis instituitur communicatio inter Congregationes Hispaniæ & Italiæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Procuratores Generales utriusque Congregationis Fratrum Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, quod non modo ad mutuam charitatem inter Religiosos ipsarum Congregationum, verum etiam Regularem observantiam invicem confovendam, primo quidem in Hispaniæ mense Septembr. 1690. & Italiæ Congregationum prædictarum die 12. Januarii 1691. Diffinitoriis Generalibus, subinde vero in primodictæ 5. & 13. diebus Maii dicti anni 1691. in secundo dictæ Congregationum hujusmodi die 7. mensis Maii proxime præteriti respective celebratis Capitulis Generalibus pariformiter deliberatum, decretum, ac ordinatum, & hinc inde acceptatum fuit, ut quandocumque, & quomodocumque, sive cum debita licentia, sive sine ea, & ex quacumque causa, ratione, aut prætextu contingeret Religiosum, seu Religiosos unius ex dictis Congregationibus ad locum, seu loca intra terminos alterius Congregationis hujusmodi existentia pergere, divertere, transire, aut commorari, ita pergentes, divertentes, transeuntes, aut commorantes benigne tractarentur, ac hospitio exciperentur, necnon Superiorum, seu Prælatorum illius Congregationis, intra cujus terminos reperirentur, jurisdictioni, & obedientiæ in omnibus, & per omnia subjacerent, & subessent, ac ad omnes hujus Congregationis observantias, & Constitutiones tenerentur perinde acsi ejusdem Professores existerent, itaut illius Superiori tanquam proprio obedire, ejusque directioni, gubernio, visitationi, correctioni, & punitioni subjacere tenerentur; ipse vero

Superior etiam per formalia præcepta illis jubere, & eosdem dirigere, gubernare, visitare, corrigere, & punire, etiam per censuras, & contra eos juxta casuum contingentiam ad sententias, & pœnas in illius Congregationis, cujus ille Superior esset, Constitutionibus præscriptas procedere posset, adeout Professores dictæ Congregationis Hispaniæ intra terminos Congregationis Italiæ supradictæ reperti, perinde acsi de Congregatione Italiæ hujusmodi essent, e contra verò Professores dictæ Congregationis Italiæ intra terminos supradictæ Congregationis Hispaniæ pariter reperti, perinde acsi de dicta Congregatione Hispaniæ essent, tam in favorabilibus, quam in odiosis (non tam quoad Superioritates, & officia) respective haberentur, alerentur, & tractarentur conventione inter ipsas Congregationes facta ita observandi, & observari faciendi, necnon jurisdictione vicissim communicata, seu translata, & communicatam, seu translatam vicissim pariter acceptata, & alias prout in eorumdem Diffinitoriorum, & Capitulorum Generalium Decretis desuper emanatis uberius dicitur contineri.

Preces Procuratorum Generalium. §. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in iisdem Diffinitoriis, & Capitulis Generalibus pro præmissorum omnium validitate, & firmiori subsistentia ulterius statutum fuerit, ut illorum confirmatio ab hac S. Sede impetranda esset: nobis propterea Exponentes præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio praed. Decretorum. §. 2. Nos igitur specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ordinationes præfatas in Diffinitoriis, & Capitulis Generalibus utriusque Congregationis hujusmodi factas, ut præfertur, emanataque desuper Decreta supradicta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationum, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XX. Novemb. MDCXCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXI.

Conceduntur Indulgentiæ perpetuæ utriusque sexus personis Ord. S. Francisci de Observan. necnon Christifidelibus Societatum in illorum Ecclesiis erectarum.

Aliæ Indulgentiæ extant Inn. XI. Const. ed. 1687. Jan. 22. Pont. 11. Et hujus Pontificis Const. ed. 1695. Aug. 18. Pont. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 14. Dec. 1692. An. 2.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad ea, per quæ Animarum Christifidelium salus procuratur libenter intendimus, & eorumdem Christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cælestium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus.

Preces Diffinitoris Gen. & Procuratoris Ultramontani. §. 1. Itaque de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti Filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Diffinitoris Generalis necnon Missionum pro familia ultramontana dicti Ordinis Procuratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, & aliis utriusque sexus personis Ordinum, & Congregationum obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis ejusdem Ordinis nunc, & pro tempore subjectis, ac etiam Christifidelibus Confratribus, & Consororibus quarumlibet Confraternitatum, & Societatum, sive sub Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, sive sub alio quolibet titulo, seu Invocatione tam hactenus in eorumdem Fratrum, & Monialium Ecclesiis canonice erectarum, quam in posterum canonice erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi Mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrandem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii Animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus. Insuper quod Fratres, & Moniales, ac utriusque sexus personæ hujusmodi orationi mentali, sive (ut dicitur) *Viæ Crucis exercitio*, ad quam, seu quod ratione eorum Regulæ, & Constitutionum quolibet die tenentur, operam dantes, prædictas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & consequi possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio Indulgentiæ. — 100. dierum. — Plenariæ per modum suffragii. — Nova concessio præd. Indulgentiarum.

Clauſulæ.

§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, & ſigillo Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis vel alterius Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die XXIV. Dec. MDCXCII. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

XXII.

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum pro Alternativa in Provincia Caſtellæ.

Conſt. ed. 1692. Nov. 22. P. 2. reperiuntur Decreta Capitulorum General. pro pace utriuſque Congregationis, Conſt. ed. 1694. Feb. 9. P. 3. declaratur quoddam Breve circa Superiores Monialium Excalceat. Regni Franciæ. Et Clem. XI. Conſt. ed. 1701. Novem. 24. P. 2. extat Decretum Card. Protectoris circa erectionem Confraternitatum, & diſtributionem Scapularium pro Congregatione Hiſpaniæ Excalceat.

Dat. 2. Jan. 1693. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis noviſſime celebrato ad religioſam pacem ob varias lites in Provincia Caſtellæ ejuſdem Ordinis, quippe quæ in duas partes, nempe in veterem & novam dividitur, exortas haud parum conturbatam, firmiter ſtabiliendam, necnon ad ipſius Provinciæ inſtantiam quædam Alternativa quo ad officia Provincialatus, & ſocii ejuſdem Provinciæ inter partes præfatas de cætero ſervanda ordinata fuit, prout continetur in Decreto dicti Capituli Generalis deſuper emanato tenoris, qui ſequitur videlicet: Die Mercurii ſcilicet 28. coram Illmo Dño Buſſio ſtatutum eſt, quod cum Caſtella vetus, & nova habeant Alternativam in officio Provincialatus, & Socii, itaut quando Provincialis eſt ex una Caſtella, Socius illius ſit ex alia: & in ſpatio triginta quatuor annorum magna fuerit inæqualitas in præjudicium Caſtellæ veteris: ut Alternativa in poſterum æqualiter menſuretur, ſi Provincialis ſit in Gubernio per triennium, vel quadriennium in una Caſtella, ſit etiam Provincialis Caſtellæ ex altera parte per æquale tempus, ſive per mortem, ſive per aſſumptionem, ſive per liberam renunciationem, ceſſet Provincialatus, itaut ex illa parte, ad quam pertinet regimen adæquetur triennium, vel quadriennium. Et quia in præſenti Rev. admodum Pr. Magiſter Ludovicus Sbarra habet gubernium per quadriennium, Provincialis, qui eligitur anno 1693. per quatuor annos debebit gubernare, & ſic alternatim, ut poſt quadriennium Caſtellæ veteris, incipiat Caſtella nova tantum per triennium, niſi adſint urgentiſſimæ cauſæ, ſed ſemper deinceps ſervetur Alternativa æqualiter, itaut Clauſula, quæ eſt in actis reunionis nullo modo inficiat huic præſenti Decreto, quod conficitur pace, & quiete utriuſque Provinciæ ad vitandum omne litigium.

Decretum Capituli Gener. pro alternativa Provincialatus, & Socii.

Preces Procuratoris Gener.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat prædictus Procurator Generalis Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret: Nos ipſum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui dilectum filium modernum Priorem Generalem dicti Ordinis audiverunt, conſilio Decretum præinſertum a Capitulo Generali præfato die 28. Maji proxime præteriti editum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die II. Januarii MDCXCIII. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

XXIII.

Confirmatur Decretum Capituli Intermedii Monachorum Ciſtercienſium Congr. Portugalliæ de non recipiendis illegitimis, & a quavis alia Religione expulſis.

Alex. VIII. Conſt. ed. 1689. Decemb. 23. P. 1. agitur de electione Abbatis. Et hujus Pontif. Conſt. ed. 1694. Mar. 24. P. 3. de Appellatione ad judices extra Religionem.

t. 16. Jan. 93. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

ecies facti.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Generalis, & Diffinitores Congregationis Monachorum Portugalliæ Ordinis S. Bernardi, quod in Capitulo intermedio *Juncta* nuncupato dictæ Congregationis die 8. Septembris proxime præteriti in Monasterio Sanctæ Mariæ de Alcobaça ejusdem Congregationis celebrato, attente perpensis causis propter quas fel. re. Sixtus PP. V. Prædecessor noster Constitutionem quamdam contra illegitimos ne in ordinibus Regularibus reciperentur ediderat, nec non prævia matura consideratione factum fuit statutum, seu Decretum, tenoris, qui sequitur videlicet. In Capitulo intermedio vulgo nuncupato *Juncta* sub die 8. Septembris currentis anni 1692. celebrato in Ven. Monasterio Sanctæ Mariæ de Alcobaça Domo Capitulari Congregationis Monachorum Cistercienfium Regni Portugalliæ statutum, & definitum fuit, ut infra videlicet. Attentis causis, quæ digne moverunt Sanctæ Memoriæ Papam Situm V. ad effectum prohibendi ne in Religionibus personæ illegitimæ acceptarentur, eisdemque causis matura ponderatione in ista *Juncta* consideratis per nostrum Reverendissimum Patrem Abbatem Generalem, aliosque Diffinitores PP. mandamus, & præcipimus ne ab hodie in posterum nemo in hac nostra Congregatione acceptetur, seu recipiatur pro Religioso, qui sit illegitimus, etsi quacumque qualitate, aut prærogativa præditus sub pœnis contentis in Constitutionibus ac etiam expressis in motu proprio ejusdem Summi Pontificis incipien. *Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus &c.* Et proinde renunciatis habere volunt modificationes Apostolicas favore dictorum illegitimorum emanatas, & quomodolibet publicatas, ita ut huic nostræ Diffinitioni, ac legi derogari, & dispensari non valeat. Ac pariformiter acceptari non debeat pro novitio aliqua Persona, quæ expulsa fuerit aut ingressa in quamcumque aliam Religionem, etsi quacumque qualitate, seu prærogativa præditus.

cretum d. pituli, seu *cta*.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes præfati statutum, seu Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

es Generalis, & Diffinitorum.

onfirmatio Prelati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

lausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit supradictæ Congregationis Monachorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XII. Jan. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXIV.

Confirmatur concordia super exercitio Jurisdictionum in quibusdam Terris cum separatione Territoriorum inter Episcopum Aquilan., & Monachos Cælestinos.

Dat. 14. Febr. 1693. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Concordiæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt Venerabilis Frater modernus Episcopus Aquilan., ac dilectus Filius Procurator Generalis Congregationis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Cælestinorum nuncupatorum, quod ipse Episcopus, & dilecti Filii Abbas Generalis, & Monachi dictæ Congregationis pro tollenda, ac penitus extinguenda controversia, quæ super exercitio Jurisdictionis Spiritualis in Terris Sancti Pii, Caporciani, necnon Sancti Benedicti in Perillis, usque ab anno 1530. inter tunc existentes Episcoporum Aquilan. ex una, & Monachos Congregationis prædictæ ex altera partibus exorta fuerat, & usque ad hæc nostra tempora in variis instantiis coram diversis Judicibus agitata perduraverat, ad infrascriptam, reservato tamen desuper Nostro, & hujus Sanctæ Sedis Beneplacito, devenerunt concordiam, ut scilicet Abbas, & Monachi prædicti omnem, & quamcumque Jurisdictionem Spiritualem in supradictis Terris Sancti Pii, & Caporciani eidem Episcopo cedant: è contra vero omnimoda Jurisdictio Spiritualis hujusmodi in prædicta Terra Sancti Benedicti de Perillis dictis Monachis remaneat, itaut pro tempore existens Abbas Monasterii de Collemadio dictæ Congregationis omnimodam inibi, & plenariam Jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem, & tanquam in statu nullius Diœcesis, & separato Territorio existens habere debeat, absque eo quod dictus Episcopus, aut Successores ullo unquam tempore Jurisdictionem ordinariam, vel delegatam in ipsa Terra Sancti Benedicti de Perillis sibi vindicare, seu prætendere possint, & alias prout in publico desuper per acta Successoris Antonii Felicii Petrocchi olim Notarii Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris die prima Julii proxime præteriti celebrato Instrumento uberius dicitur contineri. Quare dicti Exponentes, afferentes concordiam hujusmodi ulteriores lites effugiendi studio initam fuisse, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Lis orta anno 1530.

Concordia, qua assignata fuit Episcopo jurisdictio in Terris S. Pii, & Caporciani; Monachis vero illa S. Benedicti in Perillis.

Preces partium.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eo-

rum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prævia separatione Territoriorum, & Jurisdictionum, qua mediante Territoria Castrorum, seu Terrarum Sancti Pii, & Caporciani, ac in illis omnimodam Jurisdictionem eidem moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Aquilano, Castri vero seu Terræ Sancti Benedicti in Perillis Territorium, & in illo omnimodam quasi Episcopalem Jurisdictionem Monachis Congregationis supradictæ, seu pro tempore existenti Abbati Monasterii Collis Madii ejusdem Congregationis respective auctoritate Apostolica tenore præsentium assignamus, eamdem concordiam, confectumque desuper Instrumentum, cum omnibus, & singulis in eo contentis, alias tamen licitis, & honestis auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Separatio, & concessio Territoriorum, ac jurisdictionum prædictarum.

Confirmatio Concordiæ, & Instrumenti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Cameræ Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis, auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus fel. recor. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ecclesiæ Aquilan. Monasterii, & Congregationis, Monachorum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Februarii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXV. Extenditur facultas confirmandi Guardianos, & promovendi Diffinitores ad Guardianatum pro Provincia Franciæ ad Provinciam S. Bonaventuræ Fratrum S. Francisci de Observantia.

Dicta facultas Provinciæ Franciæ extat Innoc. XI. Const. ed. 1678. Feb. 12. Et hujus Pontificis Const. ed. 1694. Apr. 5. P. 3. agitur de electione Procuratoris, & Commissarii Gen.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 20. Febr. 1692. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

Alias fel. rec. Innocentio PP. XI. Prædecessori nostro pro parte tunc existentis Vicarii Provincialis Provinciæ Franciæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum tam suo, quam Diffinitorii ejusdem Provinciæ nomine juxta Capitularem resolutionem die 3. Maji tunc proxime præteriti factam exposito, quod cum juxta Sedis Apostolicæ, dictique Ordinis Constitutiones, quæ a quindecim circiter abinde annis suum sortitæ fuerant effectum, Guardiani in suis Officiis ultra triennium continuare non possent, nec deberent, minusque plura officia in eadem persona combinari, dicta autem Provincia ita vasta, & ampla existeret, ut rarus in ea esset, & vix sufficeret numerus Religiosorum iis qualitatibus prædictorum, qui triginta octo Conventus, & duobus Hospitiis, quibus Provincia prædicta componebatur, digne, & laudabiliter sub Guardiani, vel Superioris titulo præficerentur Fratres Diffinitorii ejusdem Provinciæ in eorum Provincialibus Capitulis, & Congregationibus intermediis plures non quidem habiles, sed inter cæteros minus inhabiles ad Guardiani officium promovere coacti fuerant. Et in eadem expositione subjuncto, quod dictus Vicarius Provincialis in decursu Visitationum Conventuum hujusmodi, quas fecerat, regularem disciplinam exinde in plerisque eorum non mediocrem perpessam fuisse jacturam, ipsamque Provinciam varia eaque magna in spiritualibus, & temporalibus detrimenta in dies expediri animadvertisset, & ut opportunum his incommodis remedium adhiberetur, idem Vicarius Provincialis Fratribus Diffinitorii dictæ Provinciæ, ut in tunc proximo eorum Capitulo Provinciali Guardianos, quos magis idoneos reperiissent in suis officiis usque ad sequens Provinciale Capitulum absque præjudicio suffragiorum eisdem in electionibus competentium, & perinde ac si per tres annos tantum Guardiani extitissent, non solum continuare, sed etiam in uno, eodemque Religioso alias capaci, & idoneo, illa officia ipsum vacare posse judicassent continuare libere, licite, & valide possent, & valerent a prædicto Innocentio Prædecessore indulgere plurimum desiderabat; Idem Innocentius Prædecessor supplicationibus dicti Vicarii Provincialis nomine sibi super hoc humiliter porrectis, inclinatus, Provinciali, & Diffinitoribus prædictæ Provinciæ, quoties necessitas exigeret, confirmandi Guardianos in eorum officiis ultra triennium, & usque ad Capitula Provincialia, salvis eorum Juribus, & prærogativis, necnon eligendi ad Guardianatus officium eos, qui Diffinitoriatus munere fungebantur, facultatem auctoritate Apostolica concessit, & impartitus fuit, & alias prout in ipsius Innocentii Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 12. Februarii 1678. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Hujusmod facultas primo concessa fuit ab Inn XI. Provinciæ Franciæ

§. 1. Cum autem sicut dilectus Filius Franciscus le Roux Minister Provincialis Provinciæ S. Bonaventuræ dicti Ordinis in Sacra Theologia Doctor tam suo, quam Diffinitorii Provinciæ S. Bonaventuræ hujusmodi nomine Nobis nuper exponi fecit, in Provincia S. Bonaventuræ præfata eædem prorsus rationes, imo urgentiores militent, quandoquidem ipsa Provincia S. Bonaventuræ in Provincia Franciæ supradicta amplior existit, majorque in ea, quam in quavis alia dicti Ordinis Provincia Conventuum numerus reperitur, ac proinde dictus Franci-

Causa extensionis præ facultatis preces Ministri Provincialis.

scus

ſcus Miniſter Provincialis facultatem a memorato Innocentio Prædeceſſore pro dicta Provincia Franciæ ſicut præmittitur, conceſſam, ad Provinciam S. Bonaventuræ præfatam per nos extendi ſummopere deſideret: Nos ipſum Franciſcum Miniſtrum Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac audita ſuper præmiſſis dilecti Filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis relatione, facultatem Provinciali, & Diffinitoribus Provinciæ Franciæ ſupradictæ quoties neceſſitas exigeret confirmandi Guardianos in eorum officiis ultra triennium, & uſque ad Capitula Provincialia, ſalvis eorum Juribus, & prærogativis necnon eligendi ad Guardianatus officium eos, qui Diffinitoriatus munere fungebantur a prædicto Innocentio Prædeceſſore per ſuas literas prænarratas conceſſam, ut præfertur ad prædictam S. Bonaventuræ Provinciam, ſervata tamen earumdem literarum forma, & diſpoſitione, ac itaut circa temporis extenſionem conſcientia pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis dicti Ordinis onerata intelligatur, auctoritate prædicta tenore præſentium, extendimus, & ampliamus. (Extenſio facultatis præd. ad aliam Provinciam.)

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Clauſulæ.)

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciæ S. Bonaventuræ, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX. Februarii MDCXCIII. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

XXVI.

Abrogantur Diſcreti Locales pro Capitulis Fr. Capuccinorum Provinciarum utriuſque Caſtellæ.

Octo Provinciis Germaniæ conceſſum fuit Votum in Capitulis ab Innoc. XI. Conſt. ed. 1679. Jan. 10. P. 3. Et ab hoc Pontifice declarata, & ampliata præſens abrogatio Conſtit. ed. 1693. Septem. 12. P. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

(Dat. 29. Mar. 1693. An. 2.)

NUper pro parte chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis per dilectum Filium nobilem virum modernum Ducem de Medina Cœli, ipſius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem expoſitum fuit, quod tam Prædicatorum, & Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quam aliorum diverſorum Ordinum Fratres in Regnis utriuſque Caſtellæ exiſtentes ſua Capitula Provincialia cum interventu Superiorum Localium Conventuum Ordinum hujuſmodi abſque Diſcretis, ſeu Sociis, qui olim ab ipſis Conventibus ad effectum ſua ſuffragia ferendi in eiſdem Capitulis eligi conſueverant; de præſenti celebrari ſolent; id ſiquidem præterquam quod Decretis Concilii Tridentini ſub *Seſſ.* 25. *Cap.* 6. ibi: *nec in poſterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcumque Titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, &c.* magis conforme videtur; ne ceſſarium quoque compertum eſt tum ad tollenda damna, & incommoda, quæ ex eorumdem Diſcretorum, ſeu Sociorum electione in Religioſæ pacis, & concordiæ, quæ in Ordinibus prædictis ſemper florere debet, præjudicium proveniebant; tum ad impediendas relaxationes quas dependentia, quam tunc Superiores a ſuis Subditis habebant, producebat; Ipſi enim Superiores, ut dictos ſuos Subditos, pro iis in Diſcretos, ſeu Socios hujuſmodi eligendis, quos ad effectum ſe in perpetuo ſuarum Provinciarum gubernio confovendi eligi neceſſe erat, benevolos haberent, Regularis diſciplinæ conſervationi, prout eorum Officii erat, incumbere negligebant. Quocirca quoties dictorum Regnorum Religioſi Regularis diſciplinæ hujuſmodi tuendæ zelo ducti, ad ipſius Caroli Regis patrocinium pro eorumdem Diſcretorum, ſeu Sociorum abrogatione ab hac Sancta Sede impetranda confugerunt; illud ſemper adfuit, donec ejuſmodi gratiam conſecuti fuerunt. (Cauſæ ſimilis abrogationis pro aliis Religioſis dd. Regnorum.)

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dictus Carolus Rex certior factus fuerit Fratres Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum in Regnis præfatis exiſtentes, non modo eadem incommoda, & damna, quæ olim Religioſi aliorum Ordinum præfatorum ex electione Diſcretorum, ſeu Sociorum hujuſmodi experti fuerant, pati; Sed alia multa concurrere, propter quæ Fratres prædicti uſum eligendi Diſcretos, ſeu Socios prædictos in Provinciis dictorum Regnorum abrogare plurimum deſiderant: adeoque ipſius Caroli Regis zelum ſolicitant, ut Apoſtolicæ deſuper auctoritatis noſtræ partes interponi ſimiliter curet. (Cauſæ d. abrogationis pro Capuccinis.)

§. 2. Nobis propterea ejuſdem Caroli Regis nomine per memoratum Ducem humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. (Preces Regis Catholici.)

§. 3. Nos igitur piis ipſius Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus a nobis ſpecialiter deputatæ conſilio, Diſcretos præfatos in Provinciis utriuſque Caſtellæ Fratrum dicti Ordinis Capuccinorum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tollimus, & removemus. (Abrogatio præd. Diſcretorum, ſeu Sociorum.)

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Clauſulæ.)

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum utriusque Castellæ, & Ordinis Capuccinorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Martii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXVII. Confirmatur erectio Provinciæ Hispan. Clericorum Regularium ministrantium Infirmis, cum redintegratione Provinciæ Bonien., ac nonnullis Ordinationibus.

Ob Inn. XI. Const. ed. 1684. Aug. 31. P. 8. Laici eligi nequeunt in Consultores. Neque gaudere voce activa, & passiva, prout in hujus Pontificis Const. ed. 1697. Aug. 20. P. 7.

Dat. 15. Maii 1693. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio paternam Christifidelium divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino proferre jugiter satagentium curam gerentes, illis, quæ fælici illorum regimini, religiosæque tranquillitati conducere, arbitramur, peculiarem Pastoralis muneris nostri solicitudinem propensa charitate adhibemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis salubriter in Domino expedire conspicimus.

Referuntur antiquæ divisiones Provinciarum, & modi eligendi Præfectum Generalem.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Præfectus Generalis, & alii Superiores Congregationis Clericorum Regularium ministrantium Infirmis, quod dicta Congregatio diversis temporibus pro ipsorum temporum, & rerum varietate, aliis, atque aliis modis, & formis, semper tamen ex Sedis Apostolicæ indulto gubernata fuit, in ejus etenim primordiis, videlicet anno 1591. tempore fel. record. Gregorii XIV. prædecessoris nostri Præfectus Generalis ejusdem Congregationis eligi consueverat ex toto corpore ipsius Congregationis, quæ postea in quinque Provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Mediolanensem, Siculam, & Bononiensem divisa fuit absque ulla Alternativa, atque ita usque ad annum 1628. observatum fuit, quo tempore rec. mem. Urbanus PP. VIII. etiam Prædecessor noster, decrevit, ut dictus Præfectus Generalis per turnum, una quidem vice ex Romana, altera vero ex Neapolitana, & sic successive ex aliis dictæ Congregationis Provinciis eligeretur, ex singulis enim aliis quatuor Provinciis, ex quibus Præfectus Generalis electus non esset, singuli Consultores Generales, ex ea vero, ex qua idem Præfectus Generalis pro tempore fuisset, Arbiter Generalis respective assumebantur, sicque servari contigit quousque particularis Congregatio a similis mem. Innocentio PP. X. pariter Prædecessore nostro deputata in duas Provincias, nempe Neapolitanam, quæ etiam Siculam comprehenderet, ac Romanam, quæ reliquas Provincias prædictas contineret, redegit; verum cum præmissorum occasione variæ perturbationes subortæ fuissent, piæ mem. Alexander PP. VII. similiter prædecessor noster memoratam Congregationem in quatuor Provincias Romanam videlicet, quæ universum Statum Ecclesiasticum, ac Etruriam comprehenderet, necnon Neapolitanam, & Siculam, ac Mediolanensem, quarum postrema reliquas ejusdem Congregationis, & etiam nonnullas in Hispania fundatas Domos contineret, divisit, & reduxit. Ac insuper voluit, ut Præfectus Generalis alternatim una quidem vice ex Romana, & Mediolanensi indistincte, altera vero vice ex Neapolitana, & Sicula Provinciis prædictis, pariter indistincte eligeretur, cæterum unaquæque Provincia suum habeat Consultorem Generalem; ex illarum vero duarum Provinciarum, ex quibus Præfectus Generalis electus esset, altera, cui scilicet præfectum Generalem ex ea eligi nequaquam obtigisset, Arbiter Generalis assumeretur. Porro ut ejusmodi turnus servaretur, Provincia Bononien. supradicta dissoluta, atque inter Romanam, & Mediolanensem respective Provincias divisa fuit.

Causæ hujus Constitutionis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat integra nunc ejusdem Congregationis Provincia in Hispaniis erecta seu fundata, nondum tamen a Sede prædicta confirmata reperiatur, ac proinde quo dictus turnus in posterum continuari possit, omnisque dissidiorum, quæ in ipsius Congregationis Capitulo Generali, quod de præsenti celebratur, evenire possent, occasio tollatur, Ipsi Exponentes dictam Provinciam Bononiensem in pristinum statum restitui, ipsamque novam Provinciam Hispaniarum ad hoc, ut Præfectus Generalis una quidem vice ex Romana, Mediolanensi, & Bononiensi indistincte, quemadmodum de præsenti servatur, altera vero vice ex Neapolitana, Sicula, & Hispaniarum respective Provinciis, prout in Capitulo Generali prædicto servandum erit, eligatur Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, necnon ut singulis Provinciis hujusmodi satisfiat ipsi Capitulo Generali, ut postquam dictus Præfectus Generalis sic electus fuerit, eligere possit Priorem Generalem, qui simul etiam sit Consultor Generalis, & aliis Consultoribus Generalibus præcedat, ipsoque Præfecto Generali, mortis, aut cessionis, aut visitationis, aut alia ex causa deficiente Vicarius Generalis, ita tamen, ut unum tantum inconsultis Generalibus suffragium ferre queat usque ad reditum dicti Præfecti Generalis, si is visitationis causa abfuerit, si vero mortis, cessionis, vel alia ex causa esse defierit usque ad electionem novi Præfecti Generalis remaneat; necnon præterea singulos eligere valeat Consultores Generales ex singulis aliarum duarum Provinciarum ex tribus, quibus obtigit Procurator Generalis, aliumque Consultorem Generalem ex duarum Provinciarum ex tribus quibus obtigit Præfectus Generalis altera, ex altera vero Secretarium Consultæ Generalis, qui simul officium Arbitri Generalis exerceat facultatem concedi. Et quia præteritis temporibus multi Præfecti Generales cum aliarum Provinciarum damno, & totius Congregationis offensa ipsam Congregationem Superioribus sibi Patria, seu Natione conjunctis replerunt, ne de cætero quisquam Congregationis hujusmodi Professor Provincialis, Præfectus, aut Su-

perior

perior Localis extra suam Provinciam eligi, seu deputari, neque in Capitulis Provincialibus, & Generalibus ejusdem Congregationis voce passiva, nisi in sua Provincia gaudere possit a nobis interdici, & prohiberi summopere desiderent. Nobis propterea Exponentes præfati, asserentes votum Capituli Generalis supradicti a Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium a Nobis specialiter deputata conquisitum super præmissa omnibus, & singulis id unum fuisse, humiliter supplicari fecerunt, ut in iisdem præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Capituli Gen.

§. 3. Nos igitur Congregationis Clericorum hujusmodi statui, & felici directioni quantum nobis ex alto conceditur prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui prædictum votum audiverunt, consilio, erectionem, seu fundationem supradictæ Provinciæ Hispaniarum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea Provinciam Bononiensem præinsertam in integrum, & pristinum, ac eum in quo antequam dissolveretur quomodolibet erat statum eadem auctoritate harum serie restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, itaut eidem Provinciæ Bononien. assignandi sint Conventus, quibus illa ante dissolutionem constabat, etsi qui alius Conventus abinde citra fundatus fuerit in finitimis illis locis circa quem dubium oriatur cuinam Provinciæ assignari debeat, assignatio hujusmodi arbitrio Capituli Generalis Congregationis hujusmodi facienda sit. Primo, ut Præfectus Generalis memoratæ Congregationis de cætero per turnum una quidem vice ex Romana, Mediolanensi, & Bononiensi indistincte, alia vero vice ex Neapolitana, Sicula, & Hispaniarum Provinciis supradictis eligi debeat, quemadmodum antehac una vice ex Romana, & Mediolanen., alia vero vice ex Neapolitana, & Sicula respective Provinciis hujusmodi eligi consueverat, auctoritate, & tenore prædictis statuimus, & ordinamus. Similiter Procurator Generalis ejusdem Congregationis, qui insimul etiam Consultor Generalis esse, aliisque Consultoribus Generalibus præcedere, necnon Præfecto Generali præfato quomodolibet deficiente Vicarius Generalis ipsius Congregationis remanere debeat, ex altera illarum trium Provinciarum, quibus turnus electionis dicti Præfecti Generalis minime obvenerit, in Capitulo Generali prædicto eligatur. Cæterum ex aliis duabus Provinciis, quibus turnus electionis Procuratoris Generalis hujusmodi obtigerit pro qualibet illarum unus Consultor Generalis, ex reliquarum autem duarum Provinciarum, quibus turnus electionis dicti Præfecti Generalis obvenerit, altera quidem alius Consultor Generalis, reliqua vero Secretarius Consultæ Generalis, qui insimul officium Arbitri Generalis ejusdem Congregationis exercere debeat respective assumantur. Demum quod nullus de cætero dictæ Congregationis professor Provincialis, Præfectus, seu Superior localis extra suam Provinciam eligi, seu deputari, neque in Capitulis Provincialibus, seu Generalibus ejusdem Congregationis vocem passivam nisi in sua

Confirmatio erectionis Provinciæ Hispaniarum.

Redintegratio Provinciæ Bononien.

Ordinationes.

Provincia habere possit, dicta auctoritate earumdem tenore præsentium decernimus, & ordinamus.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon earumdem Congregationis, & Provinciarum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Congregationi, & Provinciis, earumque Superioribus, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XIII. Maji MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXVIII.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super reformatione Indultorum Canonicis, & Beneficiatis Urbis concessorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 8. Maji 1693. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

SAnctissimus Dominus noster Innocentius Papa XII., ad cujus notitiam pervenit, servitium Basilicarum, & Collegiatarum Urbis valde diminui propter Indulta concedi solita nonnul-

Causa institutionis, & Decreti d. Congregationis.

lis illarum Canonicis, & Beneficiatis quocumque nomine nuncupatis, vel ratione munerum, quibus funguntur, vel causa studii; cum exemptione ab hujusmodi servitio, & cum privilegio lucrandi fructus, & distributiones etiam quotidianas, tametsi iisdem Ecclesiis non inserviant, deputavit particularem Congregationem Eminentissimorum DD. Cardinalium Carpinei, Marescotti, de Norfolch, Colloredi, & Panciatici, necnon Illmorum DD. Sperelli, Altoviti, Pallavicini, & Sacripantis, qui ejusdem Congregationis Secretarius sit, ad effectum examinandi eadem Indulta, & proponendi illas moderationes, reformationes, revocationes, & considerationes, quæ desuper opportunæ veræ fuissent.

Servantur omnino quædam Indulta.

§. 1. Quæ sane Congregatio in Palatio prædicti Eminentissimi Carpinei, ter coacta, nimirum sub diebus 13. & 20. Aprilis proxime præteriti, & 7. currentis mensis Maji censuit, si eidem Sanctissimo D. Nostro placuerit, hujusmodi Indulta quoad Nuncios Apostolicos, necnon intimos, & eidem Sanctissimo actu inservientes familiares, ac Subdatarium, & Cameræ Apostolicæ Commissarium non esse immutanda.

Revocantur alia.

§. 2. Quoad Gubernatores, & Vice-Legatos Provinciarum, Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, qui durante absentia nunquam possunt Ecclesiis interesse, necnon Procuratorem Generalem Montium, ac Familiares Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium (firmo tamen quoad eorumdem Cardinalium Caudatarios remanente Decreto moderatorio Sac. Congregationis Emorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum die 19. Augusti 1690. edito) esse revocanda, & expedire, quod in posterum non concedantur.

Unum reformatur.

§. 3. Indultum inserviens Secretariæ Congregationis Emorum Cardinalium Consultationibus negotiorum Ditionis temporalis ejusdem S. R. E. præpositorum concessum esse reformandum, & in posterum restringendum ad illos dies, & horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actualiter præstandi impeditus fuerit, ejus conscientia desuper strictissime onerata.

Aliud ad tempus conceditur.

§. 4. Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum redditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis præbendæ, dempta tamen tertia parte, quæ interessentibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus viginti quinque annis, quinimo hujusmodi ætate vigintiquinque annorum excepta, eadem Indulta, licet idem triennium adhuc expletum non fuerit, expirare.

Reliqua sine abusu conceduntur.

§. 5. Omnes denique habentes Indulta pro singulis diebus, & horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu Officiis actualiter præstandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos, toties, quoties Ecclesiæ, seu Choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada hujusmodi puncta posse, & debere deleri, seu tolli pro illis tantum diebus, & horis, quibus Indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorum munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, & circa hujusmodi impedimentorum relevantiam judicio proprii Vicarii cujuslibet Ecclesiæ, in Ecclesiis vero, ubi non adest hujusmodi Vicarius, judicio dignioris Canonici esse deferendum.

Confirmatio prædictorum omnium.

§. 6. Facta per me infrascriptum hac die 8. Maji 1693. relatione prædictarum resolutionum SSmo D. Nostro, Sanctitas Sua illa approbavit, & a die prima Junii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari, Indultis tam a se, quam a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis quomodolibet concessis, & aliis contrariis quibuscunque non obstantibus, quibus pro observatione præmissorum amplissime derogavit.

Die 23. Maji 1693. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Antonium Simoncellum Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

XXXIX.

Conceduntur Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum omnia Privilegia, & Indulgentiæ aliorum Ordinum, & Religionum.

Eadem Privilegia concessa fuerunt Discalceatis ab Urb. VIII. Const. ed. 1634. Mar. 26. P. 11. Et hujus Pontificis Const. ed. 1695. Apr. 23. P. 4. extat facultas eligendi sibi Conservatores.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat.27. Ju[...] 1693. An.[...]

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAlvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis Redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem vices licet immeriti gerentes in Terris, Religiosos viros Divinis obsequiis, ac charitatis, & misericordiæ operibus, præsertim vero Christifidelium Captivorum Redemptioni vacantes, pastorali benignitate complectimur, utque eadem opera alacrius continuent, & utilius exequantur, gratiis, & favoribus, quibus possumus, amplissimis confovemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ d[...] Concessio[...] Discalceat[...] ejusdem O[...] dinis olim factæ.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Felix Pantaleo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres, & Religiosi ejusdem Ordinis in Captivorum Redemptionis gravissima quæque discrimina, & pericula ad id subeundo, pro viribus occupentur, ac ut ad tam pii operis exercitium promptiores in dies reddantur, plurimum cupiant aliarum Religionum, & Ordinum gratias, & privilegia a Sede Apostolica concessa, quæ fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor noster per quasdam suas sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1634. Quinto Kal. Aprilis Pontificatus sui Anno XI. expeditas literas Congregationi Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis concessit, & communicavit, Ordini prædicto, illiusque Fratribus, & locis per Nos, & Sedem eamdem pariter concedi, & communicari. Nos propterea idem Felix Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces P[...] curatoris Gener.

§. 2. Nos igitur Ordinem prædictum, ex quo uberrimi fructus in Ecclesia Dei ad illius laudem, & Christianæ Reipublicæ, necnon fidelium Captivorum commodum, & utilitatem in dies proveniunt, firmissimis præsidiis vallare desiderantes ipsumque Felicem Procuratorem Generalem, & singulares Ordinis hujus personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris nostri Alderani Episcopi Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati Ordinis supradicti

apud

Concessio amplissima privilegiorum, & indulgentiarum.

apud Nos, & Sedem prædictam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta, eidem Ordini Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum; illiusque Domibus, & Regularibus locis sub illo comprehensis, necnon Superiori Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, & Procuratoribus Generalibus; Visitatori, Consultoribus, Assessori, Superioribusque Provincialibus, & Conventualibus, aliisque cujuscumque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in eo professis, Fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus, personis Regularibus, Novitiis, Conversis, Donatis, Oblatis, Ministris, familiis; cunctisque tam Officiariis, tam domesticis, & eorum Domibus inservientibus, & cæteris dicti Ordinis; ac illius Domorum, & Regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis, ac Christifidelibus illorum Ecclesias; seu Capellas pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis; antelationibus, concessionibus, indultis, & favoribus, Indulgentiis, aliisque prærogativis, & gratiis universis, & singulis tam spiritualibus, quam temporalibus singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac personis tam Canonicorum, quam Clericorum Regularium ubivis existentium institutis, & non solum Ordinibus Monasticis, Regularibus mendicantium, & non mendicantium tam pro redimendis Captivis; quam alias quomodolibet eidem Congregationi Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum; illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, necnon Ordini Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, sed etiam aliis Congregationibus Regularibus, & præcipue Clericorum Regularium Infirmis ministrantium, & Canonicorum Congregationis Lateranensis; Sanctissimi Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentiæ, & Sanctæ Crucis Colymbriæ, Clericorum Regularium de Somascha, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum piarum, ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Casinensi, aliisque Monachis, & Monasteriis S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis; Conventui Beatæ Mariæ de Guadalupe, necnon Societati Jesu, ipsisque Carthusiensium, Præmonstratensium, & Reformatorum Cistercensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus; aliisque familiis, & Societatibus Regularibus, militiis, Hospitalibus quibuscumque, & piis locis Regularibus, ac quibuscumque personis nunc, & pro tempore existentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, & Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam; ac alios quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, necnon ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis prædictæ Nuncios; vel etiam tam Apostolica prædicta, quam ordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritatibus respective; aut alias quomodolibet quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus; in genere; vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis, & ampliationis, quam simplicis, & individuæ; ac particularis, & specialis concessionis; ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo; etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes; aut alias quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent; ac uti, frui, potiri; & gaudere possunt; & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt; non solum per participationem, communicationem; illorum extensionem; & ad illorum instar, sed speciatim, & nominatim, pariformiter, & æque principaliter in omnibus, & per omnia absque ulla prorsus differentia, proinde, acsi illa primodicto Ordini, illiusque Capitulis Generalibus, Superiori Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis prædictis specialiter, & expresse nominatis, etiam per viam, & modum simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent; quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec Sacris Canonibus, aut Decretis Concilii Tridentini contraria, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant: ita quod omnes, & singuli primodicti Ordinis, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, & Ministri quocumque nomine appellati eosdem favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum regularium, & familiarum Generales Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores Conventuales, aut Claustrales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocumque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter, ut supra habeant; Fratresque, & Personæ Regulares prædicti Ordinis, Generales, Superiores, Ministri, & cæteri alii cujuscumque appellationis Præpositi, & Præfecti in Ordine hujusmodi expresse professi, & in ejus gremio, & observantia viventes, Fratres, & personas Regulares primodicti Ordinis cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum hujusmodi perpetuo secundum observantiam regularem, & Canonicum Institutum dicti eorum Ordinis SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum regere, & gubernare, & respective visitare valeant, neque dictus Ordo super præfatis omnibus, & singulis a quoquam quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut alias quomodolibet in judicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper, & perpetuo tanquam ad Divini cultus, & bonorum operum augmentum, & Religionis propagationem tendentes, validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, occasione, vel causa recedi, aut resiliri, easdemque præsentes sub quibusvis similium, aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque prædictam sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tempore factis minime comprehendi, vel confundi, semper, & perpetuo ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, & fore, ac Ordini primodicto suffragari: sicque, & non alias per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Audi-

tores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuntios, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibusque, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Regularium Domorum, locorum, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis primodicto Ordini, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quod ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, & alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obsignatis fletur, eademque prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVII. Junii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXX. Confirmatur Decretum Congreg. Ep., & Reg. approbans quædam Statuta pro tribus Cœnobiis Recollectionis Provinciæ S. Michaelis in Bætica Tertii Ord. S. Francisci.

Inn. XI. Const ed. 1685. Apr. 16. P. 9. extat Decretum aliud circa electionem Officialium. Et hujus Pontificis Const. ed. 1693. Nov. 19. P. 3. confirmatio erectionis prædd. Cœnobiorum.

Dat. 15. Aug 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Statuta præd. condita fuere a Diffinitorio Provinciæ.

NUper pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ S. Michaelis in Bætica Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium propositæ exposito, quod ipsi alias tres Conventus *Recollectionis* nuncupatos in eadem Provincia erexerant ad hoc, ut ii Religiosi, qui in eo secessu vitam transigere, ac Altissimo absque ulla perturbatione famulari cupiebant certos, & determinatos Conventus haberent; verum, quia pro felici Recollectionis hujusmodi directione nullæ aderant specialiter constitutæ Leges, Diffinitorium d. Provinciæ ad tam salutarem Institutionem constabiliendam juvandosque eorum, qui eam amplexi fuissent, in via Domini progressus, nonnulla ediderat Statuta tenoris, qui sequitur, videlicet.

Constitutiones pro Conventibus Recollectionis Provinciæ Andalusiæ Religionis Tertii Ordinis Pœnitentiæ S. Francisci, videlicet Conventus Dominæ nostræ Canonicos Sanctos fundati intra terminos Villæ de Olvera Diœcesis de Malaga, Conventus S. Joannis Baptistæ de Moranina intra terminos Villæ de Bollullos del Contado; ac Conventus S. Joannis Baptistæ de Alfarache extra muros Bæticæ, ambo Diœcesis Bætici Archiepiscopatus.

In primis. Ut illa celsitudo sanctissimæ paupertatis conservetur, ordinamus, & statuimus, ut Communitas obligata maneat ad providendum quæque necessaria singulis Religiosis præmemoratæ Reformationis, quin aliquis ipsorum nec sub necessitatis prætextu absque Provincialis speciali licentia, possit ad ullius rei usum, habere recursum.

Secundo. Quod constituatur in quovis Conventu locus, ubi cuncta necessaria pro Regulari vestitu reponantur, videlicet habitus, pallium, tunicæ, Tunicellæ, & cætera sic.

Tertio. Statuitur ut taliter in hisce honesta nuditas, ac seraphica paupertas observetur, quod nullus Religiosus pluribus induatur, quam interiori una lanea tunica, tunicella una, femoralibus de lino, habitu latitudinis sexdecim palmorum, talari, ut in Regula præscribitur; ac mantello ad habitus proportionem abbreviato, & quoad calceamenta singuli portabunt sandalies usque ad calcaneum apertas.

Quarto. Statuitur, ut Religiosi in Cellis rebus curiosis, aut ornatum construentibus non utantur; itaque dumtaxat habebunt Crucem ligneam, tabulatum, aut arundineum lectulum, duo stragula, unum pulvinar, duas sedes humiles, parvulam unam mensam, & circa librorum usum, eos apud se habere poterit, quos juxta exercitium, & capacitatem Rev. Patris Provincialis sufficientes censuerit.

Quinto. Statuitur, ut Religiosorum nemo per se, aut per interpositam personam possit retinere Missarum eleemosynam, sed debeat quamcitius eam Prælato manifestare, & exhibere, & tunc Prælatus ei facultatem præstabit, ut illas Missas juxta declaratam necessitatem applicet.

Sexto. Statuitur, ut in Matutinis media nocte inviolabiliter per singulos dies Deum benedicant, quin in toto Anni curriculo aliquando dispensetur tam cælestis hora, in qua a Regalibus Sedibus Altissimus venit, inter Sacratissimæ Virginis brachia primus intonuit, surgens in requiem suam, & noctem sicut diem illuminare monstravit. De cætero Divinum Officium paulatim, reverenter, ac devote recitetur, nec ulla dies absque Missa Conventuali pertranseat.

Septimo. Statuitur, ut in singulis diebus per duas horas Oratio mentalis exerceatur. Prima hora ante primam, & secunda hora post Completorium, & insuper ad prædictarum horarum perfectiorem expeditionem unusquisque intra Cellam suam in profundo silentio solus maneat, ante Completorium per unam horam, & ante Missam Officii, & per aliam.

Octavo. Statuitur, ut Religiosi, quam minus possint e Domo egrediantur, nec nisi a quindena in quindenam alicui licentia præbeatur.

Nono. Statuitur, ut per totum annum disciplinam habeant feria secunda, quarta, & sexta, excepteutur tamen præsignati dies, si cum solemnibus festivitatibus concurrant. Monemus, necnon quod si aliquis Religiosus Divino fretus auxilio, austeriorem vitam, & carnis mortificationem vellet amplecti, ne propriæ voluntatis fere imperceptibili laqueo cingens se pereat, ante omnia Prælatum localem consulat, ejusque

nutui se subjaceat, ut alius cingat eum, & ferat quo non Satanæ, sed Deo proficiat.

Decimo. Statuitur, ut nec R. P. Provincialis, nec R. P. Commissarius Visitator possint mittere ullum Religiosum, ut in supradictis Conventibus commoretur, quin prius constiterit eis de exemplari vita, & spiritu probato Religiosi commoraturi, nec Prælatus localis eum commorantem habebit, nisi supposita approbatione Religiosorum etiam per vota singulorum exhibita.

Undecimo. Statuitur, ut nullus Religiosus possit eligi in prædictorum Conventuum Guardianum; quin prius laudabiliter per duos annos continuos in eis vitam eorum communem duxerit.

Duodecimo. Statuitur, ut nullus Religiosus, ob vitam improbam, pœnitentia correctus, nunquam a Superioribus Prælatis ad commorandum in præfatis Conventibus mittatur.

Tertio decimo. Statuitur, ut post prandium, & cœnam tam benedictio, quam gratiarum actio decantetur, itaut post prandium ad Ecclesiam cuncti Religiosi eant, prout in hac nostra Provincia consuetum est, ac deinceps recitantes Psalmum *Miserere mei &c.* regrediantur ad abstergendum scutellas, in quibus manducaverunt.

Quarto decimo. Statuitur, ut in singulis sabbatinis diebus omnes Religiosi post vesperas conveniant ad scopandum Conventum, & Ecclesiam, atque tunc ad purificandum Altaria.

Quinto decimo. Statuitur, ut in singulis hebdomadibus inter Religiosos conferatur, & dilucidetur aliquod punctum mysticæ Theologiæ, prout moris est.

Sextodecimo. Statuitur, ne prædicti Religiosi possint Terras colere, & in eis seminare, nisi tantum unum, aut duplex parvulum spatium in congruæ sustentationis subsidium, at neque id fiat, nisi ex gratis, & ad titulum paupertatis concessis, sicut decet paupertatis sanctissimæ sectatores, prout in Conventu de Caños Sanctos observatur.

Decimo septimo. Statuitur, ut in Refectorio, mensæ non exornentur mappis, sed duobus linteolis pauperculis pro munditie cujusvis Religiosi.

Decimo octavo. Statuitur, ut nemo cæterorum Religiosorum Provinciæ, possit apud tres Recollectionis Conventus remanere, nisi ut per aliquos dies a R. P. Provinciali deliberandos, serio spiritualia eorum exercitia sequatur, & dum aliquis sub alio fine, ac prætextu accedat, duobus transactis diebus subito recedere compellatur.

Decimo nono. Præcavemus, ut a sæcularium colloquio penitus Religiosi abstrahantur, quapropter dum hospites recipere opus sit, ad devote, & charitative eis necessaria ministrandum, dumtaxat adsit Pater Guardianus, aut Præses, vel loco ipsorum Religiosus modestior, a Patre Guardiano destinandus, & seligendus.

Vigesimo. Statuitur, ut nemo ad habitum induendum recipiatur, quin prius in præordinatis inserviendo Communitati exerceatur, si fit ad Chorum, per unum mensem, & per duos si fit ad Laicatum statum; & his peractis circa sufficientiam, & habilitatem pro statu suscipiendo singulorum vota sumantur.

§. 1. Tandem ultimo statuitur, ut numquam, qui in præstabilitis tribus Conventibus habitum susceperunt, ab eis ad cæteros Provinciæ Conventus transferantur, nisi gravi urgente causa, aut pro bono communi Provinciæ, verumtamen hæc approbanda per Diffinitorium una cum Superioris Generalis licentia, & quicumque hanc Regulam secuti fuerint Pax super illos.

§. 2. Ac proinde pro parte eorundem Ministri Generalis, Custodis, & Diffinitorum prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut trium Conventuum hujusmodi erectionem, sive assignationem, sicut præmittitur factam, necnon statuta præinserta confirmaret, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet -- *Sagra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Eminentissimi Cybo Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentiss. de Lauræa, censuit suprascripta statuta esse approbanda, prout præsentis Decreti vigore approbat, atque confirmat. Romæ 5. Junii 1693.* -- G. Cardinalis Carpineus -- A. Altovitus Secretarius.

Decretum Congregationis.

§. 3. Cum autem, sicut præfati Ministri Provincialis, Custos, & Diffinitores Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Preces Superiorum majorum.

Confirmatio relati Decreti.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Conventuum, Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Augusti MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXI.

Extenditur Indultum Clem. X. conferendi nonnullos gradus in Collegiis Societatis Jesu Civitatum S. Fidei, & Quiten. in Indiis Occident. ad alios gradus, & in perpetuum.

Clemen. X. Constitut. edit. fuit 1675. April. 17. Et hujus Pontificis Constit. edit. 1693. Septemb. 28. Pont. 3. declaratum, & ampliatum praed. Indultum.

Dat. 1. Sept. 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur Indultum Clemen. X. pro gradibus Philosophiæ, & Theologiæ ad decennium concessum.

Alias fel. rec. Clementi PP. X. prædecessori nostro pro parte tunc in humanis agentis Alphonsi de Alarios Presbyteri Regularis Societatis Jesu, ac Procuratoris Provinciarum Hispaniæ, & Indiarum Occidentalium dictæ Societatis exposito quod cum Metropolitanæ Sanctæ Fidei, & Cathedralis Quiten. Ecclesiæ in partibus Indiarum consistentes duo Seminaria juxta formam, & dispositionem Decretorum Concilii Tridentini in Civitatibus Sanctæ Fidei, & Quiten. respective erexissent, in quibus quam plurimi adolescentes sub cura, & Gubernio Clericorum Regularium Societatis præfatæ educabantur, ac Linguæ Latinæ, Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ studiis in Collegiis Societatis, & Civitatum hujusmodi operam navabant, eosque in virtute, & doctrina progressus faciebant, & animarum saluti, & Conversioni Gentilium (quorum in illis Regionibus Messis multa, Operarii vero pauci) fructuose incumbere valerent, propinquior vero, nempe Limana studii Generalis Universitas a Sancta Fidei mille quingentis, & a Quiten. Civitatibus præfatis nonagentis milliaribus respective distabat, ac proinde Alumni Seminariorum præfatorum ad eamdem Universitatem Limanam, propter locorum distantiam, viarumque incommoda, ac eorum paupertatem accedere nequibant, ut ibidem gradus Academicos consequerentur, unde flos juventutis earumdem Regionum ejusmodi honore privatus remanebat, non sine Ecclesiæ, atque Reipublicæ detrimento. Ideoque ipse Alphonsus plurimum cupiebat eisdem Alumnis indulgeri ut absolutis studiis, & prævio rigoroso examine, Baccalaureatus, Magisterii, & doctoratus in Philosophia gradus a Rectoribus, Præfectis, & Magistris supradictorum Collegiorum suscipere valerent, quemadmodum rec. mem. Gregorius PP. XIII. etiam Prædecessor noster Alumnis Seminarii Romani per quasdam suas literas concessisse reperiebatur. Idem Clemens prædecessor supplicationibus dicti Alphonsi nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus per quasdam suas in simili forma Brevis die 17. Aprilis 1675. expeditas literas præfatis Alumnis Seminariorum Sanctæ Fidei, & Quiten. Civitatum hujusmodi, ut peractis studiis, prævioque rigoroso examine, Baccalaureatus, ac Magisterii, & doctoratus in Philosophia, & Sacra Theologia hujusmodi gradus in Collegiis prædictis ab illorum respective Rectoribus, Præfectis, & Magistris suscipere, ipsique Rectores, Præfecti, & Magistri eosdem gradus dictis Alumnis, servata tamen cæteroquin memoratarum Gregorii prædecessoris literarum forma, & dispositione conferre libere, licite, & valide possent, & valerent respective ad decennium a die præsentationis earumdem Clementis prædecessoris literarum computandum auctoritate Apostolica concessit, & indulsit, & alias prout in ipsis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Superiorum Collegiorum.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Rectores, & Præfecti studiorum Sanctæ Fidei, & Quiten. Collegiorum præfatorum, Nobis nuper exponi fecerunt in eisdem Collegiis non solum Artium, sive Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ, sed etiam Decretorum, sive Sacrorum Canonum lectiones habeantur, & ad animarum salutem, Ecclesiæque utilitatem plurimum expediat Alumnos prædictos gradibus Academicis, etiam in Decretis, sive Sacris Canonibus hujusmodi post peracta studiorum curricula, decorari. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Consilio, veris existentibus narratis, indultum a memorato Clemente prædecessore ad artes, & Sacram Theologiam restrictum, ac ad decennium tantum concessum, ut præfertur, generaliter, & indistincte absque ulla temporis præfinitione ad omnes scientias, quæ in Collegiis supradictis edocentur, auctoritate prædicta tenore præsentium ampliamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extensio Indulti ad omnes gradus scientiarum, & in perpetuum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ supradictis Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Septemb. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXII.

Declaratur & ampliatur Constitutio abrogationis Discretorum ad Provincias Bæticæ, & Navarræ FF. Capuccinorum, cum nonnullis Ordinationibus.

Laudata Constitutio edita fuit 1693. Mart. 29. Pont. 2. Et Const. edit. 1694. April. 5. Pont. 3. amplatur ad alias Provincias.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

ALias emanarunt a Nobis ad supplicationem Charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. Innocentius Papa XII. ad perpetuam rei memoriam. Nuper pro (reliqua vide suo loco) Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIX. Martii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

§. 1. Cum autem sicut pro parte ejusdem Caroli Regis per prædictum Ducem denuo Nobis nuper expositum fuit in præinsertis Nostris literis trium Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ dicti Ordinis, nempe Castellæ veteris, & Novæ nuncupatæ, nec non Bæticæ, & Navarræ Provinciarum distincta, & expressa mentio facta non fuerit, quinimo nec in eisdem literis provisum fuerit, quod loco supradictorum Decretorum Conventualium, sicut præmittitur, sublatorum, & remotorum pro tempore existentes earumdem Provinciarum Diffinitores, & Custodes, necnon is saltem, qui novissime in illis Provincialatus Officio respective functus fuerit, in earum Diffinitoriis, & Capitulis Provincialibus votum, seu suffragium respective habere debeant quemadmodum ipse Carolus Rex pro peculiari suo in Ordinem prædictum devotionis affectu, commune ipsarum Provinciarum bonum promovendi studio ductus, Nobis supplicari fecerat; ac proinde opportune in præmissis a Nobis provideri, nec non præterea, quod in Provinciis prædictis Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari debeant, quemadmodum felic. record. Clemens Papa X. prædecessor Noster pro omnibus ejusdem Ordinis Provinciis per quasdam suas itidem in forma Brevis anno 1676. desuper expeditas literas præscripsisse dicitur decerni, & ordinari plurimum desideret: Nos pio ac laudabili dicti Caroli desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis per prædictum Ducem super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Congregationis Cardinalium consilio authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, remotionem, & abolitionem Discretorum Conventualium in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Capuccinorum factas, ut præfertur, expeditasque desuper literas Nostras præinsertas, intelligendas esse, non solum respectu Provinciæ utriusque Castellæ, Veteris scilicet, & Novæ, verum etiam respectu Provinciarum Bæticæ vulgo *Andalusiæ* nec non Navarræ; & quatenus opus sit, remotionem, abolitionem, & Nostras literas hujusmodi ad supradictas Provincias Bæticæ, & Navarræ authoritate, & tenore præfatis extendimus, & ampliamus. Præterea eadem authoritate harum serie decernimus, quod vice, & loco prædictorum Discretorum in tribus Provinciis hujusmodi, sicut præmittitur sublatorum, & abolitorum, Diffinitores, atque Custodes, & immediatus Exprovincialis earumdem Provinciarum in ipsarum respective Diffinitoriis, & Capitulis votum habeant, dictarumque Provinciarum Capitulo de sesquianno in sesquiannum deinceps celebrari debeant.

§. 2. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca Venerabili Fratri Friderico Archiepiscopo Mediolanen. moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat authoritate Nostra illos, & eorum quemlibet præsentium literarum, & in eis contentorum eorumdem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos desuper à quoquam quavis authoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, & censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendi, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, pœnas ipsas etiam reiteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis.

§. 4. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; nec non omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XII. Sept. MDCXCIII. Pontif. nostri Anno Tertio.

Confirmatur Decretum Universitatis Tonsorum de Urbe contra venditores suarum Tonstrinarum. XXXIII.

A Clem. XI. Const. edit. 1712. Maii 12. Pont. 12. confirmantur statuta hujus Universitatis.

INNOCENTIUS PAPA XII. Dat. 25. Sept. 1693. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nuper fecerunt dilecti Filii Consules, & Universitas Barbitonsorum Almæ Urbis Nostræ, quod cum, non sine gravi eorum artis detrimento sæpe contingat a nonnullis Barbitonsoribus sub prætextu, quod dictam Artem relinquere & sive in Patriam redire, sive Principum, vel aliorum Primariorum Virorum servitiis sese addicere velint, suas Tonstrinas, prout est adventorum ad eas frequens numerus, quanti plurimi vendi; postea vero in fraudem Emptorum novas Tabernas Tonsorias, aliquando qui- Causa Decreti.

Decretum præd. quo prohibetur venditoribus aperire novas Tonstrinas ante biennium, & intra spatium 200. cannarum.

dem sub specie Balnei, seu Stufæ, revera tamen non nisi ad ea, quæ Barbitonsorum sunt, inibi exercenda aperiri, atque illuc Tonstrinarum a se venditarum Adventores abduci; Consules prædicti præmissis consideratis, quò via dolis, & fraudibus hujusmodi in posterum obstruatur, vigore facultatis sibi ad id per speciale Rescriptum Nostrum attributæ, una cum nonnullis, aliis ejusdem Universitatis Officialibus, novissime statuerunt, sive decreverunt, ut de cætero suarum Tonstrinarum Venditoribus novas Tabernas Tonsorias, etiam sub specie Balnei, seu Stufæ nonnisi post duos annos a die, quo suas Tonstrinas prædictas vendiderint, aperire liceat, ita ut pro tempore existentes Consules dictæ Universitatis Tabernas illas, quæ contra statuti, seu Decreti prædicti formam apertæ fuerint, claudi facere valeant; ipsis tamen suarum Tonstrinarum hujusmodi Venditoribus unam ex Tabernis Tonsoriis antiquis, quæ a Tonstrina vendita intervallo ducentarum saltem Cannarum mensuræ Romanæ distet, emere minime prohibitum intelligatur.

Preces Universitatis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes statutum, seu Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, statutum, seu Decretum prædictum a supradictis Consulibus factum, ut præfertur, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Universitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, ac de verbo ad verbum expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXV. Sept. MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXIV.

Declaratur, & ampliatur Clem. X. Constitutio pro Collegiis S. Fidei & Quiten. Societatis Jesu in Indiis Occident. de conferendis, tanquam in Universitate, Doctoris, Licentiati, & Magistri gradibus.

Constit. ed. 1693. Septemb. 1. P. 3. concessa fuit facultas conferendi gradus in quacumque arte, & disciplina.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 28. Sep. 1693. An. [...]

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ Constitutionis Clem. X. qu[...] graduati in dd. Collegiis censentur tanquam graduati in Universitatibus

ALias fe. re. Clementi PP. X. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Rectorum Collegiorum Civitatum Quiten. & Sanctæ Fidei novi Regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Societatis Jesu, ac Præfectorum studiorum earumdem Civitatum exposito, quod cum in Regnis Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico subjectis una ex qualitatibus quas habere debebat, qui volebat per concursum obtinere Canonicatum, & Præbendam Doctoralem, vel Magistralem Cathedralium Ecclesiarum dictorum Regnorum, hæc esset, quod lauream Doctoratus, Licentiaturæ, vel Magisterii accepisset in aliqua studiorum Universitate, vel in Collegio Sancti Clementis Bononien. per bo. me. Ægidium Albernotium, dum vixit S. R. E. Cardinalem fundato, prout in literis re. me. Sixti IV. & Leonis X. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter Nostrorum desuper emanatis, uberius dicebatur contineri: In dicto autem novo Regno Granatensi nulla adesset Universitas studiorum, tam Sacrorum Canonum, & Juris Civilis, quam Theologiæ, & propinquior Universitas esset in Civitate Limana Regni Peruani, quæ per quingentas a Sanctæ Fidei, & per trecentas a Quitensi Civitatibus præfatis leucas respective distabat. Et dilecti quidem filii Clerici Regulares dictæ Societatis in eisdem Civitatibus Quiten., & Sanctæ Fidei artes, & Theologiam docerent, ac Præfectos Studiorum ibidem vigore facultatis a piæ me. Gregorio PP. XIII. etiam Prædecessore Nostro per quasdam suas literas incipien. *Quanta in vinea Domini*, Anno Incarnationis Dominicæ 1578. nonis Maji emanatas concessæ promoveret ad gradus Philosophiæ, & Theologiæ, ac lauream Doctoris, Licentiati, & Magistri quibuscumque in Scholis dictorum Collegiorum studentibus conferret; verum dicti studentes a præfato Præfecto studiorum, ita graduati, & laureati si vellent concurrere ad Canonicatus, & Præbendas Doctorales, vel Magistrales supradictarum Cathedralium Ecclesiarum oppositionum haberent, sub prætextu, quod non essent juxta dictas Sixti, & Leonis Prædecessorum literas in Universitatibus, vel in dicto Collegio Sancti Clementis Bononien. Graduati, & alii concurrentes idcirco illos a concursu excludere, tentarent: inde fiebat, ut studentes dicti novi Regni Granaten., quo gradibus hujusmodi decorarentur, longum iter ad memoratam Universitatem Limanam Civitatibus prædictis, ut præfertur propinquiorem suscipere, magnosque sumptus facere, ac etiam multis maris, terræque periculis se se exponere cogerentur. Et in eadem expositione subjuncto, quod prædictus Leo Prædecessor supradictas Sixti Prædecessoris literas, quæ ad graduatos in Universitatibus studiorum restrictæ erant, ad graduatos in dicto Collegio Sancti Clementis Bononien. extenderat, dicti vero Rectores Collegiorum, & Præfecti studiorum earumdem Civitatum easdem literas ad graduatos in dictis Collegiis Quitensi, & Sanctæ Fidei pariter extendi plurimum

desiderabant, quo in his Collegiis laureati, & graduati ad Canonicatus, & Præbendas Doctorales, & Magistrales prædictos concurrere valerent. Idem Clemens Prædecessor supplicationibus dictorum Rectorum, & Præfectorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, auctoritate Apostolica indulsit, & declaravit, ut laureati in prædictis Collegiis Societatis Jesu, donec aliqua publica Universitas proximior erecta fuisset, ac si in publicis Universitatibus censerentur laureati, ideoque capaces ad obtinenda quæcumque Beneficia hujusmodi gradum publicæ Universitatis ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, & Sancti Concilii Tridentini requirentia redderentur, & alias prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 30. Maji 1674. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii moderni Rectores, & Præfecti studiorum Sanctæ Fidei, & Quiten. Collegiorum prædictorum Nobis nuper exponi fecerunt, præfatæ Clementis Prædecessoris literæ ad eos, qui in artibus, sive Philosophia, & Sacra Theologia dumtaxat Doctoris, Licentiati, & Magistri gradus in supradictis Collegiis susceperint, restrictæ videantur revera tamen in iisdem Collegiis gradus hujusmodi non modo Philosophia, & Theologia prædictis, sed etiam in aliis omnibus scientiis, quæ inibi edocentur, ac præsertim in Decretis, sive Sacris Canonibus ex novissimo hujus Sanctæ Sedis Indulto conferantur. Nobis propterea iidem Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicta auctoritate tenore præsentium declaramus, Indultum a memorato Clemente Prædecessore concessum, ut præfertur intelligendum esse etiam de iis, quibus in Collegiis prædictis iidem gradus in Decretis, seu Sacris Canonibus supradictis collati fuerint. Et nihilominus quatenus opus sit idem Indultum ad eos, qui inibi dictos gradus etiam in Decretis, sive Sacris Canonibus hujusmodi, sicut præmittitur, susceperint, servata tamen cæteroqui prædictarum Clementis Prædecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Clementis Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur; quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Sept. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXV.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super nonnullis dubiis a Fratribus Tertii Ordinis S. Francisci propositis.

De observantia Constitutionum quoad Laicos, & Oblatos vide Inn. XI. Const. ed. 1688. Mar. 13. P. 12. Et de electione Ministri Provincialis Clement. XI. Constit. ed. 1708. Aug. 9. P. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 19. Oct. 1693. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Causa Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci a Nobis deputata, emanavit super quibusdam Dubiis in eadem Congregatione propositis Decretum tenoris, qui sequitur videlicet -- In Causa Tertii Ordinis Sancti Francisci, propositis infrascriptis Dubiis, videlicet.

Decretum d. Congregationis.

Primo. An juxta alias disposita in Constitutione fa. mem. Pauli III. de anno 1549. servanda sit Alternativa in electione Generalis.

Dubia.

Secundo. An decernendum sit etiam absentem a Capitulo posse eligi in Generalem.

Tertio. An prohibendum sit, ne quis gradum assecutus eligi possit in Generalem, vel Procuratorem Generalem.

Quarto. An Procurator Generalis eligendus sit a Patre Generali, vel a Capitulo.

Quinto. An prohibendum sit ne proxime futurum Capitulum Generale celebretur Bononiæ.

Sexto. An prohibendum sit, ne Pater Generalis Titulum Provincialis conferat Religiosis simplicibus.

Septimo. An prohibendum sit, ne Pater Generalis deputet Commissarios Generales ad tempus indefinitum, & ad omnes causas.

Octavo. An prohibendum sit, ne in Congregationibus Generalibus, vel Capitulis Intermediis fiant novæ Constitutiones, aut Decreta, prout prætenditur, factum fuisse in præteritum, etiam contra Constitutiones Ordinis.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Cybo, de Carpineo, Casanate, de Norfolcia, de Laurea, & Panciatici a Sanctissimo D. Nostro particulariter deputata, & Partibus ore, & scriptis informantibus respondit.

Ad Primum. Deinceps non posse, nisi post duo Capitula Generalia, seu post duo sexennia eligi Generalem ex illa Provincia, ex qua fuerit Generalis Antecessor immediatus, quæ tamen prohibitio minime intelligatur de Procuratore Generali, qui etiam intra dictum tempus ex præfata Provincia eligi possit.

Resolutiones.

Ad Secundum. Quemlibet Religiosum, licet a Capitulo absentem, sed cæteroquin præditum omnibus qualitatibus per Constitutiones Ordinis requisitis posse eligi in Generalem.

Ad Tertium. Attento novo Privilegio Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. conferendi Doctoratus, & Magisterii Lauream, tam eligendam in Generalem quam in Provincialem debere esse Magistrum.

Ad Quartum. Procuratorem Generalem eligendum esse a Diffinitorio tam Capituli Generalis, quam Capituli Intermedii, & in casu illius deficientiæ ob mortem, renunciationem, vel aliam quamcumque causam extra tempus prædictorum Capitulorum, eligendum esse a Patre Generali, cum approbatione Sanctæ Sedis Apostolicæ usque ad Capitulum Generale, seu Capitulum Intermedium proxime futurum, ita tamen ut ipse Procurator Generalis nunquam eligi possit ex illa Provincia, ex qua sit Generalis.

Ad Quintum. Proxime futurum Capitulum esse convocandum, & celebrandum in Urbe.

Ad Sextum. Titulos esse conferendos juxta modum præscriptum in Constitutionibus Urbanis pro Minoribus Conventualibus. *Titul.* 21. *num.* 5.

Ad Septimum. Patrem Generalem, non posse, nec debere deputare Commissarium Generalem, nisi quando ipse egreditur fines Italiæ, & pro eo dumtaxat tempore, quo extra Italiam commoratur.

Ad Octavum. Exhibenda, & examinanda esse Decreta, ut asseritur facta, non retardata interim eorumdem executione. Romæ die 29. Maji 1693.

Approbatio Pontificia hujus Decreti.

Et facta Sanctissimo de præmissis relatione, Sanctitas Sua Congregationis Sententiam in omnibus benigne probavit. Romæ 6. Octobris 1693.

Preces Card. Protectoris.

§. 1. Cum autem sicut Venerabilis Frater noster Alderanus Episcopus Ostien. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protector Nobis subinde exposuit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsum Alderanum Episcopum Cardinalem, & Protectorem specialis favore gratiæ prosequi volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, & expressa, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Octobris, MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXVI.

Confirmantur Decreta super collatione Lecturarum Provinciæ Castellæ FF. Eremitarum S. Augustini.

Agitur de numero Magistrorum Const. ed. 1692. Sept. 28. P. 2. Et Clem. XI. Const. ed. 1710. Maji 20. P. 10.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 19.O[ct.] 1693. An.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Alphonsus Dominguez Frater expresse Professus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, ac Procurator Provinciæ Castellæ dicti Ordinis, quod alii nempe die 4. Octobris 1691. tunc existentes Prior Generalis, & Diffinitorium ejusdem Provinciæ in Capitulo intermedio congregati pro recta Studiorum ipsius Provinciæ dispositione Decretum, quo modus conferendi Lecturas ejusdem Provinciæ præscribitur, ediderunt tenoris, qui sequitur, videlicet - Diffinitorium Provinciæ Castellæ S. P. N. Augustini in Capitulo intermedio congregatum die quarta Mensis Octobris anno Domini 1691. Cum mature consideraverit quantum intersit Provinciæ recta Studiorum dispositio, & quod Lecturæ conferantur Benemeritis, decernit omnes Lecturas Artium hujus nostræ Provinciæ conferri debere publico oppositionum concursu, hoc ordine faciendo. Assignatur dies fixa, & certa ad incipiendas oppositiones feria secunda post Dominicam quintam post Pascha cujuscumque anni, & habita licentia Rev. admodum Patris Provincialis pro tempore existentis (quæ nisi iis, qui per quatuor integros annos Theologiam audierint non est concedenda) venient Matritum promovendi, afferendo secum testimonium suæ Professionis, & illis secundum ipsorum antiquitatem, assignabitur dies ad legendum, itaut antiquior incipiat dicta feria secunda, & leget quotidie unus, aut duo, si PP. Judicibus concursus bene visus fuerit, assignatis punctis, in Aristotele, sicut mos est in examinibus Artium eliget unum, supra quod intra spatium 24. horarum leget lectionem unius horæ completæ in Gymnasio Theologico nostri Collegii Matriten. Dominæ Mariæ de Aragon coram omnibus, sicut fit in oppositionibus Cathedralium Universitatum, & post lectionem arguet unus ex Oppositoribus, qui immediate legerit, & contra primum legentem arguat ultimus in antiquitate; posteant arguent ambo Patres Regentes dicti Collegii, & si libuerit aliquis ex Patribus Judicibus concursus, itaut in arguendo altera consumatur hora; Finitis autem oppositionibus, ultima die convenient Patres Judices, & secundum Deum, & sanam conscientiam suis suffragiis, schedulis in scriptis, declarabunt quisnam ex Oppositoribus sibi magis benemeritis videatur, & qui per plura suffragia primus reperietur, ita publicabitur, & scribetur, ut talis, & procedetur ad secundum, & ad tertium, & ad cæteros, & si contigerit duos ex Oppositoribus, æqualia suffragia sortiri, ambo in ipso gradu scribantur in Libro, quem mandamus asservari semper ad hunc effectum in Archivio

Decretum Diffinitorii Provinciæ anno 169[1.] die 4. Oct[obris].

dicti

dicti Collegii D. Mariæ de Aragon, in quo singulis annis scribetur oppositio facta; Oppositores, & in quo gradu, & Ordine quis approbatus fuerit, quod totum subscribetur a Patribus Judicibus concursus infra designandis. Et copia dictæ oppositionis, & regula subscripta utique a dictis Patribus remittetur Reverendo admodum Patri Provinciali pro tempore existen.; qui sub pœnis a Rmo Patre Generali præscribendis hujus confirmatione Decreti, Lecturas distribuet, eo ordine, quo fuerint approbati a Patribus Judicibus concursus, conferendo meliorem priori in ordine designato; secundam in secundo; & non aliter. Declaramus in primo gradu esse Lecturas Conventuum, qui vocantur magni, & inter eas Pampilonensem. Nominamus in Judices concursus Rev. admodum Patrem Provincialem pro tempore existentem; quatuor Patres Magistros antiquiores in Provincia, qui tempore concursus potuerint interesse, & duos Patres Regentes dicti nostri Collegii. Etsi aliquis ex quatuor Patribus Magistris defuerit legitime impeditus ejus loco intererit Magister antiquior ab illis, etsi defuerit aliquis ex Regentibus, ejus loco ingredietur Lector jubilatus antiquior, qui tempore concursus fuerit Matriti; Etsi Pater Lector Collegii defuerit, ejus locum supplebit Pater Rector absolutus immediatus existens Matriti tempore oppositionum, itaut semper sint septem ad minus Judices dicti Conventus. Item declaramus Oppositores, qui in una oppositione Lecturam non obtinuerint, posse adhuc admitti ad secundam, & tertiam pro distinctis annis. Attamen ter repulsam passum incapacem, ut amplius admittatur ad similes oppositiones, nec Rev. Pater Provincialis pro tempore existens licentiam amplius concedere possit, ut se ad concursum exponat, & a Judicibus nullatenus admittatur sub pœnis a Reverendissimo Patre Generali præscribendis, prout sibi bene in Dño videbitur expedire. Et subinde tunc etiam existens Prior Generalis ejusdem Ordinis Decretum præinsertum confirmavit per suum pariter Decretum tenoris sequentis, nempe - Magister Frater Fulgentius Travalloni a Monte Elparo Giorginas totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Patris nostri Augustini Prior Generalis. Cum Decretum supra relatum de promovendis ad Lecturas in nostra Provincia Castellæ, prævio concurrentium examine, augmento studiorum, & doctrinæ valde utile futurum sit, illud vigore præsentium, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum Reverendorum PP. Assistentium approbamus; & confirmamus, atque pro ipsius inviolabili executione præcipimus Patri Provinciali pro tempore existenti, cæterisque concursus Judicibus assignatis in virtute Spiritus Sancti, & sub pœna privationis utriusque vocis, & inhabilitatis ad omnia officia omnibus futuris temporibus obtinenda, nec ad Lecturas Artium aliter admittant, aut promoveant; nisi sub præscriptis memorati Decreti conditionibus, prout concurrentes majori prærogativa fuerint digniores. Quod si secus fieri contigerit, aliqua præmissarum conditione omissa, tam Pater Provincialis, quam Judices superius præfixis pœnis, ipso facto subjaceant & nihilominus promotiones ipsæ Lectorum irritæ, ac nullius valoris habeantur. Datum in Conventu Sancti Patris Augustini de Urbe die 5. Junii 1692. Frater Fulgentius Travalloni Prior Generalis - Magister Nicolaus Serrano Ordinis Secretarius.

[...cretum ...ris Generalis ap...pans re...m Decre...]

[...eces Pro...toris ...vinciæ.]

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Alphonsus Procurator Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos eundem Alphonsum Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabil. Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio; Decreta præinserta a memoratis Priore Provinciali, & Diffinitorio, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Octobris MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXVII.

Conceditur, & statuitur, ut studentes Cœnobiorum S. Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., S. Jacobi, S. Miniatis sua studia peragant in Cœnobiis strictæ Observantiæ, & Lecturas obtinere queant.

De numero Magistrorum vide Inn. XI. Const. edit. 1677. Nov. 20. P. 2. Et hujus Pontificis Const. ed. 1695. Sept. 22. P. 5. Const. vero ed. 1697. Julii 23. P. 6. agitur de electione Lectorum Congregationis S. Marci.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 20. Oct. 1693. An. 3.

Ad futuram rei perpetuam.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, ad ea per quæ Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, laudabilibusque institutis suis inhærentium, statui, & felici directioni opportune consulitur, propensis studiis intendimus, ac in illis commissi Nobis cælitus officii partes interponimus, sicut rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Exordium.

pecies facti, & causa hujus Constitutionis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres studentes, seu Alumni Sancti Marci Florentin. S. Dominici Fesulan., & Sancti Miniatis respective Conventuum Ordinis Prædicatorum, quod ipsi, tametsi habitum per Fratres dicti Ordinis gestari solitum in Conventibus prædictis susceperint, atque inibi quam exactissime Constitutiones ejusdem Ordinis juxta præscriptum Decretum fel. record. Clementis VIII., & Alexandri VII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac specialium ordinationum Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ observare hactenus studuerint, & adhuc studeant de præsenti, illisque Superiores Ordinis prædicti polliciti fuerint se eis potestatem facturos eamdem planæ vitæ rationem, quam in Conventibus supradictis inierant, Deoque spoponderant, continuandi. Nihilominus de præsenti pro suis studiis prosequendis in eos dicti Ordinis Conventus se conferre compelluntur, in quibus illud vivendi genus, cui ipsi in vim Constitutionum prædictarum, ac solemnium suorum Votorum addicti reperiuntur, minime servatur; quo circa Exponentes prædicti imbecillitatis suæ probe conscii se in suscepto instituto permanere posse diffidunt, ac pluribus illorum, qui postquam aliquando studiorum causa in Conventus hujusmodi se transtulerant, nunquam ad pristinam vitæ normam redierunt, exemplis edocti, ne sibi similiter ab arrepto proposito declinare contingat summopere verentur, nisi a Nobis districte prohibeatur, ne ipsi sub prætextu studiorum a Conventibus primodictis amoveri valeant, vel saltem decernatur, ut nonnisi in alios Conventus, in quibus re vera tum vita communis observetur, tum regularis observantia vigeat, mitti debeant, quemadmodum per quoddam Decretum a rec. mem. Innocentio PP. X. etiam Prædecessore nostro editum, & in Capitulo Generali Ordinis præfati in hac Alma Urbe die 5. Junii 1650. celebrato Ordinatione VI. incipien. -- *De nutu, jussuque &c.* acceptatum, necnon per aliud similiter Decretum alterius Capituli Generalis ejusdem Ordinis Vallisoleti anno 1605. habiti Ordinatione XVI. incipien. *In quibus &c.* præscriptum fuisse dicitur, quorum Decretorum vigore qu. Joannes Baptista de Marinis, dum vixit, Magister Generalis Ordinis supradicti, necnon Venerabiles Fratres Joannes Thomas de Rocaberti Valentin., ac Antonius de Monroy Compostellan. respective Archiepiscopi dum munere itidem Magistri Generalis Ordinis hujusmodi respective fungebantur, nunquam permiserunt, quod Juvenes in primodictis Conventibus educati, sacrarum, bonarumque literarum studiis alibi, quam in Conventibus strictæ observantiæ incumberent; unde vel eis, ut eadem studia in Conventibus primodictis prosequi possent, concesserunt, vel potius illos in strictissimæ observantiæ Provinciam Toletanam, sive Congregationem Beati Jacobi Venetiarum ejusdem Ordinis, ne scilicet minus perfectorum Religiosorum contubernio eorum in via Domini fervor tepesceret, transmiserunt. Quinimo cum in Conventibus primodictis Religiosorum, ac præcipue studiosorum numerus excrevisset, dictus Antonius Archiepiscopus tunc temporis Magister Generalis Conventuum hujusmodi studentibus indulsit, ut studia, quæ ipsi, sive in Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, sive in Perusino respective Conventibus perficere debuissent, in Conventu Sancti Marci supradicto peragere possent, ea tamen lege, quod peractis studiorum curriculis, rigoroso examine in eodem Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam habendo se subjicere deberent, quemadmodum hucusque fieri consuevit.

Preces Studentium.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, per quoddam statutum Provinciæ Romanæ Ordinis supradicti Apostolica auctoritate, ut asseritur, confirmatum, caveatur expresse, quod Fratres Provinciæ prædictæ ad Lectoris gradum promoveri minime valeant, nisi in Sanctæ Mariæ super Minervam, seu Perusin. Conventibus supradictis studia sua peregerint: Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Statutum præd. de loco Studiorum.

§. 3. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de memoratorum Cardinalium, qui dilectos filios Vicarium, & Procuratorem Generales dicti Ordinis audiverunt, consilio, fratres studentes, seu Alumni supradictorum Conventuum Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., & Sancti Jacobi, Sancti Miniatis nunc, & pro tempore existentes studiorum causa, non alibi, quam in S. Marci Florentin. prædicto, sive aliis strictæ observantiæ Conventibus, cujusmodi sunt Conventus Provinciæ Toletan. ac Congregationis B. Jacobi Venetiarum hujusmodi a quoquam quavis auctoritate, vel superioritate fungente de cætero mitti, seu collocari possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Præterea eisdem Fratribus studentibus, seu Alumnis, ut suorum studiorum curriculo exacto, licet in Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, seu Perusin. Conventibus præfatis studia hujusmodi minime peregerint, necnon peragant in futurum, nihilominus, servatis alias servandis, & dummodo ad id cæteroqui idonei reperiantur ad gradum lectoris promoveri libere, & licite valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si eadem studia in Conventibus hujusmodi peregisse, & complevisse reperirentur, auctoritate, & tenore præfatis, concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Concessio pro Lecturis obtinendis.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, Congregationis Beati Jacobi Venetiarum, Provinciarum, & Conventuum prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter,

& ex-

& expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XX. Octobris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXVIII. Confirmatur Decretum Congregat. Concilii, quo conceditur Vicariis Generalibus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redem. Captiv. in Indiis facultas ejiciendi inquietos, & incorrigibiles.

Extat moderatio Constitutionum Constitut. ed. 1692. Mar. 1. P. 1. Et Clem. XI. Constitut. ed. 1702. Mar. 29. P. 2.

Dat. 24. Oct. 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa d. Decreti.

NUper pro parte dilecti filii moderni Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregationi Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod cum in Constitutionibus dicti Ordinis Cap. VI. Dist. V. soli Magistro Generali pro tempore existenti ejusdem Ordinis cum assistentia tamen sex Religiosorum ipsius Ordinis, tribuatur facultas cognoscendi de causis Fratrum inquietorum, & incorrigibilium ipsius Ordinis, itaut postquam de iis cognoverit, atque in illis rationes, & circumstantias a Constitutionibus prædictis requisitas adesse compererit, ipse solus Magister Generalis ad sententiam eorum ejectionis juxta formam in eisdem Constitutionem præscriptam, procedere possit; Ordo vero præfatus longe, lateque diffusus in Indiis reperiatur, inquietorum, & incorrigibilium fratrum hujusmodi in tam remotis partibus degentium scandalis, & perturbationibus opportunum remedium adhibere nequibat. Ac proinde pro parte dicti Vicarii, & Procuratoris Generalis prædictis Cardinalibus supplicato, ut ad duos Vicarios Generales dicti Ordinis in eisdem Indiis commorantes prædicti Magistri Generalis facultatem extendere dignaretur, itaut eorum quilibet itidem cum assistentia aliorum sex digniorum Religiosorum in casibus necessariis, juxta earumdem Constitutionum præscriptum, ad inquietorum, & incorrigibilium Fratrum hujusmodi ejectionem procedere possit; qua ratione regularis observantiæ, ac Divini servitii conservationi in partibus supradictis opportune consultum foret: Emanavit a prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Die 5. Septembris 1693.* Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attenta relatione Eminentissimi Domini Cardinalis Otthoboni Ordinis prædicti Protectoris, censuit petitam facultatis extensionem concedi posse, facto verbo cum Sanctissimo. Et facta per Secretarium sub die 27. ejusdem Mensis relatione, Sanctitas sua benigne annuit, accedente consensu Generalis pro tempore, & juxta normam in Decreto de Apostatis, & Ejectis præscribendam.

Decretum Congregationis.

Preces Vicarii, & Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Vicario, & Priori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIV. Octob. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXIX. Confirmatur erectio trium Cœnobiorum Recollectionis in Provincia Bætica Tertii Ordinis S. Francisci.

Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 3. confirmata fuerunt quædam statuta. Et Const. ed. 1695. Jul. 20. P. 5. præcipitur observantia statutorum in Collegio Sancti Isidori de Urbe.

Dat. 21. Nov. 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

In laudata Const. confirmata fuerant quædam Statuta, non autem erectio Cœnobiorum.

ALias Nos supplicationibus dilectorum filiorum Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ S. Michaelis in Bætica Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum quoddam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanatum, quo nonnulla statuta a Diffinitorio dictæ Provinciæ pro felici directione trium Conventuum Recollectionis nuncupatorum in eadem Provincia non ita pridem erectorum edita confirmabantur toto statutorum hujusmodi tenore inserto per quasdam nostras in simili forma Brevis die 15. Augusti proxime præteriti expeditas literas approbavimus, & confirmavimus, prout in iisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem, sicut Minister Provincialis, Custos, & Diffinitores prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, in Decreto supradicto statuta præfata dumtaxat confirmata fuerint, ipsi vero Exponentes etiam eorundem Conventuum ere-

Preces Superiorum.

ctionem Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, & attenta relatione, quam Ven. Fr. noster Alderanus Episcopus Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector eisdem Cardinalibus super præmissis fecit, Erectionem prædictorum trium Conventuum Recollectionis in eadem Provincia factam, ut præfertur auctoritate Apost. tenore præsentium approbamus pariter, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio d. Erectionis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XL.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super concessione Indultorum suscipiendi Ordines extra tempora.

Inn. XI. Const. ed. 1686. Jan. 30. P. 10. agitur de ordinatis cum falsis dimissoriis. Et hujus Pontificis Const. ed. 1694. Nov. 4. P. 3. de ordinationibus alienorum Subditorum.

Dat. 13. Oct. 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Decreti.

SAnctissimus Dominus Noster Innocentius Papa XII. pro pastorali suo in commissum sibi Gregem Dominicum zelo, ac tuendæ Disciplinæ Ecclesiasticæ studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra tempora a jure Statuta Ordines nimis facile concedantur, Congregationi particulari Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici, & Albani, necnon Illustrissimorum Dominorum Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infrascripti specialiter deputatæ expendendas commisit causas, ex quibus præfata Indulta tribui solent, & Sanctitati Suæ referri posset, quæ ratio deinceps ineunda, modusque adhibendus videretur in concessione similium Indultorum.

Decretum Congregationis.

§. 1. Quæ quidem Congregatio in Ædibus præfati Eminentissimi Carpinei die 10. Novembris, atque iterum 7. Decembris Anni currentis habita, re mature discussa, censuit Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex causis infrascriptis, videlicet.

Quibus concedenda prædicta Indulta.

§. 2. Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteratus Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad vitam sibi concessæ per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium Patris, vel Matris, dummodo quinquaginta ætatis annos excedant, & Orator saltem per triennium in Clericali habitu honeste, & laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusque Signaturæ, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque Coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia; Doctoribus utriusque, vel saltem Canonici juris, Licentiatis, dummodo singulos præfatos gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint. Iis etiam, qui saltem per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverunt, ac tandem vigesimum sextum ætatis annum excedentibus, si per triennium in Clericali habitu honeste, & laudabiliter vixerint.

Quibus vero deneganda.

§. 3. E contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apostolicarum Scriptor sit, seu Magister in Artibus, nobilis, aut præsens in Curia, vel quod Philosophiæ cursum absolverit, aut alicui Ecclesiæ adscriptus fuerit, ad cujus servitii Titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut onus Missarum non tamen ex Beneficio Ecclesiastico proveniens, habere se doceat. Insuper censuit Indulta hujusmodi esse deneganda iis, qui aliqua dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis; & Sede Episcopali vacante infra annum a die vacationis minime danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

Item pro quibus diebus, qua de causa, & quomodo concedenda.

§. 4. Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

§. 5. Denique censuit Episcopos omnes, ac etiam Apostolicos Nuncios, & Legatos Literis in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam Indulta prædicta non ita passim, sed ex certis tantum, legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum exequutionem adstringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii Titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini *Sess.* 21. *Cap.* 2. Eos vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultatem obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis respective tribuendi licentiam, ut conferant, maxime carere debere, ne præscriptos sibi in iisdem facultatibus limites cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediantur.

Confirmatio relati Decreti.

§. 6. Hæc autem omnia, & singula suprascripta Decreta, audita ex me integra eorum relatione,

latione, Sanctissimus Dominus Noster laudavit, & approbavit, ac tam in Dataria, & Secretaria Brevium, quam a cæteris omnibus Ministris, & Officialibus Curiæ, ad quos pertinet, perpetuo, & inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate prædicta Indulta aliter, quam ad formam eorumdem Decretorum in posterum expediendi. Hac die 14. Decembris 1693.

XLI. Confirmatur Constitutio Clem. VIII. qua interdicitur Monachis Congreg. Regularis Castellæ Ord. Cistercien. in Regno Portugalliæ appellatio ad exteros judices, & manifestatio negotiorum Congregationis.

Laudata Const. ed. fuit 1592. Aug. 22. P. 1. Hujus Pontificis Const. ed. 1693. Jan. P. 2. prohibita fuit acceptio illegitimorum, & expulsorum. Et Clem. XI. Const. ed. 1701. Feb. 19. P. 1. agitur de Vocalibus.

Dat. 24. Mart. 1694. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris pro felici Christifidelium sub suavi Monastici Instituti jugo vota sua Altissimo reddere laudabiliter satagentium statu conservandi, illorumque Religiosa quiete firmiter stabilienda pie, provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Constitutio Clem. VIII., qua

§. 1. Dudum siquidem felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster, ut Religiosæ Monachorum Congregationis regularis observantiæ Sancti Bernardi Castellæ Ordinis Cistercien. tranquillitati, prosperoque regimini salubriter consuleret, Literas in simili forma Brevis edidit tenoris, qui sequitur, videlicet - *Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam*, Pastoralis Nostræ solicitudinis ratio postulat, ut in his auctoritatis Nostræ partes libenter interponamus, per quæ Religiosorum status quieti, ac prospero regimini opportune consulitur. Sane cum Religiosorum proprium sit in humilitatis, & obedientiæ spiritu, Deo servire, & a sæcularium rerum cura, a qua cum Religionem profitentur omnino se subtraxisse, debent penitus liberasse, nihil magis eorum quietem perturbare potest, quam si contra proprium hujusmodi Institutum Superioribus obedien. recusare, ac ad sæculares personas pro eorum regularibus negotiis recurrere non vereantur. Hoc siquidem incommodum ex Ordine Cistercien. submovere, eique obviare cupientes felic. record. Alexander IV., Pius II., & Innocentius VIII., ac alii forsan Romani Pontifices Prædecessores Nostri per suas perpetuo valituras Constitutiones inter cætera statuerunt, quod personæ Regulares Ordinis Cistercien. aliquo prætextu, vel occasione ab ordinationibus, & correctionibus quibuscumque tam suorum Abbatum, & Prælatorum, quam etiam Abbatis, & Capituli Generalis appellare, aut curas, & querelas suas extra dictum Ordinem educere, præterquam pro notoria, ac manifesta injustitia, & in eventum denegatæ justitiæ a Capitulo Generali ad Sedem Apostolicam tantum appellare, & recursum habere non possint, prout in eorumdem Prædecessorum literis plenius continetur. Cum autem hoc ipsum in Congregatione regularis observantiæ Sancti Bernardi Regnorum Castellæ, quæ ejusdem Ordinis Cistercien. existit, & eisdem Privilegiis ac Regularibus Institutis utitur inviolabiliter observari maxime deceat, & Nos summopere cupiamus ejusdem Congregationis quieti, & prospero regimini opportunius etiam consulere, Motu proprio non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine ex voto venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium tunc præpositorum Constitutiones prædictorum Prædecessorum Nostrorum, ac Literas desuper confectas, quarum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficienter expressis haberi volumus, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & innovamus; illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis Apostolicæ robur adjicimus, easque in dicta Congregatione Regularis Observantiæ Sancti Bernardi Regnorum Castellæ æque ac si per ea nominatim editæ fuissent sub pœnis omnibus in illis Constitutionibus eo ipso incurrendis inviolate perpetuo observari debere decernimus, & mandamus. Et nihilominus hac Nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, ac statuimus, & ordinamus pro perpetuis futuris temporibus nulli omnino personæ dictæ Congregationis regularis observantiæ Sancti Bernardi liceat ab Ordinationibus, visitationibus, correctionibus, reformationibus, privationibus, depositionibus, aliisque pœnis, & sententiis suorum Abbatum, Visitatorum, aliorumque Prælatorum, seu etiam Abbatis reformatoris Generalis ejusdem Congregationis ad aliquem Judicem sive Ecclesiasticum, sive sæcularem, aut aliam quamcumque personam quavis auctoritate, & dignitate, etiam legali, Ducali, aut alia mundana, aut etiam Archiepiscopali, Episcopali, vel alia Ecclesiastica præfulgentem appellare, aut alias quoquo modo recursum habere, sed ab eorum superioribus Ordinariis ad Abbatem Generalem, & ab illo ad Capitulum intermedium, & ab isto ad Capitulum Generale recurrere, & coram eis de eorum Juribus experiri juxta dicti Ordinis, & Congregationis privilegia, & regularia Instituta teneantur, a prædicto tamen Capitulo Generali pro notoria, & manifesta injustitia, ac in eventum denegatæ Justitiæ ad Sedem Apostolicam, ut præfertur, dumtaxat recurrere valeant. Insuper ejusdem Congregationis Abbati Reformatori Generali, aliisque Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis, Monachis, Monialibus, & universis, & singulis utriusque sexus Regularibus personis perpetuo interdicimus, & prohibemus, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ districtius præcipiendo mandamus, ne unquam tempore non solum de hujusmodi causis, sed etiam de quibuscumque aliis rebus, & negotiis Congregationis ad quascumque personas sæculares, & Ecclesiasticas extra dictam Congregationem, etiam Reges, Duces, & alios Principes sæculares, necnon quoscumque in Ecclesiastica Dignitate constitutos, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiasticos Prælatos scribere culpas Religiosorum, & pœnas quibus plectuntur, & alias res, quæ extraneis personis nota esse minime decet tam per literas, & memorialia, quam oretenus per se, vel per aliquam interpositam personam, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse quovis quæsito colore, vel ingenio significare, & notas facere de eorum Prælatis, aut de omnibus, aut singulis utriusque Sexus ejusdem Congregationis regularibus personis supranominatis penes prædictas personas conquesti, aut coram illis aliqua ipsorum Prælatorum, & dictarum Personarum crimina objicere, aut alia facere, dicere, tractare, quæ ad Religionem, seu Religiosos ipsos pertineant, audeant, seu præsumant. Qui vero in aliquo præmissorum contra præsentium tenorem venire, aut aliquid attentare præsumpserint, eos excommunicationis latæ sententiæ, ac perpetuæ privationis activæ, &

Confirmatæ fuere Prædecessorum Constitutiones super dicta re pro Congregatione Castellæ.

Item denuo prohibita fuit d. appellatio, necnon manifestatio negotiorum Congregationis sub gravibus pœnis.

Excepta fuit appellatio ad Pontificem in uno casu.

passivæ,

passivæ vocis, ac Dignitatum, Officiorum, & administrationum, quorumcumque, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, carcerisque mancipationem unius anni in cujus omnibus quartis, & sextis feriis disciplinas in Capitulo suscipiant, & in Refectorio panem, & aquam tantummodo in terræ manducent pœnas, ad quas incurrendas solæ appellationum interpositiones, ac literæ, aliaque contra tenorem hujusmodi attentata ubique tam in Judicio, quam extra fidem faciant, eo ipso incurrisse, & incurrere declaramus, pœnasque hujusmodi a Nobis tantum, & Romanis Pontificibus remittendas contra eos irremissibiliter infligimus, & promulgamus. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ universis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, seu ut præfertur, in Ecclesiastica Dignitate constitutis, & aliis personis Ecclesiasticis, ut prædictæ Congregationis quiete illius Religiosos quoscumque ad eos forsan recurrentes contra præmissa delinquentes eorum Superioribus puniendos relinquant, nec illis aliquo modo contra earumdem præsentium tenorem faveant, aut delinquendi occasionem præbeant. Reges autem, Duces, & Principes temporales paterne in Domino hortantes, ut qui libertatem Ecclesiasticam, & Religiosorum quietem tamquam Catholici Principes tueri tenentur hujus Congregationis prosperum, & pacificum statum, qui ex præmissorum occasione maxime pendet, conservari curent, & studeant. Decernentes insuper præsentes Literas, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio aut intentionis Nostræ, vel quocumque alio defectu, notari, impugnari, vel redargui posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium Literarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosque plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere: Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac alios ad quos spectat, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Dilecto filio Abbati, & Reformatori Generali Congregationis prædictæ nunc, & pro tempore existenti per præsentes committimus, & mandamus, quatenus præmissa omnia statim post præsentium susceptionem in Congregatione prædicta, & in omnibus ejus utriusque sexus Monasteriis publicari, eaque omnia tam per se, quam per Visitatores Ordinarios, omnesque alios inferiores ejusdem Congregationis Prælatos ab omnibus utriusque sexus ejusdem Congregationis Regularibus personis inviolabiliter observari faciat. Contradictores, & inobedientes supradictis & aliis pœnis juxta ejusdem Congregationis regularia Statuta, aliisque opportunis Juris, & facti remediis, appellatione omnino postposita compescendo. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuscumque Statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes Literæ inter Statuta, & diffinitiones ejusdem Congregationis perpetuo observandæ describantur; & earum transumptis etiam impressis manu Secretarii dictæ Congregationis, aut alicujus Notarii publici, necnon sigillo ipsius Congregationis, vel alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, indubia ubique in Judicio, & extra æque, ac præsentibus ipsis fides adhibeatur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 22. Augusti 1592. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Preces Monachorum Regni Portugalliæ.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Monachi Congregationis præfatæ in Regno Portugalliæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi præmissa, quo firmius subsistant, & inviolabilius serventur, Apostolicæ confirmationis Nostræ robore communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Clementis Prædecessoris Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio relatæ Constitutionis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces, existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Clementis Prædecessoris Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, in Judicio, & extra illud, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCXCIV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLII.

Confirmatur Decretum Congregationis Epis. & Reg. de Lectoribus Monachorum Eremitarum S. Hieronymi Lombardiæ post 12. annos ad Prioratus Titulares promovendis.

De electione Priorum aliorumque extat Greg. XIII. Const. ed. 1574. Maji 26. P. 3. Et hujus Pontificis Const. ed. 1695. Jan. 19. P. 4.

Dat. 3. April. 1694. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Id determinatum fuerat Capitulo Gener. 1676. confirmatum a d. Congregatione.

NUper pro parte dilectorum filiorum Euphemiani Volpini a Placentia, & Petri Hieronymi Coquicomi a Mediolano Monachorum expresse professorum Congregationis Eremitarum Sancti Hieronymi Lombardiæ, & Lectorum, Congregationi Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod alias nempe anno 1676. in Capitulo Generali dictæ Congregationis Monachorum speciale quoddam Decretum ad favorem Monachorum Lectorum editum fuerat pro eis, qui in Civitatibus duodecim annorum spatio legissent, & ad id studium adjuncto Sacræ Scripturæ studio, duodecim publicas Cathedras Magistrales sustinuissent, concedebatur, ut Priores titulares existerent eodem modo, quo alias a fel. record. Clemente Papa X. Prædecessore Nostro Monachis Congregationis prædictæ, qui Prioris Generalis ipsius Congregationis Officium laudabiliter exercuissent, indultum fuerat, ut absoluto Officio hujusmodi Priores pariter Titulares existerent, & declarati intelligerentur; verum tametsi subinde, videlicet die 16. Decembris 1678. Decretum hujusmodi a memorata Congregatione Cardinalium confirmatum, ejusque observantia Superioribus pro tempore existentibus supradictæ Congregationis strictissime injuncta fuissent, prout in Decreto ab eadem Congregatione Cardinalium desuper emanato uberius dicebatur contineri; nihilominus postmodum, nempe in alio Capitulo Generali ejusdem Congregationis anno 1682. celebrato Decretum Capitulare præfatum a Diffinitoribus ipsius Capituli, nesciebatur qua ratione revocatum fuerat; at cum subinde eidem Congregationi Cardinalium pro simili Decreti hujusmodi revocatione obtinenda supplicatum fuisset, ipsa Congregatio Cardinalium rei gravitate perpensa, nihil desuper absolute decreverat; sed rem ipsam per suum Decretum, similiter remiserat tunc in humanis agenti Paulo ejusdem S. R. E. dum vixit, Cardinali Sabello nuncupato præfatæ Congregationis Monachorum apud Sedem Apostolicam Protectori, qui subinde per quandam suam die 5. Augusti 1682. scriptam Epistolam tunc existenti Abbati Generali dictæ Congregationis Monachorum se quidem præfatæ Congregationi Cardinalium pro abolitione supradicti Decreti Capitularis retulisse; sed nihil ab ea desuper resolutum fuisse; ac proinde nec a se, nec ab ipsa Congregatione Cardinalium Decretum ullum memorati Decreti Capitularis abrogatorium editum fuisse significaverat. Ideoque pro parte eorumdem Euphemiani, & Petri Hieronymi asserentium se qualitatibus vigore dicti Decreti Capitularis requisitis præditos esse, & inde ipsam eorum Congregationem desiderare, ut ipsi tanquam de ea benemeriti Prioratus Titulo decorarentur, eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut antequam Dieta pro eorum promotione convocaretur, primodictum Decretum supradicti Decreti Capitularis confirmatorium a præfata Cardinalium Congregatione, sicut præmittitur, emanatum, ad eorum favorem approbare, & confirmare dignaretur; emanavit ab ipsa Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Priore Generali prædicti Ordinis, & attentis narratis, censuit, ac decrevit, servandum esse Decretum primum Capituli Generalis, ab eadem Sacra Congregatione die 16. Decembris anni 1678. confirmatum, prout præsentis Decreti vigore servari mandavit, qui buscumque in contrarium non obstantibus. Romæ 18. Decembris 1693.

Decretum Congregationis.

Preces Lectorum.

§. 1. Cum autem sicut memorati Euphemianus, & Petrus Hieronymus Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos ipsos Euphemianum, & Petrum Hieronymum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Euphemiano, & Petro Hieronymo, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis Monachorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDCXCIV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLIII.

Extenduntur binæ Constitutiones de abrogandis Discretis pro Capitulis FF. Capuccinorum ad alias Provincias Aragoniæ, Valentiæ, Cathalauniæ, Sardiniæ, & Majoricæ.

Harum Constitutionum prima ed. fuit 1693. Mar. 29. P. 3. altera vero 1693. Sept. 12. P. 3. Et Const. ed. 1696. Aug. 14. P. 6. agitur de iis, qui sunt loco Discretorum abrogatorum.

Dat. 5. April. 1694. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

In prima Constitutione abrogati fuere discreti utriusque Castellæ.

ALias pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis exposito, quod tam prædictorum, & Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quam aliorum diversorum Ordinum Fratres in Regnis utriusque Castellæ existentes sua Capitula Provincialia cum interventu Superiorum Localium Conventuum Ordinum hujus-

modi absque Discretis, seu Sociis, qui olim ab ipsis Conventibus, ad effectum sua suffragia ferendi in eisdem Capitulis eligi consueverant, tunc celebrari solebant; id siquidem præterquam quod Decretis Concilii Tridentini *Sess.* 25. *Cap.* 6. ibi -- Nec in posterum liceat Provinciales, aut Abbates Priores, aut alios quoscunque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere &c. magis conforme videbatur; necessarium quoque compertum fuerat tum ad tollenda damna, & incommoda, quæ ex eorumdem discretorum seu Sociorum electione in Religiosæ pacis, & concordiæ, quæ in Ordinibus prædictis semper florere debet, præjudicium proveniebat, tum ad impediendas relaxationes, quas dependentia, quam tunc Superiores a suis Subditis habebant, producebat; ipsi enim Superiores, ut dictos suos Subditos pro iis in Discretos, seu Socios hujusmodi eligendis, quos ad effectum se perpetuo suarum Provinciarum gubernio confovendi eligi necesse erat, benevolos haberent, regularis disciplinæ conservationi, prout eorum Officii erat, incumbere negligebant. Quocirca quoties dictorum Regnorum Religiosi regularis disciplinæ hujusmodi tuendæ zelo ducti, ad ipsius Caroli Regis patrocinium pro eorumdem Discretorum, seu Sociorum abrogatione ab hac Sancta Sede impetranda confugerant, illud semper eis adfuerat, donec hujusmodi gratiam consecuti fuissent. Et in eadem Expositione subjuncto, quod dictus Carolus Rex certior factus fuerat Fratres Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum in Regnis prædictis existentes non modo eadem incommoda, & damna, quæ olim religiosi aliorum Ordinum præfatorum ex electione Discretorum, seu Sociorum hujusmodi experti fuerant, pati, sed & alia multa concurrere, propter quæ Fratres prædicti usum eligendi Discretos, aut Socios prædictos in Provinciis dictorum Regnorum abrogari plurimum desiderabant, adeoque ipsius Caroli Regis zelum solicitabant, ut Apostolicæ desuper auctoritatis nostræ partes interponi similiter curaret. Nos supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Discretos prædictos in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum dicti Ordinis Capuccinorum, sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica sustulimus, & removimus, & alias prout in Nostris in simili forma Brevis die 29. Martii 1693. desuper expeditis Literis plenius continetur; subinde vero pro parte ejusdem Caroli Regis Nobis iterum exposito, quod in præfatis Nostris Literis trium Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ d. Ordinis Capuccinorum, nempe Castellæ Veteris, & novæ nuncupatæ, necnon Bæticæ, & Navarræ Provinciarum distincta, & expressa mentio facta non fuerat, quinimo nec in eisdem Literis provisum fuerat, quod loco supradictorum Discretorum Conventualium, sicut præmittitur, sublatorum, & remotorum pro tempore existentes earumdem Provinciarum Diffinitores, & Custodes, necnon is saltem, qui novissime in illis Provincialatus Officio respective functus fuerat, in earum Diffinitoriis, & Capitulis Provincialibus Votum, seu suffragium respective habere deberent, quemadmodum ipse Carolus Rex pro peculiari suo in Ordinem prædictum devotionis affectu, commune ipsarum Provinciarum bonum promovendi studio ductus Nobis supplicari fecerat; ac proinde opportune in præmissis a Nobis provideri; necnon præterea quod in Provinciis prædictis Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari deberent, quemadmodum fel. rec. Clemens Papa X. prædecessor Noster pro omnibus ejusdem Ordinis Provinciis per quasdam suas itidem in forma Brevis anno 1676. desuper expeditas Literas præscripsisse dicebatur, decerni, & ordinari plurimum desiderabat. Nos porrectis Nobis hac in re pro ejusdem Caroli Regis parte precibus benigne annuentes eadem auctoritate declaravimus remotionem, & abolitionem Discretorum Conventualium in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum dicti Ordinis Capuccinorum factas, ut præfertur, expeditasque desuper Literas Nostras prædictas intelligendas esse non solum respectu Provinciæ utriusque Castellæ veteris, scilicet, & novæ, verum etiam respectu Provinciarum Bæticæ vulgò *Andalusiæ*, necnon Navarræ, & quatenus opus esset, remotionem, abolitionem, ac nostras Literas hujusmodi ad supradictas Provincias Bæticam, & Navarram dicta auctoritate extendimus, & ampliamus. Præterea eadem auctoritate decrevimus, quod vice, & loco prædictorum Discretorum in tribus Provinciis hujusmodi, sicut præmittitur, sublatorum, & abolitorum Diffinitores, atque Custodes, & immediatus Exprovincialis earumdem Provinciarum in ipsarum respective Diffinitoriis, & Capitulis Votum haberent, dictarumque Provinciarum Capitula de sesquianno in sesquiannum deinceps celebrari deberent, & alias prout in aliis nostris in eadem forma Brevis die 12. Septembris proxime præteriti desuper emanatis Literis, quarum, & prædictarum nostrarum Literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

In altera Constitutione declarata, & extensa fuit prima ad Provincias Bæticæ, & Navarræ.

Preces Regis Catholici.

§. 1. Cum autem sicut dictus Carolus Rex Nobis nuper denuo exponi fecit, ipse binas Literas nostras prædictas ad Provincias Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ, Sardiniæ, & Majoricæ dicti Ordinis Fratrum Capuccinorum per Nos extendi plurimum desideret. Nos piis ejusdem Caroli Regis Votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fr. nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis particulariter deputatæ consilio, binas nostras Literas supradictas, omniaque in illis disposita quoad Provincias Fratrum Capuccinorum utriusque Castellæ Veteris scilicet, & novæ, nec non Bæticam, & Navarræ, ad Provincias eorumdem Fratrum Capuccinorum Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ, Sardiniæ, & Majoricæ auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus pariter, & ampliamus.

Extensio prædictar. Constitutionum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Cameræ Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis nostris Literis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides

tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die V. Aprilis MDCXCIV. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XLIV.

Conceditur Alumnis Provinciæ novi Regni Granaten. Ord. Erem. S. Augustini in Indiis Occidental. facultas suscipiendi gradus Scholasticos in eorum Collegio S. Nicolai Civitatis S. Fidei.

Urbani VIII. Const. ed. 1625. Apr. 24. P. 2. agitur de promovendis in gradibus in Hispania, & Indiis. Et Clem. XI. Const. ed. 1701. Jun. 4. P. 1. conceditur alumnis Civitatis Lagunæ facultas suscipiendi gradus in eorum Collegio.

INNOCENTIUS PAPA XII.

24. Apr. 1694. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus pastoralis solicitudinis munere Sacrarum, bonarumque literarum studia inter Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatos ubique locorum, ac præsertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus opportunis rationibus fovemus, & promovemus, ac ut debitus virtuti honor rependatur libenter providemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Religionis decus, & incrementum, ac Catholicæ fidei præsidium, & prorogationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa Concessionis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Bernaldo de Quiros de Lima Diffinitor, ac Procurator Generalis Provinciarum Quiten., & novi Regni Granaten. in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod cum alias dicta Provincia novi Regni Granaten. ab initio suæ fundationis Peruanæ ejusdem Ordinis, & dictæ Quiten. Provinciis unita esset, privilegio, quod ejus Alumni in Quitensi sub Sancti Fulgentii per quasdam fe. re. Sixti PP. V. Prædecessoris nostri ac Limana sub Sancti Ildephonsi respective denominationibus per alias re. me. Pauli PP. V. Prædecessoris pariter nostri in simili forma Brevis literas respective erectis Studiorum Generalium Universitatibus ad Magisterii, seu Doctoratus, aliosque Scholasticos gradus, promoveri possent, fruebatur: Verum quia illa postmodum a dictis aliis duabus Provinciis subdivisa fuit, privilegio hujusmodi destituta remansit, ac exinde illius Alumni præfati pro gradibus hujusmodi consequendis, vel extraneos adire, vel ad Provincias septingentorum circiter milliarium intervallo distantes iter cum nimio sumptu, & incommodo suscipere coguntur.

Preces Proc. Gen.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicta Provincia novi Regni Granaten. doctrina, & regulari observantia adeo florescat, ut in his ipsi Provinciæ Quitensi antecellat, ac proinde dictus Josephus plurimum cupiat a nobis indulgeri, ut in Collegio sub titulo Sancti Nicolai Episcopi intra, vel extra septa Conventus nostræ Divæ de Gratia nuncupatæ Civitatis S. Fidei eorumdem Ordinis, & Provinciæ novi Regni Granaten. erigendo Provinciæ hujusmodi Alumni gradus prædictos suscipere valeant: Nos ejusdem Josephi votis in præmissis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris nostri Palutii Episcopi Prænestin. ejusdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta; præfatis Alumnis Provinciæ novi Regni Granaten. hujusmodi, qui fratres expresse professi dicti Ordinis fuerint, ut peractis in Collegio erigendo prædicto, seu alibi studiorum suorum curriculis, prævioque rigoroso examine Baccalaureatus, ac Magisterii, & Doctoratus in Philosophia, & Sacra Theologia gradus in eodem Collegio ab illius Rectore pro tempore existente suscipere ipsique Rectori eosdem gradus dictis Alumnis ad formam prædictarum Sixti, & Pauli Prædecessorum literarum conferre libere, licite, & valide possint, & valeant respective auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Concessio prædict. ad instar illius Universitatibus Quiten. & Limanæ factæ.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Aprilis MDCXCIV. Pontif. Nostri Anno Tertio.

XLV.

Erigitur Oppidum Alesien. Nemausen. Diœcesis in Civitatem, ejusque Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Cathedralem.

Similis erectio Oppidi de Penkim Alechaon. Diœcesis extat Const. ed. 1690. Apr. 10. Pont. 1.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Dat. 16. Maii 1694. An. 3.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

ANimarum zelus nullis terminis comprehensus, universalisque Dominici Gregis cura Nobis licet immeritis ex alto commissa, necnon

Unigeniti filii Dei, & Domini Nostri Jesu Christi ad infima hujusmodi pro humano salvando genere descensus ipsiusque præceptum Apostoli demandatum -- Ite prædicate Evangelium omni creaturæ, mentem nostram continuo solicitant, ut studiis assiduis ad ea intendere debeamus, per quæ fides nostra Catholica ubique ab omni expurgetur zizania, omnisque vepris expers surgat, & propagetur, errantesque oves diabolica fraude, hæresumque pravitate correptas ad ovile, verique luminis agnitionem reducantur. Propterea novas Sedes novosque Pastores instituere debemus, ut facilius oves ipsæ sic deperditæ se in eas reducere valeant, præsertim etiam cum sublimium Regum vota, & gesta id exposcant, & comperiamus in Domino pro animarum salute id expedire.

Preces Regis Christianissimi justis causis innixæ.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum, & Navarræ Rex Christianissimus ad Dei solum cultum, ejusque Orthodoxæ Legis observantiam, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltationem, hæresumque extirpationem, & Hæreticorum confusionem enixe intentus, Divina piis ejus conatibus favente gratia, tot millia Subditorum a via salutis per Sathanæ suggestiones aberrantium ad ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium propria applicatione, & cura feliciter reduxerit, cupiens eosdem suos subditos uti adhuc tenores Vitis Evangelicæ qui Christus est palmites in ipsius fide vera peramplius confoveri, & consolidari, ac commodius instrui, & gubernari inter alia ad hoc vere suum Regium intentum conducentia media, nullum aliud opportunius fore compererit, quam si recenter conversis Christifidelibus in Vallibus Hebbennicis vulgo *Les Sevennes* constitutis, & numerum quinque Mistriadum excedentibus, qui ex sola præsistentia Venerabilis Fratris Nostri Episcopi Nemausen., in cujus Diœcesis Territorio Valles prædictæ sitæ sunt, ob earumdem Vallium a Civitate Nemausen., ubi ipse Episcopus residet, aspero, montuoso, laborioso, & difficili plurium leucarum intercedente itinere distantiam, ibidem Visitationis adeo necessariæ munus, & Pastoralia munera, & solatia recipere non valent, proprius Præsul, & Pastor Animarum attribueretur, & assignaretur, qui proprias Oves cognosceret, & pasceret, ac ab ipsis vice versa in veritate docenda, & præstanda obedientia agnosceretur, ac proinde, ut dictarum Vallium Territorium a Diœcesi Nemausen. separare, Oppidumque Alesii, quod ipsarum Vallium Caput muris cinctum, Arce, & Præsidio munitum, Præfectura decoratum, quinque Regularium utriusque sexus Cœnobiis, Hospitali, & duabus Confraternitatibus insignitum, bis mille ferè familiis, quas inter plures Nobiles, ac tres ex quatuor partibus Neophitæ constans, aeris etiam salubritate, ac soli fertilitate gaudens, ac ad id valde aptum commodum, & opportunum est in Civitatem inibique existentem sæcularem, & Collegiatam Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ amplæ, & elegantis structuræ, sex Capellis, & Sacra Supellectili ad Divina peragenda, non tamen ad Pontificalia exercenda decenter ornatam, aliisque requisitis satis instructam in Cathedralem, ibique Sedem Episcopalem erigere, & collocare, ac alias desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Descriptio Oppidi Alesii.

Causæ hujus Erectionis.

§. 2. Nos, cui nihil magis cura est, quam ut fides Catholica illibata ubique floreat, & augeatur, non de inventa ove, sed integri pene gregis ad Ovile Christi reductione congaudentes, ac ipsi Ludovico Regi congratulari ne desit his Ecclesiæ novis filiis, qui frangat panem, puræque Doctrinæ pabula præbeat, ac singulorum vultus, ut Episcopum decet inspiciat, & agnoscat, matura super his in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium rebus consistorialibus præposita, cui negotium dismembrationis, & Erectionis hujusmodi discutiendum a Nobis commissum fuerat, habita deliberatione, Oppidum prædictum Episcopali, & Civitatis titulo dignum judicantes, piisque dicti Ludovici Regis desideriis libenter annuentes, de eorumdem, ac aliorum Venerabilium fratrum Nostrorum præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, Oppidum prædictum ab Ordinaria Jurisdictione dicti Episcopi Nemausen. de expresso ejus, ac illius Cathedralis Capituli, & Canonicorum consensu, Apostolica auctoritate, teriore præsentium perpetuo segregamus, dividimus, separamus, & dismembramus; illudque, ac ejus Clerum, & Populum quoad Legem Diœcesanam ab Episcopi Nemausen. Superioritate, Jurisdictione, potestate, subjectione, Visitatione, & correctione prorsus eximimus, & liberamus; ac Oppidum prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine, titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem Alesien. denominandam, & in eo sæcularem, & Collegiatam Ecclesiam Sancto Joanni Baptistæ dicatam, duasque Dignitates Decanatum videlicet, & Sacristiam, cum aliis decem Canonicatibus habentem in Cathedralem Ecclesiam sub Invocatione ejusdem Sancti Joannis Baptistæ pro uno Episcopo Alesien. nuncupando, qui illi præsit, ac Ecclesiam ipsam ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat, necnon Episcopalem Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quæ Ordinis, Jurisdictionis, & cujusvis alterius muneris Episcopalis sunt, & ad illa, ac Synodi Diœcesanæ convocationem, & celebrationem spectant, & pertinent, ac quæ alii tam in illis Regnis, & Provinciis, quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus de jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet facere, & quibus uti solent, & possunt pariformiter, æque principaliter, & absque ulla prorsus differentia in suis Ecclesia, Civitate, & Diœcesi Alesien. respective facere, gerere, & exercere, ac uti, frui, & gaudere libere, & licite possit, & debeat, ac pro tempore existenti Archiepiscopo Narbonen. jure Metropolitico, prout ante separationem, & dismembrationem hujusmodi suberat, subjaceat cum Sede, & Mensa, aliisque insigniis Episcopalibus, necnon præeminentiæ, & honoribus, & privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ Cathedrales Ecclesiæ Regnorum, & Provinciarum hujusmodi similiter de jure, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine, dicta Apostolica auctoritate perpetuo erigimus, & instituimus, ac eidem sic erectæ Ecclesiæ Alesien. ipsum Oppidum sic in Civitatem erectum pro Civitate, & aliæ octo Civitates nuncupatas, ac alia triginta sex inferiora Oppida, & reliqua quinquaginta quinque Oppidula, cum eorum omnium, & singulorum respective Parochis, & Territorio quinquaginta longitudine, latitudine vero triginta circiter milliaribus Italicis extenso pro Diœcesi, necnon Ecclesias pro Clero, & sæculares personas pro Populo de consilio, potestate, & auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus, attribuimus, & assignamus, Civitatemque, Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo Alesien. quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Narbonen. pro tempore existentibus quoad Metropoliticam Jurisdictionem, & Superioritatem de paribus consilio, & potestatis plenitudine, etiam perpetuo subjicimus.

Dismemb[ratio] d. Opp[idi] a Diœcesi Nemausen.

Erectio O[p]pidi in Ci[vi]tatem, & Ecclesiæ S. Joannis B[a]ptistæ in [Ca]thedralem cum omn[i]bus Epis[co]palibus ju[ri]bus.

Ejus subje[c]tio Archie[pi]scopo Narbonen.

Ejus Dio[e]cesis.

§. 3. Ac

§. 3. Ac insuper cùm dilectus filius Ludovicus de Calvieres Abbas Abbatiæ olim forsan regularis, sed jam nunc omni in eâ regularitate cessante ad sæcularem statum redactæ sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Petri Psalmodien. vulgo de Psalmodi nuncupatæ in Oppido Aquarum mortuarum dictæ Nemausen. Diœcesis existentis regimini, & administrationi dictæ Abbatiæ, ac omni, & cuicumque Juri sibi in illa, vel ad illam quomodolibet competenti, & per eum prætensæ in manibus nostris ad præmissorum, & infrascriptorum effectum cesserit; nosque cessationem eamdem ex dicta causa duxerimus admittendam, Nos Abbatiam ipsam, & titulum collativum, & denominationem Abbatiæ, & Collegiatæ firma cæteroqui remanente illius Parochialitate de præfati Ludovici Regis ad quem, dum illa pro tempore vacat, Jus ad illam nominandi vigore concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam, & claræ memoriæ Franciscum Primum olim eorumdem Francorum Regem initorum pertinere dignoscitur perpetuo quoque supprimimus, & extinguimus, ac illius sic suppressam, & extinctam Abbatialem, cujus fructus ad quingentos florenos auri in Libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, verus autem valor ad octodecim millia Librarum Turonen. ascendit Mensæ Episcopali Alesien. pro ejus dote similiter perpetuo applicamus, & appropriamus; Capitularem vero Mensas, & Capitulum, necnon Præposituram, quæ principalis, & Archidiaconatum, Cantoriam, & Subcantoriam, quæ reliquæ Dignitates inibi erant, ac decem Canonicatus, & totidem Præbendas illius ad sic erectam Ecclesiam Alesien. similibus consilio, & auctoritate pariter perpetuo ita transferimus, & traducimus, ut ex duobus Alesien., & Psalmodien. Capitulis hujusmodi unicum ipsius Episcopi Alesien. proprium Capitulum; in quo Præpositura Psalmodien. prima post Pontificalem, ac excepto Decanatu Alesien., quem Nos certis Nobis notis de causis adducti ex nunc prout ex tunc, & è contra postquam illum per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet quandocumque, ac ubicumque vacare contigerit perpetuo quoque similiter supprimimus, & extinguimus, ac Mensæ Capitulari Alesien. annectimus, & incorporamus, expresso ad id moderni Decani accedente consensu, reliquæ aliæ Dignitates, Archidiaconatus, secunda Cantoria, tertia Sacristia Alesien. respective nuncupandæ, quarta, ac Subcantoria quinta, necnon Alesien., & decem Psalmodien. respective Canonicatus, & Præbendæ sint, permaneant, & persistant, duodecimque Presbyteri, duoque Acolythi, ac unus Clericus ad nutum Præpositi, & Capituli Alesien. amovibiles pro divinis Ministeriis ipsius Ecclesiæ Alesien. servitiis juxta providam Præposito, & Capitulo præfatis sibi faciendam injunctionem, ac cum congruæ mercedis assignatione, vel quotidianarum distributionum participatione ad arbitrium eorumdem Præpositi, & Capituli ibidem deputentur, Sacristaque Alesien. curam inibi, ut antea, regat, exerceat, & administret animarum: Canonici vero utriusque Capituli Capitulares suas quoad vixerint respective præbendas, prout ante erectionem hujusmodi faciebant, percipiant, advenienteque eorum, seu alterius ex ipsis obitu, vel cessione, omnes, & singulæ præbendæ ad invicem successive in communem Mensam Capitularem Alesien. semper reintegrentur, & consolidentur, donec omnes illius præbendæ ad fructuum, redditicum, & proventuum æqualitatem perveniant, satisfactis interim per eosdem Capitulares respective cujusque eorum Capituli, & Mensæ Capitularis etiam respective oneribus, & obligationibus solitis, debitis, & consuetis; & tam Dignitates, quam Canonicatus, & Præbendas hujusmodi nunc, & pro tempore obtinentes Capitulum cum Mensa Capitulari, sig ca communibus, aliisque Insigniis Ca constituant, & apud dictam Ecclesiam residere, stallumque in Choro, ac locum, cem in Capitulo ipsius, necnon in actibus, & ctionibus Ecclesiasticis intra, & extra ipsam libet juxta eorum respective antianitatem re ptionis dumtaxat absque ulla alia cujusvis gra dus, seu qualitatis distinctione, & ipsa Ecclesia singulis diebus horas Canonicas, tam diurnas, quam nocturnas, necnon Conventuales, aliasque Missas, servata Ecclesiarum disciplina uniformiter celebrare, & decantare, illisque interesse, ac alias dictæ Ecclesiæ Alesien. in divinis deservire, cæteraque onera injuncta, & pro tempore injungenda subire, exercere, & adimplere respective debeant, & teneantur, ac tam in Choro, quam Capitulo, processionibus, & aliis actibus, & functionibus habitus de Jure gestari solitos etiam deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant.

Quid? de præsenti Decano Alesien.

§. 4. Præterea Nos pro promptiori præmissorum, & infrascriptorum executione, & adimplemento, ac prospero felicique Alesien. statu, & successu procurando, & manutenendo, quod si modernus Decanus Alesien. non obstante ejus ad hæc expresso consensu honoribus, & præeminentiis ad suam dignitatem de Jure spectantibus gaudere velit illis, ac eodem Stallo in Choro quousque ad datam præsentium potitus fuit, ac etiam postquam ad Sacerdotium promotus erit præcedentia, alternative tamen cum Præposito Psalmodien., vel annuatim, vel per menses, aut alias prout melius ipsis videbitur juxta illorum desuper jucundam conventionem usque ad diem, quo per illius cessum, vel decessum, aut aliam quamcumque dimissionem, vel amissionem dictum Decanatum vacare contigerit potiri, & frui debeat, quodque si contigerit Capitulares Nemausen. congregari, prout de more pro impositionibus Decimarum, vel pro impositarum rationibus reddendis, & ibi agi etiam debeat de interesse præfati Capituli Alesien. eidem Capitulo Alesien. liceat unum, vel duos de gremio deputare ad interessendum Congregationibus, seu Comitiis Capitularibus, qui deputati, vel alter illorum Comitiis præfatis præcedere debeant Canonicis Nemausen., & ita contingat Capitulares Alesien. pro similibus impositionibus, & illarum rationum redditionibus congregari liceat eidem Capitulo Nemausen. similiter unum, vel duos de gremio eligere, qui Comitiis Alesien. intervenire, & pariter Canonicos Alesien. præcedere debeant; cura porrò Animarum, & alia onera Ecclesiæ Psalmodien., quæ abinde ad Ecclesiam Alesien. transferri non poterunt, seu quæ ibi a Capitularibus Psalmodien. destinata fuerunt adimpleri per ibidem existentem Rectorem, Curatum, ac talem, quem iidem Canonici Psalmodien. necessarium judicarunt numerum Presbyterorum assignatis Rectori, Curato, ac Presbyteris hujusmodi pro congrua eorum sustentatione omnibus, & singulis fructibus decimalibus Parochiæ ejusdem Ecclesiæ Psalmodien. juxta desuper cum interventu, & auctoritate Episcopi Nemausen. præfati initam transactionem omnino adimpleantur, in Ecclesia vero Alesien. futurus, & pro tempore existens Episcopus curam Animarum præfatam per Sacristam, & ejus Vicarium, ut antea, una cum eisdem emolumentis, quibus ante erectionem hujusmodi fruebatur, & potiebatur exerceri faciat, ac pro sui Episcopali residentia, usu & habitatione Ædes per Diœcesanos, qui juxta morem Provinciæ Quitaniæ habitationem Episcopalem construere tenentur destinandas, vel construendas, aut justo pretio emendas habeat, & possideat, necnon jure eligendi, & deputandi Scholarum præceptores, seu Magistros quoad easdem Scholas antea, & hactenus ad Præcento-

De Parochis utriusque Ecclesiæ Alesien. & Psalmodien.

Episcopo, & Capitulo quamplures facultates & privilegia conceduntur.

rem Ecclesiæ Nemausen. spectante, & pertinente omnimode fruatur, utatur, & gaudeat, respective statuimus, ordinamus, ac etiam declaramus expressis ad hæc omnia, & singula tam Archiepiscopi Narbonen., quam Episcopi, & etiam Præcentoris, necnon Nemausen., ac Alesien., & Psalmodien. Ecclesiarum hujusmodi Capitulorum respective accedentibus assensibus, & consentientibus. Insuper etiam Episcopo, Dignitatibus, Capitulo, & Canonicis præfatis, ut pro dictæ Ecclesiæ Alesien., ac illius Mensæ Capitularis Sacristiæ, & Fabricæ, earum rerum, & bonorum tam Spiritualium, quam temporalium prospero, & felici statu, regimine, gubernio, directione, ac onerum illis incumbentium supportatione Missarum, horarum Canonicarum, divinorum tam diurnorum quam nocturnorum Officiorum, Processionum, Funeralium, Anniversariorum, & aliorum præfatorum celebratione, necnon de Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, aliisque Beneficiis, & Ministeriis Ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, admissione, residentia personali, distributionum etiam quotidianarum, & aliorum emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione & admissione pœnarum per absentes & Divinis suis loco, & tempore non assistentes, seu onera, & ministeria eis incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione singulorum præsentiis, & absentiis notandi, cæremoniis, & ritibus in Cathedrali Ecclesia, Choro, Capitulo, Processionibus, & aliis actibus, præfatis, servatis servandis, & Ministris, dictæ Ecclesiæ Alesien. necessariis deputandis, & amovendis servitiis, & Ministeriis per eos obeundis, & agendis, salariis, & stipendiis eorum cuilibet assignandis, ac quibusvis aliis rebus in præmissis, ac circa ea quomodolibet necessariis, & opportunis quæcumque statuta, ordinationes, & Capitula, & Decreta licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, præsertim vero Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non contraria edendi, & edita pro temporum, & rerum varietate, & qualitate limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi, & per eos, ad quos pro tempore spectabit sub pœnis in contravenientes statuendis, observari faciendi plenam, liberam & omnimodam facultatem concedimus, & impartimur; necnon Episcopo, ut præfertur, ac Dignitates in præfata Ecclesia Alesien. obtinentibus, ac Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, aliisque Capituli, & Ecclesiæ hujusmodi personis, & Ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, Immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, Indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii præfati, & aliarum Ecclesiarum dignitates obtinentes, Capitula, & Canonici, aliæque Civitates, & Diœceses, ac eorum Cleri, Incolæ, & habitatores, eorumque res, & bona fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad habitus delationem, ut præfertur, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant concedimus, & indulgemus.

Regi Christianissimo, aliisque jus nominandi, vel præsentandi conceditur.

§. 5. Ac etiam Ludovico Regi, ejusque successoribus, attenta assignatione præfatæ mensæ Abbatialis, & unione ejusdem Capituli de præfati Ludovici Regis consensu dictæ Mensæ Episcopali, ac Capitulo Alesien., ut supra, facta Jus nominandi ad præfatam Ecclesiam Alesien., dum illa Pastoris solatio destituta, fuerit illi vero, seu illis, ad quos præsentatio, seu nominatio ad dignitates, Canonicatus, & præbendas, necnon beneficia, & ministeria hujusmodi ex fundatione, vel dotatione de Jurepatronatus pertinente dignoscitur, quæ quidem nominatio ad Ecclesiam Alesien. Nobis, seu Romano Pontifici successori nostro pro tempore existenti per præfatum Ludovicum Regem, ejusque, ut præfertur successores Galliarum Reges, quo vero ad præsentationes ad dignitates, Canonicatus, & Præbendas, ac Beneficia, & Ministeria hujusmodi quandocumque, & quotiescumque per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet vacare contigerit, etiam coram Ordinario Alesien. pro tempore existente per Patronos fieri respective debeant prout antea ad dictam Abbatiam Sancti Petri Psalmodien., & ad dignitates, Canonicatus, & Præbendas, necnon Beneficia, & Ministeria utriusque Collegiatæ Ecclesiæ unitæ hujusmodi respective spectabat etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus.

Clausulæ.

§. 6. Ac easdem præsentes ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, vel quovis alio defectu, etiam ex eo, quod causæ, propter quas præmissa emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatæ, & quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, auditique non fuerint, & præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos Juris reduci, remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariæ Apostolicæ Regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum ad Summi Apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, seu sub quibusvis tenoribus, & formis emanatas, & in posterum edendas, & emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Episcopum, ac dignitates, Capitulum, & Canonicos hujusmodi eligenda restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ad denuo concessas, semperque validas esse, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere; necnon Episcopo, dignitatibus, & Canonicis hujusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 7. Non obstantibus nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de gratiis, Indultis, & Indulgentiis adinstar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a Jure permissis fieri prohibentis, & quibusvis Apostolicis, nenon in synodalibus, Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis, vel edendis Constitutionibus; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio adhoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto sexto decimo Kalendas Junii Pontif. nostri Anno Tertio.

Confirmatur

LVI.

Confirmatur concordia inter Fratres Provinciæ S. Jacobi in Hispania Ord. Min. S. Francisci de Observan. super divisione Provinciæ, & Officiorum.

Const. ed. 1692. Dec. 9. P. 2. agitur de alternativa officiorum inter Provincias Gallicas, & alias. Et Constit. ed. 1696. Jan. 7. P. 5. de alternativa in Provincia Januen.

19. Maii 1694. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DEbitum pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ sapientiæ, atque clementiæ abundantiam præsidemus exigit, ut paternam Religiosorum Virorum, quos in pacis amœnitate vota sua Altissimo reddere decet, curam gerentes, illa, quæ pro dirimendis inter eos exortis dissidiis, perpetuoque stabilienda animorum concordia, prudenti, providoque conventa noscuntur esse consilio, quo firma semper, atque inviolabilia permaneant, Apostolici muniminis nostri præsidio roboremus.

Legitima auctoritate, & de causa instituta præsens concordia a Procuratori partium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Lector Jubilatus, & Diffinitor Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Benedictus de Noriega Sacræ Theologiæ Lector itidem Jubilatus, necnon Didacus del Castillo Verbi Dei Prædicator Fratres expresse professi Provinciæ S. Jacobi in Hispania dicti Ordinis, ac Procuratores diversarum respective partium, seu Nationum ejusdem Provinciæ, quod cum juxta Constitutionum Apostolicarum, & Statutorum Generalium ejusdem Ordinis dispositionem cuique Provinciæ Ordinis prædicti sua particularia Statuta condere fas sit, prout Nationum, temporum, & locorum, aliarumque circumstantiarum exigit ratio, præcipue quando per eadem generalia Statuta non satis provisum reperitur paci, ac utilitati alicujus Provinciæ, quæ particularibus, & accommodatioribus indiget legibus, ut immunis reddatur a jurgiis, litibus, & partialitatum zizaniis, quæ cæteroqui oriri, ac in dies non sine maximo ipsius Ordinis dedecore excrescere possent: ipsa vero Provincia Sancti Jacobi tali potissimum indigeat provisione, ut malis, quæ ob lites inter partes prædictas nonnullis abhinc annis vertentes perpessa est, opportunum remedium adhibeatur; ipsi Exponentes legitimis suffulti mandatis ad effectum procurandi, & obtinendi ab hac Sancta Sede nomine earumdem partium ea, quæ in posterum in prædicta Provincia servari oporteat, ut lites hujusmodi dirimantur, nec illæ in posterum reviviscant, aut aliæ suboriantur, neque divisio aliqua amplius in illa prætendatur, pro pace, & quiete dictæ Provinciæ, necnon regularis disciplinæ, quæ illa antehac eximie floruit, instauratione, charitative, & religiose ad concordiam super præmissis (reservato tamen desuper nostro, & hujus S. Sedis beneplacito) devenerunt, cum diversis pactis, & conditionibus, prout continetur in Scriptura desuper emanata tenoris, qui sequitur, videlicet.

Concordia.

§. 2. In Conventu S. Isidori Fratrum Hibernorum Almæ Urbis Ordinis Minorum de Observantia die 27. Novembris anni Domini 1693. convenerunt in unum R. A. P. F. Franciscus Diaz a S. Bonaventura Lector Jubilatus, Sancti Officii Qualificator, Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Consultor, Provinciæ S. Jacobi Primus Pater, & Diffinitor Generalis Ordinis prædicti, Frater Benedictus de Noriega Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, & Fr. Didacus *del Castillo* Prædicator omnes Professi, & Alumni prædictæ Provinciæ S. Jacobi, Regularis Observantiæ in Hispania memorati Ordinis, & Instituti, & Procuratores respective diversarum partium, & Nationum prædictæ Provinciæ in lite, quæ ab aliquot retro annis vertitur inter Partes prædictas super divisione Officiorum, aut partitione ejusdem Provinciæ, ut inferius latius constabit. Qui quidem Patres attenta mente recogitantes præfatam Provinciam a Seraphico Patre Sancto Francisco in primo Capitulo Generali Portiunculæ, anno a prima Ordinis, & Regulæ approbatione Apostolica, septimo, a fundatione vero Conventus Compostellani, per eumdem Sanctum Patriarcham mirabiliter incepta, quarto rite erectam, ac institutam extitisse destinato ad ipsam in eodem Capitulo uno e dilectissimis Sociis ipsius Seraphici Patris, qui eidem tanquam Provincialis Minister præesset, a cujus ministeriatu usque ad tempus præsens Regularis semper in ipsius Conventibus, seu Eremitoriis viguit observantia illinc ad quamplures Provincias, nonnullasque Hispaniarum Ditionum reformationes studio, ac Zelo Alumnorum ejusdem Provinciæ, vel institutas, vel promotas, cunctis Ordinis seculis feliciter propagata atque transfusa; necnon præ oculis insimul habentes, quod præfata Provincia, quæ olim magnam partem Regnorum Hispaniæ, ac Lusitaniæ complectebatur, jam nunc ad eam solam amplitudinem redacta est, quæ faciliter in quolibet triennio lustrari, ac visitari valet a quovis vigilanti Superiore: hinc publico ejusdem Provinciæ decori, ac perpetuæ Fratrum, ac Monialium ipsius tranquillitati quamcitius consulere meditati sunt. Concordiæ itaque super lite diuturna studentes, & desiderantes obviam ire scandalis, & inconvenientibus, quæ hucusque ex illa pullularunt, & in dies pullulare poterunt, tam quoad disciplinam regularem, quam quoad Literarum (quibus semper prædicta Provincia maxime floruit) splendorem: amice, & charitative tractarunt de dirimenda prædicta lite, & discordia per viam compositionis, & concordati; & post maturam, & longam discussionem punctorum, in quibus maxime vertebatur difficultas... dium, tandem convenerunt in transactione mutua suorum respective jurium, & prætensionum sub infra exprimendis conditionibus inviolabiliter (accedente tamen Sac. Episcoporum, & Regularium Congregationis consensu, necnon Apostolicæ Sedis confirmatione) in perpetuum observandis. Primo itaque concordes dixerunt, & mutuo sibi promiserunt, quod pro parte PP. Castellanorum, Asturicensium, & Forensium renunciaretur prætensioni dividendi dictam Provinciam, pro qua in Sac. Congregatione instabant; sicut de facto prædicti PP. Benedictus de Noriega, & Didacus *del Castillo*, utentes facultate, quam habent a suis principalibus, nomine eorum prædictæ prætensioni renunciarunt, volentes, quod prædicta Provincia in sua, qua de præsenti gaudet, amplitudine conservetur; & inconvenientibus, quæ prædictam divisionem exigere videbantur, occurrendum esse remediis ab eisdem omnibus excogitatis, & mox suo ordine ponendis. Deinde subjunxerunt, quod etiam pro parte PP. Forensium renunciaretur Brevi tripartitionis Officiorum in eorumdem favorem jam de anno 1684. a Sanctissimo D. N. Innocentio XI. fel. rec. expedito, & de facto memoratus P. Didacus *del Castillo* eorum Procurator, utens sua facultate, vice, & nomine suorum Principalium, renunciavit omni Juri quæsito, aut quærendo, & ex prædicto Brevi quomodolibet ipsis obvenienti, aut resultanti, & sub infra ponendis conditionibus acquievit Sententiæ ab Emo Ordinis Protectore

Causa Concordiæ.

Conventio inter partes non dividendi Provinciam, vel ejus Officia.

Sed sub sequentibus conditionibus.

jampridem ex commissione Apostolica, contra præmemoratum Breve prolatæ, ac omnimodæ executioni mandatæ: ne vero PP. prædicti Forenses fraudentur per hoc Officiis, muneribus, & honoribus Provinciæ, mutuo hinc inde consensu prædicti concordantes, sequentem perpetuo practicandam providentiam adhibuerunt.

Ut omnes Religiosi Provinciæ ad quatuor nationes reducantur, suppresso nomine Forensium.

§. 3. Nimirum omnes Fratres nati extra terminos Provinciæ, sive in ipsa vestiti, sive in ea sint incorporati, sine alicujus Nationis discrimine recipiendi sunt, prout re ipsa recipiuntur, & vi hujus concordiæ, ex nunc in perpetuum acceptantur inter Fratres nativos ejusdem Provinciæ cum æquali jure ad distributionem officiorum, ac isti habent. Sed cum Provincia ista constet principaliter quatuor Nationibus juxta modum, quo Nationes distinguuntur, & reputantur in Universitate Salmanticen., scilicet Gallæciæ, Camporum, Cantabriæ ratione Principatus Asturiarum, qui in dicta Universitate cum Cantabris reputatur, & Extremaduræ, cujus caput est ipsa Civitas Salmantina: ad has quatuor Nationes ad effectum distributionis officiorum postea statuendæ, omnes alias Hispaniarum, & extra Hispanias Nationes hoc modo reduxerunt: nempe ad Nationem Gallæciæ, reducuntur Fratres omnes Nationis Lusitaniæ, & quotquot nati sunt extra Hispaniarum continentiam, prout jam Apostolico Decreto reducti reperiuntur, & tanquam si nativi Gallæci essent in posterum reputandi. Ad Nationem Cantabriæ pertinebunt Astures, & quotquot nati sunt in terminis Nationis Cantabriæ juxta dimensionem hujus Nationis in prædicta Universitate Salmantina, & ita ultra prædictum Asturiarum Principatum continebit pars ista Montana Burgorum, Guipurcoam, Alavam, Vasconiam meram, seu Viscayam, Rivogiam, & Navarram. Ad Nationem Campensem pertinebunt Fratres prædictæ Nationis incipiendo a confinibus Gallæciæ, sed insuper Natio Castellæ novæ, quod vulgo *Mancha* in eadem Universitate nominatur. Denique ad Nationem Extremaduræ pertinebunt omnes Fratres Diœcesis Salmanticen., quæ ut præfertur est illius Nationis Caput, & omnes alii ad hanc Nationem pertinentes juxta morem illius Universitatis, & cum illis Fratres ex Nationibus Andalusiæ, & Aragoniæ. Et cum sub hac distributione comprehensi reperiantur omnes Fratres, qui sunt, & esse possunt in prædicta Provincia, proinde convenerunt, quod in posterum sub pœna perturbatorum Pacis, & dyscolorum a transgressoribus ipso facto incurrenda, abstineatur a Nomenclatura Forensium, ut minus bene sonante inter eos, qui omnium rerum proprietatem a se abdicarunt, ut non habeant domum, aut locum, aut aliquam rem, sed sunt (ut in Regula ipsa monetur) Peregrini, & advenæ in hoc sæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes: ideo omnes a Natione ad quam pertinent, denominationem capiant.

Ut servetur quædam regula in distributione Officiorum.

§. 4. Hac facta incorporatione omnium Nationum inter Nationes intraneas Provinciæ, prædicti PP., ut præfertur, concordes addiderunt, quod ad pacem perpetuo in Provincia conservandam, & præoccupandum unius Nationis prædominium, ac congruam omnium Nationum satisfactionem introducendam (quod erat præcipuum inconveniens, quod urgebatur pro divisione) officia Provinciæ deinceps sic dividantur in singulis Capitulis, & Congregationibus; sub pœna nullitatis omnium electionum ipso jure, & facto incurrenda, ut scilicet uno triennio Minister Provincialis, & *duo Diffinitores* fiant de Fratribus Nationis Gallæciæ cum suis incorporatis indistincte. Custos vero, & alii duo Diffinitores ex aliis tribus Nationibus ex adverso: cum vero prædictæ tres Nationes juxta præfatam distributionem, & incorporationem restent fere æquales, & eadem æqualitas regulariter perseveratura merito credatur, tria ista officia inter ipsas distribuantur, itaut unus, aut Diffinitor, aut custos, quæ duo munera æquivalenter se habent assumatur de Natione Camporum cum suis incorporatis: alter de Natione Asturiarum cum suis Cantabris incorporatis, alter de Natione Extremaduræ cum suis incorporatis: sequenti vero triennio vice versa Minister Provincialis, & duo Diffinitores eligantur de corpore harum trium Nationum eodem ordine, ut scilicet Minister assumatur ex una, unus Diffinitor ex alia, & alius Diffinitor ex tertia cum suis respective incorporatis, sic tamen ut Provincialatus, quando huic parti obtigerit per easdem Nationes ordinate, & successive decurrat, nisi in aliquo casu id adamussim servari nequeat manifeste reluctante Justitia distributiva, aut electionis necessaria libertate, quod ne cavillandi contra præsentem concordiam ansa præbeatur, determinandum erit a toto Capitulo per secreta suffragia alba, & nigra, si aliquando casus occurret, qui nonnisi rarissime, & difficile occurret. Custos verò, & alii duo Diffinitores de Natione Gallæciæ cum suis respective incorporatis eligantur, quin unquam sub illo prætextu, aut motivo, etiam urgentissimo fraudare valeat hæc Natio, seu portio aliquod ex officiis sibi per hanc alternativam competentibus haud facile siquidem ad illa deficient in præfata portione viri satis idonei; Guardianatus vero, & Vicariatus Monialium eadem proportione distribuantur, scilicet media eorum pars detur Fratribus Gallæcis cum suis incorporatis, & pars altera Fratribus ex tribus aliis Nationibus per partes æquales, procurando, ut tam in prima divisione facienda inter Gallæcos, & alias Nationes, quam in subdivisione, quæ inter tres prædictas Nationes fieri debet, servetur non solum quantitas, & numerus, sed etiam qualitas, & graduatio Conventuum, ut scilicet ex præcipuis sex Conventibus, tres obveniant Gallæciæ cum suis incorporatis, & tres distribuantur inter prædictas tres Nationes concurrentes ex adverso, ut unaquæque ex his unum præcipuum Conventum obtineat, & sic de reliquis, ut omnis discordiæ, & querimoniæ aditus præcludatur. Nec poterit aliquis a prædictis Officiis, & muneribus excludi sub prætextu, quod vitam communem non observet, nisi legitime constet de ejus inhabilitate ad observandam regulam juxta declarationes Romanorum Pontificum, & expositiones Sanctorum Bonaventuræ, Bernardini, Joannis de Capistrano, & aliorum probatissimorum Expositorum ipsius; qui enim eam juxta præmemoratas declarationes, & expositiones observaverint, licet non sint sequaces vitæ, quæ est communis omnibus, regulam stricte ad literam, & secundum rigidiores declarationes observantibus: sequuntur tamen vitam communem illis, qui eam non transgrediuntur, & alicujus peccati gravis in ipsius observantia rei non sunt, quod sufficit ad hoc, ut ab officiis non excludantur, si alias ex vitio, & malitia, aut ex alio notabili defectu indigni, vel incapaces non censentur: illi siquidem qui studio, ætate, & observantia diuturna vires ad austeritates corporales substinendas amiserunt, prudentia tamen, experientia, scientia, & zelo robustiores, ac magis sanos, seu juniores sunt supergressi eisdem aptiores creduntur ad spirituale Gubernium Religionis. Ad Vicariatus autem Monasteriorum, Monialium S. Claræ Tertii Ordinis, & Immaculatæ Conceptionis assumantur solum Viri pii scientia, ac zelo Religionis præditi, ætatem 40. annorum excedentes, qui de earum Institutis, & modo conducendi animas Deo dicatas ad spirituales cum sponso æterno nuptias sint plene instructi, & si

Præcipuorum.

Guardinatus & Vicariatus Monialium.

PP. Dif-

PP. Diffinitorii contrarium fecerint, ſciant, ſe rationem Domino reddituros de exiguo ipſarum profectu in via perfectionis.

§. 5. Sub præfata tamen officiorum diſtributione non debent cadere Lectores Philoſophiæ, aut Theologiæ, propterea quod cum pauci ſint numero concurrentes, & expediat ad hæc munera promovere non ſolum ſufficientes; ſed optimos, ſi prædicta lege diſtribuantur ſæpe continget, ut compellantur Electores eos promovere, qui forte minus perſpicaces ſunt (ne alternativæ legibus contradicant) poſtpoſitis habilioribus, & ad docendum aptioribus cum ſumma honoris Provinciæ, & rei literariæ jactura. Ideo pro promovendis Lectoribus Philoſophiæ proponi debet liber concurſus inter Collegiales tantum Albanenſis Collegii, qui ſaltem in eodem Collegio unum curſum ab exacto Theologiæ triennio compleverint, & contra quos nulla in Regulari diſciplina infamia fuerit ſuborta (hi enim a Collegio arcendi ſunt, qui vero in ipſo conſervantur, eo ipſo cenſentur ſufficientes, quo ad morum probitatem), & ex his illi eligantur, qui in literario examine majora dederunt profectus, & futuræ utilitatis ſpecimina, undecumque ſint, & omni reſpectu poſthabito. At ne privata affectio in publicum præjudicium aliquando detorqueat præſens concordatum, per Diffinitorium Provinciæ ſex Judices hujus concurſus deputentur, ex quibus unus, & præcipuus erit Miniſter Provincialis, ſi concurrere voluerit, vel alius, cui ſuas vices commiſerit, & cum ipſo duo Lectores Theologiæ Jubilati, vel actuales de ſuo corpore, & pro alio corpore tres Lectores, vel Jubilati, vel actuales, & qui de corpore trium Nationum aſſumuntur, unus de una, & unus de alia, & unus de tertia Natione eligantur, & ſi Miniſter fuerit de hac parte ipſe pro ſua Natione Judex erit: hi priuſquam concurſum aperiant, in unum congregati, ſeptimum eligent de illo corpore, de quo non eſt Provincialis, qui ſolum ſuffragium feret in caſu, quo non contingat Electio per ſuffragia ſex Electorum Provinciæ, & omnes ſeptem coram Secretario examinis per Provincialem deputandum, juramentum facient ſuper quatuor Sancta Evangelia de bene eligendo his verbis: *Ego N. Judex deputatus ad promotionem Lectorum Philoſophiæ, quorum examen, & concurſus in proximo ſunt, Juro per hæc Sacroſancta Evangelia D. N. Jeſu-Chriſti, quæ manu tango, ſub pœna perjurii, & æterni reatus, me illos electurum ad prædictas lecturas, nullo habito privato reſpectu Patriæ, ſanguinis, vel affectionis, quos ex vi examinis, & concurſus ineundi, magis habiles, & idoneos cognovero ad hoc munus obeundum cum Provinciæ utilitate, & Diſcipulorum profectu: ſic Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.* Et de juramento Secretarius examinis actum rogabit, quod ab omnibus ſubſcribetur finito examine de more Provinciæ, & ad præſcriptum Statutorum generalium convenient prædicti Judices, & Præſes proponet unam lecturam, & unuſquiſque ex ſex Electoribus mittat in Urnam nomen illius, quem æſtimavit aptiorem, quod ut facilius & brevius fiat, poterit quilibet portare ſeries ſufficientes omnium nominum concurrentium, & ſi aliquis in eo ſcrutinio reperiatur habuiſſe quatuor ſuffragia, ille erit ipſo jure electus. Sin minus relinquantur pro ſecundo Scrutinio duo illi, qui plura habuerunt ſuffragia, & ſi hi reperientur in ſecundo Scrutinio æquales, adhibeatur ſeptimus Judex, qui ſuo ſuffragio litem dirimat; ſi vero contigerit, quod in primo Scrutinio nedum non ſequitur electio, ſed propter ſuffragiorum diſperſionem, aut æqualitatem non poſſunt haberi duo illi, qui remaneant pro ſecundo Scrutinio, adhibeatur ſeptimus, & omnes ſecreto eligant unum ex illis excludendum, qui erit ille, qui plura habebit ſuffragia, & ſi opus ſit, ſic fiat, quoad uſque ſecundum Scrutinium reducatur ad duos, ex quibus ſex Electores eligant, ficut dictum eſt, & in caſu æqualitatis, adhibito ſeptimo, electio reſolvatur, & unius Conventus proviſa lectura, proſequantur ad alium ſub eadem formula.

Collegiaturarum Collegii Albanenſis, pro quo Studiorum methodus traditur, necnon regularis diſciplinæ.

§. 6. Pariter Collegiaturæ prædicti Collegii Albanenſis per concurſum; & examen provideantur; vocatis illis; qui expleto triennio Theologiæ teſtimonio Lectorum, ſub quorum diſciplina ſtuduerunt, apti ſunt concurrere, qui quidem in prædicto Collegio ultra triennium non commorabuntur, ſed triennio expleto ad aliquem Conventum ſtudii Theologiæ, ſeu Philoſophiæ mitti poterunt, indiſpenſabiliter locum cedant aliis: ſi qui vero Judicio Miniſtri Provincialis ex his, qui Collegium abſolverunt, apti concurſui lecturæ cenſebuntur; poterunt etiam ad eumdem concurſum vocari. In prædicto vero Collegio cenſuerunt, mutandam eſſe methodum exercitii videlicet, ut non exponantur diſputandæ niſi ſelectiores, & utiliores quæſtiones unius tractatus, quibus bene intellectis aliæ quæſtiunculæ facile patent, & ut locus ſit, ut Collegiales melius præparentur, nonniſi una quæſtio quotidie, vel mane in æſtate, vel veſpere in hyeme exagitetur, diſputatio tamen poſt propoſitionem, & probationem concluſionis ad duas integras horas protendatur: finito vero uno tractatu, alius incipiatur, & principaliores etiam quæſtiones diſcutiantur; & poſtea ad alium fiat proceſſus: nam hoc modo poterunt potiores tractatus totius Theologiæ uno triennio percurri, ſed ne Philoſophiæ difficultates exoleſcant, die Jovis, & Sabbati (ſingulis namque diebus exercitia habenda ſunt) proponat defendens duas concluſiones Philoſophicas loco concluſionis Theologiæ, de quibus fiet controverſia, una hora de prima, & altera de ſecunda, & hæ in quæſtionario præfigentur juxta ordinem, quo in curſu Philoſophico traduntur. Circa alia autem, quæ ad mores religioſos, obſervantiam Regulæ, cultum Divinum, ac diſciplinam regularem ſpectant, executioni mandentur Statuta Provinciæ pro dicto Collegio edita, eaque introducantur, quæ pro ſimili alio Collegio confirmata inveniuntur in Brevi ſan. mem. Innocentii XI. *Eccleſiæ Catholicæ* incipiente, die 18. Septemb. 1685. promulgato.

Tandem Prædicatorum præcipuorum.

§. 7. Etiam convenerunt prædicti PP., quod nec Prædicatores præcipui Conventuum, qui Conventuales dicuntur debeant cadere ſub legibus prædictæ diſtributionis, ſed quod libere eligantur per Diffinitorium illi, de quibus magis ſperari poſſit Auditorum profectus, & Religionis decus, non attendendo, an ſint de hac, vel illa Natione, minus enim in re tanti ponderis duxerunt habendam eſſe rationem de unius Nationis ſatisfactione quam de Dei ſervitio, proximorum ædificatione, & ſplendore Provinciæ.

Ut nullus excludatur undevis ſit a receptione habitus.

§. 8. Conſimiliter, ut perſonarum omnis periculoſa acceptio præcludatur, nulli ex his, qui in Provincia prædicta veſtiri deſiderant, habitus denegetur, undevis ſit, eo reſpectu, quod ſit de hac, vel illa Natione, ſed quot quot reperientur Sacrum habitum, Deo vocante poſtulare, ſi habeant qualitates per Apoſtolicas, & Ordinis Conſtitutiones præſcriptas, & numerus Fratrum receptionem non impediat, ſine cunctatione acceptentur, & ad omnem fraudem in re tanti ponderis, & quæ pacem tamdiu deſideratam turbare ſufficit, Superior Provincialis, qui fuerit de oppoſito convictus, pœna privationis a ſuo munere irremediabiliter coerceatur. Ne vero numerus Fratrum plus juſto poſſit excreſcere ſub eadem pœna cohibetur, ne aliquos Juvenes admittat ad habitum, præterquam in Conventibus recollectionis, prout antiquus Provinciæ mos ſemper

 tulit,

Ut omnis cura adhibeatur in electione Magistrorum Novitiorum.

tulit. Ad officium autem, seu munus Magistri Novitiorum Viri probi, experti, Zelo Religionis pollentes, devoti, ac maturæ ætatis assumantur, qui eidem cum decore Ordinis, & profectu Juventutis Deo dicatæ planè, ac congruenter satisfacere queant, & si possibile fuerit, sint Diffinitores habituales, seu Lectores, aut Prædicatores Jubilati, vel saltem Exguardiani, & in observantia Regulæ, & exercitio Orationis mentalis satis versati, & qui laudabiliter huic muneri operam navaverint, cæteris præferantur, in remunerationibus a Capitulis, seu Congregationibus in futurum impertiendis.

Ut vitentur longiora itinera Religiosorum.

§. 9. Præterea concordes dixerunt, quod ad præcavendum inconveniens, quod urgebat postulantes divisionem ex longissimo intempestivo, & periculoso Fratrum discursu dimanans in notorium damnum salutis corporalis, & puræ Regulæ observantiæ notoriam jacturam, & præjudicium, deinceps Superior Provincialis Fratres, qui sunt de familia in Conventibus, citra Montes non destinabit ad Conventus ultra Montes, & multo minus ad distantiores, vel e converso, nisi publici muneris, vel studiorum causa, sed Conventuum indigentiæ succurratur per Fratres assumptos de Conventibus vicinioribus, vel vicinis. Quod si aliquando contrarium practicari oporteat, saltem ita transitus moderetur, ut non compellatur Frater, qui est in remoto citra Montes Conventu, convolare ad remotum ultra Montes, & operam dent, ut prædicti transitus non fiant, nec summa ætate, nec summa hyeme ob imminens utriusque in illis partibus stationis periculum; Provincialis autem, qui sub prætextu puniendi aliquem Religiosum, seu alio quovis titulo contrarium fecerit, severe puniatur a Superiore Generali ab eoque si excessus nimius fuerit, & iteratus, ab officio suspendatur. Eademque pœna plectatur, si dyscolos, litigiosos, aut inobservantes ad Conventus Recollectionis transmiserit, ii siquidem in Conventus tanquam destinati ad exercitia Orationis Mentalis, & purioris observantiæ Regulæ, præservandi sunt ab omni eo, quod ipsis in similibus exercitiis præjudicium afferre queat, ac pro moderatione, ac punitione excessuum præfatorum Fratrum aptiores creduntur Conventus principaliores Provinciæ, in quibus facilius reprimuntur tam metu carceris, & supplicii, quam auctoritate Superiorum, & Patrum, quibus abundare, & ornari solent Communitates præfatorum Conventuum.

Ut certa lege amoveantur juvenes professi.

§. 10. Cum discursus Fratrum recenter professorum, & parum in observantia Regulæ radicatorum perniciosissimus sit, & capitalis origo Regularis disciplinæ relaxationis, quia cum parum sint assueti indigentiis, & pressuris itinerantium, facile refrigescunt, & sibi suadent in quavis etiam communi necessitate, omnia licere, quæ contra jus Divinum non sunt, esto Regula quam professi sunt prohibeantur, hic tamen inordinatus abusus in prædicta Provincia nimis, non sine aliqua partialitatis suspicione invaluerit, cum Juvenes statim, ac professionem emittunt, studiorum causa compelluntur longissime iter facere, & si in Collegio locus non sit, iterum regredi ad Conventus, in quibus non sunt professoria nec sub disciplina Magistri Clericorum, prout par est, degunt. Inhærentes prædicti Patres Apostolicis Constitutionibus Clementis VIII., & Urbani VIII., necnon decretis Sac. Congregationis super statu Regularium, quibus præcipitur, ut recenter professi, si a loco Novitiatus discedere necesse sit, ut subintrantibus Novitiis locum cedant, destinentur ad Conventus, in quibus sunt professoria, ubi sint sub cura, & disciplina Magistri Clericorum, in quibus simul disciplinæ Regulari, & Literis debent operam navare, usque simul præcludatur aditus querelæ aliquarum Nationum ortæ super eo, quod sui Clerici de studiorum commoditate non providentur, concordarunt, quod omnes Clerici postquam professionem emiserunt, destinandi sunt ad studia Philosophica, in quibus ipsis assignetur locus distinctus a loco Sacerdotum, & ibi sint (prout Provincia habet in praxi) sub cura Magistri Clericorum, & disciplina Lectoris Philosophiæ, ut nullus possit conqueri sub prætextu denegatæ studendi opportunitatis, prout hæc Italiæ familia non sine fructu perpetuo est executa a tempore Vicariatus S. Joannis de Capistrano, qui in suis Statutis Cap. 9. in fine ait, se ad hoc fuisse inductum insinuatione SS., & fel. rec. Eugenii IV., & plurium S. R. E. Cardinalium exhortationibus.

Ut in certis Cœnobiis erigantur Lecturæ.

§. 11. Ulterius desiderantes quantum possibile sit, Juvenum discursibus obviare, & operam dare, ut Philosophicis disciplinis simul cum morum ornatu ditentur, & commodius instruantur, necnon quod onus Clericorum dividatur æqualiter inter Conventus præcipuos, tanquam expediens judicarunt, quod in Conventibus Salmanticæ, S. Jacobi Legionis, & Oveti, in quibus modo traditur solum Theologia deinceps tradatur etiam Philosophia, sic ut numerus studentium utriusque facultatis non excedat numerum eorum qui de præsenti Theologiæ tantum student, & ad supplendum numerum, qui videtur desiderari, erigantur utriusque facultatis studia in Conventibus Monfortensi, & Auriensi, in Conventibus vero Zomarensi, & Taurensi, ac Tudensi solum Philosophia tradatur. Hinc enim primo assequi posse sperant, occurrere juventutis discursibus magna ex parte, quia cum in pluribus ex his Conventibus sit Novitiatus, quando ubi incipit cursus Philosophicus, possunt in eodem Conventu, in quo professi sunt, studere primo Philosophiæ, & postea Theologiæ, deinde melius instruentur in disciplinis Philosophicis ex concursu studii Theologiæ. Nam Lector Philosophicus coram Theologis sedulo munus suum obire cogetur. Ulterius Theologi species Philosophicas assistendo conferentiis hujus facultatis excitabunt, quod ut commodius fiat, sic disponentur, ut die Lunæ, Mercurii, & Veneris fiant conferentiæ Theologicæ, diebus vero reliquis Philosophicæ. Denique Conventus graviores æqualiter sentient Clericorum gravamen, sed ne per hoc videantur Lectores plus justo multiplicari, duxerunt statuendum, quod in nullo studio, præterquam in Salmantino sint nisi duo Lectores Theologiæ, & in nullo sit Magister Scholasticorum: hoc enim exercitium penitus odiosum videtur, sed unusquisque Lector Theologiæ suas Conclusiones defendet in Aula, alternando per hebdomadas, ea vero, quæ Salmanticæ, aut alibi præstare solet extra Conventum Scholasticorum Magister modernus Lector Theologiæ præstare tenebitur, & hoc modo minori numero Fratrum, quam de facto occupantur in quatuor studiis Theologicis Provinciæ, sex studia auctoratius, & commodius subsistent.

Ut Clerici indiscriminatim non addicantur quibuscumque studiis.

§. 12. Sed quamvis omnes Clericos ad professoria mittendi sint, in quibus Philosophicis disciplinis studeant, non propterea omnes indistincte ad Theologica studia post Philosophiæ positum tyrocinium sunt destinandi, sed illi dumtaxat, qui posito examine reperti fuerint in Philosophia ita profecisse, ut de ipsis sperari possit, quod in Theologia progressus facient, & vel Lectores, vel Verbi Dei Concionatores competentes evadere poterunt. Reliqui vero, qui ad Theologiam Scholasticam sufficientes reperti non fuerint, ad studia Theologiæ moralis, quæ olim consultissime per Statutum Congregationis Tolet. 1673. fuerunt erecta in Conventibus Asturicensi, & Corunnensi, & nunc denuo sunt

instau-

instauranda, remittentur, in quibus per triennium operam dantes sub disciplina Lectorum, de quibus infra, si habiles reperti fuerint confessionario destinabuntur, sin minus perpetuæ Chori sequelæ, & Altaris servitio, aliisque Conventuum Ministeriis mancipabuntur.

ad habi- recipian- idonei.

§. 13. Ne vero Provincia Fratribus inutilibus injuste gravetur sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per decennium voluerunt prædicti PP. nomine suorum Principalium remanere obstrictos Ministros Provinciales, qui admittunt ad habitum Juvenes, qui humanioribus literis non fuerint competenter instructi, quod ut facilius executioni mandetur Minister nullum admittat, quem in consessu discretorii Conventus non examinaverit, vel Guardianus de ejus commissione, sed ipse Minister dum Provinciam visitat, tenetur iterum ab ipso non examinatos experiri, & si invenerit Examinatores deliquisse tanquam Religioni injurios eadem pœna punire, juvenemque expellere, nisi forte fuerit ad moderamen Chori, vel Organa pulsandâ receptus, cum quibus poterit mitius instituere examen, sed hi post emissam professionem ad aliud Ministerium Literarium minime contendant.

modus onatur ntiæ egre- di e nobio.

§. 14. Eumdem finem bonæ educationis juventutis præ oculis habentes, & adhærentes Decretis Apostolicis memoratis, necnon diversis Ordinis Statutis, pœna privationis ab Officio voluerunt ipso facto, & irremediabiliter coercendos esse Guardianos, qui Juvenes Philosophiæ studentes, sub quovis prætextu foras mittunt, excepta causa Sacros Ordines recipiendi, aut, qui eos extra Conventum quæstuandi causa, etiam in loco, ubi consistit Conventus, exire permittunt, præterquam in actibus Communitatis, vel aliquando omnes simul recreationis causa; verum si aliquando, etsi rarissime exire oporteat brevi reversurus Juvenis aliquis nonnisi associatus suo Magistro Conventu exeat, & cum eodem incedat, & regrediatur, Sacerdotes vero studentes nonnisi extra tempus lectivum de consilio, & consensu Lectorum necessitate postulante extra locum egredi permittantur.

nonnulla entur in ione, & tione legio- Prædi- rum.

§. 15. Alia eaque non levis occasio itinerandi nascitur ex abusu designandi in singulis Capitulis, sive provincialibus, sive intermediis, tres aut plures Prædicatores Conventuales pro singulis quibusque Conventibus contra mentem Statutorum Segoviensium, quæ dum de ipsis mentionem faciunt, videntur supponere, unum debere esse tantum in quovis Conventu. Ideo dixerunt prædictam corruptelam, ex qua ultra ansam prædictorum discursuum, etiam nescitur, quod plures Fratres, quam oporteat exemptionibus gaudeant, omnino abolendam esse, unumque solummodo Prædicatorem debere esse in unoquoque Conventu, qui gaudeat prærogativis, & exemptionibus debitis prædictis Prædicantibus per Statuta generalia; ipse tamen tenebitur omnes conciones, intra Conventum, & in Ecclesia Matrice solus facere. In Conventibus vero principalioribus, in quibus infra annum est multa copia Sermonum, dabitur ipsi Coadjutor, cui inferiores exemptiones suo proportionatas labori, Diffinitorium taxabit, & quia experimento comprobatum est, quod ob remunerationis defectum, Prædicatorum munus elanguit, ad accendendos animos judicarunt, quod in Conventibus studii Theologici, sive Scholastici, sive moralis, statuatur ea series Quadragesimæ, quæ observatur in Conventu Taurensi, & Prædicatores, qui per duodennium laudabiliter munus suum in his Conventibus obierint sine interpolatione, & postmodum per triennium integrum Officium Visitatoris Tertii Ordinis, aut Magistri Novitiorum exercuerunt in quovis Conventu, in quo floreat prædictus Ordo, vel Novitiatus existat, gaudeat prærogativis sedendi immediate post Lectores Jubilatos, & aliis exemptionibus ipsis competentibus sub titulo Prædicatoris Jubilati, excepto suffragio, sed sicut Jubilatis est præfixus numerus, ita & illis præfigatur, scilicet, quod solum octo antiquiores debeant gaudere, reliqui vero optare in horum vacantia juxta Ordinem suæ jubilationis. Interim vero gaudeant supra Prædicatores Conventuales; si vero per sexennium post duodennium Prædicationis, Visitationis prædictæ, vel Magisteriatus, Novitiorum munus exerceant, gaudeant inter Diffinitores habituales, nec locum illis cedant, qui postea ad Diffinitionis habitualis gradum conscenderint, nisi antea jam sint Diffinitores actuales: utrumque enim munus longe excedit sexennium solius Visitationis, cui in Statutis generalibus 1633. taxatur præcedentia inter Diffinitores habituales, & qui hoc secundo modo suam Jubilationem fuerint assecuti, omnes absque ulla restrictione statim ac per authentica documenta instar Lectorum constare fecerint laudabilitatem sui exercitii ad gaudendum admittantur.

§. 16. Cum ex concordatis in Superioribus studia Theologiæ moralis denuo excitanda sint, & in ipsis maxime expediat præficere duos Lectores, qui cursum Scholasticum absolverint, qui resolutoria methodo, brevi, & facili tractatus morales percurrant, ut sub eorum disciplina habiles pœnitentiarii instruantur, ad prædictorum Jubilatorum incitamentum, concordarunt, ut Lectoribus, qui per sexennium post primam Jubilationem hoc munus laudabiliter obierint, tractando materias morales methodo resolutiva, & dictando opiniones sanas, securas, & magis probabiles, ac tutiores, prout debent, hoc sexennium computetur ipsis pro sexennio scribendi, & Typis dandi Theologiam Scholasticam positivam, vel moralem, & gaudeant illis prærogativis, quæ per Statuta generalia Vallisoletana 1670. prædictis Scriptoribus conceduntur. Si tamen id per unum solum triennium fecerint, aut per idem triennium muneri Magistri Novitiorum, aut Visitationis Tertii Ordinis in uno e sex Conventibus principalioribus Novitiatuum Provinciæ vacaverint, præmemoratos Prædicatores Jubilatos sex annorum præfatorum numerum, præcedent. Cæterum nec his, nec Prædicatoribus Jubilatis tempus computabitur ad prædictas prærogativas obtinendas, si simul fuerint Guardiani eorumdem Conventuum. In præfatis autem prærogativis nullum debet intelligi concessum Jus subrogandi. Ut Lectores Morales certa lege privilegiis fruantur.

§. 17. Ut vero necessarii, & inexcusabiles transitus studentium, & Lectorum opportuno tempore fiant, neve Juvenes diu post professionem emissam studia desiderent, & denique, ut omnes integrum, tam Philosophiæ, quam Theologiæ triennium adimpleant, concordarunt, quod singulis quibuscumque annis debeant incipere aliquot studia Philosophiæ, in quibus locentur Juvenes recenter professi, & ad hunc finem instituatur concursus pro Lectoribus eligendis eo tempore, ut possint prædicti Lectores incipere die sequenti commemorationem Defunctorum, quæ omnia studia Provinciæ debent aperiri, & claudi pridie ad Vesperam Seraphici Doctoris B. Bonaventuræ, abrogata consuetudine, quæ hucusque invaluit contra morem, & praxim omnium Religionum, videlicet quod studia incipiant, & terminentur per Capitula Provincialia, & intermedia: ex qua pullulabat illud inconveniens, quod aliquando ob dilationem Capitulorum studentes per septennium detinebantur, non dato loco spectantibus, aliquando ob anticipationem eorumdem solum per quinquennium Philosophiæ, & Theologiæ operam dabant contra præscriptum Statutorum Generalium, & bo- Ut certa lege compleantur studiorum curriculi.

nam

nam studentium educationem, siquidem Lectores his suppressi accidentibus, nequeunt suas Lectiones, & tractatus, prout expedit, regulare. Illud vero infallibiliter observetur sub pœna jubilationis non obtinendæ, quod lectura nulla interruptione Adventus, & Quadragesimæ discontinuetur, sed Lectores iis temporibus certe opportunioribus pro studiis incessanter dictent, nec possint, aut debeant prædicare, nisi forte in loco ita Conventui vicino, ut Sabbato post prandium possint exire, & regredi Dominica, ad continuandam Lectionem, si quis vero Guardianus sub quovis prætextu huic articulo refragari tentaverit, privatione sui muneris sine cunctatione puniatur.

Ut quædam custodiantur circa electionem Lectorum Theologiæ, Doctrinam edocendam, & gradus suscipiendos.

§. 18. Circa electionem Lectorum Theologiæ concordarunt, quod sine novo concursu per Diffinitorium assumantur ii, qui cursum Philosophicum absolverunt ordinate, ut qui prius Philosophiam docuerunt, prius ad Theologiam tradendam vocentur, nisi aliquis ita immineat ut ipsius Diffinitorii judicio, Religionis decori, ipsum aliis præferre, summopere expediat. Quia vero, ut ipsi PP. concordantes pluries audierunt, Romana Curia anxie desiderat, ut Doctoris Seraphici Doctrina, quæ ab omnibus ubique commendatur, ut pia, solida, & devota vigeat in Religione nostra, expediens judicarunt, ut Lectores tradant doctrinam ipsius Seraphici Doctoris simul cum doctrina Subtilis, utriusque opiniones, quæ ut plurimum conveniunt ex utroque eruendo, confirmando, & defendendo, ubi vero contrarii sunt, & concordari nequeunt, eas problematice tradendo: Sic enim brevi fiet, ut a Provincia D. Jacobi derivetur in alias Hispaniæ Provincias doctrina Seraphica cum maximo Scholæ nostræ splendore, sicut ab eadem propagata est Doctrina Scoti: & ad utriusque majorem dilucidationem, ordinisque decorem, in Universitatibus Salamantina, Ovetensi, & Compostellana poterit Minister Provincialis de consilio, & assensu Patrum Diffinitorum nullo alio expectato viros idoneos eisdem Universitatibus præsentare, ad hoc ut in eis gradus juxta Statuta Toletana, tam Congregationis Generalis anni 1673. quam Capituli Generalis anni 1682. & ipsorum declarationem a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium die 29. Decembris 1687. approbatam rite recipiant; in unaquaque tamen præsentatione pro qualibet Universitate duo tantum assumentur Religiosi præsentandi, unus e parte Gallæcorum cum suis incorporatis, & alter e parte Castellanorum, cum aliis eidem adhærentibus, & aliquo ex his decedente, poterit alter ex eadem parte substitui, ut numquam aliqua e prædictis partibus simili honore fraudata, vel inæqualiter cohonestata, ac prædita reperiatur. Et in omnibus, quæ ad hanc materiam tam intra, quam extra Claustra spectant Conventus, & Fratres præmemoratæ Provinciæ ex Privilegiorum, & Indultorum communicatione gaudebunt, quæ confirmata invenitur in Constitutione san. mem. Innocentii XI. *Exponi Nobis*, die 5. Septembris 1686. expedita.

Ut libri, & alia decedentium Religiosorum concedantur Cœnobio.

§. 19. Ut memoratæ Provinciæ communes Bibliothecæ pristino splendori restituantur, & in dies cum profectu studiosorum augeantur æstimarunt omnino opus esse, ut Statuta Capituli Generalis 1633. a fel. rec. Urbani VIII. de hujus Sacræ Congregationis consilio approbata, & nuperrime a san. mem. Innocentio XI. suis Literis *Exponi Nobis* sub datum 1685. specifice innovata, & confirmata usu, & inalterabili praxi roborentur. Ulterius cum jam per Literas fel. rec. Martini V. incipien. *Ad hoc cura*, pro hac eademmet Provincia specialiter editæ, præscribatur, quod libro decedentium Fratrum Bibliothecæ illius, in quo decesserint, Conventus integre applicentur; prædicti PP. cupientes earum augmentum, dixerunt, quod hujusmodi libri ipso jure prædictis Bibliothecis respective Conventuum, in quibus Fratres eos habentes e vita migraverint, sint applicati; quin vel Guardianus, vel alius Frater, aut Superior quicumque, etiam Generalis alias, vel alio modo de eis disponere valeat sub pœnis in prædictis Statutis, & Literis Apostolicis impositis contra extrahentes libros, vel alias Scripturas ex communibus Conventuum Bibliothecis. Pariter quæcumque alia a decedente Religioso superfuerint, cujusvis sint conditionis, eodem modo, ipso jure eidem Conventui censeantur incorporata, & Officinis ejusdem respective applicentur, quibus publico commodo opportunius valeant accommodari, prout de eorumdem Religiosorum superstitibus libris, & Ecclesiasticis ornamentis memoratis Literis Martini V. dispositum invenitur, quin Guardiani, vel Superiores alii alio modo disponendi facultatem habeant.

Ut eorumdem pecuniæ applicentur a Diffinitorio Provinciæ.

§. 20. Attamen si ratione editionis alicujus libri, vel alterius similis necessitatis concessum fuerit alicui Religioso, quod possit recurrere ad Sindicum Apostolicum, & ad hunc finem sint in ejusdem Sindici potestate eleemosynæ pecuniariæ ab iis, quæ pro communibus Conventus necessitatibus reponuntur a Benefactoribus, distinctæ, prædicto Religioso decedente, eleemosynæ ejusmodi, aut aliæ quæcumque pecuniariæ, non debent incorporari, & confundi cum eleemosynis Conventus, sed Guardianus cum Discretis Conventus, debet quam citius potuerit sic agere, ut prædictæ eleemosynæ deponantur apud Sindicum totius Provinciæ, a quo Chirographum subscriptum de eorum receptione accipiat, & hujusmodi tradito, earum rationem Diffinitorio Provinciæ exhibebit, a quo, & non alio antedictæ eleemosynæ applicentur simili, vel differenti necessitati, prout ipsi visum fuerit expedire, quod intelligi debet, nulla decedentium Fratrum exceptione habita, sive scilicet Guardianus esset, sive Provincialis, vel alio quovis gradu actuali, vel habituali gavisus fuisset prædictus Frater, qui decesserit; nam semper, & in omni eventu de superstite pecuniaria Fratrum eleemosyna hac modo disponendum est.

Ut Minister Provincialis rationem reddat eleemosynarum receptarum.

§. 21. De eleemosynis vero jam applicatis pro expensis Capituli tam Provincialis, quam intermedii, & aliis publicis Provinciæ necessitatibus, iis præcipue, quæ ex propinis quibuslibet, & ex Provinciæ Missis Dominicalibus resultant, teneatur Minister Provincialis eidem Diffinitorio rationem reddere claram, & distinctam, quam Diffinitorium pro justitia, vel approbet, vel rejiciat, & quod residuum fuerit applicet, ut publicæ utilitati magis expedire cognoverit: quod si Minister prædictum Computum reddere renuerit, pœnis Proprietariis impositis plectatur, & si fraus aliqua, vel dolus in eo reddendo deprehendatur, vel aliquam pecuniam sibi sub quocumque prætextu, aut motivo reservaverit, ab eodem Diffinitorio privilegiis Exministrorum Provincialium in perpetuum privetur, nec unquam habilitari queat, nisi de consensu totius Capituli Provincialis per secreta suffragia præstando. Si autem Diffinitorium in præmissis negligens fuerit, a Superiore Generali ad parendum compellatur, procedendo contra singulos Patres usque ad pœnam privationis Officii irremissibiliter infligendam.

Ut Superiores consulant Religiosorũ necessitatibus.

§. 22. Cæterum quia mutua Fratrum, & Conventuum obligatio postulat, ut si fratres nihil sibi ex proventibus undecumque venientibus reservant, prout supradicta statuta anni 1633. præscribunt, Communitas eisdem in necessariis non deficiat, idcirco innovandas æstimarunt omnes Ordinis, & Apostolicas Constitutiones, quæ præscribunt, ut Superiores Locales omnibus suorum Fratrum necessitatibus ita provi-

deant, ut nihil, quod pro bono publico, aut pro victu, & vestitu, ac studiis Religiosorum, eorumque transitu de uno ad alium Conventum, seu pro mercede Vecturæ literarum, iteratione pro gravi Religionis negotio, aut exacta executione muneris sibi demandati, & aliis hujusmodi indigentiis attendendis secundum uniuscujusque gradum, & qualitatem, ac benemerentiam in Religione, necessarium sit juxta Discretorum Provinciæ, vel Conventus respective dictamen, & Judicium ipsis quovis prætextu denegetur, alioquin ultra quam Superiores rei erunt Fratrum transgressionis, & ad pecunias recursus, si secus fecerint, sint suo munere ipso facto privati, & ad alia Ordinis Officia inhabiles per sexennium, nec ullo gaudeant habituali privilegio ratione ante acti muneris, seu officii, si ex subscriptionibus, & attestationibus fratrum suæ Communitatis ad Congregationes intermedias, & ad Provincialia Capitula transmittendis constare non fecerint Provinciæ Diffinitorio, se juxta Discretorii Judicium præfatæ obligationi ex integro satisfecisse. Unde in quovis Conventu Prædicatorum, Lectorum, & aliorum fratrum Cellæ instruantur paupere, & necessaria Supellectili, respectu habito ad statum uniuscujusque, ut scilicet Cellæ Prædicatorum, & lectorum, ac Confessariorum, ultra mensam, lucernam, humiles sedes, & lectulum (quibus juxta laudabilem Provinciæ moderationem quævis Cellula instrui debet) competenti librorum numero, suæ professioni opportuno, exornetur, itaut Religiosus ex uno in alium Conventum decedens, nihil quod sit transportari necesse habeat præter proprios labores, & manuscripta, quæ omnia, & pauculos exquisitos libros, si in usu habuerit Conventus, unde recedet, ad Conventum ad quem accedet, transportare tenebitur sub eisdem pœnis Superioribus respective infligendis. Porro sub eisdem pœnis teneantur Guardiani enixe operam dare, ut quam primum in uno quovis Conventu unus instituatur locus, in quo habitus, tunicæ, & femoralia pro servitio Fratrum conserventur, cui præficiatur Religiosus, qui eorum conservationis, & munditiei curam gerat, ut dum Religiosis ex communi necessaria obvia sunt, privatæ suppellectilis usum non affectentur, etsi affectent, Jure possint a suo Prælato, omni tergiversatione præclusa, puniri, & ad observanda, quæ promiserunt Domino, coerceri. Pro Infirmis vero tam actualibus, quam habitualibus valetudinarium in singulis Conventibus, vel saltem in principalioribus, ad quos cæterorum Infirmi deferri queant, quamcitius constituatur, in eoque Fratres omnes, cum ægrotaverint, sedulo, ac charitative curentur; habituales vero de necessariis rebus exacte provideantur, si alterius Conventus fuerint, inde nisi recuperata sanitate abire non permittantur, ipsorumque Superiores illud subsidium ex communi sui Conventus, Communitati illius, in quo valetudinarium fuerit, præstabunt, quod in Provinciæ Diffinitorio taxatum fuerit. Constituatur etiam ex communibus Provinciæ eleemosynis, seu erigatur a Ministro Provinciali sub pœna privationis Officii ipso facto incurrenda, infra unius anni spatium officina in uno e Conventibus ad id commodioribus, in qua confici queat sagus vulgo *Sayal* pro induendis omnibus Provinciæ Fratribus, qui omnes ex eodem inposterum vestiri teneantur, alias vero induti ad officia, & dignitates Provinciæ inhabiles indispensabiliter censebuntur: Sagus autem illius coloris erit, quæ ex lana alba, & sive naturaliter, sive artificialiter nigra, sine ullius alterius mixtura resultare valet, in ipso tamen, & in aliis Fratrum indumentis ea vilitas ostendatur, in qua asperitas, & paupertas Minoritica alte relucere possit. Quoad cuncta alia, quæ ad disciplinam regularem tam Fratrum, quam Monialium spectant, exacte debebunt observari Decreta reformationis pro uno, & altero regulari statu a fel. rec. Clemente VIII., & Urbano VIII. edita; necnon Brevia Alexandri VII., & Clementis IX. pro Monialibus Regnorum Hispaniæ, ad instantiam Regiam jam pridem promulgata, statutaque generalia Ordinis, & præcipue Romana anni 1688. prædictis Decretis Apostolicis exacte cohærentia.

[margin: ...tur disciplina regularis a Fratribus, & Monialibus.]

§. 23. Quoad Tertiarios vero, & Cordigeros, serventur statuta, seu Decreta Capituli Generalis Romæ, ut præfertur anno 1688. celebrati, omnimodaque adhibeatur cura, ut in cunctis Confraternitatibus erectis, seu erigendis in Ecclesiis Conventuum, seu Monasteriorum prædictæ Provinciæ exercitium Viæ Crucis, & orationis mentalis quamcitius stabiliatur, eoque introducto, una è Dominicis, seu diebus festivis pro quolibet mense à superiore locali de assensu discretorii Conventus, seu Monasterii in perpetuum assignabitur ad consequendam Indulgentiam plenariam novissime à SSmo D. Nostro Innocentio XII. in Brevi: *Ad ea benigne* concessam. Et quia Indulgentiæ Stationis Sanctissimi Sacramenti revocatæ non sunt, ipsius recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quam Monialibus, & Tertiariis sæcularibus enixe commendatur.

[margin: A Tertiariis, & Confratribus.]

§. 24. Quoad Tertiarios, seu Eremitas habitu nostri Ordinis, seu de pœnitentia illegitime indutos, omnem adhibeant curam Visitatores Tertii Ordinis prædicti, ut Ordinarii Locorum eos irremissibiliter puniant juxta præscriptum Constitutionum Apostolicarum, quas Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium die 21. Martii 1686. eisdem executioni omnino mandare præcepit. Legitime vero, ac rite induti poterunt admitti ad pernoctandum, & demorandum sub vulgari titulo, & habitu Donatorum in Conventibus Provinciæ; licebitque Guardianis eos ad quæstuandum transmittere; quando, & quoties præsentia Religiosorum non fuerit necessaria: Et dum hæc indispensabilis judicetur, mittantur primo Laici Religiosi, secundo Sacerdotes Confessarii, quarto Prædicatores vulgo Sabbatini dicti, quinto Prædicatores qualificati, sexto Lectores Philosophiæ actualis muneri Lectoratus non incumbentes, septimo Sacerdotes, actuali studio, sive Philosophiæ, sive Theologiæ applicati, nunquam tamen mittantur Clerici choristæ apud Hispanos nuncupati, nec posteriores Patres in præfata serie appositi, nisi non adsit vel sint jam occupati, seu impediti anteriores, ut sic rectius consulatur recessui intra claustra, quo quisque eorum indiget ad explendum suum munus respective. Quæstuantes autem si eleemosynas omnes ex integro communitati non consignaverint, aut quidquam ex illis sibi sub quovis prætextu, aut motivo reservaverint, pœna proprietariorum a Guardiano indefectibiliter puniantur.

[margin: Ab Eremitis, Donatis, & Quæstuantibus.]

§. 25. Conventus Recollectionis ad pristinum sui Instituti rigorem quamcitius redigantur, in eisque Novitiatus, & professoria pro Clericis, seu Choristis constituantur, ut sicut alii pro studiis, & exercitiis literariis deserviunt, ipsi pro educatione perfecta, & spirituali Juventutis Provinciæ in maxima habeantur existimatione, poteruntque ibidem admissi ad professionem, & alibi professi, ad eos tamen transmissi pro opportuniori in bonis moribus radicatione, ex illis ad studiorum Conventus a Ministro Provinciali juxta superius disposita, sine ulla nota transferri, nec non ad lecturas, aliaque munera, & exercitia promoveri, quibus expletis, si ad eosdem Recollectionis Conventus sponte regredi voluerint, non poterunt impediri, ad hujusmodi tamen regressum nullus erit adstrictus,

[margin: A recollectis.]

quia

quia valde expediens censetur, quod omnes, qui Recollectionis Instituto sint mancipandi, speciali Dei vocatione illud libere, ac spontanee amplectantur.

Ut certa lege eligatur Vicarius Provincialis.

§. 26. Deinde ad tollendas de medio difficultates, quæ emergere solent circa electionem Vicarii Provincialis in casu renunciationis, promotionis, vel mortis Ministri, quo casu statuta generalia 1651. præscribunt, quod dignior Provinciæ Pater, penes quem remanet facultas convocandi ad electionem Vicarii, teneatur conscium reddere Superiorem Generalem de vacantia prædicta, si consistat intra tres dietas a confinibus Provinciæ, dixerunt, & declararunt, quod quando Superior Generalis Matriti consistit, ubi est regulariter ejus Residentia a memorato Provinciæ Patre digniori certiorari debet de prædicta vacantia. Si quidem Conventus Matritensis a Confinibus prædictæ S. Jacobi Provinciæ per tres Dietas non distat, imo, si attendantur utriusque Provinciæ confinia vix sexdecim leucæ distantiæ inter ipsa computantur, unde necessario in prædicto casu Superior Generalis est adeundus, & si electioni præesse voluerit, omnino expectandus.

Acceptatio præmissorum omnium, & modus petendi dispensationem super iisdem.

§. 27. Dixerunt postremo tam nomine proprio, quam eorum omnium, quorum procurationem agunt, se libere, ac spontanee omnia supradicta pro firmo, stabili, ac perpetuo concordato a quovis Alumno Provinciæ ex nunc inposterum semper observando ad invicem aceeptare, nec velle unquam contra aliquod ex præmissis quidquam prætendere. Declararunt tamen quod si circa ea, quæ in præsenti concordia continentur & alias Brevi aliquo seu Decreto Apostolico usque nunc munita, & roborata non erant, aliquando necessarium, seu expediens fuerit dispensare, vel quidquam addere, seu minuere, vel immutare, proponatur prius in pleno Capitulo Provinciali dubium, an expediat, seu necesse, num sit? Vel non? Quod dubium resolvetur per suffragia secreta omnium vocalium, adhibitis ad id Calculis albis, & nigris: Et si ex quatuor partibus Capitularium tres integræ fuerint pro una parte, & quarta solum pro altera, illud resolvatur, in quod dictæ tres partes integræ convenerint: parique modo postea debebit procedi, cum deveniatur ad dispensationem, additionem, diminutionem, seu immutationem, & hoc ita indispensabiliter, ut quilibet excessus ultra quartam partem, sufficiens sit ad impediendum illud, pro quo steterint suffragia cæterorum Capitularium, nec unquam poterit id resolvi per viam compromissi, sed semper fiet a toto Capitulo non intermedio, sed Provinciali, & ad tempus tantum, pro quo talis providentia credatur necessaria, seu opportuna, si quid vero inposterum postulandum sit, vel a S. Sede, vel a Capitulo Generali, seu Superiore Ordinis, vel Familiæ quocumque, ex quibus resultare queat, præmemorata dispensatio, aut additio, vel diminutio, seu immutatio sub eadem forma, & servato eodem Ordine, exquiratur prius consensus ejusdemmet Capituli Provincialis, præstandus similiter per suffragia secreta a tribus integris partibus vocalium, eoque deficiente nullam vim obligatoriam habere possit, quævis dispositio, ordinatio, concessio, aut Constitutio ad introducendam aliquam novitatem, seu alterationem per quam gubernium præmissum, aut vita regularis Provinciæ mutari, aut alterari queat; Qui vero contrafecerint, aut attentaverint, puniantur ad præscriptum statutorum Ordinis in Capitulo Generali 1688. innovatorum, & Constitutionum Apostolicarum Julii Secundi, Leonis X. Clementis VII. Julii III. & aliorum Romanorum Pontificum Successorum editarum contra indebite procurantes Indulta, & Privilegia quæcumque in simili, aut alia materia, quas fel. me. Innocentii XI. in præcitato Brevi *Exponi Nobis* ultimo confirmavit, ligatique censeantur ipso facto censuris ibidem taxatis, & præscriptis.

§. 28. Ad quorum omnium firmitatem, præsentatis prius suorum Principalium legitimis Procuræ mandatis, se die, mense, & anno, ut supra propria manu subscripserunt Fr. Franciscus Diaz a S. Bonaventura, Primus Provinciæ Pater, ac omnium vocalium partis Gallæcorum, & plusquam quingentorum Fratrum illius, necnon plurium vocalium, & Fratrum cæterarum partium Procurator. Fr. Benedictus de Noriega Lector Jubilatus, & Vocalium, ac Fratrum plurium Asturiarum, Legionis, & Castellæ Procurator. Fr. Didacus del Castillo Vocalium, & plurium Fratrum Extremaduræ, ac aliorum regnorum Procurator.

Preces Procuratorum partium.

§. 29. Quare exponentes prædicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 30. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, concordiam præinsertam auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relatæ Concordiæ.

Clausulæ.

§. 31. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Compostellan., & Episcopo Oveten., ac dilecto Filio Scholastico Ecclesiæ Salmanticen. per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos præsentium Literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo; & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & Rebelles per Sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

§. 32. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec.

Bonifacii

Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIX. Maii MDCXCIV. Pontif. nostri Anno Quarto.

LVII. Conceditur Indulgentia Plen. Perp. in articulo mortis ægrotis in Hospitali Oppidi de S. Cloud Parisien. Diœcesis.

Similis Indulg. concessa fuit Hospitali SS. Salvatoris de Urbe Const. ed. 1694. Jan. 5. Pont. 3. Et Const. ed. 1694. Aug. 18. Pont. 3. conceditur Archihospitali S. Spiritus de Urbe.

Ex.20. Julii 1694. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Ducis Aurelianen.

EX injuncto Nobis Divinitus Sacrosancti Apostolatus Officii debito Animarum saluti quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, ac supplicationibus dilectissimi in Christo Filii Nostri Philippi a Francia Ducis Aurelianen. Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ægrotis in Hospitali Oppidi, seu loci de S. Cloud Parisien. Diœcesis ab eodem Philippo Duce (ut asseritur) fundato pro tempore morientibus, in cujuscumque eorum mortis articulo si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio d. Indulgentiæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XX. Julii MDCXCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LVIII. Conceditur facultas recitandi Officium, & celebrandi Missam B. Joannæ Alphonsi V. Filiæ Monialis Ordinis S. Dominici in toto Regno Portugalliæ, & d. Ordine ab omnibus utriusque sexus.

Confirmatus fuit cultus hujus Beatæ Const. ed. 1693. Apr. 4. Pont. 2. Et ab Inn. XIII. Const. ed. 1724. Febr. 15. Pont. 3. cultus B. Andreæ de Comitibus. Bened. vero XIII. Const. ed. 1726. Dec. 10. P. 3. est de B. Agnete Ord. S. Dominici.

Ex.30. Aug. 1694. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a laudibus hujus concessionis petitum.

EXigit injunctæ Nobis Divinitus Apostolicæ servitutis ratio, ut Sacrarum Virginum in Cælis cum Christo earum Sponso regnantium cultum, & venerationem in Terris promovere studeamus, sicut pia Regum Orthodoxorum præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, necnon Religiosorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium studia postulant, & Nos Locorum, & temporum qualitatibus mature perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ decus, & præsidium, ac ad spiritualem fidelium ædificationem, atque consolationem conspicimus in D. salubriter expedire.

§. 1. Itaque gloriosæ Beatæ Joannæ clar. me. Alphonsi V. dum vixit, Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris natæ Monialis non professæ Ordinis Sancti Dominici merita devota consideratione, magnaque Charissimi in Christo Filii Nostri Petri Portugalliæ, itidem, & Algarbiorum Regis Illustris, necnon Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Sophiæ Reginæ ejus Uxoris per dilectum Filium Benedictum de Fonseca, ejusdem Petri Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Residentem, ac etiam dilectorum Filiorum Antonini Cloche Magistri Generalis, & Paulini Bernardini Fratris expresse professi dicti Ordinis in Sacra Theologia Magistri Causæ Beatificationis, seu Canonizationis ejusdem Beatæ Joannæ Postulatoris Nomine Nobis humiliter porrectis supplicationibus; favorabilem assensum præbere cupientes, ipsorumque Antonini Magistri Generalis, & Pauli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ut in posterum quolibet anno die 12. Maii anniversaria obitus memoratæ Beatæ Joannæ possit de illa in toto Regno Portugalliæ ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur; necnon in Universo Ordine præfato recitari Officium, & celebrari Missa de Communi Virginum sub ritu semiduplici juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Preces Regis, & Reginæ Portugalliæ aliorumque.

Concessio præd. die 12. Maij sub ritu semiduplici.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aug. MDCXCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

XLIX. Confirmantur Constitutiones pro Archiconfraternitate S. Hieronymi Charitatis de Urbe.

Confirmata fuit, & in Archiconfraternitatem erecta cum concessione Indulgentiarum a Leone X. Const. edit. 1520. Jan. 27. S. Congregationibus Charitatis concessa fuit Indulgentia plen. hujus Pontificis Const. ed. 1693. Dec. 14. Pont. 3. Et Const. edit. 1700. Jun. 21. Pont. 9. confirmantur Constitutiones pro Congregatione Charitatis in Indiis Occident.

Dat. 18. Sept. 1694. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Pastorale fastigium, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque clementiæ abundantiam evecti, illa, quæ pro felici piarum sodalitatum quarumlibet præsertim in Alma Urbe nostra, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue diffunduntur, salubriter, sanctèque institutarum regimine, & directione provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

Constitutiones præd. conditæ fuere jussu Pontificis a Congregatione Particulari Prælatorum.

§. 1. Cum itaque Nos nuper, ad uberes, ac multiplices pietatis, & Christianæ Charitatis fructus, quos ad Omnipotentis Dei gloriam cum maxima Christifidelium dictæ Urbis ædificatione Archiconfraternitas sub titulo, seu invocatione S. Hieronymi Charitatis in eadem Urbe canonice, ut accepimus, erecta, ac instituta, adjuvante, & incrementum largiente Domino, laudabiliter proferre hactenus studuit, & adhuc de præsenti studet, paternæ dirigentes considerationis intuitum pro feliciori in dies ejusdem Archiconfraternitatis gubernio, & progressu nova quædam Statuta per nonnullos dilectos filios Romanæ Curiæ Prælatos pietate, prudentia, ac rerum usu præditos partim ex antiquis Collegii, partim vero de novo confici curavimus, quæ in unum volumen redacta sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

Principio, e progressi della Venerabile Archiconfraternita della Carità di Roma sino al tempo presente.

CAP. I.

Hebbe quest' Archiconfraternita il suo principio dalla san. mem. di Leone X., al cui tempo alcuni Curiali, & Officiali della Corte di Roma, che s'impiegavano in sovvenire i Poveri vergognosi di Roma, ed i Carcerati, animati dalla fel. mem. del. Cardinal Giulio de Medici all'ora Vice-Cancelliere di S. Chiesa, che fù pòi inalzato al Trono Pontificio, sotto il nome di Clemente VII., si unirono fino al numero di ottanta, e più Confratelli, de'quali tal'uni erano Vescovi, & altri Prælati, alcuni Officiali della Corte Romana, & altri Curiali, ed a spese proprie e con quelle somministrateli anche dal detto all' ora Cardinale Giulio de Medici, distribuivano in tutte le Domeniche alli proveri vergognosi il pane, ed altri alimenti. Visitavano le Prigioni mediante le Persone a ciò deputate; procuravano, che con celerità si amministrasse la Giustizia, particolarmente alli poveri, pagavano le spese della Cattura, e facevano portare alla sepoltura decentemente coperti li Cadaveri de i poveri morti precedendo a quelli la Croce, i lumi, almeno un Sacerdote, ed alcuni altri, che l'accompagnavano. Onde il medemo Leone X. di suo Moto proprio confermò tale Istituto con i suoi Statuti, dando la facoltà di far riformare, e mutare tante volte, quante, e come fosse parso alli Confratelli i Statuti, ed Ordinationi per il felice governo della Confraternita, erigendola in Archiconfraternita, ed in Capo di tutte le Confraternite della Carità in qualunque luogo istituite, e da istituirsi concedendoli, e comunicandoli respettivamente molte Indulgenze, come più ampiamente si contiene nella Bolla del sopradetto Leone X. sotto la data de 27. Gennaro nell'Anno dell' Incarnazione del Signore 1520., continuò la medesima Archiconfraternita con felici progressi, regolandosi con il suo primiero Instituto, e con diverse Ordinazioni, provisioni, e Decreti fatti sin dall' 1539. dalle Congregazioni Generali, e particolari della medema, che furono compilati, e riferiti in un Libretto stampato nel 1603. sotto il titolo, o dinominazione di Costituzioni di essa Archiconfraternita, con li quali, ed altri simili Decreti, ed usi è stata fin'ora la medema amministrata. In questo stato di cose la Santità di Nostro Signore Papa Innocenzo XII. alla quale sono state fatte supplichevoli istanze, che si degnasse confermare, ed accrescere il buon ordine, e pio Istituto dell' Archiconfraternita, desiderando il maggior avvanzamento dell'Opere pie, che con molta pietà, ed edificazione de' fedeli da quella si essercitano, per soddisfare alle dette suppliche hà ordinato, che si riformassero, facessero di nuovo, e si confermassero respettivamente li Statuti dell' Archiconfraternita, con darne l'incombenza ad una Congregazione particolare d'alcuni Prelati, che l'hanno fatti, ordinati, e compilati nel modo, che segue:

Dell'Opere pie, e prima dell'Elemosina del Pane.

CAP. II.

Una dell'Opere pie essercitate dall'Archiconfraternita fin dal suo principio è stata l'Elemosina del Pane, il quale dovrà similmente in avvenire distribuirsi alle Famiglie povere, e vergognose di tutti li Rioni di Roma ripartiti con tal' ordine in tre parti, che la distribuzione in ciaschedun quadrimestre si faccia per turno ad una di dette tre parti de'Rioni. Per assicurarsi, che il Pane si dispensi alle Famiglie veramente povere, e vergognose, dovranno due de'Deputati farne precedentemente la Visita per i loro Rioni, nel modo contenuto nel Capitolo seguente, ed a quelle Famiglie, che giudicaranno esserne meritevoli, daranno la schedula, o Bollettino sottoscritto da ambedue, nel quale descriveranno il luogo dell'abitazione della Famiglia, il numero de'Figlioli, e la quantità del Pane da darseli. Si farà quest'Elemosina nell'Oratorio di S. Girolamo della Carità la mattina a buon'ora in giorno di Domenica, o ogni quindici giorni, come da molt'anni s'osserva, o in ciascheduna Domenica, come anticamente si praticava a proporzione dell'entrate, che vi saranno, conforme si giudicherà dall'Archiconfraternita, o sua Congregazione ordinaria; sarà pertanto incumbenza di quattro Deputati di trovarsi nelle Domeniche, come sopra in d. Oratorio per dispensarvi il Pane alli Poveri, che porteranno il Bollettino, come sopra, nel quale faranno notare e con quest' occasione esorteranno li Poveri alla frequenza de'Santi Sagramenti, à vivere bene, ed onestamente, ed a mandare i Figliuoli alla Dottrina Christiana, di che procureranno assicurarsi, o con farsi portare il segno delli Parochi, o altri che la insegnano, o spiegano, o pure con informarsi dalli medemi, se li Figliuoli, alli quali si fa l'elemosina, la frequentano. Si dispensi parimente il Pane un giorno sì, ed un giorno no, alli Poveri Carcerati nelle Prigioni nuove, ed in quelle di Campidoglio, supplendosi alla necessità de'medemi nell' altro giorno dall'Archiconfraternita della Pietà de'Carcerati, si facci dalla Congregazione ordinaria nel mese d'Agosto, o in altro, che si stimarà più opportuno il partito del Pane da distribuirsi per un'anno al miglior mercato, che si potrà, con i soliti patti, o con altri, che si giudicheranno più vantaggiosi. Per ovviare, e rimediare alle fraudi, che in ciò potessero commettersi, e per l'indennità de' Poveri, che avessero perduti li Bollettini originali, dovrà farsi dal Computista un registro, o rincontro del contenuto nelli medemi Bollettini prima, che quelli si conseguino, o pure quando questo modo riuscisse difficile in pratica, dovranno li detti Visita-

tori notare ne' loro Libretti il contenuto de'medemi Bollettini, quali Registro, e Libretti respettivamente dovranno esibirsi nella Congregazione ordinaria, ed aversi pronti nell'Oratorio, quando vi si fa la distribuzione del Pane, per riporli poi, e conservarli in Archivio.

Regole da osservarsi nella Visita de' Poveri.

CAP. III.

Per impedire, o scoprir le fraudi, che tal volta si commettono dalle Donne, che quando sanno sia per venire la Visita, si accordano insieme per esser ritrovate conformi nelle relazioni ricercatele dalli Visitatori, dovranno questi prima di andare a visitare le Case informarsi diligentemente da persone degne di fede della bontà, povertà, numero, sesso, ed età de'Figliuoli della Famiglia da visitarsi, della Patria, dell' esercizio, del Padre, e della Madre, e specialmente se siano, o no Poveri vergognosi, interrogandole particolarmente, se con il loro esercizio, si possono guadagnar da vivere, e notando tutto brevemente in una Lista conforme all'infrascritto esempio, cioè Figliuoli quattro, femine tre, d'anni otto, il Padre Norcino, Mulattiero, che ha un Cavallo, la Madre Romana Lavandara, si trovano in necessità di pane, sono poveri di buona fama. Avvertano ancora, che molte Famiglie, procurano quest'Elemosina del Pane, non perchè ne abbino necessità, ma perchè si persuadono di poter in tal maniera più facilmente conseguir le Doti della sudetta, ed altre Archiconfraternite per le Figliuole; perciò non siano queste Famiglie ammesse all'Elemosina del Pane. Similmente non ammettano quelle, nelle quali non vi sono più di due Figliuoli, ed il Padre, e la Madre son sani, non avendo peso, infermità, o altro impedimento, per il che siano costituiti in necessità ad arbitrio de'Visitatori. Le Matriciane, Casciane, Norcine, Aquilane, e simili povere non vergognose, ed atte a procacciarsi il vitto, non si ammettano in alcun modo, quando però non siano Vedove molto gravate di Famiglia, ed in grandissima necessità, e non altrimente, ad arbitrio però della Congregazione. Non si ammetta alcuna Donna disonesta, o infame, o di mala vita. Nelle Maritate si esprima il nome, e l'arte del Marito; nelle Vedove il nome del Marito mortoli, ed il proprio luogo, dove abitano, quando però non siano già in lista. Siano ammesse le figliuole femine di ciaschedun'età, e li maschi sino al duodecimo anno, e non più, se non sono infermi, o inabili a qualche arte. Nell' arrivare, che faranno i Visitatori alle Case s'informino diligentemente se i Visitati hanno necessità di Pane, con interrogare specialmente i piccoli figliuoli di sei, o sette anni separati dagl'altri, circa il numero de'figliuoli, il nome de'medemi, e del Padre, e della Madre, ed altre circostanze, poichè potranno da questi meglio, e più sicuramente informarsi della verità. Dovranno li Visitatori esortare li detti poveri alla frequenza de'Santi Sagramenti ad educar bene i figliuoli, e mandarli continuamente alla Dottrina Cristiana, e recitare le sera le Litanie, ed altre Orazioni con pregare per il Sommo Pontefice, e per le necessità della Santa Romana Chiesa, e per l'Archiconfraternita, e per tutti i Benefattori, conforme parerà meglio ad essi Visitatori di suggerire, ed ordinare. In evento, che i Visitatori trovino, o apprendino qualche difficoltà nel visitare, potranno riferirla nella Congregazione ordinaria, acciò da questa possa venirsi all'opportuna deliberazione, e provisione.

Dell'ajuti Spirituali, e Corporali alli poveri Carcerati di Roma.

CAP. IV.

Non meno lodevole, e pia, è la seconda opera di carità, che si essercita dall'Archiconfraternita d'ajutare, e sovvenire li poveri Carcerati; per il che la san. me. di Pio IV. sotto li 20. Giugno 1563. intesane la relazione della chiara memoria del Cardinal Morone all'ora Protettore ordinò al medemo, che l'Archiconfraternita proseguendo tale Istituto di Carità, volesse ricevere e ritenere, come ha fatto, le prigioni all'ora di Tordinona, ed ora trasferite alle Carcere nuove per sovvenire spiritualmente, e temporalmente i medemi poveri Carcerati. Continui perciò l'Archiconfraternità le medesime opere di pietà, che per il passato ha esercitate verso i poveri Carcerati, alli quali, oltre alla detta distribuzione di pane, faccia a spese proprie, e con suoi Paramenti Sagri celebrar'in ciaschedun giorno due Messe nelle prigioni nuove, l'una dal proprio Cappellano di S. Girolamo, e l'altra dall'infermiere, che l'Archiconfraternita vi mantiene, acciò tutt'i Carcerati possino a debiti tempi confessarsi, e communicarsi, ed esser consolati frequentemente con le prediche, e ragionamenti pii, e con Orazioni, si procuri di dargliene la commodità opportuna mediante i proprj Sacerdoti, ed altre persone Religiose per li Carcerati ammalati nelle prigioni nuove v'abbia l'Archiconfraternità l'Infermaria, nella quale ritenga il detto Sacerdote Infermiere, che giornalmente celebri nelle dette Prigioni, ed abbi seco a quest'effetto un'Ajutante. Proveda similmente li dett'Ammalati delle Prigioni nuove di medicamenti di Speziaria, conforme si è pratticato per il passato. Per la cura di tutt'i Carcerati stipendj un Medico, un Chirurgo, ed un Barbiere per medicarli, servirli, e soccorrerli nelle loro malattie. Per ajuto, e protezione de' medesimi Carcerati deputi un Prelato, il quale in tutte le Visite delle Prigioni assista per la Carità, l'agiuti appresso i loro Giudici per giustizia, e somministri alli Guardiani delle Prigioni, ed a chi sia bisogno per la scarcerazione de'poveri Prigioni, le spese del vitto, ed altre fatte nelle Carceri, che quelli non possono pagare. In oltre il medesimo Prelato visiti le Prigioni secrete a suo piacere senza intervento d'alcun Giudice, o Sostituto fiscale, tanto per la sollecita spedizione di detti Carcerati, quanto ad effetto, che siano a quelli somministrati dalli Guardiani delle Prigioni gl'alimenti competenti. Facci anche altri due Deputati per visitare le Prigioni, e li Carcerati più volte in ciaschedun mese, per assistere assieme col Prelato deputato al Buon Governo dell'une, e dell'altre, e per provedere, e soccorrere alle necessità, tanto spirituali, che corporali de'Carcerati, e di quei che vi sono ammalati. Abbi un Procuratore, il quale difenda per carità le cause di detti poveri Carcerati, ed intervenga con i sudetti Prelati, e Deputati, tanto in tutte le Visite, che altrove, conforme sarà necessario per la difesa de'Carcerati, e de' dritti della Carità.

Del portare i poveri Infermi all' Ospedali, del dar sepoltura a i morti, e de'suffragj per l'Anima de'medesimi.

CAP. V.

La terz'Opera di pietà, che si essercita dall' Archiconfraternita, consiste nel portare all'Ospedali i pover' Infermi, e dar condecente sepoltura all'infrascritti poveri morti, al quale effetto la medema, nel modo essercitato per il passato

passato dovrà ritenere due Portatori stipendiati, li quali senz' altra mercede siano obbligati di portare detti pover' Infermi all' Ospedali, come anche dar condecente sepoltura alli morti di morte naturale nelle Prigioni, ed altri poveri affogati, o altri trovati insepolti dentro, e fuori di Roma, per suffragio dell' Anime de' quali dovrà nell' Altare Privilegiato della Chiesa di S. Girolamo celebrarsi una Messa per ciascheduno di detti morti, come anche è notato nella solita Tabella delle Messe da celebrarsi.

Dell' Elemosina al Monastero delle povere Convertite.

CAP. VI.

Il Monastero delle Convertite è stato per la maggior parte costrutto con i denari dell' Archiconfraternità della Carità, conforme apparisce da molte sovvenzioni da quella somministratili in diversi tempi, e la cura, e governo del medemo tanto dalla fel. mem. di Leone X., Clem. VII., e quanto da Paolo III. fù commessa all' Archiconfraternità, e suoi Confratelli. Avuta dunque dall' Archiconfraternità la pura considerazione alla miserabilità di questo luogo Pio, gli è andata sempre dando degl' ajuti per moltissimi Anni, gli ha somministrati fino a 50. scudi il mese di Elemosina, la quale come si dice nel sopradetto Libretto intitolato -- *Le Costituzioni* -- stampati nell' 1603., non essendo stata indotta per obbligo, ma per spontanea Carità, dipende dall' arbitrio della Congregazione della Carità con facoltà d'accrescerla, diminuirla, e levarla, come secondo lo stato, forze, e volontà dell' Archiconfraternità, e necessità di d. Monastero parerà alla medema Archiconfraternità essere più espediente. Ma perche sopra quest' Elemosina è stata introdotta lite tra l' Archiconfraternità, ed il sudetto Monastero, perciò non si fa altro, che riferirsene la detta sola narrazione, senz' alcuna determinazione positiva, la quale si mette a ciò, che per giustizia si deciderà dal Giudice, o per volontà di ambe le parti si concorderà, o converrà.

Della Chiesa, e Casa di S. Girolamo della Carità, e loro Governo.

CAP. VII.

La Chiesa di S. Girolamo della Carità fin dal di 10. Ottobre 1524. fù concessa da Clemente VII. di san. mem. all' Archiconfraternità dalla quale a proprie spese, e con altre somministrate dalli Benefattori, fù nella maggior parte costrutta, e con Organo, mobili, e suppellettili sagre, ed altri paramenti, ed ornamenti nobilmente abbellita. Si rende anche per questo memorabile, e degna di maggior venerazione per avere il glorioso S. Filippo Neri dato in quella principio al pio Istituto della Congregazione dell' Oratorio con la pratica de' suoi Santi Esercizj ivi continuati per lo spazio di circa 30. anni. Per il mantenimento del culto Divino, per ornamento decorso della Chiesa, e per il commodo spirituale de' fedeli, che la frequentano, vi ha l' Archiconfraternità ritenuti quattordici Sacerdoti amovibili *ad nutum* della sua Congregazione ordinaria; provedendoli d' abitazione nella Casa annessa, di servizio di Cucina, e del Cuoco, e d' altre comodità, come anche d' una competente mercede. Volendosi dunque, che l' Istituto pio anche in questa parte si mantenga, anzi s' accresca a maggior gloria di Dio, ed edificazione de' fedeli; perciò in parte si rinovano le antiche, e in parte si son fatte le opportune ordinazioni nel modo, che segue. Alla cura, e governo della Chiesa, e Casa sudetta, dovrà sopraintendere uno de' Prelati, e due Deputati, i quali invigilaranno, che sia esattamente adempito tutto ciò, che riguarda il Culto Divino, l' ornamento della Chiesa, il servizio de' fedeli, che a quella concorrono, l' adempimento delle Messe, e pesi, al qual' effetto riterranno appresso di se uno delli Libri de' pesi della Chiesa, e l' altro de' quali si ritiene dal Sagrestano, come anche procureranno il miglior governo, che sia possibile nella Casa, tanto in ordine alle Regole del vitto, e coabitazione de' Sacerdoti, e di quei che li servono, quanto in ordine all' economia, e di tutto ciò che riguarda a questa loro incumbenza; dovranno i sudetti Prelato, e Deputati farne partecipe la Congregazione ordinaria per darli poi l' opportuna esecuzione. Sia a carico della Coscienza del Prelato, Deputati, e Congregazione ordinaria, che tutti li detti quattordici Sacerdoti siano di buona condizione, e fama, di costumi illibati, e di vita esemplare, che la maggior parte de' medemi abbia l' abilità di confessare, e sappia il canto fermo, e che la metà d' essi in circa siano atti a sermoneggiare per sodisfare all' Istituto di fare i soliti sermoni in occasione dell' Oratorii, e da tutt' i sudetti la Congregazione ordinaria elegga, e determini quelli, che dovranno amministrare li Sagramenti della Confessione, e Communione. Preceda all' ammissione di tali Sacerdoti l' Editto d' affiggersi alla Porta della Chiesa, e Casa sudette, acciò quei, che aspireranno d' essere ammessi possino significare i loro nomi, e qualità per prenderne esatta informazione, affinche la Congregazione ordinaria possa ammettere quelli, che stimerà più degni, e più atti al loro Ministero. Saranno i medesimi Sacerdoti obbligati di visitare onninamente le Prigioni in ciascheduna Settimana per sentire le Confessioni de i Carcerati, ed essercitarli nell' opere di pietà, che stimeranno opportune, secondo il ripartimento da farsi dal Prelato, e Deputati. Essendosi altre volte molto desiderato, che li sudetti Sacerdoti vivessero in comunione, non solo rispetto all' abitazione, ma anche quanto al vitto; ed essendosi per il passato incontrata difficoltà di mettere ciò in pratica, s' esorta la Congregazione ordinaria di procurare a suo tempo, se li parerà praticabile, che tutti li Sacerdoti, che si ritengono, e riterranno per servizio della Chiesa nella Casa contigua convivino all' istessa Tavola, e con il medesimo trattamento a spese dell' Archiconfraternità, con diminuire la mercede, o provisione altre volte solita darseli nella quantità, che si arbitrerà dalla detta Congregazione ordinaria. Non possano li Sacerdoti durante il loro servizio, come sopra, intervenire come Deputati nelle Congregazioni dell' Archiconfraternità.

Regole da osservarsi fra li Sacerdoti circa il Culto Divino, e loro coabitazione.

CAP. VIII.

Acciò le cose premesse nel Capitolo antecedente, ed altre, che devono osservarsi per il buon Governo della Chiesa, e Sacerdoti, siano puntualmente adempite, si rinovano le seguenti Ordinazioni.

Primo. Ciaschedun Sacerdote, cioè uno di loro sia Ebdomadario col peso comunemente competente a gl' Ebdomadarii, il quale essendo chiamato a sepellire i morti, sia obbligato andarvi, e si cominci dal più antico.

Secondo. Quando si celebra la Messa solennemente gl' ultimi due Sacerdoti ricevuti in Casa, cantino l' Epistola, e l' Evangelio, come si è praticato fin' ora.

Terzo. In ciascheduna settimana uno de' predetti Sacerdoti sia Cantore, e si cominci dal più antico eccettuato il Sagrestano, ma ne' giorni

delle solennità siano due Cantori, cioè l'Ebdomadario presente, e quello, che segue nella settimana futura, purchè siano abili, e quando è solo non s'intrometta alcun'altro ad intonare, se l'istesso Ebdomadario potrà da se stesso far bene quest'Uffizio.

Quarto. Nessuno di detti Sacerdoti, sotto pena di privazione dell'Offizio, ardisca in altra Chiesa, che in quella di S. Girolamo sentire le Confessioni nè amministrare altri Sagramenti, eccetto in caso di necessità, senza special licenza de' Deputati sopra la Chiesa. Lasciandosi però la facoltà di confessare in Casa gli ammalati.

Quinto. Nessuno di detti Sacerdoti possa sentire le confessioni delle Donne altrove, che nelli Confessionarii posti nelle navi di detta Chiesa.

Sesto. Tutti i Sacerdoti, e Chierici obbediscano al Sagrestano in tutto ciò, che riguarda la celebratione degl'Offizj Divini, ed il servizio della Chiesa.

Settimo. L'elemosine per le Messe si notino in un libro: nè si approprino per se, o si distribuiscano ad altri da chiunque Sacerdote, Chierico, o altri, che sia al servizio della Chiesa; ma si dispensino per la celebrazione di tante Messe secondo quello ordineranno il Prelato, e Deputati della Chiesa.

Ottavo. Nella Chiesa, si faccino tutte le cose con ordine, particolarmente nella celebrazione delle Messe, le quali i Sacerdoti, o Cappellani non dovranno celebrare nel medesimo tempo, ma una doppo l'altra.

Nono. I Sacerdoti, per il tempo, nel quale devono servire al Coro non sentano le Confessioni nel Coro, ne vicino all'Altare.

Undecimo. Nissuno ardisca d'amministrare nella Chiesa di S. Girolamo il Santissimo Sagramento dell'Eucaristia, se non sia il Sacerdote di Casa, o altrimente approvato, o con licenza de' Superiori dell'Archiconfraternità.

Duodecimo. Stiano avvertiti i Sacerdoti di non cominciare a cantare in Coro l' Introito della Messa solenne, prima che quello che deve celebrare, non sia totalmente apparato, ed arrivato all' Altare.

Decimoterzo. Avvertano similmente di non mormorare, susurrare dell' azioni altrui, e particolarmente in Coro, ed in Sagrestia in tempo d'Inverno al focone, ma siano modesti, sottoponendosi scambievolmente.

Decimoquarto. I Sacerdoti in Coro, si levino in piedi o sedano nel medemo tempo, e ciascheduno nel cantare sodisfacci alle parti sue.

Decimoquinto. L'Ebdomadario nell'intonare non alzi tanto la voce, che gli altri non possano seguitarlo, ma tutti con una voce simile, e co 'l cuore lodino il Signore Iddio riverentemente.

Decimosesto. Procurino li Sacerdoti il comodo de' Fedeli, che concorrono alla Chiesa più tosto, che il proprio, circa l' ora di celebrar la Messa, e perciò nissuno la celebri, se non sarà chiamato dal Sagrestano, e nel tempo, che si deve cantare la Messa solenne, nissuno celebri all'Altare Maggiore. I medesimi Sacerdoti lascino benignamente celebrare i Preti forastieri, ed essi fra tanto aspettino, ad effetto, che non eschino a celebrare nel medesimo tempo più di quello, che bisogni.

Decimosettimo. I Sacerdoti quando servono nel Coro portino la Cotta, e similmente quando sentono le Confessioni, particolarmente ne' giorni festivi, e così anche il Sagrestano.

Decim'ottavo. Avvertano ancora i Sacerdoti di non introdurre alcuno ad abitare nella Casa di S. Girolamo, senza licenza speciale delli PP. Deputati.

Decimonono. Nessun Sacerdote esca di notte, se non in caso di necessità urgente, ed in caso sia chiamato dall'Infermi.

Vigesimo. Quello, il quale deve celebrare la prima Messa si levi opportunamente per non differirla oltre il tempo prescritto, e ad effetto, che nel medesimo tempo i Chierici preparino tutte le cose, e suonino le Campane conforme sarà ordinato dal Sagrestano, al quale quelli sotto la debita correzione debbano puntualmente ubbidire.

Vigesimoprimo. I Ragazzi in nessun modo dormano nel Chiostro, e benche siano quelli, a quali i Sacerdoti insegnano, nè li medesimi fra giorno giuochino, acciò ogni strepito sia tenuto lontano dalla Casa di essi Sacerdoti: ma i Chierici, quali habitano nel Chiostro adempiano diligentemente il loro Offizio, nè mai ardiscano uscir di notte, e quando si suona al di fuori accorreranno puntualmente.

Vigesimosecundo. Il Sagrestano non permetta, che alcuno sia sepellito nella Chiesa di S. Girolamo, se non con espressa licenza delli sudetti Deputati per la Chiesa, che saranno *pro tempore*.

Vigesimoterzo. Il medesimo Sagrestano quando proporrà, che sia ammesso alcun Chierico per il servizio della Chiesa, lo presenti a' detti Deputati, quali che doppo la diligente informazione presa della vita, e costumi, troveranno, che abbia le qualità necessarie l'ammetteranno assieme con gl'altri.

Vigesimoquarto. Il Sagrestano sia il primo a venire in Chiesa, e l'ultimo a partire, ad effetto, che possa opportunamente disporre in che tempo debbansi celebrare le Messe.

Vigesimoquinto. Il medesimo noti, o punti tutti quei Sacerdoti, che non si troveranno in Coro al tempo debito, e non interverranno al principio degl'Offizj Divini, e doppo qualche tolleranza gli avvisi, e non corregendosi, ne dia parte a Deputati, acciò a loro arbitrio provedano.

Vigesimosesto. Se il Sagrestano perderà qualche cosa appartenente alla Sagrestia, dovrà render del suo l'equivalente alla Chiesa, dovendo anche nel suo Ingresso fare l'Inventario di tutte le Suppellettili, ed altro, e di quello renderne buono, e fedel conto nel fine del suo Offizio, ed intanto ogn'anno dovranno i Deputati riconoscere lo stato delle medesime Suppellettili.

Vigesimosettimo. La prima Messa si celebri sempre al levar del Sole.

Vigesim'ottavo. Il Sagrestano, e Sotto-Sagrestano osservino diligentemente la Chiesa, e la Casa, e procurino conservare coperte, e pulite l'Acque Sante, ed essendo necessario alcun resarcimento, ne avvisino i Deputati della Chiesa.

Vigesimonono. L'Offizio del Sotto-Sagrestano sia serrare la Porta del Chiostro con Chiave ciascheduna sera a due ore di notte l'Inverno, e ad una l'estate, e consegnare la Chiave al Sagrestano, che dovrà ritenerla onninamente appresso di se, l'aprire della medesima porta nell' Aurora, nè sia permesso ad alcuno di avere la chiave di Porta; sia parimente obligato il Sotto-Sagrestano di sonare ogni giorno la Campana dell'Ave Maria all'ore solite la mattina, la sera, ed al mezzo giorno.

Trenta. Avverta innoltre il Sagrestano, e chiunque lo serve di non prestare cosa alcuna fuor di Casa, ancorchè fosse per breve tempo, senza licenza de' Deputati, e facendo altrimente sia severamente punito ad arbitrio del Prelato, e Deputati sopra la Chiesa.

Trent'uno. Il Sagrestano prepari al Prefetto del Choro il Salterio, Antifonario, Graduale, ed altri Libri in Coro, e prima di entrare nel medesimo Coro abbi preparato, e notato tutto ciò, che deve cantare, avendo antecedentemente

letto il Breviario, Messale, e l'ordine dell'Offizio Divino.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIII. Aprilis MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LV.

Eriguntur duæ Provinciæ Lombardiæ, & Romanæ FF. Prædicatorum in duas Congregationes S. Sabinæ, & S. Marci cum nonnullis Ordinationibus.

Const. ed. 1693. Octob. 20. P. 3. agitur de Studentibus Provinciarum Congregationis Sancti Marci Const. ed. 1696. Jul. 23. P. 5. de electione Lectorum. Et Clem. XI. Const. ed. 1703. Martii 21. P. 3. confirmatur dismembratio quorumdam Cœnobiorum a Provincia Germaniæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 14 Junii 1695. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam evecti, in id præcipue peculiari studio, summaque animi contentione incumbimus, ut prospero, felicique Christifidelium in sortem Domini assumptorum, & Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statui, regimini, & progressui, quantum Nobis ex alto conceditur, providere jugiter satagamus; ac proinde novas ejusmodi religiosorum virorum Congregationes pro data nobis cælitus potestate interdum instituimus, sicut personarum, locorum, rerum, & temporum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Religionis incrementum; spiritualemque Christifidelium ædificationem, & animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Causa Erectionis.

§. 1. Regularem itaque disciplinam in Provinciis Lombardiæ, & Romanæ Ord. Fratrum Prædicatorum custodire, ac promovere, eamque quoad perfectæ maturitatis frugem, adspirante superni favoris auxilio, provecta, Ecclesiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus lætificet, Apostolicæ benignitatis favoribus excolere, ac felici infrascriptorum Conventuum earumdem Provinciarum, Fratrumque in eis degentium statui, & gubernio, ac incremento salubriter consulere cupientes, necnon eorumdem Fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter a Nobis deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Conventus Sanctæ Sabinæ de Urbe, Sancti Dominici Ravennaten. Sancti Dominici Ferrarien., Sancti Dominici Civitatis Sancti Severini, Sanctæ Crucis, & Omnium Sanctorum Oppidi Boschi Dertonen., & Sanctæ Catharinæ Oppidi, seu Loci Tridini Casalen. respective Diœcesis primodictæ: Necnon Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., & ejusdem S. Dominici Civitatis Sancti Miniatis, ac Hospitium Liburni Pisan. Diœcesis, secundo dictæ respective Provinciarum, eorumque Fratres, & personas quascumque cum omnibus, & singulis illorum membris, Juribus, & pertinentiis universis ab omni, & quacumque Jurisdictione, Superioritate, Correctione, Visitatione, Regimine, cura, & Gubernio dilectorum filiorum modernorum, & pro tempore existentium Priorum Provincialium earumdem Pro-

Motu proprio dd. Provinciæ eximuntur a jurisdictione Priorum Provincialium.

vinciarum tam in spiritualibus, quam in temporalibus tenore præsentium perpetuo eximimus & plenarie liberamus.

Item eriguntur in dd. duas Congregationes immediate subjectas Magistro, vel Vicario Gen.

§. 2. Ipsosque Conventus in duas novas primam nimirum sub Sanctæ Sabinæ utriusque Lombardiæ, secundam vero sub Sancti Marci Romanæ respective Provinciarum ejusdem Ordinis titulis nuncupandas Congregationes, quæ dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali, sive ejus loco in eadem Romana Curia pro tempore residenti Vicario Generali Ordinis hujusmodi immediate subjacere debeant, itaut in illas nulli alii ipsius Ordinis Superiores, præterquam earum Vicarii, cæterique earumdem Congregationum Prælati juxta morem deputari soliti potestatem aliquam valeant exercere, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore præfatis pariter perpetuo erigimus, & instituimus.

De vita communi juxta Conc. Triden.

§. 3. Cæterum in omnibus Conventibus de præsenti spectantibus, & qui deinceps spectabunt ad dictas Congregationes sic a nobis erectas, & institutas, Fratres omnes ad Regulæ, quam professi fuerunt, præscriptum exacte vitam instituere, & componere, atque illa, quæ communem vitam, victum, & vestitum concernunt juxta Concilii Tridentini, ac fel. rec. Clementis PP. VIII. Prædecessoris nostri Decretorum tenorem fideliter, ac inviolabiliter observare debeant, & omnino teneantur.

De Vicario Gen. eligendo.

§. 4. Utrique vero Congregationi de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus ex Conventibus ejus Congregationis, cui is præficiendus erit, qui illam adjuvante Domino salubriter dirigere valeat, quique in Conventibus hujusmodi saltem per septennium exacte regularis observantiæ specimen dederit, & quantum fieri potest alicui ex illis laudabiliter præfuerit, a Magistro Generali præfato biennio in biennium provideatur.

De Vicario in casu mortis.

§. 5. Quod si Vicarium sic institutum ante completum sui Vicariatus tempus ab humanis decedere contigerit, is qui Vicarii officio novissime functus fuerit, quatenus adsit, sin minus Prior antiquioris Conventus ejus Congregationis, quæ suo Vicario, sicut præmittitur destituta remanserit, in omnibus, & per omnia deficientis Vicarii vices gerat, donec alter Vicarius a Magistro Generali supradicto fuerit institutus, teneaturque hic Pro-Vicarius statim de sequuta hujusmodi officii vacatione eumdem Magistrum Generalem admonere, & ab eo novum Vicarium exposcere.

De Vicarii auctoritate.

Porro Vicarius pro tempore existens eamdem prorsus jurisdictionem, & auctoritatem habeat in Conventus, & Fratres suæ Congregationis, quam juxta Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones Priores Provinciales habent in suis Provinciis. Possit quoque idem Vicarius quoscumque Fratres Ordinis supradicti undecumque venientes suscipere, & eisdem de Conventibus præfatæ suæ Congregationis per deputationem, vel assignationem providere.

De Fratribus Congregationi se adscribentibus.

§. 6. Quod tamen Criminosis, juxta dicti Clementis Prædecessoris Decreta nullatenus prodesse poterit, non autem intelligantur iidem Fratres Congregationi hujusmodi incorporati, nec in Priores, aut Magistros Novitiorum institui valeant, nisi post quadriennium, eoque durante, si ad suos Conventus, vel Provincias redire voluerint, licentia eis abeundi libere concedatur.

De Fratribus a Congregatione egredientibus.

Præterea nulli ex Fratribus dictarum Congregationum, sive intra eas habitum susceperint, sive aliunde per quadriennium, ut præfertur incorporatus fuerit, permittatur transire ad Conventus extra suam Congregationem nisi de licentia Vicarii, una cum Consilio sex graviorum Patrum ejusdem Congregationis, quæ tamen licentia non facile detur, sed omnimoda diligentia, & charitatis officia adhibeantur, ut abire volentes in suscepto vitæ instituto confirmentur; quod si adhuc in discedendi voluntate permanserint, tandem dimittantur, ne aliis impedimento sint.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, aliive quilibet, etiam specifica, & individua mentione & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam, seu terminos juris, vel Constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Ordini, & Provinciis, ac Conventibus, illorumque respective Magistro Generali, & Provincialibus, aliisque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter

expressis,

expressis, & insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XIV. Jun. MDCXCV. Pontificatus nostri An. Quarto.

LVI. Confirmantur quædam Decreta Capitul. Gener. Monachorum Ord. Cluniacensis.

De reformatione horum Monachorum vid. Nic. IV. Const. ed. 1289. Sep. 12. P. 2.

21. Junii 1695. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus cura animum nostrum solicitat, ut promovendæ, atque excolendæ inter viros Religiosos Altissimi obsequiis sub suavi Monasticæ Vitæ jugo mancipatos regulari disciplinæ peculiari studio, summaque animi contentione incumbamus; ac proinde ea, quæ simili constituta, ac ordinata esse noscuntur consilio, ut firma semper, atque illibata persistant Apostolici muniminis præsidio libenter corroboramus, eoque tendentia illorum Superiorum in partem solicitudinis nostræ vocatorum, ac præsertim sublimi Cardinalatus honore fulgentium vota paterna charitate exaudimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Consequentia statuta confecta fuerunt in Cap. Gen. 1693.

§. 1. Exposuit siquidem nobis nuper Vener. Frater noster Emmanuel Theodosius Episcopus Albanen. S. R. E. Cardinalis Bullionius nuncupatus Monasterii Cluniacen. totius Ord. Cluniacen. Capitis perpetuus Commendatarius, quod pro felici, prosperoque dicti Ordinis, ejusque Monachorum regimine, & directione nonnulla Statuta, seu Decreta in Capitulo Generali ipsius Ordinis, quod novissime videlicet anno 1693. in eodem Monasterio, ipso Emmanuele Theodosio Episcopo Cardinale, & Commendatario in eo præsidente celebratum est, edita fuerunt; quæ cum nobis pro parte ejusdem Emmanuelis Theodosii Episcopi Cardinalis, & Commendatarii exhibita fuissent, Nos illa mature, ac diligenter examinari, & revideri, ac ubi opus erat, corrigi, & aptari curavimus, unde reducta fuerunt in formam tenoris, qui sequitur, videlicet: *Capituli Generalis Ordinis Cluniacensis anno 1693. celebrati Acta, & Statuta, anno Domini 1693., die Dominica II. Octobris post Pentecosten vigesima secunda.*

Locus Diffinitorii, & Diffinitores.

Factæ fuerunt Diffinitiones sequentes, in Camera Diffinitorii, Monasterii Cluniacensis, & fuerunt Diffinitores ii, qui sequuntur auctoritate Apostolica electi, & deputati: Præsidente Emo, & Rmo DD. Card. Emmanuele Theodosio a Turre Averniæ, Abbate Generali ejusdem Monasterii, & totius Ordinis, videlicet.

Reverendus Dominus Ludovicus de Nangis, Prior Major Abbatiæ, & totius Ord.

Reverendus Dominus Carolus de la Motte, Prior Claustralis Monasterii B. M. de Charitate, Sac. Theologiæ Professor.

Reverendus Dominus Hieronymus Cocquelin, Collegii Dolensis Principalis, & Comitatus Burgundiæ Visitator.

Rev. Dom. Claudius de Vert, Thesaurarius Cluniacensis.

Rev. D. Odo Bernard. Prior Sanctorum Petri, & Pauli de Radolio.

Reverendus Dominus Eusebius de Combronne, Prior Claustralis Sancto. Petri, & Pauli de Sylviniaco.

Reverendus Dom. Hugo Cleuzel, Prior Claustralis Sanctorum Petri, & Pauli de Coinciaco.

Rev. D. Antonius Tevein, Decanus, & Prior Claustralis de Moyraco.

Reverendus Dom. Joannes Henricus de Barbon, Prior, & Camerarius Abbatiæ Sancti Theofredi Monasteriensis.

Reveren. Dom. Ildefonsus Sarrazin, Prior Claustralis S. Martini a Campis Sacræ Theologiæ Professor.

Reverendus Dom. Ludovicus Moureau, Prior Collegii Cluniacensis in Titul. Doctor in utroque Jure.

Rev. D. Stephanus de Nesmond, Prior Claustralis de Abbatis Villa.

Reverendus Dom. Joannes Baptista Graviers Prior Claustralis Sancti Marcelli de Sauzeto.

Rev. Dom. Claudius Roland, Prior Claustralis de Thiziaco.

Reverendus Domnus Michael Petrus du Perray, Prior Claustralis de Nogento Rotrodi.

Auditores Causarum.

Rev. D. Paulus Rabusson, Sub-Camerarius Cluniacensis.

Reverendus Domnus Benignus de Vert, Prior Claustralis de Lehuno in Sanguine Jerso.

Auditores excusationum.

Rever. Domnus Jacobus de la Motte Prior Claustralis S. Dionysii de Carcere.

Rever. Domnus Joannes Marin, Prior de Sezanna.

§. 2. Spes, quæ differtur affligit animam, divino testante oraculo. Diffiteri sane non possumus eamdem è dilato bono afflictionem, in maximum Spiritualis lætitiæ argumentum converti, ubi illi, qui sitiunt justitiam, & ante omnia debent Regnum Dei quærere, videant appropinquare tempus acceptabile, & dies salutis. Tunc enim solicitudine non pigri, in restituendo pro viribus per Decreta Capituli Generalis Sac. Ordinis Cluniacensis anni millesimi sexcentesimi octogesimi quinti primævo nitore, & splendore, spe gaudentes jam sumus. Vox turturis audita est, vineæ dederunt odorem suum, flores apparuerunt in Terra nostra mox daturi fructus uberrimos, fructus pietatis, honoris, & honestatis. Nunquam porrò major fiducia cor nostrum ad bonum perficiendum accendere debet, quam dum videmus colligata, & inter se conglutinata, Sanctissimis concordiæ vinculis vota, & desideria Summi Dom. Nostri Innocentii PP. XII. & Regis vere augusti, vere magni, ut Emum Cardinalem Bullionium Abbatem nostrum, & caput totius nostræ Congregationis, auctoritate sua in restauranda disciplina Regulari Ordinis Cluniacensis adjuvent, faveant, & protegant. Is est Summus Pontifex, qui solicitus, quomodo uni Deo placeat, evangelizat pauperibus, panem parvulis frangit, qui intelligit super egenum, & pauperem, qui surdo auris, claudo baculus, oculus cæco, (Procœmium ex temporis opportunitate petitum.)

demum omnibus omnia factus est propter Christum, cujus vices gerit in terra, ut omnes adjuvet, confortet, & Christi faciat. Regem verò habemus opitulantem, Regem quem Deus de Monte Sancto suo conservet, & vivificet, Regem secundum cor suum, qui dum excelsa a finibus Terræ abstulit, opprobrium illico ab Israel sustulit, & veterem delevit ignominiam, qui irascentibus, frustra frementibus, & tabescentibus populis illis, qui ruperunt pacta Testamenti Dei vivi, omnes in unum colligatos conterit in circuitu, & in magnitudine brachii sui. Ex aula denique convolavit Abbas Emus, qui cum sit de semine Virorum illorum, per quos salus primo facta est in Ordine Cluniacensi, vere Pastor, & vere Episcopus animarum nostrarum, venit evangelizare pacem, & mirifica prudentia, incredibilique lenitate, sub auspiciis Pontificiis, & regiis opus nostræ restaurationis toties tentatum sed hactenus incompletum aggredi, & nobis in unum conspirantibus perficere non recusat. Quem sane Deus adjuvet in tam sancto proposito.

Plurimæ Causæ Statutorum.

§. 3. In primis cum nobis præcipue incumbat pristinos mores, & antiquas leges, quibus Ordo Cluniacensis tamdiu floruit renovare, & in quantum in nobis erit restituere, inquisivimus causas, quibus disciplina regularis, aut collapsa, aut labefactata fuit ut iis cognitis radices malorum, quæ sensim irrepserunt amputemus & resecemus. Sane agnovimus faciliorem, & frequentiorem, tam Religiosorum Mendicantium, quam cæterorum Ordinum ingressum, alienos mores & in Ordine nostro invexisse: necnon licentiam, & facultatem, quam quidem inter Abbates, & Priores Commendatarios sibi arrogare voluerunt concedendi loca, seu portiones Monachales personis sæpe sine ullo delectu in Ordine magnum dedecus intulisse. Et licet Summi Pontifices nunquam intendant, *dum provident Monachis jam professis expresse in Ordine Sancti Benedicti, de Beneficiis Ordinis Cluniacensis, eorum translationem, aut migrationem confirmare, nisi prius idonei, & capaces probati fuerint, tamen consuetudo pessima invaluit, ut tales provisi a Summo Pontifice, vel a Collationibus Ordinariis novæ probationi, & professioni in Ordine se nolint subjicere*: Unde plerumque evenit, ut laxiori, & emissiori vivendi modo addicti, nec ritibus Ordinis instructi sensim nostrorum mores corrumpant. Plerique etiam sub spe, aut prætextu melioris frugis ineundæ, a Sede Apostolica sibi faciunt provideri de Beneficiis, aut officiis Claustralibus Ordinis Cluniacensis cum Decreto habitum Regularem suscipiendi, sed ubi primum illa Beneficia, aut officia obtinuerunt, se nullo examini existimant subjiciendos. Et si contingat eorum mores, aut vocationem non probari recurrunt ad alios, & ad Episcopos locorum, in quibus Beneficia sita sunt, qui ipsos ad professionem regularem admitti jubent, quod omnino professionis Regularis Institutis adversatur, quia ut ait S. Pater Benedictus: *Noviter veniens quis ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus, sed ut ait Apostolus; probate Spiritus si ex Deo sunt.* Visum est etiam nobis consuetudinem peragendi novitiatum in quolibet Monasterio sua habere incommoda, & vix in Monasteriis in quibus non potest Monachorum sufficiens numerus sustentari, Divinum Officium cum ea, qua decet reverentia posse celebrari; Necnon in illis Monasteriis proprietatem necessario foveri, in quibus Vestiarii loco, aut pensionis Monachalis nomine certa pecunia Monachis annuatim persolvitur, nec posse hunc abusum prorsus a proposito regulari deviantem tolli, nisi vita communis in singulis Monasteriis restauretur, necnon aliquis modus adhibeatur in regimine, seu administratione fructuum, redditum, & obventionum, quæ cuilibet Monacho possunt competere ratione Officii Claustralis, aut Beneficii de quo provisus est in titulum. Observatum est etiam a Visitatoribus Provinciarum sæpe utile esse, & commodum pro bono pacis, & Religionis Monachum de uno Monasterio ad aliud migrare ad tempus, & providendum esse, ne sub prætextu stabilitatis Monachi inobedientes fiant. Insuper ex frequentiori Superiorum mutatione ex una parte, & ex eorumdem perpetuitate ex alia non modicum hucusque provenisse incommodum animadversum est. Tandem cum Collegia Monachorum erudiendorum causa sapienter a majoribus nostris instituta fuerint, & licet antiquitus in illis præfici deberent viri providi, & literarum Divinarum, & humanarum peritissimi, ut alios verbo, & exemplo instruerent, qui quidem ad nutum Abbatis Cluniacensis poterant amoveri: tamen convenientibus, immo aliquando faventibus Superioribus Ordinis, Administrationes quædam eorumdem Collegiorum confueverunt dari in titulum, unde potest sæpius evenire, ut conferantur Monachis, qui licet aliunde capaces, & idonei, tamen non habent certam industriam, & providentiam, quæ in talibus muneribus obeundis necessaria est, & cum bonum privatum debeat cedere publico, & communi, propositum est media omnia adhibenda, ut deinceps ejusmodi administrationes non conferantur in titulum. Quibus omnibus mederi cum necessarium judicatum fuerit, maturo examine ponderatis, & perpetuis omnibus hinc inde rationibus Statuta, & ordinata sunt, quæ sequuntur.

De recipiendis aliorum Ordinum Religiosis.

§. 4. Statutum est ne deinceps ulli Monachi Professi in aliis quibusve Ordinibus Regularibus, nullive Religiosi mendicantes admittantur, seu recipiantur in Monasteriis Ordinis Cluniacensis, nisi prius de suorum Superiorum consensu, & Sedis Apostolicæ licentia necnon, & de consensu Abbatis Cluniacensis per legitima documenta appareat, & nisi benevolos receptores in uno e Monasteriis Ordinis nostri invenerint, eaque lege, ut de novo in uno e Conventibus ad Novitiatum cæterorum in Ordine admissorum designatis, annum probationis cum effectu compleant. Nec admittantur ad Professionem Regularem in Ordine Cluniacensi emittendam, de licentia Abbatis Cluniacensis secundum Statuta Ordinis, nisi a Monachis ejusdem Conventus, in quo Novitiatum expleverint capitulariter congregatis via Scrutinii secreti, & saltem a majori parte capituli capaces, & idonei fuerint judicati.

De distributione portionum Monachalium.

§. 5. Nullus deinceps Abbas, aut Prior Commendatarius se intromittat de suscipiendis Monachis, sed secundum Regulam S. P. Benedicti deligantur, & probentur a Monachis ejusdem Conventus, in quo recipi debent. Nec liceat ejusmodi Abbatibus, vel Prioribus Commendatariis disponere de Mansionibus, locis, seu portionibus Monachalibus, sed earum dispositio prout jam sancitum est in Capitulo Generali anni 1676. pertineat ad Conventum, & Monachos ejusdem Monasterii, qui quidem personam idoneam deligere tenebuntur infra sex menses a die vacationis computandos, & ad unum e Novitiatibus mittere sic delectos, habitu regulari per Priorem loci induendos infra idem tempus; alioquin ne numerus Monachorum minuatur, de eis providebitur per Abbatem Cluniacensem. Quod observandum censuimus non obstante quocumque pacto, conventione, aut consuetudine in contrarium, quæ potius corruptela, quam consuetudo nominanda est.

De receptione eorum, qui benef.

§. 6. Nullus etiam in Ordine quocumque, etiam S. Benedicti expresse jam professus, & Provisus

visus a Sancta Sede Apostolica, vel a Collatoribus Ordinariis de Beneficiis, aut Officiis Claustralibus Ordinis Cluniacensis, admittatur in Ordine nostro vigore præfatarum provisionum, nisi velit prius in Novitiatibus Ordinis, ut in primo articulo ordinatum est, novam probationem inchoare, & perficere, & anno elapso subjici examini Conventus Monachorum Monasterii, in quo Novitiatum compleverit, ut in primo articulo sancitum est. Et si contigerit a Capitulo suffragiis, & votis majoris partis capacem, & idoneum non reperiri, tunc secedere ab ordine teneatur, & Beneficia, seu officia cedere infra sex menses a die repudiationis ejus ipsi intimandæ computandos, alioquin præfato termino elapso vacare prædicta Beneficia, & Officia censeantur. Idem omnino Statutum est circa illos, qui sub spe, aut sæpius prætextu melioris frugis ineundæ d. regularis disciplinæ amplectendæ voto, provisiones Beneficiorum regularium, aut officiorum Claustralium Ordinis Cluniacensis obtinent cum Decreto habitum Regularem suscipiendi, quos vulgo vocant: cupientes profiteri. Qui omnino non admittantur nisi secundum formam superius prænotatam, & præscriptam. Et si capaces, & idonei reperti non fuerint, tunc Beneficiis, & Officiis suis cedere debeant infra terminum supra determinatum, alioquin vacare censeantur.

§. 7. Nullus sive Religiosus, sive Sæcularis poterit Novitiatum inchoare, & perficere nisi in Monasteriis ad id specialiter a Capitulo Generali designatis, in quibus delecti ad loca, seu ad mansiones Monachales, vel de Beneficiis, aut Officiis Claustralibus provisi, sub literis authenticis sigillo Conventus munitis, aut in casu negligentiæ Abbatis Cluniacensis ad probationem recipientur, & habitu Regulari per Priorem Monasterii induentur, annoque Novitiatus expleto ut supra statutum est, ad Professionem Monasticam admittentur secundum Statuta.

§. 8. Quia compertum est Divinum cultum vix posse observari, & Divinum Officium celebrari, neque etiam observantiam Regularem facile posse manu teneri in Monasteriis, in quibus sufficiens numerus Monachorum non est, statutum, & ordinatum fuit in qualibet Provincia certa Monasteria eligenda pro opportunitate situs, & ædificiorum, in quibus stabiliatur numerus decem, aut adminus octo Monachorum. Et si redditus, proventus, & obventiones Monasteriorum sic delectorum non valeant sufficere ad talem numerum sustentandum; tunc augeantur, vel per unionem, & suppressionem Sacristiarum, cæterorum Officiorum Claustralium aliorum Monasteriorum, aut Prioratuum. Et si illud commode fieri non poterit, saltem per translationem eorumdem Officiorum, & per appellationem, & incorporationem portionum, aut mensarum Monachalium, & quia ad Divini Cultus augmentum certum numerum Monachorum alendum, quilibet, & singuli Priores Ordinis ex primæva eorumdem Prioratuum fundatione, seu erectione tenentur, & cum nulla possit adversus Deum, & leges fundationi addictas præscriptio opponi, visum est certas regulas statuendas sub quibus hujusmodi applicatio mensarum, & unio Officiorum possit fieri.

§. 9. Ideo statutum est nihil omnino a Prioratibus, & Monasteriis ejusdem Ordinis sub nomine portionum Monachalium exigendum in quibus actu, & de facto, & a quadraginta annis amplius, & retro nulla mensa, aut portio Monachalis præstita est, & quorum insuper redditus, proventus, jura, & obventiones, deductis oneribus realibus, non ascendent ad summam mille, & ducentarum Librarum. Quo ad vero cæteros Prioratus, & Monasteria Ordinis, subjicientur contributioni earumdem portionum Monachalium, ea tamen lege, ut semper salva, & illæsa remaneat apud eosdem Priores, qui ejusmodi contributioni, ut supra ordinatum fuit, subjecti non fuerunt prædicta summa mille ducentarum Librarum, nec possint ultra tertiam partem redditnum mensæ Monachorum destinatum gravari. Et quia ad id opus complendum, quod omnino cultui Divino restituendo; & disciplinæ regulari in Ordine restaurandæ congruens, & necessarium judicatum fuit, multi Contradictores poterunt inveniri, supplicatum est Emo Cardinali, ut ad id adhibeat, & Pontificiam auctoritatem, quam humillime totum Capitulum Cluniacense supplex ab Apostolica Sede postulat. Insuper procurabit Emus Cardinalis, ut a viris providis inquiratur cito citius de redditibus, juribus, & proventibus cujuslibet Prioratus, ut possint illius celsitudini suppetias ferre. Et providebit etiam ne sub prætextu ejusmodi unionum, incorporationum, aut applicationum mensarum Monachalium fundationes, quæ in quolibet Prioratu debent a Prioribus, vel Monachis specialiter peragi, cæteraque eorumdem Prioratuum onera, & servitia propterea defraudentur.

De vita communi.

§. 10. In posterum Monachis in Monasteriis particularibus degentibus pensiones personaliter non solventur; sed redditus omnes, qui ipsis a Prioribus pro sustentatione erogantur, vel de mensa ad eos spectante quoquo modo proveniunt in communi reponentur per Cellerarium, aut Procuratorem in Capitulo a Conventu eligendum, ministrandi ad necessariam in vita communi sustentationem Monachorum. Decernimus quoque quod pro Vestiario, loco pecuniæ vestes, aliæque res necessariæ Superioris paterna providentis auctoritate per eumdem Cellerarium, aut Procuratorem deinceps subministrentur omnibus, tantumque in iis rebus quotannis pro Superioris providentia impendatur, quantum singulis Monachis numerata pecunia præberi consuetum fuerat: mandantes item, ut quæcumque perniciose aliquid sibi tanquam suum sibique proprium habendi cupiditati favere visa erunt, omni studio penitus resecentur. Cellerarius autem, aut Procurator quoties libuerit Conventui, aut ad minus quolibet anno, & sine ulla mora receptorum, & expensarum rationem coram Priore, & Monachis ad id a Conventu deputatis reddere exacte, & fideliter tenebitur. In iis Monasteriis in quibus Officiarii Claustrales aliique beneficia in titulum habentes consueverunt suorum Officiorum, aut Beneficiorum proventus administrare, talem administrationem non exercebunt, nisi cum onere, & debito reddendi rationem quotannis saltem Superioribus suis de usu eorumdem proventuum prædictorum Officiorum, aut Beneficiorum in exequendis debitis oneribus, eleemosinis largiendis, & aliis impensis faciendis.

De celebratione Capituli Gen.

§. 11. Capitula generalia diutius intermissa celebrabuntur exacte, ut Canones Ecclesiæ, & Sacrum Concilium Tridentinum præcipiunt, in posterum singulis trienniis Dominica tertia post Pascha, in qua cantatur pro introitu Missæ: *Jubilate*. Quæ quidem Capitula per præcedentia indicentur, & ad quæ omnes tam Abbates, quam Priores, & Decani Conventum actu habentes, exclusis omnino Prioribus cæteris, absque ulla alia indictione, aut convocatione convenient, adeunt omnes ipso Sabbato ante prædictam Dominicam adsint, nec quisquam ante feriam sextam adventare præsumat. Prohibitum est ne in posterum ad Capitula Generalia a Conventibus deputentur, & mittantur Monachi, quos vocant Conventuales, nisi in casibus, qui tanti sint momenti, ut Vicarii Generales, aut Visitatores sic ordinandum duxerint.

De obedien-

§. 12. Professio Religiosa deinceps in toto Or-

tia Monachorum.

dine pro singulis Monasteriis emittetur sub obedientia Superiorum, a quorum obedientia sub eo prætextu se se substrahere non poterunt. Sed Superioribus majoribus, aut Visitatoribus sine contradictione obtemperabunt cum ipsis utile aut necessarium visum fuerit eos mittere ad alia Monasteria in eadem Provincia: aut etiam extra eamdem Provinciam, cum Abbates Cluniacenses, aut Capitula generalia sic duxerint de iis disponendum.

De Prioribus.

§. 13. Omnes Priores Claustrales in Capitulis generalibus, aut conservabuntur, aut destituentur, prout Diffinitores judicaverint, eos debere aut conservari, aut destitui. Et si aliqui stare judicio Diffinitorum renuerint, Emi Abbatis, qui nunc est, aut successorum Abbatum interposita auctoritate tali se judicio subjicere compellentur.

De Collegiis præsertim Parisien.

§. 14. Statutum est Administrationes Collegiorum Ordinis, & præcipue Collegii Parisiensis, de quo nunc provisus est Dominus Ludovicus Moreau, qui illud provide, solerter, & sagaciter rexit, & gubernavit, non esse deinceps in titulum Beneficii conferendas, aut committendas. Sed post obitum illorum quibus de iisdem in titulum provisum fuit, in commissionem, & simplicem administrationem nutu Abbatis Cluniacensis amovibilem reducendas, prout jam ordinatum fuit in Capitulo Generali anni 1600. Cui quidem Decreto idem Domnus Ludovicus Moreau propter bonum Ordinis consensit, ea tamen lege, ut sub nullo prætextu possit ejus vita durante turbari in administratione bonorum ejusdem Collegii. Quod omnes approbamus, ob cognitam ejusdem, jam in Ordine Cluniacensi in rebus agendis, & administrandis bonis Collegii solertiam, & singularem providentiam. De qua ei totus Ordo debet gratias rependere, & Capitulum Generale gratulatur. Ut faciliorem, & commodiorem in prædicto Collegio Parisiensi mansionem inveniant Monachi Ordinis, qui ad illud studiorum causa mittantur, statuimus, ut præter Priorem, seu Administratorem Collegii, & alios Officiarios, & bursarios, & Monachos actu in eodem Collegio studentes, nullus possit sub quocumque prætextu habitationes, seu Mansiones in eodem Collegio sibi reservare, & qui illas obtinent, aut obtinuerunt secedere teneantur in Monasteria, in quibus ratione suorum Officiorum, aut Beneficiorum debent commorari.

De Monasteriis Nobilium.

§. 15. Cum Ordo Cluniacensis magis Gallicæ Nobilitati debeat, quam quilibet alius Ordo, Statutum est, ut certus numerus Monasteriorum recipiendis Nobilibus destinetur, in quibus ii soli recipientur, qui facta probatione, vera, & indubitata nobilitate reperientur insigniti, quæ quidem Monasteria designabit Emus Abbas, & in quibus admissi, seu recepti nobiles eam vivendi formam, quam invenerint sequentur.

De habitu, & egressu e Monasterio.

§. 16. Cum nihil magis congruum sit Monacho, quam, ut habitu exteriori uniformitatem vitæ cum aliis indicet, & demonstret, statuimus, ut omnes, qui deinceps in Ordine recipientur, uniformem habitum deferant, cujus formam Emus Cardinalis Abbas designabit. Omnes quoque Monachi Ordinis vestes longas, seu talares, & Regulares in Monasteriis, & locis Residentiæ deferent sub pœna excommunicationis contra aliter facientes, cujus absolutio soli Priori Claustrali reservatur, prout ordinatum reperimus in Statutis Capituli anni 1458., & renovatum in Capitulo Generali anni 1676. In itinere autem vestes deferent, ut in præfato Capitulo præscriptum est. Quisquis autem sine Regulari habitu, videlicet Scapulari super vestem ab anteriori parte, & posteriori ita dependente, ut appareat sine ullis omnino globulis, repertus fuerit etiam in itinere pœnis prædictis Statutis latis subjacebit, & omnibus Superioribus injungimus, ubi aliquos hujus ordinationis prævaricatores invenerint eos excipere sicut tanta inordinatio meretur. Eos declaramus incidere in casus reservatos Abbati Cluniacensi, & Vicariis Generalibus, & Visitatoribus in actu Visitationis, a quibus solis possint absolvi, qui, quod Deus avertat, in tabernis manducare, aut bibere præsumerent in locis suæ residentiæ, aut in eorum vicinia, quæ quidem vicinia designabuntur a Visitatoribus Provinciæ. Nec ullus Monachus sine licentia Prioris Claustralis, ut habet Regula, claustra, seu septa Monasterii egredietur.

De vita communi in omnibus Monasteriis.

§. 17. Cum nihil Vitæ Monasticæ conformius, & magis ad conservandum paupertatis Religiosæ Spiritum necessarium, quam vita communis: ordinamus talem Vitam in omnibus omnino Monasteriis instituendam ubi non est, omnesque redditus in communi reponendos. Si tamen ut fieri potest propter locorum dispositionem aliquibus in Monasteriis, aut proventuum diminutionem, Statutum hoc nequiret servari, quantum fieri potest loca in eum Statutum restituentur, ut observetur.

De litibus inter se, vel Monachos inter, & extra.

§. 18. Licet in præcedentibus Capitulis Generalibus sancitum fuerit inter Monachos Ordinis pacis, & concordiæ causa omnes lites amputandas, ideoque statutum fuerit ubi aliqualis, vel contentio oriretur inter Monachos, vel Monasteria amicabili compositione Virorum prudentum terminandas, experientia docuit sæpe Monachos nolle Statutis Ordinis pro eorum utilitate sancte institutis deferre, & plerumque vagandi animo, atque a Monasteriis recedendi studio lites conficere; idcirco placuit renovari ea, quæ jam salubriter ordinata sunt, ac Statutum est omnes controversias inter Monachos Judicio Visitatorum Ordinis esse terminandas. Et si quis sibi gravamen factum conqueratur a Visitatoribus, tunc recurret ad Abbatem Cluniacensem, qui Viros delectos religiosos cum juris peritis, si ei libuerit, eliget, qui lites hujusmodi dirimant, quorum Judicio acquiescent. Insuper nullus Prior, aut Procurator Monasterii ullam litem instruet, & defendet, nisi prius Visitatori Provinciæ Memoriale ejusdem mittat, ut de eo consulat, ut si ipsi videbitur ejusmodi litem ulterius prosequendi det licentiam. Quod si negotium debeat referri ad Superiores curias, & sit alicujus momenti, tunc Visitator curabit, ut Memoriale ipsi a Monachis porrectum disquiratur in consilio juris peritorum ab Abbate Cluniacensi delectorum. Et ut litium expensis parcatur, has tunc lites prosequetur Procurator Generalis Ordinis, & expensæ litis ipsi a Monasteriis restituentur; nec licebit Priori sub prætextu ejusmodi litium, aut a Monasterio abesse, aut alium Monachum deputare sine speciali venia Abbatis Cluniacensis, aut Superiorum majorum Ordinis. Ut omnes lites inter Commendatarios, & Monachos Ordinis resecentur, si possibile est in omnibus Monasteriis, aut Prioratibus Conventualibus partitio bonorum temporalium fiet, ut jam ordinatum fuit; & si contingat in aliquibus, redditus adeo tenues esse, ut sufficere non possint expensis ad quas sæpe contumacia Commendatariorum in partitione Monachis concedenda adducit, tunc ne bonum Ordinis retardetur illam partitionem Procurator Generalis Ordinis prosequatur.

De Monasteriorum restauratione.

§. 19. In omnibus Prioratibus Conventualibus, & Monasteriis ruinæ ædificiorum restaurentur, & ut sumptibus si fieri potest parcatur, Procurator Generalis Ordinis, monebit literis commonitoriis omnes Priores, ut oneri ipsis ratione Beneficiorum imposito, cito citius satisfaciant, & si commoniti satisfacere negligant, aut renuant, tunc illos per vias juris compellat.

§. 20. Nul-

De Clau[sura].

§. 20. Nullus in Monasteriis, & Prioratibus sub quocumque prætextu pateat ingressus Mulieribus, & ideo loca Regularia undequaque claudantur, nec sit, nisi unum ostium per quod in eo detur accessus, & si aliquæ portæ in hortis, aut aliis locis pro commoditate rerum Monasterii sint, non aperiantur, nisi in casu necessitatis, & claves semper in Cella Prioris reponantur.

De Priori[bus], qui Capitulo non [int]erfuerunt.

§. 21. Quia multi Priores Claustrales ad Capitulum Generale non potuerunt, & enixe se excusarunt, eo quod ipsis necessaria non præstiterint Priores Commendatarii, contra illos, qui ad id tenentur, & inter quos partitio nondum facta fuit Procurator Generalis aget.

De Tonsura.

§. 22. Non sine magno cordis dolore comperimus multos tonsuram adeo negligere, ut suppositios crines deferant, cui malo, ut occurramus artificiosas cæsaries, quas contra decentiam Monasticam esse nemo non dubitat, penitus omnibus in posterum inhibemus.

De Novi[tiis], & No[vit]iatibus.

§. 23. Cum ex Novitiorum bona institutione dependeat totius vitæ sequentis perfectio, ordinamus, quod deinceps Novitii post annum probationis duos insuper annos in exercitiis regularibus transigant, in eodem Monasterio, in quo annum Novitiatus expleverint antequam ad Collegia studiorum causa mittantur. Loca instituendis Novitiis deputata sunt, quæ sequuntur.

Pro Novitiis antiquæ observantiæ.

Prioratus Sancti Eutropii Xantoniensis.
Prioratus de Cariloco.
Pioratus de Abbatisvilla.
Prioratus de Nogentorotreodi.
Et Prioratus de Nantuaco quem designamus pro iis qui in dicto Prioratu, & Abbatiis de Balma, & Gigniaco recipientur Novitiis.

Pro Novitiis strictioris observantiæ.

Sacra Abbatia Cluniacensis.
Prioratus B. Mariæ de Charitate.
Prioratus S. Martini a Campis Parisiensis.

§. 24. Quantum vero ad Abbatiam Sancti Theofredi Monasteriensis, propter summam nostram erga Emum Cardinalem de Bonzy, reverentiam, & venerationem eidem plenam, & omnimodam prædictæ suæ Abbatiæ, ejusque dependentiarum dispositionem, sive quantum ad Novitiorum receptionem, sive quantum ad cætera omnia, ut in præcedenti Capitulo ordinatum est, duximus relinquendam quandiu vivet, & prædictam reget Abbatiam Eminentissimus Cardinalis, cui multos annos apprecamur. Eo vero cedente, aut decedente Monachi prædictæ Abbatiæ, & dependentiarum statutis Ordinis Cluniacensis se se conformabunt, & subjicient, ut eam vivendi formam teneant, quam S. P. Hugonis sub quo prædictam Abbatiam Ordini associatam fuisse demonstrant authentica ejusdem Abbatiæ Carthulariorum Instrumenta Successores ordinis Capitula instituerunt. Recipient quoque Novitios suos, ut assolent Monachi Abbatiarum Monasterii novi Pictaviensis, & Monasterii Beatæ Mariæ de Agéduno.

De quo[ru]ndam Mo[n]ialium clausura.

§. 25. Auditis Visitatoribus, & Vicariis Generalibus de statu Monasteriorum, tam Monachorum, quam Monialium, comperimus nonnulla Monialium Monasteria esse sine clausura. Ideo statuimus, ut juxta sapientissima Sacri Concilii Tridentini Decreta quam primum clausura firmentur.

De refor[m]atione Mo[na]sterii Lai[ra]censis.

§. 26. Vox lamentationis, & fletus auribus nostris intonuit, dum referente Vicario Generali Provinciæ Vasconiæ miserum, & deplorabilem statum Monasterii Lairacensis audivimus. Agnovimus abominationem desolationis stare in loco Sancto, ubi olim Divinus cultus vigebat. Quamobrem Eminentissimo Abbati supplicatum est, ut malis in dies ingruentibus occurrere, & pro sua auctoritate de congruis remediis providere dignetur.

De Monasterii Lezatensis vita communi.

§. 27. Eodem quoque referente Vicario Generali nobis innotuit vitam communem in Abbatia Lezatensi minime observari. Unde statuimus, & ordinamus, ut intra annum, si prius fieri non potest instituatur, maxime cum Illustrissimus Episcopus Regiensis ejusdem Abbatiæ Commendatarius Abbas paratus sit omnia præstare, quæ sui sunt muneris, ut loca sic disponantur, ut facile possit observari.

De Priore Monasterii de Marciniaco.

§. 28. Viso libello supplici porrecto nomine clarissimæ in Christo filiæ sororis Catharinæ de la Chaize Priorissæ Monasterii Sanctissimæ Trinitatis de Marciniaco, & Sororum ejusdem Monasterii, ut ratum haberet, & gratum Capitulum Generale Decretum factum ab Eminentissimo Cardinale Bullionio, tam sua ordinaria potestate, quam ipsi delegata a Summo Pontifice, quo quidem Decreto suppressit mensam, & Titulum Prioris in eodem Monasterio propter gravia incommoda, & eodem Decreto perlecto de die secunda mensis Martii anni currentis, idem approbamus, & ratum habemus tanquam utile bono Religionis, & conforme legi fundationis, reservato tamen beneplacito Apostolico hac in re particulariter, & specifice obtinendo.

De Benedictinis in Regno Poloniæ.

§. 29. Exhibito Nobis per Dominum Casimirum Vincentium Monachum a quibusdam Monasteriis Poloniæ deputatum supplici libello, quo nomine Monachorum quorumdam Benedictinorum Regni illius postulat in eodem Regno eam, quam antiquitus tenent ab Abbate Cluniacensi, & ordine dependentiam conservari, non lætari non possumus in tam dissitis regionibus post tot rerum mutationes Cluniacensis Ordinis nomen, famam, & splendorem vigere. Quapropter Eminentissimi Abbatis prudentiæ remittimus ea ordinare, quæ congrua cognoverit in tali negotio peragenda.

De Literis associationis cuidam concedendis.

§. 30. Decretum est, ut propter magna, & continua officia, quibus clarissimus Dominus Antonius le Vaillant, sapientissimus in Curia parlamenti Advocatus de Ordine benemeritus est in dies benemeretur eidem literæ associationis, & participationis bonorum operum concedantur.

Statutum est, ut juxta antiquum usum Ordinis Abbatia Cluniacensis tempore Capituli a Deputatis visitetur, absque præjudicio visitationum singulis annis faciendarum.

De armis, & aleis.

§. 31. Renovando Statuta Ordinis juxta Canonum Decreta condita prohibemus omnibus, armorum gestationem sub pœnis Juris, & eorumdem detentionem sine licentia. Prohibemus etiam venationes, & aleas sub pœnis a Canonibus, & statutis Ordinis præcipue Capituli anni 1458. latis.

De institutione Priorum.

§. 32. Decretum est institutionem Priorum Claustralium ab Abbate Cluniacensi traditam legendam esse in Capitulo Monasterii coram omnibus Monachis, & in librum actuum Capitularium inferendam intra tres menses a die adventationis Priorum in sua Monasteria sub pœna depositionis, si per eorum negligentiam legi, aut inseri omittatur.

De juramento in Professione.

§. 33. Decretum est, ne deinceps aliud Juramentum a Profitentibus in sua professione pronuntietur, nisi quod ab Eminentissimo D. Cardinali nunc Abbate fuerit approbatum & signo suo, seu Chirographo munitum; ita tamen, ut hujusmodi juramentum Sacris Canonibus Apostolicis, & Ordinis Cluniacensis Constitutionibus, ac Sacri Concilii Tridentini Decretis nullatenus adversetur.

De actis Capituli.

§. 34. Mittet Procurator Generalis duo tam hujusmodi capituli, quam aliorum deinceps exemplaria ad singula Monasteria, quæ quater in quatuor anni temporibus integre in Capitulo

X 4 præsen-

præsentibus omnibus Monachis diligentia Priorum perlegentur.

De ordinandis.

§. 35. Monachi ordinandi per Superiores majores ad Monasteria Regularia mittentur ibi per tres menses pro quolibet ordine Sacro recollectioni vacaturi.

De taxa pro expensis communibus.

§. 36. Cum experientia nobis innotuerit reductionem taxarum pro expensis communibus in ultimo Capitulo factam impedire quo minus satisfieri possit omnibus impensis necessariis Ordinis, decernimus eas exigendas prout Decretum fuit die 15. Februarii anni 1681. Rogamus vero Eminentissimum Abbatem, ut Procuratori, vel Procuratoribus Generalibus alicujus mensæ Monachalis proventum velit attribuere, ad ipsius congruam sustentationem. Verum residua summa impensarum communium, quæ Procuratori Generali debetur, solvetur ut taxatæ sunt in ultimo Capitulo Generali, nulla dilatione interposita. Priores Regulares communem cum Monachis vitam, ut supra fuit ordinatum, non tenentes, sed pensiones tantummodo suis Monachis erogantes, quoad vitam communem in suis Monasteriis instituerint, quod ut quam primum faciant exhortamur, taxam integram impensarum communium persolvent, nec tenebuntur Monachi quidquam de suis pensionibus conferre.

De Procuratoribus Generalibus.

§. 37. Dispositioni Eminentissimi Cardinalis Abbatis relinquimus Judicium de necessitate instituendi, aut unicum Procuratorem Generalem pro utraque observantia, aut unicuique suum usque ad proximum Capitulum Generale. Qui Procurator, aut Procuratores Generales quotannis coram tunc Abbate rationem reddet impensarum, & ne detrimentum patiantur negotia Ordinis, Emo Abbati humiliter supplicamus, ut quam primum post Capitulum nomine etiam Diffinitorum de eo provideat. Interea autem Domnus Bernardus Michon qui hactenus res, & negotia Ordinis solerter, & prudenter procuravit, munia Procuratoris Generalis exequetur.

De auctoritate concessa nonnullis.

§. 38. Quia Nobis discessuris, & absentibus forte supervenire poterunt res, quæ ad resolutionem Nostram spectarent, ne quid ruat in pejus, omnimodam potestatem Nobis commissam tradimus, & committimus quatuor ex Nobis in hac Abbatia octo diebus post Capitulum remansuris scilicet Rev. Domno Carolo de la Motte, R. D. de Vert, R. D. Ildefonso Sarrazin, & R. D. Claudio Roland, ut illis negotiis provideant.

De futuro Capitulo.

§. 39. Statuimus proximum Generale Capitulum celebrandum Dominica, in qua cantatur in Ecclesia Dei pro introitu Missæ *Jubilate* anno Domini 1697. in hac Sacra Cluniacensi Abbatia.

Sanatio Actorum, & absolutio a censuris.

§. 40. Si qui intervenerint in præsenti Capitulo Generali formalitatum defectus, super his, ea qua fungimur auctoritate, plene dispensamus. Et si a Jure, vel ab homine censuras aliqui incurrerint Nos auctoritate tam ordinaria, quam delegata qua fungimur ipsos absolvimus pro hac vice.

Nominati sunt qui sequuntur Provinciarum Visitatores.

In Provincia Lugdunensi.

R. D. Claudius Gendreau, Prior, & Eleemosynarius Abbatiæ Lezatensis Baccalaureus in Sacra Theologia.

R. D. Franciscus Joubert, Prior in Titulum Montis Berulphi.

In Provincia Franciæ.

R. D. Claudius de Vert, Thesaurarius Cluniacensis.

R. D. Richardus Gerard, Prior Claustralis Sancti Saturnini de Portu.

In Provinciis Delphinatus, Provinciæ, & Sabaudiæ.

R. D. Cæsar delas Sallas Prior in Titulum de Fontibus.

R. D. Benignus de Vert, Prior Claustralis de Lehuno, in Sanguine terso.

In Provincia Averniæ.

R. D. Franciscus de Gove, Prior in Titulum de Celsiniis.

R. D. Joannes Henricus de Barbon, Prior, & Camerarius Sancti Theofredi Monasteriensis.

In Provincia Pictaviensi, & Xantonensi.

R. D. Renatus Rousseau Abbas Monasterii novi Pictaviensis.

R. D. Carolus du Couroy, Prior in Titulum Sancti Eutropii Xantonensis.

In Provincia Vasconiæ.

R. D. Joannes Bouritat Prior pro antiquis B Maria de Paredo.

R. D. Ennemundus Morel, Prior in Titulum de Alezio.

In Provincia Hispaniæ.

R. D. Michael Petrus du Perray, Prior Claustralis Sancti Dionysii de Nogento Rotrodi.

R. D. Stephanus de Nesmond Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Abbatis-Villa.

In Provinciis Italiæ, & Longobardiæ.

R. D. Petrus Govin, Prior in Titulum de Sales.

R. D. Joannes Graviere, Prior Claustralis S. Marcelli de Sauseu.

In Provinciis Alemaniæ, Lotharingiæ, & Comitatu Burgundiæ.

R. D. Hieronymus Cocquelin, Principalis Collegii Dolensis.

R. D. Innocentius de Vautravers, Prior Claustralis Beatæ Mariæ de Vallibus.

In Provincia Angliæ, & Scotiæ.

R. D. Ludovicus Moreau, Prior in Titulum Collegii Cluniacensis.

R. D. Claudius Roland, Prior Claustralis, & Sacrista S. Petri de Thisiaco,

Visitatores Monialium.

R. D. Franciscus de la Roche Guibal, Prior de Longoponte Doctor Sacræ Facultatis.

R. D. Petrus Symon, Prior Claustralis de Marciniaco, electi sunt in Superiores strictioris observantiæ.

Vicarius Generalis.

R. D. Paulus Rabusson.

Visitatores.

R. D. Petrus Symon.

R. D. Jacobus de la Motte.

Priores.

Prior Claustralis Sacræ Abbatiæ Cluniacensis, R. D. Stephanus Jouly.

Prior Claustralis B. Mariæ de Charitate, R. D. Carolus de la Motte.

Prior Claustralis Martini a Campis, R. D. Hugo Donnodien.

Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Silviniaco, R. D. Eusebius De Coubronne.

Prior Claustralis de Celsiniis, R. D. Joannes Franciscus Constantin.

Prior Claustralis Sancti Arnulphi de Crespejo, R. D. Joannes Bombars.

Prior Claustralis S. Marcelli Cabilonensis, R. D. Ludovicus Evurard.

Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Radolio, R. D. Antonius Tocquet.

Prior Claustralis Sancti Stephani Nivernensis, R. D. Joannes Simonin.

Prior Claustralis Sancti Dionysii de Carcere, R. D. Jacobus de la Motte.

Prior Claustralis S. Petri Monasteriensis,

R. D. Gaspardus Despineu.

Prior Claustralis de Monte Desiderio, R. D. Carolus da Zincourt.

Prior Claustralis S. Lupi de Esserento, R. D. Joannes Chevalier.

Prior Claustralis S. Petri de Mausiaco R. D. Joannes Verniolt.

Prior Claustralis S. Petri de Pomperiis, R. D. Placidus Delporte.

Prior Claustralis Sancti Nazarii de Borbonio, R. D. Jacobus Jeanninet.

Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Conciaco, R. D. Stephanus Hugonet.

Prior Claustralis de Marciniaco, R. D. Petrus Synon.

Vicarius Generalis Visitator.

Strictioris observantiæ in Comitatu Burgundiæ, R. D. Hieronymus Cocquelin.

Priores.

Prior Claustralis S. Hieronymi de Dola, R. D. Fulgentius Camus.

Prior Claustralis B. Mariæ de Vallibus, R. D. Innocentius de Vautravers.

Prior Claustralis de Mortua aqua, R. D. Deicola Hogonet.

Prior Claustralis de Castro, R. D. Franciscus Dorival.

Prior Claustralis de Alta Petra, R. D. Albertus Chassignet.

Prior Claustralis S. Petri de Valle-Clusa, R. D. Albertus Bole.

Prior Claustralis S. Desiderati de Ledone Salitiario, R. D. Gabriel Boudret.

Publicatio [ce]trorum [De]cretorum. Lectæ, & publicatæ fuerunt supradictæ Definitiones in Capitulo Generali Ordinis Cluniacensis Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinale S. R. E. Emmanuele Theodosio de Turre-Averniæ Abbate Cluniacensi ibidem præsidente, & Capitulum tenente in dicto Monasterio Cluniacensi, necnon præsentibus Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Administratoribus, Officiariis, & Religiosis dicti Ordinis ad sonum Campanæ ibidem capitulariter congregatis die 16. Mensis Octobris anno Domini 1693. præsentibus venerabilibus viris Jacobo Chauvet, Presbytero Curato B. Mariæ de Pannellis Cluniacensis Baccalaureo in Sacra Theologia, & Claudio Ludovico Lambert, Presbytero testibus ibidem adstantibus, per me Notarium Regium Cluniaci commorantem sic signatæ.

[Sub]scriptio. §. 41. Emmanuel Theodosius de Turre-Averniæ S. R. E. Cardinalis Bullionus Abbas Generalis totius Ordinis Cluniacensis. Fr. Ludovicus Denangis, Prior major Abbatiæ, & Ordinis Fr. Carolus de la Motte. Fr. Hieronymus Cocquelin. Fr. de Vert. Fr Odo Bernardo. Fr. Eusebius de Coubronne. Fr. Hugo Cluzel. Fr. Antonius Thevetim. Fr. Hugo de Barbon. Fr. Ildefonsus Sarrazin Scriba Capituli. D. Ludovicus Moreau Prior in Titulum Collegii Cluniacensis, & Dr. Stephanus de Nesmond. Joannes Baptista Gravier Roland Scriba. Petrus Duperery Chauvet, & Lambert Testes, & Brugn. Notarius Regius.

Fides. §. 42. Emmanuel Theodosius a Turre-Averniæ S. R. E. Episcopus Cardinalis Bullionus, Abbas Generalis Abbatiæ, & totius Ordinis Cluniacensis. Extractum ex autographo ejusdem Capituli Generalis quod asservatur in Archivio Sacræ Abbatiæ Cluniacensis per Nos Scribas, & Secretarios ejusdem Capituli, ac Notarium Regium subsignatum in Urbe Cluniacensi die 17. Mensis Octobris anno Domini 1693. Fr. Idelfonsus Sarrazin Scriba Capituli. D. Roland Scriba Capituli. Bruni Notarius Regius.

Preces [Ei]n. Com[men]datarii. §. 43. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Emmanuel Theodosius Episcopus Cardinalis, & Commendatarius statuta, ac Decreta hujusmodi quippe ad restituendum, ac stabiliendum in Ordine prædicto Regularis observantiæ rigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentia, exactiorique observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Emmanuelis Theodosii Episcopi Cardinalis, & Commendatarii votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illius supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula statuta, seu Decreta præinserta, in eisque contenta quæcunque auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possunt, supplemus, & sanamus. Confirmatio relatorum Decretorum

Clausulæ. §. 44. Decernentes easdem præsentes literas, ac statuta, seu Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejus S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Apostolicæ sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 45. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Monasteriorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 46. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXI. Junii MDCXCV. Pontif. nostri Anno IV.

LVII.

Statuitur, ut Collegium S. Isidori de Urbe Provinciæ Hiberniæ Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum regatur juxta Constitutionem Urb. VIII., & ejus statuta.

Urb. VIII. Constitutio edita fuit 1625. Novem. 20. P. 3. Hujus Pontificis Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 3. extant statuta pro tribus Cœnobiis in Bætica, & Clem. XI. Const. ed. 1705. Mar. 12. P. 5. agitur de Procuratore Generali Ultram.

Dat. 20. Julii 1695. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus Constitut.

PRospero, felicique regimini, & gubernio Collegii S. Isidori de Urbe Fratrum Provinciæ Hiberniæ Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiæ, seu Recollectorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus consulere, ac dilectum filium Bonaventuram Poerium Ministrum Generalem dicti Ordinis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Bonaventuræ Ministri Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cætero Collegium prædictum exacte, & præcise juxta dispositionem Constitutionis fel. recordationis Urbani PP. VIII. super erectione Collegii hujusmodi emanatæ, necnon statutorum in limine ejus fundationis editorum regi, & gubernari debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus, præcipimus, & ordinamus. Præterea omnia, & singula circa memoratum Collegium tam a Nobis, & Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quam a quibusvis S.R.E. Cardinalium Congregationibus, ac ipsius Ordinis Superioribus hactenus quoquo modo contra formam Constitutionis, ac statutorum hujusmodi forsan ordinata, decreta, seu concessa, auctoritate, & tenore prædictis, quoad ea, quæ Constitutioni, ac statutis prædictis adversantur, itidem perpetuo revocamus, anullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus.

Preces Ministri Gen.

Statutum præd. una cum revocatione constitutionum, vel Decretorum contrariorum.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Collegii, ac Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum inseitis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XX. Julii MDCXCV. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LVIII. Confirmantur Hospitali, seu Ord. Militari Crucigerorum cum rubea stella, privilegia a nonnullis Pontificibus concessa.

Horum Pontificum Constitutiones infra referuntur, & sunt Greg. IX. Const. edita Apr. 24. Pont. 12. Inn. IV. Const. edita Oct. 8. P. 8. Alex. IV. Const. ed. Jun. 20. P. 2. Et Bened. XII. Constitut. edita Jun. 20. P. 4. Clem. vero XI. Const. ed. 1706. Augusti 28. P. 6. conceditur Indulgentia in die Exaltationis S. Crucis.

Dat. 23. Julii 1695. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CAtholicæ Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio præsidentes ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad favorem Militiarum, & Hospitalium quorumcumque in Ecclesia Dei pie, sanctequè erectorum, & Institutorum, ac personarum in eis Altissimo famulantium provide emanasse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur libenter corroboramus, & alias desuper disponimus, sicut matura deliberatione adhibita ad Omnipotentis Dei gloriam, piorumque operum incrementum arbitramur in Domino salubriter expedire.

Referuntur Privilegia praedd. concessa, & confirmata.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Magnus Magister Præceptores, seu Commendatarii aliique Fratres Hospitalis, seu Ordinis Militaris Crucigerorum cum rubea stella per Bohemiam, Silegiam, Moraviam, & Poloniam existen. sub Regula Sancti Augustini, quod dudum postquam fel. rec. Gregorius PP. IX. prædecessor noster Hospitale prædictum, illiusque bona in jus, & proprietatem Beati Petri Apostolorum Principis, ac sub sua, & Apostolicæ Sedis protectione, susceperat, necnon ipso Hospitali, ejusque personis varia privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, gratias & Indulta concesserat re. mem. Innocentius IV. Alexander IV. & Benedictus XII. Romani Pontifices, etiam prædecessores nostri eisdem Hospitali, & personis alia similiter privilegia concesserunt, seu jam concessa confirmarunt, & approbarunt, prout continetur in eorumdem Gregorii, Innocentii, Alexandri, & Benedicti prædecessorum literis sub Plumbo desuper emanatis tenoris sequentis videlicet: *GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei.* Dilectis filiis Magistro Hospitalis S. Francisci Pragensis, ejusque Fratribus tam præsentibus, quam futuris Regularem vitam professis in perpetuam memoriam. Omnipotens Deus, qui alto Providentiæ suæ consilio cuncta disponit cor, & animum dilectæ in Christo filiæ Agnetis sororis charissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Boemiæ tanto charitatis igne succendit, ut in Monasterio Sancti Francisci Pauperum Monialium inclusarum Pragen. Christo se ipsam in odorem suavitatis offerret, & pietatis, ac compassionis intuitu ad opus Infirmorum, & Pauperum, Hospitale, in quo Divino estis obsequio mancipati, fecerit, & dotavit. Nos igitur prosequentes Sanctum ejus propositum, & Apostolico patrocinio confoventes, ad preces ipsius, Hospitale prædictum situm in fundo, quem præfatus Rex Ecclesiæ Romanæ concessit, & tam idem, quam Ven. Frater noster Pragensis Episcopus plenariæ libertati donavit, sicut in eorum literis ad Nos transmissis perspeximus contineri, in jus, & proprietatem Beati Petri, ac sub nostra, & Apostolicæ Sedis protectione suscipimus, præsentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & Beati Augustini regulam in eodem Hospitali de mandato nostro institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque Bona idem Hospitale in præsentiarum juste, ac canonice possidet aut in fu-

Constitut. Greg. IX. qua d. Hospitali concessa fuere plura privilegia, nimirum,

Circa temporalia tri

in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, ac Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præsente Domino poterit adipisci; firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocalibus, locum ipsum, in quo præfatum Hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis villam Hlupetim cum omnibus Villis ad eam pertinentibus, videlicet Humenez, & Hydossitize, Villam Borotitz cum omnibus Villis ad ipsam pertinentibus, videlicet Supanovicf, & Drahotessicf, Villam Ribinik cum suis pertinentiis, Villam Rokfitfe cum omnibus pertinentiis suis, & alias possessiones vestras, cum Pratis, Vineis, Terris, nemoribus, retragiis, & pascuis in Boskc, & plano, in aquis, & Molendinis, in viis, & semitis, & omnibus libertatibus, & immunitatibus suis. Sane Novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de Hortis, virgultis, & piscationibus vestris, seu de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas e sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit de loco ipso, nisi arctioris Religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale Interdictum Terræ fuerit, liceat vobis clausis Januis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, Divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Pro consecrationibus vero Altarium, sive pro Oleo Sancto, vel alio Ecclesiastico Sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis auctoritate nostra Episcopus Diœcesanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc eadem auctoritate recipere a quoquam malueritis Catholico Antistite, gratiam, & Communionem Sedis Apostolicæ obtinente. Quia vero interdum Diœcesani Episcopi copiam non habetis, si quem Episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam, & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones votorum, & vestium, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi recipere valeatis. Obeunte vero Te tunc ejusdem Hospitalis Magistro, nullus ibi, qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars Consilii Senioris secundum Deum, & Beati Augustini Regulam providerint eligendum. Libertates præterea, & immunitates concessas vobis a Rege, Episcopo, & Capitulo supradictis auctoritate Apostolica confirmantes, nihilominus inhibemus, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, vel Prælatus alius in Hospitale prædictum, vel Regulares personas inibi Domino famulantes, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam audeat promulgare, quam contra prohibitionem hujusmodi prolatam decernimus non tenere. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna imposterum solicitudine providere volentes auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Hospitale temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apostolica libertatis, unum Bizantium Nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisque persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, primo, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & Sacratissimo Corpore, & Sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua Jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, & hinc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. *GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei.* Dilectis filiis Magistro, & Fratribus Hospitalis S. Francisci Pragen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum a Nobis petitur, quod justum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam Ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu libertates, & Immunitates sæcularium exactionum a charissimo in Christo filio nostro Illustri Rege Boemiæ Hospitali vestro pro liberalitate concessas, sicut eas juste, ac pacifice obtinetis, Vobis, & per vos eidem Hospitali, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VIII. Kal. Maji Pontificatus nostri Anno XII. *INNOCENTIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei.* Vener. Fratri Episcopo Pragensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem: Precibus dilectæ in Christo filiæ Agnetis Sororis Monasterii S. Francisci Ordinis S. Damiani Pragen. de cujus bonis Hospitale ipsius Monasterii immediate ad Apostolicam Sedem pertinens constructum dignoscitur, benignum impertientes assensum, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Magistro, & Fratribus ejusdem Hospitalis, si expedire videris, deferendi signum congruum, quod tibi videbitur, concedas, auctoritate nostra liberam facultatem, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Datum Lugdunii sexto Idus Octobris Pontif. nostri Anno Octavo. *ALEXANDER EPISCOPUS, Servus Servorum Dei,* Dilectis filiis Priori, & Fratribus Hospitalis S. Francisci Pragen. Ordinis S. Augustini ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque sicut exhibita nobis vestra petitio continebat, Venerab. Frater noster Pragen. Episcopus auctoritate literarum fel. rec. Innocentii PP. prædecessoris nostri vobis signum Crucis, & Stellæ duxerit concedendum. Nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo provide factum est, ratum habentes, & gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum

Circa Spiritualia.

Circa libertates, & immunitates.

Census unius Bizantii, seu Floreni S. Sedi persolvendus.

Constitutio altera Greg. qua confirmatæ fuere, libertates, & immunitates.

Constitutio Inn. IV., qua concessa fuit facultas deferendi signum congruum.

Constitutio Alex. IV. qua confirmatum fuit concessum signum.

liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ 12. Kal. Julii Pontificatus nostri Anno Secundo. *BENEDICTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei.* Dilectus filiis Magistro, Priori, & Fratribus Hospitalis S. Francisci in Pede Pontis Pragen. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis per Magistrum, & Priorem soliti gubernari, Ordi. Cruciferorum cum stella Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a Nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & Immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, sive alias Indulgentias vobis, & Hospitali vestro concessas, necnon libertates, & exemptiones Sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus, & aliis Christifidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas juste, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Hospitali auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione 12. Kal. Julii Pontificatus nostri Anno Quarto.

Constitutio Ben. XII. quæ confirmata fuere Privilegia, Libertates, Immunitates, & Indulgentiæ.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, census unius Bizantis, seu unius floreni auri Hungarici Apostolicæ Sedi prædictæ juxta priores Gregorii prædecessoris Literas præinsertas ad indicium percepta a dicta Sede libertatis annis singulis, sicut præmittitur persolvendus ab anno 1515. propter hæresum calamitates, aliaque adversa, quæ in illis partibus contigerunt, solutus non fuerit; ipsi vero exponentes vereantur, ne ea de causa concessas sibi ab eadem Sede gratias supradictas amiserint, ac propterea opportune tibi in præmissis a Nobis providere, & ut infra indulgeri summopere desiderent: Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula, privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, gratias, & Indulta Hospitali prædicto, ejusque personis, a memoratis Gregorio, Innocentio, Alexandro, & Benedicto prædecessoribus per eorum præinsertas literas concessa, ipsasque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus. Præterea eisdem Exponentibus terminos census prædicti per eos, ut præfertur, debiti hactenus decursos, & non solutos, auctoritate, & tenore prædictis gratiose remittimus, & condonamus, & ita tamen ut in futurum eumdem censum solvant, alioquin præsens gratia nulla sit.

Preces Fratrum Hospitalis pro confirmatione prædd. ob censum S. Sedi non solutum.

Confirmatio relatarum Constitutionum, cum remissione census non soluti, dummodo is in futurum persolvatur.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Hospitalis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XXIII. Julii MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Transfertur Indulgentia Plen. perpetua in Festo S. Ignatii ad diem Dominicum pro Ecclesiis Missionariorum Societatis Jesu in Insula Martinica. LIX.

Ab Alex. VIII. concessa fuit alia Indulgentia Constit. ed 1690. Mar. 30. Pont. 1. Et a Bened. XIII. alia conceduntur Const. ed. 1726. Sept. 23. P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 30. Jul. 1695. An. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias fel. rec. Gregorius PP. XV. prædecessor noster volens omnes, & singulas Ecclesias Presbyterorum Societatis Jesu ubique existen. aliquo speciali munere illustrare, auctoritate sibi a Domino tradita, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictæ Societatis ubique existen. die Festo Sancti Ignatii ultima Julii celebrari solito a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in ipsius Gregorii prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis confectis plenius dicitur contineri.

Hæc Indulgentia in festo S. Ignatii concessa fuit a Greg. XV.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Societatis Nobis nuper exponi fecit, commodius sit Christifidelibus Insulæ Martinicæ in America Meridionali sitæ ad Ecclesias Presbyterorum Missionariorum Societatis hujusmodi in illis partibus degentium visitan.

Preces Procuratoris Gener. pro translatione Indulgentiæ ad Dominicam intra octavam dicti Sancti.

præfatam-

præfatamque Indulgentiam consequen. aliquo die festivo, quam feriato accedere, & propterea Indulgentiam supradictam ad Dominicam intra Octavam festi prædicti, quoties illud in diem feriatum cadat, per Nos transferri summopere desideret. Nos ejusdem Procuratoris Generalis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis annuere volentes Indulgentiam hujusmodi per dictum Gregorium prædecessorem, ut præfertur concessam, quoad Ecclesias dictæ Societatis in Insula præfata consistentes dumtaxat, quoties Festum S. Ignatii prædictum in diem feriatum cadat ad Dominicam intra illius Octavam, itaut Christifideles in Ecclesiis hujusmodi ipsa Dominica adimplentes, eamdem prorsus Indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si eadem præmissa die festo præfato adimplerent, servata alias in omnibus, & per omnia Literarum prædictarum forma eadem Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo etiam transferimus. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

[...]nslatio [...] si fest- [...]S. diem [...]um ca-

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

[...]LX.

Dividitur Provincia Sardiniæ FF. Capuccinorum in duas.

Inn. XI. Const. ed. 1677. Nov. 7. P. 1. extat alia divisio Provinciæ. Et Const. ed. 1679. Feb. 10. P. 3. erectio novæ Provinciæ. Clem. vero XI. Const. ed. 1704. Mar. 1. P. 4. item divisio Provinciæ.

[...] 6. Aug. [...]5. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

[...]usæ Divi[...]is.

PRO parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Nobilis Vir modernus Dux de Mædina Cæli ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator, quod cum in Regno Sardiniæ, cujus ipse Carolus etiam Rex existit una dumtaxat Provincia Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum reperiatur, eaque viginti duobus Conventibus, in quibus quadringenti, vel circiter Religiosi dicti Ordinis degunt, constet, ac pro illius visitatione quotannis necessario juxta eorum Constitutiones facienda, plusquam quadringentarum leucarum iter pedibus conficiendum sit, Ministri Provinciales Provinciæ hujusmodi plerumque in tam longa peregrinatione decedere, aut inutiles per reliquum vitæ eorum tempus remanere solent. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissime celebrato pro ejusmodi incommodo tollendo, seu remedio illi rei adhibendo, decretum fuerit, ut memorata Provincia in duas dividatur: Nobis propterea memorati Caroli Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut opportunam ad id facultatem concedere de benignitate Apostolica dignaremur.

[...]ces Regis [...]holici.

§. 1. Nos igitur piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectos Filios Procuratorem, & Diffinitores Generales prædicti Ordinis audiverunt, consilio, & attento, quod pro hoc ipso instant etiam dilecti Filii Minister Provincialis, & Custodes Provinciæ supradictæ, petitam facultatem dividendi eamdem Provinciam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impartimur; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

[...]ivisio d. [...]vinciæ in [...]s.

§. 2. Decernentes easdem Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Aug. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis circa vocem Custodum, & Exministrorum Provincialium FF. Capuccinorum in Regnis Hispaniarum, Sardiniæ, & Majoricæ in Diffinitoriis Provincialibus. LXI.

Const. ed. 1693. Mar. 29. P. 2. abrogati fuere Discreti. Et Const. ed. 1693. Sep. 12. P. 3. subrogati fuere Custodes, & Exministri. Clem. vero XI. Constit. ed. 1701. Aug. 28. P. 1. abrogantur Discreti in Provincia Handrobelgiæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 14. Aug. 1695. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

NUper per Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium a Nobis particulariter deputatorum accepto, quod ex abolitione Discretorum Conventualium olim eligi consuetorum pro Capitulis Provincialibus Provinciarum in Regnis Hispaniarum existentium, necnon Sardiniæ, & Majoricæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, necnon ex subrogatione eorum loco Custodum, & Exministrorum Provincialium immediatorum, ipsarum Provinciarum, quas Nos non ita pridem de Congregationis hujusmodi consilio per quasdam nostras in simili forma Brevis Literas feceramus, ortum fuerat dubium: an Custodes, & Exministri Provinciales hujusmodi votum habere deberent in Diffinitoriis earumdem Provinciarum, vel potius in solis functionibus Capitularibus, pro declaratione dubii hujusmodi emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet - Sacra Congregatio particularis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium per Sanctissimum Dominum Nostrum deputata, censuit, ac declaravit, Custodes, & Exministros Provinciales immediatos vigore Brevium, de quibus agitur, non habere vocem in Diffinitoriis Provincialibus, sed solum in Capitulis: ac prop-

Causa Decreti.

Decretum d. Congregationis.

terea injungendum Nuncio Apostolico Hispaniarum; quatenus ita exequi curet. Romæ 24. Martii 1695.-- G. Cardinalis Carpineus -- A. Altuitus Secretarius.

Preces Regis Catholici.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, per dilectum Filium Nobilem Virum modernum Ducem de Medina Cæli ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem Nobis subinde expositum fuit, idem Carolus Rex præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos piis dicti Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Caroli Regis Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca Venerabili Fratri Friderico Archiepiscopo Mediolanen. moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum hujusmodi Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios ipsas præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicis illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate Nostra illos, & eorum quemlibet præsentium Literarum, & in eis contentorum eorumdem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per Sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his haben. servatis Processibus, Censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, tam in Judicio quam extra illud, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXII.

Confirmatur Decretum Ministri Generalis FF. Min. S. Francisci Reform. de electione Guardianorum, aliorumque Officialium, necnon familiarium pro Cœnobiis recollectorum Provinciæ Romanæ.

Inn. XI. Const. ed. 1685. Apr. 16. P. 9. agitur de electione Officialium in Hispania. Et Clem. XI. Const. ed. 1705. Mar. 12. P. 5. de Procuratore Gener.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 12. Sep. 1695. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Mos invalu rat, ut Gua dianus S. B naventuræ folium Gua dianorum, aliorumque Officialium nec non f miliarum Diffinitori præsentare

Alias pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Discretorum Conventus S. Bonaventuræ de Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum nobis exposito, quod cum apud eos in more positum reperiretur, ut pro tempore existens Guardianus dicti Conventus tamquam præfati, & aliorum Provinciæ Romanæ dicti Ordinis pro Recollectione, seu secessu Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi assignatorum Conventuum Director, singulis annis occasione celebrationis Capituli Provincialis, seu Congregationis dictæ Provinciæ duos, aut tres Religiosos pro quolibet Conventuum hujusmodi Diffinitorio ejusdem Provinciæ præsentaret, & ex iis unus arbitrio ipsius Diffinitorii unicuique ex Conventibus præfatis in Guardianum respective, præficeretur, necnon ulterius idem Guardianus Director folium quoddam nomina Religiosorum præ cæteris omnibus dictorum Conventuum Officiis aptiorum, ac in eis de familia respective collocandorum continens dicto Diffinitorio similiter exhiberet: folium vero hujusmodi a memorato Diffinitorio approbaretur, ac subinde a pro tempore existente Ministro Provinciali Provinciæ supradictæ subscriptum ipsi Guardiano Directori, adhoc ut ab eo executioni demandari posset, restitueretur; Mos hujusmodi plurium annorum spatio ob plenam, quam idem Guardianus Director de suis Subditis, eorumque qualitatibus notitiam habet, cum maxima Religiosorum secessus hujusmodi pace, & tranquillitate servatus fuerat. Et in eadem expositione subjuncto, quod iidem Guardianus, & Discreti verebantur ne progressu temporis probatum hunc morem in Divini servitii, ac religiosæ quietis perniciem variari, seu mutari contingeret; ac proinde pro eorum parte Nobis supplicato, quatenus eumdem morem de cætero ab iis, ad quos spectat, & pro tempore spectasset, inviolabiliter servari mandaremus: Nos ejusmodi gratiæ concessionem per rescriptum nostrum cum facultatibus necessariis remisimus arbitrio dilecti filii Bonaventuræ Poerii Ministri Generalis Ordinis supradicti, qui ejusdem rescripti vigore Decretum in præmissis edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Fr. Bonaventura Poerius Lector Jubilatus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, necnon auctoritate Sanctiss. D.N. Papæ XII. Commissarius Apostolicus, Servus &c.

Decretum Ministri Gener. confirmans præ morem cum aliqua re[...]matione.

§. 1. Cum

§. 1. Cum amantissimi Fratres nostri Conventus Recollectionis, seu Recessus S. Bonaventuræ de Urbe in pacifica sint consuetudine, quod Guardianus ipsorum, tamquam Director totius Recollectionis hujusmodi, solitus sit singulis Capitulis, & Congregationibus intermediis præsentare Provinciæ nostræ Reformatæ Romanæ duos, vel tres Fratres pro dicto, sicut, & aliis ejusdem Recollectionis Conventibus, ut de eorumdem numero unus pro unoquoque Conventu dictæ Recollectionis ad arbitrium Patrum Diffinitorii præficiatur in Guardianum præfataque consuetudine tali se Fratres ab ambitione remotos sine querela in humilitate, magna pace, & ædificatione conservent: Hinc est, quod Sanctiss. D. N. parentes Oraculo, quod ad hunc effectum ad Nos fuit directum, ut retroscripto Libello, & Apostolicæ potestatis plenitudine pro hac parte Nobis commissa utentes, hac nostra in perpetuum valitura Constitutione disponimus, mandamus, & ordinamus, ut circa memoratam consuetudinem sequentia inviolabiliter observentur. Instante in primis tempore quo supradictæ præsentationes Diffinitorio sunt faciendæ, quatuor, aut quinque diebus ante convocabit Guardianus Conventus Sancti Bonaventuræ de Urbe omnes suos Discretos, tractaturus cum illis mature super idoneitate Fratrum diversorum, qui in prædictis Recollectionis, seu Recessus Conventibus reperiuntur, & magis censentur idonei ad Guardianatum prædicti S. Bonaventuræ Conventus.

De Guardiano S. Bonaventuræ.

§. 2. Deinde quinque, vel sex de aptioribus ex illis assumptos præsentabit toti Communitati, quæ simul cum Discretis (qui quidem in omnibus supra, & ad infra dictis voce activa, & passiva debent gaudere, servata tamen forma nostrarum Generalium Constitutionum, & Decretorum Apostolicorum tenore) per secreta suffragia, ac ballotationes, duos, vel tres Diffinitorio præsentandos eliget, ut unus ex eis ab eodem Diffinitorio libere, & canonice in Domino in Guardianum dicti Conventus S. Bonaventuræ eligi valeat. In casu autem, quo vota sint paria fiet novum scrutinium, & data paritate per duas vices, recursus habebitur ad Ministrum Generalem, vel Generalem Prælatum qui ex illis duos vel tres designabit præsentandos Capitulo, sive Congregationi, quos judicaverit in Domino existere digniores. Quo ad præsentationes vero cæterorum dictæ Recollectionis Conventuum Guardianorum, Vicariorum, & Magistri Novitiorum fiet similiter per præfati Conventus S. Bonaventuræ Discretos matura discussio, & ex illis duo, vel tres isti præsentabuntur, qui per suffragia secreta, & ballotationes Discretorum eorumdem pluralitatem reperientur habere Votorum. Si quis autem contra hanc formam a nobis de plenitudine Apostolicæ auctoritatis nobis in hac parte specialiter commissæ dispositam, ordinatam, & stabilitam, fuerit præsentatus, aut electus: Volumus, ut ejusmodi præsentatio, & electio invalida sit, irrita, & nullius valoris, atque ad Ministrum Generalem, vel Generalem Prælatum ejus provisio devolvatur, sicut devolvuntur electiones Capitulares non legitime celebratæ. Qui quidem Minister, vel Generalis Prælatus, utendo Jure devolutivo in illo casu, & non alias continere se debet in eligendo intra numerum præsentatum a Discretis prædicti S. Bonaventuræ Conventus. Circa verò distributionem Fratrum collocandorum in prædictis Recollectionis Conventibus, pro nunc decernimus, & mandamus servari consuetudinem usque modo servatam, videlicet: ut præfatus Guardianus, sive Director præsentare, & nominare possit Religiosos pro singulis Conventibus de familia collocandos Ministro Provinciali, & Diffinitorio Provinciæ, qui quidem spectata discreta, & œconomica distributione ipsam in Domino confirmabit: Cæterum omnibus dicti Conventus S. Bonaventuræ Fratribus districte prohibemus, ne quis prævie ad prædicta per Communitatem danda suffragia audeat facere quascumque colligationes, subornationes, functiones, aut quidpiam hujusmodi. Secus præsumentes, vel minas alicui de negando suffragio intentantes, pœnas in Apostolicis, & Ordinis Constitutionibus contentas incurrant, aliisque ad arbitrium Ministri, vel Prælati Generalis gravissime puniantur. Romæ in Conventu nostro Aracælitano die quinta Augusti 1695. -- Frat. Bonaventura Poerius Minister Gener., & Commissarius Apostolicus -- De mandato suæ Pater. Reverendiss. Fr. Ludovicus de la Torre Secret. Gener. Ordinis.

De aliis Guardianis, & Officialibus.

De aliis Religiosis.

§. 3. Cum autem sicut Guardianus, & Discreti præfati Nobis denuo nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Ministro Generali editum, ut præfertur cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Preces dicti Guardiani, suorumque Discretorū.

Confirmatio relati Decreti.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ, ac Conventuum prædictorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDCXCV. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXIII. Confirmatur Decretum Capituli Gen. circa electionem extra Capitulum Prioris, vel Diffinitoris Generalis Congregationis Hispaniæ FF. Carmelitarum.

Extant alia Decreta pro pace in hos Religiosos servanda Constit. edit. 1692. Novemb. 22. Pont. 2. & aliud Decretum circa pecunias pro Provincia Rom. Clemen. XI. Constit. edit. 1710. Septem. 26. Pont. 10.

Dat. 8. Oct. 1695. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa d. Decreti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Josephus a Sanctissimo Sacramento Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum, quod cum in Congregatione præfata juxta ejus Constitutiones a Sede Apostolica approbatas Diffinitorium Generale ex Priore Generali, sex Diffinitoribus Generalibus componatur, in eventum vero, quo intra tempus, quod ab uno Capitulo Generali ejusdem Congregationis ad aliud intercedit, mors, seu vacatio ipsius Prioris Generalis, seu alicujus ex Diffinitoribus Generalibus præfatis sequatur, electio Vicarii Generalis, seu Diffinitoris subrogandi usque ad futurum Capitulum Generale juxta Constitutiones præfatas, ad Religiosos in eodem Diffinitorio Generali superstites pertineat, eoque casu facile contingere possit, ut Diffinitorio hujusmodi ad sex personas redacto, Vota, seu suffragia in æquales partes dividantur, ac propterea electio concludi nequeat, ideo ad tollenda quælibet inconvenientia, quæ exinde oriri possent, in tribus Capitulis Generalibus ejusdem Congregationis successive, ac præsertim in novissime celebrato anno 1694. editum fuit, ac juxta easdem Constitutiones vim legis obtinuit, Statutum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In casu, quo in Diffinitorio facienda sit electio Vicarii Generalis aut Diffinitoris Generalis, & sex Vota Diffinitorii comperiantur divisa in æquales partes, & ob divisionem impeditur procedere ad electionem, aut post illam sequutam, permanent pariter divisa in æquales partes, aut ad effectum habendi electionem pro legitima, aut illam confirmandi, determinatum fuit, ut in quocumque ex istis casibus in tres pro septimo Voto decisivo Pater Provincialis antiquior in professione inter eos, qui terminarunt suum Officium triennio immediate antecedenti, in cujus defectum, aut eo impedito Provincialis, qui subsequitur, qui expectetur, ut cum Votis inæqualibus dubium decidatur, quique expleta ista functione non habeat ulterius Votum in Diffinitorio.

Decretum Capituli Gen.

Preces Procuratoris Gener.

§. 1. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat, dictus Josephus Procurator Generalis, Statutum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Josephum Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui relatione Venerabilis Fratris Nostri Palutii Episcopi Prænestini ejusdem S.R.E. Cardinalis de Alteriis nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris sibi super præmissis factam, & dilectum filium modernum Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis audiverunt, consilio, præinsertum Statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Hispaniæ, & Ordinis præfatorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VIII. Oct. MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Extenditur Constitutio Innoc. XI. de erectione Confraternitatum Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia. LXIV.

Hæc Constitutio edita fuit 1688. Aug. 28. P. 12.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 17. Oct. 1695. An. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

Epilogus Constitutionis, qua concessa fuit facultas erigendi dd. Confraternitates, ubi Congregatio domos haberet.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Josephus Bellisen. Procurator Generalis Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia quod alias fel. rec. Innocentius PP. XI. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas die 28. Augusti 1688. expeditas, ut in singulis Civitatibus, Oppidis, seu locis ejusdem Galliæ, in quibus dicta Congregatio Domos tunc habebat, seu de cætero habuisset, una Confra-

ternitas

ternitas Christifidelium utriusque sexus sub eadem denominatione Doctrinæ Christianæ de Ordinariorum locorum respective licentia erigi, ac ipsius Confraternitatis sic erectæ Confratribus, & Consororibus pro tempore existentibus, quod omnibus, & singulis Indulgentiis, ac peccatorum remissionibus a rec. me. Paulo PP. V. pariter prædecessore Nostro Archiconfraternitati ipsius Doctrinæ Christianæ de Urbe concessis, uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite respective possent, & valerent, sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica concessit, & indulsit, ac alias prout in præfatis Innocentii prædecessoris Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Causa Extensionis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, saluberrima ejusmodi Confraternitatum Institutio, qua Christianus Populus ad Sacram Catechesim pro Catholicæ fidei rudimentis addiscendis evocatur in iis locis, seu Parochiis, in quibus Christifideles, utpote rudiores majori indigent instructione suum sortiri nequeat effectum eo quia nimirum in illis Congregatio prædicta Domos non habet. Nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gen.

§. 2. Nos igitur piis ejusdem Josephi Procuratoris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione Ven. Fratris Archiepiscopi Avenionen. super præmissis ad eosdem Cardinales transmissa, Indultum a memorato Innocentio prædecessore, ut præfertur, concessum, etiam ad alia Galliæ loca, in quibus dicta Congregatio, tametsi Domos inibi non habeat, Missiones tamen ex speciali fundatione, seu dotatione de præsenti exercet, ac servata in reliquis prædictarum Innocentii prædecessoris Literarum forma, & dispositione, eadem auctoritate tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Extensio dictæ Constitutionis ad loca, ubi Congregatio Missiones exercet.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Innocentii prædecessoris Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Octob. MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXV.

Confirmatur Constitutio Inn. XI. qua confirmatur Decretum Card. Protectoris circa executionem alternativæ in Provincia Januen. FF. Minorum de Observ. Reformatorum.

Hæc Inn. XI. Const. ed. fuit an. 1687. Jun. 12. P. 1., & hic refertur. Hujus Pontificis Const. ed. 1692. Maji 17. P. 1. agitur de alternativa in Provincia S. Nicolai. Et Const. ed. 1698. Oct. 7. P. 8. de alternativa in Prov. Januen.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 7. Jan. 1696. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissi Nobis divinitus Pastoralis Officii debito illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro felici Christifidelium Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statu conservando, illorumque tranquillitate firmiter stabilienda pie, provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id à Nobis petitur, libenter constabilimus.

§. 1. Alias siquidem pro religiosa quiete Provinciæ Januen. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum ad supplicationem tunc existentis Ministri Provincialis Provinciæ hujusmodi emanarunt a fel. rec. Innocentio PP. XI. prædecessore nostro Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet; *INNOCENTIUS PP. XI. Ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Maria a Finario Minister Provincialis Provinciæ Januen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod Venerabilis Frater noster Alderanus Episcopus Portuen., & S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupat. Religiosæ tranquillitati Fratrum dictæ Provinciæ consultum esse cupiens Alternativam circa electionem ad Provincialatum, cæteraque Diffinitorii Provinciæ hujusmodi Officia in tres partes sive Districtus, quibus Provincia ipsa constat dudum in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciæ, ac per quasdam fel. rec. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri simili in forma Brevis Literas stabilitam, & ordinatam servari, nec quidquam in contrarium innovari, aut attentari sub diversis pœnis præcepit, & mandavit per suum Decretum desuper emanatum, tenoris, qui sequitur videlicet: Alderanus Episcopus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud Sanctam Sedem Protector, dilectis Nobis in Christo Fratribus modernis, & pro tempore existentibus Ministro Provinciali, Custodi, & Diffinitoribus, cæterisque omnibus Religiosis Reformatæ Provinciæ Januen. Salutem &c. Cum alias in Capitulo Provinciali istius Reformatæ Provinciæ Januen. de consensu vocalium, qui eidem Capitulo tunc interfuerunt decretum fuerit, quod in posterum ad conservandam ejusdem Provinciæ pacem, & tranquillitatem, ex tribus, quibus ipsa Provincia componitur Districtibus, qui sunt Civitas Januen., Liguria Orientalis, & Liguria Occidentalis, assumi deberet alternatim Minister Provincialis, itaut uno triennio esset ex uno, altero triennio ex altero dictorum Districtuum, & Decretum hujusmodi fuerit a fan. me. Urbano VIII. per suas Literas Apostolicas in forma Brevis datas sub die 29. Martii 1643. appro-

Constitutio Inn. XI.

Decretum Card. Protectoris pro executione alternativæ inter tres partes a Capitulo Provinciali, & Urban. VIII. constitutæ.

approbatum, & confirmatum cum ulteriori etiam dispositione quod nempe Officinam Custodiatus non caderet in eam partem, seu Districtum, in quo actu esset Minister Provincialis, & quod unicuique dictarum partium, seu Districtuum duo vota in Diffinitorio pariter alternatim assignarentur, prout in ipsis Literis Apostolicis latius continetur; Nos qui ex Decreti, & Brevis prædictorum observantia, optatam pacem, & tranquillitatem hactenus Provinciam consecutam fuisse, & tamdiu consecuturam quamdiu eadem observantia firma, & illæsa persistat, certiores sumus, & cupientes quantum ex Nobis est, eam in suo robore manutenere, & conservare, auctoritate qua fungimur Protectoris vobis omnibus, & singulis in virtute S. Obedientiæ districte præcipimus, & mandamus, ne sub quovis prætextu, aut quæsito colore, directe, vel indirecte contra Decreti Capituli Provincialis, & Brevis Apostolici prædicti dispositionem, & tenorem, aliquod innovare, aut attentare præsumatis, non solum sub pœna nullitatis omnium actorum, sed insuper sub pœnis contra inobedientes, contumaces, & rebelles in Statutis Ordinis præscriptis, aliisque arbitrio nostro, & pro tempore existentis Protectoris infligendis, ad quas in casu contraventionis inviolabiliter procedemus. Non obstantibus &c. Romæ 24. Maji 1687. A. Cardinalis Cybo Protector. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Antonius Maria Minister Provincialis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri plurimum desideret, Nos ipsius Antonii Mariæ Ministri Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac supradictarum Urbani prædecessoris Literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & inserto habentes, Decretum præinsertum a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatum fuit relatum Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1687. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Preces Ministri Provincialis.

§. 4. Cum autem sicut dilectus filius modernus Minister Provincialis Provinciæ supradictæ Nobis nuper exponi fecit, ipse præmissa, quo firmius subsistant, & inviolabilius serventur, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi moderno Ministro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Innocentii prædecessoris Literas, omniaque, & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, ipsasque Literas ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari præcipimus, & mandamus.

Confirmatio relatæ Constitutionis.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes pariter ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Januarii MDCXCVI. Pontif. nostri Anno Quinto.

LXVI.

Confirmantur Decreta Generalis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium, & aliud Card. Protectoris pro Provincia Argentina.

Infra suis locis laudantur plures Constitutiones, & Capitula Constitutionum. Alex. VIII. Constitut. ed. 1690. Apr. 5. P. 1. extant quædam Decreta Capituli Gen. Et hujus Pontificis Const. ed. 1699. Maji 16. P. 8. agitur de primatu inter Definitores, & Provinciales Titulares.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 20. Jan. 1696. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Insequentia Decreta confirmata fuere in Capitulo Provinciali, & proposita Congregat. Reg.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Argentinæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Congregationi venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod alias videlicet an. 1692. a tunc existente Ministro Generali dicti Ordinis

in

in visitatione per eum facta Provinciæ hujusmodi nonnulla Decreta, quæ ipse pro felici, prosperoque ejusdem Provinciæ regimine necessaria, & utilia judicaverat, edita, & successive in Capitulo Provinciali ipsius Provinciæ in Oppido Civitate nuncupat. Lucernæ die 21. Novembris ejusdem anni celebrato publicata fuerant, tenoris, qui sequitur videlicet.

Decreta edicta.

Inter plurimas nostri muneris causas, quibus animi nostri solicitudo incumbere debet ea est præcipua, ut Regulæ, & Const. Ordinis quarum observantiam juravimus, Sanctissimæ Leges, quæ a Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate, divino assistente spiritu Apostolica sunt confirmatione munitæ per universas Seraphicæ nostræ Religionis Provincias ab omnibus inviolabiliter observentur, & earum directione suavissimo Christi jugo cuncti sacri nostri Ordinis Religiosi Caput submittentes, vitæ Evangelicæ inhærentes, vestigiis Ecclesiasticæ disciplinæ, ac regularis observantiæ zelo ea quæ fas est humilitate, tanquam primogeniti S. Patris Francisci filii reddantur insignes. Hoc excitati motivo Provinciæ hujus Argentinæ, quam speciali cordis dilectione prosequimur visitationem aggressi non parcentes laboribus, ac non pauca pro longitudine, ac asperitate itineris æquo, ac hilari animo incommoda, & pericula perpessi officii nostri debitum exigit, ut antiquam hujus ejusdem Provinciæ sanctitatem omni opere, & studio reviviscere curemus, ideo infra scripta Decreta eisdem sacris nostris Constitutionibus, & Pontificiis sanctionibus conformia statuentes, quorum exactam, & inviolabilem observantiam in virtute S. Spiritus, & ad sanctæ Obedientiæ meritum cunctis Prioribus, & Fratribus in hac Provincia commorantibus, seu commoraturis, sive Superiores, sive subditi sint, sub pœna etiam Divinæ Indignationis præcipimus, eorumque transgressores ad tremendum Dei Tribunal rationem reddituros, citamus, earumdemque notitiam in publicis Ordinum superiorum libris in unoquoque Conventu fideliter transcribi, & servari, ac semel saltem in quolibet mense in publico refectionis loco coram omnibus legi volumus, & mandamus, omnesque nostræ curæ commissos Religiosos, præcipue eos, qui sacri Ordinis zelo fulgent hortamur, ut occurrente ipsorum Decretorum, vel in superioribus, vel in subditis inobservantia certiores nos faciant, ac etiam ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. Nuntium Apostolicum juxta temporis exigentias pro eorumdem pleno robore, & observantia recurrant, a quo velut Sanctæ Sedis dignissimo, & piissimo Ministro, & sacro etiam nostro Ordini optime affecto, omnem assistentiam, & favorem licet sperare. Primo, quod omnes, nemine excepto cujuscumque gradus, & conditionis sint, choro, ac omnibus Ecclesiasticis exercitiis semper interesse teneantur, nec ab eis extra gravem necessitatem a Superioribus localibus agnoscendam, & approbandam alicui permittatur exemptio, nisi Infirmis, ac impotentibus, qui a Superiore discrete, prout charitas, & necessitas exigi possint dispensari, sicut etiam, qui lectionibus, & concionibus non occupantur, itaut omnino servetur quidquid circa hoc Sac. Const. Urbanæ præscribunt in *Cap. 3. Regulæ Tit. 1.*, & quia magno animi nostri mœrore orationis mentalis, ac examinis conscientiæ exercitium non fieri in aliquo Conventu certiores sumus, volumus, & præcipimus, ut quotidie post Matutinum, & Completorium in choro, ubi omnes etiam laici, nisi aliquando legitime fuerint impediti, prædicta exercitia orationis mentalis, ac examinis conscientiæ persolvantur ad formam *Const. in Cap. 3. Regulæ Tit. 20.* Secundo. Cum ex Novitiorum bona educatione optimi sperandi sint fructus, præcipimus Ministris Provincialibus, Guardianis, aliisque Superioribus, ne sub quovis prætextu audeant sub pœna privationis officii, ac perpetuæ inhabilitatis ad ipsa, & alia cujuscumque generis ipso facto incurrenda proponere, promovere, aut eligere Magistros Novitiorum ad aliquod munus, seu officium, quod ipsos impedire possit a cura, & assiduo regimine suorum Novitiorum, nec etiam ad Guardianatum præcipue in Conventibus, ubi multi fratres morantur, ut ex *Const. in Cap. 2. Regulæ Tit. 15.* Utque Magistri Novitiorum convenienti pro suis laboribus non careant præmio, statuimus, quod postquam per annos duodecim laudabiliter suum munus expleverint, si sint Fratres non graduati, & (ut vulgo dicitur) simplices, omnes alios Patres, & Fratres non Magistros in Sac. Theologia ubique præcedant, & ultra hoc vocem quoque activam habeant in electionibus Provincialium in Capitulis, sicut Magistri, ut ex Constitutione, ut supra, & vocentur discreti perpetui juxta Decreta Diffinitoris Generalis a Sancta Sede approbata; si vero dicti Magistri Novitiorum sint quoque Magistri in Sacra Theologia, & post annos duodecim per lauream Magistralem prædictum officium laudabiliter exercuerint Patres Provinciæ, & Diffinitores perpetui cum omnibus privilegiis, quibus fruuntur alii Patres Provinciæ, instituantur, ut ex Constitut. ut supra. Ipsique Magistri Novitiorum teneantur Ministrum Generalem quolibet semestri de suorum Novitiorum profectu, ac de iis, quæ ad Novitiatum pertinent, certiorem facere, ut ex *Const. in Cap. 2. Regulæ Tit. 15.* quod id observandum est de Magistris secundi Seminarii, seu Professorum, qui semper clausi sub cura alicujus Procuratoris adhoc deputati manere debent, ut Constitutiones præscribunt. Tertio. Ad tollendum quemlibet abusum, & partialitatem, ac etiam ne Conventus, in quibus sunt Novitiatus nimis graventur præcipimus juxta Sac. Concilii Trid. Decreta, quod quilibet Novitius, sive ejus consanguinei aliquid conveniens juxta locorum consuetudinem ante Religionis ingressum Conventui, in quo annum probationis facere debet pro alimentis solvat, & ultra hoc lectisternium, & omnia necessaria utensilia pro suo usu deferat, & casu, quod ob paupertatem, nec ipse, nec ejus consanguinei solvere possent, si esset talis indolis, & scientiæ, ut magnum Religio habitura foret laturus honorem, vel Conventus nativus, vel tota Provincia, omnia solvant, quæ omnia præcipiunt in *Const. in Cap. 2. Regulæ Tit. 13.*, nec aliter a Ministris Provincialibus, aut aliis Superioribus sub pœna privatonis officii admitti possit quisquam ad Novitiatum, & probationem. Nihil tamen aliud præter supradicta possint Superiores petere, aut acceptare ut ex Const. ut supra. Quarto. Filiationes Conventuum, quæ præcedere debent admissionem ad habitum, & probationem, ut ex *Const. in Cap. 2. Regulæ Tit. 6.*, & aliis Pontificiis sanctionibus nullo modo fiant a Ministris Provincialibus, nec a Diffinitorio, sed solum a Patribus, & Filiis illius Conventus, cui acceptandus ad Religionem vult affiliari, itaut a Guardiano illius Conventus assignentur prius tres termini Canonici sex dierum, quorum ultimo elapso dentur secreta suffragia ab omnibus Patribus, & filiis ejusdem Conventus etiam laicis, dummodo sint omnes Professi, sicut ab eisdem Constit., ut supra præscribitur, & serventur omnes aliæ conditiones ab eisdem Const., ut supra, & aliis Pontificiis sanctionibus præscriptæ inter quas etiam est, quod nemo ad habitum, & probationem admittatur, nisi prius præcedat ejus legitima affiliatio alicui Conventui, & qualibet affiliatio aliter facta contra formam Constitutionum nullius roboris sit, & invalida, & Ministri Provinciales

[Margin notes: De eorum executione. — De Choro, Ecclesiasticis exercitationibus. — De Magistris Novitiorum, & Professorum. — De Novitiis. — De Filiatione Novitiorum.]

les, seu alii Superiores, & Diffinitores qui auctoritatem ipsimet debitam affiliandi usurparent in pœnam privationis suorum officiorum, & vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrant, ad quam nisi a Sancta Sede possint reintegrari. Quinto. Filiationum Conventuum translationes ad alios Conventus, ut præcipiunt *Constitut. in Cap. 6. Regulæ Tit. 2.* non admittantur, etsi convenientia, aut necessitas hoc exigeret, non possit hoc fieri, nisi juxta Decretum Sac. Congregationis emanatum, obtenta scilicet prius licentia in scriptis a Ministro Generali, & servatis aliis de Jure servandis accedente scilicet consensu utriusque Conventus, & per secreta suffragia danda a Patribus, & filiis Conventus, ut supra, aliter translatio nulla sit, & invalida. Sexto. Circa Paternitates Conventuum nemo ad ipsas possit admitti, nisi juxta præscriptum sacræ Constit., ita quod omnes Sacræ Theologiæ Magistri, statim ac laurea sunt decorati, absque alia electione, eo ipso intelligantur, & sint Priores illius Conventus, cui sunt affiliati, aliorum autem Patrum, qui non sunt Magistri electio non ad Diffinitorium Provinciæ, nec ad Ministrum Provincialem, sed solum ad Capitulum Conventus, ita quod Patres illius Conventus per secreta suffragia eligere debent eum, qui Paternitatis illius Conventus titulo frui cupit, ut præscribunt *S. Const. in Cap. 6. Regulæ Tit. 2.*, & quamlibet electionem aliter facta irritam esse volumus, & invalidam, confirmatio vero electionis Patrum Conventus in Conventibus insignioribus ad Ministrum Generalem spectat, & in aliis vero Conventibus ad Ministrum Provincialem, ut ex Const. ut supra.

De translatione Filiationis.

De Paternitatibus Cœnobiorum.

Septimo. Cum aliquando diuturna Ministri Provincialis permanentia, occasione Visitationis in Conventibus anteactis temporibus magnum intulerit ipsis gravamen pro alimentis, & aliis expensis, decernimus, & statuimus, quod Ministri Provinciales in Visitationibus, ad quas quolibet anno tenentur, in ipsis permanere nequeant, nisi quandiu urgeat necessitas, & quandiu manent in aliquo Conventu visitando semper Choro, & Refectorio ad mensam communem interesse teneantur una cum aliis Fratribus, cui Ministro Provinciali, & ejus Assistentibus omni qua decet charitate, & urbanitate omnia necessaria suppeditentur pro alimentis dummodo tamen Choro, & Refectorio intersint, aliter Guardiani, & alii Officiales nihil subministrare debeant, & expleta Visitatione, majori qua possibile est solicitudine ab eo Conventu recedant, nec nisi semel in anno visitare possint, & insignioribus Conventibus, nequeant Provinciales manere, nisi per octo, vel decem ad summum dies, in aliis vero per quatuor, aut sex, si tamen aliqua gravissima causa, aut evidenti necessitate contingeret per majus tempus in eodem Conventu morari, Nos monitos faciant exponentes causam suæ permanentiæ cum fide jurata Guardiani, & Patrum illius Conventus a quo seclusa necessitate nihil post tempus præscriptum in hoc Decreto pro Visitatione liceat illis subministrare sub pœnis arbitrio nostro reservatis. Quod idem observandum est in Visitatione Monialium, quas quolibet anno visitare tenentur, nec ad tempus, seu earum Monasteria nemo præter Superiores, occasione Visitationum accedere audeat pro Hospitio, ne Monasteria earum nimis graventur. Octavo. Guardiani, & alii Superiores, si ob aliquod crimen, præcipue ex illis expressis in *Sac. Constit. in Cap. 8. Regulæ tit. primo*, privari debeant officio, hoc fiat juridice prævia formatione processus, ita quod nisi de veritate constiterit, & crimen sit aperte, & evidenter probatum, ad actum privationis non deveniatur, ut ex Constit. ut supra, aliter privatio nulla sit, & invalida, & Judices tales contra formam Constitutionum facientes a nobis punientur pœnis nostro arbitrio reservatis.

De Visitatione Ministri Provincialis.

De privatione Guardianorum

Nono. Nullus imposterum juxta fel. mem. B. Pii V. decretum possit plusquam per triennium in eodem Conventu munere fungi Guardianatus, ut etiam ex *Constitut. in Cap. 8. Regulæ tit. 23.* in pœnam Ministris Provincialibus, qui eos proponerent, seu eligerent privationis officii, in aliis vero Constitutionibus potest quis, licet per triennium fuerit in uno Conventu Guardianus, eligi, si tamen aliquis fuerit per triennium in aliquo Conventu Guardianus, & post triennium electus fuerit in alio, potest iterum, si dignus sit ad eumdem Conventum, ubi fuerit prius per triennium iterum eligi.

De tempore Guardianatus.

Decimo. In unoquoque Conventu deputentur pro administratione bonorum temporalium Officiales juxta præscriptum Constitut. per quorum manus omnes proventus, pecuniæ, & eleemosynæ transeant, nec sub quovis prætextu liceat Guardianis administrare sub pœna privationis officii, ac utriusque vocis in perpetuum juxta præscriptum earumdem Constitut. *in Cap. 4. Regulæ tit. 2.* Ipsique Officiales instituantur juxta præscriptum earumdem Constitutionum, & servetur exacta forma ærarii Conventus, in quo sub custodia trium clavium asserventur pecuniæ, & eleemosynæ, tam Conventus, quam Fratrum particularium, ut præcipiunt Constitutiones.

De Officialibus Cœnobiorum.

Undecimo. In recitatione Divini Officii serventur juxta ordinem S. R. E. omnes ritus, & consuetudines, nec liceat facere Officium alicujus Sancti, nisi juxta Ordinem Breviarii Romani præter illa, quæ a S. Sedis speciali gratia sunt concessa Religioni; Unde districte præcipimus Superioribus omnibus, & Vicariis, seu Directoribus Chori, ne imposterum audeant recitare, nec recitari permittere nec publice, nec privatim officium Corporis Christi, aut Immaculatæ Conceptionis, aut alterius Sancti in Adventu, & Quadragesima, ac aliis temporibus, in quibus non est privilegium, & talem abusum volumus esse omnino tollendum cum semper teneamur esse obedientes S. R. E. ut in Regula Seraphicus Pater præcipit dicens; *Sint semper Subditi, & Subjecti pedibus S. R. E.*; Et quia ab ejusdem S. Sedis liberalitate fuit auctoritate Apostolica noviter concessum nostræ Religioni Breviarium distinctum a Breviariis aliarum Religionum San. P. N. Francisci pro Fratribus, & Monialibus nostræ curæ subjectis, cujus usus adhuc non est in ista Provincia introductus, præcipimus Ministro Provinciali, ut statim unicuique Conventui provideat expensis Conventuum de Breviario nostræ Religioni concesso, quod est impressum Venetiis, Typis Balleonii.

De Divino Officio.

Duodecimo. Quoniam scientiæ, & doctrinæ summopere Sacri Ordinis honori conferunt, ut in hac quoque Provincia, quæ olim plurimis abundabat viris egregiis in concionibus, & facultatibus Philosophicis, & Theologicis antiquus reviviscat splendor omnino præcipimus, quod in promotionibus lector. in Studiis solo Dei, & beneficii publici honore inspecto, non amicitia, & dependentia, sed meritum respiciatur, & digni, & habiles eligantur, & si Juvenes, seu Studentes juxta eorum capacitatem, & indolem collocentur in illis locis ubi valeant proficere, & sint bonæ expectationis, etiam renuentes compellantur ad exercitia Scholastica, & Ministri Provincialis, & Guardianorum erit etiam Clericos præcipue professos, & Studentes etiam Sacerdotes exercere, vel exerceri facere persæpe in Refectorio tempore Mensæ communis in sermonibus coram Fratribus, ipsos advertendo circa defectus vocis, & gestus

De Lectoribus, & Studentibus.

prout

prout opus fuerit, adhoc ut eis isto exercitio postea evadant progressu temporis boni concionatores. Et si aliquis Superior, seu Diffinitor, aut alio quovis titulo, fruantur, postpositis dignioribus inhabiles promoverent ad lecturas, & studia, ipsos tanquam Religionis rebelles, & inimicos maledicimus, decernentes, quod facta promotione alicujus Lectoris ad nos mittatur notitia, & de ejus habilitate, scientia, nomine, merito, & gradu Minister Provincialis certiores nos, sua jurata fide faciat, ut promotione considerata, ipsam, si dignus fuerit confirmemus, si indignus reprobemus.

De relatione Religiosorum.

Decimotertio. Cum debeatur, ut Sacræ Constit. præcipiunt, mitti ab universis Provinciis, & Superioribus earum Ministro Generali notitiæ omnium Religiosorum, eorumque Crimina per processus, & Sententias judicata notificari, circa quod magnum in ista Provincia cognovimus defectum, cum ex quo munus Ministri Generalis, licet indigne, sustinemus, nulla prorsus, nec Provinciæ, nec actionum Fratrum, aut Monialium data fuerit notitia, quasi, quod in ista Provincia nulla esset subjectio, nec communicatio cum Ministro Generali, firmiter statuimus, quod Superiores, tam Provinciales, quam locales omnium exemplaria Sententiarum mittat ad nos, & occurrente aliquo delicto, aut gravi scandalo de reo, & ejus punitione nos faciat certiores, decernentes omnibus Fratribus licere ad nos, juxta opportunitates recurrere, ita tamen, quod Provincialibus, aliisque Superioribus non prætermittant debita reverentia, & obedientia, ita ut recursus fit juxta præscriptum Constitutionum.

De Monialibus earumque Confessariis.

Decimoquarto. Cum maximi sit momenti curæ Monialium, & infinita oriri possint pericula ex negligentia Superiorum in illarum regimine, pluribusque eorum Monasterii hæc Provincia abundet; Provincialibus, Ministris, & aliis ad quos spectat præcipimus, & mandamus, ut in earum Confessariorum deputatione solum Deum præ oculis habeant, virosque expertos optimis moribus ornatos, prudentes, ætatis maturæ, & perfectos eligant, qui saluti animarum earumdem incumbentes, tanquam Dei Sponsas electas eas excitent ad Cultus Divinos, & suæ Regulæ, & Constitutionum observantiam. Præcipimus etiam Ministris Provincialibus, aliisque Superioribus sub pœna privationis officii, ac perpetuæ inhabilitatis ad ipsa & alia obtinenda, ne ipsis, seu alicui ipsarum concedant licentias pernoctandi extra Monasterium, licet Votum Clausuræ non habeant, ita quod aliqua inevitabili exigente necessitate, si exeundi e Monasterio contingat præbere benedictionem, & licentiam, ea semper sit limitata, & cum onere redeundi statim ad Monasterium ante noctem, & ipsi assignetur altera Monialis in Sociam, quæ sit matura, & inter omnes prudens, & casu, quo urgeret necessitas ipsarum aliquas dimittendi ad quæstuandum, seu emendicandum, quod tamen quantum est possibile est impediendum, nulla possit mitti, quæ quadragesimum ætatis annum non expleverit. Et ad quamlibet evitandam occasionem ipsis Provincialibus prohibemus, ne ad habitum, & Religionem, seu Monasterium admittant in posterum, nisi tot Moniales, quo potest alere idem Monasterium, & earum sint conditionis, quas Sacri Canones præscribunt, & suam dotem, vel sufficientiam portent ad Monasterium pro earum alimento, & sustentatione, qua methodo omnis cessabit ipsis mendicandi necessitas, & consequenter vagandi. Eisdem etiam Superioribus jubentes, ut debita, qua fas est dexteritate, & prudentia in quantum potest fieri, ad clausuram reducere, & allicere adhibitis mediis illis, quæ juxta temporum, & locorum opportunitates, eis in Dño videbitur, curent; Ipsisque Monialibus fiat notum, quod sub pœnis arbitrio Superiorum reservatis, etiam Carceris, saltem per quoslibet quindecim dies teneantur confiteri, & Sacra refici Synaxi, eadem die audiendo etiam Sermonem exhortatorium, quem Confessarii eorum volumus ipsis habere. Abbatissæ autem, seu Superiorissæ, seu Ministræ, aut Magistræ nequeant facere expensas, nec vendere, nec emere, sine assensu Monialium suorum Monasteriorum per secreta suffragia habendo, & tandem inter semetipsas Moniales omnes exerceant mutuam charitatem, concordiam, & pacem, Deo sancte, & perfecte serviendo ab eo æternam cælestis præmii mercedem habituras. Eisdemque earumdem Monialium Abbatissis, Magistris, Ministris, seu Superiorissis præcipimus pariter, ut loca, quæ vulgo vocantur Parlatoria sint bene custodita, nec ante Solis ortum, nec post Solis occasum, nec tempore intermedio inter prandium, & Vesperas aperiantur, sed maneant clausa, quod quoque præcipimus earum Confessariis, ut hujus Decreti observantiæ omni studio incumbant, nec in eodem loco deputato pro Parlatoriis liceat sub quovis prætextu nec bibere, nec manducare.

De executione Constitutionum, & quibusdam precibus.

Decimoquinto. Omnibus denique Religiosis nostræ curæ subjectis iterum Sacrarum Constitutionum Ordinis, & aliarum Sanctionum Sanctæ, & Apostolicæ Sedis observantiam præcipimus, eosque enixe in Domino rogamus, ut in pace, & concordia Divino incumbant servitio, sæculo sint exemplares, Religioni proficui, S. P. Francisci grati, pro S. R. E., & Fidei Catholicæ incremento, Beatiss. Summi Pontificis Innoc. XII. felici conservatione, inter Principes Christianos pace, & concordia, armorum Christianorum felicitate, contra Infideles victoria, totius Sac. Collegii Apostolici, & præcipue Emorum, & Rmorum Dñorum S. R. E. Cardinalium Chisii Ordinis Protectoris, & de Laurea ejusdem Ordinis splendoris, & Mecenatis, omniumque S. R. E. Prælatorum, & præcipue Illustriss., & Reverendiss. Dom. Nuntii Apostolici salute, & felicitate, ac etiam pro me indigno Sacræ Religionis Ministro Generali devotas Deo preces offerant, in cujus nomine omnes totius cordis visceribus, & sincera dilectione, & amore benedicimus. In fidem &c. Datum in nostro Conventu Lucernensi die, & anno supradictis -- Fr. Joseph Maria Minister Gen. -- Fr. Julius Foresti de Venetiis Secret., & Assistens Ord.

Decretum Nuncii Apostolici pro executione relatorum Decretorum.

§. 1. Subinde vero Venerabilis Frater Marcellus Archiepiscopus Athenarum tunc temporis noster, ac Sedis Apostolicæ in Dominio Helvetiorum, & Rhætheorum Nuncius pro Decretorum hujusmodi executione, & observantia suum ediderat Decretum, tenoris sequentis videlicet: Marcellus de Aste, & Apostolicæ, Sedis gratia Episcopus Athenarum, & SSmi Dñi Nostri Innocen. Divina Providentia PP. XII. ejusdemque Sanctæ Sedis ad Helvetios, & Rhætheos, eorumque Subditos, & confederatos, necnon ad Constantien., Basilien., Curien., Sedunen., & Lausanen. Civitates, & Diœceses cum facultate Legati de Latere Nuncius &c. Cum Rmus Fr. Magister Josephus Maria Bottari de Venetiis Minister Generalis totius Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci in Visitatione Provinciæ Argentinæ, & in Capitulo Provinciali Lucernæ celebrato retroscripta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones fecerit, quæ cum nos etiam conformes Sac. Can., & Seraphici Ordinis S. Franc. Constitutionum invenerimus, adeo ut omnes, & singulæ ab omnibus ad quos spectat, & in futurum pro

tempore expectabit, inviolabiliter volumus, ut observentur, eas propterea auctoritate, qua fungimur Apostolica omni meliori modo corroborantes, & confirmantes. In quorum &c. Datum Lucernæ 23. Novembr. 1694. -- M. Archiepiscopus Athenarum Nuncius Apostolicus -- Jo. Ant. Rusconus Cancellarius &c.

Eadem Decreta confirmata fuere a Cong. Episc. & Reg.

§. 2. Et proinde pro parte dictorum Fratrum prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut eadem Decreta, quippe, quæ a quibusdam in controversiam vocari posse dubitabant, similiter confirmaret: dicta Congregatio Cardinalium per suum itidem Decretum die 11. Septembris proxime præteriti emanatum, audito dilecto filio Procuratore Generali Ordinis supradicti, & attentis narratis, petitam confirmationem Fratribus prædictis benigne concessit.

Preces FF. Provinciæ.

§. 3. Cum autem sicut iidem Fratres Nobis postmodum exponi fecerunt ipsi præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta dicti Ministri Generalis Decreta, a memorata Cardinalium Congregatione, ut præfertur confirmata, necnon pro eorum executione, & observantia emanatum a prædicto Marcello Archiepiscopo, & Nuntio Decretum itidem præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Januarii MDCXCVI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXVII. Confirmantur Decreta Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum pro Provincia Portugalliæ.

Laudantur hic nonnullæ Constitutiones. Hujus Pontificis Const. ed. 1692. Octob. 11. P. 2. extant Decreta circa studia, & Clem. XI. Const. ed. 1707. Aug. 31. P. 7. agitur de hujus Provinciæ Religiosis Musicis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 11. Febr. 1696. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Feixoo de Villalobos Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod ipse in Visitatione, quam alias fecit Provinciæ Portugalliæ dicti Ordinis pro conservanda, & augenda in Provincia hujusmodi regulari observantia, de consensu totius Diffinitorii ejusdem Provinciæ nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur videlicet:

Insequentia Decreta condita fuere in Congregatione Provinciæ.

§. 1. Fr. Joannes Feixoo de Villalobos Sacræ Theologiæ Magister, ac humilis Prior Generalis, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Antiquæ Observantiæ Regularis.

Decreta prædicta.

§. 2. Cum ad majorem nostri Ordinis conservationem, & propagationem, bene, sapienterque a majoribus Nostris sancitum sit, quod in singulis Provinciis fiant quolibet anno Congregationes Diffinitoriales, quarum ea præcipua cura sit omnes abusus injuria temporum irrepentes, vel eliminare, vel impedire, etiam opportuno novarum Ordinationum remedio; Hinc in Congregatione Provinciæ nostræ Lusitaniæ a die quinta, usque ad diem nonam Junii Nobis Præsidentibus hoc anno 1694. celebrata, communi omnium solicitudine, zelo, ac voto pro bono spirituali, ac temporali præfatæ Provinciæ Decreta sequentia condita fuerunt.

De receptione ad habitum, & Professionem.

Primum. Nullus ad Sacrum nostri Instituti habitum, multoque minus ad Professionem in Vicariis Brasilien., Maragnonen., & Flurii Januarii, nomine Rivus Provinciæ admitti possit, nisi prævio consensu Provincialis, & totius Diffinitorii ejusdem Provinciæ. Alias numquam ejusdem Provinciæ, sed illius Vicariæ Alumnus dicatur, & sit, in qua Professionem emiserit.

De Novitiatu, Novitiis, & Professis.

Secundum. Quatuor tantum Novitii pro quolibet anno, & pro tota Provincia in posterum admittantur regulariter, ac insuper extraordinarie unus etiam pro quolibet senario numero Religiosorum in dicto anno ex hac vita decedentium: & hoc sub pœna privationis ab Officio, tam Provincialis, quam Priorum, & Clavariorum, si quemlibet alium ultra præscriptum numerum admittent. Si tamen dicto numero completo aliquis ex Regni Magnatibus, aut primariis Nobilibus, alias idoneus habitum Nostrum efflagitaverit, tunc Provincialis recurrere possit ad Reverendissimum totius Ordinis Generalem pro dispensatione obtinenda. Pro Domo Novitiatus designantur Conventus Ulyssiponen., & vulgo dictus Cogliares, a quibus Novitii numquam removeri possint, neque post emissam professionem, nisi prævio examine approbati pro Scholasticis studiis, illico ad Collegia dirigantur. Porro nemo deinceps ad habitum nostrum admittatur, nisi a Vocalibus Cœnobiorum fuerit per secreta suffragia approbatus, postquam per authentica documenta, vel opportunas informationes, aut alias præfatis vocalibus legitime constiterit de recipiendorum legitimis Natalibus, moribus, qualitatibus, aliisque requisitis a Sacro Concilio Triden., Constitutionibus Apostolicis, ac Ordinis, necnon Ordinationibus Reverendissimi Procuratoris Generalis a Sanctissimo Domino Nostro per Literas in forma Brevis confirmatis sub die undecima Octobris anni 1693. Nemo similiter ad professionem admittatur, nisi præter alia de jure, sive com-

muni,

muni, sive nostri Ordinis proprio, & municipali requisita, post diligens examen circa regulam, Constitutiones, Cæremonias nostras, & Cantum Gregorianum approbatus fuerit ab Examinatoribus ad hunc effectum a Provinciali pro tempore deputandis, super quo eorum conscientiam oneratam esse volumus. Qui vero contrafecerint, præter pœnas a supradictis Constitutionibus statutas, aliis etiam arbitrio Generalis subjaceant.

abdica- e Novi- um.

Tertium. Sacri Concilii Tridentini dispositio in *Cap.* 16. *Seff.* 25. *de Regularibus*, circa Novitiorum renunciationes, aut obligationes, omnino intemerata servetur: ac proinde ante tempus ibidem statutum, ac multo minus ante habitus susceptionem, nulla pactio super his, nulla conventio, vel expressa, vel tacita a nostræ Provinciæ Superioribus fiat, vel ab aliis facta toleretur, non obstantibus quibuscumque deprecationibus, ac importunis commendationibus, ut ita quævis simoniacæ labis species evitetur, ac in re tanti momenti qualis est Novitiorum receptio, nulla turpis lucri spes, aut temporalis utilitatis ratio ad minus dignorum admissionem Prælatos alliciat.

bonis fessorum.

Quartum. Si ex persona alicujus nostræ Provinciæ Professi aliqua bona, vel hæreditario, vel alio quocumque jure contingat nostræ Religioni acquiri, ea primo in extinctionem communium totius Provinciæ debitorum convertantur, & quod superérit pauperioribus Conventibus a Provinciali de consilio Diffinitorii applicetur, ea lege, ut ejusdem Conventus Prior, & Clavarii debeant prædicta omnia emolumenta in bonis stabilibus fructiferis, vel annuis aliis redditibus securis collocare, vel si ob aliquam necessariam causam servatis servandis distrahenda sint, teneantur quamprimum licuerit tantundem reponere, ac eodem modo investire.

Spoliis giosorũ.

Quintum. Religiosorum ex hac vita decedentium spolia, nempe vestes, ac libri, & cætera, quorum usum, dum viverent a suis Prælatis obtinebant ad formam Sacri Concilii Tridentini *Seff.* 25. *Cap.* 2. *de Regularibus*, & Decretorum fan. mem. Clementis VIII. de reformatione, nostrarumque Constitutionum, vel pro communibus Provinciæ necessitatibus, vel ad utilitatem ejus Conventus, cui Defunctus fuerit affiliatus, applicentur juxta nostrarum Constitutionum præscriptum. Provinciales vero pro tempore existentes, quæcumque ratione spolii recipient, atque distribuent, fideliter, ac diligenter adnotari curent in libro ad hunc finem specialiter designato, ac de omnibus sive datis, sive acceptis rationem reddant suis Diffinitoribus in Libro præfato distincte referendam, ac ab eorum respective successoribus recognoscendam, & propria subscriptione firmandam.

Priori- ubprio- , & ionato- .

Sextum. Nullus in posterum ad Prioratus, aut Subprioratus Officium promoveri, vel Concionator extra septa Monasterii per Literas patentes constitui valeat, qui ad audiendas sæcularium Confessiones non fuerit ab Ordinario Loci approbatus. Quod si ex præsentaneis Prioribus, vel Subprioribus, aliquis sit non approbatus, eamdem approbationem unius mensis termino consequi debeat sub pœna privationis Officiorum respective, quatenus per ipsum steterit, quominus eam consequatur.

æsenta- gratia, stitia.

Septimum. Præsentati de gratia, qui ab anno 1670. citra, juxta dispositionem Rmi Orlandi in hac Provincia admittuntur cum voce, & loco in Capitulis Provincialibus, sicut in posterum de Justitia cum omnibus gratiis, præeminentiis, & prærogativis, alias regularem observantiam non lædentibus, quibus dicti Præsentati de Justitia in Ordine nostro, ac præcipue in hac Provincia fruuntur, & gaudent. Item ii, qui Lecturam de oppositione tenentes Textum super quatuor Evangelia sorte ipsis contingentem termino viginti quatuor horarum explicaverint, ac secundum sensus Sacræ Scripturæ exposuerint, & prævia Examinatorum approbatione patentes Concionatoris Literas obtinuerint, ac ejusmodi munus per duodecim annos laudabiliter exercuerint in Ecclesiis Mouræ, Setuball, Eboræ, & Ulyssiponen., & in quolibet ex his duabus postremo loco nominatis per triennium saltem in supradictos duodecim annos utique computandum, & prædicta omnia requisita sufficienter justificaverint, si a Provincia expostulabuntur, inter præsentatos de Justitia adscribantur cum omnibus prærogativis, de quibus supra. Quoad Concionatores tamen actu existentes, & ætate provectos, possit Provincialis una cum suis Examinatoribus abbreviare prædictum tempus duodecim annorum, (dummodo non intra quadriennium) eosque ad gradum Præsentati de justitia promovere, qui post obtentam Lecturam de oppositione juxta superius dicta fuerint ad Concionatoris munus iterum approbati, illudque laudabiliter exercuerint saltem per quadriennium, habita ratione ætatis, studiorum, & ante actorum laborum, prout in Domino judicaverit.

De Confessariis Monialium.

Octavum. Ad nostrarum Monialium confessiones audiendas non deputentur, nisi Religiosi ætate provecti annorum ad minus quadraginta, bonis moribus, ac exemplaris, laudabilisque famæ testimonio commendati, & concionandi pariter, ut illas opportuna, gratuitaque verbi Dei prædicatione, aliisque spiritualibus exercitiis ad pietatem erudire, ac in via perfectionis dirigere valeant. Mane, & Vespere in Ecclesia exteriori, & cum eisdem in Ecclesia interiori congregatis Orationem Mentalem indispensabiliter frequentent: præter dies a Constitutionibus expresse designatos, quolibet etiam die Dominico, & quandocumque opus fuerit Sanctissima Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta petentibus administrent: Regulam, & Constitutiones apprime calleant, earumque menstruam in publica Mensa lectionem, & quod caput est, exactam in omnibus observantiam, summo studio procurent. Provinciales vero in cujuscumque Monasterii visitatione super præmissis diligenter inquirant, ipsasque Moniales in scrutinio examinent: si quem culpabilem repererint punire, ac etiam pro modo culpæ removere teneantur. Porro nostri Collegii Conimbricensis Rector pro tempore Monialibus itidem nostris de Tentugal, & Prior Conventus vulgo de Deija Monialibus ibidem existentibus, ac tandem Prior Conventus Algarbiorum Monialibus vulgo *de Lagos* Confessarios extraordinarios supradictis qualitatibus præditos deputent quater in anno, quolibet scilicet triennio, qui consueta quoque nostri Ordinis beneficia eisdem conferre valeant.

De Cappa.

Nonum. Sub nullo prætextu deferri possint in publicis Communitatis actibus, multoque minus in Ecclesia Togæ vulgo *Capotes*, seu *Gavanes*, quarum loco dumtaxat permittuntur in hyeme contra frigoris rigorem Cappæ albæ ex panno etiam sine Caputio confectæ.

De Choro.

Decimum. Choristæ post inceptum Officium Chorum ingredientes, deosculata terra permaneant genuflexi usque ad nutum Superioris, quo habito, & deosculata iterum terra, ad suum locum pergant, idem toties præstando, quoties ob aliquam legitimam causam, ac de Superioris licentia eisdem e Choro exire contigerit. Sacerdotes vero post debitam Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento genuflexionem, ac Superiori, & Communitati reverentiam, genuflexi terram digito deosculantur, ac post brevem Orationem, ad suum locum se conferant, a Choro nunquam recessuri cujuscumque gradus,

aut

aut conditionis prætextu absque necessitate oretenus, & non per nutus Superiori communicata, & obtenta ab eodem licentia solitam Altari genuflexionem, & Communitati reverentiam præstabunt.

De ordine interReligiosos.

Undecimum. In Processionibus aliisque Communitatis actibus quibuscumque Choristæ præcedant Novitios, Novitii Laicos, cæterique Religiosi locum singulis convenientem retineant ad formam nostrarum Constitutionum, non obstante quacumque tolerantia, sive contraria consuetudine, quam tanquam abusum reprobamus.

De executione Regulæ, & Constitutionum.

Duodecimum. Regula Beati Alberti qualibet hebdomada; Constitutionum vero pars prima, & tertia quolibet mense perlegantur. Harum observantiam omnibus enixe injungimus, non solum quoad Orationem Mentalem mane, & vespere faciendam, aliaque magis substantialia ad interiorem Animæ culturam pertinentia, sed etiam quoad habitus internos, & externos, Cappas, Capputia, Coronas Capitis, & calceamenta, ne quid contra mores, & Constitutiones nostras innovetur, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ.

De Archiviis.

Decimumtertium. Erigatur in aliqua convenienti Cellula Conventus Ulyssiponen. Archivium, ad cujus custodiam deputetur Religiosus peritus, qui illud ordinet, Protocolla, Instrumenta, jura, legata, census, privilegia, cæterasque Scripturas uniendo, & registrando: idemque proportionabiliter servetur quoad Archivium Provinciæ in eodem Conventu Ulyssiponensi constituendum.

De Procuratoribus Cœnobiorum.

Decimumquartum. Religiosi ad subsistentiam Villarum, Vinearum, & Camporum deputati, nullomodo audeant sive per se immediate, sive per alios emere nomine proprio Vineas, Possessiones, Domos, Oleum, triticum, aut alia ejusmodi sub pœnis contra Clericos negotiatores, & Religiosos proprietarios a Sacris Canonibus constitutis; quinimo ne quidem nomine Conventus quidquam, vel contrahere, vel distrahere præsumant sine expresso Prioris, & Clavariorum consensu, quibus etiam quolibet trimestri exactam de omnibus rationem reddere teneantur; si quis contra prædicta, vel omittendo, vel committendo peccare compertus fuerit, illico privetur omni administratione, aliisque pro modo culpæ a Sacris Canonibus, nostrisque Constitutionibus, statutis pœnis mulctetur, & quatenus in aliquo fraudaverit, carceri mancipetur, & ad refectionem compellatur.

De Prioribus & Clavariis.

Decimumquintum. Priores, & Clavarii pro tempore, habitis calculis cum Commissariis, seu Deputatis ad recipiendos redditus Regiæ Cameræ provenientes ex vini introductione, authenticam referant attestationem de ab eis introductis, & solutis tempore sui Regiminis, eamdemque tradant novis Prioribus, & Clavariis, qui consimilem suis successoribus exhibere teneantur, & ita deinceps in perpetuum sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis perpetuæ ad officia. Vinum quodcumque, & undecumque proveniens in Cellam Vinariam non introducatur, nisi de consensu, & in præsentia Clavariorum, qui quantitatem, & exitum, sive consummationem introducti distincte fideliterque adnotare teneantur in Libro ad hoc specialiter deputato, ita quod utilitas omnis ex vino proveniens cedat in favorem ipsiusmet Conventus, non autem Priorum sub pœna proprietariorum; super quibus Provinciales pro tempore invigilent, & in Visitatione rationem de omnibus exigant. Porro ad Priorum charitatem, & prudentiam pertinebit temporibus Adventus, & Quadragesimæ vinum perfectius Communitati distribuere, ut jejunantium necessitati opportune consulatur.

De Sociis Priorum.

Decimumsextum. Ad plura, & maximi sane momenti incommoda vitanda, nullus in posterum admitti possit ad suffragium ferendum in Electionibus Sociorum Priorum ad Capitulum Provinciale iturorum, qui duodecimum professionis annum non compleverit sub pœna nullitatis electionis, quibuscumque contrariis non obstantibus. Excipiuntur Sacræ Theologiæ Lectores, ac Conventuum subpriores, de quorum prudentia, zelo, ac pietate confisi, volumus, quod etiamsi prædictum tempus non expleverint, suffragium tamen ferre possint; sicuti etiam quoad alias electiones, cæterasque Communitatis determinationes nihil intendimus innovare.

De Collegiis, Lectoribus, & Studentibus.

Decimumseptimum. Designantur pro studiis speculativis Philosophiæ, ac Theologiæ Collegium Conimbricense, necnon Collegia Eboræ, Mouræ, & Ulyssiponen., pro studiis Theologiæ moralis methodice a Lectoribus quotidie legendæ, quorum unus Sacræ Scripturæ, Patrumque sensus explicare teneatur, ac per omnia Decretis a Patre Generali alias editis in ordine ad studia, & a SSmo D. Nostro Innocentio XII. Pontifice Maximo confirmatis sub die 11. Octobris 1692. Conclusiones pro Lecturis obtinendis sustinendæ sint tres ad minus, & publice defendantur in Collegiis Conimbricen., Ulyssiponen., & Eborensi, vel in Capitulo Provinciali. Eæ vero non seligantur ex eodem Libro Sententiarum, nec ex eadem parte Theologiæ; sed in uno Collegio ex prima parte, in alio ex prima, vel secunda secundæ, & in alio ex tertia parte, vel de Sacramentis, vel de Morali in Collegio Theologiæ Moralis, ita quod in his tribus Conclusionibus se universaliter in tota Theologia peritos ostendant. Absque hoc experimento nemo ad oppositiones pro Lecturis admittatur, sed neque illo juvari quisquam possit, qui Theologicum cursum non expleverit. Teneantur Lectores alternatim Conclusionibus præsidere, habendis intra Claustra quidem quolibet mense cum interventu Magistrorum, ac Communitatis quolibet vero bimestri publice cum interventu exterorum. Si quando in Universitatibus, aut aliarum Religionum Collegiis invitabuntur, arguere teneantur juxta distributionem a Regente, seu Studiorum Præfecto faciendam ordine servato; si arguere recusaverint, suarum Lecturarum cursus non admittantur pro graduum consecutione; si vero Regenti, aut Studiorum Præfecto contumaces non obedierint, Lectura priventur. Pari modo Studentes ad assistentiam extranearum Conclusionum a Regente, vel Præfecto deputati prompte obedire teneantur sub pœna privationis Studiorum, perpetuæque inhabilitatis ad eadem.

De Cellulis Religiosorum.

Decimumoctavum. Cellulæ Religiosorum ex hac vita decedentium, quæ non fuerint alicui assignatæ per Decretum Sacræ Congregationis, vel à SSmo D. Nostro, vel ab Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Nuncio Apostolico matura consideratione distribuantur juxta nostras Constitutiones, servatis servandis, & habita ratione Dignitatis, gradus, antiquitatis, meriti, ac necessitatis cujuscumque. Actum die, anno, & loco quibus supra &c.

Relata Decreta confirmata fuere a Nuncio Apostolico.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tametsi Decreta hujusmodi a Venerabili Fratre Georgio Archiepiscopo Leodien. Nostro, & Apostolicæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio confirmata fuerint, nihilominus dictus Joannes Prior Generalis illa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ quoque confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: nos ipsius Joannis Prioris Generalis Votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,

Preces Prioris Gen.

aliisque

aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, omnia, & singula Decreta praeinserta ab ipso Joanne Priore Generali edita, ut praefertur, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio ...orum ...terorum.

Clausulae.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, ac Decreta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Provinciae, & Ordinis praefatorum; etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XI. Februarii MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

...VIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcop. & Reg. super familia Coenobii Montis Sancti Carmelitarum de Urbe, & Tabella Versiculatorum.

Hujus Pontificis Const. ed. 1692. Oct. 11. P. 2. extant Decreta circa studia, & Const. ed. 1698. Aug. 30. P. 8. agitur de quatuor Assistentibus Generalibus.

15. Febr. ...An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- *In Causa Romana verten. inter Patres Carmelitas Primi Instituti Siculos ex una, & Patres Romanos, & status Ecclesiastici ejusdem Instituti partibus ex altera, de, & super assignatione familiae in Conventu Montis Sancti de Urbe, necnon Tabella, seu exercitio munerum versiculatorum, & Cantorum in Choro, ac Lectorum in Mensa &c.* Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, Partibus ipsis informantibus, referente Eminentissimo Petruccio, censuit, ac decrevit, super praedicta assignatione Familiae servandas esse Constitutiones Ordinis *part. 1. capit. 5. §. ultimo*, non obstante voto Commissariorum, prout praesentis Decreti tenore servari mandat, & praecipit. Quo vero ad Tabellam, seu exercitium Munerum versiculatorum &c. Stetit in Decisis, per ipsam Sacram Congregationem sub die 29. Julii 1689. Romae 28. Novembris 1692. -- G. Cardinalis Carpineus A. Altovitus Secretarius -

Decretum in causa inter Carmelitas Siculos, & Romanos.

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii Priores, & Fratres status Nostri Ecclesiastici Provinciae Montis Sancti Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Preces FF. Status Ecclesiastici.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulae.

§. 2. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicae Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XV. Febr. MDCXCVI. Pontif. Nostri Anno Quinto.

LXIX.

Confirmatur Constitutio Urbani VIII. pro necessitatibus locorum Terrae Sanctae.

Haec Const. ultimo confirmata fuit ab Alex. VIII. Const. ed. 1689. Nov. 18. P. 1. Et postea a Clem. XI. Const. ed.

Dat. 24. Feb. 1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAlutaris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani Generis Redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices (licet immeriti) gerentes in Terris inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas in eam præcipuæ Pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

AbUrb.VIII. injunctũ fuit Ordinariis locorum, & Generalibus Ordinum, ut bis in anno curarent exponi necessitates dd. Locorum.

§. 1. Cum itaque fel. re. Urbano Papæ VIII. Prædecessori Nostro alias, exposito, quod Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum Tyrannidem, & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur; Idem Urbanus Prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, ac Congregationum, & Institutorum regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet Adventus, & Quadragesimæ temporibus tam per verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilecti filii Hieronymi Roavuls Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum, seu de Observantia nuncupatorum professoris pro Gallia Commissarii Generalis ejusdem Terræ Sanctæ Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo prædictæ Urbani Prædecessoris Literæ, quæ a re. me. Innocentio X. & Clemente etiam X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur illas per Nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, de ven. fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, prædictas Urbani Prædecessoris Literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces Commissarii Terræ S. in Gallia pro confirmatione d. Constitutionis ab aliis Pontif. confirmatæ.

Confirmatio Constitutionis Urb. VIII.

§. 2. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, prædicti in relatione status suarum Ecclesiarum, quando visitabunt limina Apostolorum facienda, referant se prædictis Urbani Prædecessoribus, & præsentibus Literis Nostris paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus insuper, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Febr. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXX.

Confirmantur Privilegia Pauli V. & Urb. VIII. concessa Collegio Scotorum Parisien. cum concessione facultatis suscipiendi Ordines non servatis Interstitiis.

Laudatæ Constitutiones hic referuntur quarum prima edita fuit 1617. Maii 27. Pont. 12. altera vero 1543. Jan. II. Pont. 20. Constit. ed. 1692. Mart. I. Pont. 1. concessa fuit Collegio S. Ant. Civit. Cuscan. facultas conferendi gradus Scholasticos. Et Clem. XI. Constit. edit. 1701. Maii 30. Pont. 1. erigitur Collegium Urbinaten. cum pluribus privilegiis.

Dat. 27. Apr. 1694. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

DUdum felic. record. Paulus Papa V. Prædecessor Noster Collegio Nationis Scotorum Parisien. ejusque Superioribus, & Alumnis nonnulla Privilegia, facultates, gratias, & indulta concessit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas Literas tenoris, qui sequitur, videlicet.

Const. Paul. V. qua concessa fuit facultas celebrandi in Oratorio privato, & suscipiendi Ordines a quocunque Antistite ad tit. paupertatis, & sine dimissoriis ordinari.

§. 1. *PAULUS PAPA V. Ad futuram rei memoriam.* Dilectos filios Alumnos Collegii Nationis Scotorum Parisiensis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii Nostri Matthæi tituli Sancti Honuphrii Presbyteri Cardinalis Barberini nuncupati Regni Scotiæ apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ejusdem Collegii Superioribus ut arbitrio venerabilis fratris Guidonis Archiepiscopi Rhodiensis moderni, & pro tempore existentis Sedis prædictæ in Regno Franciæ commorantis Nuncii in privato dicti Collegii Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium Loci prius visitando, & approbando, Sacrosanctum Missæ Sacrificium in sua, ac Alumnorum, & aliarum personarum dicti Collegii præsentia celebrare, seu celebrari facere, necnon eisdem Alumnis, ut absque Literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici, vel Patrimonii, sed ad titulum tantam paupertatis a quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite gratiam, & communionem Sedis prædictæ habente, in propria Diœcesi residente, vel in aliena Diœcesani loci consensu Pontificalia exercente per eos eligendo Clericali Charactere insigniri, & ad quatuor minores, necnon Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines in temporibus ad id a Jure statutis, dummodo tamen proprio examine ad id reperti fuerint idonei, & nullum eis aliud Canonicum obstet impedimentum, necnon testimonio Rectoris, & Superiorum dicti Collegii commendantur, specialemque ab ipsis licentiam obtineant, ac servatis aliis servandis promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, & indulgemus, ac tam Antistiti, ut præfertur, eligendo, quam Alumnis præfatis licentiam desuper impartimur, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel

specialibus

ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 27. Maji 1617. Pontificatus Noſtri Anno 12. Subinde vero recol. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædeceſſor Noſter ad favorem eorumdem Alumnorum alias ſuas pariter in forma Brevis Literas edidit tenoris ſequentis, videlicet:

...nſt. Urb. ...II. qua ...ter dd. ...ceſſa fuit ...altas ſuſ... ...iendi Or... ...es extra ...pora, & ...ulg.

§. 2. *URBANUS PAPA VIII. ad futuram rei memoriam.* Ut Alumni Collegii Scoti in Civitate Pariſienſi Canonice erecti eo ad literarum ſtudia proſequenda, ſpiritualibuſque ſuæ Patriæ neceſſitatibus ſuccurrendum alacriores ſint, quo ampliores ab hac Sancta Sede gratias, & favores receperint; Illorum necnon dilecti filii Rectoris Collegii hujuſmodi ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, eiſdem Alumnis, ut eo temporis ſpatio, quo in Collegio prædicto ſe ſe continuerint, & Superiorum judicio in ſtudiis profecerint, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, etiam ſine Literis Dimiſſorialibus, niſi habeant Epiſcopos proprios, a quibus illæ obtineri potuerint, cum ad Collegium dirigentur, & ſine Beneficii Eccleſiaſtici, aut Patrimonii, titulo, ac etiam extra legitimarum ordinationum tempora dumtaxat tamen alias ad id reperiantur idonei promoveri poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus; necnon de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Scholaribus, qui in dictum Collegium recepti fuerint, in ipſo ingreſſu, ac deinde in exitu, ſi quidem confeſſi, & contriti Sacram Communionem devote receperint, atque etiam ſi in eodem Collegio eos decedere ab humanis contigerit, in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem elargimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Conciliis Univerſalibus, Provincialibuſque, Synodalibus editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI. Januarii 1543. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

...eces Col...i.

§. 3. Cum autem ſicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Alumnorum Collegii ſupradicti Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi quo præinſertæ Pauli, quæ a piæ memoriæ Clemente Papa IX. Prædeceſſore pariter Noſtro confirmata fuerunt, ac Urbani Prædeceſſorum Literæ firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ quoque Confirmationis Noſtræ patrocinio communiri, ac alias opportune ſibi deſuper a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum conſilio, omnia, & ſingula privilegia, facultates, gratias, & Indulta Collegio, ejuſque Superioribus, & Alumnis prædictis a memorato Paulo, & Urbano Prædeceſſoribus conceſſa, ut præfertur, emanataſve deſuper illorum Literas præinſertas cum omnibus & ſingulis in eis reſpective contentis, & expreſſis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur & efficaciam adjicimus. Præterea, ut iidem Alumni ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines hujuſmodi non tantum extra tempora a jure ſtatuta, ſed etiam interſtitiis a Sacro Concilio Tridentino diſignatis minime ſervatis, annique curriculo non expectato, ac tametſi in unoquoque ex dictis Sacris Ordinibus antequam ad alium promoveantur, ſe minime exercuerint, ſervata tamen cæteroqui earumdem præinſertarum Literarum forma, & diſpoſitione promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

...nfirmatio ...tarum ...ſtitutio...

Conceſſio ſuſcipiendi Ordines non ſervatis interſtitiis.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes Literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus & ſingulis illis, quæ in præinſertis Pauli, & Urbani Prædeceſſorum Literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Aprilis MDCXCIV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

LXXI.

Admittuntur ad fruitionem Indulgentiarum Ordinis S. Auguſtini Moniales Annunciationis B.M.V. Cæleſtes nuncupatæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 2. Maii 1696. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Monialium, & cauſa Conſtitutionis.

CUm ſicut dilectæ in Chriſto filiæ Moniales Ordinis Annunciationis B.M.V. Cæleſtes vulgariter vero *le Turchine* nuncupatæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipſæ ſub Regula S. Auguſtini cum peculiaribus Conſtitutionibus a fel. rec. Paulo V., & ſubinde ab Urbano VIII. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris approbatis Deo famulentur, ac proinde Indulgentias ab hac Sancta Sede Ordini ejuſdem S. Auguſtini conceſſis perfrui poſſe plurimum deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio, eaſdem exponentes ad fruitionem omnium Indulgentiarum Ordini prædicto conceſſarum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium admittimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Admiſſio prædicta.

§. 1. Non obſtantibus quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Con-

Clauſula.

stitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Maji MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXII. Præcipitur Clericis Sæcularibus Doctrinæ Christianæ in Gallia ut executioni mandent vitam communem.

A Clem. VIII. præcepta fuit vita communis Const. ed. 1597. Dec. 23. ab Alex. VII. signati fuere tribus votis Const. ed. 1659. Sept. 26. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1697. Mar. 23. P. 6. abrogati fuere discreti.

Dat. 18. Maii 1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Epilogus Constitutionum Clem. VIII. & Alex. VII. circa vitam communem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Bellissen. Presbyter, & Procurator Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ in Gallia, quam licet fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas die 23. Decembris 1597. expeditas providerit, seu ordinaverit, ut omnia, & singula Bona Clericorum dictæ Congregationis in arcam communem reponerentur, ac postmodum cum iidem Clerici ab ipsa Congregatione, utpote nullis votis adstricti interdum deficerent, in ea vero remanentes sibi aliqua bona peculiaria adsciscerent, rec. me. Alexander PP. VII. etiam prædecessor Noster per suas itidem in forma Brevis Literas die 26. Septembris 1659. emanatas statuerit, ut omnes, & singuli Clerici ejusdem Congregationis tria vota simplicia, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, necnon votum, seu Juramentum in ipsa Congregatione perpetuo perseverandi emitterent, nihilominus eorum nonnulli arcam communem prædictam jam defraudare incipiunt, sibi nempe actionem in legitimam suam portionem retinentes, aut alia bona ex concionibus, Missam eleemosynis, aliove opere, & industria ipsis provenientia reservantes.

Abusus.

Causa Constitutionis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, id non solum in prædictæ Congregationis, quæ bona communia semper habuit, & suos Clericos ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines ad titulum ipsius Congregationis, seu bonorum communium vigore facultatis sibi desuper per dd. Alexandri Prædecessoris Literas concessæ promoveri curat, eosque ad studia suis sumptibus instituit, ac omnia necessaria illis tam bene valentibus, quam ægrotis subministrare tenetur detrimentum, sed etiam in morum relaxationem vergat; Nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut, quo paupertas in ipsa Congregatione juxta Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas illibata conservari, & bonus Ordo Communitatis ab omni proprietatis labe perpetuo defendi possit, in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gen.

§. 2. Nos igitur dictæ Congregationis indemnitati quantum cum Domino possumus, consulere, omnemque in ea vitæ communis relaxationi viam præcludere, & ipsius Josephi Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter a Nobis deputatorum consilio, omnibus, & singulis Clericis prædictæ Congregationis, ut omnem, & quamcumque actionem in legitimam sibi quomodolibet, & ubicumque competentem nullo modo sibi retinere præsumant, sed eam ipsi Congregationi omnino remittant; itaut eadem Congregatio possit, & valeat de eadem legitima plene disponere, eamque exigere, aut super ea concordare; item ut omnes pecunias, proventus, census, & eleemosynas, sive ex lectionibus, sive ex concionibus, aut pro Missis celebrandis, aliaque ipsorum justo labore, & causa, quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint in dicta arca communi reponant ad formam Constitutionum ejusdem Congregationis sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, nec nisi ab hac S. Sede, aut Præposito Generali ipsius Congregationis una cum suo Diffinitorio relaxanda, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus & mandamus; Laicos vero, & in minoribus tantum ordinibus constitutos Clericos Congregationis hujusmodi circa præmissa delinquentes pœna gravioris culpæ juxta dictas Constitutiones debita puniendos esse, eadem auctoritate harum serie decernimus, & declaramus.

Præceptum, ut Congregationi cedant legitimam actionem, & in Arca communi reponant bona, sub certis pœnis.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Maji MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Confirmatur, & reformatur Constitutio Alexand. VII. pro bono regimine Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe. LXXIII.

Præd. Constitutio hic refertur, & edita fuit 1660. Dec. 18. P. 6. Et hujus Pontificis Const. ed. 1697. Sep. 7. P. 7. confirmantur quædam statuta pro Seminariis Angelopolitanis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum suffragio constituti, ea quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro feliciter dirigendis Seminariis, & Collegiis quibuscumque ubique locorum, sed potissimum in Alma Urbe nostra veræ Religionis arce ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue diffunduntur; institutis sapienter, ac eo, qui secundum scientiam est, Dei zelo ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata serventur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus maturæ considerationis trutina perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Alias siquidem a fel. rec. Alexandro PP. VII. prædecessore nostro pro felici, rectaque Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe, illiusque rerum, & bonorum administratione emanarunt Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet: *ALEXANDER PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam.* Ut Collegii Germanici, atque Hungarici de Urbe negotia maturiori consilio decernantur, ac expediantur, & Ven. Fratres nostri S. R. E. Cardinales dicti Collegii apud nos, & Sedem Apostolicam Protectores, quibus ejusdem directioni præesse incumbit, ea omnia, quæ ad hujusmodi munus pertinent; conjunctim, ac certo quodam ordine, & methodo valeant expedire; indeque frequentius ad nostram, & pro tempore existentium Romanorum Pontificum successorum nostrorum ea, quæ digniora emerserint, notitiam deducantur; pro commissa Nobis divinitus Pastoralis officii cura providere volentes, necnon quarumvis Literarum Apostolicarum, etiam in simili forma Brevis super memoratorum Cardinalium Protectorum deputatione, & facultatum illis, seu uni eorum respective concessarum impartitione, cedularumque motus proprii super præmissis, aut alias quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores, & Datas, etiam veriores, & alia quæcumque, etiam specialem, & individuam expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut in posterum prædicti Protectores propius, & magis præcise, quam hactenus factum fuerit, utantur facultatibus, ac jurisdictione ipsis concessis super regimine, & directione tam spirituali, quam temporali ejusdem Collegii, eaque de causa statutis diebus, ac quoties opus fuerit, simul congregentur in Aula Congregationis Ven. pariter Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum ad agendum de rebus ad prædictum Collegium, & ipsius Alumnos spectantibus cum interventu dilecti filii moderni & pro tempore existenti Secretarii ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, per quem ea omnia, quæ decreta fuerint, de more expediantur, adeout Decreta omnia, aut mandata, quæ aliter, quam ad præscriptam formam fient deinceps, aut emanaverint, nullius prorsus roboris, aut momenti existant. Per eumdem vero Secretarium inter acta prædictæ Congregationis de Propaganda Fide inserantur, atque asserventur, & si quid dignum existimatum fuerit, ad Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem deferatur, sicuti de negotiis gravioribus memoratæ Congregationis fieri consuevit. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, etiam specifica, & expressa mentione dignæ existant in præmissis, forsan interesse quoquo modo habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi non fuerint, seu causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, aut justificatæ, & verificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quomodolibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Decretis quibuscumque tam circa facultatem dumtaxat ex prædictis Protectoribus concessam, quam circa alia quæcumque, quæ præsentibus Literis, earumque observantiæ quoquo modo adversentur, emanatis, necnon supradicti Collegii erectione, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, manu Secretarii dictæ Congregationis, seu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis, seu alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Decemb. 1660. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Causa Confirmationis relatæ Constitutionis.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, licet præmissa a memorato Alexandro prædecessore provido, prudentique fuerint constituta consilio, illa nihilominus minime observentur. Hinc est, quod Nos prædicti Collegii indemnitati, prosperoque illius tam spirituali, quam temporali regimini, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Alexandri prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ipsasque Alexandri prædecessoris literas, & in eis contenta hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus. Ita tamen, ut inposterum memorati Cardinales dicti Collegii Protectores pro negotiis ejusdem Collegii pertractandis non amplius in Aula Congregationis secundo dictorum Cardinalium, juxta earumdem Alexandri prædecessoris literarum præscriptum, sed in ipso Collegio commodius, ac expeditius, occurrentibus illius necessitatibus consulere valeant cum interventu memorati Secretarii dictæ Congregationis, & servata in reliquis omnibus prædictarum Alexandri prædecessoris literarum forma, & dispositione congregari debeant.

Confirmatio præd. motu proprio facta.

Item reformatio quoad locum Congregationum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, & adimpleri, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis formali, & individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo unquam posse: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cardinales, & Legatos, necnon Nuntios, & alios præscriptos nunc, & pro tempore existentes, sublata pariter eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Alexandri prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1696. Pontif. nostri Anno Quinto.

LXXIV. Confirmantur tria Decreta Clericorum Theatinorum pro electione Vocalium ad Capitulum Generale.

De numero Vocalium pro Capitulis Gen. vide Alexan. VII. Const. ed. 1661. Jan. 10. P. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 8. Junii 1696. An. 5.

Exordium.

INscrutabili Divinæ providentiæ arcano ad Pastoralis dignitatis fastigium meritis licet imparibus, evecti, illa, quæ pro felici, prosperoque Religiosarum Congregationum in Ecclesia Dei pie, sanctèque institutarum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre jugiter satagentium regimine, & gubernio provide, prudenterque disposita, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur libenter constabilimus.

§. 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Præpositi Generalis, & quatuor Consultorum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum Nobis expositum fuit, quod cum alias, videlicet anno 1683. in Capitulo Generali dictæ Congregationis tunc celebrato, inter alia editum fuisset Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Ut observantiæ Regularis incommodis caveatur, nullo pacto accedere possint ad Capitulum Generale Præpositi per Vocalium suæ Domus cessionem, sed ii tantummodo Jus accedendi habeant, quibus consueto sortis tempore sors contigerit; Quod si aliqua ex causa, quæcumque illa fuerit, nulla excepta, electio vocalis non fiat, & extractus fuerit calculus Vocalis, tunc neque Vocalis, neque Præpositus ad Capitulum Generale accedat; Decretum vero hujusmodi cum executioni nondum demandatum fuisset, eo quia formæ electionis Vocalium Capituli Generalis Congregationis hujusmodi anno 1668. præscriptæ, ac a felic. rec. Clemente PP. IX. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis literas approbatæ adversabatur, nec ullo Apostolicæ confirmationis patrocinio roboratum reperiebatur, Diffinitorium Generale novissimi Capituli Generalis ejusdem Congregationis agnita necessitate in dies majori dictum Decretum executioni demandandi ad tollendas perturbationes quæ in Gubernio Superiorum localium cessionem votorum sibi a Vocalibus procurantium oriri solent, mandavit, ut pro illius confirmatione obtinenda Nobis supplicaretur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Exponentes præfati, ultra supradictum etiam alia duo Decreta ad diminuenda incommoda, quæ Domibus Regularibus memoratæ Congregationis, & illarum Vocalibus eveniunt, æque necessaria addenda esse censeant, unum quidem totam ipsam Congregationem, alterum vero Domos Regulares S. Silvestri in Monte Quirinali, & S. Andreæ de Valle nuncupat. de Urbe dictæ Congregationis respicientia. Primum scilicet, quod inposterum in singulis Domibus Italiæ, & Insularum adjacentium die 2. Novembris, in reliquis vero Domibus totius Congregationis hujusmodi die prima Julii mensium Capitulum Generale dictæ Congregationis respective præcedentium electio Vocalis non amplius juxta formam, sicut præmittitur præscriptam, ac a memorato Clemente Prædecessore approbatam fiat, sed duo calculi, unus albus significans Præpositum, alter niger Vocalem significans in unam mittantur, quod si forte calculus niger extractus fuerit, eo casu subinde, nempe die 2. Mensis Januarii sequentis in Domibus Italiæ, & Insularum adjacentium, die vero prima sequentis Mensis Septembris in reliquis Domibus prædictis ad electionem Vocalis more solito devenia tur. Si vero calculus albus significans Præpositum extractus fuerit, eo casu nulla alia electio fiat. Cæterum quo in forte hujusmodi totum

Decretum 1. an. 1683. de vocalibus domorum pro Capitulo Gener. executioni non mandatum.

Decretum 2. de forma electionis Vocalium sine dolo peragendæ sub excommunicationis poena.

negotium fideliter peragatur, fraus, & omnis dolus inde sub nullitatis, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis ipso facto incurrendis prohibita sint: Secundum vero, quod cum dictæ Domus S. Silvestri, & San. Andreæ duabus Provinciis, in quas tota Congregatio præfata dividitur, communes sint, & numerus Vocalium utriusque Provinciæ æqualis esse debeat, ideoque dum aliquando altera alteram Provinciam numero Vocalium hujusmodi superat, necesse sit, aut aliqui voce activa, & passiva absque ulla ipsorum culpa destituti remaneant, aut Superior Generalis, ne cuiquam præjudicium fiat, tot Religiosos per annum integrum dictis Domibus cum magno illarum incommodo non alio fine, nisi, ut Vocalium utriusque Provinciæ numerus tempore electionis Vocalis pro Capitulo Generali sit æqualis, assignare teneatur. Ita in posterum fiat ut pro duabus electionibus in dictis Domibus fieri solitis Vocales omnes unius Provinciæ, qui pro tempore in dictis Domibus reperientur, insimul conveniant, illi quidem, qui erunt de Provincia, ex qua eo triennio fuit electus Præpositus Generalis in Domo S. Silvestri, alii vero alterius Provinciæ in Domo Sancti Andreæ, atque inibi unaquæque pars suum respective Vocalem pro Capitulo Generali hujusmodi eligat, ut ita absque ullo dictarum Domuum, & earum Vocalium incommodo Provinciarum æqualitas servetur: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorumdem singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac memoratæ formæ electionis Vocalium Capituli Generalis, necnon prædictarum Clementis Prædecessoris literarum tenores, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Decreta præfata (sublata tamen dicta pœna excommunicationis) auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus prædictis Clementis Prædecessoris literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis Theatinorum, ejusque Provinciarum, & Domorum Regularium, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annul. Pisc. die VIII. Jun. MDCXCVI. Pontificatus nostri An. Quinto.

LXXV.

Confirmatur Decretum Congregat. Rituum de cultu immemorabili B. Mariæ de Socos Ord. Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1687. Apr. 18. Pont. 11. concessa fuerunt officium, & Missa B. Petri Armengol. Et ab hoc Pontifice Const. sequenti conceduntur Officium, & Missa præd. B. Mariæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 30. Junii 1696. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum præd. ictum cum assensu Pontificis.

ALias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Barchinonen. Canonizationis B. Mariæ de Socos Monialis professæ Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. -- Proposito in Congregatione ordinaria Sacror. Rituum per Emum, & Rmum D. Cardinalem Casanatam dubio: *An constet de cultu immemorabili præstito dictæ Beatæ Mariæ de Socos, & an Sententia super eo lata a Vicario Generali Barchinonen. Judice a præfata Sacra Congregatione Delegato sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur:* -- Eadem Sacra Congregatio audito Reverendiss. Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore tam in scriptis quam in voce, Instante R. P. Magistro Fratre Martino Salvatore Gilaberte Vicario, ac Procuratore Generali prædicti Ordinis B. Mariæ de Mercede hujusmodi Causæ Postulatore, censuit constare de cultu Immemorabili, & Sententiam prædicti Vicarii Generalis Barchinonen. esse confirmandam, si Sanctiss. D. N. placuerit. Die 9. Februarii 1692. -- Et facta de prædictis Sanctiss. Dom. Innocentio PP. XII. per me Secretarium relatione Sanctitas Sua annuit die 13. ejusdem Mensis Februarii, & an. 1692. -- A. Cardinalis Cybo. Loco † Sigilli. L. Vallemanus Sac. Rituum Congr. Secret.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus Filius Bernardus Carignena, & Spenza Vicarius, & Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Bernardi Vicarii, & Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Dom. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis,

censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXX. Julii MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXVI.

Confirmatur Decretum Congregat. Rituum de Officio, & Missa B. Mariæ de Socos Ordinis B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiv. pro Religiosis utriusque sexus.

Const. præcedenti confirmatus fuit cultus immemorabilis. Et Const. sequenti conceduntur Officium, & Missa B. Petri Paschasii.

Dat. 30. Junii 1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias ad supplicationem dilecti filii Bernardi Carignena, & Spenza Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fr. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Causæ Canonizationis B. Mariæ de Socos Monialis dicti Ordinis Postulatoris emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacr. Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Barchinonen. Canonizationis B. Mariæ de Socos Ord. Beatæ M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum. Remisso Sacrorum Rituum Congregationi supplici Libello a R. P. M. Fr. Bernardo a Carignena, & Spenza Vicario, & Procuratore Generali Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum, & hujusmodi Causæ Postulatore SSmo D. N. porrecto, in qua humillime supplicabat Sanctitati Suæ, ut de Beata Maria prædicta, de cujus cultu immemorabili die 9. Februarii anni 1692. cum subsecuta approbatione Sanctiss. die 13. ejusdem mensis, & anni fuit responsum constare; facultatem pro sua Religione recitandi Officium, & celebrandi Missam de Communi Virginum sub ritu semiduplici die 19. Septembris natalitio ejusdem Beatæ singulis annis benigne concedere dignaretur; Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. Dom. Card. Casanatæ Ponentis audito prius tam in scriptis, quam in voce Reverendissimo Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore, omnibus bene perpensis, ac mature consideratis, gratiam petitam pro Religiosis utriusque sexus dicti Ordin. B. M. de Mercede tantum concedi posse censuit, si Sanctiss. D. Nost. videbitur die 2. Octobris 1694. - Facta igitur deinde Sanctiss. Dño de prædictis per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit die 9. ejusdem Mensis, & anni 1694. A. Card. Cybo. - B. Inghirami Secretarius.

Decretum d. Congregationis pro Officio, & Missa sub ritu semiduplici die 19. Sept. cum assensu Sanctissimi.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Bernardus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Bernardum Vicarium, & Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Junii MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXVII.

Confirmatur Decretum Congregat. Rituum circa Officium, & Missam B. Petri Paschasii Martyr., & Episc. Giennen. Ord. B. M. de Mercede Redem. Captiv.

Const. præcedenti concessa fuere Officium, & Missa B. Mariæ de Socos. Et a Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jul. 14. P. 5. confirmatur cultus immemorabilis B. Serapionis.

Dat. 6. Jul. 1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias ad supplicationem dilecti filii Bernardi Carignena, & Spenza Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Ordinis B. M. Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum. Sacrorum Rituum Congregatio ad humillimas preces R. P. Magistri

Fratris

ecretum ongrega- nis pro ficio & ssa sub ritu Clas. cum tava una n assensu ntificis.

Fratris Bernardi de Carignena, & Spenza Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum ab Eminentiss., & Reverendiss. Dom. Cardinale Casanata relatas, audito tam in scriptis, quam in voce Reverendiss. Archiepiscopo Myren. fidei Promotore, utriusque sexus Religionis Ordinis prædicti in posterum recitandi Officium, & Missam celebrandi de B. Petro Paschasio Martyre, & Episcopo Giennen. sub ritu duplici secundæ Classis cum octava alias sub ritu duplici concessa, facultatem concedi posse censuit, si Sanctiss. Dom. Nost. placuerit. Die 18. Junii 1695. -- Facta igitur deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiss. Dom. Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 22. ejusdem Mensis, & anni 1695. -- A. Cardin. Cybo. Loco ✠ Sig. -- B. Inghirami S. Rit. Congr. Secretarius.

reces Pro- ratoris n.

§. 1. Cum autem sicut dictus Bernardus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit; ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Bernardum Vicarium, & Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

onfirma- relati De- ti.

laufulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VI. Julii MDCXCVI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

XVIII. Conceditur Studentibus Congregationis S. Marci Provinciæ Rom. Ord. Prædicatorum, ut ipsi in eorum Collegio examinari valeant pro Lectoratu.

Const. ed. 1693. Oct. 20. P. 3. concessum fuit prædd. Studentibus facultas studendi in Cœnobio Sancti Marci. Et Const. ed. 1695. Jun. 14. P. 4. erecta fuit d. Congregatio. Bened. vero XIII. Constitut. ed. 1726. Feb. 8. P. 2. de receptione Religiosorum Congregationis S. Marci, & S. Jacobi Venet.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 23. Julii 1696. An. 6.

Epilogus præd. duarum Constitutionum.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Fratres Congregationis Sancti Marci Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum, quod cum alias nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas die 20. Octobris 1693. expeditas tunc, & pro tempore existentibus Fratribus Studentibus, seu Alumnis ejusdem S. Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., ac Sancti Jacobi Civitatis Sancti Miniatis respective Conventuum dicti Ordinis indulserimus, ut Studia sua in prædicto Conventu S. Marci peragere possent cum iisdem omnino privilegiis, ac si illa in Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, sive in Perusino respective Conventibus Provinciæ præfatæ peragerent, dummodo tamen Studiorum suorum hujusmodi curriculo exacto pro gradu Lectoris suscipiendo examini in eodem Conventu S. Mariæ super Minervam habendo se subjicerent, quemadmodum hucusque observatum fuit; Subinde vero nempe anno 1595. Conventus supradictos, quo magis regularis observantia in illis stabiliatur, ab omni, & quacumque jurisdictione, ac Superioritate tunc, & pro tempore existentis Prioris Provincialis memoratæ Provinciæ perpetuo exemerimus, & plenarie liberaverimus eosque in præfatam S. Marci Provinciæ Romanæ nuncupandam Congregationem per Vicarium Generalem a similiter pro tempore existente Magistro Generali dicti Ordinis instituendum, regendam, & gubernandam sub certis modo, & forma tunc expressis pariter perpetuo erexerimus, & instituerimus; ipsi exponentes, quo ejusmodi opus absolutum, perfectumque reddatur, omniaque cum majori eorum commodo pace, & quiete, ac mentis in Deum recollectione peragantur, plurimum cupiunt, se illa Studentes, seu Alumnos suos præfatos ad dictum Conventum S. Mariæ super Minervam, cui nullatenus amplius subjacere dignoscuntur pro eorum ad Lectoris gradum hujusmodi examine transmittendi lege solvi, itaut illi de cætero in eodem Conventu S. Marci pro gradu prædicto ad præscriptum Constitutionum dicti Ordinis examinari valeant quemadmodum in pluribus, & diversis, nempe in Sanctæ Mariæ, de Sanitate Neapolitan., S. Marci de Gavotis, SSmi Rosarii Venetiarum respective nuncupatis, aliisque Fratrum ejusdem Ordinis Congregationibus fieri consuevit.

Preces Congregationis, & causa Concessionis.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Card., & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter a nobis deputatorum consilio, ut Fratres dictæ Congregationis S. Marci inposterum examinari, & Lectores creari, seu habiles ad legendum declarari valeant in eodem Conventu Sancti Marci tamquam in Studio formali, dummodo quinque saltem examinatores, videlicet, Vicarius Generalis ejusdem Congregationis, seu Prior Conventus supradicti pro tempore existentes, necnon duo Scholasticæ, alter moralis Theologiæ, & alius Philosophiæ in Conventu præfato Lectores adhibeantur, cæteraque omnia

Concessio præd., & forma examinis.

servent-

ferventur, quæ ad id per Conftitutiones Ordinis hujufmodi, ac ordinationes Capitulorum Generalium ipfius Ordinis præfcribuntur, auctoritate Apoftolica tenore præfentium indulgemus.

Claufulæ. §. 2. Decernentes eafdem præfentes literas, femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos fpectat, & pro tempore quandocumque fpectabit in omnibus, & per omnia pleniffime fuffragari: Sicque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios & Delegatos etiam Caufarum Palatii Apoftolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obftantibus præmiffis, ac Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, necnon quatenus opus fit Ordinis, Congregationis, & Conventuum prædictorum, aliifve quibufvis etiam Juramento, confirmatione Apoftolica, aut quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoftolicis, in contrarium præmiflorum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis, illorum tenores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem fub Annulo Pifcat. die XXIII. Julii MDCXCVI. Pontificatus noftri Anno Sexto.

LXXIX. Extenduntur Indulgentiæ, & gratiæ Spirituales Confraternitatibus SS. Sacramenti conceffæ ad Confraternitates Decem Virtutum Beatæ Mariæ Virginis.

A Paulo III. conceffæ fuere dd. Indulgentiæ, & Gratiæ, & poftea confirmatæ ab Innoc. XI. Conftit. 1678. Oct. 1. P. 2. De d. Confraternitate vide Conftitutiones infra laudatas.

Dat.4. Oct. 1696. An.6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Cœleftium munerum Thefauros, quorum difpenfationem fidei noftræ commifit Divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id pia Chriftifidelium, præfertim fub fuavi Religionis jugo Altiffimo famulantium, propriæque, ac alienæ faluti laudabiliter incumbentium vota poftulant, & nos ad augendum Sanctiffimi, Auguftiffimique Corporis, & Sanguinis Dom. N. Jefu-Chrifti cultum, & venerationem id fperamus in Domino profuturum.

§. 1. Alias fiquidem de mandato fel. record. Clementis PP. X. Prædecefforis noftri emanavit a Congregatione tunc exiftentium S. R. Ecclefiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpofitorum Decretum tenoris, qui fequitur, videlicet -- Licet S. M. Paulus Papa III. per binas fuas Conftitutiones concefferit, ut Sanctiffimi Corporis Chrifti Confraternitates omnes, & fingulæ ubivis locorum inftitutæ, ac inftituendæ, iifdem privilegiis, conceffionibus, Indulgentiis, gratiis, indultis, quæ Confraternitati Sanctiff. Sacramenti in Ecclefia S. Mariæ fuper Minervam de Urbe erectæ largitus fuerat in pofterum largiretur, uti, potiri, & poffent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apoftolicas Conftitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præfertim vero fimilis memoriæ Clementis VIII. Conftitutionem de aggregationibus editam, facultates, & Indulgentiæ, tam fupradictæ Sanctæ Mariæ de Minerva, quam cæteris omnibus Confraternitatibus antea conceffæ, aut abrogatæ, aut faltem moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta funt, ex quibus in dubium revocari poffe videtur, an hujufmodi Pauli III. conceffiones priftinum fuum robur adhuc retineant; Congregatio Eminentiffimorum, & Reverendiffimor. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, Sacrifque Reliquiis Præfectorum optans fummopere Sanctiff. Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, & ob eam caufam hujufmodi Societatem in omnibus Ecclefiis Parochialibus erigi, atque ad id Chriftifideles præcipuis gratiis excitari; fpeciali ordine habito vivæ vocis oraculo a Sanctiff. D. N. Clemente Papa X. felic. recor. Pauli V. veftigiis inhærente, decernit, ac declarat, juxta eafdem Pauli III. Conftitutiones Confraternitates omnes, & fingulas Sanctiffimi Corporis Chrifti, ubique terrarum hactenus Apoftolica, vel ordinaria auctoritate erectas, aut pofthac erigendas, abfque nova, aut peculiari alia conceffione, communicatione, vel aggregatione fore, & effe debere participes quorumcumque Privilegiorum, conceffionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & Indultorum ab eodem Paulo III. Archiconfraternitati Sanctiffimi Sacramenti de Minerva per Breve datum Romæ apud Sanctum Petrum die tertia Novembris 1606. nominatim, & expreffe conceflorum, ac in pofterum a Sede Apoftolica concedendorum, illifque omnibus, & fingulis uti, potiri, & gaudere poffe, ac debere ftatim, atque Confraternitatum earumdem erectio Apoftolica, vel Ordinaria auctoritate facta fuerit; fervata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis VIII. Conftitutione. Non obftantibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis de Indulgentiis ad inftar non conceden., nec aliis contrariis quibufcumque. Datum Romæ die 23. Apr. 1676. C. Cardinalis Maximus -- Michael Angelus Riccius Secretarius.

Decretum Congregationis, quo declaratur, Confraternitates SS. Corporis Chrifti ex conceffione Pauli III. etiam poft Conftitutionem Clem. VIII. effe participes Indulgentiarum &c.

Confraternitatis SS. Sacramenti fuper Minervam de Urbe.

Ab Innoc. XI. confirmatum fuit relatum Decretum.

§. 2. Poftmodum vero recolendæ memoriæ Innocentius Papa XI. pariter Prædeceffor nofter Decretum hujufmodi, toto illius tenore inferto fub certis modo, & forma tunc expreffis auctoritate Apoftolica approbavit, confirmavit, & innovavit, prout in ipfius Innocentii Prædecefforis Literis defuper in fimili forma Brevis die 1. Octobris 1678. expeditis, quarum tenorem præfentibus pro plene, & fufficienter expreffo, & inferto haberi volumus uberius continetur.

Caufæ Extenfionis, & preces Miffionariorum Minorum de Obferv.

§. 3. Cum autem ficut pro parte dilectorum Miffionariorum Ordinis Minorum S. Francifci de Obfervantia nuncupatorum per dilectum filium Francifcum Diaz a Sancto Bonaventura Fratrem expreffe profeffum dicti Ordinis, ac eorum Miffionariorum in Romana Curia Procuratorem Nobis nuper expofitum fuit, duæ Confraternitates in honorem Sanctiffimi Euchariftiæ Sacramenti, ac Beatiffimæ Virginis Mariæ in diverfis Chriftiani Orbis partibus opera, & folicitudine Fratrum præfatorum, non folum in utriufque fexus perfonarum obedientiæ, feu directioni Miniftri Generalis ejufdem Ordinis Subditarum, fed etiam in aliis omnimodæ Ordinariorum Locorum Jurifdictioni, fubjectis Ecclefiis canonice jamdudum inftitutæ, ac piæ memor. Leone X. per fuas Literas incipientes -- *Cum in honorem, &c.* anno 1517. expeditas, & forfan aliis Romanis Pontificibus, etiam Prædecefforibus Noftris approbatæ, ad unam fubinde Confraternitatem dumtaxat fub titulo decem Virtutum, feu decem Beneplacitorum ejufdem Beatiff. Virginis

Mariæ

Mariæ in diversis pariter Locis pro cujusvis Status Christifidelibus pia eorumdem Fratrum cura propagatam, itidem canonice redactæ fuerint; Confratres vero, & Consorores Confraternitatis hujusmodi, quæ etiam alicubi Conceptionis ipsius Beatissimæ Virginis Mariæ, frequentius vero Sanctissimi Corporis Christi Confraternitas denominatur, ac inter peculiares memorati Ordinis Confraternitates recensetur, inter cætera pietatis, & Christianæ charitatis opera, quibus incumbere consueverunt, tam ex primævo primodictarum duarum Confraternitatum, quam proprio Instituto, circa venerationem, & cultum prædicti Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti non minus ac illi, qui Confraternitatibus sub titulo ejusdem Sanctissimi Corporis Christi, ubivis erectis adscripti reperiuntur se exerceant, illud potissimum pie, ac devote comitando cum ad Infirmos, vel alias in Processionibus circumfertur, ac proinde exponentes præfati, ut eorumdem Confratrum, & Consororum, pietas, ac devotio erga Sacratissimum hoc salutis nostræ pignus magis, magisque in dies incitetur, illos Indulgentiarum, & aliarum gratiarum Spiritualium, quibus prædictæ Sanctissimi Corporis Christi Confraternitates in vim Decreti præinserti, ejusque confirmatoriarum Innocentii Prædecessoris Literarum hujusmodi fruuntur, participes fieri plurimum desiderent: Nos piis eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias Spirituales, quibus Confratres, & Consorores Confraternitatum sub præfato titulo Sanctissimi Corporis Christi, ubique locorum Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectarum, & erigendarum per Decretum præinsertum, ejusque confirmatorias Innocentii Prædecessoris Literas supradictas uti, frui, & gaudere posse, ut præfertur, declaratum fuit, ad Confraternitates sub memorato titulo decem Virtutum, seu decem Beneplacitorum ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ ubique pariter Locorum opera præfatorum Fratrum canonice hactenus erectas, & in posterum erigendas, illarumque Confratres, & Consorores dummodo tamen ea, quæ pro consequendis Indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus, aliisque gratiis Spiritualibus hujusmodi præscripta sunt, seu pro tempore fuerint, adimpleant, auctoritate Apostolica tenore præsentium in perpetuum extendimus, & ampliamus.

Extensio prædicta.

Clausula.

§. 4. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum, transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Picatoris die IV. Octobris MDCXCVI. Pontificatus nost. An. Sexto.

LXXX.

Confirmantur Decreta Congregationis particularis circa jurisdictionem Vicariorum in Anglia contra Regulares.

Inn. XI. Const. ed. 1681. Maji 20. P. 5. legitur lis inter Episcopum Meckinan., & Regulares. Et hujus Pontificis Const. sequenti plures Provinciæ Regni Sinarum committuntur Vicariis Apostolicis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 5. Oct. 1696. An. 6.

Ad futuram rei memoriam.

Alias a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerab. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandæ Fidei negotiis, præpositæ super rebus Angliæ a Nobis specialiter deputata emanarunt super quibusdam instantiis pro parte dilectorum filiorum Vicariorum Apostolicorum Regni Angliæ Nobis factis, quas una cum supplicibus libellis desuper Nobis porrectis ad eamdem particularem Congregationem remisimus, Decreta tenoris, qui sequitur videlicet. Decreta Sacræ Congregationis particularis de Propaganda fide habitæ die 6. Octobris 1695. -- Relatis in Congregatione Eminentissimorum DD. Cardinalium de Propaganda fide super rebus Angliæ specialiter a Sanctissimo D. Nostro Innocentio XII. deputatorum instantiis Sanctitati suæ factis a Vicariis Apostolicis Angliæ in eorum libellis supplicibus tenoris sequentis videlicet: Beatissime Pater: Cum ex vi, seu occasione Privilegiorum Ordini Sancti Benedicti Congregationis Anglicanæ a Sede Apostolica concessorum, necnon prætextu Jurisdictionis, quæ ante Schisma eidem Ordini in Anglia competebat, prætendant Monachi dicti Ordinis se tanquam Vicarios Capitulares, seu ipsum Capitulum, Sede vacante habere in plerisque Regni Diœcesibus Jurisdictionem ordinariam, & hanc non cessare, ex quo Sancta Sedes eidem Regno concesserit Vicarios Apostolicos ad illas Ecclesias regendas: Cumque exinde uti experientia docuit hoc ipso Sæculo oriri possint contentiones, & controversiæ hos inter, & illos regimini illorum fidelium, & propagationi fidei summopere noxiæ, præjudiciales, & scandalosæ; Idcirco supplicatur ea, qua par est humilitate, Sanctitati vestræ, quatenus declarare dignetur cessare omnem talem præfatorum Monachorum Jurisdictionem qualiscumque sit, eo ipso, quod S. Sedes Apostolica concesserit Vicarios Apostolicos in Regno Angliæ, eisque solitas facultates generaliter regendi Ecclesias sibi commissas tribuerit: uti in partibus Catholicis cessat omnis Jurisdictio Capituli, & Vicariorum Capitularium, Sede vacante, statim atque Sedes Apostolica Vicarium Apostolicum delegat ad Ecclesiam vacantem interim gubernandam: Quem favorem &c. Quam Deus &c. -- Beatissime Pater. Ea, qua par est humilitate Sanctitati vestræ exponitur plurima quotidie fidei Catholicæ præjudicia in Anglia exoriri, ex eo quod Regulares ibidem prætendant se vigore suorum Privilegiorum ab omni Jurisdictione Vicariorum Apostolica auctoritate eidem Regno concessorum exemptos esse, & cum ex alia parte Vicarii Apostolici præfati regere non possint Ecclesias sibi commissas, nisi Regulares prædicti eis subjiciantur, saltem quoad ea, quæ Missiones, & curam animarum concernunt, quapropter Sanctitati vestræ humiliter supplicatur, ut Bullas, seu Brevia Apostolica alias ab hac Sancta Sede occasione similium controversiarum in Regno Sinarum, Indiis, & alibi exortarum emanata extendere dignetur simili Bulla, seu Brevi ad omnia Regna, & Insulas dominio

Decreta prædicta.

Supplex libellus Vicariorum contra Benedictinos circa jurisdictionem ordinariam.

Alter libellus Vicariorum circa exemptionem Regularium ab eorum jurisdictione.

Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ ſubjectas. Quem favorem &c. Quam Deus &c. Sacra Congregatio re mature perpenſa, & audito etiam Patre Claudio Eſtien., & Procuratore Monachorum Congregationis Anglicanæ Sancti Benedicti decrevit, ut infra -- Quo ad primum -- Per deputationem Vicariorum Apoſtolicorum factam in Regno Angliæ a ſa. me. Innocentii XI. ceſſaſſe, & ceſſare quamcumque Juriſdictionem Capitulorum, ſeu Vicariorum Capitularium, tam Sæcularium, quam Regularium omnium Eccleſiarum ejuſdem Regni, & ſignanter earum, quæ Monachis Congregationis Anglicanæ Ordinis Sancti Benedicti vigore Bullæ ſa. me. Urbani VIII. quæ incipit, *Plantata*, ſeu quarumlibet aliarum Literarum Apoſtolicarum, aut alias quomodolibet competere poſſet, durante tamen deputatione eorumdem, ſeu aliorum ſimilium Vicariorum, ab Apoſtolica Sede quandocumque deputandorum, & non alias.

Decretum I. pro Vicariis Apoſtolicis.

§. 1. Quo ad ſecundum vero cenſuit -- Regulares quoſcumque, etiam Societatis Jeſu, & Congregationis Anglicanæ præfatæ tam circa approbationem ad Confeſſiones audiendas, quam circa concernentia curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, aliaque munia Parochialia, eſſe ſubjectos Vicariis Apoſtolicis, in quorum diſtrictibus eos reſpective commorari contigerit. Non obſtantibus quo ad præmiſſa quibuſcumque Regularium Ordinum Privilegiis, & præſertim ante dicta Bulla ſa. mem. Urbani VIII. illis alias in ſuo robore permanſuris, necnon firmis remanentibus, quo ad reliqua omnibus, & ſingulis privilegiis, præeminentiis, prærogativis, aliiſque Juribus dictis Monachis Congregationis Anglicanæ quomodolibet competentibus &c. Datum Romæ die, & anno quibus ſupra -- Quæ quidem Decreta eadem die Sanctiſſimo Domino Noſtro per me Secretarium infraſcriptum integre relata, Sanctitas Sua benigne laudavit, & approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari -- C. A. Fabronus Secretarius.

Item Decretum alterum.

Approbatio Pontificis.

§. 2. Cum autem ſicut Vicarii Apoſtolici prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Decreta hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſiderent. Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta, ac omnia, & ſingula in eis contenta, & expreſſa, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Preces Vicariorum Apoſtol.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus; & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die V. Octobris MDCXCVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

LXXXI.

Diſmembrantur plures Provinciæ Regni Sinarum a Diœceſibus Pekinen., & Nankinen., eæque committuntur Vicariis Apoſtolicis.

Ab Alex. VIII. inſtituti fuere Epiſcopatus Pekinen. & Nankinen. Conſt. ed. 1690. Apr. 10. P. 1. Hujus Pontificis Conſt. ed. 1695. Maji 16. P. 3. extat diſmembratio a Diœceſi Nemauſen. Et Bened. XIII. Conſt. ed. 1725. Maji 23. P. 1. Eccleſia Eugubina ſubjicitur Urbinaten. De auctoritate Vicariorum in Anglia vide Conſt. præcedentem. Et de illa Vicariorum in Oriente vide ſequentem.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 15. Oct. 1696. An. 6.

Ad perpetuam rei memoriam.

E Sublimi Sedis Apoſtolicæ ſpecula, in qua Catholicæ Eccleſiæ per Univerſum Orbem diffuſæ regimini, meritis licet, & viribus longe impares, divina dignatione, præſidemus, mentis Noſtræ oculos per quaſcumque agri Dominici partes jugiter circumferentes, ad ea, quæ Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Cathedralium in remotiſſimis ab eadem Sede regionibus erectarum ſtatum concernunt, paſtoralis vigilantiæ Noſtræ ſtudia libenter convertimur; atque ut ibidem Chriſtiana Religio felicius in dies, adſpirante ſuperni favoris auxilio, ſtabiliatur, & creſcat, conceſſæ Nobis a Domino poteſtatis partes, propenſa charitate interponimus, ſicut, omnibus mature conſideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ac Animarum ſalutem arbitramur in Domino expedire.

Exordium.

§. 1. Alias ſiquidem fel. rec. Alexander Papa VIII. prædeceſſor Noſter, certis tunc expreſſis cauſis adductus, ac præſertim provide conſiderans in ampliſſimo Regno Sinarum, in quo Catholicam fidem latius in dies propagari acceperat, unam dumtaxat Cathedralem Eccleſiam, nempe Machaonen. quæ de Jure patronatus Chariſſimi in Chriſto filii Noſtri Petri Portugalliæ & Algarbiorum Regis Illuſtris ex fundatione, vel dotatione, ſeu privilegio Apoſtolico, cui non inveniebatur eatenus in aliquo derogatum eſſe dignoſcebatur, reperiri, adeoque illius Epiſcopum ſingularum omnium cultus inſpicere, aliaſve boni Paſtoris partes implere minime poſſe, ſupplicationibus ejuſdem Petri Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, Oppida de Pekim, & de Nankim reſpective nuncupata in eodem Regno exiſtentia ab ordinaria Juriſdictione tunc, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Machaonen., auctoritate Apoſtolica, perpetuo ſegregavit, diviſit, ſeparavit, & diſmembravit, illaque in Civitates, quæ de Pekim, & de Nankim reſpective denominarentur, & in eis Eccleſias Beatiſſimæ Virginis Mariæ utrobique dicatas in Cathedrales Eccleſias ſub invocatione ejuſdem Beatiſſimæ Virginis pro duobus Epiſcopis, uno ſcilicet Pekinenſi, altero vero Nankinenſi reſpective nuncupandis, qui illis præeſſent, ac Eccleſias ipſas ad formam Cathe-

Referuntur erectiones duorum Epiſcopatuum Pekinen. & Nankinen.

dralium

dralium Ecclesiarum redigi facerent sub certis modo, & forma tunc expressis similiter perpetuo erexit, & instituit; Ac eisdem sic erectis, & institutis Ecclesiis Oppida supradicta in Civitates, sicut præmittitur, erecta pro Civitatibus; alia vero Oppida, Castra, Villas, Territoria, & districtus Diœcesis Machoanen., juxta divisionem per dictum Petrum Regem, vel per Machaonen, ac Pekinen., & Nankinen. Episcopos de ipsius Petri Regis commissione inter se faciendam, pro Diœcesibus itidem perpetuo concessit, & assignavit. Porro mensis Episcopalibus dictarum Ecclesiarum de Pekim, & Nankim pro cujuslibet earum dote redditus annuos quingentorum Cruciatorum monetæ Portugalliæ quadringentos Ducatos auri de Camera constituentium per eumdem Petrum Regem assignandos, ex tunc prout postquam assignati fuissent similiter perpetuo applicavit, & appropriavit; Ac insuper eidem Petro, & pro tempore existentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus Juspatronatus, seu præsentandi sibi, & Romano Pontifici pro tempore existenti ad Ecclesias de Pekim, & Nankim prædictas tam ea prima vice, quam quoties illas deinceps etiam apud Sedem præfatam vacare contigisset, intra annum ob Locorum distantiam tam inde, quam a die cujuscumque vacationis hujusmodi respective computandum personas secundum Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum dispositionem idoneas iisdem Ecclesiis per ipsum Alexandrum Prædecessorem, & pro tempore existentem Romanum Pontificem ad præsentationem hujusmodi præficiendas pariter perpetuo reservavit, & concessit, & alias prout in binis ejusdem Alexandri Prædecessoris Literis desuper sub Plumbo Quarto Idus Aprilis Anni Incarnationis Dominicæ 1690. expeditis quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur. Subinde vero postquam dictus Alexander Prædecessor Ecclesiis de Pekim, & de Nankim supradictis de personis sibi, & tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum acceptis, & quas memoratus Petrus Rex ei ad hoc per suas Literas præsentaverat, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica providerat, illasque Ecclesiis in Episcopos præfecerat, & Pastores curam, regimen, & administrationem ipsarum Ecclesiarum de Pekim, & de Nankim eis in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo facta, sicut accepimus, per ipsum Petrum Regem vigore facultatis sibi ab eodem Alexandro Prædecessore, ut præfertur, attributæ divisione supradicta de Pekim, Xantung, & Leoatung, necnon Xansi, Nonan. Xensi, & Juchuen cum Insulis, & Terris adjacentibus Pekinensi; de Nankim vero, Chikiang, Fokien, Kiangsi, Huguang, Queichen, Junaum Provinciæ dicti Regni Sinarum cum Insulis itidem adjacentibus Nankinensi respective Episcopis prædictis pro cujuslibet eorum Diœcesi præmisso, seu forsan alio veriori, quem iisdem præsentibus pro expresso haberi similiter volumus, modo præfinita, assignatæ remanserunt.

§. 2. Cum autem, sicut, non sine maxima animi Nostri consolatione, pariter accepimus, strenua, ac laudabili Evangelicorum Ministrorum ab eadem Sede missorum opera (Deo pios illorum conatus, ac labores juvante) uberiores quotidie in illis partibus animarum fructus in horrea Dominica afferantur, novique Ecclesiæ Catholicæ palmites in dies crescant, ac proinde memorati Pekinen. & Nankinen. Episcopi Pastorali muneri exequendo in tot, tantisque, ac tam amplis sibi creditis regionibus prorsus impares reputarentur, optandumque sit pro magnitudine Messis Operariorum copiam suppetere, qui non modo eos, qui relictis erroribus, Christianam veritatem agnoverunt, sana, fidelique doctrina instituere, ac tanquam teneras in vinea Domini plantas alere, ac fovere, sed & alios, qui adhuc in tenebris ambulant, ad verum Omnipotentis Dei cultum convertere studeant: Hinc est quod Nos Misericordiarum Patri, & Deo totius consolationis gratias agere non desinentes, qui inter gravissimas, & multiplices curas, quas in hisce perturbatissimis Christianæ Reipublicæ temporibus pro commisso Nobis divinitus Apostolicæ Servitutis Officio assidue sustinemus, uberibus saltem in longinguioribus Orbis Terrarum partibus Orthodoxæ Religionis incrementis Nos consolari dignatur; Et quia tam iis, qui longe, quam illis, qui prope sunt, debitores sumus, maximum salutis animarum negotium quas tanto marium, Terrarumque spatio disjunctas paternæ charitatis vinculum Nobis conjungit, solicitis studiis juvare, ac promovere, necnon Christianæ Religionis, & Catholicæ fidei in partibus prædictis solidiori stabilimento, latiorique propagationi, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, habita super præmissis cum particulari Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, qui jura omnia desuper etiam pro parte supradicti Petri Regis deducta diu, ac diligenter discusserunt, deliberatione matura, de illorum consilio, & assensu, ac etiam motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, supradictas omnes Provincias Regni Sinarum memoratis Pekinensi, & Nankinensi Episcopis pro eorum Diœcesibus, sicut præmittitur, assignatas (exceptis dumtaxat de Pekim, ac Xantung, & Levantug, quas Pekinensi, necnon de Nankim, & Nonan. quas Nankinensi Episcopis supradictis pro cujuslibet eorum respective Diœcesi reservamus, & quatenus opus sit, eis, & eorum cuilibet harum serie assignamus) a prædictis Pekinensi, & Nankinensi respective Diœcesibus tenore præsentium perpetuo separamus, & dismembramus, illasque, ac earum Clerum & Populum ab omni, & quacumque Venerabilium Fratrum modernorum, & pro tempore existentium Pekinen., & Nankinen. Episcoporum Jurisdictione, superioritate, potestate, correctione, visitatione, regimine, cura, & gubernio itidem perpetuo eximimus, & plenarie liberamus. Cæterum ipsas Provincias sic separatas, & liberatas, donec spiritualibus illarum indigentiis per erectionem novorum Episcopatuum ab hac Sancta Sede provideatur, curæ, & administrationi Vicariorum Apostolicorum a Nobis, & Sede præfata pro tempore deputandorum, qui omnes, & singulas facultates, quæ Vicariis Apostolicis in eisdem partibus Sinarum antehac a dicta Sede deputatis per diversas rec. me. Alexandri VII., Clem. IX., Clem. X., & Innocentii XI. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Literas, seu alias ab ipsa Sede concessæ, & attributæ fuerunt, in suis quisque sibi assignandis Provinciis exercere possint, & debeant committendas esse motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie decernimus, & ordinamus; Districte propterea inhibentes tam supradictis de Pekinen., & Nankinen. Episcopis, quam aliis omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Indiarum, cæterarumque partium Orientalium Ordinariis, seu eorum Officialibus, vel Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisve Ministris quibuscumque, ne sub quovis prætextu, colore, causa, vel occasione, aut vigore cujuscumque privilegii, vel Indulti a Sede prædicta emanati ullum in posterum Jurisdictionis actum in earumdem sic separatarum, ac dismembratarum, necnon exemptarum, & liberatarum

Dismembratio plurium Provinciarum motu proprio facta.

Item commissio dd. Provinciarum Vicariis Apostolicis facta.

Interdicitur aliis Ordinariis jurisdictio in prædd. Provincias.

Provinciarum districtibus exercere audeant quovis modo vel præsumant.

Clausulæ.

§. 3. Ac decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & Dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac de jure quæsito non tollendo, cæterisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon præfatarum de Pekim, & de Nankim, ac aliarum quarumcumque Ecclesiarum, etiam Metropolitanarum, & Primatialium, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, illarumque Præsulibus, Capitulis, personis, aliisve quibuslibet, etiam speciali nota dignis, & de necessitate juris, vel facti omnino exprimendis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu ad quascumque personarum, etiam Regia, aut Archiepiscopali, & Primatiali, aliave qualibet Ecclesiastica, vel mundana Dignitate, & potestate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XV. Octob. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LXXXI[illegible]

Præcipitur Archiepiscopo Goan., & Episcopis Machaonen., & Malacen., ut executioni mandent Constitutionem Clem. X. circa jurisdictionem Vicariorum Apostolicorum in Oriente.

Laudata Constitutio ed. fuit 1674. Jun. 7. De Jurisdictione Vicariorum in Regno Sinarum vide Const. præcedentem. Et de illa Vicariorum in Regno Tunkini vide sequentem.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 22. Oct. 1696. An. [illegible]

Ad futuram rei memoriam.

A Clem. X declaratum fuit dd. Vicarios habere jurisdictionem in suis Provinciis, & contradictores incurrere certas pœnas.

Cum, sicut ad Nostri pervenit Apostolatus auditum, licet felic. record. Clemens Papa X. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas, quarum initium est -- *Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationis Opus &c.* die 7. Junii 1674. de particularis Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio emanatas, auctoritate Apostolica declaraverit, Episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientis, eorumque Ministros, & Officiales non posse, nec debere exercere actus Jurisdictionales super Vicarios Apostolicos ad Regna, seu Provincias Orientis pro Religionis, & fidei hujusmodi propagatione ab hac Sancta Sede Apostolica missos (quippe ejusdem Sanctæ Sedis Delegatos) eorumque Operarios in Provinciis sibi assignatis; sed iisdem Vicariis Apostolicis dictæ Sedis Delegatis in prædictis Provinciis jurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuisset a Congregatione eorumdem Cardinalium declaratum; Ac contraventores eo ipso in pœnas Excommunicationis, & indignationis Romani Pontificis incurrisse censeri decrevit, & alias, prout in eisdem Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Nihilominus novissime Venerabiles Fratres moderni, seu tunc existentes Archiepiscopus Goan., necnon Machaonen. & Malacen. Episcopi, sive potius illorum Ministri, & Officiales causati forsan, licet erronee, a memorata Congregatione Cardinalium aliter fuisse declaratum, ac proinde præfatas Literas non esse amplius executioni demandandas, sive aliis sub prætextibus Venerabilium pariter Fratrum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum in Regnis Siami, Cocincinæ, de Sciampa, Cambogia, aliis-

Prædd. Ordinarii perturbabant jurisdictionem Vicariorum in Regnis Siami, Cocincinæ, de Sciampa, Cambogia, aliisqu[e]

que

que adjacentibus ab eadem Sede deputatorum jurisdictionem, seu illius exercitium impedire præsumpserint, non sine gravi fidelium scandalo, ac Infidelium ad fidei Catholicæ veritatem conversionis, cui eadem Sancta Sedes dictos Episcopos Vicarios Apostolicos destinavit, detrimento. Hinc est, quod Nos supradictas Clementis Prædecessoris Literas stricte, & inconcusse observari, necnon Fidelium Operariorum in Vinea Domini strenue, ac utiliter laborantium quieti, fideique Catholicæ prædictæ propagationi, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S.R.E. Cardinalibus Congregationis Propagandæ fidei negotiis præpositæ super rebus Sinarum, a Nobis specialiter deputatorum consilio, eosdem modernos, & pro tempore existentes Archiepiscopum Goan. necnon Machaonen., & Malacen. Episcopos, harum serie paterne monemus, eisque auctoritate Apostolica in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut dictas Clementis Prædecessoris Literas, & in eis contenta quæcumque sub pœnis in Literis hujusmodi expressis exacte, & inviolabiliter observent, ac observari curent, & faciant; districte propterea inhibentes eis, & per ipsos omnibus illorum Ministris, & Officialibus quocumque nomine nuncupatis, ne in posterum sub quovis quæsito colore, prætextu, causa, vel occasione exercitium Jurisdictionis eorumdem Episcoporum Vicariorum Apostolicorum, eorumque operariorum in Regnis Siami, Cocincinæ, de Sciampa, Cambogia, aliisque adjacentibus supradictis impedire audeant quovis modo, seu præsumant, donec aliter a prædicta Congregatione Cardinalium fuerit ordinatum.

[margin: Præceptum ...l. sub ...is pœ-]

§. 1. Ac decernentes ipsas præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[margin: ...usulæ.]

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXII. Octob. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

...XXIII. Declaratur pro Vicariis Apostolicis, Regnum Tunkini separatum esse, & independens a Diœcesi Machaonen.

De jurisdictione Vicariorum in Oriente vide Constitutionem præcedentem, & Constit. ed. 1697. Februar. 6. P. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 23. Oct. 1696. An. 6.

Causa Declarationis.

Ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere Venerabilium Fratrum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum in Regno Tunkino ab hac Sancta Sede deputatorum, eorumque Operariorum quieti, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, contentionesque omnes, quæ inter ipsos, & Venerabilem Fratrem modernum, seu pro tempore existentem Episcopum Machaonen. ejusque Ministros, & Officiales quoscumque oriri, necnon maximum Catholicæ Fidei, Christianæque Religionis propagationi impedimentum adferre possent e medio tollere cupientes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandæ Fidei præpositæ super rebus Sinarum a Nobis specialiter deputatorum consilio, Regnum Tunkini præfatum a Diœcesi Machaonen. penitus, & omnino separatum, ac independens esse, & fore, ac proinde Episcopum Machaonen. supradictum, ejusque Ministros, & Officiales quoslibet quocumque nomine nuncupatos non posse, nec debere sub quovis quæsito colore, prætextu, causa, vel occasione ullos in eo jurisdictionales actus exercere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Declaratio præd.

§. 1. Decernentes pariter ipsas præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis præfatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari: Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Octob. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LXXXIV. Prohibetur, ne quis imprimat, vel vendat sine facultate Ministri Gen. Breviarium Ord. Minorum S. Francisci de Observ.

Const. ed. 1698. Nov. 10. P. 8. agitur de usu librorum Divini Officii Romæ impressorum.

Dat. 21 Nov. 1696. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ Prohibitionis.

CUM sicut dilectus Filius Bonaventura Poerius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ipsi Breviarium Romanum, *Seraphicum* nuncupatum ad usum personarum utriusque sexus ejus obedientiæ, seu directioni subjectarum a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præposita approbatum in Alma Urbe Nostra ea, qua decet sedulitate, & castigatione typis imprimi novissime fecerit, ac proinde illud propediem, benedicente Domino, quam emendatissimum in lucem proditurum sit: dictus vero Bonaventura Minister Generalis vereatur, ne opus longo labore, magnaque industria dispositum, atque perfectum novarum editionum occasione optato fine frustretur, mendosæque, aut illegitimæ varietates sive Typographorum negligentia, sive Revisorum incuria, sive alia ex causa in posterum obrepant. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Bonaventuram Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, universis utriusque sexus Christifidelibus, præsertim vero Typographis, Librorum Impressoribus, & Bibliopolis ubilibet existentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, in Nostra vero temporali ditione commorantibus, etiam sub quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis Typorum, & librorum omnium Cameræ Nostræ Apostolicæ irremissibiliter applicatum pœnis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus, ne Breviarium præfatum ad usum omnium, & singularum utriusque sexus personarum prædictæ obedientiæ, seu directioni subjectarum, ubicumque locorum degentium sicut præmittitur, approbatum, posthac in perpetuum absque speciali ejusdem Bonaventuræ, & pro tempore existentis dicti Ordinis Ministri Generalis, aut ab eo causam habentium licentia in scriptis qualibet vice obtinenda, & in ipso Breviario integre una cum eisdem præsentibus imprimenda typis imprimere, aut ab aliis in posterum vendere, seu venale habere, vel proponere quoquomodo audeant, seu præsumant, & nihilominus personæ illæ ex supradictis quibus in vim Decreti, seu Decretorum memoratæ Congregationis Cardinalium alio Breviario uti minime fas est, Breviariis sine prædicta licentia impressis, aut evulgatis uti nequeant sub pœnis contentis in Ordinis prædicti Constitutionibus, aliisque per dictum Bonaventuram, & pro tempore existentem Ministrum Generalem super hoc infligendis. Mandantes propterea Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac quibuscumque Locorum Ordinariis, necnon in Statu Nostro Ecclesiastico dilectis Filiis Nostris, & Apostolicæ Sedis de Latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, aliisque Justitiæ Ministris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum Status prædicti quatenus eidem Bonaventuræ, & pro tempore existenti Ministro Generali, seu ab eo causam habentibus prædictis in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes quandocumque ab ipso Bonaventura, & pro tempore existenti Ordinis hujusmodi Ministri Generali requisiti fuerint, pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur.

Preces Ministri Gen.

Prohibitio præd. sub excommunicatione, aliisque pœnis.

Præcipitur dd. Religiosis, ne utantur Breviario sine licentia impresso.

Mandatur locorum Ordinariis, & justitiæ Ministris, ut pœnas infligant.

Clausulæ.

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam in eodem Breviario impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides ubique Locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXI. Novembris MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Declaratur in Constitutione Inn. XI. circa privilegia, & Indulgentias Ordinis Min. S. Francisci de Observ. comprehendi eorumdem Loca Viæ Crucis, seu Calvarii. LXXXV.

Præd. Const. hic refertur, & ed. fuit 1686. Sep. 5. P. 10. Ab hoc Pontifice concessa fuit Indulg. plen. perp. Ecclesiæ S. M. Angelorum Civitatis Assisien. ed. 1695. Aug. 18. P. 5. Et a Clem. XI. alia Indulgentia conceditur Ecclesiis Provin. Romanæ Constit. ed. 1701. Sept. 14. P. 1. Ab Innoc. vero XIII. Const. ed. 1723. Jul. 12. P. 3. confirmantur quædam gratiæ Provinciæ Poloniæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 5. Dec 1696. An. 6.

Ad futuram rei memoriam.

ALias a fel. rec. Innocentio Papa XI. prædecessore Nostro ad preces dilecti Filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura, tunc Commissarii Generalis Curiæ pro familia Ultramontana Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum super confirmatione quarumdam Literarum Apostolicarum eidem Ordini, ejusque Ecclesiis, Confraternitatibus, Domibus, locis, ac omnibus, & singulis utriusque sexus personis obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis Ordinis hujusmodi subjectis circa privilegiorum, Indulgentiarum, & gratiarum concessionem, & communicationem, respective concessarum, emanarunt Literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur videlicet.

Constituti Inn. XI. qu confirmatæ fuere Litera Clem. VIII. Pauli V. Urb VIII. & Successorum circa Privilegia, & Indulgentias.

§. 1. *INNOCENTIUS PAPA XI. Ad futuram rei memoriam.* Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac in Romana Curia pro Ultramontana Familia Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum subjecta Commissarius Generalis, quod privilegia, gratiæ, concessiones, favores, & Indul-

gentiæ, etiam plenariæ, ac pœnitentiarum relaxationes, cæteraque Indulta, Ordinibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Ecclesiis, Locis, Benefactoribus, ac omnibus, & singulis utriusque sexus personis obedientiæ, seu directioni prædicti Ministri Generalis Fratrum Minorum subjectis olim ab Apostolica Sede concessa, seu communicata per plurium Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum Constitutiones, & præcipue per Literas fel. rec. Clementis VIII. incipientes -- *Ratio Pastoralis &c.* Anno 1597. expeditas, ac Pauli V., quæ incipiunt -- *Injuncti Nobis &c.* Anno 1609. concessas, & Urbani VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter Nostrorum incipientes -- *In plenitudinem &c.* Tertio Idus Maji 1625. datas, confirmata, & sub aliquibus modificationibus innovata fuerunt: unde præfatæ utriusque sexus Personæ obedientiæ, seu directioni dicti Ministri Generalis subjectæ, quibus memorata communicatio Privilegiorum, Indulgentiarum, & concessionum, tam inter se, quam cum aliis Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus etiam Jesu, ac Confraternitatibus concessa fuit juxta Clausulas, & præscriptum dictarum Literarum Apostolicarum, & cum restrictionibus in illis appositis, & non aliter ea usæ fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut præmissa firmius subsistant, & conserventur, præfatus Franciscus Commissarius Generalis Curiæ prædictas Clementis, ac Pauli, & Urbani prædecessorum Literas cum Clausulis in eisdem contentis, a Nobis innovari, & omnes aliorum Romanorum Pontificum successorum concessiones ad favorem dictorum Ordinum, Congregationum, Confraternitatum, Locorum, Benefactorum, & aliarum utriusque sexus personarum prædictæ obedientiæ, seu directioni subjectarum expeditas Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsius Francisci Commissarii Generalis Curiæ votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione, quam Vener. etiam Frater Noster Alderanus Episcopus Portuensis ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector eisdem Cardinalibus super præmissis fecit, prædictas Clementis incipien. *Ratio Pastoralis &c.*, ac Pauli, quarum initium -- *Injuncti Nobis &c.*, & Urbani prædecessorum, quæ incipiunt -- *In plenitudinem &c.* aliorumque Romanorum Pontificum successorum Literas super præmissis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocatæ, aut sub aliqua revocatione comprehensæ, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Ordinis prædicti Institutis non adversentur auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus. Non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris 1686. Pontificatus Nostri Anno Decimo -- I. G. Card. Slusius.

§. 2. Postmodum vero pro parte ejusdem Francisci Nobis exposito, quod a nonnullis prætendebatur in præfata communicatione privilegiorum, Indulgentiarum, & gratiarum memoratis personis prædictæ obedientiæ, seu directioni subjectis, sicut præmittitur, concessa minime comprehendi loca, & Ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem; ideoque pro ejus parte Nobis supplicato, ut loca, & Ecclesias hujusmodi ab eadem communicatione minime excludi declaramus: Nos supplicem Libellum Nobis super præmissis porrectum ad Congregationem Venerabilium pariter Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum remisimus pro voto; ipsa vero Cardinalium Congregatio per suum Decretum die 16. Julii 1695. emanatum præinsertis Innocentii prædecessoris Literis perpensis, censuit, si ita Nobis placuisset, prædicta loca, & Ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque Orientis extra Jerusalem esse comprehensa, seu comprehensas in dictis privilegiis, Indultis, & Indulgentiis, servatis tamen in omnibus, & per omnia forma, & tenore earundem Literarum, factaque Nobis subinde per tunc existentem Secretarium memoratæ Congregationis de præmissis relatione, Nos ipsius Congregationis Sententiam approbavimus, prout in dicto Decreto plenius dicitur contineri.

Ab hoc Pontifice approbatum fuit Decretum Congregationis Concilii, qua declaratum fuit in prædd. Literis comprehendi Loca in Oriente.

§. 3. Cum autem, sicut dictus Franciscus Nobis denuo nuper exponi fecit, post Decretum supradictum adhuc nonnulli dubitent, an pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii nuncupata a personis supradictis adinstar Stationum Montis Calvarii vigore diversorum privilegiorum eis ab hac Sancta Sede (ut asseritur) concessorum erecta in communicatione præfata comprehendantur. Nobis propterea idem Franciscus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Franciscum amplioris favore gratiæ prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de secundo dictorum Cardinalium consilio, & attenta relatione, quam dilectus modernus Commissarius Generalis Curiæ dicti Ordinis eisdem Cardinalibus, super præmissis fecit, etiam præfata loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii in supradictis Innocentii prædecessoris Literis comprehendi, ac proinde frui, & gaudere posse Indulgentiis, & privilegiis in Literis hujusmodi concessis, & ex-

Preces Procuratoris Gen., & causa declarationis.

Declaratio pro locis Viæ Crucis, seu Calvarii.

pressis, earum tamen tenore servato, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus; salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die V. Decemb. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LXXXVI.

Revocantur Privilegia a Superioribus Religiosis concessa in Indiis Occident. contra Ordinum, vel S. Sedis Constitutiones.

Clem. X. Const. ed. 1670. Jun. 21. P. 1. declarata fuere nonnulla Privilegia Regularium. Et Clemen. XI. Const. ed. 1719. Sept. 7. P. 19. revocantur privilegia concessa a Nuncio in quibusdam Regnis.

Dat. 12. Jan. 1697. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD pastorale fastigium meritis licet imparibus divina dispositione evecti, in eam præcipue curam solicitis studiis incumbimus, ut Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati juxta laudabilia eorum instituta prospere dirigantur, illiusque firmiter insistentes, lætioribus in dies, benedicente Domino proficiant incrementis; illa proinde quæ regulari ipsorum observantiæ noxia esse noscuntur, opportunæ provisionis nostræ Ministerio evellere satagimus, sicut pia Orthodoxorum Regum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium vota postulant, & Nos omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis felicem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Preces Regis Catholici, & causa revocationis.

§. 1. Cum itaque sicut pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, in quorumdam Ordinum Regularium Provinciis, quæ in Indiis Occidentalibus, & insulis eis adjacentibus eidem Carolo Regi subjectis consistunt, is late invaluerit abusus, ut plurimi Provinciarum hujusmodi Religiosi, Magisterii, aliorumve graduum prærogativis, sive etiam variis exemptionibus, ac gratiis sibi a suis Superioribus, contra, & præter regularia Ordinum prædictorum instituta collatis, seu concessis fruantur non sine gravissimo Religiosæ humilitatis, quam iidem Ordines profitentur, detrimento. Nobis propterea ejusdem Caroli Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Revocatio præd., a quibus eximuntur Privilegia Apost.

§. 2. Nos igitur, qui Regularem disciplinam ubique, adeoque etiam in remotioribus ab eadem Sede partibus vigere, & omnem illius relaxationis viam præcludere summopere cupimus, de opportuno remedio providere, ac piis ipsius Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & quascumque Magisterii, aliorumve graduum hujusmodi prærogativas, necnon cujusvis generis exemptiones, ac gratias quomodocumque nuncupatas quibusvis Provinciarum prædictarum Religiosis cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis, ac cujusvis Ordinis Congregationis, & Instituti existant, quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione contra, & præter Ordinem Congregationum, & Institutorum quorumlibet, Apostolicasve Constitutiones hactenus quoquo modo collatas, seu concessas, sine ullo tamen eorum præjudicio, qui illas sibi a Sede Apostolica conferri, seu concedi obtinuerunt, auctoritate Apostolica tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac in futurum dispositiones Constitutionum hujusmodi inviolabiliter observari præcipimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, aliive quilibet in præmissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, nec causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, seu ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, Ordinum, Congregationum, & Institutorum prædictorum, eo-

rum

rum Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, & Domorum Regularium, aliiſve quibuſvis, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, & Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes; illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die XII. Jan. MDCXCVII. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

XXXVII. Præcipitur Archiepiſcopo Goanen., ac Epiſcopis Meliaporen., Cranganoren., & Coccinen., ut obſervent Clem. X. Conſtitutionem circa juriſdictionem Vicariorum Apoſtolicorum in Oriente.

Simile præceptum factum fuit Archiepiſcopo Goan., aliiſque Conſt. ed. 1696. Oct. 22. Pont. 6. De juriſdictione Vicariorum vide Conſt. ed. 1696. Octob. 23. Pont. 6. Et de electione Vicariorum Foraneorum in America vide Conſtitut. editam 1698. Maii 3. Pont. 7.

...t. 6. Febr. ...97. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

...A Clemen... declara... ...n fuit, dd. ...carios ha... ...re juriſdi... ...onem, & ...ntradicto... ...s incurrere ...communi... ...tionem.

CUM ſicut accepimus licet fel. record. Clemens PP. X. prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis literas, quarum initium eſt: *Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationis opus &c.* die 7. Junii 1674. de particularis Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum ſuper rebus Sinarum deputatæ conſilio emanatas auctoritate Apoſtolica declaraverit Epiſcopos Indiarum, aliarumque partium Orientis, eorumque Miniſtros, & officiales non poſſe, nec debere exercere actus Juriſdictionales ſuper Vicarios Apoſtolicos ad Regna, ſeu Provincias Orientis pro Religionis, & fidei hujuſmodi propagatione ab hac Sancta Sede Apoſtolica miſſos, quippe ejuſdem Sanctæ Sedis Delegatos, eorumque operarios in Provinciis ſibi aſſignatis, ſed iiſdem Vicariis Apoſtolicis dictæ Sedis Delegatis in prædictis Provinciis Juriſdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuiſſet à Congregatione eorumdem Cardinalium declaratum; Ac Contraventores eo ipſo in pœnas excommunicationis, & indignationis Romani Pontificis incurriſſe cenſeri decreverit, & alias prout in eiſdem literis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberius continetur. Nihilominus Venerabiles Fratres moderni Archiepiſcopus Goan. necnon Meliaporen., Cranganoren., & Coccinen. Epiſcopi, ſive potius illorum Miniſtri, & Officiales in Regnis de Idalean., Goleandæ, & magni Mogolis in Indiis Orientalibus, in quibus nuper Venerabilem Fratrem Petrum Paulum Archiepiſcopum Anciran. Vicarium Apoſtolicum cum diverſis facultatibus, & Indultis deputavimus ſub diverſis prætextibus Juriſdictionem exercere prætendant. Hinc eſt, quod Nos ſupradictas Clementis Prædeceſſoris literas ſtricte, & inconcuſſe obſervari, necnon ipſius Petri Pauli Archiepiſcopi, & Vicarii Apoſtolici, ejuſque operariorum quieti, quantum Nobis ex alto conceditur proſpicere cupientes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandæ Fidei negotiis præpoſitæ ſuper rebus earumdem Indiarum Orientalium a Nobis ſpecialiter deputatorum conſilio, eoſdem modernos, & pro tempore exiſtentes Archiepiſcopum Goan., nec non Meliaporen., Cranganoren., & Coccinen. Epiſcopos harum ſerie paterne monemus, eiſque auctoritate Apoſtolica in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut dictas Clementis prædeceſſoris literas, & in eis contenta quæcumque ſub pœnis in literis hujuſmodi expreſſis exacte, & inviolabiliter obſervent, ac obſervari curent, & faciant, diſtricte propterea inhibentes eis, & per ipſos omnibus illorum Miniſtris, & Officialibus, quocumque nomine nuncupatis, ne ſub quovis quæſito colore, prætextu, cauſa, vel occaſione ullos in Regnis de Idalean., Goleandæ, & magni Mogolis ſupradictis Juriſdictionales actus exercere, aut inibi ejuſdem Petri Pauli Archiepiſcopi, ſeu pro tempore exiſtentis in Regnis hujuſmodi Vicarii Apoſtolici, ejuſque operariorum Juriſdictionis exercitium impedire audeant quovis modo, ſeu præſumant, donec aliter a prædicta Congregatione Cardinalium fuerit ordinatum.

Prædd. Ordinarii impedivere juriſdictionem Vicarii in Regnis de Idalean., Goleandæ, & Magni Mogolis.

Cauſæ Præcepti.

Præceptum prædict. cum comminatione pœnarum.

§. 1. Decernentes ipſas præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 2. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſvis, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Februarii MDCXCVII. Pontif. noſtri Anno Sexto.

LXXXVIII Confirmantur, & innovantur Constitutiones Clem. X., & Inn. XI. de transitu Benedictinorum Congregationis S. Mauri in Gallia ad alios Regulares.

Const. Clem. X. ed. fuit 1672. Sept. 19. Et Constit. Inn. XI. 1683. Aug. 17.

Dat. 18. Mar. 1697. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Epilogus Constitutionis Clemen. X. qua interdicitur sine licētia præd. transitus sub excommunicationis pœna.

Dudum fel. rec. Clementi PP. X. prædecessori nostro pro parte tunc existentis in Romana Curia Procuratoris Generalis Congregationis Sancti Mauri Monachorum Ordinis S. Benedicti exposito, quod rec. mem. Urbanus PP. VIII. etiam Prædecessor noster dictam Congregationem priùs à similis me. Gregorio PP. XV. Prædecessore pariter nostro in Regno Galliæ erectam, & stabilitam approbaverat, & confirmaverat, illique diversa Privilegia, gratias, & Indulta concesserat; Et licet ab illo tempore eadem Congregatio, divina opitulante gratia, ita profecisset, ut sibi ducenta circiter Monasteria ejusdem Ordinis profitentium, & Altissimo cum summa Populorum ædificatione, & spirituali omnium consolatione famulantium numerus reperiebatur, aggregavisset, nihilominus nonnulli dictæ Congregationis Monachi, quo spiritu ducti nesciebatur, prætextu tamen arctioris vitæ ducendæ ad Monasterium B. Mariæ de la Trappe Cistercien. Ordinis Sagien. Diœcesis, minime petita, vel saltem non obtenta suorum Superiorum licentia, se transferre satagebant, & cum effectu transferebant, ex quo quamplura scandala, Monachorum instabilitas, & furtive extra Monasteria divagationes succedebant ac Regularis observantia, sanctaque obedientia confundebatur. Idem Clemens prædecessor supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, de tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Monachos prædictæ Congregationis Sancti Mauri expresse professos ad quemcumque alium Ordinem, & Monasterium, seu alium regularem locum cujusvis alterius Ordinis, seu Congregationis etiam Carthusianorum, & præsertim Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe prædictum, animo se se illi associandi, seu incorporandi, sine expressa tunc, & pro tempore existentis Superioris Generalis ejusdem Congregationis Sancti Mauri licentia nullo modo se transferre posse, ac contrafacientes, scilicet tam recipientes, quam receptos excommunicationis latæ sententiæ pœnam, a qua non nisi ab ipso Clemente Prædecessore, seu Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo constituti, ullatenus absolvi possent, ipso facto absque alia declaratione incurrere, auctoritate Apostolica decrevit, statuit, & declaravit, & alias, prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 19. Septemb. 1672. expeditis plenius continetur. Ac subinde piæ me. Innocentio PP. XI. Prædecessori pariter nostro pro parte dilecti filii Gabrielis Flambart dictæ Congregationis Sancti Mauri in eadem Curia tunc Procuratoris Generalis similiter exposito, quod non attenta prædictorum Clementis Prædecessoris literarum dispositione dilectus etiam filius Alexius Gendrier Monachus expresse professus ejusdem Congregationis Sancti Mauri non petita, minusque obtenta a suo Superiore Generali (quem tamen in eodem Monasterio, unde egressus erat, præsentem habebat) licentia, ad ordinem Eremitarum Camaldulensium die circiter 8. Martii tunc proxime præteriti se transtulerat, & in illo tunc vivebat, in grave dictæ Congregationis præjudicium, & scandalum, ac propterea pro parte dicti Gabrielis Procuratoris Generalis, quo similibus malis obviari posset, eidem Innocentio Prædecessori humiliter supplicato, ut prædictum Alexium Gendrier nulliter ad dictum Ordinem Camaldulen. transivisse, ipsumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia ad Monasterium, ex quo egressus erat, reverti cogendum esse declarare, ac pro abundantiori cautela, & inhærendo supradictis Clementis Prædecessoris literis, quod in posterum nullus Monachus prædictæ Congregationis Sancti Mauri ad eumdem Ordinem Camaldulensium vitam Eremiticam agentium, necnon Fratrum Sancti Francisci de Paula Minorum nuncupatorum, Carthusianorum, seu quemcumque alium Ordinem aut Congregationem quamcumque etiam speciali expressione, & denominatione dignam, & præsertim ad supradictum Monasterium de la Trappe, absque expressa, & in scriptis obtenta licentia prædicta transire, aut in eisdem recipi posset decernere, & in reliquis contenta in prædictis Clementis prædecessoris literis adamussim observari mandare dignaretur. Idem Innocentius prædecessor ipsius Gabrielis Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volens, de memoratorum Cardinalium consilio, attentis narratis circa præmissa servandam esse prædictam Constitutionem memorati Clementis prædecessoris, etiam quoad Eremitas Camaldulenses, Fratres Minimos S. Francisci de Paula, & alios quoscumque ordines speciali nota dignos, & prædictum Alexium Gendrier per censuras Ecclesiasticas esse compellendum ad redeundum ad prædictam Congregationem S. Mauri eadem auctoritate decrevit, & declaravit, ac statuit, & ordinavit, & alias, prout ipsius Innocentii prædecessoris literis etiam in forma Brevis die 17. Augusti 1683. desuper emanatis, quarum, & prædictarum Clementis prædecessoris literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

Epilogus Constitutionis Innoc. XI., qua præcipitur executio Constitutionis Clem. X.

Preces Procuratoris Gen., & causa Confirmationis.

§. 1. Cum autem sicut dilectus pariter filius Claudius Estiermot dictæ Congregationis Sancti Mauri in Curia prædicta Procurator Generalis, Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus Abbas memorati Monasterii de la Trappe, nulla earumdem literarum habita ratione, quosdam Congregationis hujusmodi Monachos renuentibus illius Superioribus, in Monasterio prædicto ad novitiatum admiserit, unde gravia eidem Congregationi enasci possunt detrimenta. Nobis propterea dictus Claudius Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio, & innovatio Constitutionum Clem. X., Inn. XI.

§. 2. Nos igitur ipsum Claudium Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas Clementis, & Innocentii prædecessorum literas, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus

fortiri,

sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis, & Innocentii prædecessorum literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVIII. Martii MDCXCVII. Pontificat. Nostri Anno Sexto.

XXXIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Regul. circa abrogationem Discretorum Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Constit. ed. 1696. Mar. 16. P. 5. præcepta fuit vita communis. Et Const. ed. 1698. Aug. 9. P. 8. agitur de interventu Discretorum in Capitulis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

.23. Mar. 7. An. 6.

Ad futuram rei memoriam.

s inter cretos, & curato- Gen., ac er ea De um Con- gationis primis.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Curia Avenionen. inter dilectos filios Josephum Bellisen. Procuratorem Generalem Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & Discretos, & alios particulares Presbyteros ejusdem Congregationis ex altera partibus vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: In Causa Avenionen. vertente inter Patrem Josephum Bellisen. Procuratorem Generalem Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & PP. Discretos, & alios particulares Presbyteros ejusdem Congregationis partibus ex altera. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Carpineo ejusdem Sacræ Congregationis Præfecto, censuit, & declaravit, Decretum Capituli Generalis super abrogatione Discretorum non sustineri. Romæ 25. Maji 1696. G. Card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. A. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

eces Dif- orum, umque.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte dictorum Discretorum, ac aliorum particularium Presbyterorum Nobis nuper expositum fuit ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Congregationis, Doctrinæ Christianæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIII. Mar. MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

XC.

Confirmantur Indulgentiæ perpetuæ a Paulo V concessæ Congregation. antiqui Rigoris Ord. Præmonstraten.

Laudata Const. ed. fuit 1606. Oct. 19. Et Ben. XIII. Const. ed. 1729. Jul. 11. P. 6. extat Indulgentia plen. perp.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 20. Apr. 1697. An. 6.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Vicarius Generalis Communitatis, sive Congregationis *Antiqui Rigoris* nuncupatæ Ordinis Præmonstraten., quod dudum felic. record. Paulus Papa V. Prædecessor noster, volens universum Ordinem prædictum, ejusque Religiosos spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, supplicationibus quoque tunc existentis Abbatis Monasterii Sanctæ Mariæ ad Nemus dicti Ordinis in Lotharingia Vicarii Generalis ejusdem Ordinis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & singulis Christifidelibus, qui pœnitentes, & confessi die festo S. Norberti Sacrum Missæ Sacrificium fecissent, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, plenariam. Ac Religiosi prædicti Ordinis, qui reformationem a Capitulo Generali anni 1605. statutam recepissent, ac præsertim Regulæ, quæ incipit, *Sicut pascimini ab uno Cellerario, sic induamini ab uno Vestiario*, prorsus obtemperassent, etiam plenariam: Necnon qui reformationem, quæ Referuntur prædd Indulgentiæ, videl. 7. Plenariæ.

tunc Dei gratia in eodem Monasterio S. Mariæ ad Nemus florebat, in aliud Monasterium invexissent, etiam plenariam: Iis vero, qui reformationem hujusmodi suscepissent, in articulo mortis, vel magno vitæ periculo constituti Jesus, & Mariæ nomina invocavissent, corde saltem, si ore non potuissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit. Insuper eisdem Christifidelibus, qui opere, vel consilio reformationem dicti Ordinis promovissent decem annos: Item omnibus, qui pro Romano Pontifice, vel instauratione ejusdem Ordinis Psalmum *Miserere*, vel ter *Orationem Dominicam*, & toties *Salutationem Angelicam* recitassent, pro qualibet vice decem dies. Qui vero diebus festis Transfigurationis Domini, B. M. Virginis, S. Joannis Baptistæ, ac festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Rosarium ejusdem B. M. Virginis pie recitassent, & pro conversione peccatorum ad pœnitentiam oravissent, præsertim conversione malorum Religiosorum ad Regularem observationem, Indulgentiam tertiæ partis peccatorum: Necnon qui se spiritualibus exercitiis excolendos tradidissent in Domo aliqua dicti Ordinis, aut alibi, facultate ab aliquo Prælato obtenta, viginti annos: Qui vero octo dies in prædicto Cœnobio S. Mariæ commorantes, atque ad Leges, & praxim Disciplinæ ejusdem Monasterii sese conformantes, prævia Sacra Confessione, Sacram Communionem suscepissent, etiam viginti annos, & totidem quadragenas; Rursus, qui professionem suam renovassent, cum proposito eam diligenter observandi, dimidiæ partis peccatorum suorum Indulgentiam pro prima vice, deinceps vero, qui singulis annis semel, septem annos: Qui dimidium horæ quotidianæ meditationi rerum Divinarum dedissent, quadraginta dies pro unaquaque die: Qui adversa valetudine laborantes proposuissent reliquum vitæ suæ in reformatæ vitæ Cœnobio transigere, & postquam convaluissent re ipsa præstitissent decem annos, & totidem quadragenas: Qui examinandæ semel quaque die conscientiæ per quartam circiter horæ partem pie incubuissent, centum dies: qui Matutinarum Officium media nocte decantassent decem dies toties quoties fecissent: qui vero solemnibus ejusdem B. M. Virginis Privilegiis jejunassent, centum dies toties quoties jejunavissent; Et ulterius, qui aliquem ex Religiosis Ordinis supradicti, seu alterius ad capessendam reformationem induxissent, septem annos, & totidem quadragenas; necnon qui lectioni, quæ dum mensæ accumbitur, continuatim, piam operam dedissent, sive legendo, sive audiendo triginta dies: Quoties vero in Seminario dicti Ordinis, quod a Sancto Nicasio nomen habet, studiorum gratia, vel negotio pietatis commorantes, singulis hebdomadis semel Sacramentum Confessionis, & Eucharistiæ frequentassent, toties decem annos: Insuper qui pro lineis lanea indusia gestavissent, & nonnisi vestiti nocte somnum capere decrevissent, triginta annos; Denique omnibus, & singulis, qui pro suscepta, aut defensa reformatione dicti Ordinis injuriam aliquam, vel ignominiam tulissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit, & alias prout in ipsius Pauli Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 19. Octobris 1606. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, plenius dicitur contineri.

16. non plenariæ.

Preces Vicarii Gen.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Vicarius Generalis præmissa, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Vicarii Generalis votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac felicibus ejus Congregationis incrementis optime consultum esse cupientes, ipsumque Vicarium Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon præfatarum Pauli Prædecessoris Literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto habente, supplicationibus ejusdem Vicarii Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones a memorato Paulo Prædecessore, sicut præmittitur in perpetuum concessas, ac desuper expeditas ejus Literas prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium itidem perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio relatarum Indulgentiarum, & Constitutionis Pauli.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDCXCVII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

XCI.

Confirmatur Decretum Congregat. Regul. quo declaratur in Constitutione Alex. VII. de Privilegiis Provinciarum Reformatorum Strictior. Observ. in Hispania, & Indiis Occidental. comprehendi Provinciam Arrabidæ in Lusitania.

Laudata Const. ed. fuit 1665. Nov. 15. Et Constit. ed. 1700. Jun. 14. P. 9. agitur de primatu super FF. Erem. S. Augustini.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 4. Maj 1697. An. 6

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Antonii a Præsentatione Ministri Provincialis Provinciæ Arrabidæ in Lusitania Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ Reformatorum, seu Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Ven. Fratr. nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod cum alias tunc existentes Fratres Provinciarum in Hispania, & Indiis consistentium dicti Ordinis fel. rec. Alexandro Papæ VII. Prædecessori nostro exponi fecissent, quod dudum rec. mem. Gregorius XIII. Prædecessor pariter noster diversa privilegia Fratribus Reformatis Provinciarum S. Josephi, & S. Joannis Baptistæ in Hispania consisten. Strictioris Observantiæ hujusmodi concesserat, quæ præsertim respectu

Epilogus d Constitutionis, ex qu constat dict Privilegia primo concessa fuisse Provinciis Josephi, & Joan. Baptistæ in Hispania.

Fratrum de Observantia a simil. me. Clemente VIII., & Urbano VIII, Romanis Pontificibus, etiam Prædecessoribus nostris confirmata fuerant; Provinciæ vero Fratrum Reformatorum Strictioris Observantiæ hujusmodi ad numerum duodenarium cum Divini cultus augmento crevisse tunc reperiebatur, ac propterea dicti exponentes privilegia prædicta omnibus Provinciis Reformatis supradictis suffragari debere ab ipso Alexandro Prædecessore declarari summopere desiderabant; Idem Alexander Prædecessor illorum supplicationibus sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, privilegia memoratis Provinciis S. Josephi, & S. Jo. Baptistæ, ut præfertur, concessa, & confirmata reliquas omnes Provincias Fratrum Reformatorum, seu Discalceatorum Strictioris Observantiæ hujusmodi in Hispania, & Indiis consistentes comprehendere, eisque in omnibus, & per omnia suffragari debere declaraverat, & alias prout in ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 5. Novembris 1665. expeditis uberius dicebatur contineri. Et in eadem expositione subjuncto, quod licet in dictis Alexandri Prædecessoris literis solum facta fuerit mentio Provinciarum in Hispania, & Indiis consistentium, sub nomine tamen Provinciarum Hispaniæ, etiam Provinciæ Lusitaniæ comprehendebantur; easque sub nomine hujusmodi comprehensas intelligi ex binis piæ me. Gregorii PP. XV. Prædecessoris pariter nostri in eadem forma Brevis emanatis Literis, in quibus dictæ Arrabidæ, & aliæ, quæ in Lusitania existunt Provinciæ dicti Ordinis inter alias Hispaniarum Provincias ejusdem Ordinis recensentur, apparebat, immo ad ipsum ex prædictis Alexandri Prædecessoris literis colligi videbatur, ea ratione, quod nisi Arrabidæ, & aliæ Lusitaniæ Provinciæ prædictæ sub nomine Provinciarum Hispaniæ, & Indiarum hujusmodi, ad quarum favorem dictæ literæ emanaverant, comprehenderentur, dictus duodenarius Provinciarum Reformatarum numerus minime subsisteret, cum tunc temporis duodecim Provinciæ hujusmodi in Hispania, & Indiis prædictis non reperirentur, prout ex authenticis Instrumentis eidem Congregationi Cardinalium exhibitis constare dicebatur. Insuper fundatio dictæ Provinciæ Arrabidæ tempore S. Petri de Alcantara initium habuisse, & anno 1561. uno videlicet, & amplius sæculo priusquam dictæ Alexandri Prædecessoris literæ emanarent, absoluta fuisse reperiebatur, ipsaque Provincia in ordine antiquitatis, & collocationis Provinciarum per Constitutiones Generales dicti Ordinis, & in quadam earum compilatione relato tertia numerabatur, atque adeo dubium non erat, quin eadem Arrabidæ Provincia una esset ex illis decem, ad quas dicta Privilegia, sicut præmittitur, extensa fuerant; Unde Superiores Generales dicti Ordinis pro tempore existentes ipsam Arrabidæ, & reliquas Provincias hujusmodi in eorumdem privilegiorum fruitione, uti sub illorum extensione comprehensas, inconcusse semper conservaverant; Ideoque pro parte ejusdem Antonii Ministri Provincialis præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut dictam Provinciam Arrabidæ sub præfata privilegiorum extensione comprehensam esse, ipsisque privilegiis gaudere debere declarare dignaretur. Emanavit a prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminorum, & Rmorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Ministro Generali prædicti Ordinis, & attentis narratis, censuit, ac declaravit, præfatam Provinciam Excalceatorum Arrabidæ esse comprehensam in enunciato Brevi extensivo S. M. Alexandri VII. Rom. 14. Martii 1697. G. Card. Carpineus. M. Archiepiscopus Athenarum.

[left margin: ...tiones pro ...mprehen... ...ne Pro... ...ciæ Arra... ...dæ in ...nst. Alex. ...III.]

[left margin: ...ecretum ...ngreg. ... dicta ...nprehen... ...e.]

Preces Ministri Provincialis.

§. 1. Cum autem sicut dictus Antonius Minister Provincialis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Antonio gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die IV. Maji MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

XCII.

Eduntur quædam Decreta circa modum concedendi Habitum Magnæ Crucis ad Honores in Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani.

Inn. XI. Const. ed. 1686. Jun. 25. P. 10. concessa fuit Magno Magistro facultas circa receptionem Fratrum. Alex. VIII. Const. ed. 1690. Aug. 5. P. 1. agitur de Ærario Hospitalis. Et Clem. XI. Constit. ed. 1711. P. 11. de jure trium Navium Bellicarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 11. Maji 1697. An. 6.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini Divina dispositione præsidentes, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum quorumcumque, & præsertim Ordinum Militarium egregiam Reipublicæ Christianæ operam navantium, provide, prudentique distributioni libenter consulimus,

ficut rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Epilogus cujusdam Chirographi Magni Magistri, in quo

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus Magnus Magister Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quod cum ab ipso Magni Magisterii sui primordio ad varios abusus, quos in eodem Hospitali præsertim circa nimis frequentes dignitatum Magnæ Crucis, ut vocant ad Honores, tantum collationes irrepsisse compererat, corrigendos animum intendisset, dilectique etiam filii Bajulivi Conventuales, & alii Consiliarii ipsius Hospitalis enixe ab eo petiissent, ut opportuna aliqua ratio iniretur, qua immoderatæ dictas dignitates ambientium cupiditati aditus præcluderetur, ipse Magnus Magister die 15. Februarii proximi præteriti consilium completum status nuncupatum dicti Hospitalis convocari fecit, in eoque quoddam Chirographum manu sua subscriptum exhibuit, & legi curavit, per quod videlicet notum fecit, & declaravit per Statuta, seu stabilimenta, & Ordinationes Capitulares ejusdem Hospitalis auctoritate Apostolica confirmatas dictas dignitates Magnæ Crucis certo, ac præfinito personarum propter earum antianitatem, merita, & rerum perititia Judicum, & Consiliariorum muneribus fungi capacium numero dumtaxat deferri debere; Multitudinem vero illorum, qui dignitatem, seu habitum Magnæ Crucis hujusmodi ad honores tantum ex gratia assecuti sunt, non multis abhinc annis supra modum excrevisse, indeque politicæ dicti Hospitalis administrationis rationem, & rectum Justitiæ Ordinem perturbari, ac evidentia Conventui ipsius Hospitalis, & communi illius ærario præjudicio inferri; Præceptores siquidem, seu Commendatarii ejusdem Hospitalis, qui dignitates Magnæ Crucis hujusmodi suorum servitiorum, meritorum, antianitatis, ac sexaginta forsan, & amplius annorum ætatis intuitu consequi, & obtinere sperabant, dum Juvenes tam in Consiliis, quam in honoribus sibi præferri vident, id ægre ferentes Conventum prædictum deserunt, ac erga dictum Hospitale male affecti se se ad suas præceptorias, seu commendas, vel in Patriam recipiunt, illisque ibi morientibus, ipsorum bona ab eorum consanguineis, vel famulis occupantur, atque ita dictus Conventus illorum Residentiæ commodis, & honorificentia privatur, necnon Consiliorum ope destituitur: præfatum vero commune ærarium eorum Spoliis fraudatur; Porro ejusmodi perturbationum, ac incommodorum, necnon quæ inde suboriri possunt, majorum periculorum gravitatem ipsius Magni Magistri prædecessoribus adeo notam, & perspectam fuisse, ut qui illam propulsarent, diversis temporibus plura Decreta ediderint, variosque ad hanc S. Sedem recursus habuerint, idque ex registris Cancellariæ prædicti Conventus constare, optima tamen consilia, & conatus hujusmodi, cum minus valide promoverentur inter contrarios magis, magisque obrepentes abusus oppressa, irritaque, & inania remansisse; nullum proinde opportunius tot, tantisque malis remedium adhiberi posse, quam nostra, & hujus S. Sedis auctoritate statuendo, ut nullus imposterum ex Præceptoribus, seu Commendatariis, aliisve quibuslibet Fratribus Militibus dicti Hospitalis Habitu Magnæ Crucis hujusmodi ex gratia decorari valeat, nisi duo millia duplarum Hispaniarum in majores ipsius Hospitalis necessitates erogandarum seu justum earum valorem communi ærario prædicto, quod ob magnas expensas pro Christianæ Religionis tuitione contra communem illius hostem factas, ac Bella Europæ, aliasque temporum calamitates exhaustum reperitur, persolverit; Præterea Nobis supplicandum esse, ut in eventum, quo deinceps eidem moderno, & pro tempore existenti Magno Magistro dicti Hospitalis facultatem tradendi, seu tradi faciendi quibuslibet Præceptoribus, seu Commendatariis, aliisve Fratribus Militibus supradictis habitum Magnæ Crucis hujusmodi ad honores tantum a Nobis, & Sede prædicta concedi quandocumque contingat, literæ Apostolicæ desuper expediendæ non amplius ipsi soli Magno Magistro, sed etiam consilio memorati Hospitalis conjunctim dirigantur, neque alias traditionis habitus hujusmodi gratiam effectum sortiri patiamur, nisi quatuor saltem ex quinque partibus suffragiorum ipsius Consilii in id concurrerint. Quo Chirographo perlecto omnes, qui ad Consilium supradictum convenerant, prævio suffragiorum scrutinio, omnia, & singula, in Chirographo hujusmodi contenta approbarunt, ac executioni demandanda esse decreverunt. Quare dictus Magnus Magister Nobis humiliter supplicari fecit, in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Referuntur causæ dd. Decretorum.

Decretum unum de concessione d. habitus post solutionem 2000. duplarum Hispaniarum.

Decretum alterum de concessione dicti Habitus cum consensu Consilii Status facienda.

Confirmatus fuit d. Chirographus a Consilio præd.

Preces Magni Magistri.

§. 2. Nos igitur ipsius Magni Magistri votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut nullus de cætero Præceptor, seu Commendatarius, aliusve quilibet frater Miles Hospitalis prædicti habitu Magnæ Crucis ad honores tantum, & honoris causa vigore quarumcumque facultatum a Nobis, & Sede prædicta deinceps ad id concedendarum decorari valeat, nisi duo millia duplarum Hispaniarum, sive justum earum valorem communi ærario ejusdem Hospitalis vere, realiter, & cum effectu persolverit, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus; Ipsas vero facultates, quas super traditione habitus Magnæ Crucis hujusmodi, sive ipsi soli pro tempore existenti Magno Magistro, sive ei, & consilio Hospitalis hujusmodi conjunctim a Nobis, & eadem Sede in futurum concedi contigerit, non alias effectum suum sortiri debere, nisi concurrentibus, & concordantibus quatuor ex quinque partibus suffragiorum eorum, qui tunc in eodem Consilio præsentes aderunt, & jus ferendi suffragii habebunt, eadem auctoritate harum serie decernimus, & mandamus.

Decreta duo prædd. auctoritate Apost. edita.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam speciali nota, & expressione digni illis non consenserint, nec ad illa vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex quavis alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illa quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato, vel etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine concesso quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas

teras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Magnum Magistrum, & Consilium, ac quævis Tribunalia Hospitalis prædicti, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Hospitalis, ejusque Linguarum, & Prioratuum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis, respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annul. Pisc. die XI. Maii MDCXCVII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

XCIII.

Confirmatur Constitutio Alexandri VII. contra Religiosos Capuccinos transeuntes ad aliam Religionem.

Præd. Constitutio ed. fuit 1664. Dec. 17. Et hujus Pontificis Const. ed. 1698. Oct. 10. P. 8. agitur de eorum transitu ad alias Religiones.

. 12. Junii 7. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

cordium.

EX injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad conservandam Religiosorum Ordinum eximiæ pietatis, & arctioris disciplinæ meritis conspicuorum existimationem provide emanasse noscuntur, ut firmiora sint, & serventur exactius Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus, illisque, ne temerario cujusquam ausu violentur, novas sanctiones adjungimus, sicut in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Alias siquidem pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum fe. rec. Alexandro PP. VII. Prædecessori nostro exposito, quod nonnulli e dicto Ordine ad alias Religiones transibant, assumptoque in illis habitu Regulari, ad quas Provincias, in quibus habitum prædicti Ordinis Fratrum Capuccinorum publice gestaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illico habitum se conferebant, & ad tegendas, seu deferendas proprias imperfectiones ejusdem Ordinis Fratrum Capuccinorum famam multis imposturis lacerare non verebantur, cum gravi Sæcularium scandalo, bonique nominis d. Ordinis detrimento; Idem Alexander Prædecessor supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ne cætero quisquam, qui e memorato Ordine Fratrum Capuccinorum post emissam in illo professionem Regularem ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet transivisset, in ea Provincia, in qua professionem hujusmodi emisisset, ac habitum eorumdem Fratrum Capuccinorum publice gestavisset, habitare, seu commorari auderet quovis modo, vel præsumeret auctoritate Apostolica prohibuit, & interdixit, & alias prout in ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 17. Decembris 1664. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Epilogus Constitut. præd. qua interdictum fuit dd. Religiosis commorari in eadem Provincia.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Modernus Vice-Procurator Generalis d. Ordinis nobis nuper exponi fecit præfati Alexandri Prædecessoris Literæ, quia nullius pœnæ inflictione, seu comminatione vallatæ reperiuntur, iique, qui interdum e dicto Ordine ad aliam Religionem transeundi licentiam ab hac S. Sede sibi concedi obtinent, illis per literas Apostolicas, quæ super licentia hujusmodi expediri solent, uti posteriores vigore clausularum derogatoriarum in eis appositarum, derogatum esse prætendunt, minus accurate serventur, non sine notabili honoris dicti Ordinis præjudicio. Nobis propterea dictus Vice-Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Vice-Procuratoris Gen., & causa confirmationis.

§. 3. Nos igitur ipsius Vice-Procuratoris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, supradictas Alexandri Prædecessoris literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; necnon omnes, & singulos, tam Religiosos, qui literis hujusmodi contravenerint, quam Superiores, qui illos in aliqua Provincia contra earumdem literarum dispositionem collocaverint, seu retinuerint, eo ipso privationis vocis activæ, & passivæ pœnam absque alia declaratione esse declaramus.

Confirmatio Constitutionis Alex., & pœna in contravenientes.

Clausulæ. §. 4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, neque ipsis præsentibus per quascumque clausulas generales, nisi facta illarum speciali, & individua mentione, ullo modo derogatum censeri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Cameræ Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ dictus Alexander Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XII. Junii MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

XCIV. Erigitur Oppidum Blesen. in Civitatem, ejusque Ecclesia S. Solemnis in Cathedralem.

Const. ed. 1694. Maii 16. P. 3. extat erectio Episcopatus Alesien. Nemausien. Diœcesis. Et Benedict. XIII. Const. ed. 1728. Nov. 15. P. 5. erectio Episcopatus Fabriani.

Dat. 25. Junii 1697. An. 6.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN Sacra Beati Petri Sede meritis licet imparibus, ita Patre luminum disponente collocati, ad agrum, gregemque Dominicum nostræ commissum curæ solicita mentis acie circumspicientes in iisque ejusdem agri multiplicatis illius cultoribus exactiorem culturam, gregisque majorem fecunditatem profutura esse dignoscimus opem, ac operam nostram libentissime impartimur, præsertim dum sublimium, & excelsorum Regum vota id exposcunt, consideratisque locorum, personarum, & temporum qualitatibus id expedire animadvertimus.

Causæ d. erectionis, & Laudes Oppidi Blesensis. §. 1. Hinc est, quod Nos pro Pastorali nostro Officio, & omnium Ecclesiarum solicitudine provide considerantes Diœcesem Carnotensem tam in longitudine, quam in latitudine amplissimam, Regionemque Blesensem Populorum, & Incolarum copia valde refectam a Civitate Carnoten. esse adeo remotam, ut unicus Pastor tanta animarum multitudine ea, qua par est diligentia regere minime possit, præcipue cum earum major pars consoveri, firmari, & consolidari necesse habeat in vera, & Orthodoxa Fide Catholica, ad quam divina favente gratia, atque applicatione, & cura Charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum Regis, qui suorum Subditorum saluti semper intentus solum Dei cultum, ejusque Orthodoxam legis Observantiam, S. Matris Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, hæreticorumque conversionem præ oculis habet, non ita pridem feliciter conversa est, æquissimum esse remedium duxit Regiones Blesensem, & Vindocinensem, ac partem, seu certam portionem Regionis Dunensis duabus regionibus prædictis contiguam a Diœcesi Carnoten. separare, & dismembrare, Oppidumque Blesense situm in Provincia Aurelianen. ad Ripam fluvii Ligeris maris undique cinctum, quod olim fuit Comitum Blesensium Sedes, & deinde Regum Franciæ, ac modo satis conspicuum bis mille circiter Domus, & supra decem millium Incolarum continens, Urbis Præfecto, & Regio Castro multiplicique cura, seu jurisdictione Prætoris quem *Balliviatum* vocant decoratum, constans quoque Virorum, & totidem Sanctimonialium Conventibus, duabus Collegiatis Ecclesiis, in quarum altera Sancto Salvatori dicata quinque dignitates, duodecim Canonicatus cum præbenda, & triginta duæ Cappellaniæ cum proventibus, redditibus, & in eodem Oppido, ejusque suburbiis adsunt sex Parochiales Ecclesiæ, inter quas insignior est illa Sancto Solemni Sacra, sumptis, & expensis dicti Ludovici Regis noviter reædificata, pulchræ, & satis elegantis structuræ, tredecim Cappellis cum aliis tribus nondum terminatis, Campanile cum tribus Campanis, Cæmeterio, Fonte Baptismali, ac Choro cum quadraginta duabus sedibus, & navi populorum capace ornata, & decorata, sacraque, ac profana suppellectili ad divina peragenda, non tamen Pontificalia exercenda utcumque instructa, in Cathedralem, ibique Sedem Episcopalem erigere, & collocare, præficiendo ei novum Episcopum, qui tum verbo, tum exemplo boni operis Incolas illorum finium magisque in vera Fide confirmaret.

Preces Ludovici Regis Franciæ. §. 2. His igitur aliisque de causis animum nostrum moventibus, re prius in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium rebus Consistorialibus præposita sub die 19. Julii, & septima Septembris Anni Domini millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti, vigesima quarta Januarii, & vigesima quarta Maii currentis Anni mature discussa piis ejusdem Ludovici Regis desideriis annuere volentes, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu dictum Oppidum Blesense, necnon Districtus, & territoria integra Archidiaconatuum Blesensis, & Vindocinensis, ac certam partem, seu portionem Archidiaconatus Dunensis per Venerabilem Fratrem Nostrum Episcopum, & dilectos filios Capitulum, & Canonicos Carnoten. designata, & delineata cum omnibus suis confinibus, & terminis, quæ in latitudine, & longitudine per sexaginta milliaria Italica se extendunt, & intra quæ centum, & nonaginta duæ Parochiæ, octoginta millia fidelium complectentes, numerantur, ab ordinaria jurisdictione dicti Episcopi Carnoten. de ejus, ac illius Capituli Cathedralis expresso consensu, a qua auctoritate separamus, dismembramus, segregamus, & dividimus, illudque, ac ejus Clerum a moderno, & pro tempore existentis Episcopi Carnoten. superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione, ac quibusvis aliis juribus Episcopalibus prorsus, & omnino eximimus, & liberamus, ac Oppidum prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine, ac titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem Blesensem nuncupandam erigimus, & Parochialem Ecclesiam S. Solemnis in dicto Oppido Civitate nuncupatam existen. in Cathedralem Ecclesiam sub invocatione S. Ludovici pro uno Episcopo Blesen. nuncupando, qui illi præsit, ac ipsam Parochialem Ecclesiam ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat,

Separatio Regionis Blesen. Vindocinen., & Dunen. ex parte a Diœcesi Carnoten.

Erectio Oppidi Blesen. in Civitatem & Ecclesiæ S. Solemnis in Cathedralem sub honore S. Ludovici.

necnon

necnon Ecclesiasticam Jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem omniaque alia, & singula, quæ Ordinis, jurisdictionis, & cujusvis alterius muneris Episcopalis sunt, & ad illa, ac Synodi Diœcesanæ, convocationem, & celebrationem spectant, & pertinent exercere, necnon quæ alii Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet facere, & quibus uti solent, & possunt, pariformiter æque principaliter absque ulla prorsus differentia in suis Ecclesia, Civitate, & Diœcesi Blesen. etiam facere, gerere, & exercere, ac uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possit, & debeat, ac pro tempore Archiepiscopo Parisien. jure metropolitico prout ante separationem, & dismembrationem suberat subjaceat cum Mensa, Sede, aliisque Insignibus Episcopalibus, necnon præeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus cæteræ Cathedrales similiter, & pariformiter utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, quomodolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine erigimus, & instituimus, ac eidem sic erectæ, & institutæ Ecclesiæ Blesen ipsum Oppidum sic in Civitatem erectum pro Civitate, necnon districtus, & Territoria duorum Priorum Archidiaconatuum, ac partem, seu portionem ultimodicti Archidiaconatus hujusmodi, ut supra à Diœcesi Carnoten. separata pro Diœcesi, necnon Ecclesias pro Clero, & personas sæculares pro populo de consilio, potestate, & auctoritate paribus, & jam perpetuo concedimus, & attribuimus, & assignamus, Civitatemque, Clerum, & Populum hujusmodi Episcopo Blesen. quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Parisien., pro tempore existen. quoad Metropoliticam Ordinariam jurisdictionem, & superioritatem de similibus consilio, & plenitudine subjicimus.

[Left margin: Diœcesis ...iscopatus ...sen. & ...is subje...o, uti ...us Archie...copo Pa...en.]

§. 3. Et insuper cum Venerabilis Frater Noster Jacobus Antonius Phaliquaux Episcopus Lodonen. Burgi medii vulgo dicti Bourgmoien S. Augustini Canonicorum Regularium, & dilectus Filius Jacobus Franciscus Minot de Mevill Clericus, seu Presbyter S. Launomari respective Monasteriorum S. Benedicti respective Ordinum Oppidi Blesen., & Carnoten. Diœcesis hujusmodi Abbates, seu perpetui Commendatarii ad quæ Monasteria dum pro tempore vacant jus nominandi vigore Concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam, & clar. me. Franciscum I. olim eorundem Francorum Regem initorum ad dictum Ludovicum Regem spectat, & pertinet, & dilectus etiam Filius David Nicolaus de Portier Presbyter Vabren. Diœcesis in Theologica facultate Parisien. licentiatus primus Episcopus Blesen. designatus perpetuus Commendatarius unius S. Joannis Blesen. a Pontis Levii dicti Ordinis S. Benedicti, & alterius Prioratuum simplicium cura, & Conventu carentium S. Felicis de Campiniaco a dicti S. Launomari Monasteriis respective dependen. Commendæ hujusmodi, in quam Jacobus Antonius Episcopus, & Jacobus Franciscus, necnon David Nicolaus, qui Monasteria, & Prioratus hujusmodi ad eorum vitam ex concessione Apostolica respective obtinent, & obtinere consueverunt, in manibus nostris ad præmissorum, & infrascriptorum effectum cesserint. Nosque cessationes hujusmodi duximus admittendas; propterea titulos collativos Monasteriorum Burgimedii, & Sancti Launomari, ac prædictorum, & infrascriptorum Prioratuum ac in eisdem Monasteriis nomina, & denominationes Abbatum usque ad illa nominandi de ejusdem Ludovici Regis consensu Apostolica auctoritate prædicta etiam perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac Mensas Abbatiales Monasteriorum Burgimedii, ac S. Launomari prædictorum, quorum fructus primodicti, videlicet ad trecentos quinquaginta, secundo prædicti vero Monasteriorum hujusmodi ad mille quingentos viginti florenos auri in Libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, & ex quibus primodicti, videlicet quatuor millia, & secundo dd. Monasteriorum prædictorum decem millia, ac ex duorum prædictorum, & trium infrascriptorum Prioratuum sex millia Librarum Turonen. annuatim percipi poterunt, firmis, intactis, ac illæsis remanentibus Monasteriorum prædictorum Mensis Conventualibus a dictis Mensis Abbatialibus separatis, & disjunctis pariter supprimimus, & extinguimus, ac dictarum Mensarum Abbatialium, necnon dictorum duorum Prioratuum, ut præfertur vacantium, & cum primum illos per cessum, & in manibus nostris, aut alterius Romani Pontificis successoris nostri, seu decessum, vel quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, aut privationem, seu aliis quovis modo Commendis in quas illi, ex particulari concessione ad vitam obtineri consueverunt cessantibus unius videlicet de Monstiers Laumen., & alterius de Illou, necnon aliqui Prioratuum etiam cura, & Conventu Caren. Sancti Martini de Montocau dicti Ordinis Sancti Benedicti Carnoten. Senonen., seu alterius respective Diœcesis ab eodem Monasterio S. Launomari respective dependentium fructus, redditus, & proventus cujusvis quantitatis, qualitatis, naturæ, & speciei existant, prævia duorum priorum Monasteriorum, & Prioratuum hujusmodi titulorum collativorum per quam suppressione, & extinctione pro dote, & mensa Episcopali Ecclesiæ Blesen. simili auctoritate perpetuo unimus, annectimus, applicamus, & appropriamus.

[Left margin: Dos, & ...ensa d. E...scopatus ... quibus ...bbatiis, & ...rioratibus.]

§. 4. Ac ad dictam Ecclesiam S. Solemnis futuram, ut præfertur, Cathedralem Sæcularem, & Collegiatam Ecclesiam Sancti Salvatoris hujusmodi cum omnibus, & singulis Dignitatibus, Canonicatibus cum præbendis, Cappellaniis, Anniversariorum fundationibus aliisque honoribus, & oneribus, ac quibusvis aliis juribus, & prærogativis ad eam spectantibus, & pertinentibus transferimus, ac unum Presbyterum, ad quem dictæ Collegiatæ inservientem, ac alium pro tempore deputandum, qui eamdem Ecclesiam S. Salvatoris regat, & gubernet, ac onera dictæ Ecclesiæ Blesen., si quæ illi in posterum incumbent supportet, & adimpleat inter Cappellanos dictæ Ecclesiæ Blesen. locum habere, ac omnibus redditibus, & emolumentis, quibus alii Cappellani ejusdem Ecclesiæ gaudent, & gaudebunt, & gaudere volumus, & mandamus; Capitularem vero Mensam, & Capitulum, necnon quinque Dignitates, seu Personatus in dicta Collegiata Ecclesia S. Salvatoris existen., nempe Decanatum dignitatem principalem, qui animarum, Canonicorum, dignitatum, Cappellanorum, & Ministrorum dictæ Ecclesiæ Blesen. juxta laudabiles consuetudines aliarum Ecclesiarum Cathedralium dicti Regni curam exercebit, Præceptoriam, Subdecanatum, Præposituram, & Thesaurariam, necnon duodecim Canonicatus cum totidem Præbendis, & triginta duas Cappellanias, necnon Anniversaria, aliaque jura, & onera, reservato tamen Decano, & Capitulo dictæ Collegiatæ Ecclesiæ jure, quod eis competit, ut prius conferendi Beneficia in dicta Collegiata Ecclesia, & juxta fundationem erga Cappellanos amovibiles, & eidem Capitulo tanquam Rectori primario deputandi Canonicum, qui certis anni diebus in dicta S. Salvatoris Ecclesia Missas & horarum solemnia peragat, & exequatur, necnon administrandi Sacramenta pro tempore existenti Regi Franciæ, & Sanguinis Princi-

[Right margin: Translatio Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris cum nonnullis Ordinationibus circa Capitulum, ejusque Mensam, & Beneficia.]

bus primariisque Regni Administris in eventum, in quem illos, seu eorum aliquem in dicta Civitate Blesen. commorari contingat, ad sic erectam Cathedralem Blesen. de similibus consilio, & auctoritate, etiam perpetuo transferimus, & sic ipsa Ecclesia Blesen. Prioratum Sancti Solemnis in ejusdem Ecclesiæ Dignitatem sextam, & ultimam futuram, quem modernus, & pro tempore obtinens dictum Prioratum in reliquum Clerum, & Populum dictæ Parochiæ Curam animarum, ut prius exercebit, cum hoc, quod licet dictus Prioratus sit, & esse debeat sexta, & ultima Dignitas in dicta Ecclesia, tamen modernus Prior S. Solemnis prædicti Dignitatis titulo, ut præfertur, decoratus quoad vixerit, & d. suum Prioratum obtinebit secundum locum inter Dignitates, idest immediate post Decanum locum sibi vindicabit, & tam Dignitates quam Canonicatus, & Præbendas hujusmodi tam in Collegiata ex nunc erectos, quam in Cathedrali Ecclesiis pariter erigendos obtinentes Capitulum cum Mensa Capitulari, sigillo, & arca communibus aliisque Insignibus Capitularibus constituant, & apud dictam Ecclesiam Blesen. residere, stallumque in Choro, ac vocem in Capitulo ipsius, necnon in actibus, & functionibus Ecclesiasticis intra, & extra illam ubilibet juxta eorum respective antianitatem receptionis dumtaxat absque ulla alia cujusvis gradus, seu qualitatis distinctione, & in ipsa Ecclesia singulis diebus horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, & Missas servata Ecclesiastica disciplina uniformiter celebrare, & decantare, illisque interesse, ac alias dictæ Ecclesiæ Blesen. in divinis, cæteraque onera injuncta, & pro tempore injungenda subire, & exercere, ac adimplere respective debeant, & teneantur, ac tam in Choro, quam Capitulo, processionibus, & aliis actibus, & functionibus habitus de jure præstari solitos, etiam deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant. Præterea Nos omnimodam jurisdictionem, superioritatem, & auctoritatem in Capitulum, Canonicos, Ministros, & Officiales dictæ Ecclesiæ a jurisdictione, & superioritate Episcopi Carnoten. exemptos, & liberatos, pro tempore existenti Episcopo, & ejusdem Ecclesiæ Blesen. concedimus, & attribuimus, eidemque jus, auctoritatem, & potestatem quæcumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura Beneficia Ecclesiastica quomodolibet nuncupata, & qualificata in Cathedrali, & aliis Ecclesiis Civitatis Blesen., necnon in tota sua Diœcesi Blesen. consistentia, & extra illam, eaque a dictis Monasteriis S. Launomari, & Burgimedii, ac Prioratibus hujusmodi unitis dependere dignoscuntur occurrentibus quovis modo illorum vacationibus, personis idoneis, dummodo tamen Beneficia hujusmodi sub Concordatis prædictis non comprehendantur, pleno jure conferendi, & de illis etiam providendi concedimus, & impartimur.

Assignatio cujusdam Abbatiæ Ecclesiæ Carnoten. ob factam divisionem.

§. 5. Et quia ex distractione, & dismembratione dictæ Ecclesiæ Blesen. a Diœcesi Carnoten. aliqua damna Episcopo, & Capitulo, & Archidiaconis Ecclesiæ Carnoten. inferuntur; Nos ad enixas dicti Ludovici Regis preces Mensam Abbatialem Monasterii Gaudivallensis vulgo de Soyenual Præmonstraten. Ordinis Carnoten. Diœcesis illius Commendam, in qua ex concessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit per obitum Gregorii d'Aubussent de la Fovillade illius ultimi Abbatis Commendatarii extra Romanam Curiam defuncti cessante vacan., & ad quod dum pro tempore vacat, idem Ludovicus Rex vigore Concordatorum prædictorum personam idoneam nominare potest, & debet, salva, & illæsa illius mensa Capitulari remanente, ex quo dicti Ludovici Regis ad id accedente consensu etiam supprimimus, & extinguimus omnes, & singulos d. mensæ Abbatialis Gaudivallensis fructus, redditus, & proventus eidem Ecclesiæ Carnoten., seu illius mensæ Episcopali unimus, applicamus, & appropriamus, ita tamen ut ex fructibus hujusmodi trecentæ libræ Turonen. unicuique ex tribus Archidiaconis Ecclesiæ Carnoten. prædictæ præsentibus, & futuris pro indemnitate suorum Jurium annuatim persolvantur; & casu quo modernus Archidiaconus Dumensis ex nunc distractioni, & dismembrationi partis, seu portionis sui Archidiaconatus consentire, & tali compensationi acquiescere renuerit, seu noluerit; Nos jura, & jurisdictionem ipsius in illa parte seu portione sui Archidiaconatus, ut præfertur, distracta, & dismembrata quandiu vixerit, & Archidiaconatum obtinuerit reservamus, quodque deinceps perpetuis futuris temporibus quandocumque, & quotiescumque eamdem Ecclesiam Carnoten. per obitum illius Episcopi, aut cessionem in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis etiam ex causa permutationis, vel Coadjutoriæ, aut alias quovis modo Pastoris solatio destitui contigerit, omnes, & singuli dictæ Mensæ Abbatialis Gaudivallen. fructus, redditus, & proventus, qui cujuslibet primi anni post singularum vacationem ad Capellanum, Dignitates, & Canonicos dictæ Ecclesiæ Carnoten. distracta prius ex eis summa prædictis tribus Archidiaconis assignata, & supportatis quibusvis aliis debitis oneribus spectent, & pertineant.

Domus Episcopi, & Seminariorum.

§. 6. Et quia in dicta Civitate Blesen. Domus pro Episcopi habitatione constructa non extat; Nos supradicto futuro Episcopo facultatem, & licentiam damus in dicta Civitate Blesen., aut alibi existentes, & ad mensas Abbatiales dictorum Monasteriorum Sancti Launomari, & de Burgomedio spectantes vendendi, alienandi, aut hypothecandi, & ex illis retractum pretium in emptionem situs, & constructionem, & ædificationem Domus Episcopalis hujusmodi construendi, erogandi etiam concedimus, & impartimur; statuimus quoque, ut donec Seminarium ad præscriptum Concilii Trid. institutum fuerit Clericis Sacris initiandi, seu etiam initiati in Seminario Carnoten. educari, & instrui poterunt.

Concessio facultatū Episcopo, & Capitulo.

§. 7. Insuper etiam Episcopo, Dignitatibus, Capitulo, & Canonicis prædictis ut pro Dote Ecclesiæ Blesen. ac illius Mensæ Capitularis, Sacristiæ, & fabricæ, earumque rerum, & bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero, & felici statu, regimine, & gubernio, directione, ac onerum illi incumbentium supportatione, Missarum, horarum Canonicarum, divinorum tam diurnorum, quam nocturnorum Officiorum, processionum funeralium, anniversariorum, & aliorum præfatorum celebratione, ac de dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, aliisque beneficiis, & Ministeriis Ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, admissione, residentia personali distributionum etiam quotidianarum & emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione, & administratione pœnarum per absentes, & divinis suis loco, & tempore non assistentes, seu onera, & ministeria eis incumbentia subire negligentes incurrendarum impositioni singulorum præsentias, & absentias notandi, Ceremoniis, & ritibus in Cathedrali Ecclesia, Choro, Capitulo, Processionibus, & aliis actibus servatis servandis, & Ministris dictæ Ecclesiæ Blesen. necessariis deputandis, & amovendis, salariis, & stipendiis eorum cuilibet assignandis, & quibusvis rebus in præmissis, & circa ea quomodolibet necessariis & opportunis quæcumque Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta, licita tamen, & honesta, & Sacris Canonibus, præsertim vero Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non contraria condendi, & edendi, ac condita, & edita pro tempore, & rerum varietate, & qua-

litate

litate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, & in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi, & edendi, & per eos, ad quos pro tempore spectabit sub pœnis in contravenientes statuendis, observari faciendi; plenam, liberam, & omnimodam facultatem etiam concedimus, & impartimur; necnon Episcopo, ut præfertur, ac Dignitates in prædicta Ecclesia Blesen. obtinentibus, ac Capitulo; & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, aliisque Capituli, & Ecclesiæ hujusmodi personis, & Ministris pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, Indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii, qui & aliarum Ecclesiarum Dignitates obtinentes Capitula, & Canonici, aliæque Civitates, & Diœceses ac eorum Cleri, Incolæ, & habitatores, eorumque res, & bona fruuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, & quoad habitus delationem, ut præfertur uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, concedimus, & indulgemus: ac eidem Ludovico, ejusque successoribus Franciæ Regibus attenta suppressione, & extinctione prædictarum Mensarum Abbatialium, & eorum fructuum pro dote, seu dotis parte Episcopatus Blesen. unione Mensis Episcopalibus Blesen., & Carnoten. prædictis de consensu dicti Ludovici Regis, ut supra factis Jus nominandi ad dictam Ecclesiam Blesen. quandocumque, & quotiescumque illa Pastoris solatio destituta fuerit juxta formam, & dispositionem Concordatorum prædictorum etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus.

[margin: ...m concessi privilegiorum, Episcopo, Capitulo, aliisque.]

[margin: ...jus nominandi ad d. Ecclesiam ...is Franciæ.]

[margin: ...clausulæ.]

§. 8. Præsentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu etiam ex eo, quod causæ propter quas præmissa emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatæ, & approbatæ, ac quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, & auditi non fuerint, & præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam vocari, ad terminos Juris reduci remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariæ Apostolicæ Regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Successorum Nostrorum ad Summi Apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, vel sub quibusvis tenoribus, & formis emanatas, & in posterum eden., & emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Episcopum, Dignitates, Capitulum & Canonicos hujusmodi eligenda restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo concessas semper validas esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, necnon Episcopo, Dignitatibus, Capitulo, & Canonicis hujusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari; sicque & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis qualibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri deberé, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus.

§. 9. Non obstantibus Nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de gratiis, & Indulgentiis adinstar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a Jure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis Apostolicis necnon in Synodalibus, Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis, vel edendis Constitutionibus, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, & expressio ad hoc servanda foret, illis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse juxta Decretum Congregationis rebus Consistorialibus præpositæ harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ separationis, dismembrationis, segregationis, divisionis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, attributionis, assignationis, subventionis, suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, applicationis, appropriationis, translationis, voluntatis, mandati, impartitionis, suppressionis, extinctionis, reservationis, Indulti, Decreti, & derogationis infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, septimo Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de Cultu Immemorabili Servæ Dei Mariæ de Capite. XCV.

Const. ed. 1696. Jun. 30. P. 5. extat confirmatio Cultus B. Mariæ de Jocos. Et Clem. XI. Const. ed. 1710. Mar. 16. P. 10. Cultus B. Luciæ de Narnia.

INNOCENTIUS PAPA XII.

[margin: Dat. 11. Aug. 1697. An. 7.]

Ad futuram rei memoriam.

[margin: Exordium.]

Apostolicæ servitutis officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque clementiæ altitudo humilitati atque infirmitati nostræ credere dignata est salubriter exequi adspirante superni favoris auxilio jugiter satagentes, Beatarum Christi Ancillarum in Cœlis cum eo regnantium, in quibus nimirum utpote vasculis imbecillioribus opus dexteræ excelsi mirabilius, ac illustrius apparuit, cultum, & venerationem in Terris libenter promovemus, sicut pia sublimium personarum non minus virtutis, quam Regii culminis splendore conspicuarum vota postulant, & Nos ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque Sanctæ decus, atque ædificationem expedire in Domino arbitramur.

[margin: D. Decreto confirmata fuit sententia a Judicibus Delegatis prolata circa dictum cultum, & casum exceptum.]

§. 1. Cum itaque nuper nempe die 3. currentis Mensis Augusti in causa Toletana Beatificationis, & Canonizationis Servæ Dei Mariæ de Capite vulgo della Cavezza nuncupatæ, uxoris dum vixit Sancti Isidori Agricolæ, ad enixas preces charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac charissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariannæ earumdem Hispaniarum Reginæ Catholicæ ejus uxoris, accedentibus etiam in id supplicationibus Ven. Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Senatuum, seu Magistratuum

tuum plurimarum Civitatum Regnorum Hispaniarum, præsertim vero Senatus, seu Magistratus oppidi Madriti Toletan. Diœcesis, & ad iteratas, ac supplices instantias dilectissimi filii Alphonsi de Torralba ejusdem Caroli Regis in Romana Curia Agentis, seu negotiorum gestoris, ac Causæ Beatificationis, seu Canonizationis hujusmodi postulatoris, reproposito in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum per dilectum filium Nostrum Joannem Franciscum ejusdem S. R. E. Cardinalem Albanum nuncupatum dubio, quod prius nempe die 13. Julii proxime præteriti per ipsum Joannem Franciscum Cardinalem, dilata tamen tunc ejus resolutione, propositum fuerat: an scilicet sententiæ Judicum ab eadem Cardinalium Congregatione Delegatorum prolata super cultu ab immemorabili tempore ipsi Servæ Dei Mariæ exhibito, & casu excepto a Decretis fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris Nostri essent confirmandæ in casu, & ad effectum, de quo agebatur, relatisque contentis in precibus desuper fabricatis, eisque serio, & diligenter discussis, & examinatis, dicta Congregatio Cardinalium audito etiam prius in scriptis, & in voce Ven. Fratre Prospero Archiepiscopo Myren. Promotore Fidei, de ejusmodi cultu immemorabili constare, prædictasque sententias confirmandas esse censuit.

Preces Regis, & Reginæ Hispaniarum.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, ac devotis eorumdem Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ precibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter assensum quantum cum Domino possumus, præbere cupientes, Decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ Servæ Dei Mariæ de Capite, & casu excepto a Decretis prædicti Urbani Prædecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio præd. Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit; in futurum plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

XCVI.

Prohibetur, ne amplius Laici Congregationis Ministrantium Infirmis gaudeant voce activa vel passiva.

De eorumdem electione in Consultores vide Inn. XI. Const. ed. 1684. Aug. 31. P. 8.

Dat. 20. Aug. 1697. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Solicitudo Pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut paternam Congregationum virorum Religiosorum uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium curam gerentes, illarum quieti, felicique regimini, quantum Nobis ex alto conceditur consulere studeamus.

Epilogus laudatæ Constitutionis Inn. XI., qua statutum fuit, ne amplius Laici eligerentur in Consultores.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Innocentio PP. XI. Prædecessori Nostro pro parte tunc existentis Præfecti Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis exposito, quod licet per quamdam Constitutionem re. me. Gregorii XIV., etiam Prædecessoris Nostri super confirmatione Instituti dictæ Congregationis emanatam ordinatum fuisset, ut eadem Congregatio per unum Præfectum Generalem, & quatuor Consultores idoneos, qui perpetui essent, hoc est ad sui vitam in suis officiis respective durarent, regi deberet, nec ulla de Fratribus Laicis ipsius Congregationis ad officia Consultorum hujusmodi eligendis, seu assumendis in eadem Constitutione mentio facta fuisset, nihilominus per Constitutiones Congr. prædictæ subinde conditas, & a piæ me. Clemente PP. VIII. Prædecessore pariter Nostro confirmatas, abrogata officiorum perpetuitate, specialiter ordinatum fuerat, ut ex quatuor Consultoribus prædictis duo Sacerdotes, & duo Fratres Laici eligerentur; Cum enim præcipuum dictæ Congregationis Institutum sit ministerium spirituale curationis animarum, quod ad Sacerdotes, secundarium vero ministerium misericordiæ corporalis infirmis impendendæ, quod ad Fratres Laicos respective spectat, existimatum fuerat conveniens esse, ut quandoquidem Congregatio prædicta tunc temporis Nosocomiorum servitio, per Sacerdotes quidem quo ad procurationem salutis animarum, per Fratres Laicos vero quo ad veram corporalem Infirmorum operam dabat, dicti Fratres Laici, qui onus misericordiæ corporalis cum assistentia, & continua habitatione in Nosocomiis hujusmodi sustinebant in partem Regiminis assumerentur; verum quia tunc prævidebatur fieri posse, ut sedes Apostolica ministerium inserviendi cum continua habitatione in dictis Nosocomiis tolleret, aut illud per Patronos & Administratores eorumdem prohiberetur, ideo ordinatum, atque stabilitum fuerat, ut in his casibus continuaretur Institutum inserviendi Infirmis cum assistentia diurna, & nocturna in Domibus privatorum, ac carceribus & ubicumque opus fuisset. Et in eadem expositione subjuncto, quod Constitutiones quidem prædictæ eatenus servatæ fuerant. Servitium vero, & residentia in Nosocomiis hujusmodi omnino cessaverat, nec, præter Januense, ullum Nosocomium ad curam Religiosorum dictæ Congregationis remanserat, ac proinde Fratres Laici, quibus onus misericordiæ corporalis incumbat, nullum præstabant servitium, nisi associationem Sacerdotum, quibus secundum Institutum supradictum præcipua cura assistendi Moribundis, eorumque animarum salutem procurandi incumbit, iidemque Fratres Laici ad Gubernium præfatæ Congregationis erant omnino inutiles, quippe qui rudes, & literarum imperiti aliena suffragia, & auctoritatem cæco obsequio, ut plurimum sequebantur. Idem Innocentius Prædecessor supplicationibus memorati Præfecti Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de cætero nullus Frater Laicus dictæ Congregationis in Consultorem ipsius Congregationis eligeretur, seu assumeretur, sed quatuor Consultores Congregationis hujusmodi omnes

Causæ præd. Statuti.

ex

ex Presbyteris expresse professis ejusdem Congregationis eligi, seu assumi deberent, auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit, & alias prout in ejusdem Innocentii Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 31. Augusti 1684. expeditis, quam tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus uberius continetur.

Causæ hujus Prohibitionis, ut ra.

§. 2. Cum autem (sicut accepimus) iisdem rationibus attentis, propter quas sicut præmittitur, interdictum fuit, ne Fratres Laici dictæ Congregationis in Consultores ipsius Congregationis eligerentur, seu assumerentur similiter interdici expediat, ne ipsi in eadem Congregatione sub quovis prætextu voce activa, & passiva gaudere valeant. Hinc est, quod Nos memoratæ Congregationis tranquillitati, rectoque gubernio, peramplius prospicere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero quisquam Frater Laicus Congregationis supradictæ voce activa, & passiva in ipsa Congregatione ullatenus gaudere possit, seu debeat, tenore præsentium perpetuo interdicimus, & prohibemus.

Prohibitio Motu proprio facta.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos Juris, vel Constitutionum prædictarum reduci ullo modo unquam posse. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticæ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Augusti MDCXCVII. Pontific. Nostri Anno Septimo.

XCVII.

Confirmantur statuta pro tribus Seminariis in Diœcesi Angelopolitana.

Const. ed. 1696. Jun. 7. P. 5. extat confirmatio Statutorum pro Collegio Hungarico, & Germanico de Urbe. Et Bened. XIII. Constitut. edita 1725. Maii 30. P. 1. confirmatio statutorum pro Seminario Cæsenaten.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 10. Sept. 1697. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Ortus, & progressus dd. Seminariorum a Joanne de Palafox erectorum, & ab Emmanuele absolutorum Episcopis Angelopolitan.

EXponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Emanuel Episcopus Angelopolitan. quod alias, nempe anno 1644. bo. mem. Joannes de Palafox, & Mendoza, dum vixit, Episcopus Angelopolitan. ejus Antecessor tria Seminaria Juvenum bonis literis imbuendorum, unum videlicet sub S. Petri Principis Apostolorum, alterum sub Sancti Joannis, ac reliquum sub Sancti Pauli Apostoli respective invocationibus, a quorum uno ad aliud, juxta scientiarum in illis tradendarum ordinem, transitus fieret, congrua eis reddit.uum assignatione facta, comparataque Bibliotheca decenter munita, ac publicæ commoditati exposita, ad formam sacrorum Canonum, & præsertim Decretorum Concilii Tridentini, obtentoque desuper cla. mem. Philippi IV., dum vixit, Hispaniarum Regis Catholici consensu, reservato tamen ei ipsorum Seminariorum jurepatronato, erexit, instituit, & fundavit eorum erectionem hujusmodi a fel. rec. Innocentio Papa X. prædecessore nostro per ejus literas desuper in simili forma Brevis die 22. Maii 1648. expeditas confirmari, & approbari obtinuit, prout in publico super præmissis confecto Instrumento fusius apparere, ac in dictis Innocentii prædecessoris literis uberius respective dicitur contineri. Postmodum vero dictus Emanuel Episcopus prædictum Seminarium Sancti Pauli, quia illud nondum perfectum reperiebatur, nec ei de necessariis pro sufficienti Juvenum in eo educandorum habitatione, ac cæteris ad victum, & decorem pertinentibus provisum erat, perfici curavit, eique congrue providit, necnon pro ordinariis, seu extraordinariis illius expensis supportandis mille, & quingentas patacas auri communis monetæ illarum partium ipsius Rectori ex communibus redditibus prædictorum Seminariorum Sanctorum Petri, & Joannis, ab eorum Administratore, & Thesaurario annis singulis persolvendas cum cautelis, & circumstantiis in similibus opponi solitis applicavit, ac insuper declaravit, & decrevit, quod totus dicti Seminarii Sancti Pauli situs cum ejus Terrenis, & confinibus, prout ex Planta, instrumentis, & titulis situs hujusmodi proprietatem demonstrantibus constare dicitur, ad ipsum Seminarium Sancti Pauli legitimo, & proprietario titulo spectaret, ac proinde in eo, tanquam in proprio ejusdem Seminarii fundo ædificari posset quidquid de cætero pro majori illius commodo, & utilitate construi expediens fuisset. Cæterum pro felici, prosperoque dicti Seminarii Sancti Pauli, & Collegialium in eo pro tempore commorantium, necnon prædictorum Seminariorum Sanctorum Petri, & Joannis regimine, & gubernio tam idem Emanuel Episcopus, quam dictus Joannes similiter Episcopus ejus Antecessor nonnulla statuta, & ordinationes respective fecerunt, seu ediderunt, quæ ex publico die 29. Aprilis 1690.,

Statuta a prædd. Episcopis edita.

& aliis itidem publicis desuper confectis Instrumentis, in quibus uberius contineri dicuntur desumpta, & in capitula distributa sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

De numero Collegialium S. Pauli.

Primo. Quod Collegialium numerus in dicto Seminario Sancti Pauli pro tempore commorantium non excedat octavum.

De Bibliothecario.

Secundo. Quod Bibliothecarii munus personæ habili, & idoneæ per Ordinarium Angelopolitanum pro tempore existentem eligendæ tum pro obsequio personarum ad Bibliothecam accedentium cum pro illius conservatione librorum notitia, & assistentia demandetur, quæ teneatur diebus ferialibus indispensabiliter Bibliothecæ assistere.

De oneribus Collegialium S. Pauli.

Tertio. Quod Collegiales Sancti Pauli teneantur Collegialibus Sanctorum Petri, & Joannis Theologiæ Scholasticæ, & Moralis Conclusiones præsignare, quæ ab eisdem sustinendæ erunt, & deficiente Collegiali Theologo in Collegio Sancti Joannis Artium Conclusionibus præsidente, quæ Conclusiones ter in hebdomada sustinendæ erunt, ac toties quoties opus fuerit, eis præsidere debeant, necnon dicti Collegiales S. Pauli obligati sint ad legendum, Cathedrasque Philosophiæ, & Theologiæ regendum, ac Grammaticam, & Rhetoricam eos edocendum semper, & quandocumque ob absentiam, infirmitatem, aliudve legitimum impedimentum prædictorum Seminariorum Cathedratici, & Magistrorum qui prædictarum Cathedrarum gubernio assistere nequiverint, a qua assistentia Collegiales Sancti Pauli prædicti nullatenus excusentur, dictique Collegiales S. Pauli quotiescumque Grammaticam, Rhetoricam, Philosophiam, vel Theologiam supplendo defectum, & absentiam Magistrorum aliis duobus Collegiis regerint, & Collegiales edocuerint pro rata temporis suppleverint expensas, sive alimenta Collegio restituere non teneantur, etiamsi Beneficia obtinuerint, sed proportionabiliter pro mercede laboris eis condonetur restitutio.

Quarto. Quod si dicti Collegiales ob hujusmodi assistentiam cuilibet alteri obligationi sint adstricti, impostęrum liberati, & exempti omnino remaneant.

De receptione, & numero Collegialium S. Petri.

Quinto. Idem Episcopus Orator, inhærendo erectioni per dictum prædecessorem alias factæ, statuit formam in dicta fundatione statutam, necnon Constitutiones ab eodem prædecessore emanatas, tam videlicet circa receptionem Collegialium Seminarii S. Petri, qui usque ad triginta circiter recipiantur, quique præcipue pauperes filii patrimoniales legitimi, & naturales, ac oriundi novarum Hispaniarum, & prædictæ Diœcesis si existant, sin minus, aliarum Vicariorum Diœcesum.

Sexto. Idem prædecessor alias statuit, quod nobiles, & divites non excludantur, dummodo solvant centum viginti patacas monetæ illarum partium quolibet anno, & in eis concurrant qualitates relatæ.

Septimo. Quod cæteris præferantur filii eorum, qui servitia Regi alias exhibuerint, seu exhibeant.

De eorum Studiis.

Octavo. Quod Collegiales, qui ingredientur in Seminarium S. Petri, sint in ætate duodecim annorum, inibique remaneant usque ad decimum septimum, seu decimum octavum annum, & discant Grammaticam, & Rethoricam.

De Studiis Collegialium S. Joannis.

Nono. Quod exinde transeant ad Collegium S. Joannis, ibique maneant, donec Philosophiam, ac sacros Canones didicerint.

De Studiis Collegialium S. Pauli.

Decimo. Quod abinde transeant ad prædictum Collegium S. Pauli, ut praxim Sacramentorum, & rerum, quæ ad perfectionem optimi Ecclesiastici eorum necessaria, ad effectum, ut perfecte idonei ad Beneficia, & Officia curata, cæteraque munia Ecclesiastica obeunda evadant, quique assistere debeant certis temporibus servitiis Ecclesiæ Cathedralis, ac divinis Officiis interesse.

De Privilegiis Collegialium S. Pauli.

Undecimo. Quod si Collegiales divi Pauli Sacerdotali charactere initiati fuerint, & assistant moralibus conferentiis, aliisque exercitiis Ecclesiasticis eis ad majorem splendorem, & augumentum a dicto Collegio subministrabitur illud, quod sufficiens erit, etiam ad graduationem Baccalaureatus in Artibus, & in majori facultate in eodem Collegio remaneant tanquam Hospites more Collegiorum Hispaniæ, obligatione tali, ut si postea redditus Ecclesiasticos, & Beneficia Ecclesiastica obtinuerint, & commode restituere poterunt id, quod illo temporis spatio dispenderunt, ab ipsis sit faciendum, & eodem modo teneantur Sacerdotes prædicti ad rationem centum quinquaginta Patacarum pro quolibet anno, quod non solum ex debito conscientiæ posita Beneficii assecutione, verum etiam, & justitiæ, qua compelli possint, restituere teneantur Collegio expensas ad rationem taxatam a Fundatore.

De Bibliotheca.

Duodecimo, & ultimo. Quod ex eadem Bibliotheca superius relata per Prædecessorem prædictum sufficienter libris, aliisque necessariis referta, ac munita, idem Prædecessor prohibuit, ne Libri hujusmodi quavis de causa, vel prætextu ab ea ullatenus extrahantur.

Preces Emmanuelis Episc.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Emmanuel Episcopus Capitula, Statuta, & Ordinationes hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Emmanuelis Episcopi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta dilecti filii nostri Petri Matthæi ejusdem S. R. E. Cardinalis Petruccii nuncupati a Congregatione eorumdem Cardinalium ad hujusmodi negotium examinandum deputati, revisione, præinserta Capitula, statuta, & Ordinationes, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Seminariorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmisso-

rum

rum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die X. Septem. MDCXCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

XCVIII.

Conceditur Eremitis Excalc. Sancti Augustini Congregationis Gallicanæ Provinciæ Franciæ facultas canendi cum notis in Expositione Sanctissimi Sacramenti, & Missis Defunctorum.

Inn. XI. Const. ed. 1679. Jun. 22. P. 3. agitur de facultate aggregandi ad Confraternitates Cincturatorum. Et Clem. XI. Const. ed. 1701. Jan. 29. P. 1. conceditur facultas cantus Gregoriani in horis Canonicis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 17. Mar. 1698. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ Concessionis.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, Assistentes Generales, & Substituti Diffinitorii Congregationis Gallicanæ Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, quod cum jam pridem multi Christifideles, ac præsertim Charissimus in Christo filius noster Jacobus Magnæ Britanniæ Rex Illustris, necnon Charissima itidem in Christo filia nostra Maria ejus Magnæ Britanniæ Regina Illustris, imo, & quamplures ab hæresi ad fidem Catholicam conversi ab ipsis expostulent, ut in Expositionibus, & Benedictionibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quæ frequenter in Provincia Franciæ ejusdem Congregationis, ac præcipue in Conventibus Civitatis Parisiensis, & Suburbii Sancti Germani in Laya nuncupat. dictæ Civitatis, magno populi concursu fiunt, Hymni, versus, aliaque, quæ ea occasione cani solent, modo plano decantari valeant; In Statutis vero Congregationis prædictæ totum Officium sine notis cantari præcipiatur; ipsi Exponentes Hymnos, ac preces hujusmodi, quæ in Expositionibus, ac Benedictionibus prædictis canuntur, quæque ad Divinum Officium nullatenus pertinere videntur, dicto modo plano, & cum notis, prout similiter Missas Defunctorum præfatis scilicet Christifidelibus idipsum exposcentibus, solemniter decantare posse, ac proinde opportunam ad præmissa facultatem pro Conventibus Provinciæ supradictæ dumtaxat sibi a nobis concedi plurimum desiderant.

Preces Superiorum, & Officialium Congregationis.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem Venerabilis Fratris Marci Archiepiscopi Damasceni apud Charissimum pariter in Christo Filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum nostri, & Apostolicæ Sedis Nuncii super præmissis transmissam, necnon dilectum Filium Valerianum a Sancta Cecilia Procuratorem Generalem dictæ Congregationis audiverunt, consilio, eisdem Exponentibus petitum Indultum pro Cantu plano, cum notis in Hymnis, & precibus prædictarum celebrationum tantum auctoritate Apostolica tenore præsentium benigne concedimus.

Concessio prædicta.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Provinciæ, & Conventuum tum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVII. Mart. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

XCIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Sancti Officii de Vicariis Foraneis, aut aliis ab Ordinariis Americæ in locis a Curia Episcopali ultra duas dietas distantibus pro statu libero contrahentium eligendis.

De auctoritate Vicariorum Apostolicorum in Oriente vide Const. ed. 1697. Feb. 6. P. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 3. Maji 1698. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ Decreti d. Congregationis.

PRO parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici expositi Nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir modernus Comes de Altamira ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator, quod cum ipse dicti Caroli Regis nomine Congregationi Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede prædicta specialiter deputatorum exposuisset, ipsi Carolo Regi innotuisse scandala in partibus Americæ eidem Carolo Regi subjectis vigentia, eo quia Ordinariis earumdem partium indistincte omnes suos subditos matrimonium contrahere volentes ad probandum suum statum liberum in cujuslibet eorum Curia Episcopali compellentibus, ii, qui a Curia hujusmodi longe aberant, post conclusum matrimonii tractatum, sive quia testes, qui ad Curiam prædictam accedere vellent, non inveniebant, sive quia pecuniis pro illuc deducendis testibus hujusmodi necessariis carebant, matrimonio minime celebrato cum scandalo, & peccato in mutua consuetudine, & commercio perseverabant, ac proinde dictus Comes me-

morati Caroli Regis nomine Congregationi præfatæ supplicasset, quatenus ad ejusmodi inconvenientia tollenda Ordinariis prædictis præciperet, ut quoad loca a Curia Episcopali ultra duas dietas distantia Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, sive aliis personis sibi benevisis facultatem recipiendi probationes super statu libero matrimonia contrahere volentium concederent, itaut probationibus hujusmodi sic factis ad matrimonii celebrationem deveniri valeret, Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Feria quarta die nona Aprilis 1698. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam coram Emis, & Rmis Dnis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis -- Lecto retroscripto Memoriali, Eminentissimi, & Rmi DD. Cardinales Generales Inquisitores prædicti annuerunt prædictæ instantiæ, & mandarunt, quod per DD. Episcopos deputentur ad hunc effectum, vel Vicarii Foranei, vel alii eis benevisi -- Joseph Bartholus Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Notarius -- Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur, Nobis propterea prædicti Caroli Regis nomine supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretum prædictum.

Preces Regis Catholici.

§. 1. Nos igitur piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die III. Martii MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

C.

Confirmatur Constitutio Julii II. pro unitate servanda in Ordine Carthusien. cum adjectione pœnæ excommunicationis in contravenientes.

Priori Carthusien. factum fuit præceptum non egrediendi Constit. 1692. Nov. 4. P. 2. Et Clem. XI. Const. ed. 1712. Maji 2. P. 12. interdictus fuit esus carnium.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 23 Julii 1698. An. 8.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilis divinæ bonitatis divitias evecti, ea, quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, stabiliendæ inter Religiosos viros a sæculi turbis segregatos, & Altissimi obsequiis sub laudabili strictioris observantiæ instituto addictos tranquillitatis studio provide, atque sapienter constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata serventur, Apostolici præsidii nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus, illisque ne temerario cujusquam ausu violentur, novas sanctiones adjungimus, sicut conspicimus in Domino rationi esse consentaneum.

Exordium.

§. 1. Alias siquidem pro parte tunc existentium Prioris majoris Domus Carthusiæ Gratianopolitan. Diœcesis, & Diffinitorum Capituli Generalis Ordinis Carthusien. fel. rec. Julio Papa II. prædecessori nostro exposito, quod licet omnes Domus dicti Ordinis citra, & ultra montes, ac ubilibet existentes, illarumque Religiosi sub una obedientia, videlicet Prioris, & Diffinitorum prædictorum existerent, & quos una Religio, ac Professionis vinculum alligaverat, nulla æmulatio, nulla præsidendi ambitio, aut quævis alia causa ab invicem separare debuisset, sed charitatis vinculum in unitate pacis, eos conservare, nihilominus humani generis inimico procurante, & instigante, contingere poterat quod aliqui Religiosi Ordinis prædicti aliis obedientiis subjici tentassent, & ab eorum vero Superiore, & Capite discedere, unde non solum illorum, sed etiam aliorum Religiosorum ejusdem Ordinis animarum periculum evenisset, ipsaque Religio in dies scissuram passa fuisset, ac successu temporis, quæ inter cæteras asperioris, seu strictioris observantiæ existebat, paulatim ad laxiorem vivendi modum declinasset. Idem Julius prædecessor supplicationibus eorumdem Prioris, & Diffinitorum nomine) sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod omnes, & singulæ personæ dicti Ordinis tunc, & pro tempore existentes cujuscumque status, & conditionis, vel præeminentiæ essent, vel fuissent, quæ per se, vel per alium seu alios directe, vel indirecte, publice, vel occulte procurassent aliquam divisionem in Ordine prædicto, seu exemptionem aliquam Domorum ipsius Ordinis, ac illius Religiosorum a communi obedientia Prioris, & Capituli generalis prædictorum eo ipso omnibus obedientiis, & officiis in eodem Ordine perpetuo privatæ, & ad similia obedientias, & officia perpetuo inhabiles existerent, ac omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, & Indultis dicto Ordini & illius personis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, & concedendis sine spe rehabilitationis ad illa, perpetuo careret, literæque Apostolicæ desuper impetrandæ gratiam, seu justitiam concernentes, nullius essent penitus roboris, vel momenti, auctoritate Apostolica perpetuo statuit, & ordinavit, & alias prout in ipsius Julii prædecessoris literis desuper sub Plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1508. decimo sexto Kalendas Julii Pontificatus sui anno Quinto expeditis uberius continetur.

Epilogus Constitutionis, qua interdicitur omnis divisio in Ordine sub pœna privationis & inhabilitationis.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Maria de Rochefort Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ipse quo Ordo prædictus, in ea, quæ de præsenti gaudet, & hactenus, benedicente Domino gavisus fuit unitate, & integritate in perpetuum conservetur, ac quodcumque in eo scissurarum periculum in posterum avertatur, supradictas Julii

Preces Procuratoris Gen., & causa hujus Constitutionis.

præde-

prædecessoris literas per Nos confirmari, & innovari, eosque præterea, qui illis contravenerint graviorum pœnarum metu coerceri plurimum desideret: Nos Religiosæ personarum Ordinis supradicti, quem in visceribus gerimus charitatis, quieti, & tranquillitati peramplius consulere, ac ipsius Joannis Mariæ Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non memoratarum Julii prædecessoris literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, supplicationibus ejusdem Joannis Mariæ Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati prædictas Julii prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus. Ac omnibus, & singulis supradicti Ordinis Religiosis tam subditis quam Superioribus quocumque gradu, dignitate, officio, vel præeminentia præditis nunc, & pro tempore existentibus ne literis prædictis directe, vel indirecte sub quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio contravenire audeant quomodolibet, seu præsumant, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua absolutionem nemo præter Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutis concedere valeat, harum serie districtè prohibemus, & interdicimus. (Confirmatio Constitutionis Julii, & adjectio pœnæ excommunicationis.)

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Clausulæ.)

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in prædictis Julii prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CI. Confirmatur Decretum Congregationis Epis. & Reg. de interventu Generalis, Provincialium, & Rectorum cum Discretis in Capitulis Provincialibus Congreg. Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Const. ed. 1697. Mar. 23. P. 6. agitur de abrogatione Discretorum. Et Clem. XI. Const. ed. 1708. Jun. 25. P. 8. de voce Diffinitoris adjuncti.

INNOCENTIUS PAPA XII.

(Dat. 9. Aug. 1698. An. 8.)

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Josephi Bellissen Procuratoris Generalis Congregationis doctrinæ Christianæ in Gallia Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet alias in quadam causa Parisien. concordatis dubiis. Primo, An Capitulum Provinciale Parisiense esset validum. Secundo An determinatio vocalium facta in Constitutionibus pro Capitulo Provinciali esset approbanda, ipsi Congregationi Cardinalium respondere placuisset: Ad primum sustineri: Ad secundum negative excepto Generali actuali, nihilominus illa verba--Excepto Generali actuali nisi clare referrentur ad eos, qui debebant interesse Capitulo Provinciali, & ad eos, qui ab eodem Capitulo debebant, excludi, secum ferebant aliquam dubietatem, an scilicet determinatio vocalium facta in Constitutionibus pro Capitulo Provinciali hujusmodi eligenda esset approbanda tantum in Persona Generalis actualis, non vero in aliis vocalibus, qui erant in eadem determinatione Constitutionum, nempe in Provinciali, Rectoribus, & Discretis, cum tamen mens ejusdem Congregationis Cardinalium fuisset tamen excludere ab hac determinatione Commissarium, Exgenerales omnes, & Exprovincialem immediatum: Ideoque pro parte dicti Josephi Procuratoris Generalis eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut ad effectum condendi legem claram, ac dandi quietem supradictæ Congregationi Doctrinæ Christianæ explicite determinare dignaretur, quod in posterum in Capitulo Provinciali interessent tantum, & quidem per se Generalis actualis, Provincialis, ac Rectores omnes cum suo quisque Discreto a Capitulo Conventuali, ubi sex vocales resedissent, eligendo quandoquidem hi omnes exclusis Commissario, Exgeneralibus, & Exprovincialibus remanebant in determinatione facta in Constitutionibus, & id erat, quod ab omnibus petebatur ad pacem conciliandam, & ut lex remaneret clara, & inconcussa, ita tamen, ut in reliquas Constitutiones prædictæ Congregationis doctrinæ Christianæ minime approbatæ intelligerentur: emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit, ac declaravit, quod in Capitulis Provincialibus interesse poterunt Generalis actualis, Provincialis, & Rectores omnes cum suo quisque Discreto a Capitulo Conventuali, ubi sex vocales residebunt, eligendo Romæ 6. Septembris 1697. G. Cardinalis Carpineus loco ✠ Sigilli. A. Archiepiscopus Athenarum Secretarius. (Causæ d. Decreti.) (Decretum d. Congregationis.)

§. 1. Cum autem sicut prædictus Josephus Prior Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat conse- (Preces Procuratoris Gen.)

quendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis doctrinæ Christianæ etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die IX. Augusti MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CII.

Confirmatur Concordia circa divisionem Cœnobiorum, & alternativam Officiorum inter FF. Provinciæ Narbonæ, & Burgundiæ Ord. Erem. S. Augustini.

Inn. XI. Const. ed. 1678. Jan. 26. P. 2. agitur de alternativa in Provincia Quiten. Et Clem. XI. Constit. ed. 1704. Apr. 19. P. 4. de alternativa in Provincia Portugalliæ.

Dat. 19. Aug. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

REdemptionis, & Domini nostri Jesu Christi, qui veritas est, & Deus pacis, vices licet immeriti, gerentes in Terris, ea, quæ inter Christifideles quoscumque, ac præsertim Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatos, quos potissimum in fraternæ charitatis quiete vota sua Altissimo reddere decet, amabilis concordiæ studio provide, prudenterque conventa esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum a nobis petitur, libenter constabilimus.

Causæ d. Concordiæ.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Narbonæ, & Burgundiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod cum dicta Provincia sub nomine Religiosorum Narbonensium, & Burgundorum in contraria studia scinderetur; Ipsi exponentes, quo controversiis inter eos inde exortis, quæ a quatuor circiter annis Provinciæ prædictæ quietem perturbabant, finis imponeretur, paxque, & tranquillitas eidem Provinciæ restitueretur, ac restituta stabiliretur, cura, & opera Venerabilis Fratris Moderni Archiepiscopi Lugdunen. ad conventionem, seu Concordiam (reservato tamen desuper nostro, & Apostolicæ Sedis beneplacito) inter se devenerunt, per quam videlicet in primis quinam Provinciæ hujusmodi Conventus intra Narbonæ, & quinam intra Burgundiæ limites contineantur, ac deinde circa alternativam inter Fratres Narbonenses, & Burgundos præfatos quoad officia ipsius Provinciæ perpetuo servandam sub diversis Capitulis, & conditionibus conventum fuit, prout continetur in scriptura desuper emanata tenoris, qui sequitur videlicet:

Concordia inita an. 1697.

§. 2. Infrascripti Religiosi Provinciæ Narbonæ, & Burgundiæ Ordinis S. Augustini, Patres scilicet Vincentius Ladet Sacræ facultatis Parisien. Doctor Theologus, & ejusdem Provinciæ Provincialis, Andreas Belpel pariter Doctor Parisien., & Conventus Lugdunen. Prior, Jacobus Massabuon Baccalaureus in Theologia, & dictæ Provinciæ Diffinitor, ex una parte, Procurationem habentes a Superioribus Partis Narbonæ; Et Patres Hyacinthus Ducaissiere Doctor Theologus, & primus Diffinitor, Emmanuel le Bon Doctor Parisiensis, & pariter Diffinitor, Nicolaus de Montal Doctor Theologus, & primus Visitator, ex alia pariter parte, Procurationem habentes a Superioribus partis Burgundiæ per admodum R. P. Carolum de Brichard Commissarium Generalem congregati juxta ordinem ipsi datum ab Illmo Archiepiscopo Lugdunen. super futuri Capituli celebratione die 23. Mensis Augusti anni 1697. coram Domino Archiepiscopo in suo Palatio Archiepiscopali de sequentibus Articulis convenerunt. Primo, quod intra limites Partis Narbonen. contineantur, & includantur Conventus Monspesulanus, Biteren., Narbonen., Montaniacen., Nemausen., Perpiniacensis, Voltensis, Sancti Ginnesii, Morologiensis, Sancti Romani a Terno cum titulis Priorum Podissératensis, & Tononensis, & quod intra limites Partis Burgundiæ contineantur, & includantur Conventus Lugdunen., Cremiacen., Secilieusis, Sancti Petri Albiniacensis, Turrigiensis, Sancti Amoris, Molvelliensis, Morestelliensis, Belliparlensis, Gannatensis, Eneziacensis, Monsrevellensis, Pignerolensis, cum titulo Prioris Conventus Genevensis. Hoc ita disposito ad stabiliendam pacem, & concordiam in supradicta illorum Provincia, & finem tandem imponendum jurgiis a quatuor circiter annis ibi durantibus, utrique Partium de alternativa in perpetuum servanda in ipsorum electionibus convenerunt eo modo, quo sequitur: Primo, quod Provincialis alternis vicibus eligatur in Capitulo uniuscujusque dictarum partium, & casu quo officium suum, vel morte præventus, vel aliquo alio impedimento, absolvere non possit, Rmus P. Generalis deputabit Rectorem Provincialem ejusdem Partis usque ad futurum Capitulum Provinciale. Secundo, quod pars illa, quæ Provincialem non habebit, Vicarium Provincialem habebit suæ nationis in ea commorantem, qui a Capitulo eligetur. Tertio, quod Provincialis in proximo Capitulo eligetur ex parte Burgundiæ. Quarto, quod Vicarius Provincialis inquiret de culpis in Conventibus partis suæ commissis, quibus provisionaliter providebit, & post factas, & observatas juris formalitates, vel Processus transmittet ad Provincialem, qui una cum Patribus sui Diffinitorii judicabit secundum formam Constitutionum, habita ratione criminum, vel expectabit Visitationem Provincialis. Dictus vero Vicarius Provincialis Jus non habebit visitandi suæ Nationis Conventus, nisi expressam habeat commissionem a Patre Provinciali, ut autem dictus ille Vicarius Provincialis possit esse de corpore Diffinitorii, absque eo, quod augeatur

De divisione Cœnobiorum.

De alternativa Officiorum, & quibusdam aliis. 1. 2. 3. 4.

numerus

numerus novem Patrum Diffinitorii, eligetur ad hoc officium unus de duobus Diffinitoribus illius partis, ad quem pertinebit habere Vicarium Provincialem. Quinto, quod Diffinitorium erit semipartitum, duo scilicet Diffinitores cum uno Visitatore ex parte Burgundiæ. Sexto, quod Præsidens Capituli imposterum postulabitur a Rmo P. Generali per Provincialem pro tempore existentem, & sit alternatim. Septimo, quod dictus Provincialis Decreta generalia pro tota Provincia condere non poterit, nisi de participatione totius Diffinitorii, & Vicarii Provincialis. Octavo, Superiores Locales, sicut, & alii Officiales subalterni non eligentur pro Conventibus Burgundiæ, nisi qui sunt ex illa parte, sicut pro Conventibus Narbonæ, qui sunt pariter ex illa parte. Nono, quod omnes Religiosi remanebunt in Conventibus suæ Nationis, nec poterunt cogi remanere in Conventibus alterius Nationis, nisi quando id postulaverint, vel invenerint benevolos receptores, & habuerint consensum Patris Provincialis. Decimo, quod Religiosi extranei extra gremium Provinciæ nati censebuntur esse de Conventibus, quorum sunt professi, sicut, & illi, qui nati in Civitatibus Provinciæ censebuntur esse ex illa parte, in qua nati sunt, & in quantum opus est, illos Provincia per præsens concordatum, tamquam filios admittit. Undecimo, quod Diffinitor pro Capitulo Generali deputandus, erit eligendus ex illa parte de qua non erit Provincialis, Discretus e contra erit ex parte Provincialis. Duodecimo, quod in unaquaque parte designabitur Conventus pro Novitiatu, in quo non admittentur ad habitum Novitii, nisi secundum exigentiam Conventuum uniuscujusque partis. Decimotertio, quod qui fuit semel electus in Provincialem, numquam poterit iterum eligi, nisi fuerit virtutis, & meriti omni exceptione majoris, & a tota Provincia, nullo contradicente, postulatus. Decimoquarto, quod Capitulum Provinciale celebrabitur alternatim in prædictis duabus Partibus. Decimoquinto, quod tam duo loca affiliatorum, quæ modo vacant in majori Conventu Parisiensi, quam quæ imposterum vacabunt, alternis vicibus replebuntur per utramque partem supradictam. Decimosexto, conventio facta fuit sub beneplacito Illustriss. Archiepiscopi pro bono pacis, & ad eradicandam omnem dissidiorum materiam, quæ oriri possent ex expensis factis, lites motæ cessabunt, & tanquam non factæ habebuntur, absque eo quod quisquam de illis expensis possit esse requisitus, ea tamen lege, quod præsens compromissum bona fide executioni mandabitur, & Romæ confirmabitur, alioquin unusquisque remanebit in jure suo insequendi, prout sibi videbitur expedire. Decimoseptimo, quod Partes supranominatæ, & coram Illustrissimo Archiepiscopo congregatæ, reciproce promiserunt, & promittunt acceptare, sicut, & de facto acceptant præsentem alternativæ contractum secundum omnes suos Articulos, adstringentes se illum pro rato habendum esse in proximo Capitulo ab omnibus uniuscujusque Partis vocalibus, qui ad nullam electionem procedere valebunt in dicto Capitulo, quin prius ratum habuerint præsens concordatum, quod nec rejicere, nec recusare poterunt, nisi optione divisionis ex parte Narbonæ. Decimumoctavum, denique postquam utrique Burgundi scilicet, & Narbonenses, supradictos alternativæ Articulos admiserunt, & gratiis Illustriss. Archiepiscopo Lugdunensi præhabitis pro suo efficaci mediatoris officio, illum enixe rogant a Reverendiss. P. Generali per literas invitatum, omnibus illius Provinciæ procellis finem imponere, ut præsentis concordati corem illo, ejusque consilio, auctoritate, & prudentia transacti dignetur procurare nedum confirmationem Reverendiss. P. Generalis Ordinis, verum etiam & Decretum Emorum Sacræ Congregationis Cardinalium, imo & Breve Apostolicum, actum, & conclusum in Palatio Archiepiscopali, Lugduni die, & anno quibus supra.

(Marginal numbers in left margin: 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.)

Preces Provinciæ.

§. 3. Quare Exponentes prædicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune provideri, & ut infra indulgeri de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio relatæ Concordiæ.

§. 4. Nos igitur specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi, supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus, Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, conventionem, seu concordiam inter eosdem Exponentes initam, ut præfertur; confectamque desuper Scripturam præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus; illique inviolabilis & Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIX. Aug. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CIII.

Confirmantur duo Decreta Ministri Generalis circa Hospitium in Cœnobio de Ara Cœli de Urbe pro FF. Provinciarum Ind. Occidental. Ord. Min. S. Francisci de Observ.

Inn. XI. Const. ed. 1678. Maji 25. P. 2. agitur de habitatione Commissarii Gen. Terræ Sanctæ in Civitate Neapol. Et Clem. XI. Const. ed. 1712. Sept. 23. P. 12. de Hospitio S. Petri de Alcantara de Portici Fratr. Discalc. Hispaniæ in Diœces. Neapolitana.

Dat. 23. Aug. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus de Leon Frater expresse professus Provinciæ Sanctorum duodecim Apostolorum in Regno Peruviæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum alias ipse, (qui, ut asserit Lector Jubilatus, ac Officii Inquisitionis dicti Regni Qualificator, necnon Causæ Canonizationis B. Francisci Solani, dum vixit ejusdem Ordinis professoris in Romana Curia Procurator, & Secretarius Generalis dicti Ordinis existit) ex eleemosynis Provinciarum Indiarum Occidentalium ipsius Ordinis Hospitium quoddam in Conventu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli nuncupat. de Urbe Ordinis hujusmodi pro Religiosis dictarum Provinciarum privative ad alios construere intenderet, eaque de causa Ven. Fratri Bonaventuræ Poerio Archiepiscopo Salernitan., qui tunc Ministri Generalis ejusdem Ordinis munere fungebatur, supplicem libellum super præmissis porrexisset, tenoris, qui sequitur, videlicet: Reverendissime Pater, Exponitur humiliter Reverendiss. Patern. Vestræ pro parte Fratris Nicolai de Leon Lectoris Jubilati Sacræ Inquisitionis Qualificatoris Excustodis, & Prioris Provinciæ XII. Apostolorum del Perù in hac Romana Curia Causæ Canonizationis B. Francisci Solani Procuratoris & actualis Secretarii Generalis Ordinis devoti P. V. Rmæ Oratoris, qualiter ruinam minante, & ex hac causa ab Architecto recognita, & vere ruinosa, & collabente reperta Cella, quæ a quinquaginta annis, & ultra inservierat, & usque modo inservit pro habitatione Procuratoris pro tempore supradictæ Causæ B. Francisci Solani, quod totum Reverendiss. Paternitati Vestræ patet: ad præcavendam hujusmodi habitationis imminentem ruinam, Orator habito super hoc nedum præfatæ suæ Provinciæ, sed & aliarum Occidentalium Indiarum, ac insuper bo. mem. P. Juliani Cumillas Prædecessoris, & Rmi P. Antonii de Cardona actualis Indiarum Commissarii Generalis maturo consilio, & assensu, ac voluntate, habitationem ipsam demoliri decrevit, aliamque a fundamentis in ampliorem, & commodiorem formam ex eleemosynis earumdem Provinciarum ad hujusmodi effectum collectis redigere, & erigere perpendit. Verum quia Provinciæ præfatæ eleemosynas hujusmodi nullatenus profundere intendunt, nisi etiam, ut par est super hoc accedat consensus, confirmatio, & approbatio Vestræ Paternitat. Reverendiss., ac insuper quod novum ædificium, ejusque Cellæ perpetuis futuris temporibus stare, & inservire debeant pro habitatione dumtaxat Rmi P. Commissarii Generalis Indiarum pro tempore, earumdem Provinciarum Religiosorum, si & quatenus quacumque de causa, sive quomodocumque Romam accedere, & permanere contingat, ac insuper, quod ædificium ipsum sic erectum, ejusque Cellæ perpetuis futuris temporibus sub cura, & dispositione Rmi Patris Commissarii Generalis Indiarum pro tempore existen. manere debeant, & in eo (casu, quo Romæ non adessent Religiosi prædictarum Provinciarum qui primo, & principaliter in ipso domicilium habere debent, privative ad alios) nullus omnino cujusvis gradus, dignitatis, & conditionis sive cujuscumque Nationis, Familiæ, seu Provinciæ sit, inibi recipi possit, nisi ad effectum hujusmodi ab eodem Reverendiss. P. Commissario Generali Indiarum licentiam, seu facultatem in scriptis exhibendam obtinuerit, hoc itaque totum humillime supplicat Orator per Paternitatem Vestram Reverendiss. confirmari, approbari, & respective mandari, atque inhiberi; Ac insuper pro majori horum notitia, observantia, & executione, petit idem Orator a V. P. Reverendissima quatenus dignetur permittere, & mandare, ut eidem habitationi, sive Hospitio lapis superimponatur cum sequenti inscriptione, si ita in Domino sibi benevisum fuerit, Quod &c.-- INSCRIPTIO. Ne habitationis inopia Religiosi ex Indiis Occidentalibus Romam accedentes hinc inde vagari cogerentur, Admodum R. P. F. Nicolaus de Leon Lector Jubilatus Sanctiss. Inquisitionis Regni Peruani Qualificator Provinciæ XII. Apostolorum de Lima Excustos, & Prior, necnon Canonizationis B. Francisci Solani in Curia Procurator, & Secretarius Generalis Ordinis, remota parvula, & pœnæ collabente Cella, quæ vix Procuratori Causæ ejusdem B. Francisci Solani satis erat, ex eleemosynis Provinciarum prædictarum ad hunc effectum collectis, habitationem hanc, & Hospitium a fundamentis de assensu Superiorum Generalium extruxit an. Dom. 1697.

Supplex libellus Secretarii Gen. pro construendo Hospitio, quod primo inservire debeat FF. Indiarum Occident., deinde aliis cum facultate Commissarii Gen.

§. 1. Idem Bonaventura Archiepiscopus tunc Minister Generalis super supplici Libello hujusmodi Decretum edidit tenoris sequentis, videlicet: Fr. Bonaventura Poerius Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, ac totius Ordinis N. P. S. Francisci Minister Generalis, & Servus, necnon auctoritate Sanctiss. D. N. Innocentii Papæ XII. Commissarius Apostolicus &c. Oratoris precibus, ut pote fraternæ, religiosæque charitati conformibus, ut Hospitium pro Religiosis Provinciarum Indiarum Occidentalium dumtaxat, & in eodem loco, ubi usque modo habitavit, & adhuc de præsenti habitat Procurator Causæ Canonizationis nostri B. Francisci Solani (diruta prius, ac demolita antiqua Cella inibi existente) Hospitium in meliorem, atque ampliorem formam a novis fundamentis construendum, erigi possit vigore præsentis Nostri Decreti facultatem, & assensum nostrum benigne indulgemus, & concedimus, atque adeo id exequi injungimus, & mandamus. Quandoquidem vero pro hujusmodi ædificio supradictæ Provinciæ Indiarum Occidentalium independente ab aliis, eleemosynas necessarias subministraverint; Ideo primo, & principaliter earum Religiosis Romam quacumque de causa accedentibus Hospitalitati inservire debebit, quod firmiter observari præcipimus: Pro tempore autem, quo earumdem Provinciarum Fratres Romæ non reperirentur, pariter mandamus, ut in eodem Hospitio nullus quavis de causa, aut motivo, cujusvis Nationis, Familiæ, vel Provinciæ, sive cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existat omnino ad cohabitandum recipiatur, nisi a P. Reverendiss. Commissario Generali Indiarum (cujus Hospitii curam, & dispositionem committimus) facultatem, & licentiam in scriptis exhibendam, ad hunc effectum obtinuerit: *sub pœnis Proprietariorum*, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, aliisque gravioribus ad arbitrium P. Superioris Generalis, tam aliter, quam ut præfertur permittentibus, quam respective sustinere prætendentibus: Itaut semper ex nunc, & in futurum, ut æquum est, pro Fratribus earumdem Provinciarum, quæ eleemosynas subministraverunt primo, & principaliter, privative ad alios Hospitium ipsum stare, & inservire debeat. Præterea ad majorem hujus determinationis nostræ observantiam, & subsistentiam, libenter concedimus, Lapidem cum suprascripta, sive alia clariori, idem tamen referente, Inscriptione, eidem Hospitio superimponi. *Permittentes Oratori*, si & quatenus opus fuerit ad majorem validitatem, & efficaciam, ut prædictorum omnium, & singulorum a Sancta Sede Apostolica Bullam confirmationis

Decretum Ministri Gen. quo annuit cum adjectione pœnarum in contravenientes.

procurare,

procurare, & obtinere valeat. Quibuscumque non obstantibus &c. Datum Romæ hac die 25. Februarii 1697.-- F. Bonaventura Poerius Magister Generalis, & Commissarius Apostolicus -- Loco ✠ Sigilli. De mandato suæ Paternitat. Reverendiss. Fr. J. Mariæ de S. Cruce Secr. Generalis Ordinis.

§. 2. Subinde vero cum idem Nicolaus dilecto filio Matthæo a Sancto Stephano moderno Ministro Generali Ordinis prædicti exposuisset, se Hospitium prædictum jam construxisse, ac proinde toto Decreti supradicti tenore inserto eidem supplicasset, ut illud confirmare dignaretur: Emanavit ab eodem Matthæo Ministro Generali aliud Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Fr. Matthæus a Sancto Stephano Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, ac totius Ordinis S.P.N. Francisci Minister Generalis &c. Attentis Oratoris precibus in hoc retroscripto libello ad nos directo contentis, eisdem omnino annuendum esse censemus. Hinc est, quod insistendo vestigiis Reverendiss. P. Bonaventuræ Poerii, nostri in officio predecessoris supra insertum Decretum, ab illo summa maturitate, ponderositate, & prudentia factum, tenore præsentium approbamus, ratihabemus, & confirmamus, præcipientes in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis in eodem contentis, omnibus nobis subordinatis Prælatis, & Subditis, ne illud quovis modo infringant, vel infringi permittant, sed inviolabiliter observent, & taliter faciant observari. Datum Romæ ex Aracæli die 21. Septembris 1697.-- Fr. Matthæus a S. Stephano Minister Generalis -- Loco ✠ Sigilli. De Mandato suæ Reverendiss. Paternitat. -- Fr. Jo. Maria de S. Cruce Secretarius Generalis Ordinis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Nicolaus Decreta hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Nicolaum specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, Provinciarum, & Conventus prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIII. Aug. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CIV.

Confirmatur restitutio quatuor Assistentium Generalium Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo.

Inn. XI. Const. ed. 1682. Jun. 12. P. 6. prohibita fuit electio Sociorum pro Congregatione Mantuana. Et Clem. XI. Const. ed. 1711. Nov. 10. P. 11. reducuntur Graduati pro Provinciis Italiæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 30. Aug. 1698. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Ab Alex. VII. instituti fuere Assistentes, & ab hoc Pontifice restituti.

Alias postquam quatuor Assistentes Generales Ordinis Fratrum Beatæ M. Virginis de Monte Carmelo non ita pridem in vim cujusdam Decreti a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro editi in eodem Ordine introducti; auctoritate Apostolica primum quidem ob certas tunc expressas causas ad tempus suspensi, ac subinde in perpetuum aboliti, ac suppressi fuerant: Nos ex commisso Nobis divinitus Pastoralis solicitudinis munere ad ea, quæ felici prosperoque Ordinis prædicti regimini, & gubernio magis conducibilia esse poterant, jugiter intendentes, audita hac in re Sententia Capituli Generalis Ordinis hujusmodi novissime in hac Alma Urbe celebrati, ipsos Assistentes Generales juxta formam in prædicto Alexandri Prædecessoris Decreto præscriptam in perpetuum restitui, adeoque ad eorum electionem in eodem Capitulo Generali deveniri demandavimus, & alias, prout in Decreto jussu Nostro desuper emanato uberius continetur.

Preces Procuratoris Gen. post Assistentium electionem.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, in executionem mandati Nostri hujusmodi perpetua dictorum Assistentium Generalium restitutio, eorumque canonica in Capitulo Generali prædicto electio secutæ fuerint; Hinc est quod Nos firmiori præmissorum robori, & efficaciæ providere, dictumque Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam primodicti, quam secundo dicti Decretorum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, perpetuam prædictorum quatuor Assistentium Generalium restitutionem, eorumque electionem, in memorato Capitulo Generali jussu nostro factas, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui

Confirmatio restitutionis, & electionis Assistentium.

desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. XXX. Aug. MDCXCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CV.

Confirmatur Decretum Congr. Episc. & Reg. pro executione alterius Decreti, & Constitutionis Clem. X. circa alternativam Officiorum in Provincia Cantabriæ Ord. S. Francisci de Observ.

Const. ed. 1696. Jan. 7. P. 5. Et Const. ed. 1698. Oct. 6. P. 8. agitur de alternativa in Provincia Januensi Reform.

Dat. 5. Sept. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alternativa præd. confirmata fuit a Congreg. an. 1671. & a Clem. X.

NUper pro parte dilecti filii Joseph delas Barzenas Fratris expresse professi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet in Provincia Cantabriæ dicti Ordinis, quæ quatuor Nationibus, nempe Montana, Alaba, Guipuzcoa, & Bizcaya constat, introducta esset alternativa Officiorum, itaut Minister Provincialis pro uno triennio eligeretur ex una dictarum Nationum, Custos ex altera, sicque alternatim inter easdem quatuor Nationes, quarum qualibet suum Diffinitorem habere, cum suis Guardianis, Lectoribus, Prædicatoribus, Vicariis, Confessariis Monialium, Magistris Novitiorum, omnibusque aliis solitis Officiis dicti Ordinis, quæ æqualiter pro qualibet dictarum Nationum in eadem Provincia distribuerentur, ac alias, nempe die 11. Septembris 1671. memorata Congregatio Cardinalium alternativam hujusmodi, quæ (ut asserebatur) per tempus quinquaginta annorum, & ultra in dicta Provincia de Superiorum Generalium consensu pacifice inter prædictas quatuor Nationes servari consueverat, itidem in singulis ejusdem Provinciæ Capitulis de cætero celebrandis per suum Decretum desuper emanatum religiose servari mandavisset, & præcepisset, ac subinde fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor Noster Decretum hujusmodi per suas desuper in simili forma Brevis expeditas Literas confirmasset, nihilominus cum inter spectantes ad dictam Nationem de Bizcaya quædam reperirentur valles de Somorostro, Musques, Sopuerta, & aliæ Encartationes de Bizcaya vulgariter nuncupatæ ab immemorabili tempore exemptionibus, & Immunitatibus (quas Fueros vocant) ipsius Nationis de Bizcaya gaudentes, ejusque gubernio subjectæ, ac ad illius Congregationes, dispositiones, & ordinationes convenientes non secus ac cætera ejusdem Nationis Loca, aliqui, tametsi dictæ Valles ad prædictam Nationem Montanam, sive quoad participationem Privilegiorum, sive quoad gubernium, aut alias directe, vel indirecte, nullatenus unquam spectasset, nec ullus Religiosus ex Vallis hujusmodi ad supradictæ Provinciæ Provincialatum pro dicta Natione Montana a tempore quo prænarrata alternativa in eam, ut præfertur, introducta fuerat, etiam antequam dictum Decretum, prædictæque Clementis Prædecessoris Literæ illius Confirmativæ emanassent unquam assumptus fuisset, in proxime futuro ejusdem Provinciæ Capitulo Provinciali, in quo juxta alternativam hujusmodi Minister Provincialis ex præfata Natione Montana eligi debebat, illum ex Montana Valle de Sommorostro, aut ex alia de Vallibus ad prædictam Nationem de Bizcaya spectantibus eligere intendebant; Et in eadem expositione subjuncto, quod id, si fieri contingeret, non aliud foret, quam dictam Alternativam invertere, sicque Jus alterius Nationis usurpare, ac lites in gravissimum pacis in dicta Provincia vigentis præjudicium excitare, atque hoc ipsum in contemptum prædictorum Decreti, & Literarum cessurum esset, ac propterea pro parte dicti Josephi eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut quo inconvenientibus hujusmodi mature occurri posset, præcipere dignaretur, sub pœna nullitatis electionis eo ipso incurrenda, ne in proxime futuro Capitulo Provinciali prædicto, seu alias quandocumque ullus Religiosus ex parentibus in dictis Vallibus permanens Domicilium, seu habitationem habentibus natus, & in illorum Ecclesiis baptizatus ad Provincialatum, seu alias prædictæ Provinciæ Officia ad prædictam Nationem Montanam juxta Decretum, & Literas hujusmodi spectantia, sed solum ad ea, quæ sunt dictæ Nationis de Bizcaya, quippe ad quam Valles prædictæ juxta authentica documenta dictæ Congregationi Cardinalium exhibita pertinere dignoscuntur, eligi, seu assumi valeret; Emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Commissario Generali Curiæ censuit, ac decrevit, servandum Breve fa. me. Clementis X. sub nullitate electionis, aliisque pœnis arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis infligendis, & Religiosos de Vallibus descriptis non comprehendendos sub alia Natione, quam sua de Bizcaya, Romæ 11. Aprilis 1698. -- G. Cardinalis Carpineus -- I. D. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

Lis mota Religiosis quorumdam Vallium, [...] causæ Decreti Congreg.

Decretum præd. quo etiam declaratur, ad quam rationem pertineant Religiosi dd. Vallium.

Preces d. Josephi delas Barzenas.

§. 1. Cum autem sicut prædictus Josephus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsum Josephum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,

ad

ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas; validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis hujusmodi etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die V. Septem. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CVI.

Confirmatur Decretum Congreg. Epis. & Reg. in causa Lusitana pro executione Constitut. Clem. X. pro Ordinariis contra Confessarios Regulares ab aliis approbatos.

Laudata Const. ed. fuit 1670. Jun. 21. P. 1. Hujus Pontificis Const. ed. 1696. Oct. 5. P. 6. concessa fuit Vicariis Apost. contra Regulares in Anglia jurisdictio quædam. Et Clem. XI. Const. ed. 1705. Jan. 30. P. 5. conceditur Ordinariis Insularum Philippinarum jus quoddam in Regulares.

6. Sept. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa Lusitana Jurisdictionis inter Venerabiles Fratres modernos Archiepiscopum Bracharen., & Episcopum Lerien. ex una, necnon dilectos filios Regulares Regni Portugalliæ ex altera partibus vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. In Causa Lusitana Jurisdictionis vertente inter Archiepiscopum Bracharen., & Episcopum Lerien. ex una, necnon Regulares ejusdem Regni partibus ex altera, instantibus dictis Archiepiscopo, & Episcopo declarari -- An Episcopi possint in sua Diœcesi prohibere Regularibus ad Confessiones audiendas approbatis ab Antecessoribus Episcopis, vel ab Episcopis alienæ Diœcesis, ne amplius Confessarii munus exerceant sine ipsorum nova approbatione, & licentia, non obstante Bulla Cruciatæ; & contra Regulares transgressores procedere valeant ad suspensionem, Censuras, & alias Canonicas pœnas -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audita relatione Nuncii Apostolici apud Serenissimum Lusitaniæ Regem residentis, referente Eminentissimo Colloredo, censuit, & declaravit; servandam esse omnino Constitutionem Septimam fa. me. Clementis X., quæ incipit -- *Superna &c.* non obstante Bulla Cruciatæ; quæ in hac materia nihil novi Juris induxit, neque quoad Pœnitentes; neque quoad Confessarios, prout præsentis Decreti vigore servari mandat, ac præcipit. Romæ XI. Aprilis 1698 -- G. Cardinalis Carpineus -- I. D. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem sicut pro parte Archiepiscopi, & Episcopi prædictorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos ipsos Archiepiscopum, & Episcopum specialibus favoribus; & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Septembris MDCXCVIII. Pontific. Nostri Anno Octavo.

CVII.

Avocatur Causa cum extinctione litis, & impositione silentii super executione alternativæ in Provincia Januen. Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observ. Reformat.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1687. Jun. 12. confirmata fuit d. Alternativa. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1696. Jan. 7. P. 5. ab Inn. vero XIII. Const. ed. 1721. Jun. 16. P. 1. confirmatur alternativa in Provincia Sancti Antonii in Lusitania Fratrum Discalceat.

Dat. 7. Oct. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus officium superni dispositione consilii Nobis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, impositum salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, exorta inter Religiosos viros; quos vota sua Altissimo in sanctitate; & justitia, pa-

ceque fraterna reddere decet, animorum dissidia, opportunis rationibus dirimere, illisque ne rursus quandocumque excitari valeant, ansam mature præcidere studemus, sicut prudenti deliberatione prævia ad Omnipotentis Dei gloriam &. animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Non semel ante hunc Pontificem confirmata fuit alternativa.

§. 1. Alias siquidem Nos ad supplicationem tum existentis Ministri Provincialis Provinciæ Januen. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quasdam felic. rec. Innocentii Papæ XI. prædecessoris nostri in simili forma Brevis literas pro religiosa quiete Fratrum dictæ Provinciæ die 12. Junii 1687. emanatas, per quas quoddam Decretum a Venerabili Fratre nostro Alderano Episcopo Ostien. S. R. E. Cardinale Cybo nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore editum, quo Alternativam circa electionem ad Provincialatum, cæteraque Diffinitorii Provinciæ hujusmodi officia inter tres partes, seu districtus, quibus Provincia ipsa constat, dudum in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciæ, ac per quasdam rec. mem. Urbani Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri itidem in forma Brevis literas stabilitam, & ordinatam, idem Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector servari, nec quidquam in contrarium innovari, seu attentari sub diversis pœnis præceperat, & mandaverat, confirmabatur, auctoritate Apostolica similiter confirmavimus, & approbavimus, & alias prout in nostris desuper in eadem forma Brevis 7. Januarii 1696. expeditis literis uberius continetur. Subinde vero cum pro parte ejusdem Ministri Provincialis Nobis expositum fuisset, quod dilectus filius Joannes Baptista Ghersi Frater expresse professus dictæ Provinciæ, qui alias post expletum, ad quod assumptus fuerat, Provincialatus Provinciæ hujusmodi officium, antequam dictæ Innocentii prædecessoris literæ emanassent, moderationem prædictarum Urbani prædecessoris literarum ab eodem Innocentio prædecessore obtinere, ac memoratam Alternativam in ipso limine fundationis dictæ Provinciæ, sicut præmittitur, stabilitam, & ordinatam, ac successive per quadraginta, & amplius annorum spatium pacifice observatam subvertere frustra tentaverat, ac deinde cum aliis forsan ei hac in re adhærentibus, post emanatas Innocentii prædecessoris literas supradictas eandem Provinciam acerrima lite in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita super præmissis excitata per quatuor circiter annos continuos, non sine gravi Religiosorum, & sæcularium scandalo vexaverat; demum vero, cum a dicta Congregatione Cardinalium varia Decreta utrique parti Collitigantium favorabilia, & contraria respective emanassent, Nosque Causam hujusmodi ad Capitulum Generale Ordinis prædicti, quod tunc in Oppido Civitate nuncupato Victoriæ Calaguritan. Diœcesis celebrabatur seu brevi celebrandum erat, pro informatione remisissemus, adeoque causa prædicta nondum penitus terminata, sed dumtaxat suspensa reperiretur, ipse Joannes Baptista tempore, quo informatio hujusmodi capienda erat, omnes Vocales Cismontanæ familiæ dicti Ordinis suspectos juridice allegaverat, ac proinde ab hac Alma Urbe, ubi tunc commorabatur, ad Provinciam suam præfatam reverti auctoritate nostra jussus fuerat, etiam contra prædictas nostras literas reclamabat, & ad dictam Urbem redire, prædictamque litem instaurare satagebat, ideoque idem Minister Provincialis, quo quies tandem dictæ Provinciæ post tot perturbationes restitueretur, causam prædictam ad Nos avocari, perpetuumque desuper silentium imponi summopere desiderabat, Nos die 21. Augusti 1696. dictas nostras literas omnino servari, nec quempiam ullo unquam tempore adversus illas sive in prædicta Congregatione Cardinalium, sive in quovis alio Tribunali, nisi Nobis consultis audiri mandavimus, prout in rescripto a tergo supplicis Libelli Nobis super præmissis porrecti per dilectum filium nostrum Joannem Franciscum S. R. E. Cardinalem Albanum nuncupatum Secretarium Brevium nostrorum secretorum annotato continetur.

Ortus, & progressus litis.

Causa hujus Constitutionis, & Preces Provinciæ.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti etiam filii Fratres Liguriæ Orientalis, & Liguriæ Occidentalis, quæ duas ex supradictis partibus Provinciæ hujusmodi constituunt, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi compererint dictum Joannem Baptistam adhuc non acquiescere, sed a dilecto pariter filio moderno Ministro Generali dicti Ordinis postulasse, ut sibi duos Religiosos Januenses pro dicta lite prosequenda ad Urbem prædictam mittendi facultas concedatur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Avocatio prædicta.

§. 3. Nos igitur specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac litis, & causæ hujusmodi statum, & merita, nominaque, & cognomina, & qualitates Judicum, & collitigantium, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, easdem litem, & causam in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperientur, a prædicta Cardinalium Congregatione aliisve quibuscumque Tribunalibus ad Nos auctoritate Apostolica, tenore præsentium avocamus, illasque perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac perpetuum desuper ipsi Joanni Baptistæ, & aliis quibusvis silentium imponimus, osque occludimus.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus litis pendentia, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma-

jorem

jorem sub Annulo Piscatoris die VII. Octobris MDCXCVIII. Pontific. nostri Anno Octavo.

VIII. Prohibetur, ne FF. Capuccini transeant ad aliam Religionem contra formam in Constitutione Urb. VIII. præscriptam.

Hæc Constitutio edita fuit 1628. Aug. 9. Similis Constitutio edita fuit a Clem. X. & Inn. XI. quæ postea confirmata fuit ab hoc Pontifice pro Benedictinis Congreg. S. Mauri in Gallia. Et hujus Pontificis Const. ed. 1697. Jun. 12. P. 6. agitur de religiosis transeuntibus.

Dat. 10. Oct. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ instituto laudabiliter incumbentium curam gerentes, religiosæ eorum stabilitati, ut in ea vocatione, in qua vocati sunt perseverent usque in finem, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere satagamus.

Ab Urb. VIII. sub certis pœnis interdictus quicumque transitus sine licentia Sedis, vel Generalis.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbano Papa VIII. prædecessori nostro pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum exposito, quod nonnulli dicti Ordinis Religiosi nulla desuper ab Apostolica Sede, vel Superioribus suis obtenta licentia, ad alios Ordines, seu Congregationes se transferre posse prætenderant, & prætendebant, non sine gravi regularis disciplinæ detrimento, ipsiusque Ordinis inquietudine, idem Urbanus prædecessor, ut incommodis, damnis, & perturbationibus, quæ ex ejusmodi translationibus oriebantur, occurreret, supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ne de cætero perpetuis futuris temporibus ullus ejusdem Ordinis Religiosus ad laxiorem absque speciali dictæ Sedis, ad Carthusien. vero, seu quemcumque alium Ordinem, vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis Ordinis supradicti licentia in scriptis obtinenda, quovis prætextu, aut ex quavis causa, sub apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, nec non excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis transire quoquo modo auderet, seu præsumeret Apostolica auctoritate interdixit, & prohibuit, & alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 9. Augusti 1628. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causæ Constitutionis, & preces Procuratoris Gen. pro prohibitione transitus ad Monasterium de la Trappe.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Maria ab Aretio modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, non minora incommoda, damna, & perturbationes memorato Ordini immineant, quinimo Provinciæ Galliarum ipsius Ordinis ea jam experiri cœperint, ex transitu Fratrum Ordinis hujusmodi ad Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe nuncupat. Ordinis Cistercien. Sagien. Diœcesis, ad quod quidam ex illis, quo spiritu ducti nescitur, prætextu tamen arctioris vitæ ducendæ se transferre satagunt. Nobis propterea dictus Franciscus Maria Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis de opportuno remedio providere, nempe quod Fratres dicti Ordinis Capuccinorum expresse professi ad memoratum Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe Ordinis Cistercien. animo se se ibidem associandi, seu incorporandi fine expressa solius Ministri Generalis ejusdem Ordinis Capuccinorum licentia in scriptis obtinenda, nullo modo transire possint, etiamsi alia servanda servarentur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ tam pro receptis, quam pro recipientibus prohibere quemadmodum ob easdem ferme rationes rec. mem. Clemens X., & Innocentius XI. Romani Pontifices prædecessores nostri id ipsum Monachis Congregationis Sancti Mauri Ordinis Sancti Benedicti prohibuerunt, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Franciscum Mariam Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ne Fratres expresse professi dicti Ordinis Capuccinorum ad quemcumque alium Ordinem, & Monasterium, seu alium Regularem locum cujusvis alterius Ordinis, seu Congregationis etiam Carthusianorum, & præsertim ad Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe hujusmodi nisi servata prædictarum Urbani prædecessoris literarum forma, transire ullo modo audeant, seu præsumant, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus. Prohibitio generalis, & specialis pro d. transitu.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, quorumcumque Ordinum, & Congregationum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die X. Octobris MDCXCVIII. Pontific. nostri Anno Octavo.

CIX.

Confirmatur Decretum Congreg. Epif., & Reg. circa electionem Abbatis Gen. Monachorum S. Hieronymi in Hifpania.

De electione Priorum Titularium, & Superiorum agitur Conft. ed. 1695. Jan. 19. P. 4. & feq.

Dat. 18. Oct. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

In Capitulo Gener. 1691. condita fuere infequentia Decreta circa electionem Generalis in & extra Capitulum.

Nuper pro parte dilectorum Filiorum Abbatis, feu Superioris Generalis, & Diffinitorum Ordinis Monachorum S. Hieronymi in Hifpania, Congregationi Venerabilium Fratrum Noftrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Confultationibus Epifcoporum, & Regularium expofito, quod alias in Capitulo Generali d. Ordinis in Monafterio S. Bartholomæi de Lupiana ejufdem Ordinis Toletan. Diœcefis Anno 1691. celebrato, pro bono regimine, ac pace, & quiete Ordinis prædicti. In primis multum expedire vifum fuerat, ne quis Monachus dicti Monafterii, qui prius Superioris Generalis Ordinis prædicti Officio functus fuiffet, denuo ad Officium hujufmodi, nifi per fexennium ad minus ab illo vacaviffet, eligi valeret. Secundo, quo d. Officii vacationis cafibus, qui pro tempore, quod inter unum, & alterum Capitulum Generale, juxta prædicti Ordinis Statuta, intercedere debet, quoquomodo contingere poffent, profpectum foret, multaque inconvenientia evitarentur, ftatutum fuerat, ut in eventum vacationis hujufmodi pro electione novi Superioris Generalis, Capitulum Generale hoc tempore intermedio non convocaretur, fed folum fexdecim Monachi, ex octo defignatis Monafteriis d. Ordinis, Prior nempe, & Procurator cujuslibet eorum, dictum novum Superiorem Generalem, qui vacantis Generalatus Officii tempus, quod ufque ad proxime fecuturum Capitulum Generale fupereffet, compleret, uti Vocales, feu Electores ad id fpecialiter deputati eligere valerent, jufque eligendi hujufmodi rurfus eveniente alia fimili vacatione, ad alios fexdecim Monachos Priores pariter, & Procuratores refpective aliorum octo Monafteriorum fpectaret, itaut quandocumque fimilis vacatio contingeret, ea alternatio inter Priores, & Procuratores quadraginta octo Monafteriorum, quibus Ordo prædictus conftat, per ftatas vices fervaretur. Tertio demum fi contingeret, ut memorati Vocales in Electione diffiderent, aut electio minus canonica fieret, decretum extiterat, ut electio hujufmodi ad fex Scrutinia redigi deberet, hac fervata forma, videlicet, ut fi in primo, fecundo, tertio, quarto, & quinto Scrutiniis hujufmodi electio canonica fecuta non fuiffet, duo, qui plura quam cæteri fuffragia fortiti effent, eligerentur, in quos dicti Vocales in fexto Scrutinio fua fuffragia dirigere tenerentur; quod fi neque in hoc fexto, & ultimo Scrutinio, ob paritatem fuffragiorum electio canonica peracta effet, illorum duorum alter, qui prius ad habitum regularem admiffus reperiretur, electus intelligi, & declarari deberet; cafu vero, quo in quinto Scrutinio fuffragia in diverfas perfonas collata effent plurefque paria fuffragia obtinuiffent, tunc quoque duo, qui prius fimiliter, quam cæteri ad habitum regularem admiffi fuiffent, ex illis eligerentur, ut fi quis in hoc quinto Scrutinio Superior, alii pares fuffragiis exifterent, Superiori fuffragiis ex iis, qui pares effent, is pariter, qui prius, quam cæteri ad habitum prædictum admiffus fuiffet, adjungeretur, ut deinde in fexto Scrutinio, primo quidem cafu in duos ex iis, qui paria fuffragia obtinuiffent, ficut præmittitur, eligendos; fecundo vero in Superiorem fuffragiis, illique, ut præfertur, adjungendum, omnium fuffragia reftringi, & conferri deberent. Porro Decretum, & forma hujufmodi etiam in Capitulis Generalibus, quæ a totius Ordinis prædicti Vocalibus celebrarentur, fervanda effent, & alias prout ex Libris actorum Capitularium plenius conftare dicebatur; & in eadem expofitione fubjuncto, quod nulla alia meliori, & magis congrua ratione paci, & quieti prædicti Ordinis confuli poffe videbatur; ac proinde eidem Congregationi Cardinalium fupplicato, ut fuam defuper Sententiam interponere, & confirmationis auctoritatem adjungere dignaretur. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui fequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiffimorum, & Reverendiffimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Confultationibus Epifcoporum, & Regularium præpofita, attenta relatione Nuncii Apoftolici Hifpaniarum, referente Eminentiffimo S. Clementis, cenfuit quoad primum reducendum tempus ad triennium juxta Votum ejufdem Nuncii Apoftolici, quo vero ad fecundum, & tertium refpondit affirmative. Romæ 20. Maji 1698. - G. Card. Carpineus - M. Archiepifcopus Athenarum Secretarius.

Decretum Congregationis fuper relatis Decretis.

Preces Diffinitorii.

§. 1. Cum autem, ficut Abbas, feu Superior Generalis, & Diffinitores præfati Nobis fubinde exponi fecerunt, ipfi Decretum hujufmodi, quo firmius fubfiftat, & fervetur exactius, Apoftolicæ confirmationis noftræ patrocinio communiri fummopere defiderent. Nos ipfos Exponentes fpecialibus favoribus, & gratiis profequi volentes, & eorum fingulares perfonas a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatæ exiftunt, ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutas fore cenfentes, fupplicationibus eorum nomine Nobis fuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinfertum auctoritate Apoftolica tenore præfentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adjicimus; falva tamen femper in præmiffis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Claufulæ.

§. 2. Decernentes eafdem præfentes Literas femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos fpectat, & pro tempore quandocumque fpectabit in omnibus, & per omnia pleniffime fuffragari, & ab eis refpective inviolabiliter obfervari; ficque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caufarum Palatii Apoftolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obftantibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, necnon quatenus opus fit Ordinis, & Monafteriorum prædictorum, aliifve quibufvis etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & confuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis, illorum tenores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac de verbo ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem fub Annulo Pifc. die XVIII. Oct. MDCXCVIII. Pontificatus Noftri Anno Octavo.

Con-

CX.

Confirmantur Patentes Ministri Gen. Ord. Sancti Francisci de Observ. circa usum Librorum Divini Officii pro suis Religiosis utriusque sexus.

De hujusmodi libris agitur Const. ed. 1696. Nov. 21. P. 6. Et Const. ed. 1697. Decem. 3. Clem. vero XI. Const. ed. 1704. Feb. 13. P. 4. conceditur Discalceatis Provinciæ Bæticæ facultas celebrandi Missam de B. M. V. singulis anni Sabbatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus ea, quæ a Regularium Ordinum ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem sapienti pietate ab hac Sancta Sede institutorum, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentium Superioribus ad servandam in Divinis Officiis uniformitatem prudenter constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ipse ut injunctum sibi dudum a Venerabili Fratre Bonaventura Poerio Archiepiscopo Salernitan., qui tunc Ministrum Generalem dicti Ordinis agebat, munus expleret, non modo Breviarium, sed etiam alios Libros Officii, nempe, Rituale, Ceremoniale, Martyrologium, Missale, ac Diurnale dicti Ordinis longo labore, sedulaque cura disposuerit, ipsique Libri Typis in Alma Urbe nostra impressi, propediem in lucem prævia debita (approbatione, benedicente Domino proditure sint; dilectus etiam Filius Matthæus a Sancto Stephano Modernus Minister Generalis ejusdem Ordinis omnibus, & singulis utriusque sexus personis ejus obedientiæ, seu directioni subjectis, quomodo circa usum eorumdem Librorum se gerere debeant, præcepit, & mandavit per suas Patentes Literas desuper emanatas; tenoris, qui sequitur, videlicet: Fr. Matthæus a Sancto Stephano Lector Jubilatus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Servus &c. Dilectis Nobis plurimum in Domino omnibus, ac singulis Fratribus, ac Monialibus, aliisque utriusque sexus personis Ordinum, & Congregationum obedientiæ, seu directioni Nostræ, ac Successorum Nostrorum, sub aliqua e regulis a Sancta Sede approbatis nunc; & pro tempore subjectis, ac subjiciendis salutem in eo, qui est vera salus. Delegata per Sanctissimum Dominum Nostrum Innocentium PP. XII. prædecessori nostro opportuna facultate, & hoc, ut tamquam Sedis Apostolicæ Commissarius, Evangelicæ, & Apostolicæ Doctrinæ Sacror. Canonum, & Generalium Conciliorum, præsertim Tridentini Decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, atque Regularibus nostri Ord. Institutis Apostolica auctoritate confirmatis inhærendo, abusus quoscumque tolleret, Regulas, Institutiones, & Ecclesiasticam, Regularemque Disciplinam, ac in primis Divinum cultum, ubicumque excidisset juxta ejusdem Ord. Regulam, & Constitutiones, d. auctoritate confirmatus, modis congruis (prout in Brevi cujus initium, *Ex debito &c.* die 28. Augusti 1695. emanato latius continetur) restitueret, ac reintegraret: ipse prædecessor noster attente recogitans se in his, quæ Divinum cultum concernunt, mentem Sanctitatis Suæ facile executurum, si de novo ederet in lucem tum Rituale; tum Cæremoniale; tum Martyrologium, tum Missale, & Diurnale, ac Breviarium Romano-Seraphica, quæ pro toto Ordine in posterum ubique deservirent R. A. P. F. Franciscum Diaz a S. Bonaventura Ordinis Patrem, ac Sacræ Congregationis Rituum Consultorem; in notitia rerum prædictarum apprime versatum consulto selegit, ad præstandum Deo; & Ordini Nostro hoc perutile, atque laudabile obsequium. Nosque pro eodem perficiendo, omnem eidem a die assumptionis nostræ ad Ordinis Ministeriatum duximus exhibere opem, atque assistentiam opportunam. Hinc certiores effecti de solerti cura, qua prius Rituale, deinde Cæremoniale, postea Martyrologium, successive Missale, subinde Diurnale, ac tandem Breviarium prædicta, juxta formam a Sanctissimo Domino Nostro, ut præfertur sancitam, ad prælum idem disposuit: necnon de approbationibus, quibus tam Sacra Rituum Congregatio, quam idem Sanctissimus Kalendarium, & Rubricas, ad cujus, & quarum præscriptum, cætera cuncta ordinari debebant; & re ipsa ordinata conspiciuntur, benigne comprobarunt: Nos ad hoc ut Impressio Breviarii ab eodem Sanctissimo Apostolico munimine, cum Kalendario, ac Rubricis præfatis roborari, prius incepta, quam citius perduceretur in finem, prout jam opitulante Domino, cernitur terminata, omnem ex tunc adhibuimus operam, & solicitudinem. Nunc vero attendentes, quod sub Titulo Rubricarum particularium Breviarii præmemorati, cui Apostolicæ approbationes prædictæ jam pridem accesserunt, sequens adest dispositio, videlicet: *Pro ordinando quotidiano Officio recurrendum est ad Calendarium a numero 5. dispositum, & ad Tabulam Festorum Mobilium: necnon ad supra scriptas Rubricas tam generales Breviarii Romani, quam particulares pro nostro, hic, & in dierum singulorum Officiis, exacte descriptas; omniumque servato præscripto dietim servabitur Regula Seraphica, quæ præcipit, ut (Clerici faciant Divinum Officium secundum Ordinem S. R. E. excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria) Quoad Cæremoniale vero, & alia ad recte, & sancte reddendum Domino Sacrificium laudis quoquo modo necessaria, & opportuna, observanda sunt documenta a S. Bonaventura edita, necnon Ordinationes Capitulorum Generalium Apostolica auctoritate confirmatæ, proinde Rituale, Constitutiones, & doctrinæ in Firmamento trium Ordinum contentæ, ibidem a san. me. Julio II., & tandem a fel. rec. Clemente X. in Brevi* ex commissi Nobis *die* 28. *Augusti* 1671. *cum aliis recentioribus, approbatæ, & sub nonnullis pœnis tunc, & nunc, observari mandatæ. Forma itaque Deo persolvendi Divinas laudes hic præscripta, ab omnibus Fratrum Ordinibus, & Congregationibus, obedientiæ Ministri Generalis Fratrum Minorum S. Francisci subjectis, necnon a Monialibus Conceptionistis, Coletaneis, de Annuntiata, & aliorum Institutorum, quæ sub eadem obedientia debitum præstant Altissimo obsequium, & famulatum, omnino tenenda est.* Propterea ne Fratres, ac Moniales nostri Seraphici cœtus commodo Ritualis, & Cœremonialis, necnon Martyrologii, Diurnalis, ac Missalis præfatorum diu careant, & ab observando præscripto præinsertæ Rubricæ, Apostolica auctoritate, ut præfertur, approbatæ, se quoquo modo excusent: tenore præsentium eidem Consultori commisimus; & in Domino commendavimus, ut prædictos Libros Divini Officii, nondum impressos, ad præscriptum vero Kalendarii, Rubricarum, & Breviarii, ut prædiximus, dispositos, sine ulla ulteriori mora Romæ Typis mandare curaret. Vobis autem omnibus tam subditis, quam Superioribus stricte, ac sub pœnis contentis in Brevibus, *Cum sicut*: die 21. Novembris 1696., & *Exponi Nobis* die 3. Decembris 1697. a Sanctissimo Domino

Forma præd.

mino Nostro, pro approbatione, usu, & impressione Breviarii jam dicti expeditis, præcipimus, injungimus, & mandamus, ut postquam Libri hujusmodi Romæ prælo mandati extiterint, æque in ipsorum usu, & aliorum serie similis rejectione, & abolitione, vos geratis, ac teneamini juxta præfatorum Brevium præscriptum, soli Breviario memorato ubique, & in omnibus vos ipsos conformare: sic enim, & non aliter executioni mandata censebitur commissio prædecessori Nostro à Sanctissimo benigne facta, atque impartita. Nec ulli unquam fas sit sine reatu culpæ in re adeo gravi omnino vitandæ quidquam in sæpedictis Libris, Sancta Sede inconsulta, addere, vel minuere, aut quoquo modo, etiam in praxi, alternationibus depravare. Datæ in Sacro Nostro Aracælitano Conventu die 4. Augusti 1698., & 490. a prima Nostri Ordinis approbatione Apostolica. Fr. Matthæus a S. Stephano Minister Generalis. De mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis Fr. Sebastianus a Benevento Secretarius Generalis Ordinis.

Preces Francisci Diaz.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Franciscus præmissa quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac audita super præmissis Venerabilis Fratris Prosperi Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris relatione, præceptum, & mandatum a memorato Matthæo Ministro Generali facta, ut præfertur, expeditasque desuper ejusdem Matthæi Ministri Generalis Patentes Literas præinsertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes, & præinsertas Patentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos, & quas spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, Congregationum, & Constitutionum quarumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam in libris hujusmodi impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ; utque eædem præsentes Literæ in principio, vel fine dictorum Librorum, etiam quandocumque de novo imprimendorum, Typis imprimi debeant.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die X. Novemb. MDCXCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXI.

Confirmatur Constitutio Clem. VIII. contra occupantes, vel perturbantes bona Congregationis de Alcobatia Ord. Cistercien. in Regno Portugalliæ.

Laudata Constit. ed. fuit 1596. Jun. 20. P. 5. ex qua constat idem Privilegium concessum fuisse Congregationi S. Justinæ ab Eug. IV. Const. ed. 1434. Feb. 25. P. 4. Et a Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jan. 25. P. 5. confirmantur omnia Privilegia Ord. Cistercien.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 14. Nov. 1698. An. 8

Ad futuram rei memoriam.

Dudum a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro contra occupantes, seu usurpantes bona Congregationis de Alcobatia nuncupata Ordinis Cistercien. in Regno Portugalliæ emanarunt literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constituti Clem. pro d cta Congreg um adjectio ne pœnæ ex ommunica ionis in con travenientes

§. 1. *CLEMENS PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam.* Pastoralis nostræ solicitudinis ratio postulat, ut in his auctoritatis nostræ partes libenter interponamus, per quæ Monasteriorum, & personarum in eis sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium commodo, & utilitati opportune consulitur. Sane dilecti filii Abbas Generalis, & alii Abbates, Abbatissæ, Monachi, & cæteræ Regulares personæ Congregationis de Alcobatia Ordinis Cisterciensis Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum nobis nuper exponi fecerunt, quod licet alias fel. rec. Eugenius Papa IV. Prædecessor noster per suum speciale Privilegium Congregationi Sanctæ Justinæ Ordinis S. Benedicti concessum, quo Exponentes prædicti ita utuntur, potiuntur, & gaudent, acsi pro eis in favorem eorumdem a Sede Apostolica a principio emanasset, & fuisset immediate concessum, inter alia decreverit, ut nulli omnino hominum liceret prædictæ Congregationis Monasteria, loca, res, & bona mobilia, & immobilia, possessiones, Domos, Molendina, aquas piscationis, Jura, seu Jurisdictiones temere perturbare, aut illa, vel eorum aliquod auferre, vel ablata retinere, occupare, seu quomodolibet vexationibus fatigare, quodque si aliqua Ecclesiastica, sæcularisve persona cujuscumque gradus, vel conditionis existeret, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeret, contra hujusmodi Privilegium, & Indultum venire, vel aliquod eorum violando, occupando, turbando, vel diminuendo, seu indebite fatigare præsumeret, neque facta ei notitia de hujusmodi Indulto infra tres dies se corrigeret, aut idoneam cautionem de satisfaciendo præstaret, excommunicationis sententiam ipso facto incurreret, a qua nisi dicta satisfactione præstita, præterquam in articulo mortis, & tunc de satisfaciendo per se si superveniret, aut per suos hæredes, vel successores idonea præstita cautione, non posset absolutionis Beneficium obtinere, ac alias prout in dicti Eugenii Prædecessoris literis sub Datum anno

Incarna-

Incarnationis Dominicæ 1434. septimo Kalen. Martii Pontificatus sui anno Quarto expeditis latius continetur; Nihilominus a nonnullis maxima adhuc damna inferuntur Monasteriis prædictæ Congregationis de Alcobatia qui eorumdem Monasteriorum muros, septa, Valla, Hortos, pomaria, nemora, Sylvas, Vineas, Agros, prædia, possalia, & prata diripiunt, & destruunt. Quare pro parte præfatorum nobis fuit supplicatum, ut dicti Eugenii Prædecessoris literis inhærendo super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut dictæ Congregationis Monasteria, & Religiosa loca, eorumque personæ nullum neque in spiritualibus, nec in temporalibus recipiant detrimentum, hujusmodi supplicationibus inclinati Motu proprio, & ex certa Nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo statuimus, decernimus, & ordinamus, ut nulli omnino personæ cujuscumque Ordinis, gradus, qualitatis, & conditionis existat, quantumvis sæculari aliqua, aut Ecclesiastica dignitate præfulgeat, liceat directe, vel indirecte, tacite, vel expresse quovis quæsito colore, vel ingenio tam per se, quam per aliquam aliam tertiam personam, seu personas Monasteriorum tam præsentium, quam futurorum dictæ Congregationis pecunias, bona, ædificia, villas, grangias, oliveta, possalia, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, Jura, Jurisdictiones, nemora, sylvas, vineas, possessiones, & alia quæcumque bona, quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt, & quæ omnia, & singula per eorum vocabula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, temere perturbare, destruere, imminuere, occupare, diripere, auferre, depopulare, usurpare, seu quovis alio modo indebite damnificare; aut eorumdem Monasteriorum septa, hortos, pomarios, & vineas, quæ sunt intra muros, & clausuram ipsorum Monasteriorum intrare, & ex ipsis vineis, pomariis, & hortis, quæ non sunt intra clausuram, & muros aliquid furari, aut in ipsorum nemoribus, & sylvis, arbores, & ligna scindere, eaque inde portare ausus fuerit, nec facta notitia de hujusmodi indulto, Decreto, Statuto, & Ordinatione nostris infra tres dies se correxerit, & idoneam cautionem de satisfaciendo præbuerit excommunicationis sententiam incurrat, a qua nisi debita, & integra satisfactione præstita præterquam in mortis articulo, & tunc per eos de satisfaciendo per se, si supervixerint, vel per hæredes, aut successores suos facta promissione possit a quocumque, nisi a nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium obtinere: Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, Sedis Apostolicæ Nuncios, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quo circa dilectis filiis Ecclesiarum Cathedralium dictorum Regnorum Portugalliæ Decanis illarum Diœcesum, in quibus dictæ Congregationis Monasteria consistunt per præsentes committimus, & mandamus, quatenus easdem præsentes literas, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Generalis, & aliorum Abbatum, Abbatissarum, ac dictæ Congregationis Regularium personarum fuerint requisiti, aut aliquis eorum fuerit requisitus, per Parochialium Ecclesiarum Abbates, Rectores, Vicarios, publicari faciant, & procurent, atque etiam, ut in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum sortiri, necnon eosdem Generalem, Abbates, & cæteros Regulares personas prædictas, & eorum singulos omnibus præmissis frui, & gaudere non permittentes eos, & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, vel subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinis, & Congregationis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, & manu Notarii publici, aut alicujus scribæ Monasteriorum dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis, aut alicujus ipsius Monasterii, aut personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem omnino fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 20. Junii 1596. Pontif. nostri Anno Quinto.

Causa Confirmationis, & preces Congregationis.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii modernus Abbas Generalis, aliique Abbates necnon dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ, & cæteræ regulares personæ utriusque sexus dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, adhuc non desint, qui maxima damna Monasteriis dictæ Congregationis inferre, illorumque bona frequenter diripere, & destruere minime vereantur, ac propterea ipsi exponentes præinsertas Clementis Prædecessoris literas, quo serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium consilio, præinsertas Clementis Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Confirmatio relatæ Constitutionis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Clementis Prædecesso-

ris

ris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIV. Nov. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXII.

Imponitur perpetuum silentium super quæstione de Institutione Ord. Carmelitarum a Prophetis Elia, & Eliseo.

Congregationem Discalceatorum componere Ordinem Carmelitarum declararunt Romani Pontifices, ut in Clem. X. Const. ed. 1670. Oct. 31. Pont. 1. Et Bened. XIII. Const. edit. 1730. Febr. 14. Pont. 6. agitur de Decretis circa Doctrinam S. Thomæ.

Dat. 20. Nov. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptori, ac Domini nostri Jesu-Christi, qui charitas est, & Deus Pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, Christifidelium quorumcumque, potissimum vero divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aura, proferre jugiter satagentium quieti, & tranquillitati sublatis jurgiis, atque altercationibus, quæ fraternæ charitatis serenitatem obnubilare possent, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, commissæque nobis a Domino potestatis partes desuper interponere studemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis salubriter in Domino expedire arbitramur.

Causa hujus Constitutionis.

§. 1. Cum itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, ex acribus super primæva institutione Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, illiusque successione a Sanctis Prophetis Elia, & Eliseo dudum enatis contentionibus, magnum Christifidelium ejusmodi minus necessarias quæstiones, utpote de rebus ad fidei veritatem, seu morum disciplinam minime pertinentibus, præsertim inter Religiosos viros, quos vota sua Altissimo in Sanctitate, & Justitia, paceque fraterna reddere decet, summopere improbantium, scandalum obvenerit, illudque ob quamplures libros, ac libellos acerbiori stylo desuper hinc inde conscriptos in dies plurimum augeatur. Hinc est, quod Nos ex injuncto Nobis divinitus Pastoralis solicitudinis munere serio considerantes, in quantam malorum segetem ejusmodi dissidiorum zizania succrescere possint, nisi provide ex agro Domini evellantur, ac proinde gravioribus perturbationibus, quæ præmissorum occasione in dies oriri possent, omnem ansam præcidere, & opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, habita super iisdem præmissis cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine super præfata quæstione de primæva institutione, ac successione Ordinis supradicti a Prophetis Elia, & Eliseo perpetuum silentium tenore præsentium imponimus; illudque a Defensoribus utriusque sententiæ, necnon ab omnibus, & quibuscumque, aliis cujuslibet status, gradus, conditionis, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni tam in scriptis, dissertationibus, & libris imposterum typis edendis, quam in publicis disputationibus, ac Thesibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per contrafacientes ipso facto incurrenda perpetuo servandum esse decernimus, & ordinamus.

Impositio silentii motu proprio facta sub excommunicationis pœna.

Prohibentur libri, & scripta super d. quæstione.

§. 2. Præterea libros, Theses, seu scripta quæcumque contra earumdem præsentium formam in posterum edenda, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus harum serie prohibemus, sub pœnis, & censuris in Regulis Indicis librorum prohibitorum contentis, illaque eo ipso absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus, & mandamus. Non intendimus tamen per silentii hujusmodi impositionem, uni seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis, ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere volumus in statu, & terminis, quibus de præsenti reperitur, donec aliter Nobis, & Sedi Apostolicæ visum fuerit determinare.

Relinquitur utraque pars in sua probabilitate.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumcumque, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, acsi de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur nihil penitur omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si præfatis, vel aliis quibuslibet communiter, vel divisim ab eadem sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem, ut præsentes Literæ in Valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Ci-

torio,

torio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est publicentur, & affigantur, sicque publicatae, & affixae, omnes, & singulos, quos illae concernunt perinde arctent, & afficiant, acsi unicuique eorum personaliter intimatae fuissent. Quodque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

XIII. Statuitur, ut Canonici Regulares Congregat. Hispaniae Ord. Praemonstraten. tam in habitu, quam in caeteris cum aliis uniformes sint.

Idem circa habitum mandatum fuit ab Urban. VIII. Const. ed. 1641. Aug. 19. P. 19. Et praesens Constitutio confirmatur a Clem. XI. Const. ed. 1702. Nov. 9. P. 2.

Dat. 6. Dec. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa mutationis habitus.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Canonici Regulares Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstraten., quod cum alias tunc existentes Canonici Regulares dictae Congregationis Canonicis Regularibus Gallis Ordinis praedicti se se opposuissent, & subinde Superior Generalis Ordinis hujusmodi ex Natione Gallica assumptus fuisset, ut se ab illius Jurisdictione eximerent, a bo. me. Nicolao, dum vixit Episcopo Patavin. tunc in Hispaniarum Regnis Apostolicae Sedis Nuntio petierunt, ut quo ab aliis Canonicis Regularibus Ordinis praedicti distinguerentur sibi habitus Regularis formam immutare liceret, ab eoque obtinuerunt, ut ad instar Fratrum Calceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, habitum albi coloris ex stamineo textu subtiliori, sine tamen tessera scapulario adsuta, ac absque Mantello, seu pallio super Caputio gestare valerent, quo habitu ipsi Exponentes de praesenti utuntur.

Causae Statuti, & preces Congr. Hispaniae.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes usum habitus hujusmodi imprudenter, & inconsiderate ab eorum antecessoribus introductum fuisse, ipsumque habitum ab eo, qui per Regulam Sancti Norberti Ordinis praedicti fundatoris praescribitur, quique a Canonicis Regularibus Provinciarum Italiae, Franciae, & Alemaniae dicti Ordinis aliarumque Christiani orbis partium, in quas idem Ordo propagatus reperitur, de praesenti gestatur, & antiquitus etiam a Canonicis Regularibus Ordinis hujusmodi in Regno Castellae degentibus gestabatur, difformem esse, adeoque se per illius delationem a dictae Regulae Institutis deficere, & insuper a Fratribus quorumdam aliorum Ordinum non distingui agnoscant, ac proinde habitum Regularem, qui in limine fundationis dicti Ordinis praescriptus fuit, reassumere, eoque in futurum uti, necnon officia Sanctorum ejusdem Ordinis recitare posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, ut de caetero iidem Exponentes cum universo Ordine Praemonstraten. tam in habitu, quam in caeteris uniformes sint, & esse debeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, & ordinamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Statutum praedictum.

Clausulae.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictae Sedis Nuncios, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictae Congregationis Hispaniae, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VI. Decemb. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Confirmatur aggregatio Congregationis Sancti Patritii in Hibernia Congregationi Canonicorum Regularium Lateranen. cum eorumdem Constitutionum receptione. CXIV.

A Clem. X. Const. ed. 1672. Aug. 19. Pont. 3. editae sunt nonnullae Constitutiones pro Canonicis Lateranensibus, & a Clemen. XI. Constit. ed. 1701. Maii 19. Pont. 10. confirmatur Clemen. X. Constitutio.

Dat. 30. Jan. 1699. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa aggregationis.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Canonici Regulares Congregationis Sancti Patritii in Regno Hiberniae, quod alias ne ipsi

diutius dispersi, ac sine Pastore remanerent, dicta eorum Congregatio Congregationi Lateranen. Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, de consensu illius Superiorum aggregata fuit, cum facultate utendi Constitutionibus ejusdem Congregationis Lateranen., servatis tamen durante præsenti rerum, dictique Regni statu nonnullis moderationibus in Decreto super aggregatione hujusmodi emanato expressis.

Preces Congregationis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes aggregationem prædictam quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum qui rem mature perpenderunt, consilio, aggregationem prædictæ Congregationis S. Patritii Congregationi Lateranen., sicut præmittitur factam, sine præjudicio tamen jurium Ordinariis Locorum quomodolibet competentium, & cum usu Constitutionum ipsius Congregationis Lateranen., auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio d. Aggregationis sine præjudicio Ordinariorum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Congregationum Sancti Patritii, & Lateranen., ac Ordinis, præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXV.

Confirmatur Decretum Congreg. Epis., & Reg. pro independentia Cœnobii Albarii Ordinis Minor. S. Francisci Conventualium.

Alexan. VIII. Const. ed. 1690. Apr. 5. P. 1. extant quædam Decreta Capituli Gen. Et hujus Pontificis Const. edit. 1699. Maii 16. P. 8. agitur de Primatu inter Diffinitores perpetuos Provinciarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 7. Feb. 1699. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa Januen. Subjectionis Conventus Loci Albarii inter dilectos filios Fratres Conventus Januen. ex una, & modernum Ministrum Provincialem Provinciæ Januen. Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet; In Causa Januen. Subjectionis Conventus Albarii inter Patres Conventus Januæ ex una, & Patrem Provincialem dictæ Provinciæ Ordinis Minorum Conventualium partibus ex altera de, & super infrascriptis Dubiis nempe. Primo An Conventus loci Albarii sit proprie membrum annexum, ac dependens a Conventu Januæ, seu potius sit Conventus formatus, ac independens. Secundo An Patribus Januæ competat Jus faciendi actus Capitulares, & signanter petendi revisiones computorum, ac redditiones rationum, seu potius hoc spectet ad Guardianum Albarii, & ejus familiam, vel ad Ministrum Provincialem. Tertio An Guardianus Albarii sit eligendus ex corpore Capituli Januæ. Quarto An Guardianus Januæ possit ad sui libitum transmittere Patres Capitulares Januæ ad dictum Conventum, itaut censeantur tanquam de familia, an vero id spectet ad Ministrum Provincialem, ac Diffinitorium. Quintum An Patres Januæ possint etiam dici PP., & filii Conventus Albarii, seu potius liceat Ministro Provinciali decernere, ut in dicto Conventu Patres, & filii constituantur juxta Constitutiones Ordinis. Sac. Congregatio Eminentissimor., & Reverendissimor. S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Partibus ipsis informantibus, Referente Eminentissimo Petruccio, censuit, ac declaravit prædictum Conventum Albarii esse in statu Conventus formalis, & independentis, & in reliquis servari Constitutiones Urbanas. Romæ 23. Januarii 1699. -- G. Card. Carpineus -- N. Archiepiscopus Athenarum.

Decretum Congr. in causa inter FF. Provinciæ Januen. super subjectione d. Cœnobii.

Dubia proposita.

Resolutiones.

Preces Ministri Provincialis.

§. 1. Cum autem sicut pro parte ejusdem Ministri Provincialis Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Ministro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro

tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, Provinciæ, & Conventuum prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die VII. Februar. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

[C]XVI.

Confirmatur Decretum Congreg. Concilii super obligatione Parochorum applicandi Sacrificium pro Populo in diebus festivis.

Const. ed. 1697. Dec. 23. P. 7. extant plura Decreta super celebratione Missarum. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jun. 14. P. 5. agitur de Ordinatis ejectis a Societate Jesu.

[Da]t. 24. Apr. [169]9. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

[Ca]usa hujus [de]creti fuit [Ep]isc. Pisto[rie]n. & Pra[ten].

[D]ecretum [Co]ngr. 1699. [s]ile alteri [a] Abbate [N]onantulan.

NUper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit super quodam dubio pro parte Venerabilis Fratris moderni Episcopi Pistorien., & Praten. Congregationi hujusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur videlicet Pistorien. Praten.- Cum Parochi Ecclesiarum Pistorien., & Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti negligant in dies celebrationem, & respective applicationem Sacrificii pro Populo juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, Episcopus ad consulendum, nedum propriæ, verum etiam dictorum Parochorum conscientiæ, supplicat declarari - *An Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro Populo, sive non?* Die 14. Februarii 1699. - Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, dandas esse resolutiones alias hac de re editas, & signanter in Nullius Nonantulan. Eminentissimo Abbati 30. Augusto 1698. tenoris, ut infra - Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis Sacrificii proposito, & respective resoluto sub die 10. Maji 1692. his præcisis verbis concepto - *An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis, in diebus Dominicis, & festis, sive habeat congruam, sive non?* Sacra, &c., juxta alias declarationes censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere; ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres quoad Parochos Nonantulanæ Diœcesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo Pastorali zelo detrectantes Parochos compellere non gravetur - I. Cardinalis Sacripantes Præfectus - F. Nuptius Secretarius.

Preces Episc. Pistorien.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Aprilis MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXVII.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc. & Reg. circa primatum inter Diffinitores perpetuos, seu Patres Provinciæ Ord. Min. S. Francisci Conventualium.

A Clem. X. Const. ed. 1671. Dec. 1. P. 2. nonnulla determinata fuere circa dd. Diffinitores: Ab Inn. XI Const. ed. 1688. Nov. 29. P. 13. circa primatum Collegialium. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1700. Jun. 14. P. 9. circa primatum FF. S. Didaci Discalc. in Ind. Occident. Necnon a Clem. XI. Const. ed. 1720. Maji 7. P. 10. confirmantur quædam Decreta Diffinitorii Gen.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 16. Maji 1699. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Diffinitorum perpetuorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum per patentes Literas Ministrorum Generalium dicti Ordinis institutorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor Noster, ut statui, & præcedentiæ inter Diffinitores perpetuos Ordinis prædicti, Patres Provinciæ vocari solitos, qui in quinque species distincti esse recensebantur, nempe aliqui propter gestum in propria, vel aliena Provincia Provincialatus Officium, alii, quia lecturam duodecim annorum spatio in Regentiis, inter quas erant,

A Clemen. X. concessum fuit, ut inter quinque species Diffinitorum perpetuorum servaretur ordo electionis.

erant, quæ primæ classis vocabantur, & Collegiis, vel Universitatibus studii Generalis exercuissent, alii ex eo, quod verbum Dei eodem temporis spatio in Pulpitis, seu Ecclesiis per Decreta dicti Ordinis præscriptis prædicassent; alii, quia cum in Sacra Theologia Magistri essent, per annos duodecim Magistri Novitiorum munere functi fuissent; & reliqui ex Decreto rec. me. Alexandri Papæ VII. etiam Prædecessoris Nostri, qui pariter Magisterii in Sacra Theologia gradu decorati per duodecim annorum decursum Inquisitores hæreticæ pravitatis fuissent, seu partim lecturam, ut supra, & partim Inquisitoris Officium exercuissent, provisum foret, supplicationibus pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis prædicti, nomine etiam tunc pariter existentium Ministri Generalis, ac Diffinitorum generalium perpetuorum, & Assistentium ejusdem Ordinis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus ut de cætero omnes, & singuli Diffinitores perpetui Provinciarum dicti Ordinis modo, & forma prædictis, post finitum lecturæ, seu prædicationis, vel Magisterii Novitiorum, aut Inquisitoratus tempus per Constitutiones ejusdem Ordinis, seu prædictum Alexandri Prædecessoris Decretum respective præscriptum ab existente pro tempore Ministro Generali Ordinis hujusmodi per patentes ejus Literas cæteroqui canonice eatenus instituti, & in futurum instituendi, illico Exprovincialium præeminentiis, prærogativis, & præcedentiis fruerentur, potirentur, & gauderent in omnibus, & per omnia, ac sine prorsus ulla differentia, perinde ac si Provincialatus munere functi fuissent, atque inter eos, & Exprovinciales prædictos servaretur æqualitas, & quoad ordinem præcedentiæ, sola prioritas Diffinitoratus, & Paternitatis Provinciæ attenderetur, auctoritate Apostolica concesserat, & indulserat, & alias prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis expeditis uberius dicebatur contineri. Et in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli, qui ratione Officii Provincialatus titularis Diffinitores perpetui Ordinis prædicti esse reperiebantur, antianitatem sui Diffinitoratus in suis Provinciis nativis non a tempore absoluti, quando scilicet revera Exprovinciales dicuntur, & remanent, sed a die incepti Provincialatus Titularis Officii hujusmodi, seu ipsorum institutionis in Provinciales titulares computari, seu desumi debere prætendebant, contra expressum sensum verborum prædictarum Clementis Prædecessoris Literarum, in quibus videlicet Exprovinciales denominabantur, & propter gestum Provincialatus Officium Diffinitores perpetui recensebantur, imo etiam contra expressam dispositionem Constitutionum Urbanarum nuncupatarum dicti Ordinis *Cap.* 8. *tit.* 22. *n.* 3. *in fine*, ubi Statutum illos concernens legi dicebatur hoc verborum tenore: Expleto hujusmodi Provincialatus tempore, deinceps nativarum Provinciarum Patres, perpetuique Diffinitores jure, legitimeque remaneant; ex prætensionibus vero hujusmodi multæ dissensiones inter Fratres prædicti Ordinis, non sine divini servitii, & regularis observantiæ detrimento resultabant; Ideoque pro parte eorumdem Diffinitorum perpetuorum per patentes Literas Ministrorum Generalium Ordinis hujusmodi, sicut præmittitur, institutorum dictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut declarare vellet, an juxta prædictas Clementis Prædecessoris Literas memorati Exprovinciales Titulares ab incepti, seu potius ab absoluti eorum Provincialatus Officii tempore Diffinitores perpetui in suis Provinciis nativis reputari deberent: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet--Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum

Nonnulli Diffinitores contra jus prætendebant attendendam esse ordinem electionis ad Provincialatum.

Decretum Congreg.

S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Procuratore Generali prædicti Ordinis, & attentis narratis, censuit, & declaravit, præcedentiam inter Diffinitores perpetuos, & Provinciales Titulares admissos ante ultimum Capitulum Generale desumendam esse in Provinciis nativis, postquam ipsi Patres Provinciales compleverint Triennium Provincialatus Titularis, & titulum, & denominationem Exprovincialium assumpserint, & non antea; In Provinciis vero titularibus a die post Institutionem per Literas Patentales, & post emissionem professionis fidei, prout præsentis Decreti vigore desumi mandat, ac præcipit. Romæ 26. Martii 1699. G. Cardinalis Carpineus -- N. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem sicut Diffinitores perpetui per patentes Literas, ut præfertur, instituti Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Maji MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Indicitur

VIII. Indicitur Universale Jubilæum anni Sancti 1700.

Ultimum Jubilæum anni S. 1675. indictum fuit a Clem. X. Const. ed. 1674. Apr. 16. P. 4. Extat aliud universale Jubilæum pro pace inter Principes Christianos hujus Pontificis Const. ed. 1695. Dec. 3. P. 5. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Maji 27. P. 1. pro initio sui Pontificatus.

17. Maji An. 8.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium commendatione hujus S. petitionis.

REgi sæculorum, qui sedet super Cherubim, & terrena omnia per labentium temporum vices, immortalis ipse, & incommutabilis permanens, mira ordinatione dispensat cantemus, dilecti filii, canticum novum, & acceptabile gratiarum, & laudis Sacrificium immolemus: Dum enim exeuntis jam sæculi finem instare conspicimus, supernam merito erga nos misericordiam confitemur, quia tot inter humanæ vitæ pericula non sumus consumpti, & nostræ simul mortalitatis admoniti, præterire omnia, & nihil permanere sub Sole, non divinis modo eloquiis credimus, sed ipso decurrentium sæculorum experimento deprehendimus; æternæ scilicet providentiæ per mundanas hujusmodi varietates nos erudiente consilio, ut immortalis vitæ gaudiis destinati sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc seculo, atque infirma hæc, & instabilia contemnentes, ad ea, quæ sursum sunt, & in æternum permanent, animos erigamus. Hoc vero saluberrimum, & Christiano plane dignum nomine studio, etsi nullo unquam vitæ nostræ tempore negligendum, peculiari tamen ratione, ac suo quodam veluti jure Nobis exigit appropinquans lætissimus ille, universæque Catholicæ Ecclesiæ venerabilis Annus Nobis ex veteri Majorum instituto celebrandus, quo ad hanc Almam Urbem nostram, & Beati Petri sedem ex toto Orbe concurritur, & universis Fidelibus ad quæque pietatis officia impensius excitatis, cælestes thesauri Unigeniti filii Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi, Sanctorumque ejus meritis comparati, latissime reserantur. Antiquorum enim, ut nostris, habet fida traditio, per decurrentes seculorum ætates, centenis quibusque ab ejusdem Domini Nostri salutifera Incarnatione annis, amplissimas peccatorum indulgentias, ac remissiones pie, ac devote Sacra Apostolorum limina visitantibus esse propositas. Et quamvis provido Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum consilio Sanctissimi hujus Jubilæi celebrandi tempus, quod multi, ætate hominum in dies decrescente, attingere non valebant, quo plures possent Indulgentiarum ejus fieri participes, intra angustiores annorum limites contractum fuerit; ipsa nihilominus centenarii celebratio, & antiquitatis præstantia, expressiori primævæ originis repræsentatione in primis insignis merito existimatur; postremo videlicet cujusvis sæculi anno, quod longissimum humanæ vitæ spatium reputatur, Christianis omnibus partum sibi per Christum æternæ vitæ per infinita secula duraturæ beneficium solemnius recolentibus. Audite ergo hæc omnes gentes, quæ Christi nomine gloriamini; auribus percipite, qui habitatis Orbem, Reges terræ, & omnes populi, simul in unum dives, & pauper, dum nos ejusdem Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, annuntiamus vobis, & evangelizamus Annum Domini placabilem; Annum expiationis & veniæ, redemptionis & gratiæ, remissionis & indulgentiæ peccatorum. Audiat terra verba oris Nostri, & buccinæ Sacerdotalis Jubilæum populo Dei personantis clangorem universus Orbis lætus excipiat; dum quod olim filiis Israel in umbra legis præfiguratum accepimus, hoc in Evangelii veritate jam cernimus spiritualiter adimpletum: nec enim, ut pridem Judaicum populum, ad terrenarum possessionum recuperationem Christianus nos annus Jubilæus invitat, sed ad æternæ assequutionem hæreditatis, a qua nos prævaricatio primi parentis excluserat; non ab humana servitute manumittimur, sed in libertatem filiorum Dei vindicamur; non pecuniarum debito absolvimur, sed peccatorum; non labori colendæ terræ subducimur, sed in cælestium contemplatione Domino feriamur.

§. 1. Quod igitur ratio temporis, & eorumdem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum admonet consuetudo, illorum vestigiis inhærentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, universalis, & maximi in hac Alma Urbe Nostra Jubilæi celebrationem in annum proximum Millesimum septingentesimum, a primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, & per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli, ac nostra, maximo, & superabundanti nostri cordis gaudio, & exultatione, ad ipsius Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ exaltationem, ac totius Christiani populi sanctificationem indicimus, & promulgamus. Quo quidem Jubilæi anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli, necnon S. Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, si Romani, vel incolæ Urbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies devote visitaverint, & pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani populi salute, & tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium Peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impertimur. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas visitare nequeant: Nos piæ promptæque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes, & confessos prædictæ indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis præscriptis reipsa visitassent; ut præfatis necessitatibus impediti desiderii sui effectum dono Sancti Spiritus consequantur. Indictio Jubilæi, & ejus consequendi ratio.

§. 2. Sanctificamini itaque, Filii dilectissimi, & præparate corda vestra Domino, ut Annum merito Sanctum à Majoribus appellatum, quia sanctis operibus specialius præstitutum, devotionis religiosæ consuetudine celebretis. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis Domini, & renovati spiritu mentis vestræ, orationibus insistite, frequentate jejunia, eleemosynas erogate, quibus, & propitiatio Dei quæritur, & concupiscentia carnis extinguitur, & anteactæ vitæ crimina rediminuntur. His porro Christianæ Vitæ ornamentis instructi, virtutumque præsidiis communiti, impigra, piaque animi alacritate, ad hanc Sanctam in terris Civitatem Dei, tot Sanctorum Martyrum, ac Beatorum præcipue Apostolorum Ecclesiæ Principum memoria præcellentem, velut Excitantur omnes ad bona opera, & ad Jubilæum.

ad thronum gratiæ, accedite cum fiducia, ut misericordiam consequamini: si enim duorum, vel trium fidelium pio consensui omnia, quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit, quid denegabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti, & per unum Spiritum in ipsa Religionis arce concorditer supplicanti? Dirigat Dominus gressus vestros in semitis suis, & in pace deducat nos velut oves pascuæ suæ ad Pastorem vobis in terris divinitus constitutum humiliter confluentes, ut qui unum corpus sumus in Christo, unanimes honorificemus Deum, & in Sanctæ Ecclesiæ, quæ una est dilecta Dei nostri, communione invicem collætemur. Atque utinam vobiscum pari charitatis amplexu, & paterni amoris in sinu daretur excipere filios olim nostros, nunc autem ab Ecclesia transfugas, qui juxta Nos erant, & de longe steterunt, recedentes a Fide Patrum suorum, & avertentes se ab ubere Matris suæ, quod sine gravi mærore recolere non valemus: deceptarum quippe tot animarum ruinas cum fletu, & lacrymis miseramur, exequentes Apostolicæ pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur. Et quia Nos ejus locum, licet immeriti, tenere conspicimus, qui venit revocare dispersos in terram suam; oves, quæ perierunt, assiduis ad Deum votis repetere, & Pastorali sollicitudine quærere non desistimus, clamantes, & invitantes, ut revertantur prævaricatores ad cor, omnique hæretica pravitate deposita, Catholicæ veritatis lumen agnoscant, & ad S. Matris Ecclesiæ redeant unitatem.

Mandatur Ordinariis locorum promulgatio Jubilæi.

§. 3. Vos autem in primis, Venerabiles Fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, sal terræ, & lux Mundi a Domino constituti, & ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in consortium nostræ solicitudinis advocati, Dominico gregi devotionem Officii Pastoralis impendite, vocate cœtum, congregate Populum, ovesque vobis creditas ad primi post Christum Pastoris Beati Petri Sedem adducite, ut convenientibus undequaque ad Fidei petram, & Catholicæ unitatis fundamentum Christifidelibus, una Ecclesiæ Fides, & unus Spiritus clarius pateat, atque uni visibili capiti, Christi in terris Vicario, membrorum ejus perpetua, atque indivisa conjunctio charitatis glutino coagmentata, unde unum Christi Corpus efficitur, toti Mundo splendidius elucescat. Dicite in gentibus, quam magnum, & in conspectu Domini pretiosum sit, cum totus Christi populus eisdem simul instat Officiis, & in utroque sexu omnes gradus, omnesque ordines sanctis operibus uno cooperantur affectu, plenissima enim obtinetur peccatorum abolitio, quando una est Ecclesiæ totius oratio. Annuntiate Populis Annum acceptabilem Domino, cælestium gratiarum ubertate redundantem, quem proinde Fideles cuncti pia devotione suscipiant, & bonorum operum frequentatione sanctificent.

Item ut hortentur Christifideles ad bona opera verbo & exemplo.

Docete omnes, sacro hoc potissimum tempore, a peccatis abstinere, intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, emundatosque ab omni inquinamento carnis, & spiritus cælestia concupiscere, & in amorem se incorruptibilis boni, atque in spem veræ lucis attollere. Detumescat superbia, mansuescat iracundia, cessent odia, deficiant simultates, & in unitatem dilectionis omnia Christi membra conveniant. Qui vero substantiam hujus Mundi habent, vobis prædicantibus, discant, non in incerto divitiarum confidere, sed omni avaritiæ labe deposita ad promerendam misericordiam Dei per opera misericordiæ se præparare. Aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, ac Peregrinos præcipue Romam venientes subsidiis adjuvent, hospitio excipiant, omnibusque Christianæ Charitatis Officiis prosequantur. Omnes autem, ut vetus Ecclesiæ consuetudo Apostolico ore laudata Nos admonet, orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, & pax, & concordia perpetuo conservetur. Eos porro, qui Sacram peregrinationem ad hanc Almam Urbem nostram susceperint, paternis exhortationibus specialius admonete, qua cordis devotione, & modestia, ac fraternæ pacis observatione ubique se gerant, ut Christi bonus odor fiant, in omni loco. Non vanis intendant fabulationibus, non Mundi curiosa sectentur, sed piis meditationibus mentem instruant; & ad portandas itineris molestias divinarum rerum colloquiis, humanis etiam, & canticis spiritualibus sibi invicem adjumento sint, & cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini, cogitent, quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, quodque non habentes hic manentem Civitatem, futuram inquirimus, & ad eam, quæ sursum est, Jerusalem Matrem nostram sanctæ spei affectibus aspiramus. Avertant in itinere oculos suos, ne videant vanitates; nec illicitis cupiditatibus, aut sæcularibus desideriis a suscepto pietatis proposito distrahi se patiantur. Sic bonas facient vias suas, & ambulantes in semitis Justitiæ, digni fient, Angelo Dei comite ad hanc Sanctam Civitatem cum exultatione deduci, ubi introibunt in tabernacula Domini, & adorabunt in locis, ubi requiescunt Sancti ejus. Intrabunt portas ejus in confessione, portas justitiæ, quibus facilis ad misericordiam Dei præstatur accessus, & ad cœlestium benedictionum thesauros acquirendos felix aditus aperitur. In omnibus autem, Venerabiles Fratres, probate vos ipsos, & omnem Clerum exemplum bonorum operum, & formam gregis: luceat lux vestra coram hominibus, ut vestræ virtutis, ac religionis velut sale cæteri condiantur, dumque in vos, tanquam speculum oculos conjiciunt, ex actionibus vestris habeant, quod imitentur.

Imploratur auxilium Principum.

§. 4. Charissimos quoque in Christo Filios Nostros Imperatorem Electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, quos in ipsa etiam ad Sacra Beatorum Apostolorum limina piæ peregrinationis laude, majorum suorum æmulatores fieri summopere cuperemus, & magno ingravescentis senii nostri solatio, antequam Dominus in pace dimitteret servum suum, in benedictionibus dulcedinis amantissime amplecteremur, hortamur interim, & rogamus in Domino, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; præcipue vero Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum, & Superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & a suis Magistratibus, & Ministris adjuvari mandent, & improborum licentia coerceatur, & bonorum studia eorum Regia ope, & gratia foveantur. Maxime autem erga Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis amanter excepti, & commeatu, rebusque ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria, institutum iter læti peragant, & cum gaudio in Patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Clausulæ.

§. 5. Ut vero præsentes Literæ ad omnium Fidelium, quibuscumque in locis existentium

noti-

notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ sigillo munitis eamdem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, & ostensæ.

§. 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo nono. Quinto decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXIX.

Confirmatur Decretum Provinciæ S. Evangelii in nova Hispania Ord. Min. de Observ. recollectorum de eligendo uno Diffinitore ejusdem Provinciæ.

De electione Officialium pro Provinciis Hispaniæ, & Romanæ vide Inn. XI. Const. ed. 1685. Apr. 16. P. 9. Et hujus Pontificis Constitut. ed. 1695. Sep. 12. P. 5. Et de Procuratore Gen. vide Clemen. XI. Const. ed. 1705. Mar. 12. P. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 13. Dec. 1699. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ dicti Decreti.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciæ S. Evangelii nuncupatæ in nova Hispania Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod cum in Constitutionibus Generalibus dicti Ordinis disponatur, ut in singulis Capitulis Provincialibus Provinciarum Familiæ Ultramontanæ ejusdem Ordinis pro tempore celebrandis unus Religiosus ex Statu Recollectionis Ordinis hujusmodi assumatur, & in Diffinitorem omnino eligatur, hæcque dispositio in dicta Provincia usu recepta reperiatur, inter Fratres vero, qui de Observantia dicuntur, in eadem Provincia existentes quædam vigeant partialitates, quas Fratres de Observantia prædicti, etiam inter ipsos Exponentes introducere tentarunt, iidem Exponentes agnoscentes partialitates hujusmodi eorum quieti, & Religiosis Institutis repugnare, non solum eas omnino rejecerunt, verum etiam quo firmius sua jura tuerentur curarunt, ut die 13. Decembris 1696. tota Provincia prædicta, illiusque Diffinitorio consentientibus, & subscribentibus inter alia ederetur Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Item determinatum fuit, quod quia semper Sancta Recollectio istius Provinciæ Diffinitorem perpetuo teneat, conformiter ad nostras Leges, eligatur semper unus Diffinitor Recollectionis absque eo quod attendatur ad aliquam partialitatem; & casu, quo, vel ex morte, vel ex alia quacumque causa Diffinitoris Recollectionis votum vacaret; Statutum Generale de hoc puncto pertractans servabitur.

Decretum Provinciæ.

§. 1. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat, variis artibus, & coloribus Decretum hujusmodi in maximum Recollectionis inter Exponentes præfatos stabilitæ præjudicium eludi, ac saltem indirecte averti tentatum fuerit, ac proinde dicti Exponentes illud quo perpetuam roboris obtineat firmitatem, nec a quoquam sub quovis prætextu directe, vel indirecte convelli, aut prave detorqueri unquam possit, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum etiam Filium Commissarium Generalem Curiæ dicti Ordinis super præmissis audiverunt, consilio, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Provinciæ, & confirmationis.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., ac quatenus opus fit Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XIII. Decem. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXX.

Confirmatur Constitutio Gregor. XV. circa dispensationem voti, ac juramenti a Clericis Congregationis Doctrinæ Christianæ de Urbe emissi, una cum illius declaratione, & Indulto suscipiendi Ordines ad titulum Congregationis.

Laudata Constitutio ed. fuit 1621. Nov. 12. ab Alexandro VII. ligati fuere tribus votis Constitutio. ed. 1659. Sep. 26. Et Clem. XI. Constitut. 1716. Sep. 29. P. 16. agitur de voto perseverantiæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 13. Julii 1699. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

APostolicæ solicitudinis, quam meritis licet, & viribus longe impares, divina dignatione gerimus, ratio exigit, ut illis quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad virorum in sortem Domini vocatorum, pietatisque officiis assidue incumbentium Congregationes sub salubribus earum Regulis, atque Institutis continendas sapienter disposita esse noscuntur,

quo firmiora sint, & serventur exactius, Apostolici muniminis nostri patrocinium adjungamus, ac alias pastoralis officii nostri partes desuper interponamus, sicut in Domino expedire arbitramur.

A Greg. XV. statutum fuit, ut solus Pontifex dispensaret, vel commutaret votum & juramentum prædd.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Gregorio XV. prædecessori nostro pro parte tunc existentium Præpositi, & Clericorum Congregationis Doctrinæ Christianæ in Ecclesia S. Agathæ Transtyberim de Urbe institutæ exposito, quod Clerici ejusdem Congregationis elapso novitiatus anno, votum cum juramento in eadem Congregatione perpetuo manendi libera, & spontanea voluntate emittebant, nonnulli vero super voto, & juramento præfatis, invita etiam Congregatione hujusmodi dispensare, & illa commutare licitum putabant, & de facto in ejusdem Congregationis præjudicium dispensabant, & commutabant. Idem Gregorius prædecessor supplicationibus eorumdem Præpositi, & Clericorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, inter cætera auctoritate Apostolica decrevit, & ordinavit, quod de cætero cum Clericis ejusdem Congregationis super voto, & juramento prædictis, nisi per ipsum Gregorium prædecessorem, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut votum, & juramentum hujusmodi commutari nullatenus possent, nec non facultatem desuper dispensandi, seu eadem vota commutandi sibi, & Romano Pontifici pro tempore existenti reservavit, & alias, prout in ejusdem Gregorii prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 12. Novembris 1621. expeditis, quarum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Præpositi, & Sociorum.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii moderni Præpositus, & Presbyteri seniores prædictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi quo dictæ Congregationis statui, & utilitati peramplius consultum sit, præfatas Gregorii prædecessoris literas Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, ac alias opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attentis voto, & relatione dilecti filii nostri Petri Matthæi ejusdem S. R. E. Cardinalis Petruccii nuncupati, ad quem Congregatio dictorum Cardinalium negotium hujusmodi examinandum remiserat, desuper factis, Decretum, & Ordinationem, ac reservationem hujusmodi, expeditasque desuper Gregorii prædecessoris literas supradictas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus. Præterea cum Clericis, & Presbyteris dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ, postquam votum, & Juramentum prædictum emiserint, nisi forte ab ipsa Congregatione juxta illius Constitutionum dispositionem dimissi fuerint, nec per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ, nec ab alia quacumque persona sub cujusvis Privilegii, seu Indulti prætextu, sed solum per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in casibus a Jure permissis, nempe primo in eventum quo, vel ex parte ipsorum, vel ex parte ejusdem Congregationis Doctrinæ Christianæ tanta, & tam notabilis mutatio contingeret, ut alia res ab ea, quæ per eos promissa fuit, moraliter diversa merito censenda esset: Secundo si aliquis ex eisdem Clericis, seu Presbyteris post emissum dictum votum ad aliquam Religionem ab hac Sancta Sede approbatam transire vellet: Tertio demum, quando filius familias votum hujusmodi inscio Patre emisisset, nisi tamen tacitus illius consensus adesset, dispensari posse, aliterque etiam a Sede prædicta, sine expressa voti, & juramenti prædictorum mentione, obtentas dispensationes nullas, & subreptitias fore, auctoritate, & tenore prædictis, decernimus, & declaramus.

Confirmatio Constitutionis Gregorii XV.

Declaratio casuum, in quibus dispensatio locum habeat.

Indultum suscipiendi Ordines ad titulum Congregationis.

Porro Clericis ejusdem Congregationis Doctrinæ Christianæ, ut postquam votum prædictum emiserint, ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, si alias ad id idonei reperiantur, nec ullum Canonicum eis obstet impedimentum ad titulum ipsius Congregationis, ut moris esse asseritur, dummodo tamen Ordinario loci constet dictam Congregationem victum, & vestitum eorum cuilibet, pro rata quadraginta saltem scutorum monetæ ex tot bonis stabilibus, certis, & fructiferis, vel locis montium Cameræ Apostolicæ non vacabilium annuatim subministrare posse, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant, eadem auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus, firmo tamen remanente quodam Decreto alias nempe die 13. Januarii 1673. a Congregatione tunc existentium dictæ S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum dictæ Urbis auctoritate Apostolica instituta deputatorum edito, quo mandatum fuisse dicitur, ut in eadem Congregatione Doctrinæ Christianæ admissi si eos quamvis licite, inde exire, seu demitti continget, ab exercitio Ordinum ad illius titulum susceptorum, quamdiu prævia eorum Ordinarii recognitione, & approbatione, tantum in redditibus habeant quantum ad congruam ipsorum substentationem sufficiat, suspensi remaneant, ac Juribus insuper eis agendi contra ipsam Congregationem, quatenus in eorum erectione, seu dimissione forma ab illius Constitutionibus Capite Octavo secundæ earum partis præscripta, servata non fuisset, & alias prout de jure, reservatis.

Decretum Congr. Visitationis de Ordinatis Congregatione discedentibus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsen-

tium

tium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIII. Junii MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno Octavo.

XXI.

Transfertur Valetudinarium Pauperum Sacerdotum de Urbe ad Palatium in Civitate Leonina cum erectione Collegii, seu Seminarii Ecclesiastici pro Presbyteris, & Clericis.

De hoc Valetudinario vide Clem. X. Const. ed. 1674. Jul. 13. Hujus Pontificis Constitut. edita 1693. Maji 22. P. 2. erectum fuit Hospitium invalidorum Et Const. ed. 1700. Maji 20. P. 9. erigitur Congregatio Hospitalis Pauperum Infirmorum in Indiis Occident.

28. Junii). An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ordium.

ECclesiæ Catholicæ per Universum Terrarum Orbem diffusæ regimini meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, ad ea per quæ salubri Christifidelium in sortem Domini assumptorum institutioni, felicique directioni ubique locorum, potissimum vero in Alma Urbe nostra veræ Religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue promanant, quamque propterea præ cæteris ordinatissimam esse decet, opportunis rationibus consulitur, propensis studiis jugiter intendimus, & ut piæ testantium voluntates præsertim ad pauperum Presbyterorum Infirmorum subventionem, & utilitatem ordinatæ commodius, ac consultius impleantur, concessæ Nobis a Domino potestatis partes libenter interponimus, sicut ad Dei Omnipotentis gloriam, piorum operum incrementum, & Animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

pilogus nstitut. m. X. in . descri- itur ortus, progressus Valetudi- ii.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Clementi PP. X. prædecessori nostro pro parte tunc existentium Deputatorum, seu Administratorum Valetudinarii, seu Hospitalis pauperum Sacerdotum Sæcularium de Urbe exposito, quod cum dudum quondam Joannes Antonius Vestrius Romanus Valetudinarium, seu Hospitale hujusmodi ad curandos pauperes Sacerdotes Infirmos in propria Domo ad Cloacam Sanctæ Luciæ nuncupata in Regione Pontis S. Angeli dictæ Urbis posita, ubi tunc reperiebatur, ac de præsenti etiam reperitur erexisset, & constituisset, illudque suum ex asse hæredem instituisset, necnon curæ, & gubernio Decani Canonicorum Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Urbe pro tempore existentis, ac duorum Presbyterorum a Congregatione centum Sacerdotum, & viginti Clericorum in Ecclesia ejusdem S. Angeli in Civitate Leonina, sive Burgo Urbis hujusmodi canonice, ut asserebatur erecta deputandorum, & annis singulis mutandorum commisisset, Executores Testamenti ejusdem Joannis Auctoris fundationem Hospitalis hujusmodi a bo. mem. Ascanio Rinaldo tunc existentis in Urbe prædicta Vicarii in spiritualibus Generalis Vicesgerente approbari, eique sic erecto privilegia, immunitates, & exemptiones, quæ aliis Hospitalibus de jure competunt concedi obtinuerant, cum facultate ibidem Altare, seu Capellam ad effectum celebrandi, Campanas retinendi, Sepulturam ædificandi, ac omnia alia faciendi juxta mentem, & piam dispositionem dicti Joannis Testatoris, & alias prout in prædicti Ascanii Vicesgerentis decreto desuper emanato uberius dicebatur contineri. Idem Clemens prædecessor supplicationibus dictorum Deputatorum, seu Administratorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Decretum prædictum toto illius tenore inserto, auctoritate Apostolica confirmavit, & approbavit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 13. Julii 1674. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem sicut accepimus, tametsi Valetudinarium prædictum in memorata Testatoris Domo, ut præfertur erectum, & constitutum omnibus Pauperibus Sacerdotibus Infirmis in eo excipi volentium semper hactenus patuerit, & pateat de præsenti, nihilominus ipsius Valetudinarii redditus, tam ob exiguum eorumdem Sacerdotum, ad illud confluentium numerum, quam ob sedulam ac fidelem curam, qua redditus hujusmodi hucusque administrati fuerint notabiliter creverint, iique insuper quorumdam piorum legatorum ac novissime hæreditatis quondam Francisci Biancardi, quæ Valetudinario hujusmodi obvenit, accessione adeo amplificati fuerint, ut usibus, in quos juxta memoratorum Testatorum, aliorumve piorum largitorum voluntatem convertendi essent, superabundare dignoscantur. Hinc est, quod Nos pastoralis Officii nostri debito summopere congruentem rem facturi nobis videmur, Si Valetudinarium supradictum ex angusta, nec satis nota Domo, in qua de præsenti, sicut præmittitur, reperitur, ad ampliorem, & commodiorem locum, nempe ad Palatium in Civitate Leonina, seu Burgo hujusmodi situm, quod nuper hoc consilio a dilecto filio nobili Viro Philippo Columna Magno Regni Neapolis Comestabili emendum duximus, transferamus, ipsiusque Valetudinarii redditus, quod expensas pro corporalibus dictorum Sacerdotum infirmitatibus curandis faciendas excedere compertum fuerit, inutili eorum multiplico sublato ad spiritualem ipsorum Sacerdotum, aliorumque Ecclesiasticorum virorum utilitatem fructuosius applicemus. Causæ Translationis.

§. 3. Itaque dictorum Joannis Antonii, & Francisci, aliorumque Testatorum, & piorum largitorum quorumlibet Testamentorum, & aliarum etiam ultimarum voluntatum, ac dispositionum quarumcumque tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, seu expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratum Valetudinarium in prædicta Domo erectum, & institutum, cum omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus ei, ut præfertur, concessis, & competentibus a Domo hujusmodi ad Palatium supradictum per Nos, sicut præmittitur emptum, tenore præsentium perpetuo transferimus, & transportamus. Translatio d. a Regione Pontis S. Angeli motu proprio facta.

§. 4. Cæterum in eodem Palatio Collegium, seu Seminarium Ecclesiasticum, quo procul a Sæcularibus negotiis, juxta Regulas jussu nostro præscribendas, Presbyteri, aliique Clerici, qui vocationis, qua vocati sunt, memores, ac Dominum in hæreditatem sortiri, id re ipsa esse, quod dicuntur, sedulo studere voluerint, benigne excipi, atque inibi, quo cæteris fidelibus tum doctrinæ lumine, tum bonorum operum exemplo prælucere possint, disciplinis eorum statui conformibus instrui, ac exerceri debeant, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis ple- Erectio Seminarii Ecclesiastici in eodem Palatio.

nitudine

Assignatur Dos ex redditibus ipsius Valetudinarii & bonis forsan ipsi relinquendis.

nitudine similibus, harum serie perpetuo erigimus, & instituimus; Ipsique Collegio sic erecto, & instituto pro illius dote, ejusque Officialium, ac Ministrorum, cæterarumque personatum ei pro tempore inservientium sustentatione, & stipendio, necnon aliis illius usibus, & necessitatibus (salva tamen semper in omnibus, & per omnia memorati Valetudinarii, sicut præmittitur translati manutentione) omnia, & singula ipsius Valetudinarii, & alia quæcumque bona, proprietates, Canones, census, fructus, redditus, & proventus, pecunias, res, actiones, & jura, tam per nos, vel Successores Nostros Romanos Pontifices, quam per alias quaslibet personas in futurum quandocumque, & quomodocumque eidem Collegio, etiam per modum eleemosynæ donanda, assignanda, unienda, offerenda, concedenda, & relinquenda, itaut liceat pro tempore existentibus Collegii, & Valetudinarii hujusmodi administratoribus nomine ejusdem Collegii per se, vel alios per eos pro eorum arbitrio deputandos, & amovendos, illorum omnium, & singulorum, veram, realem, corporalem, & actualem possessionem seu quasi possessionem absque spolii, vel attentatorum vitio, & sine cujuscumque Judicis Decreto, & Ministerio libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, regere, administrare, ac illorum fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, & levare, ac in prædicti Collegii, & non in alios usus, & necessitates (omnibus tamen prius erga Pauperes Sacerdotes infirmos juxta prædicti Valetudinarii Institutum Christianæ charitatis officiis expletis, cæterisque illius oneribus plane supportatis) convertere, & erogare, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis Diœcesani loci, dictæ Urbis Vicarii, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore prædictis itidem perpetuo ex nunc prout ex tunc postquam donata, assignata, unita, oblata, concessa, & relicta fuerint, & e contra, applicamus, assignamus, concedimus, appropriamus, & incorporamus.

Instituitur Congregatio super regimine Collegii, & Valetudinarii.

§. 5. Porro super regimine, & administratione Collegii supradicti Congregatio unius, seu plurium ex Ven. Fratribus nostris S. R. Eccl. Cardinalibus, ac nonnullorum dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum Virorum, doctrina, pietate, prudentia, & rerum usu præstantium a nobis deputatorum, ac in futurum tam a nobis, quam a Successoribus nostris Romanis Pontificibus deputandorum, inter quos etiam esse volumus dilectum filium modernum, & pro tempore existentem Decanum Canonicorum dictæ Basilicæ juxta prædicti Joannis Antonii Testatoris dispositionem qualificatam, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore præsentium similiter perpetuo præponimus, & constituimus, in ipsamque Congregationem sic præpositam, & constitutam, etiam prædicti Valetudinarii regimen, & administrationem, illis a quibusvis aliis personis penitus, & omnino abdicatis, perpetuo itidem transferimus, & transportamus, ac translata, & transportata esse decernimus, & declaramus.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, aliive quilibet, etiam speciali, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse: sed ipsas præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & perpetuo suffragari; & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus memoratorum Joannis Antonii, & Francisci, aliorumque Testatorum, & piorum largitorum, etiam ultimis voluntatibus, quas quo ad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, aliisque omnibus, & singulis præmissis ac de Jure quæsito non tollendo, cæterisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædicti Valetudinarii, seu Hospitalis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis Clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica

dignitate

dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVIII. Jun. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

XXII.

Confirmantur quamplurima Decreta Collegii Cantorum Capellæ Pontificiæ.

Extant quædam Ordinationes pro tutiori Custodia Librorum Alex. VIII. Const. ed. 1690. Nov. 14. P. 2.

:. 16. Julii .9. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Sixto V. ...cessa fuit ...Collegio ...ltas con... ...li Decre...

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii moderni Magister, & Punctator Collegii Cantorum Capellæ Nostræ Pontificiæ, quod dudum fel. rec. Sixtus Papa V. Prædecessor noster per quasdam suas sub plumbo expeditas Literas inter alia dicto Collegio pro felici statu, regimine, & gubernio ipsius Collegii, illiusque personarum, rerum, & bonorum, tam spiritualium, quam temporalium, necnon super electionibus, qualitatibus, oneribus, servitiis, & ministeriis Magistri Capellæ, aliorumque Officialium, & Ministrorum pro tempore existentium ejusdem Collegii, quæcumque Statuta, Ordinationes, & Decreta Sacr. Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non contraria condendi, & condita, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens visum fuisset, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, in toto, vel in parte revocandi, ac alia de novo edendi, eaque omnia, dummodo Apostolica, vel saltem Collegii hujusmodi Protectoris pro tempore existentis auctoritate approbata fuissent, ab omnibus, ad quos tunc spectabat, & pro tempore spectasset, sub pœnis pecuniariis arbitrio ejusdem Collegii infligendis, & illi applicandis, observari faciendi facultatem concessit, & elargitus fuit, & alias, prout in præfatis Sixti Prædecessoris Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso uberius continetur. Quocirca dictum Collegium vigore facultatis hujusmodi plura Decreta, quæ tamen, quia prædicta Apostolica, vel dicti Protectoris auctoritate approbata minime fuerant, suos plenarios, & integros effectus nunquam obtinuerunt, variis temporibus edidit, mutavit, correxit, ac respective reformavit. Novissime vero ejusdem Collegii jussu nonnulla ex Decretis supradictis magis necessaria, & opportuna ex authenticis illorum Libris, & Registris excerpta, illisque alia sexdecim Decreta, seu capita novarum Regularum Punctatoris Officium concernentia de novo adjuncta fuerunt, quæ in unum collecta, & a dilecto filio nostro Francisco S. R. E. Cardinale Maidalchino nuncupato moderno prædicti Collegii Protectore quibusdam sublatis, & respective additis, revisa, & approbata, & tam ab ipso Cardinale, & Protectore, quam ab ejusdem Collegii Cantoribus, qui se se ad eorum observantiam Juramento adstrinxerunt, subscripta sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

...quentia ...reta par... antiqua, ...im nova ...obata ...e a Car... Prote... ...e, & Col... ...o.

S C E L T A

De' Decreti degni di maggior osservanza per il regolamento del Collegio de' Cantori della Cappella Pontificia.

Avendo Noi Benedetto Ceccarelli Maestro di Cappella, Giuseppe Vecchi, Giovan. Battista Giannelli Camerlengo, Raffaelle Raffaelli, Gioseppe Ceccarelli, Andrea Adami Puntatore d'ordine del Collegio de' Sig. Cantori della Cappella Pontificia, scelti, ed uniti i Decreti di esso degni di maggior osservanza, con aggiungervi alcuni nuovi regolamenti per il Puntatore, in virtù della Bolla della S. M. di Sisto V., che dà ad esso Collegio facoltà di mutare, aggiungere, e diminuire in tutto, o in parte, i medesimi Decreti, e farne altri di nuovo, e dal detto Collegio a noi compartita; Ora che ne veniamo alla pubblicazione del presente Libro, si ordina a ciascheduno in nome di tutto il Collegio, che a noi concede tal autorità, l'osservanza de i sopraccennati Decreti sotto le pene in essi stabilite.

Die 18. Januarii 1567.

Franciscus de Montalvo Censor.

Eodem die fuit Congregatio post prandium, & omnes de cætero decreverunt, quod Punctator debeat punctare omnes non cantantes, & garrulantes, & non interessentes in suo loco, & deambulantes durante officio, dummodo cantatur.

I. De Punctatore, vide 7. & punctandis, vide 5.

Die 7. Februarii 1569.

Joannes Aloysius de Episcopis Censor.

Item congregatis DD. Cantoribus in Capella Paulina, fuit resolutum denuo, ut Abbas pro tempore existens, debeat dividere inter Cantores participantes, non solum partem venientem pro unoquoque de Regalibus, tam in Missis, quam de aliis, sed etiam de agio, ut vulgariter dicitur, quando dictus Abbas recipit ipsa Regalia in auro, & quia D. Joannes Antonius Merolus, cum fuisset Abbas per tres annos proximos elapsos, fuit ista die, & anno, ut supra, condemnatus a dictis DD. Cantoribus, ut solveret quidquid de ipso agio veniebat, & ita distribuit pro quolibet Cantore, quod veniebat.

II. De Abbate, & emolumentis, vide infr. 7.

Die 6. Februar. 1583.

R. D. Vincentius de Musatis Censor.

Deinde decretum fuit etiam, quod duos constituere debeant in novo officio pro infirmis visitandis, qui per unum annum integrum visitent Infirmos, Infirmarii nuncupati, & sic semper quotannis, duos eligere debeant, hilari vultu, omnes consenserunt.

III. De Infirmariis, & Infirmis, vide 35.

Die 6. Jul. 1584.

R. D. Hippolytus Gambocius Censor.

Post Sacrum, Congregatio Cantorum decrevit, ut nullus nostri Collegii in quadam Sodalitate Musicorum noviter erecta multis dignis de causis adscribatur.

IV. De quadam Societate Musicorum. Vide 5.

Die 7. Septembris 1584.

R. D. Boccapadulius Magister Capellæ.

V.

R. D. Hippolytus Gambocius Censor.

Cum diebus elapsis in nostra Congregatione propositum esset, conveniens necne esset, ut in nova quadam Musicorum Societate adscriberemur; re bene considerata, & cognita, judicavimus id non fieri, neque convenire, neque salvis nostræ Capellæ Decretis licere, fuit Decretum ne quis nostrum ullo modo id attentaret, aut se in illam Sodalitatem adscribi pateretur. Jam vero cum ad nostras aures pervenerit nonnullos e nostro Collegio, nulla nostrorum ordinum, vel decretorum habita ratione, in illam Sodalitatem adscriptos esse, nos, ut in tum præsenti, tum futuro malo mederemur, voluimus, ut hodie, qui septimus est Septembris 1584., denuo in Congregatione nostra res ipsa in medium afferretur, ut accuratius considerata, unusquisque, quæ sui animi sententia foret libere proferret. Itaque cum de more

Vide 4. 19.

solito

solito peracto Missæ Sacrificio, in divi Marci Sacrarium convenissemus, cumque a Reverendissimo D. Antonio Boccapadulio nostræ Sacræ Capellæ in præsens Magistro proposito esset, cumque omnes, quod sibi magis expedire videretur dixissent, tandem communi omnium sententia statuimus. Ut quod in præterita Congregatione decretum fuerat, illud posthac inviolabiliter observaretur; quare ne in futurum quis temere, & impune hæc nostra Decreta parvi facere audeat, decernimus, & mandamus, ne quis nostri Collegii dictam Musicorum Societatem ingrediatur; & si quis secus fecerit quinquaginta aureorum nostro arbitrio applicandorum mulcta puniatur, volumus, & alia pœna Sanctissimo Domino Nostro, & Sacræ nostræ Capellæ Magistro reservata; Verum quoniam post nostrum primum Decretum nobis relatum est, Joannem Baptistam Jacomellum, nostro Collegio penitus ignorante, dictam Societatem esse ingressum, ut in ea nescio quod Officium exerceret. Nos ut tantam illius inobedientiam reprimeremus, & cæteris posthac, hoc proposito exemplo cautiores in hujusmodi rebus sint, illum integra unius mensis solutione, aureorum videlicet novem punctamus, prout punctatum declaramus, volumus, & communi omnium sententia decernimus; quæ quidem solutio nostro arbitrio applicabitur in hac Congregatione, hi præsentes fuerunt, videlicet.

Vide 1.8.

D. Petrus Bartholomocius Decanus.
D. Matthias Blancus.
D. Benedictus Arcadius.
D. Franciscus Sottus.
D. Christianus Amaydem.
D. Michael Peromatus.
D. Vincentius Musattus.
D. Sanctes Gherlinus.
D. Cæsar Misserius.
D. Onofrius Guelfiduccius.
D. Jo. Maria Naninus.
D. Oratius Crescentius.
D. Jo. de Martinis.
D. Cæsar Belluccius.
D. Vincentius Zambonus.
D. Angelus Cribellus.
D. Thomas Benignus.

Ego Hippolytus Gamboccius Punctator ad perpetuam rei mem., hoc Decretum scripsi de mandato.

Adì 10. Luglio 1588.

VI. Il R. Sig. D. Francesco Sotto Maestro di Cappella.

Il Sig. Agostino de Martini Puntatore.

Della S.Comunione, vedi 34. & Magistro. Vedi 33.

Dopo la Messa radunati tutti li Cantori nella detta Congregazione, è risoluto col commune consenso di tutti li Cantori presenti, e *nemine discrepante*, che tutti li Cantori Sacerdoti, e Laici debbano nelle Feste solenni, cioe nella Natività di N. Sig., il giorno di Pasqua, di Pentecoste, l'Assunzione della Madonna di Agosto, e la Solennità di tutti Santi, si debbano preparare per ricevere nelli sopradetti giorni il Santissimo Sagramento, siccome è consueto in Palazzo pubblicamente, e perche in questi giorni sono Cappelle Papali, e non vi è comodità nella nostra Cappella, perchè si canta la Messa in S. Pietro, ed altre Chiese; pertanto si è risoluto, e stabilito in perpetuo, che il Maestro di Cappella esistente, debba otto giorni avanti le dette solennità ricordar detta preparazione, e deputare il giorno, nel quale tutti li Cantori tanto Sacerdoti, come Laici, si trovino preparati a ricevere il Santissimo Sagramento pubblicamente nella nostra Cappella, e dove si reciterà per detti Cantori il divino Offizio.

Adì 10. Luglio 1588.

Il R. Signor D. Francesco Sotto Maestro di Cappella. VII.

Il Sig. D. Agostino de Martini Puntatore.

Nella Congregazione fù proposto, che durante li Divini Offizj in Cappella, o dove si troverà il Collegio de' Cantori, si dovesse osservare il silenzio, e si dovesse stare con ogni riverenza, ed attenzione alli divini Offizj, e Messa, e di comun consenso fù ordinato, e stabilito, che detto Capitolo, o Decreto s'osservi inviolabilmente, che l'Appuntatore, dopo aver avvisato, e ricordato il silenzio se li dà autorità, che possa, e debba puntare quello, non obbedirà, e non osservarà il detto Decreto.

Della riverenza ne' Divini Officj. Ved. 15.

Vedi 1.8.

Adì 2. Ottobre 1588.

Il R. Signor D. Francesco Sotto Maestro di Cappella. VIII.

Il Sig. Agostino de Martini Puntatore.

Fù ordinato in Congregazione, che nessun Cantore per l'avvenire debba scrivere in nome del Collegio a nessuna persona per qualsivoglia negozio, se non il Segretario a questo deputato da tutto il Collegio, con il solito sigillo; il Segretario s'intende il Puntatore *pro tempore*, e chi scriverà, o spenderà la parola del Collegio senza l'espresso ordine, tutti di comun consenso hanno ordinato, e stabilito, sia penato, chi contraverrà per ciascheduna volta in dieci giulj, e secondo il caso, si riserba il Collegio l'arbitrio insieme con Monsignor Illustrissimo Protettore; *Omnes præsentes, ut supra dictum est*,

Del Segretario.

Vedi 1.26.

Vedi 1.9.

Adì 25. Novembre 1604.

Il Signor Cristiano Amaydem Maestro di Cappella. IX.

Il R. Sig. D. Ipolito Gambocci Puntatore.

Il molto Rev. nostro Collegio questa mattina hà risoluto, & ordinato, che il Cantore, che mancarà nella sua Orazione, secondo la lista per le Quarant' ore, sarà puntato in tutto quattro giulj, cioè per ogni quarto d'ora un giulio.

Delle Quarant' ore.

Vedi 1.10.

Adì 2. Gennaro 1600.

Il Signor Orazio Benigni Maestro di Cappella. X.

Il R. Fra Orazio Malvezzi Puntatore.

Domenica, si cantò la Messa a ore 16. tutti presenti il Sig. Tomasso Benigni Maestro di Capella intimò Congregazione per la mattina seguente, per l'elezione delli nuovi Offiziali, e con consenso del Collegio ordinò, che chi non fosse venuto alla detta Congregazione fosse puntato cinque giulj.

Dell'elezio[ne] degl' Offi[ziali]. Ved.27

Vedi 1.11.

Adì 25. Gennaro 1604.

Il Signor Gio. Maria Nanini Maestro di Cappella. XI.

Il R. Sig. D. Stefano Ugerio Puntatore.

Questa mattina, si cantò solennemente la Messa in Cappella, per aversi a leggere le Costituzioni, dopo si ragionò di molte cose, e in particolare, che se alcuno delli Sig. Cantori mancarà dal servizio di Cappella, e poi vada in qualsivoglia publico luogo a cantare, o suonare, e fare da Maestro di Cappella, senza licenza del Collegio, sarà puntato in uno scudo almeno, e più secondo l'arbitrio del Sig. Maestro, e Collegio, s'intende luogo pubblico la Chiesa, ed Oratorj, che si fanno con invito, e multiplicità di concorso, e questo l'ho scritto per commissione nella pubblica Congregazione, e che abbia da servire per Decreto, e questo per levare alcuni abusi, che possano intervenire.

Dell'assenz[a] dalla Cappel[la]. Vedi 31.

Vedi 1.13

Adì 12. Giugno 1606.

Il Sig. Leonardo Crescenti Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Francesco de Spinosa Puntatore.

Questo dì fù decretato, che per buoni rispetti la metà del punto, si facesse al secondo introito della Messa, e così fù determinato da tutti il seguente.

Adì 29. Giugno 1606.

Il Sig. Leonardo Crescenti Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Francesco de Spinosa Puntatore.

Fù determinato, che sempre, che si andasse a Cappella Papale alla presenza di Sua Santità tutti portassero Sottane di pavonazzo sotto pena d'un giulio.

Adì 11. Marzo 1614.

Il R. Sig. D. Ruggerio Giovanelli Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Vincenzo de Grandis Puntatore.

Domenica finita la Messa; il Puntatore ha detto quello; si debba fare intorno alle licenze, che si danno, senza che si vengano a domandare dà se stessi, non parendo bene, che si conceda in questo modo, però si è determinato da tutti, che non si debba per l'avvenire concedere licenza a nessuno, se non verrà da se stesso a domandarla in Cappella, eccetto gli ammalati.

Adì 17. Marzo 1614.

Il R. Sig. D. Ruggerio Giovanelli Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Vincenzo de Grandis Puntatore.

In oltre, acciò per il poco silenzio, che si osserva nel Coro, non ci sia causa, che non si senti bene N. Sig., ovvero il Celebrante, si è dichiarato, che il Puntatore debba puntare rigorosamente di un giulio per ciascheduna volta, chi ragionerà, mentre si diranno le orazioni, o qualsivoglia altra orazione, dopo la quale, si debba rispondere, & il tutto *nemine discrepante.*

Adì 25. Gennaro 1616.

Il R. Sig. Don Ercole Ferruzzi Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Carlo Vanni Puntatore.

Dopo la Messa furono lette le Costituzioni nella Libraria in S. Marco, e si fece Congregazione, dove il Sig. Maestro di Cappella, e tutti li Sig. Cantori confermono, e di nuovo decretorno, che li Cantori non possano chiedere licenza à particolare per particolare, ma a tutto il Collegio insieme, cioè alla maggior parte, altrimente la licenza sia nulla.

Adì 11. Marzo 1618.

Il R. Sig. D. Gio. Grisardo Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Aldobrando Trabocchi Puntatore.

Fù dichiarato dal Collegio, che in assenza del Puntatore, il Vice-Puntatore avesse la medesima autorità nel puntare, e fare tutto quello, che si ricerca ad un diligente Offiziale per servizio di Nostro Signore, e del nostro Collegio.

Adì 17. Genn. 1621.

Il R. Sig. D. Girolamo Rosini Maestro di Cappella.

Il R. Sig. D. Martino Lamotta Puntatore.

Fù fatto Decreto intorno alle licenze, e fù determinato, che domandando licenza qualche Sig. Cantore per andar a cantar fuora per suo guadagno, o per altro, gli sia concessa (potendosi) ma con essere puntato con il punto ordinario corrente quel giorno; è domandandosi licenza per qualche negozio, o necessità, se gli dia (potendosi) senza punto, e dette licenze non si devono concedere nelle Feriali restando in Roma. Vedi 14. 21.

Adì 14. Novembre 1621.

Il R. Sig. D. Girolamo Rosini Maestro di Cappella. XIX.

Il Sig. D. Martino Lamotta Puntatore.

Domenica fù cantata la Messa a ore 15. e mezza, e poi fatta Congregazione sopra il negozio, s'era bene entrare nella Compagnia nuova da erigersi de' Cantori di Roma, o no, e fù discorso, ed ogn'uno disse il suo parere, fù determinato di no, e per maggior sicurezza fù ballottato per Voti segreti, e fù vinto il partito, che non si dovesse entrare in d. Compagnia per diverse cause, e ragioni addotte da Sig. Cantori Compagni, e finalmente fù determinato di darne parte al Signor Cardinal Protettore. Vedi 4. 20.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Exponentes praedicti Decreta hujusmodi, utpote accurato, & exacto dictae Capellae Nostrae servitio, salubrique dicti Collegii directioni conducibilia, quo firmius subsistant, nec in vim facultatis ipsi Collegio per dictas Sixti Praedecessoris Literas, sicut praemittitur, concessae in futurum revocari, mutari, corrigi, reformari seu alterari valeant, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri, illorumque observantiam, itaut quemadmodum unanimi totius Collegii praefati consensu edita fuerunt, sic ab illis nonnisi pari consensu, & accedente ad id Apostolica, seu pro tempore existentis ejusdem Collegii Protectoris auctoritate, recedi ullo modo possit, constabiliri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula praeinserta Decreta auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio dictorum Decretorum.

Clausulae.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praefatis Sixti Praedecessoris Literis, aliisque praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Capellae, & Collegii praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVI. Julii MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXXIII.

Confirmantur duo Decreta Capituli Gen. Congreg. Caelestinorum Ord. S. Benedicti circa habilitationem Magistrorum Novitiorum, & quatuor Lectorum ad Abbatiam.

Idem concessum fuit aliis Lectoribus, & confirmatae Constitutiones ab Urb. VIII. Constit. edita 1626. Julii 8. P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 25. Julii 1699. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

Causa dd. Decretorum an. 1698.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas Gener. Congregationis Monachorum Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, quod ipse ad majorem Dei gloriam, & dictae Congregationis incrementum, illiusque Monachorum, ut non minus in Religiosis virtutibus, quam literarum studiis magis, magisque proficiant, incitamentum, tria Decreta in Capitulo Generali dictae Congregationis anno 1698. celebrato ab omnibus illius Vocalibus concorditer acceptato edi curavit, nempe Primum, quod Magistri Novitiorum ejusdem Congregationis post sexennium in exercitio muneris Magisterii Novitiorum hujusmodi peractum, privilegio Priorum actualium, & triennalium gaudeant, adhoc, ut ad gradum Abbatialem de Jure habiles reddantur. Secundum, quod ii Monachi praefatae Congregationis, qui jam memoratum munus Magisterii Novitiorum per integrum sexennium exercuisse reperiuntur eodem privilegio gaudere debeant, & de facto ad dictum gradum Abbatialem habiles sint. Tertium denique, quod praeter Lectores Monasteriorum Congregationis hujusmodi in quibusdam fe. re. Urbani PP. VIII. praedecessoris nostri literis nominatorum Lectores, aliorum quatuor scilicet S. Mariae de Corropoli, & de Casaluce, ac S. Bartholomaei Luceren., nec non S. Stephani Bononien. Monasteriorum ejusdem Congregationis, qui vel Philosophiae, vel Theologiae scholasticae lecturam in quatuor Monasteriis hujusmodi per duodecim annorum spatium exercuerint, dicto privilegio Priorum actualium, & triennalium similiter gaudeant, ac etiam ad praedictum gradum Abbatialem de Jure habiles existant.

1. de Magistris futuris.

2. de Magistris praefinitis.

3. de Lectoribus de Corropoli, de Casaluce, Luceren., & Bononien.

Preces Abbatis Gen.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Abbas Generalis Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Abbatis Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui votum dilecti filii nostri Leandri, ejusdem S. R. E. Cardinalis Colloredi nuncupati super praemissis consideraruut, & quoad petitam confirmationem secundi ex dictis tribus Decretis minime annuendum esse censuerunt, consilio, alia duo, nempe Primum, pro Magistris Novitiorum, addito tamen, quod ad memoratas praerogativas, seu graduationes consequendas non sufficiat solus temporis lapsus in qualicumque exercitio Magisterii Novitiorum hujusmodi, nisi etiam concur-

Confirmatio duorum Decretorum ex tribus relatis cum moderatione quoad secundum.

rat

rat Diffinitorii Generalis, vel Provincialis dictæ Congregationis approbatio, seu declaratio super laudabili exercitio, ac Tertium Decreta hujusmodi super Lectoribus prædictorum quatuor Monasteriorum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis Monachorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXV. Julii MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXXIV.

Communicantur gratiæ spirituales Congregationis Casinen. Benedictinis Monasterii Mellicensis in Austria.

Similis communicatio facta Congregationi Bavaricæ extat Const. ed. 1691. Aug. 11. P. 1. Et Clem. XI. Const. ed. 1714. Oct. 8. P. 14. pro Congregatione Monachorum in Bohemia.

Dat. 24. Sept. 1699. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusa regimini divina dispositione præsidemus, solicitudo Nos admonet, ut paternam Virorum Religiosorum Altissimi obsequiis sub suavi Monasticæ vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, prosperis eorum in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur consulere jugiter studeamus.

Preces Monachorum, & causæ communicationis.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii Abbas, & Monachi Monasterii Mellicensis in Austria inferiori Sedi Apostolicæ (ut asseritur) immediate subjecti Ordinis Sancti Benedicti Nobis nuper exponi fecerunt, Monasterium prædictum magno Religiosorum uberes in illis partibus bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium numero introductum sit, ipsi vero exponentes pro majori ejusdem Monasterii augmento, feliciorique illius directione omnia, & singula privilegia, gratias, Indulgentias, favores, & Indulta tam hactenus concessa, quam in posterum concedenda, quibus Congregatio Casinensis Monachorum Ordinis prædicti, ejusque Abbates, & Monachi, aliæque personæ quæcumque etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet fruuntur, & gaudent, ac frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, sibi, dictoque eorum Monasterio a Nobis communicari plurimum desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio prædictam communicationem quoad gratias spirituales tantum auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Communicatio præd.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIV. Sept. MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXV.

Mandatur, ut in Provincia S. Joannis Baptistæ in Regno Peruano Ordinis Prædicatorum serventur Constitutiones Capitulorum Gen. circa successionem FF. conjunctorum in Prioratibus.

De reductione Magistrorum vid. Constitut. ed. 1695. Sep. 21. P. 5. Et de translatione Cadaverum pro hac Provincia Clem. XI. Constit. ed. 1716. Jun. 3. P. 16.

Dat. 9. Oct. 1699. An. [illegible]

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur Constitutiones, & causæ Mandati.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Salzedo Frater expresse professus Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ in Regno Peruano Ordinis Prædicatorum, quod cum dilectus etiam filius Didacus Moratto Prior Provincialis dictæ Provinciæ in novissimo illius Capitulo Provinciali die 24. Julii 1697. celebrato ad Officium Prioris Provincialis hujusmodi electus, ejusque Procurator ad hanc Almam Urbem missus varia consilia, & conatus meditarentur, ut ipsius Didaci Fratres secundum carnem dicti Ordinis

professores

professores ad succedendum ei in dicto officio habilitari obtinerent; Ipse vero Hieronymus ad eamdem Urbem, ut illorum consilia hujusmodi præveniret pariter missus Nobis supplicasset, ut quo in ordinationibus, quæ in proximo, & aliis subsecuturis electionibus Priorum Provincialium Provinciæ prædictæ præsertim ex prætensa habilitatione hujusmodi oriri poterant occurreretur, Constitutiones prædicti Ordinis, per quas expresse prohiberi dicitur, ne Frater Fratri secundum carnem in eodem Provincialatus, aut Prioratus officio immediate succedere valeat, omnino observari debere decerneremus; Nosque supplicem libellum Nobis super hoc porrectum ad Congregationem infrascriptorum Cardinalium remisissemus, ipsa Congregatio Cardinalium dilecto etiam filio Magistro Generali dicti Ordinis rescripsit pro omnimoda observantia Decretorum Capitulorum Generalium, tam in imminenti, quam in aliis in futurum peragendis electionibus.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut conservationi regularis disciplinæ in dicta Provincia peramplius consultum sit, non tantum generaliter Decretum Capitulorum generalium hujusmodi, sed insuper specialiter earum Constitutionum, seu Ordinationum, per quas disponitur, ut non solum Fratres secundum carnem, verum etiam alii quicumque primo, & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu inter se conjuncti, seu se attinentes sibi invicem in Prioratibus, sive Provincialibus, sive Conventualibus immediate succedere nequeant, observantiam in Provincia hujusmodi demandari necesse sit, attento præsertim, quod Priores Provinciales dictæ Provinciæ pro tempore electi ex privilegio a Sede Apostolica, ut asseritur, concesso, ante obtentam confirmationem electionis de ipsorum personis factæ, ipsam Provinciam statim gubernare incipiant, adeoque cum literæ pro tempore existentis Magistri Generalis Ordinis prædicti super confirmatione hujusmodi nonnisi post duos annos a tempore secutæ electionis decursos illuc perveniant, nullum malis quæ hoc intermedio tempore ex immediatis Fratrum, vel aliorum consanguineorum, aut affinium successionibus hujusmodi oriri possunt, remedium ab ipso Magistro Generali adhiberi possit, ac proinde dilectus pariter filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis memoratas Constitutiones, seu Ordinationes, quas, ut his malis occurratur, & regulari disciplinæ prospectum sit, in dicta Provincia observari, sicut præmittitur, necesse est, ex diversis Capitulis generalibus Ordinis prædicti collegerit, & in relatione sua dictis Cardinal. super præmissis facta enunciaverit, ac recensuerit, nempe in Capitulo Vallisoletano anno 1605. celebrato, Ordinatione 45. mandatum reperiri, ut in Provinciis Indiarum dicti Ordinis, duo secundum carnem Fratres sibi invicem in Prioratibus tam Provincialibus, quam Conventualibus nullo pacto succedant, eorumque electiones contra Ordinationes hujusmodi formam factas eo ipso irritas, & nullas declarari, & decerni, ac id ipsum etiam antea in Capitulo Romano, Ordinatione 20. pro Provincia Lombardiæ Ordinis prædicti statutum fuisse, quinimo in Capitulo Veneto anno 1592. habito Ordinatione 31. pro Provincia S. Thomæ seu Apuliæ Ordinis hujusmodi disponi, ut primo, & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu inter se conjuncti, seu se attinentes sibi in officiis Provincialibus, vel Prioratus non succedant, idque pariter in Capitulo Valentino anno 1596. congregato pro Provincia Fainacliæ ejusdem Ordinis demandari. Nobis propterea dictus Hieronymus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces F. Hieronymi excedi.

§. 2. Nos igitur ejusdem Hieronymi votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum qui dictum Procuratorem Generalem super præmissis audiverunt, consilio, enunciatas Constitutiones Capitulorum generalium Ordinis supradicti in memorata Provincia Sancti Joannis Baptistæ in Regno Peruano, itaut Fratres illius tam in primo quam in secundo gradu conjuncti in officiis Priorum tam Provincialium, quam Conventualium immediate succedere nequeant, observari auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio laudatarum Constitutionum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Provinciæ S. Joannis Baptistæ, ac Ordinis, prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die IX. Octobris MDCXCIX., Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXVI.

Confirmatur resignatio facta Francisco Farnesio, suæque Familiæ Successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus, cum nova concessione Officii Magni Magistri Militiæ Auratæ Constantinianæ.

Inn. XI. Const. ed. 1686. Feb. 26. P. 10. declarata fuit nulla alienatio Status Messerani a Duce Sabaudiæ facta. Et Clem. XI. Const. ed. 1720. Sep. 26. P. 20. conceditur Regi Portugalliæ, ut suscipere valeat Insignia a Patriarcha Ulyssiponen.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duci.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 24. Oct. 1699. An. 9.

Dilecte Fili Nobilis Vir, Salutem, & Apostol. benedictionem.

Sinceræ fidei, & singularis devotionis affectus, quem erga Nos, & Sedem Apostolicam ge-

Commendatur Dux, ejusque famil

rere comprobaris; necnon præclara, & multiplicia illustris familiæ tuæ Farnesiæ in eamdem Sedem merita nos adducunt, ut ea tibi, ac tuis futuris natis, & descendentibus, aliisque ejusdem tuæ Familiæ Principibus libenter concedamus, per quæ honorum Vobis fiat accessio, & perenne aliquod paternæ nostræ in te, tuamque Familiam prædictam voluntatis extet monumentum.

Resignatio facta a Joanne Andrea ultimo familiæ Angelæ Flaviæ Comnenæ.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius nobilis Vir Joannes Andreas Angelus Flavius Comnenus Princeps Macedoniæ, ac Magnus Magister Militiæ Auratæ Constantinianæ sub titulo Sancti Georgii, & Regula S. Basilii Magni nobis nuper significavit, ipse, qui (ut asserit) Nobilis, & antiquæ Familiæ suæ Angelæ Flaviæ Comnenæ solus superstes, ac non tam liberis, quam spe illos procreandi, destitutus existit, quippe qui in provecta ætate constitutus jam reperitur, necnon parum firma, ac bellicis ærumnis fessa valetudine utitur, summopere cupiens in officio, seu munere Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ prædictæ, quod longissimo tempore ab ejus Progenitoribus continua, ac non interrupta serie obtentum, & possessum fuit, dari sibi successorem prævalidum, cujus ope, ac virtute Militia præfata relevetur, & præservetur a noxiis, necnon lætioribus, benedicente Domino, proficiat incrementis, ad Nobilitatem tuam egregiis naturæ, gratiæque Divinæ muneribus præfulgentem mentis suæ oculos provide direxerit, juribusque sibi hac in re quovis modo competentibus, seu quæ sibi competere existimaverat, utens, tibi, ac tuis successive natis, Nepotibus, & Descendentibus, aliisque Familiæ tuæ Farnesiæ prædictæ successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore existentibus, officium, seu munus hujusmodi (reservato tamen desuper nostro, & dictæ Sedis beneplacito) resignaverit.

Causæ hujus Confirmationis.

Hinc est, quod Nos sperantes in Domino te, cui præter generis splendorem, ac domestica majorum exempla, Catholicæ Religionis tuendæ Zelus, aliæque eximiæ, ac pio, prudentique Principe dignæ virtutes abunde suffragantur, Militiæ prædictæ, plurimum utilitatis, adspirante superni favoris auxilio allaturum esse, ac proinde de felicibus ejusdem Militiæ progressibus, quæ (ut asseritur) diversis privilegiis, gratiis, & Indultis, a quamplurimis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris insignita fuit, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulere, teque specialis favore gratiæ prosequi volentes, tuique, ac dicti Joannis Andreæ Principis, ac Magni Magistri singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; necnon prædicti Officii, seu muneris erectionem, naturam, statum, qualitates, & circumstantias quascumque, etiamsi electivum, & personale existat, aliave quælibet etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, supplicationibus, tam tuo, quam ejusdem Joannis Andreæ Principis, & Magni Magistri nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati eisque benigne annuentes, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, resignationem dicti Officii, seu muneris Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ Auratæ Constantinianæ tibi, ac tuis post te natis, Nepotibus, & Descendentibus, aliisque familiæ tuæ Farnesiæ supradictæ Successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore existentibus a memorato Joanne Andrea Principe, & Magno Magistro factam, ut præfertur, publicumque desuper confectum Instrumentum, seu scripturas cum omnibus, & singulis in eis contentis, alias tamen licitis, & honestis, ac Apostolicæ Sedi prædictæ, illiusque auctoritati minime adversantibus, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam, & validitatem adjungimus, & adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, & solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum, Privilegiorum, & Indultorum Apostolicorum, necnon Militiæ prædictæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum Statutorum, seu stabilimentorum quorumlibet præscripto, quam de stylo, usu, & consuetudine, etiam immemorabili, seu alias quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandorum, & alios quosvis etiam quantumvis formales, & substantiales, & incogitatos, & inexcogitabiles defectus, si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, seu antecedenter, consequenter, vel concomitanter, aut alias quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi quomodocumque, & quandocumque possent, etiamsi tales sint, ut nonnisi facta eorum specifica, & individua mentione, & expressione sanari possint, plenissime, & amplissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, abrogamus, & abolemus.

Confirmatio precibus dicti Joannis Principis, & Francisci Ducis, nec non motu proprio facta.

Sanatio Defectuum.

Item nova concessio d[...] Officii.

§. 2. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, ac etiam omni alio meliori modo, via, jure, & forma, quibus firmius, & validius facere possumus, tibi, ac prædictis tuis natis, Nepotibus, & Descendentibus, aliisque Familiæ tuæ hujusmodi Successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore existentibus suo Ordine respective supradictum Officium, seu munus Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ Auratæ Constantinianæ præmisso, vel alias certo, quem præsentibus itidem pro expresso haberi volumus modo vacans cum omnibus, & singulis illius honoribus, juribus præeminentiis, & prærogativis solitis, & consuetis motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie perpetuo concedimus, & assignamus. Necnon vobiscum super receptionis in Fratres Milites Militiæ prædictæ; susceptionis habitus per eosdem gestari soliti, ac professionis per illos emitti consuetæ regularium, necnon servitiorum quorumlibet a Statutis, seu stabilimentis hujusmodi præscriptorum, ac aliarum quarumvis per eadem Statuta, seu stabilimenta, ac privilegia, & Indulta Apostolica ad obtinendum Officium, seu munus hujusmodi, illiusque Jurisdictionem, potestatem, præeminentias, & prærogativas exercendum quomodolibet requisitarum qualitatum defectibus, cæterisque impedimentis quibusvis hac in re vobis quomodolibet obstantibus, & quomodocumque obstituris, seu quæ vobis obstare quovis modo prætendi, censeri, vel intelligi possent, ad præmissorum effectum, quatenus opus sit, etiam ex nunc, prout ex tunc, & e contra de specialis dono gratiæ dispensamus.

Solutio ab impedimentis.

Mandatum executionis.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac districte præcipientes omnibus, & singulis memoratæ Militiæ Officialibus, & Ministris quocumque nomine nuncupatis, Militibus, Fratribus, & personis, cæterisque ad quos spectat, & quandocumque spectabit in fu-

turum, ut te statim, post te vero prædictos tuos natos Nepotes, & Descendentes, aliosque memoratæ familiæ tuæ Successores Parmæ, & Placentiæ Duces pro tempore existentes ad officium, seu munus Magni Magistri, seu perpetuo Administratoris hujusmodi, ejusque liberum exercitium juxta tenorem præsentium recipiant, & admittant, vosque recognoscant, ac vobis in omnibus, quæ ad idem Officium, seu munus pertinent, pareant, & obediant, faveantque, & assistant respective.

Clausulæ. §. 4. Ac decernentes ipsas præsentes literas, etiamsi in Cancellaria Militiæ supradictæ nunquam registrentur, nec admittantur, nihilominus, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac vobis plenissime suffragari in omnibus, & per omnia, perinde, ac si ab iis, ad quos ea res spectat unanimiter, nemineque penitus discrepante, vel contradicente admissæ, & in Cancellaria prædicta registratæ fuissent, neque ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet, etiam primores, seu primi cujuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alias specifica, seu individua mentione digni existant, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris, seu Statutorum, seu stabilimentorum, ac consuetudinum, usuum, & privilegiorum dictæ Militiæ reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, nec easdem præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem prædictam quovis modo, etiam per viam legis, & Constitutionis generalis, seu Statuti perpetui quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per vos, vestrumve quemlibet eligenda concessas intelligi, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Eccles. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & d. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Militiæ, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, usibus, stabilimentis, & naturis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eidem Militiæ, illiusque Fratribus, & personis quibuslibet, etiam primoribus, seu primis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIV. Octob. MDCXCIX. Pontific. nostri Anno Nono.

CXXVII.

Confirmantur quædam Decreta Dietæ Gener. Carmelitarum Congregat. Mantuanæ cum additione, & reformatione Congregat. super Discip. Reg.

De Sociis hujus Congreg. pro Capitulo Gener. vid. Inn. XI. Const. ed. 1682. Jun. 12. P. 6. Et Clem. XI. Const. ed. 1711. Nov. 10. P. 11. agitur de reductione Studiorum, & gradunm pro Provinciis Italiæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 30. Jan. 1700. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilectorum filiorum Fratrum Diffinitorii Generalis Congregationis Mantuanæ Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo Nobis exposito, quod in Dieta generali dictæ Congregationis in hac alma Urbe anno 1697. celebrata, pro felici, prosperoque ejusdem Congregationis regimine, & gubernio; ac ad instaurandam in ea regularem observantiam, vitæque communis rationem edita fuerant octo Decreta in totidem Capitula, seu Articulos distincta, tenoris, qui sequitur, videlicet. Dietæ Gener. an. 1697.

Decreta &. §. 1. Cum maxime dedeceat observantiam, Religiosi status fundamentum, & caput, quandoque læsum in nostra Congregatione videre, eique sub titulo privilegiorum, quæ potius abusus, etiam, ac Regulæ nostræ detrimenta comperiuntur, officere, & præcipue, quæ Communitati, & Religiosæ observantiæ instaurandæ adeo per Sacram Congregationem super disciplina regulari specialiter nobis impensæ potius obesse, quam prodesse posse videantur: Hinc

De exemptione ab exercitationibus.

est, quod statuimus, mandamus infrascripta Decreta inviolabiliter observari, & observanda præscribi. Primo. Nemo cujuscumque gradus a servitio Chori censeatur exemptus, nisi in actuali lectionis, ac prædicationis exercitio constitutus, quin etiam publicis interesse functionibus, Processionibus, cæterisque consuetis teneatur nisi legitimis, & a Superioribus approbatis detentus fuerit impedimentis. Meminerint juxta Sanctiss. D. N. salutare præscriptum exercitiis spiritualibus saltem semel in anno, & ea, qua decet animi devotione, ac commercii abdicatione totam operam dare, per quam anima cælesti pabulo recreatur, primæva ex voto promissa Deo renovatione, & religionis Zelus studio perfectionis augeatur.

De Congregationibus.

Secundo. Caveant Priores, ne in rebus gravioribus absque libero Discretorum consensu, & in rebus gravissimis nonnisi majori, & saniori parte Capituli Conventualis annuente procedant; ideoque mandamus, quod semel in hebdomada fiat Congregatio pro his tractandis, quæ nedum Regularem observantiam, sed etiam rem Conventus utiliter gerendam respiciunt.

De exemptione ab obedientia.

Tertio. Nullus cujuscumque gradus, & præeminentiæ, quomodocumque privilegiatæ, etiam Vicariatus Generalis habiti, vel habendi existat, censeatur, & sit exemptus ab obedientia, subjectione, & correctione Superioris Localis Conventus, in qua de familia designatus degit, exceptis honorificentiis per nostras Constitutiones juxta exigentias illi concessis.

De vita communi.

Quarto. Provideatur a Superiore Conventus quilibet Religiosus cujuscumque gradus, etiam Vicariatus Generalis habiti, vel habendi cum omnimoda uniformitate, & æqualitate, ita ut eodem victu, & vestiario, cæterisque ad ejus usum, servitium, necessitatem assignatis, vel assignandis juxta Regulam, & Constitutiones nostras habeant gaudere, sublatis cæteroquin quibuscumque singularitatibus, quæ communitati detrimentum & inobservantiæ specimen præbent.

De Servientibus.

Quinto. Laici deputati pro servitio particulari Patrum Seniorum, Graduatorum, vel gravissimorum non sint adeo adstricti eisdem, vel pro eorumdem servitio, ut etiam pro publico, & ad cætera Communitati præstanda ad nutum Superioris Localis nequeant adhiberi.

De consortio Sæcularium.

Sexto. Memoriæ mandamus cuilibet ex nostris Religiosis quantum deceat a familiaritate cum Sæcularibus abstinere, eisque negotia tam Conventus quam Fratrum præcipue defectus abscondere, ideoque statuimus, & mandamus nulli Priori licere Sæculares quoscumque, & cujuscumque conditionis intra claustra, nisi per aliquot dies, & non mensuatim retinere, nec inito pacto, & pretio, ut vulgo dicitur, *dozena*, habere, & quanto minus fieri poterit, etiam pro negotiis alioquin non necessariis introducere, ab hoc enim quam maxime dependere dignoscitur nostræ bonæ famæ, & Religiosæ libertatis conservatio.

De privilegiis.

Septimo. Quia vero nostræ Congregationis profectui, & propagationi hoc unum magis contulisse comperitur, nostras scilicet Constitutiones in sua puritate relinquere in iis præcipue, quæ ejusdem regimen, & gubernium respiciunt, ideo declaramus, & statuimus in posterum servandas esse omnino Constitutiones de Diffinitor. *Cap. 39. n. 8.* in quo tantummodo nominatur, seu statuitur locum esse Vicario Generali electo una cum Vicario Generali functo, & quinque Diffinitoribus a gremio electis; derogatur propterea quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, & Decretis, & Statutis etiam in ordine ad illos, qui fuerunt, vel erunt Vicarii Generales, & decernimus, quod eligendi in Diffinitores habeant conditiones, & requisita quæ pro tanto onere, & negotio a Constitutionibus nostris præscribuntur.

De Lectoribus.

Ultimo. Lectores, & Baccalaurei non possint ad ulteriorem gradum respective promoveri, nisi actualiter legerint, & legisse docuerint, vel Philosophiam, vel Theologiam, vel saltem Moralem, modo tamen Scholastico, itaut in actuali exercitio legendi semper fuerint; ac propterea, quod in unoquoque Conventu, etiam modicæ familiæ fiat lectio moralis bis saltem in hebdomada, & semel in ea proponentur casus conscientiæ cui omnes Choristæ interesse teneantur, proprium quisque sensum aperire, & explicationem a Lectore, vel Proponente audire &c.

Preces Diffinitorii Gen.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quod ipsi Exponentes Decreta hujusmodi, quo firmius subsisterent, & servarentur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderabant. Nos supplicem libellum eorum nomine Nobis super præmissis porrectum ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari a Nobis specialiter deputatam remisimus; Ipsa vero Cardinalium, & Prælatorum Congregatio re mature discussa, ac dilectis etiam filiis Exvicariis Generalibus præfatæ Congregationis Mantuanæ Patribus gravissimis nuncupatis pluries auditis, censuit.

Additio, & reformatio relatorū Decretorum a Congr. super Disciplinæ Reg. facta.

Tertio ex præinsertis Decretis addenda esse sequentia, videlicet -- Injuncta tamen Superioribus Localibus speciali attentione, & reverentia erga PP. gravissimos, contra quos in causis gravioribus procedere nequeant, nisi ex speciali commissione Vicarii Generalis: Quarto autem similiter addenda esse hæc nempe: Ita tamen, ut debita charitate consulatur servitio Patrum gravissimorum. Septimum vero ita reformandum, ut ultra Vicarium functum admitti in posterum debeant in Diffinitorium alii duo Ex-Vicarii immediati ejus antecessores, itaut ultra Vicarium electum alii tres Ex-Vicarii dumtaxat in Diffinitorio esse debeant, eorumque aliquo deficiente, alius immediatus antecessor (quatenus adsit) substituatur. Et adversus præmissa præfatos Patres gravissimos non esse amplius audiendos. Quare dicti Exponentes denuo humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio relatorum Decretorum.

§. 3. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, & Prælatorum consilio, omnia, & singula Decreta præinserta, ita tamen, ut tertio, & quarto prænarratæ additiones fieri, septimum vero reformari, sicut præmittitur, respective debeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus opus sit convalidamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium, & Prælatorum.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respe-

ctive inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis Mantuanæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

XXVIII. Confirmantur quædam Decreta Capituli Gen. Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ord. Cistercien.

De facultate Capituli Gen. vide Clem. VIII. Const. ed. 1595. Et Clem. XI. Const. ed. 1710. Sept. 25. P. 10. extant quædam Decreta super recitatione Officiorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

ıt.17. Febr. ∞. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

apituli Generalis an. 99.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Monachi vocales nuperi Capituli Generalis Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cistercien. die 11. Maji anni proxime præteriti 1699. in Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe dictæ Congregationis celebrati, quod cum alias multæ additiones ad Constitutiones ejusdem Congregationis juxta facultates, & ad præscriptum quarumdam fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri literarum in simili forma Brevis anno 1595. expeditarum, per quas dictæ Constitutiones confirmatæ fuerant, a diversis anterioribus Congregationis præfatæ Capitulis generalibus factæ fuerint, novissime in nupero Capitulo generali supradicto pro majori ejusdem Congregationis bono, & utilitate, edita fuerant nonnulla Decreta in novem Articulos distincta, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decreta.

§. 1. Decreta confecta in Capitulo generali Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis celebrato in Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe die 11. Mensis Maji 1699. Primo Superior Localis præcipue in parvis Monasteriis possit subditos renuentes obligare sub præcepto Sanctæ Obedientiæ ad exercenda officia ab ipso imposita, quando nulla adest in contrarium rationabilis causa, servata tamen forma Constitutionum circa hunc præcipiendi modum. Secundo Conversi, & Donati sive solemniter, sive simpliciter professi, diebus Dominicis, & festis, quibus vacatur, conveniant ad omnes horas Canonicas &c. ut in Constitutionibus *Cap. 13. n. 5. pag. 96.* Tertio. Cum unius triennii spatium nimis breve sit ad omnes Theologicos Tractatus habendos indeque fiat, ut ad animarum, tum Nostrarum, ac aliorum instructionem utiliores Tractatus prætermittantur: In posterum, qui Sacræ Theologiæ Scholasticæ Lectores deputati fuerint per quadriennium saltem idem munus prosequantur, quo tempore teneantur studentes sibi commissos edocere omnes tractatus distributos, ut infra: Anno primo de Deo uno, & Trino. Anno 2. de Angelis, de Beatitudine, & de actibus humanis. Tertio Tractatus de vitiis, & peccatis, de Divina gratia, & de virtutibus Theologicis. Anno Quarto de Incarnatione, de Sacramentis in genere, de Sacrosancta Eucharistia, & de Pœnitentia; Lectores autem Theologiæ moralis unico triennio integrum Theologiæ moralis cursum conficiant, & præter hujus quotidianam lectionem, habeant etiam lectionem Sacræ Scripturæ bis vel ter in hebdomada, horis tamen stabiliendis a Superiore locali, quibus Lectoribus sedulo munus suum exequentibus omnia conceduntur privilegia, quibus alii Lectores fruuntur. Præcipimus insuper Lectoribus, ut animarum potius utilitati consulentes, quam ingenii ostentationi studentes eas sententias edoceant, quæ communiores, & probabiliores sunt, quod si quacumque de causa, qui in studii principio deputatus fuerit Lector, munus suum prosecutus non fuerit; tunc Lector subrogatus Tractatus nondum traditos edoceat, ita ut nunquam initium fiat a primo Tractatu de Deo quin omnes supradicti Tractatus fuerint expleti; studentes vero Lectoribus suis omni humilitate, & charitate obsequantur: Si quis vero e studentibus cum Lectore suo verbis procacibus sive in studio, sive foris altercare, aut in eumdem aliquid moliri, vel eidem detrahere ausus fuerit, is præter congruam satisfactionem eidem dandam pro prima, & secunda vice pœna gravi mulctetur; si vero tertio in idem inciderit, mulctetur pœna graviori, & a studio removeatur; Injungimus etiam Superioribus Monasteriorum studiis deputatorum, ne studentibus aliquod munus mandent, quod eisdem vagationis, aut distractionis a studio causam præbeat, sed omnino invigilent, ut totaliter studio, cui deputati sunt, incumbant: Item quantum fieri poterit conferentiis, quæ per hebdomadam fiunt, assistere satagant, & sæpe inopinato dum lectio repetitur, aut argumentum fit, in studium se conferant: præcipue in disputationibus, & conferentiis hebdomadariis, & mensalibus, quæ omnino fieri debent: Sic etiam melius negligentes corrigent, & castigabunt, & diligentibus animum adjicient: Studentes tandem quotidianæ recreationis tempore omnes in unum conveniant circulum & de suis lectionibus differant, disputent, & argumententur. Non autem solum Superiores Locales, sed etiam Visitatores Provinciales invigilent super his, & aliis in Rituali contentis legibus observandis, & transgressores omnino corrigant, & castigent; Lectores vero Philosophiæ teneantur Triennalis studii tempore etiam Ethicam edocere. Quarto Abbas Generalis ab officio absolutus toto tempore, quo a Superioritate vacabit, titulo Abbatis semper gaudebit, subditus nihilominus Priori suo Capitulum culparum non adibit, nec publicis correctionibus subjacebit, sed si corrigendus sit, id summa reverentia a Superiore privatim fiet. Ab officiis regularibus, quæ vel per hebdomadam disponantur, vel aliis omnibus per vices imponuntur, immunis sit, & ubique locorum post Superiorem localem immediate cæteros omnes, etiam Superiores præcedat, Sigillum peculiare ad firmandas Epistolas hujusmodi Abbati Titulari conceditur Localium Superiorum Sigillo simile, ad-

De auctoritate Superiorum.

e Donatis.

De Lectoribus, & Studentibus.

De Abbate Titulari.

le, addita tamen in ejus summitate sola mitra, & cum hac inscriptione: *Sigillum Abbatis Titularis* -- Ejus porro Epistolæ non videantur, nec aperiantur, nisi ab ipsis, ad quos mittantur. Duo Abbates hoc modo Titulares in eodem Monasterio non commorentur, nec eisdem nisi ab ipso Abbate Generali, aut de ejusdem consensu Monasteria assignentur. Si tamen ipsi ita petierint, concessum sit Visitatoribus Provincialibus, ut alio transigendi potestatem esse faciant. Quinto reimprimendæ sunt Regulæ Officialium, Nostrum Rituale, & Forma visitationis cum correctionibus in hoc Capitulo Generali approbatis. Sexto pro celebratione Officiorum servetur Tabella confecta circa distributionem horarum juxta Constitutiones, cum facultate tamen Abbati Generali, & Visitatoribus Provincialibus super ea dispensandi in aliquibus Monasteriis juxta illorum indigentiam. Septimo Visitatores tum Generales, tum Provinciales in sua visitatione statum omnium rerum tum Spiritualium, tam temporalium cujuscumque Monasterii perscrutentur juxta formam descriptam. Præcipimus tamen ipsis Visitatoribus, ne Monasterium residentiæ Abbatis Generalis sine ejusdem participatione visitent, nec ipso inconsulto, quaslibet promulgent Ordinationes; aut Cellam Secretarii præfati Abbatis Generalis visitent. Octavo Superiores locales teneantur singulis mensibus concedere suis Monachis prandium, seu cœnam in aula hospitum, ut aliquantisper ab asperitatibus jejuniorum, aliisque regularis vitæ oneribus allevientur. Nono Abbas Generalis imprimere faciat hoc Triennio Constitutiones revisas, & a Capitulo Generali approbatas, & pro expensis committitur eidem Abbati Generali, ut una cum Consiliariis suis taxam determinet, & si expensæ nimiæ non fuerint, possit etiam cum suis Consiliariis taxam statuere pro rituali, & Regulis officialium cum forma Visitationis imprimendis.

De quibusdam libris. *De celebratione Officiorum.* *De Visitatoribus.* *De Superiorũ charitate.* *De impressione Constitutionum.*

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Decreta præfata vim Constitutionum habere non possint, nisi illis alterius secuturi memoratæ Congregationis Capitulis Generalis confirmatio accedat, & propterea dicti Exponentes Decreta hujusmodi, quo eadem confirmatione minime expectata, non secus, ac Constitutiones ipsæ inviolabiliter observentur, præsertim quia illorum postremo disponitur, ut Constitutiones præfatæ novis typis quamprimum mandari debeant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, præpositorum consilio Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; Ita tamen, ut hujusmodi approbatio neque implicite, neque explicite extendi valeat ad alia, quam ad ea, quæ per extensum superius exhibita, & inserta leguntur, ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Vocalium, & causæ Confirmationis. *Confirmatio relatorum Decretorũ.*

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis Reformatæ, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Februarii MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXXIX.

Conceditur Indulgentia plen. per modum suffragii in die Communionis generalis a PP. Jesuitis fieri solitæ semel in Mense Christifidelibus Regni Angliæ.

Aliæ Indulgentiæ extant Alex. VIII. Const. ed. 1690. Mar. 30. P. 1. Et Bened. XIII. Const. ed. 1726. Sep. 23. P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat 6. Martii 1600. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Provincialis Provinciæ Angliæ Societatis Jesu, quod alias omnibus utriusque Sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui aliquam dictæ Societatis, vel quamcumque aliam Sæcularem Ecclesiam ubicumque existentem una ex Dominicis cujuslibet mensis, qua Communio generalis solicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium ejusdem Societatis, & quo ad Ecclesias sæculares de licentia Ordinariorum locorum, illarumque Rectorum consensu ibidem ageretur, devote visitassent, & iisdem Dominicis in aliqua ex prædictis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio, quam animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migravissent, per modum suffragii applicare possent, auctoritate Apostolica concessa reperitur, & alias prout in Apostolicis desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro ple-

Concessa fuit præd. Indulg. in aliqua Mensium Dominica pro omnibus locis.

ne,

ne, & sufficienter expresso, ac ad verbum inserto uberius asserit contineri.

...usæ hujus ...ccessio- ... & pre- ... Provin- ...is.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat plures Societatis hujusmodi Presbyteri per diversas Catholicorum in Regno Angliæ degentium Domos, ad hoc ut eos consulatur ministrando illis Sacramenta, verbum Dei prædicando, ac in via salutis dirigendo, clam tamen, propter severissimas Regni prædicti leges id vetantes, mitti consueverint; verum multi ex iisdem Christifidelibus inter se habitatione distent, nec ad omnes Presbyteri præfati iisdem diebus Dominicis accedere valeant, ac propterea idem Provincialis opportune in præmissis a Nobis provideri summopere desideret: Nos piis ipsius Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque Sexus Christifidelibus nunc, & pro tempore in dicto Regno Angliæ commorantibus, qui quocumque die, quo eis id commodum fuerit cura, & opera Presbyterorum dictæ Societatis in eodem Regno pro tempore Missionariorum, semel dumtaxat quolibet Mense, in aliqua Ecclesia seu Oratorio Regni præfati ubi Missa licite celebretur, idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; ibique sicut præmittitur oraverint, ut supradictam plenariam Indulgentiam, & remissionem, quam pariter Animabus Fidelium Defunctorum applicare possint lucrentur in omnibus, & per omnia perinde ac si præmissa in una ex Dominicis præfatis juxta dictarum literarum præscriptum peregissent, servata tamen in reliquis earumdem literarum forma, & dispositione, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

...oncessio ...isdem In- ...gen. in ...cumque ... Mensium.

§. 2. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

...lausulæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VI. Martii MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXXX.

Confirmatur Decretum Congreg. Rituum circa primatum pro Provincia S. Didaci FF. Min. de Observ. Discalc. contra FF. Augustinianos in Regno Mexicano.

A Clem. X. Const. ed. 1676. Jun. 3. confirmatum fuit simile Decretum. De primatu inter Min. de Observ., & Conventuales vide Inn. XI. Const. ed. 1684. Apr. 14. P. 8. Et Clem. XI. Const. ed. 1702. Nov. 24. P. 2. confirmatur præsens Constitutio.

...t. 4. April. ...0. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ S. Didaci novæ Hispaniæ in Indiis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Decretum tenoris; qui sequitur, videlicet: Mexicana præcedentiæ. Remissa ad Auditor. Sanctissimi Domini Nostri Innocentii PP. XII. ad Sac. Rituum Congregationem Causa Præcedentiæ inter Patres Discalceatos strictioris observantiæ Sancti Francisci Provinciæ S. Didaci ex una, & Patres Augustinianos Provinciæ Sanctissimi Nominis Jesu ex altera partibus in Regno Mexicano ultimo loco agitata super executione Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem Patrum Discalceatorum Sancti Francisci alias editorum, & signanter lati sub die 3. Junii *1676.*, & per literas in forma Brevis Datas 19. Junii ejusdem anni fa. me. Clementis PP. X. approbati, & confirmati; Propositoque ab Emo, & Rmo D. Cardinale Petruccio in eadem Sac. Rituum Congregatione infra scripto Dubio, videlicet: An Fratribus Discalceatis strictioris Observantiæ Ordinis Sancti Francisci non solum in Processionibus solitis, & sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, Disputationibus, Concurrentia Prælatorum, aliisque actibus tam publicis, quam privatis interveniente, vel non interveniente Familia de observantia; competat Præcedentia supra Fratres Sancti Augustini. Sacra eadem Rituum Congregatio, tam in voce, quam in scriptis partibus acerrime informantibus auditis, respondit. In casu, de quo agitur, Præcedentiam competere Patribus Discalceatis Sancti Francisci, ac amplius Dubium proponi vetuit. Et ita decrevit, & servari, ac exequi mandavit die 13. Martii 1700. A Cardinalis Cybo. B. Inchiramus Sec.

Decretum ...ed. circa ...imatum in ...ibus tam ...blicis, ...am priva- ...an. 1700. ...itum.

§. 1. Cum autem sicut dilectus pariter filius Josephus Montoro prædicti Ordinis Fratrum Discalceatorum Professor Provinciæ S. Didaci Custos, & Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsos Josephum Custodem; & Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Preces Procuratoris Provinciæ.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, amplissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos; etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die IV. Aprilis MDCC. Pont. Nostri Anno Nono.

CXXXI.

Declaratur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum in Bulla Cruciatæ concessa, cum damnatione opinionis contrariæ.

Hac de re vide Clem. X. Const. ed. 1670. Jun. 11. P. 1. Item hujus Pontificis Constitut. edit. 1698. Sept. 6. P. 8.

Dat. 19. April. 1700 An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus Constitutionis.

CUm, ſicut non ſine gravi animi Noſtri dolore ex nonnullorum Venerabilium Fratrum Epiſcoporum Regni Portugalliæ, & aliorum timoratæ conſcientiæ Virorum delatis ad Nos querelis accepimus, in Regno præfato revixerit, ac in dies magis invaleſcat opinio per quaſdam fel. rec. Pauli V., Urbani VIII., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, necnon plura Congregationum tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ac reſpective negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum Decreta dudum damnata, ac reprobata, qua innixi plerique illarum partium Privilegia, & Indulta per Literas Apoſtolicas pro Cruciata Sancta emanatas, ſeu, ut vocant, Bullam Cruciatæ, ita intelligenda eſſe exiſtimant, ut facultas in Literis, ſeu Bulla hujuſmodi Chriſtifidelibus attributa confitendi peccata ſua cuilibet Confeſſario per quemcumque Ordinarium ad Confeſſiones audiendas approbato, locum habeat, & habere cenſeatur, etiamſi is non fuerit Ordinarius loci, in quo confeſſiones præfatas excipi contigerit; Hinc eſt, quod Nos ex debito Paſtoralis Officii, quod humilitati noſtræ meritis licet, & viribus longe impari commiſit Divina dignatio, animarum periculis in re tanti momenti, qualis eſt ſacramentalis confeſſio, quantum nobis ex alto conceditur, paterna charitate occurrere cupientes, necnon Conſtitutionibus, & Decretis ſupradictis inhærentes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, primum quidem ſupradictis negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, ſubinde vero etiam aliorum in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum, qui opinionem præfatam ex integro examinarunt, remque totam mature diſcuſſerunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium decernimus, & declaramus, Bullam Cruciatæ Sanctæ nihil novi Juris induxiſſe, nullumque privilegium continere quoad approbationem Confeſſariorum contra formam ejuſdem Concilii Tridentini, & prædictarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, adeout Confeſſarii tam Sæculares, quam Regulares quicumque illi ſint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ a Pœnitentibus ad audiendas eorum Sacramentales Confeſſiones electi, nullatenus confeſſiones hujuſmodi audire valeant ſine approbatione Ordinarii, & Epiſcopi Diœceſani Loci, in quo ipſi Pœnitentes degunt, & Confeſſarios eligunt, vel ad excipiendas Confeſſiones requirunt, nec ad hoc ſuffragari approbationem ſemel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, & Diœceſum obtentam, etiamſi Pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confeſſarios electos approbaſſent, ſubditi forent; Confeſſiones autem aliter, & contra earumdem præſentium, aliarumque Apoſtolicarum Conſtitutionum formam deinceps faciendas, & excipiendas reſpective, præterquam in caſu neceſſitatis in mortis articulo nullas fore, irritas, & invalidas, & Confeſſarios ipſo jure ſuſpenſos eſſe, & etiam rigide puniendos ab ipſis Ordinariis Locorum. Porro quamcumque contrariam opinionem tamquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam, prætenſo quovis contrario uſu, contrariaque conſuetudine, etiam antiquiſſima minime obſtantibus, Motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie damnamus, & reprobamus, contrariumque uſum, ac contrariam conſuetudinem hujuſmodi penitus, & omnino abrogamus, & abolemus.

Declaratio pro facultate ſolius Confeſſarii ab Ordinario loci approbati motu proprio facta.

Pœnæ.

Damnatio opinionis pro facultate Confeſſarii a quocunque Ordinario approbati.

§. 1. Ac proinde omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ne ſupradictam opinionem docere, tueri, aut ad praxim deducere quovis modo audeant, ſeu præſumant ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam præterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo hujuſmodi conſtitutus abſolutionis beneficium obtinere valeat interdicimus, & prohibemus.

Pœna.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, ſeu ad ea vocati, citati, auditi, & cauſæ propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe: ſed ipſas præſentes literas ſemper, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

§. 3. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſ. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ac memoratæ Cruciatæ Sanctæ Commiſſarios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, illorumque Superioribus, & perſonis, ac aliis quibuſvis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogato-

riis,

riis, aliisque efficacioribus, efficacissimis; & in solitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam quavis Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in genere, vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur; præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Cæterum, ut eædem præsentes Literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 6. Utque ipsarum præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Major. sub Annulo Piscatoris die XIX. Aprilis MDCC. Pontificatus nostri Anno Nono.

XXXII. Erigitur Congregatio San. Hippolyti Hospitalis Pauperum Infirmorum in Indiis Occidentalibus cum confirmatione Privilegiorum, & Indulgentiarum.

Confirmata fuit erectio d. Hospital. cum suis Statutis a Greg. XIII., & Sixto V. a Clem. VIII. Const. ed. 1596. April. 2. concessa fuere privilegia, & Indulgentiæ Hospitalis Sancti Joannis Dei. Et Const. ed. 1604. Oct. 1. P. 13. & in Congregationem erectæ adjecto Voto obedientiæ, & Hospitalitatis. Ab hoc Pontifice Const. ed. 1693. Dec. 14. Pont. 3. concessa fuit Indulgentia. Et Const. ed. 1700. P. 9. confirmantur Constitutiones.

.20. Maji .An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ordium.

EX debito Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus Congregationes Christifidelium pietatis, & Christianæ charitatis operibus ad Pauperum Infirmorum, & Convalescentium subventionem, & utilitatem laudabili studio incumbentium paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illarum statui, ac ut personæ, quæ tam pium vitæ institutum susceperunt, in ea vocatione, in qua vocatæ sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, & favoribus providere studemus, sicut, omnibus mature consideratis ad Omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem postquam quondam Bernardinus Alvarez Insula, dum viveret Civitatis Mexican. in Indiis Occidentalibus Hospitale sub invocatione S. Hippolyti Martyris, in cujus festivitate olim dicta Civitas ab Idololatris Gentilibus detenta ad Christianorum potestatem devenerat, prope, & extra muros ejusdem Civitatis, pro pauperibus Christifidelibus Infirmis, & Convalescentibus curandis, aliisque pietatis operibus exercendis, sub certis Statutis, & Ordinationibus de Ordinarii Loci licentia erigi, & fundari curaverat, fel. rec. Gregor. PP. VIII. Prædecessor noster, supplicationibus ipsius Bernardini nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, erectionem, & fundationem Hospitalis, ac Statuta, & Ordinationes hujusmodi approbavit, illisque perpetuæ firmitatis robur adjecit, & alias prout rec. mem. Sixti Papæ V. similiter Prædecessoris nostri Literis, cum prædictus Gregorius Prædecessor, antequam ejus literæ super præmissis conficerentur, rebus humanis fuisset exemptus, sub plumbo in forma *rationi congruit* desuper expeditis, uberius continetur: Postmodum vero piæ memor. Clemens PP. VIII., etiam Prædecessor noster fide dignorum relatione accepto, Hospitale prædictum, benedicente Domino, adeo excrevisse, ut in prædictarum Indiarum Occidentalium partibus alia Hospitalia, & similia erecta, & fundata extitissent, per quasdam suas in simili forma Brevis die 2. Aprilis 1596. emanatas literas inter alia ordinavit, seu concessit, quod omnia, & singula Hospitalia hujusmodi, tam erecta, quam in posterum erigenda, eorumque Confratres, & pro tempore existentes in eisdem Indiis Occidentalibus omnibus, & singulis gratiis, privilegiis, prærogativis, facultatibus, Indultis, Indulgentiis tam spiritualibus, quam temporalibus, & favoribus a similis me. Pio V., ac prædictis Gregorio, & Sixto Prædecessoribus, necnon a quibusvis aliis Romanis Pontificibus, etiam Prædecessoribus nostris Hospitalibus Joannis Dei, eo nimirum in Sanctorum numerum nondum relato, nec Ordine Fratrum ejusdem S. Joannis Dei adhuc instituto, tunc nuncupatis Regnorum Hispaniarum quomodolibet concessis uti, frui, & gaudere, libere, & licite possent, & valerent in omnibus, & per omnia, perinde acsi ipsis nominatim, & æque principaliter concessa fuissent; Ac deinde ipsi Clementi Prædecessori pro parte tunc existentium Superioris fratris Majoris nuncupati dicti Hospitalis S. Hippolyti, & Confratrum tam ejusdem Sancti Hippolyti, quam aliorum sex Hospitalium ab eo dependentium exposito, quod dict. Hospitalia sub prædictorum Statutorum, & Ordinationum observatione spatio plurium annorum prospere, & feliciter administrata, ac tam spiritualibus, quam temporalibus incrementis aucta, & in unam Congregationem S. Hippolyti nuncupatam redacta fuerant, sed successu temporis familiaris experientia, ususque quotidianus docuerat plerosque ipsorum Hospitalium Confratres, emissis licet de more castitatis, & paupertatis votis, in suscepto tamen per eos vitæ Hospitalicæ Instituto, ex eo præsertim, quod ipsi perpetuæ Hospitalitatis, & obedientiæ votis in aliquo obstricti non essent minime perseverare, idem Clemens Prædecessor ad supplicationem eorumdem fratris Majoris, & Confratrum, quod de cætero, & in

Ortus & progressus d. Hospitalis postea in Congregationem erecti cum suis statutis, adjectione voti obedientiæ & Hospitalitatis, ac privilegiorum concessione.

perpetuum omnes & singuli dictorum Hospitalium Confratres tunc, & pro tempore existentes duo tantum videlicet Hospitalitatis, & obedientiæ vota emittere deberent, per alias suas literas Anno Incarnationis Dominicæ 1604. Kalen. Octobris Pontificatus sui an. XIII. sub plumbo expeditas statuit, aliaque sub certis modo, & forma disposuit, ordinavit, & indulsit, prout in his posterioribus sub plumbo, & prædictis in forma Brevis ipsius Clementis Prædecessoris Literis, etiam uberius respective continetur.

Causæ hujus Constitutionis.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes de Cabrera Procurator Generalis prædictæ Congregationis S. Hippolyti Nobis nuper exponi fecit, Confratres Hospitalium, & Congregationis hujusmodi, ex quo dictus Clemens Prædecessor eos memorata duo tantum hospitalitatis, & obedientiæ vota emittere debere sicut præmittitur, statuit alia duo prædicta castitatis, & paupertatis Vota emittere omiserint, seque dictorum dumtaxat Hospitalitatis, & obedientiæ Votorum ratione ad perseverandam in Hospitalibus, & Congregatione prædictis minime teneri existiment, inde vero variæ inconvenientia dimanare dignoscuntur; Præterea, quia juxta posteriores ejusdem Clementis Prædecessoris Literas prædictas ad electionem Fratris Majoris dictæ Congregationis celebrandam viginti ex antiquioribus ejusdem Congregationis Confratribus, considerata, & computata ipsorum antiquitate a tempore emissorum per eos dictorum duorum Votorum Hospitalitatis, & obedientiæ convocari debent, & nonnunquam inter ipsos antiquiores sic convocandos aliqui modicæ peritiæ reperiuntur, hinc eveniat, ut aliquis minus peritus ad officium fratris Majoris hujusmodi aliquando eligatur, ac proinde ipse Joannes Procurator Generalis dictam Congregationem in perfectam, & formalem Religionem sub Regula Sancti Augustini, itaut illius Fratres obedientiæ, castitatis, & paupertatis, necnon Hospitalitatis Vota in actu eorum professionis regularis emittere teneantur, erigi, ac loco dictorum viginti antiquiorum Confratrum alios viginti, peritiores scilicet, & magis graduatos, dicti Fratris Majoris Electores constitui, & deputari, necnon tam binas Clementis, quam Sixti Prædecessorum literas prædictas, ac gratias, indulgentias, facultates, antelationes, privilegia, & indulta per eas Hospitali, & Congregationi prædictis concessa, & communicata ad Congregationis sic erigendæ favorem innovari, & Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, ac alias in præmissis opportune a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos ejusdem Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendarum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum, qui illud mature perpenderunt, & circa memoratam Fratris Majoris electionem nihil innovandum esse censuerunt, consilio, præfatam Congregationem S. Hippolyti Martyris in formalem Regularem Religionem sub Regula Sancti Augustini, cum Votis solemnibus castitatis, paupertatis, & obedientiæ, necnon Hospitalitatis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus, eamque sic a Nobis erectam, illiusque Confratres, Hospitalia, Ecclesias, & personas quascumque sub immediata nostra, & hujus Sanctæ Sedis protectione, & subjectione suscipimus.

Preces Procuratoris Generalis pro erectione in Religionem, confirmatione gratiarum, & nova forma eligendi F. Majorem.

Erectio d. Congregationis sub Regula S. Augustini cum 4. votis, & subjectione S. Sedi.

Porro gratias, Indulgentias, facultates, antelationes, privilegia, & Indulta præfata, dummodo sint in usu, ac licita, & honesta, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis vel Regularibus dictæ Congregationis sic a nobis erectæ institutis non adversentur, auctoritate, & tenore præfatis confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio privilegiorum, & Indulgentiarum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Congregationis, & Hospitalium prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XX. Maji MDCC. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXXXIII

Deputatur Card. Pamphilius in Protectorem, & superintendentem Portus Antii, cum erectione Congregationis post ejus obitum, & assignatione dotis.

Const. ed. 1697. Aug. 4. P. 8. erecta fuit Congregatio super disciplina regulari. Et Clem. XI. Const. ed. 1701. Jan. 14. P. 1. agitur de Congregatione Visitationis Apostolicæ in Urbe.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 28. Ma[i] 1700. An. 9

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex omnium Christifidelium Pater, & Pastor a Domino constitutus, non solum spiritualibus Dominici Gregis sibi divinitus crediti utilitatibus jugi vigilantia consulere studet, sed & temporalibus præsertim suo-

rum,

rum, & Apostolicæ Sedis, etiam quoad temporalia subditorum commodis paterno studio providere satagit, ac alias desuper disponit, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, Reipublicæ conducibile fore in Domino arbitratur.

§. 1. Dudum itaque Nos animo revolventes quantum ubertatis publicæ, quantum Populorum commerciis, quantum denique honestis negotiationibus, quibus Respublica floret, industria viget, otium eliminatur, omniumque ad vitam necessariarum rerum copia comparatur, infensum, ac exitiosum esset in Tyrreni Maris ora a Portu Cajetæ usque ad centum cellas nullam pro navibus tutam stationem reperiri, probeque scientes, ac cum maximo animi Nostri mœrore considerantes, quam frequentia inde, ac misera navigantium, & mercium naufragia in dies fierent, non fine gravi Almæ Urbis nostræ quo merces illæ commeassent detrimento, dignam munere nostro rem aggredi putavimus, si ad ejusmodi mala opportunis rationibus avertenda peculiarem paternæ providentiæ nostræ sollicitudinem converteremus. Hac proinde de causa Terræ nostræ Neptuni Albanen. Diœcesis litora, obnitente licet huic rei effœtæ nostræ senectutis imbecillitate invisere non dubitavimus, ibique ex veteris Antii ruderibus, ubi adhuc supersunt ingentia vestigia celeberrimi Portus Neroniani, quem nisi operis sumptuosissimi Historici tradidissent, satis superque eadem vestigia demonstrarent, novum Portum extruendi consilium inivimus, cum quidem tam latum, & extensum, ut exuberans aliorum tutela in temporalis nostræ ditionis periculum vergeret, sed nec tam angustum, ut per ipsum navium illuc adventantium incolumitati usquequaque prospectum non esset. His præscriptis legibus, dilecto filio nostro Benedicto S. R. E. Diacono Cardinali Pamphilio nuncupato, de cujus eximia fide, prudentia, integritate, sapientia, flagrantissimoque publici boni studio plurimum in Domino confidebamus, operis curam demandavimus. Porro idem Benedictus Cardinalis solerti, ac plane indefessa diligentia, & sedulitate nec laboribus, nec incommodis, imo neque etiam sumptibus parcens expectationi de se nostræ tam plane respondit, remque totam ex animi nostri sententia adeo perfecit, ut ejus potissimum opera, brevi, ac feliciter jactis in altum opportunis molibus, apertoque mari objectis Portum Antio restituisse propugnaculo, qua se Portus aperit, constructo, securitati prospexisse: Ecclesia ibidem ædificata, ac Presbytero in ea constituto spiritualibus confluentium Christifidelium necessitatibus consuluisse: perennibus demum, ac saluberrimis aquis e longinquo derivatis, aquationum commoda navigantibus addidisse, summopere lætemur.

§. 2. Verum, cum non satis sit tantum, ac tam salutare opus summo studio absolvisse, nisi eo jugiter conservando circumspectæ vigilantiæ nostræ partes propensa charitate adjungamus. Hinc est, quod Nos felici, perpetuæque Portus, Aquæductus, totiusque operis hujusmodi conservationi, & manutentioni, quantum Nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratum Benedictum Cardinalem speciali aliqua paternæ, ac gratæ nostræ in eum voluntatis significatione prosequi cupientes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eundem Benedictum Cardinalem Portus prædicti, quamdiu vixerit, Protectorem, & superintendentem cum plenaria, libera, & omnimoda potestate, facultate, & auctoritate omnes, & quascumque pecuniarum summas Portui, Aquæductui, & Operi præfatis pro illorum dote a Nobis, ut infra applicandas, & assignandas, in Portus, Aquæductus, & Operis hujusmodi conservationem, & manutentionem, prout secundum datam sibi a Domino prudentiam expedire judicaverit, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificiis S. R. E. Camerarii, Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarii Generalis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, convertendi, & erogandi, absque eo quod ipse Benedictus Cardinalis, sive ejus hæredes, & successores quilibet de pecuniis præfatis, etiam ad quamcumque summam ascendentibus per eum, seu de ejus mandato præmissorum causa solvendis, & impendendis ullam unquam rationem reddere, aut expensas in eisdem præmissis per eum, seu de ejus mandato faciendas justificare, seu comprobare ullo modo teneatur, seu respective teneantur. Insuper omnia, & singula, quæ pro conservatione, & manutentione prædictis, facienda, seu vitanda fuerint, decernendi, ac super præmissis etiam statuta condendi, & promulgandi, ac observari faciendi, illaque toties quoties opus fuerit moderandi, corrigendi, & emendandi, ac mutandi, & alia de novo edendi, & generaliter quæcumque, & qualiacumque in præmissis hujusmodi, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & ordinandi, ac exequendi, & executioni mandari curandi, etiamsi talia forent, quæ sub generali expressione non venirent, sed specificam, & individuam mentionem requirerent, tenore præsentium facimus, creamus, ac constituimus, & deputamus, dictumque Benedictum Cardinalem, ac illius hæredes, & successores quoscumque ex nunc prout ex tunc, & e contra a ratione, seu comprobatione præfatis harum serie omnino eximimus, & liberamus. Ipso autem Benedicto Cardinali rebus humanis exempto, protectione hujusmodi penitus cessare, nec eam cuiquam alteri concedi volentes, super Portu, Aquæductu, & Opere supradictis ex nunc, prout ex tunc, postquam Dictus Benedictus Cardinalis decesserit, & e contra, Congregationem Portus Antii nuncupandam, in qua tunc, & pro tempore existentes Cameræ prædictæ Thesaurarius Generalis, & Commissarius etiam Generalis, nec non unus, si quis fuerit ex nobili, & antiqua ejusdem Benedicti Cardinalis familia Pamphilia Romanæ Curiæ Prælatus, unus itidem ex ejusdem Cameræ Præsidentibus Clericis, qui Romanus sit, seu saltem ex statu nostro Ecclesiastico, ac demum duo Cives etiam Romani per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ad ipsorum Successorum nostrorum beneplacitum deputandi esse debeant, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie perpetuo erigimus, & instituimus.

§. 3. Cæterum, impensæ pro conservatione, & manutentione præfatis in dies necessario faciendæ solvi possint, eisdem Portui, Aquæductui, atque operi pro eorum annua, & perpetua dote mille scuta monetæ Romanæ singulis annis ex proventibus dictæ Terræ Neptuni, illique annexorum ad Cameram Nostram prædictam spectantibus; quippe quos ratione constructionis Portus supradicti jam notabiliter auctos fuisse compertum est, percipienda, necnon vigore mandatorum ejusdem Benedicti Cardinalis, & Protectoris quoad vixerit, ac successive Congregationis a Nobis, ut præfertur, institutæ a dilecto filio moderno, & pro tempore existente conductore, seu Administratore proventuum hujusmodi persolvenda, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine prædictis earumdem tenore præsentium itidem perpetuo applicamus, assignamus, concedimus, appropriamus, & incorporamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu

habere

Causæ ædificandi Portus.

Descriptio Portus cura Card. Protectoris Pamphilii restituti.

Causæ hujus constitutionis.

Deputatio Card. Pamphilii in Protectorem, & superintendentem cum plurimis facultatibus, motu proprio facta.

Erectio Congregationis super Portu, &c.

Assignatio 1000. scutorum pro dote Portus.

Clausulæ.

habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, ac formali, & substantiali, incogitato, & inexcogitabili, individuamque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos Juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ, remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ipsi Benedicto Cardinali, aliisque ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon dictæ Cameræ Præsidentes Clericos, Thesaurarium, & Commissarium Generales, cæterosque Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, ac fel. rec. Pii PP. IV. prædecessoris Nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ præ dictæ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, registrandis, ita ut præsentes Literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Cameræ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eidem Cameræ, illiusque Officialibus, & Ministris, ac aliis quibusvis personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis Decretis in contrarium præmissorum in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet, & quantiscumque vicibus concessis, confirmatis, iteratis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis, & accuratissime specificatis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XXVIII. Maji MDCC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXXXIV.

Confirmantur Constitutiones Congregat. Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occident.

Hæc Congregatio erecta fuit Constit. ed. 1700. Maii 20. P. 9. Et Clem. XI. Const. ed. 1701. Jun. 20. P. 1. agitur de privilegiis, & promovendis extra tempora.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 21. Junii 1700. An. 9.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncto Nobis Divinitus Apostolicæ servitutis munere ad ea, per quæ Christianæ Charitatis, & Hospitalitatis opera ubique locorum, ac præsertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus opportune promoventur, favorabiliter intendentes, Christifidelium Congregationes in id ipsum laudabili studio incumbentes Apostolico favore prosequimur, ac proinde ea, quæ pro felici, prosperoque illarum regimine, & gubernio provide, prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur libenter constabilimus.

Referuntur dd. Constitutiones.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes de Cabrera Procurator Generalis Congregationis Charitatis sub titulo Sancti Hippolyti Martyris in Civitate Mexican., aliisque partibus Indiarum Occidentalium novissime a Nobis in Religionem erectæ, quod pro felici, prosperoque dictæ Congregationis regimine, & gubernio factæ fuerunt nonnullæ Constitutiones, quæ revisæ, & examinatæ, ac in unum collectæ sunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

De Studiis.

§. 2. Cum principalis Scopus Congregationis, sive Ordinis Charitatis sit attendere operibus Corporalibus Misericordiæ versus Pauperes infirmos, Convalescentes, mente captos, aliosque egenos, non debebunt tunc Fratres ejusdem attendere studio Literarum, nonnulli tamen cum licentia Fratris Majoris Congregationis operam navare poterunt Medicinæ, & Chirurgiæ, tanquam Artibus, necessariis pro propriis Ministeriis, dispensando hac in parte Sede Apostolica in Sacris Canonibus generaliter, studium dictorum Artium Religiosis prohibentibus: similiter illi, qui in conformitatem præsentium Constitutionum studuerint, ut ad Sacerdotium promoveantur, poterunt, & debebunt studiis incumbere, & quidem principaliter Grammaticæ, ut linguam latinam bene intelligant, & casibus Conscientiæ.

De gubernio.

§. 3. Totum Ordinis gubernium residere debebit in uno Superiore cum titulo Fratris Majoris Generalis, in quatuor ejusdem Consiliariis, & in Superioribus localibus, cum titulo Fratrum Majorum localium, qui electi esse debebunt in forma sequenti.

De Capitulo Gen.

§. 4. In Festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli singulo triennio celebrabitur Capitulum Generale, quod semper congregari debebit in Domo Sancti Hippolyti in Mexico: huic intervenire debebunt, & suo tempore vocari viginti antiquiores in professione ipsius Congregationis, qui tamen scribere, & legere sciant, & casu, quo aliquis, seu aliqui istorum legitime essent impediti (quod impedimentum constare faciant Fratri Generali Majori, & Consiliariis, qui in hoc stare debeant ipsorum attestationi juratæ, appro-

batæ, & subscriptæ a Fratre Majori illius Domus, in qua morantur) debebunt opportune vocari, & subrogari magis antiani dictæ Domus Sancti Hippolyti, qui similiter legere, & scribere sciant, itaut nunquam deficiat numerus viginti vocalium. In vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Frater Major Generalis terminabit suum Officium, & in Capitularium præsentia consignabit sigillum, & libros Fratri Majori Sancti Hippolyti, qui semper Capituli Præsidens esse debebit, non tamen in eo votare, si non sit de numero illorum vinginti antianorum, & in Officio Præsidentis durare debebit usque dum canonice electus fuerit Major Generalis, qui statim secuta illius canonica electione pro confirmato habeatur. In Festo deinde SS. Apostolorum audito Sacro, communicatisque Fratribus congregandi erunt a Præsidente in loco, & tempore ad electionem destinatis, ibique per vota Secreta recepta in urna aliqua a tribus scrutatoribus, qui semper antianiores in professione esse debebunt, fiet electio Fratris Majoris Generalis, & is legitime electus erit, qui majorem votorum partem habere compertus fuerit. Cum hoc tamen, quod si electus est de numero votantium, duo ultra medietatem habere debeat vota, si vero de numero non est, unum habere sufficiet juxta particularia statuta, & usum ab hac Congregatione usque nunc practicatum. Ad effectum, ut quis in Fratrem Majorem Generalem eligi possit, ad minus ætatis quadragesimum, & professionis decimum annum agere debebit, opusque erit, quod Frater Major fuerit in aliquo Hospitali, aut Consiliarii, Procuratoris Generalis, Infirmariive Majoris Officium exercitaverit.

...electione ...Majoris.

§. 5. Post Majoris Fratris Generalis electionem, immediate eligantur quatuor Consiliarii ætatis maturæ, prudentes, & Instituti zelantes, & eo ipso modo eligantur, quo Fratrem Majorem Generalem eligi debere dictum fuit, & inter hos observabitur præcedentia non secundum ordinem electionis, sed secundum professionis antianitatem. Et post hos immediate eademque forma eligetur Procurator Generalis. In casu discrepantiæ inter electores si per totum diem Sancti Petri non sequatur electio Fratris Majoris Generalis: ad occasum solis illiusmet diei de facto devoluta erit Archiepiscopo Mexicano, & in casu absentiæ Archiepiscopi, aut Sedis Archiepiscopalis vacantis, illius Vicario Generali, aut Capitulari: similiter per eamdem rationem si in toto die electionis Fratris Majoris Generalis, aut saltem in die sequenti non fuisset secuta electio Consiliariorum, & Procuratoris Generalis, aut alicujus eorum, incontinenti devoluta erit talis electio Fratri Majori noviter electo. In die sequenti electionem Majoris Generalis Consiliariorum, & Procuratoris Generalis, fient provisiones aliorum Ministrorum, & Officialium Congregationis, scilicet Fratrum Majorum Hospitalium, Infirmariorum Majorum, Magistri Novitiorum, Medici, & Chirurgi; & hæ fieri debeant a solo Fratre Majori Generali, cum suis Consiliariis, qui non solum in ista, verum in omnibus aliis occasionibus, in quibus tractari debeant graviores res Congregationis, habebunt votum tam consultivum, quam etiam decisivum, æquale in omnibus voto Fratris Majoris Generalis: ita & taliter, ut illud subjectum in dictis electionibus habeatur pro electo, & illa Sententia prævaleat, & in qua, seu quibus concurrat major pars, & in casu, quo aliquis istorum deficeret, & remanerent solummodo quatuor Votantes, & forent divisi in partes æquales, votare debebit Procurator Generalis. Alia deinde officia minora cujuscumque Hospitalis, ut sunt Procuratoris, Sacristæ, Dispensatoris, Janitoris, Eleemosynarii vulgo *Cercatore*, provideri debebunt a Fratre Majori Hospitalis.

...electione ...nsiliario... & Procuratoris Ge...

...præd. ele...onibus.

...electione ...erorum ...icialium.

In casu diuturnæ Infirmitatis, aut necessariæ absentiæ Fratris Majoris Generalis possit iste subrogare Præsidentem, qui durante dicto impedimento Congregationem regat, & gubernet, & interesse debebit primus Consiliarius: Et in casu obitus, aut depositionis illiusmet Fratris Majoris Generalis, idemmet primus Consiliarius succedere debebit in gubernio illius pro toto eo tempore, quod pro triennio finiendo supererit, post quod congregetur Capitulum Generale pro nova electione, & non prius: & casu quo durante dicto triennio vitam cum morte commutaret Consiliarius aliquis, aut Procurator Generalis, aut Frater Major cujusdam Domus, Frater Major Generalis cum Consiliariis provideat dicta Officia de persona idonea, quæ quidem durare, seu continuare debebit solummodo usque ad tempus proximi Capituli Generalis, quia tunc omnes Officiales renovari debebunt, aut eligendo novos, aut confirmando antiquos, cum evidens Congregationis utilitas adfuerit; Frater autem Major Generalis, qui triennium suum compleverit nullo modo reeligi possit ad idem Officium, nisi post aliud triennium, & similiter Procurator Generalis, nisi in casu quo is electus fuisset cum omnium Voto, & aliter faciendo, electio, nulla, & irrita sit. Fundari non possit nova Domus, aut Hospitale, seu Xenodochium absque Ordinarii licentia in conformitatem Decretorum Sac. Concilii Trid., & Constitutionum Apostolicarum, & sine consensu Capituli Generalis, & in casu urgenti, qui fundationem differre non permittat, utque ad dictum Capitulum, sine Fratris Majoris Generalis, ejusque Consiliariorum consensu: Non acceptetur nova Domus, si non possit saltem substentare, ultra Fratrem Majorem localem, quatuor Fratres, & unum Sacerdotem, & Domus sint simplices, & humiles absque curiositate: inter Domos fundatas, & fundandas, primum semper occupet locum illa Sancti Hippolyti Mexican., quæ ordinaria erit residentia Fratris Majoris Generalis, illiusque Consiliariorum: debebit autem dictus Frater Major Generalis visitare saltem singulis annis per se, aut alium Visitatorem delegatum omnes Domus Ordinis distantes a Mexico non plusquam tercentum milliaribus, & remotiores semel saltem durante ejus triennio.

De præsidente, vacatione, & tempore Officiorum.

De Domibus, & Visitatore.

§. 6. Similiter ad dictam Domum S. Hippolyti spectabit mittere pauperes infirmos, & Convalescentes ad Terram de Huastepet, & providere eis de mulis, & omnibus necessariis ad effectum recuperandi salutem: similiter dictæ Domus erit mittere ad Portum veræ Crucis provisiones, & necessarios Ministros ad recipiendum, ut dicitur, flottam Navium ab Hispaniis advenientem, ad conducendos Pauperes, & Infirmos ad Hospitalia, ibique eos sanandos cum applicatione omnium possibilium charitativorum tractamentorum, prout laudabiliter usque nunc practicatum fuit: cum opus hoc sit proprius, & principalius hujus Instituti usque a primæva sua fundatione.

De oneribus Domus S. Hippolyti.

§. 7. Omnia Bona tum mobilia, tum stabilia provenientia a Legatis piis, aut eleemosynis, aliave alia parte, administrentur ab Officialibus Congregationis destinatis ab illius Superioribus, & adhibeantur, seu applicentur ultra necessariam Fratrum, & Sacerdotum necessariorum substentationem pro Beneficio Infirmorum, Convalescentium, aliorumque Pauperum attinentium ad Hospitalia, & si redditus, aut eleemosynæ superabundarent in aliquo Hospitali, applicentur in beneficium aliorum Pauperum verecundorum indigentium, juxta prudentem directionem Fratris Majoris Generalis, ejusque Consiliariorum: nec Fratres habere possint, nec prætendant rem aliquam in particulari, sed omnes vivant in perfecta vita communi, eo modo, quo

De administratione, & dispensatione bonorum.

præscri-

De Legatis Piis.

præscribitur in Decretis Clementis VIII., & præcipitur in Bulla Pauli V. Legata pia cum obligatione celebrationis Missarum acceptentur, & adimpleantur juxta formam præscriptam a Decretis Urbani VIII. *De celebrat. Miss.*, & a Bulla SS. D. Nostri.

De alienatione bonorum.

§. 8. Nec administratores bonorum Hospitalium istorum, aut Superiores illorum, aut ullus quilibet Congregationis Superior possit ea alienare absque licentia saltem Ordinarii, servata forma juris, & Sacrorum Canonum, qui Ordinarius in dictorum Bonorum alienatione interponere poterit suam auctoritatem, tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ stante non facili ad eamdem recursu. Nullus recipiatur in Congr., nisi cum licentia Fratris Majoris Generalis, & habeat saltem annos decem & octo completos, & non plusquam adminus 40., nisi foret persona pietatis singularis, aut magnæ utilitatis. Nullum habeat impedimentum Canonicum, sit animo, & corpore bene dispositus, ut se totum implicare possit in auxilium cujusvis generis Infirmorum; recipiantur Novitii, concurrente majori parte Votorum Professorum Domus Novitiatus, quæ esse debeat Domus Sancti Hippolyti: poterit tamen Frater Major Generalis cum unanimi assensu, & arbitrio ejus Consiliariorum destinare aliquam aliam Domum pro loco Novitiatus si ob majorem Religionis propagationem id necessarium foret: non possint Novitii removeri a Domo Novitiatus, nisi post professionem nullus admittatur ad professionem nisi denuo acceptatus fuerit a duobus tertiis Votorum Fratrum professorum Domus illius, in qua Novitiatum agit, & Novitiatuum egerit per annum integrum, & non interruptum, juxta Sac. Concilium Tridentinum: unusquisque emittere debebit professionem in manibus Fratris Majoris Generalis, aut illius, cui ab eodem talis functio expresse commissa fuerit, & professionis forma erit sequens: *In Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego N. N. facio professionem, & promitto Deo, & Gloriosæ Virgini, & omnibus Sanctis, & vestræ Charitati Fr. N. Frater Major Generalis, aliisque vestris Successoribus, Castitatem, paupertatem, Hospitalitatem perpetuam, & obedientiam juxta Regulam Sancti Augustini, & Constitutiones Ordinis Charitatis Sancti Hippolyti, usque ad mortem.*

De recipiendis ad habitum Novitiis, & Novitiatum.

De Habitu.

§. 9. Vestes exteriores Fratrum omnes sint de una, & eadem re ex panno coloris pardi, simplici, & vili, & exiguæ expensæ, in forma quæ gestant de præsenti: Tunica tangat Calcaneos, Caputium sit unitum Scapulario, & hoc brevius tunica sex digitis, pallium brevius Scapulario, pileus similis illi, quem gestant Fratres Minores Sancti Francisci, Calcei grandes, & simplices, cinctura, seu zona ex corio larga, & longa. Faciant resplendere Sanctam paupertatem in Fabricis, Cellis, suppellectilibus, victu, & in omnibus aliis rebus: recordando quod illorum redditus sunt omnes ordinati ad beneficium Pauperum.

De Paupertate.

De Mensa, & Clausura.

§. 10. Omnes tam Superiores, quam Inferiores, cum sani sunt, comedant in communi Refectorio, & contenti sint iisdemmet cibis, absque alicujus rei differentia. In mensa perpetuum, & indispensabile sit silentium cum lectione librorum spiritualium; nunquam Fratres emaneant e Domo comedendi causa, multo minus dormiendi, nisi in aliquo inevitabili casu, & in hoc sit valde cautus superior. In Domibus istius Ordinis perpetua sit clausura, nec unquam intrare possint feminæ.

De operibus Piis.

§. 11. Ultra mandata statuta ab Ecclesia servanda cum omni punctualitate, & rigore, jejunent Fratres omnibus diebus Veneris totius anni, & in Adventu etiam diebus Lunæ, & Mercurii, si ob infirmitatem, aut extraordinarium laborem non fuisset quis a Superiore dispensatus. Singulis diebus faciant per duas horas orationem, una de mane, & alia de sero. Et unaquæque istarum horarum implicata erit partim in oratione vocali, & partim in oratione mentali, & in illa de sero comprehendatur etiam examen conscientiæ: Singulis diebus audiant missam, frequentent SS.ma Sacramenta Pœnitentiæ, & communionis, itaut saltem duabus vicibus in mense, ultra Paschatis, Pentecostes, omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini solemnitates, confiteantur, & communicent. Observent silentium in Oratorio, Refectorio, Dormitorio, & Cellis, & in aliis locis minus quo fieri poterit loquantur. Fratres hujus Ordinis esse debent Laici. Permittimus tamen, quod unus ipsorum tantummodo pro quolibet Hospitali possit esse promotus ad omnes Ordines sacros, servatis omnibus de Jure servandis, & cum expressa Fratris Majoris Generalis licentia, dummodo ante promotionem ad Sacerdotium habeat saltem sex annos professionis. Fratres illi, qui in posterum ita promoti fuerint, incapaces erunt superioritatis, & officiorum majorum Religionis, scilicet officii Fratris Majoris Generalis, Consiliarii, Procuratoris Generalis, & Fratris Majoris localis, sed officium illorum erit celebrare sanctum Missæ Sacrificium & administrare Sacramenta. Omnes tamen Sacerdotes tam præsentes, quam futuri, ob gradus illorum honorabilitatem in omnibus actibus communitatis habeant primum locum post Fratrem Majorem Generalem, Consiliarios, Procuratorem Generalem, & F. Majorem Domus.

De Fratrum conditione.

§. 12. Hæ sunt Constitutiones inviolabiliter observandæ, ita, & taliter, ut nullo modo a Superioribus Religionis alterari possint, nec minus a Capitulis Generalibus: Declaramus nihilominus pro quiete conscientiarum Religiosorum, quod non intendamus, eos obligare ad aliquam culpam, nisi in iis rebus contentis in ipsis, quæ alias sunt statuta, & respective prohibita a lege Divina, aut humana; Et pro conservanda cæterum eademmet quiete conscientiæ Religiosorum; ordinamus pariter, & declaramus; quod ordines superiorum aut generales, aut locales non obligent subditos sub peccato mortali nisi sint facti in scriptis in materia gravi, & præmissa aliqua monitione, & expressi sint per verba significantia præceptum in virtute Spiritus Sancti, & obedientiæ. Demum Capitulum Generale auctoritatem habeat declarandi dubia, quæ occurrere possent in intelligentia præsentium Constitutionum: facere statuta, & Ordinationes pro bono Religionis gubernio juxta necessitates, quæ occurrere poterunt cum tempore, dummodo ista non sit contraria Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, nec præsentibus Constitutionibus, nec habeant vigorem Constitutionum, si post factas ordinationes supradictas in uno Capitulo Generali non fuerint successive confirmata a duobus aliis Capitulis immediate subsequentibus, & ulterius approbatæ ab Archiepiscopo Mexicano.

De Statutorum & ordinum natura.

De facultate Capituli Gener.

Preces Procuratoris Gener.

§. 13. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Procurator Generalis Constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis in-

clinati,

clinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnes, & singulas Constitutiones præinsertas, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjungimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 14. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 15. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 16. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die. XXI. Junii MDCCC. Pontificatus nostri Anno Nono.

XXXV.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris pro alternativa in provincia S. Joannis Evangelistæ Insularum Azorum sub Regno Portugalliæ Ord. Min. de Observ.

Constit. edit. 1698. Pont. 8. confirmata fuit alternativa pro Provincia Cantabriæ. Et Inn. XIII. Constitut. edit. 1721. Jun. 16. Pont. 1. agitur de alternativa in Provincia Lusitaniæ Reformatorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Antonii de Pillar Fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Commissarii, & Procuratoris Provinciarum Sancti Joannis Evangelistæ Insularum Azorum sub Regno Portugalliæ ejusdem Ordinis Congregationi Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ Anno 1690. celebrato pro quiete ipsius Provinciæ Decretum, & stabilitum fuerat Alternativam electionem Ministri Provincialis ejusdem Provinciæ, ita scilicet, ut pro uno ex Fratribus Insularum Sancti Michaelis, & Sanctæ Mariæ, pro altero vero triennio, ex Fratribus Terzeras nuncupatis, aliarumque adjacentium Insularum Provinciæ hujusmodi assumendus est, observari debere, & successive etiam stabilitum fuerat Capitulum Provinciale ejusdem Provinciæ semel in Sancti Michaelis, & Sanctæ Mariæ, & semel in Terzeras Insulis prædictis celebrandum esse; sed cum post unius triennii lapsum Diffinitorium Provinciæ præfatæ congregatum fuisset, in eo Statutum extiterat, ut memorata Alternativa quoad celebrationem Capituli Provincialis hujusmodi, Visitatoris dictæ Provinciæ, & ipsius Diffinitoris arbitrio relinquerentur. Et in eadem expositione subjuncto quod cum posterius Statutum hujusmodi ad turbandam Religiosam dictæ Provinciæ tranquillitatem tenderet, & per illud ea, quæ in supradicto Capitulo Provinciali, sicut præmittitur, decreta, & stabilita fuerant, contemnerentur, & everterentur; ideoque ipse Antonius, & dilectus pariter filius Minister Provincialis ejusdem Provinciæ prævidentes graves, & inevitabiles perturbationes suborturas fore, si prænarrata dicti Capituli Provincialis Decreta, & stabilimenta non observarentur, Venerabili Fratri Michaeli Angelo Archiepiscopo Tharsen. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio supplicavissent, ut illa approbaret, & confirmaret, præfatum vero Diffinitoris Statutum aboleret, & irritaret, ipse Michael Angelus Archiepiscopus, & Nuncius, cum cognovisset quantum inde Religiosæ quietis Provinciæ præfatæ proventurum esset, præviis debitis informationibus per suas Literas die 9. Decembris anni proxime præteriti expeditas, eadem Decreta, & stabilimenta confirmaverat; dicta vero Statuta specialiter, & ex se derogaverat, & alias prout in dictis Literis præfatæ Cardinalium Congregationi exhibitis uberius dicebatur contineri; Ac proinde pro parte Antonii, & Ministri Provincialis præfatorum ipsi Congregationi Cardinalium supplicato, ut prædictis Literis, pro firmiori illarum subsistentia, stabilique dictæ Provinciæ pace, & quiete confirmationis robur adjungere dignaretur, eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 18. Junii proximi præteriti emanatum, audito super præmissis dilecto etiam Filio Procuratore Generali Ordinis prædicti, & attenta relatione Venerabilis Fratris Nostri Alderani Episcopi Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati Ordinis supradicti apud Nos, & S. Sedem Apostolicam Protectoris desuper ipsis Cardinalibus facta, supplicem Libellum sibi super iisdem præmissis porrectum benigne remisit eidem Alderano Episcopo Cardinali, & Protectori, ut veris existentibus narratis, & quatenus expedire censuisset, petitam confirmationem pro suo arbitrio, & prudentia concederet: Unde ipse Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur videlicet -- Alderanus Miseratione Divina Episcopus Ostien. & Veliternen. S. R. E. Cardinalis Cybo Sacri Collegii Decanus, & totius Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protector. Utentes arbitrio per antescriptum Decretum Nobis a Sacra Congregatione remisso, verisque compertis narratis, Oratorum precibus benigne inclinati, tenore præsentium, auctoritate ejusdem Sacræ Congregationis petitam confirmationem concedimus, & impartimur. Datum Romæ 19. Junii 1700. -- A Cardinalis Cybo -- I. M. de Gais Secretarius --

Confirmata fuit a Nuncio Ap. an. 1699. contra Diffinitorium.

Decretum Card. Protectoris, quo confirmatum fuit Decretum Nuncii Apost.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Antonius Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patro-

Preces Procuratoris Gener.

cinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Antonii votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore, editum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti Card. Protectoris.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Provinciæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Julii MDCC. Pontific. Nostri Anno Nono.

CXXXVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Visitationis contra Regulares Aromatariam exercentes pro Collegio Aromatariorum de Urbe.

De Confessariis Regularibus vide Const. ed. 1698. Sep. 6. P. 8. Et de eorum privilegiorum revocatione Clem. XI. Const. ed. 1719. Sep. 7. P. 19.

Dat. 29. Julii 1700. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

ALias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum piorum Almæ Urbis Nostræ a Nobis deputatorum, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ habita die 15. Martii 1695. In Causa Romana pro Collegio Aromatariorum contra Religiosos Aromatariam exercentes, proponente Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinale Acciajolo rescribit, ut infra, videlicet -- Servetur Decretum Sacræ Visitationis Anni 1662., nempe licere Regularibus utriusque sexus retinere Aromatariam intra Claustra Monasterii pro Religiosis pauperibus, & Benefactoribus dumtaxat, quibus gratis medicamenta suppeditari debeant juxta Barchinonen. coram Caccia; secus vero illa vendere Sæcularibus, & aliis Personis Ecclesiasticis exceptis Theriaca, & Jacinto, & aliis vulgo nuncupatis *Chimici*, dummodo tamen non sint præparata, non composita, neque admixta cum aliis speciebus medicaminum ad usum potionis, vel alterius medicamenti confecti cum receptis Medicorum. Datum dicta die 15. Maji 1695.--I. Caracciolus Secretarius.

Decretum d. Congregationis.

Preces Collegii, & Consulum.

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii Collegium, & Consules Aromatariorum dictæ Urbis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, qui firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Julii MDCC. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLEMENS UNDECIMUS.
PONTIFEX CCXLVII.
ANNO CHRISTI MDCC.

ANNO 1700.

CLEMENS UNDECIMUS Urbinas, Joannes Franciscus antea vocatus, Caroli Albani filius, S. R. Eccl. Cardinalis Tit. S. Silvestri in Capite, Summus Pontifex electus fuit an. 1700. die 23. Novembris; Coronatus vero die 8. Decembris; Creavitque Cardinales 70. Vixit annos 71. Menses 7. dies 25. Sedit autem annos 20. Men. 3. dies 26. Obiit die 19. Martii ann. 1721.; & sepultus fuit in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes Mensem 1. dies 20.

APPENDIX AD TOM. VIII.

I.

Conceduntur Gratiæ; & Privilegia Conclavistis postremi Conclavis.

Ab Inn. XII. concessa fuere similia Privilegia Const. ed. 1691. Jul. 15. P. 1. Et ab Inn. XIII. Constit. ed. 1721. Maji 18. P. 1.

8. Dec. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Urbis.

Motu proprio &c. Nos volentes (*Reliqua vide Clem. X. Const. ed. 1670. Maji 28. P. 1.*) Fiat J. F.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sexto Idus Decembris Anno Primo.

Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc, quæ sequuntur.

Petrus Sanctes de Fantibus Presbyter Camerinensis, Abbas Sanctorum Felicis, & Adaucti Firmanæ Diœcesis.

Candidus Cassina Presbyter Novocomensis Canonicus insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim.

Justinianus Chiapponus de Rossana Presbyter Regiensis perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe.

Bernardinus Portus Presbyter Bononiensis perpetuus Beneficiatus Basilicæ Lateranensis.

Petrus Orlandus Presbyter Romanus Canonicus prædictæ insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim.

Leo Battellus Presbyter Romanus perpetuus Beneficiatus prædictæ Basilicæ Lateranen. Magistri Cæremoniarum.

Guido Passioneus Clericus Forosempronienfis; Sacri Collegii Secretarius, Abbas Sanctæ Mariæ de Mutini, nullius; seu Feretranæ Diœcesis.

Bartholomæus Massæus Prior Sancti Petri in Marsano Clericus de Monte Politiano. Joseph Maganza Clericus Abbatiæ San. Hilarii; nullius Diœcesis; Provinciæ Ravennaten. nostri dum Cardinalatus honore fungebamur.

Carolus de Serte Clericus Parisinus. Jacobus Sardinus Clericus Lucensis. Carolus Regnault Laicus Rothomagensis. Emmanuelis Theodosii Portuen. Bullionii.

Antonius Mancinellus Presbyter de Canepina Orthanæ Diœcesis. Bartholomæus Rocchus Laicus Bononiensis. Nicolai Tusculani Acciajoli.

Alexander Bonaventura Presbyter Urbinatensis Canonicus prædictæ insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim. Petrus Franciscus Giampè Presbyter de Fabriano, Camerinensis Diœcesis perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. Hieronymus Falcus Laicus Romanus. Gasparis Sabinensis de Carpineo.

Olivarius Cervinus Ninon de la Forest Clericus Chorisipiten. Gaspar Cathel de Monaco Bavariæ. Cæsaris Albanen. d'Estrées Venet. Fratr. Nostrorum Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium.

Jo. Franciscus de Bertis Presbyter Ariminen. Joannes Baptista Blancus Clericus Pisanus. Benedictus Sala Laicus Abbatiæ Sublacen. Caroli Tituli S. Laurentii in Lucina Card. Barberini.

Paulus Farella Abbas S. Mariæ de Strada; Archidiaconus Cathedralis Beneven. Presbyter Muranus.

Carolus Maria Planettus Abbas S. Mariæ Decoratæ & Commendatarius Sanctorum Demetrii, & Bonifacii Neapolis Clericus Æsinus. Fr. Vincentii tit. S. Xysti Ursini.

Joannes Baptista Gagni Presbyter Foroliviensis. Julius Cæsar Melchiorius Laicus Cæsenaten. Dominicus Cencianus Laicus Florentinus. Francisci tit. Sancti Matthæi in Merulana Nerlii.

Galatius Campana Presbyter e Castro Parrani Urbevetanæ Diœcesis. Franciscus Mazzarinus Laicus Ariminen. Jacobus Dolinus Laicus Ripæ Novocomen. Diœcesis. Galeatii tit. Sanctæ Praxedis Mariscotti.

Paschasius Melchiorius Presbyter de Petrella Cicoli Reatinæ Diœcesis. Franciscus Maria Luca Laicus Romanus. Fabritii Sancti Chrysogoni Spadæ.

Antonius Piersantes Clericus de Matelica Camerinen. Diœcesis. Timotheus Augustinellus Laicus Perusinus. Jacobus Papuccinus Laicus Bononien. Joannis Baptistæ tit. Sanctæ Mariæ Transtyberim Spinolæ.

Antonius Maria Galantara Clericus Fanen. Canonicus. Philippus Antonius Borgia Presbyter Velliternus. Stephanus Fontana Laicus ab Aqualagna Urbinaten. Diœcesis. Savi tit. Sancti Petri ad Vincula Millini.

Claudius Sacchettus Mediolanen. Hercules Vastarobba Clericus Bononien. Nicolaus de Spaz Leodien. Urbani tit. Sancti Bernardi Sacchetti.

Hieronymus Cajetanus Durinus Clericus Novocomen. Carolus Josephus Mamminus Presbyter Diœcesis Montis Regalis in Pedemontio. Christophorus Matthæus Clericus Romanus. Marcelli tit. Sanctæ Priscæ Duratii.

Joannes Dominicus Transi Laicus Romanus. Nicolaus Secci Clericus Assisien. Marci Antonii tit. Sancti Marci Barbadici.

Petrus de Tensin Clericus Gratianopolitanus. Gaspar Magnon Presbyter, & Canonicus Ecclesiæ Gratianopolitanæ. Antonius Laicus Gratianopolitanus. Stephani tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Le Camus.

Franciscus Monacellius de Terra Schigiæ Presbyter Eugubinæ Diœcesis. Blasius Clementi Laicus Spoletinus. Petri Matthæi tit. Sancti Marcelli Petrucci.

Franciscus Xaverius Guicciardus Rhætus Canonicus Curiensis Presbyter Novocomen. Diœcesis. Gaspar Mola Laicus Bononien. Leandri tit. Sanctorum Nerei, & Achillei Coloredi.

Marinus Martellus Presbyter Ariminen. Diœcesis. Dominicus Bergerius Laicus Romanus. Joannis Francisci tit. Sanctæ Mariæ in Aracœli Nigroni.

Antonius Angelus Cotinus de Terra Staphili Auximanæ Diœcesis. Antonius Campanarius Clericus Camerinen. Bandini tit. Sancti Pancratii Panciatici.

Ascanius de Silvestris Presbyter Senensis. Angelus Carocci Laicus Urbevetanus. Jacobi tit. Sanctorum Marcellini, & Petri Cantelmi.

Franciscus Papottus Presbyter Carpensis nullius Diœcesis. Joannes Laurentius Sancti Laicus Romanus. Ferdinandi tit. Sanctæ Balbinæ de Abdua.

Petrus Guyoz Parisinus. Jacobus la Baume Laicus Montis Pesulani. Natalis Mayeu Desutyers Laicus Bajocensis. Tussani tit. Sancti Callixti de Janson Forbin.

Laurentius Biottus Clericus de Crespano Patavinæ Diœcesis. Jacobus Beccarius Laicus Ariminen. Joannis Baptistæ tit. Sancti Laurentii in Pane, & Perna Rubini.

Joseph Maria Franciscbinus Presbyter Laicus Florentinus. Francisci tit. Sanctæ Sabinæ Judice.

Matthæus Antonellus Presbyter Lucensis. Fidorus Bucejus de Zagarolo Prænestinæ Diœcesis. Dominicus Pierius de Sancto Elpidio Firmanæ Diœcesis. Joannis Baptistæ tit. Sanctæ Anastasiæ Costaguti.

Joannes del Soldato Presbyter Florentinus. Antonius Lancisus Laicus Florentinus. Jacobi tit. S. Cæciliæ Morigia.

Franciscus de Abbatibus Clericus Pisauren. Joseph Lambot Laicus Namurcensis. Sebastiani Antonii tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Tanara.

Joannes Vincentius de Cæsaris Clericus Romanus. Marcus Mittarellus Clericus conjugatus a Sancto Angelo Diœcesis Civitatis Ducalis. Jacobi tit. Sanctæ Mariæ in Via Boncompagni.

Comes Carolus de Tournon Presbyter Taurinensis. Jacobus Perottus Laicus Pistorien. Balthassaris tit. Sancti Petri in Monte Aureo Cincii.

Joseph Floravantius Presbyter Sabinensis. Franciscus Maria Massa Laicus Imolen. Thaddæi Aloysii tit. S. Alexii del Verme.

Joannes Baptista Sidottus Presbyter Panormitanus. Horatius Natimbene Presbyter de Sancto Genesio Camerinen. Diœcesis. Fr. Thomæ Mariæ tit. S. Clementis Ferrarii Sancti Clementis nuncupati.

Comes Philippus Rinaldus a Turre Abbas Sanctæ Mariæ de Rhado Presbyter Alben. in Pedemontio. Petrus Gozzius Laicus e Bugella Vercellen. Diœcesis. Joseph tit. Sanctæ Mariæ Transpontinæ Sacripantes.

Petrus Paulus Avi Clericus Camerinen. Camillus Chiuppettus Laicus Romanus. Fr. Henrici tit. S. Augustini Noris.

Joannes Jacobus de Nigris Presbyter Venetus Canonicus Patavinus. Blasius Matthæinus Laicus Ariminen. Georgii tit. Sanctorum Duodecim Apostolorum Cornelii.

Raymundus Formentin Clericus Parisinus. Dionysius Massinglant Laicus Rothomagen. Petrus Lesué Bellovacen. Petri tit. SSmæ Trinitatis in Monte Pincio de Coislin.

Comes Franciscus Maria Merlinus Presbyter Forolivien. Bartholomæus Fantinus Laicus Mutinen. Fabritii Sanctorum Joannis, & Pauli Pauluccii.

Julius Antonius Zannelletus Laicus Mutinen. Joannes Mancinus Presbyter a Palumbaria Sabinen. Diœcesis perpetuus Beneficatus Basilicæ Lateranensis. Nicolai tit. Sancti Batholomæi in Insula Radolovici.

Joseph Antonius Venturinus Clericus Pontremulensis Lunen. Sarzanen. Diœcesis. Cyrillus de Giannellis Lucen. Diœcesis. Joseph Archinti.

Paulus Ignatius Guglielmi Æsinus. Carolus Bentinus Clericus Faventinus. Gaspar Lauri Laicus a Loro Firmanæ Diœcesis. Andreæ tit. S. Mariæ de Populo de S. Cruce.

Thomas Cervinus Clericus de Monte Politiano Abbas Sanctorum Petri, & Benedicti de Vivo Pientinæ Diœcesis. Matthæus Antonius Natali Presbyter Cremonen. Marcelli tit. S. Martini in Montibus de Aste.

Petrus Silius Presbyter Venetus. Danielis Marci tit. Sanctæ Susannæ Delphini.

Comes Oddo de Oddis Laicus Perusinus. Vincentius Lori Laicus Romanus. Sperelli tit. S. Joannis ante Portam Latinam Sperelli.

Joannes Baptista Alippius Clericus Typhernas. Gabriel Simi Laicus de Pescia nullius Diœcesis. Joannis Mariæ tit. Sanctæ Pudentianæ Gabriellis.

Eusebius Renaudot Clericus Parisinus Prior S. Christophori de Castroforti Diœcesis Parisien. Petrus Dacque Laicus Ambianensis. Petrus Charcot Laicus Bellicensis. Ludovici Antonii de Noailles.

Franciscus Tucci Clericus Ducen. Joannes Christophorus Bermeitinger Presbyter Passavien. Joannes Baptista Risak Laicus Leodien. Joannis Philippi de Lamberg. Presbyterorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium.

Joannes Palmegianus de Pina Billorum Presbyter Feretranæ Diœcesis. Ascanius Bartoccinus Clericus de Marsciano Perusinæ Diœcesis. Carolus Nuntius Julier Clericus Romanus. Benedicti Sanctæ Mariæ in via lata Pamphilii.

Fr. Scipio Cigala Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani Clericus Messanensis. Marchio Joannes Thaddæus Canale Clericus Reatinus. Fulvii Sanctorum Cosmæ, & Damiani Astallii.

Marchio Alexander Capponus Clericus Conjugatus Florentinus. Petrus Andreas Forzonius Accolatus Laicus Florentinus. Joseph Bonellus Clericus Camerensis. Francisci Mariæ S. Mariæ in Dominica Medices.

Franciscus Maria Campellus Laicus Spoletinus. Laurentius Pini Laicus Romanus. Petri Sancti Laurentii in Damaso Otthoboni.

Matthæus Cortiolionus Presbyter Ariminen. Natalis Ancaranus Laicus Faventinus. Caroli Sanctæ Agathæ Bichii.

Franciscus Wrmundus Arborius de Gattinaria Clericus Tausinen. Nicolaus Antolinus Clericus Lauretanæ Diœcesis Abbas Sancti Joannis in Persica Recineten. Joseph Renati Sancti Georgii Imperialis.

Antonius Dominicus Pantus Clericus Pisauren. Augustinus Luperahiolus Laicus de Gallasio Sabinen. Diœcesis. Aloysii S. Mariæ in Porticu Homodei.

Pompejus Torsius Clericus Orthanus. Petrus Chellen Clericus Hamburgensis. Francisci S. Angeli in Foro Piscium Barberini.

Philippus

Philippus Gambardelli Clericus Amalphitanus. Thomas Lucarellus Laicus Romanus. Laurentii S. Mariæ in Aquiro de Alteriis.

Franciscus Antonius Palutius Presbyter Sabinen. Joannes Rapa Laicus Januen. Joannis Baptistæ Sancti Cæsarii Spinolæ S. Cæsarii nuncupati.

Ludovicus Faitout Clericus Lingonen. Antonius Tournier Laicus Lugdunen. Alexander Pouchart Laicus Cenomanen. Henrici S. Nicolai in Carcere Tulliano de la Grange de Arquyan.

Joannes Cantarenus Laicus Venetus. Albertus Maria Falletti Laicus Taurinen. Vincentii S. Eustachii Grimani Diaconorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium.

Frater Magister Paulus Marianus a Sancta Flora Ordinis Eremitarum S. Augustini Pro-Sacrista.

Frater Magister Petrus Antonius de Rubeis Procurator Generalis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Florentinus.

Frater Magister Felicianus Corellus de Fulgineo Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Sub-Sacrista.

Joannes Torrinus Clericus Pisanen. cum prædicto Fratre Magistro Mariano Pro-Sacrista.

Henricus Tillou Clivius Presbyter Colonien. Diœcesis, cum dicto Secretario Sacri Collegii.

Ernestus Hermannus Zieglieri Clericus Monasterien. Diœcesis, cum dicto Secretario Sacri Collegii.

Joseph Zaffontius Presbyter Senensis, Canonicus Insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim Custos Fontis, & Aquarum Conclavis.

Joannes Maria Lancisius Romanus. Jacobus Sinibaldus Romanus Medici Physici.

Marius Cecchinus de Licciana Sarzanen. Diœcesis Chirurgus.

Jacobus Mansuetus Romanus Aromatarius.

Antonius Berionus a Monte Sancto Firmanæ Diœcesis. Antonius Fantonus Aretinus ejus Auxiliatores.

Marcus Antonius Adrianus Romanus. Joannes Dominicus Gentilis de Terra Sancti Angeli Diœcesis Civitatis Ducalis, Barbitonsores. Joannes Grancus Ferrariensis. Antonius Antimanus de Vignola Mutinensis Diœcesis eorum Auxiliatores.

Dominicus Gianninus Romanus Faber Lignarius. Joannes Baptista Amatus Urbinaten. Diœcesis Faber Cæmentarius.

Antonius Maria Marino a Sancto Genesio Camerinen. Diœcesis Famulus Magistrorum Cæremoniarum.

Ambrosius Rosatus. Andreas Bizzani. Andreas Campi. Andreas Montini. Angelus Mericonus. Antonius Bianchi. Antonius Cantonus. Antonius Paoletti. Antonius Sella. Bartholomæus Onginus. Carolus Catenaccius. Carolus Antonius Gratioli. Cæsar Calfieri. Dominicus Gilosius. Dominicus Pedusius. Donatus Agostini. Hieronymus Benvenuti. Joannes Antonius Manzolius. Joannes Baptista Barotius. Joannes Baptista Branca. Joannes Baptista Giaschettus. Joannes Baptista Soppa. Joannes Franciscus Connella. Joannes Mollarius. Joseph Campestri. Joseph Fabri. Joseph Mancinus. Laurentius Algerinus. Marcus Antonius Colletta. Matthæus Mauritius. Matthæus Pellegrini. Pancratius Sfascia, Paschalis Guardus. Paulus Minolius. Sebastianus Ciampus. Stephanus de Stephano. Thomas Mancinus Scopatores Conclavis.

11.

Confirmatur Decretum Diffinitorii Gen. Min. de Observ. Recollectorum, quo statuitur, ut Provincia Colonien. restituat Provinciæ Argentinen. quatuor Cœnobia.

Ab Inn. XII. Const. ed. 1693. Nov. 21. P. 3. confirmata fuit erectio trium Cœnobiorum in Provincia Bætica. Et hujus Pontificis Const. ed. 1702. Sept. 15. P. 2. extat unio quorumdam Cœnobiorum Provinciæ Castellæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 22. Dec. 1700. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Quomodo d. Provincia amiserit, & postea recuperaverit dicta Cœnobia.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Argentinensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod cum ipsi alias occasione Bellorum, atque hæresum, quæ Palatinatum Rheni afflixerunt, quatuor Conventibus ad dictam Provinciam pertinentibus, nempe Heydelbergensi, Oppenheimensi, Crucenacensi, & Lutrensi a Fratribus Provinciæ Coloniensis ejusdem Ordinis occupatis privati remansissent; pro illorum vero restitutione obtinenda, articulum restitutionis hujusmodi via Juris in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe nuper celebrato cognosci, & decidi curassent, proposito eodem articulo, discussaque controversia inter Argentinensem, & Coloniensem Provincias prædictas circa dictos quatuor Conventus in Diffinitorio Generali Ordinis prædicti die 11. Junii proxime præteriti habito, idem Diffinitorium Generale, visis, ac examinatis utriusque partis Juribus determinavit, & præcepit, ut dicta Provincia Coloniensis supradictos Conventus Provinciæ Argentinensi prædictæ integre restitueret, & alias prout uberius continetur in ipsius Diffinitorii Generalis Decreto desuper emanato, ac ex illius actis deprompto tenoris, qui sequitur, videlicet: *Decretum præd. die 11. Junii editum.* Frater Joannes Rondero Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, ac Ordinis Generalis Secretarius, omnibus has visuris, testificor, & fidem facio, quod inter acta Congressus Diffinitorii Generalis celebrati die 11. Junii, anni hujus 1700. habentur sequentia a Reverendissimo P. Ministro Generali confirmata, scilicet: Visa controversia inter Argentinensem, seu Alemaniæ, & Coloniensem Provincias Recollectorum circa quatuor Conventus videlicet, Heidelbergensem, Oppenheimensem, Crucenacensem, & Lutrensem, visisque, & examinatis utriusque Partis Juribus, determinat Diffinitorium Generale, & præcipit, ut Provincia Coloniensis supra relatos Conventus statim cum omnibus suis antiquis limitibus, juribus, mobilibus, & immobilibus, aliisque appendentibus, & dependentibus, Patribus præfatæ Provinciæ Argentinensis integre restituant. Datum Romæ apud S. Mariam de Aracæli, sub Diffinitorio Generali hac die 11. Junii anni 1700. -- Fr. Joannes Duran del Montio Diffinitor Generalis, & Secretarius. Quæ quidem acta, prout jacent ex actis supramemorati congressus Diffinitorii Generalis constant, ad quæ me refero. In quorum fidem præsens transumptum propria manu subscriptum, ac Ordinis minori sigillo communitum dedi in hoc S. Francisci Aracælitano Conventu de Urbe die 14. mensis Junii anni 1700.

Preces Fratrum Provinciæ Argentin.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti aliisque

Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione bo. mem. Alderani dum vixit Episcopi Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati, qui Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris munere tunc fungebatur, super præmissis ipsis Cardinalibus facta, præinsertum Diffinitorii Generalis Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, Provinciarum, & Conventuum hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Decembris MDCC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

III.

Mandatur Continuatio Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis.

Visitatio Apostolica fuit ab Inn. XII. Const. ed. 1693. Jan. 11. P. 2. Item Jan. 16. Februarii 7. & 11. Et iterum præcipitur continuatio Visitationis ab Inn. XIII. Const. ed. 1721. Maji 28. P. 1.

Dat. 14. Jan. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur institutio Visitationis Ap. ab Inn. XII. præceptæ, & inchoatæ.

Cum fe. re. Innocentius PP. XII. Prædecessor Noster circa Pontificatus sui primordia pastoralem Cleri Romani, omniumque Almæ Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum, & operum Visitationem instituerit, eamque ipsemet in Patriarchalibus ejusdem Urbis Ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere Adjutores nonnullos ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium Collegio elegerit, & assumpserit, eisque quosdam Romanæ Curiæ Prælatos, & alios subinde Cardinales adjunxerit, qui Visitationem ipsam peragerent, & negotia illam concernentia expedirent; Ac Secretarium, Judicem, Cancellarium, & Actuarium, Commissarium, & Fiscalem, aliosque forsan officiales, & Ministros Sacræ Visitationis hujusmodi deputaverit, variasque eisdem Cardinalibus, ac eorum, & dictorum Prælatorum Congregationi, necnon officialibus, & Ministris prædictis facultates, præeminentias, & Indulta concesserit, & impertitus fuerit, & alias, prout in diversis ipsius Innocentii Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur: Et sicut accepimus, memorati quidem Cardinales Visitatores una cum Prælatis Coadjutoribus suis Visitationem hujusmodi, tam in eisdem Patriarchalibus, quam in aliis Collegiatis, & fere omnibus Parochialibus Ecclesiis, ac in multis Monasteriis Regularium, tam virorum quam mulierum, necnon Collegiis, Hospitalibus, Confraternitatibus, & aliis locis piis dictæ Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis, & Decretis ubi opus fuit, providerint, Visitatio tamen ipsa in omnibus Ecclesiis, ac locis, & operibus piis prædictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa. Hinc est, quod Nos pastorali studio considerantes, quantopere visitatio hujusmodi utilis, & necessaria sit non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad præcavendum, ne deinceps introducantur, quantumque boni ex illa hactenus provenerit, & benedicente Domino proventurum sit, si visitatio ipsa continuetur, & absolvatur, ac in ea quæ ad Dei cultum, & gloriam animarumque salutem opportuna, & conducibilia sunt sicut hactenus factum est, in posterum quoque pie prudenterque statuantur, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Visitationem continuari, & absolvi, causasque indecisas in Congregatione præfata pendentes, prout æquitatis, atque Justitiæ ratio suaserit, terminari, Visitationes particularium Ecclesiarum, ac locorum, & operum piorum jam inchoatas, absolvi, necnon Ecclesias, & loca, & opera pia nondum visitari, cæteraque omnia, & singula visitationem hujusmodi quomodolibet concernentia fieri, geri, statui, & ordinari, ac executioni demandari debere, tenore præsentium decernimus, & mandamus, ac omnes, & singulas facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & Indulta quæcumque prædictis Cardinalibus, & Prælatis eorumque Congregationi, necnon omnibus, & singulis Officialibus, & Ministris supradictis a memorato Innocentio Prædecessore per suas literas prædictas quovis modo respective concessa, & attributa per obitum ejusdem Innocentii Prædecessoris minime cessasse, nec cessare, sed in suis robore, & firmitate permanere, omnibusque, & singulis prædictis respective adhuc competere, & suffragari debere, decernimus pariter, & declaramus; Et quatenus opus sit facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & Indulta hujusmodi eisdem Cardinalibus, & Prælatis, eorumque Congregationi, ac Officialibus, & Ministris prædictis in omnibus, & per omnia, prout eis respective a dicto Innocentio Prædecessore concessa, & attributa fuerunt, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus denuo concedimus, tribuimus, & impartimur.

Causæ hujus Constitutionis.

Mandatum de continuanda Visitatione Motu proprio factum.

Item Confirmatio, & nova concessio facultatum Visitatorum.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes Literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni,

illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ propter quas præsentes emanarunt adductæ, verificatæ; vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, pia, & privilegiata causa; colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos Juris reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, ac alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane; si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus, præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Innocentius Prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XIV. Januarii MDCCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

IV.

Conceditur Indulg. Plen. perp. in Ecclesiis Ordinis Min. de Observ. die festo S. Rosæ Viterbien.

Concessæ fuere aliæ Indulg. ab Inn. XII. Const. edita 1692. Dec. 24. P. 2. Et ab hoc Pontifice Constitut. 1713. Nov. 15. P. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

[Dat. 14. Jan. 1701. An. 1.]

[Exordium.]

Agni Immaculati, qui Sacras Virgines sponsas spiritualium Charismatum donis multipliciter decoratas æterno sibi consortio in Cælis sociavit, vices licet immeriti gerentes in Terris, cælestes Ecclesiæ Thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, libenter erogamus, ut fidelium erga easdem Beatas Virgines devotio ejusmodi muneribus incitata, multiplicibus in dies benedicente Domino proficiat incrementis. Supplicationibus itaque filii Michaelis Angeli a Candia Ministri Provincialis Provinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Discreti perpetui dicti Ordinis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum, quam Monialium ejusdem Ordinis Jurisdictioni pro tempore existentis Ministri Generalis Ordinis hujusmodi subjectorum hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo S. Rosæ Virginis Viterbien., nempe die 4. mensis Septembris a primis vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

[Preces Ministri Provinciæ Romanæ.] [Concessio d. Indulg. die 4. Septem.]

§. 1. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ. [Clausula.]

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Januarii MDCCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

V.

Confirmatur Decretum Congreg. Rituum, quo fit facultas Eremitis Discalc. S. Aug. Provinciæ Franciæ canendi horas canonicas cantu Gregoriano.

Facultas canendi in aliis functionibus concessa fuit ab Inn. XII. Const. ed. 1698., Mar. 17. P. 7. Et ab hoc Pontifice tribuitur facultas circa celebrationem Capituli Congregationi Italiæ Constitut. ed. 1701. Apr. 30. P. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

[Dat. 29. Jan. 1701. An. 1.]

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Franciæ Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum emanavit Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Ordinis Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Provinciæ Franciæ. Porrectis Sanctissimo D. Nostro Innocentio PP. XII. a P. Matthæo a S. Paula Congregationis Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Provinciæ Franciæ Procuratore Generali in Urbe humillimis precibus, ut de benignitate Apostolica Religiosis Congregationis Provinciæ Franciæ prædictæ horas canonicas cantu Gregoriano canendi facultatem impertiri dignaretur, ipsisque a Sanctitate sua ad Sac. Rit. Congregationem remissis, sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinalis Janson. Quibuscumque in contrarium non obstantibus posse annui censuit, si Smo Dño Nostro placuerit. [Decretum præd.]

§. 1. Cum autem sicut pro parte Matthæi a S. Paula Procuratoris Generalis Provinciæ, & Ordinis hujusmodi Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Matthæo Procuratori Generali gratiam [Preces Procuratoris Gener.]

facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Januarii MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

VI.

Confirmatur Decretum Congregat. Rituum de Officio S. Paulæ sub Ritu secundæ Classis pro toto Ord. Monachorum S. Hieronymi.

A Sixto V. primo concessum fuit hoc officium sub ritu duplici Congregationi Hispaniæ. Et ab Innoc. XIII. Const. ed. 1723., Oct. 13. P. 3. concessa fuit Indulg. in festo d. Sanctæ.

Dat. 1. Febr. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum ad favorem dilectorum filiorum Monachorum, seu Fratr. Ordinis S. Hieronymi Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Ordinis Sancti Hieronymi. Ad pias preces SSmo Domino Nostro Innocentio PP. XII. nomine Regiæ Catholicæ majestatis porrectas, a Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remissas, & ab Emo, & Rmo Domino Cardinali S. Clementis relatas: Sacra eadem Rituum Congregatio Officium Sanctæ Paulæ, alias a fe. rec. Sixto Papa V. Religiosis Ordinis S. Hieronymi in Hispania sub ritu duplici concessum, in posterum a tota Religione Ordinis S. Hieronymi prædicti, sub ritu duplici secundæ Classis posse recitari benigne indulsit, atque concessit die 31. Julii 1700. -- G. Card. Carpineus. -- Loco ✠ Sigilli. -- B. Inghiramus Sac. Rit. Congr. Secretarius.

Decretum præd.

Preces Monachorum.

§. 1. Cum autem, sicut eorumdem Monachorum, seu Fratrum nomine nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congr. Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Febr. MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

VII.

Conceditur Generali Ord. Prædicatorum facultas retinendi quoscunque libros vetitos in Romana Bibliotheca Casanatensi.

Ab Inn. XII. Donata fuit eodem privilegio Bibliotheca Archigymnasii Sapientiæ de Urbe Constit. ed. 1683. Apr. 21. P. 7.

Dat. 12. Febr. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, alias bo. mem. Hieronymus, dum vixit S. R. E. Cardinalis Casanate nuncupatus celebrem Bibliothecam suam Conventui B. M. super Minervam de Urbe dicti Ordinis donaverit, ac unum, seu plura Capitalia annuorum redditum pro Bibliothecariorum, ac Professorum Textus Sancti Thomæ, & sex Theologorum stipendiis, seu manutentione, ac libris qui Congregationum pro tempore existentium S. R. E. prædictæ Cardinalium, vel adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, vel Indici prohibitorum, & expurgandorum præpositorum censuræ, & judicio subjici deberent, quotannis emendis assignaverit; in ipsa verò Bibliotheca multi reperiantur libri, quorum retentio, ac lectio per Sacros Canones, & Constitutiones

Refertur institutio d. Bibliothecæ.

Aposto-

Apostolicas prohibetur. Et propterea dictus Antoninus Magister Generalis opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret. Nos ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem prædictam generalium Inquisitorum a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, eidem Antonino generali, aliisque pro tempore existentibus dicti Ordinis Magistris Generalibus, ut ipsi in Bibliotheca prædicta quorumvis hæreticorum, & hæresiarcharum, aliorumque reprobatorum Authorum, cujuscumque Sectæ, & Classis, etiam primæ, & ex quacumque causa, etiam ob falsi dogmatis suspicionem a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu in quibusvis Conciliis generalibus, ac etiam a Nobis, & Sede prædicta quomodolibet prohibitos, & damnatos, & a Nobis, Successoribusque nostris Romanis Pontificibus, & dicta Sede forsan prohibendos, & damnandos libros manuscripta, & opera, tam hactenus in lucem edita, quam in posterum edenda, seu scribenda quæcumque, etiamsi ex professo, & in capite de religione, & fide Catholica, seu contra Religionem, & fidem easdem tractent, in ipsa Bibliotheca collocatos, & collocata, ac in futurum quandocumque collocandos, & collocanda retinere, habere, & asservare tantum libere, licite, & impune, ac absque ullo conscientiæ scrupulo, & quarumcumque Ecclesiasticarum sententiarum, & censurarum, vel aliarum pœnarum etiam irregularitatis, infamiæ, aut inhabilitatis incursu possint, & valeant, ita tamen, ut illis, & illa ab aliis separatos, & separata, & sub clave, ne ad aliorum manus deveniant, retineant, & nonnisi ab iis qui opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonice concessam esse ostenderint, legi permittant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 1. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon prohibitionibus desuper factis, & in posterum quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii MDCCI. Pontificat. nostri anno Primo.

VIII.

Declaratur Constitutio Inn. XI. de Voto Capitulari Monachorum Congr. S. Bernardi Castellæ Ord. Cistercien. in Academiis Salmanticen., & Compluten. Magistrorum.

Laudata Const. ed. fuit 1678. Jun. 21.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 19 Febr. 1701. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Ab Inn. XI. concessum fuit votum actu Cathedram occupantibus, & Magisterii gradu donatis in dd. Academiis.

Alias fel. rec. Innocentius Papa XI. Prædecessor noster ad supplicationem tunc existentis Procuratoris Generalis Congregationis Sancti Bernardi Castellæ Monachorum Ordinis Cistercien. inter alia concessit, & indulsit, ut Magistri dictæ Congregationis in Universitatibus Studiorum generalium Salmanticensi, & Complutensi per publicam approbationem omnium Sæcularium, & Regularium Cathedram actu occupantes, & ad Magisterii gradum in ipsis Universitatibus promoti, votum haberent Capitulare ultra alios duodecim Magistros ejusmodi Voti prærogativa gaudentes, & alias prout in ipsius Innocentii Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 21. Junii 1678. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Congregationis pro declaratione d. Constitutionis a nonnullis male intellectæ.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Prudentius de Ressa Abbas Generalis, & Monachi d. Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, dictæ Innocentii Prædecessoris literæ perperam intellectæ, & observatæ fuerint, nempe non solum ii Magistri, qui in dictarum Universitatum Cathedris actuales Lectores erant, sed etiam omnes illi, qui antea per aliquod temporis spatium in eis legerant, ad dictum Votum contra claram, & expressam earumdem Innocentii Prædecessoris literarum actuale lecturæ exercitium; & Magisterii gradum in Universitatibus prædictis susceptum insimul requirentium dispositionem admissi fuerint, ac proinde ipsi exponentes exacte in futurum, & inviolabili illarum observationi per opportunam desuper declarationem a Nobis consuli, & provideri plurimum desiderent: Nos eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, dictas Innocentii Prædecessoris literas de admissione ad suffragia dumtaxat eorum, qui sunt Magistri, & tunc actu Cathedram occupant, intelligendas esse auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Declaratio pro illis tantum magistris *qui tunc actu Cathedram occupant.*

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irri-

tum,

tum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ dictus Innocentius prædecessor in suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDCCI. Pontif. nostri anno Primo.

IX. Confirmantur Decreta Capitulorum Generalium Congreg. S. Bernardi Castellæ Ord. Cistercien. de suffragio Lectorum, & Prædicatorum.

Ab Urb. VIII. Const. ed. 1628. Apr. 4. donati fuerunt suffragio nonnulli Prædicatores. Et ejus Pontificis Const. præced. concessum fuit suffragium quibusdam Magistris. Const. vero ed. 1704. Feb. 20. P. 4. extat restitutio numeri vocalium pro Congreg. Hispaniarum. Et Const. sequenti agitur de suffragio quorumdam Lectorum, & Prædicatorum.

Dat. 19. Febr. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ab Urb. VIII. concessum fuit suffragium Prædicatoribus quorumdam Urbium post 12. annos.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prudentius de Ressa Abbas Generalis, & Monachi Congregationis Sancti Bernardi Castellæ Ordinis Cistercien., quod cum juxta quasdam fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri literas die 4. Aprilis 1628. seu alio veriori tempore expeditas, omnes dictæ Congregationis Monachi, qui Verbum Dei in Civitatibus Tolosana, Salmantic. ac Oppidis Madriti, & Compluti, per duodecim annorum spatium prædicavissent, ad vocem activam, & passivam admitterentur, vocalium vero hujusmodi numerus supra modum excrevisset, & inde multa inconvenientia oriri compertum esset, ut dictis inconvenientibus remedium adhiberetur in quinque Capitulis Generalibus Congregationis prædictæ ab Anno 1676. usque ad Annum 1698. celebratis pro bono ipsius Congregationis regimine decretum fuit, ut deinceps ex dictis Monachis, qui ut præfertur prædicaverint, sex dumtaxat ad dictam vocem activam, & passivam recipiantur, ac aliquo, seu aliquibus eorum deficientibus alii, qui similiter prædicaverint, & a Capitulo approbari, ac cæteris, tempore a die suscepti habitus Regularis computato, antiquiores sint, in eorum locum subrogentur. Porro in uno ex supradictis, seu alio Capitulo generali ejusdem Congregationis decretum pariter, & stabilitum fuit, ut in futurum ex Lectoribus, & Verbi Dei Prædicatoribus Jubilatis, illi dumtaxat, qui per integrum tempus a Constitutionibus dictæ Congregationis præfixum legerint, & prædicaverint, ad eamdem vocem activam, & passivam admittantur, nec ipsis simplex expeditio Patentium literarum eorum deputationis in Lectores, & Prædicatores Jubilatos hujusmodi ad hoc suffragetur.

Decretis Capitularibus redactus fuit eorum numerus ad senarium.

Item imminutus Lectorum, & Prædicatorum Jubilatorum numerus pro eodem suffragio.

Preces Congregationis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi Exponentes ea, quæ in memoratis Capitulis Generalibus, sicut præmittitur, decreta fuerunt, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri, & quia nonnulli, qui tempus Lecturæ, & prædicationis a Constitutionibus, ut præfertur, præfixum, non expleverant, sed solum per patentes literas in Lectores, & Prædicatores Jubilatos deputati fuerant ad dictam vocem contra Urbani Prædecessoris literarum, & Constitutionum prædictarum dispositionem admissi fuerunt, omnes, & quoscumque defectus ex illorum admissione hujusmodi secutos, auctoritate nostra sanari plurimum desiderent: Nos eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prænarratum Decretum de reductione Prædicatorum in futurum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus; illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Quo ad graduationem vero Lectorum, & Prædicatorum Jubilatorum non nisi illos, qui ad formam Constitutionum actu legerint, & prædicaverint ad suffragandum admittendos esse, eadem auctoritate, harum serie decernimus, & declaramus, ac omnes quorumcumque actuum cæteroqui legitime factorum, & gestorum defectus ex memorata similium Lectorum, & Prædicatorum, qui actu non legerant, aut prædicaverant ad suffragium admissione secutos, auctoritate & tenore prædictis sanamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio prædictorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus supradictis Urbani Prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis S. Bernardi, & ordinis hujusmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

X. Confirmatur Decretum Congreg. Epis., & Reg. de Abbatibus Congreg. Sancti Bernardi Italiæ Ord. Cistercien. non confirmandis in eodem Monasterio, vel officio post quinquennium.

Id institutum fuit ab Alex. VIII. Const. ed. 1656. Maii 8. De non eligendis in Abbatem extat Alex. VIII. Const. ed. 1689., Dec. 23. P. 1. Hujus vero Pontif. Const. ed. 1710. Oct. 3. P. 10.

agitur de æqualitate servanda in Generalatu, Abbatiis, aliisque officiis.

x. 22. Mar. 01. An. I.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Provinciæ Lombardiæ Congregationis Sancti Bernardi Italiæ Monachorum Ordinis Cistercien. Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod per Constitutiones dictæ Congregationis Sancti Bernardi a felic. record. Urbano VIII. Prædecessore nostro Anno 1641. specifice confirmatas, super quarum observatione postmodum dicta Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 22. Novembris 1646. emanatum nequaquam sub nullitatis, aliisque gravioribus ad ipsius Congregationis Cardinalium arbitrium imponendis pœnis dispensandum esse, reservata sibi ad id omnimoda facultate, declaraverat, illarum Capit. 23. stabilitum reperiebatur, ut Abbates dictæ Congregationis Sancti Bernardi, qui aliquod Monasterium per triennium, ab uno scilicet usque ad aliud Capitulum generale, gubernassent, in ejusdem Monasterii gubernio ad aliud triennium confirmari, sicque in gubernio hujusmodi per sexennium continuum remanere valerent, dicto autem sexennio finito, a gubernio prædicto per triennium vacare deberent. In quibusdam vero rec. mem. Alexandri VIII. Prædecessoris pariter nostri Literis in simili forma Brevis die 8. Maji 1656. expeditis, per quas Idem Alexander Prædecessor celebrationem Capituli prædictæ Congregationis Sancti Bernardi in posterum de quinquennio in quinquennium faciendam esse statuebat, præscriptum erat memoratos Abbates, dicto quinquennio elapso, non posse confirmari in eodem Officio. Et in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli ex eis, ut in Officio hujusmodi confirmari valerent, illi, aliquo tempore antequam dictum quinquennium compleretur, renunciabant, ac deinde illud ipsum in futuro Capitulo reassumebant; quo vero tali abusui remedium adhiberetur, alii Abbates ejusdem Congregationis Sancti Bernardi ad dictam Cardinalium Congregationem recursum habuerant, ipsaque Congregatio Cardinalium per suum Decretum die 24. Martii 1689. emanatum dictum abusum prohibuerat, ac Constitutionum, & Alexandri Prædecessoris Literarum præfatarum observantiam expresse demandaverat; itaut nec renunciationis, nec alio titulo, aut prætextu cuiquam dictorum Abbatum ad idem Officium redire liceret. Verum postea enatum fuerat dubium utrum dictum Decretum etiam Abbates Regiminis dictæ Congregationis Sancti Bernardi comprehenderet, itaut etiam ipsi renunciatione pauco tempore ante completum quinquennium facta, ad Officium Abbatis regiminis hujusmodi, si scilicet non eidem quam antea Monasterio præessent, ad aliud immediate sequens quinquennium denuo assumi; adeoque ad gubernium Monasterii dictum Officium Abbatis regiminis per præfatas Constitutiones annexum habentis eligi valerent, an vero per triennium a dicto Officio Abbatis Regiminis, & proinde etiam a Gubernio similis Monasterii vacare deberent, ac dictum triennium vacationis compleri oporteret hujusque dubii ratio ex Capitulo XVIII. memoratarum Constitutionum desumebatur, ubi præscribebatur dictos Abbates regiminis in eorum Officio tanto tempore, quanto alii Abbates præfati in gubernio alicujus Monasterii durare, & ab eo pari etiam tempore vacare debere, eo dumtaxat casu excepto, quo aliquis ex ipsis in Præsidentem eligeretur; ac proinde dictus Procurator Generalis dubium hujusmodi a dicta Congregatione Cardinalium declarari, ac quoscumque defectus in electionibus superiorum, & aliis actibus a dictis Abbatibus Regiminis fieri solitos ob ipsorum, seu alicujus eorum electionem ad gubernium Abbatis regiminis annexum, ut præfertur, habentis, licet ab Officio hujusmodi per triennium non vacavissent, factam secutos servari summopere desiderabat: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet--Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Eminentissimo Gabriellio censuit, ac declaravit servandum esse nunciatum Breve Alexandri VIII., & Decretum ejusdem Sacræ Congregationis 24. Martii 1689., etiam quoad quoscumque de regimine, & vacationem intelligendam esse de integro triennio. Romæ 6. Augusti 1700.--G. Cardinalis Carpineus--J. M. Panciaticus Secretarius.

Constitutionibus Cong. Abbatis confirmari non potest in eodem Monasterio, vel ...nere post triennium.

Ab Alexand. VIII. id redactum fuit ad quinquennium.

S. Congr. declaratum ut idem servandum, etiamsi existeret abdicatio Officii in quinquennii.

Dubium subortum an intelligendum de Abbate Regiminis.

Resolutio, & Decretum affirmativum Congregationis.

§. 2. Cum autem, sicut prædictus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, ac prænarratos defectus, pro quorum sanatione dicta Cardinalium Congregatio Nobis supplicandum esse declaravit, auctoritate nostra sanari plurimum desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos quorumcumque actuum ceteroqui legitime factorum, & gestorum defectus, qui in illis propter memoratam Abbatum regiminis ad gubernium Monasterii Officium Abbatis regiminis annexum habentis, quamvis ab Officio hujusmodi per triennium non vacavissent, electionem hactenus quomodolibet intervenerunt, eadem auctoritate harum serie supplemus, & sanamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Preces Proc. Gen.

Confirmatio relati Decreti.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Congregationis Sancti Bernardi, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene,

& suffi-

& sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Martii MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XI.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris de Procuratoribus, & Diffinitoribus Generalibus duarum Provinciarum in Insulis Philippinis Congregationis Hispaniæ Eremitarum Discalceat. Ord. S. Augustini.

De Privilegiis Procuratorum Generalium in Rom. Curia vide Inn. XI. ed. 1677. Dec. 11. P. 2. Et de Privilegiis Commissariorum vide sequentem.

Dat. 15. Apr. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ex decretis Diffinitorii Gen. restitutum fuit suffragium dd. Procuratoribus Gen. Provinciarum S. Nicolai, & Candelariæ.

NUper pro parte dilecti filii Joannis Antonii a S. Augustino Procuratoris Generalis Provinciæ S. Nicolai de Tolentino in Insulis Philippinis Congregationis Hispaniæ fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito, quod cum Procuratores Generales d. S. Nicolai, ac Candelariæ alterius Provinciæ in prædictis Insulis Philippinis, seu Terra firma ejusdem Congregationis Hispaniæ coram Tribunalibus, nomine suarum Provinciarum comparere, omniaque illarum bona administrare soliti ex Religiosis literarum scientia præditis, & magis benemeritis eligi consuevissent, vocemque, & votum, sive suffragium in Capitulis Provincialibus dictarum Provinciarum antehac semper habuissent, sed paucis abhinc annis voto hujusmodi carerent, hinc vero multa inconvenientia sequerentur, Capitulum, & Diffinitorium Generale dictæ Congregationis decreverat, ut deinceps Procuratores prædicti dictum votum, sive suffragium semper haberent, & alias prout in patentibus literis desuper emanatis uberius dicebatur contineri. Porro in omnibus Capitulis Generalibus dictæ Congregationis Hispaniæ ab anno 1672. usque ad annum proxime præteritum celebratis a Generali Diffinitorio decretum pariter fuerat, ut cuilibet dictarum duarum Provinciarum unus Diffinitor generalis, sicut omnibus aliis Provinciis Hispaniæ ejusdem Congregationis concederetur, itaut si aliquis earumdem duarum Provinciarum filius aptus, & idoneus in Hispania reperiretur, is assumi, sin minus ex Fratribus prædictarum Provinciarum Hispaniæ duo Diffinitores Generales hujusmodi pro dictis duabus Provinciis eligi deberent, ac proinde ipse Joannes Antonius, attento, quod Decretum hujusmodi, ne hæ duæ Provinciæ suis Diffinitoribus in Capitulis Generalibus dictæ Congregationis Hispaniæ defraudatæ remanerent, sed ut sic Diffinitorium generale perfectum, & completum redderetur, convenientissimum esset, illud, ac aliud prænarratum Decretum ad favorem prædictorum Generalium emanatum auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium confirmari, ac concedi, ut dictæ duæ Provinciæ suos Diffinitores Generales hujusmodi cum voce, & præeminentiis, sicut omnes aliæ prædictæ Provinciæ Hispaniæ, ac dicti Procuratores Generales vocem pariter, & votum, sive suffragium in omnibus memoratis Capitulis Provincialibus haberent summopere desiderabat: eadem Congregatio Cardinalium attenta relatione dilecti filii nostri Josephi Renati dictæ S. R. Eccl. Cardinalis Imperialis nuncupati prædicti Ordinis apud nos & Sedem Apostolicam Protectoris sibi super præmissis facta per suum Decretum die 18. Februarii proxime præteriti editum eidem Josepho Renato Cardinali, & Protectori benigne remisit, ut veris existentibus narratis, & quatenus expedire censuisset, prædictum Decretum Diffinitorii Generalis pro suo arbitrio, & prudentia approbaret, atque confirmaret; Unde ipse Josephus Renatus Cardinalis Protector in vim facultatis sibi sic attributæ suum quoque in præmissis Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Joseph Renatus S. Georgii in Velabro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Imperialis & totius Ordinis S. Augustini Protector -- Vigore commissionis, & facultatis a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium emanatæ, & de veritate, ac rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum Decretum Capituli, & Diffinitorii Generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniæ, & Indiarum, & concedimus, ut Procuratores Generales Provinciarum S. Nicolai de Tolentino in Philippinis, & Candelariæ in Terra firma habere semper possint, & habeant votum, & vocem in omnibus Capitulis Provincialibus suarum Provinciarum. Pariter confirmamus aliud Decretum, seu Decreta ejusdem Capituli generalis, & concedimus, ut pro qualibet dictarum Provinciarum S. Nicolai, & Candelariæ eligatur unus Diffinitor generalis, prout in aliis Provincis Hispaniæ, qui inter cæteros Diffinitores generales annumeretur, iisdemque privilegiis, juribus, & facultatibus potiatur. Volumus autem, ut præfati duo Diffinitores eligi debeant ex filiis dictarum Provinciarum S. Nicolai, & Candelariæ respective, quatenus tempore electionis reperiantur in Hispania aliqui ex iis apti, & idonei ad munus Diffinitoris suscipiendum, sin minus eligantur alii ex Provinciis Hispaniæ pro supradictis Provinciis Diffinitores. Quæ quidem Decreta sic, ut supra, auctoritate jam dicta a Nobis confirmata, & approbata, perpetuis temporibus observari volumus, & mandamus; Non obstantibus quibuscumque. Sic, &c. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die 28. Februarii 1704. I. R. Cardin. Imperialis.

Item cuilibet dd. duarum Provinciarū concessus fuit unus diffinitor Gener.

Decretum Card. Protectoris auctoritate sibi a d. Congr. delegata editum confirmans memorata Decreta Capitulorum.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Joannes Antonius Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Joannis Antonii votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum a memorato Josepho Renato Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Proc. Gen. S. Congregationi, & Reg. oblatæ pro confirmatione prædd. Decretorum.

Preces Pro Gen. Ponti[...] ci oblatæ p[...] confirmatio[...] ne relati D[...] creti.

Confirmati[...] Decreti Ca[...] din. Protec[...] toris.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab

Clausulæ.

eis

tis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, duarum Provinciarum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Aprilis MDCCI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

XII.

Confirmatur Decretum Cardin. Protectoris de Privilegiis Commiſſariorum duarum Provinciarum in Inſulis Philippinis Eremitarum Sancti Auguſtini Diſcalceatorum Congregationis Hiſpaniæ.

De Procuratoribus, & Diffinitoribus dd. Provinciarum vide Conſtitutionem præcedentem. Item ſequentem ubi agitur de Vocalibus in Capitulis.

:. 15. Apr. 1. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

x Decreto ffinitorii n. conceſ- n fuit ſuf- gium, ac am exemp- nes Expro- icialium mmiſſariis . Provin- rum S. Ni- lai, & Can- ariæ.

Nuper pro parte dilecti filii Joannis Antonii a Sancto Auguſtino Procuratoris Generalis Provinciæ S. Nicolai de Tolentino in Inſulis Philippinis Congregationis Hiſpaniæ Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini Diſcalceatorum nuncupatorum Congregationi Ven. Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod cum Capitulo, & Diffinitorio Generali dictæ Congregationis Hiſpaniæ proxime celebrato convenientiſſimum viſum fuiſſet, ut Commiſſariis, qui ex Inſulis prædictis ad Hiſpanias ad ducendos Religioſos pro inſtruendis fidelibus illarum partium in Miniſteriis Fidei mitti ſolebant, aliquod præmium aſſignaretur, alioquin nullus Religioſus inveniretur, qui propter viginti ſex millium, & amplius milliarium dictarum Inſularum ab Hiſpania diſtantiam tam longum iter ſuſcipere vellet, decreverat, ut Commiſſarii tam dictæ S. Nicolai, quam Candelariæ alterius Provinciæ in prædictis Inſulis, ſeu Terra firma ejuſdem Congregationis Hiſpaniæ, qui ſtatim atque in Hiſpaniam præmiſſorum cauſa perveniſſent Exemptionibus Exprovincialium, ac voce, & voto, ſive ſuffragio in omnibus Capitulis Provincialibus earumdem Provinciarum perfrui valerent, quibus tamen uti nequirent, ſi in Hiſpania diutius remanerent, & in eaſdem Provincias congruo tempore reverti nollent;

eces Proc. n. Congre- tioni Epiſ., Reg. obla-

Ideoque pro parte ejuſdem Joannis Antonii eidem Cardinalium Congregationi ſupplicato, ut Decretum hujuſmodi, quo iidem Religioſi ad ſponte exercendum hoc charitatis opus invitabantur approbare, & confirmare dignaretur; Eadem Congregatio Cardinalium attenta relatione dilecti filii noſtri Joſephi Renati ejuſdem S. R. Eccleſ. Cardinalis Imperialis nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris ſibi ſuper præmiſſis facta per ſuum Decretum die 18. Februarii proxime præteriti editum eidem Joſepho Renato Cardinali, & Protectori benigne remiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus expedire cenſuiſſet, prædictum Decretum Diffinitorii generalis pro ſuo arbitrio, & prudentia approbaret, & confirmaret; Ipſe vero Joſephus Renatus Cardinalis & Protector in vim facultatis ſibi ſic attributæ ſuum quoque in præmiſſis Decretum edidit, tenoris, qui ſequitur videlicet -- Joſeph Renatus S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis, & totius Ordinis S. Auguſtini Protector. Vigore ſupraſcriptæ commiſſionis, & facultatis a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium emanatæ, & de veritate, & rationabilitate expoſitorum ſatis inſtructi, confirmamus ſupradictum Decretum Capituli, & Diffinitorii generalis Congregationis Diſcalceatorum Sancti Auguſtini Hiſpaniæ, & Indiarum, & concedimus, ut Commiſſarii, quos Provinciæ Sancti Nicolai de Tolentino in Philippinis, & Candelariæ in Terra firma mittunt in Hiſpaniam ad deducendos in eaſdem Provincias Religioſos, qui illuc fideles inſtruant, & in vinea Domini laborent, vocem, & votum habeant in Capitulis Provincialibus ſuarum Provinciarum, necnon honoribus, Privilegiis, & Exemptionibus eorum, qui fuerunt Provinciales in omnibus, & per omnia fruantur, & gaudeant, ſtatim, ac in Hiſpaniam pervenerint; quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. Volumus autem, ut ſi prædicti Commiſſarii congruo tempore in ſuas Provincias non redierint, ita ut integrum Miſſionis ſuæ munus actualiter non expleverint, ſtatim eadem privilegia, honores & immunitates amittant, iiſdemque privati, & ſpoliati ipſo facto ſint, & eſſe intelligantur quacumque cauſa, colore, vel prætextu non obſtantibus. Et ita &c. Datum Romæ ex ædibus noſtris hac die 28. Febr. 1701. I. R. Cardinalis Imperialis. Loco ✠ Sigilli.

Decretum Card. Protectoris auctoritate Congr. editum confirmans Decretum Diffinitorii.

§. 1. Cum autem, ſicut dictus Joannes Antonius Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſius Joannis Antonii votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum a memorato Joſepho Renato Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Preces Proc. Gen. Pontifici oblatæ pro relati Decreti confirmatione.

Confirmatio Decreti Cardin. Protectoris.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & in futurum quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit duarum Provinciarum, ac Congregationis, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscator. die. XV. Aprilis MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XIII. Conceditur facultas celebrandi Capitula Provincialia singulis Provinciis Congregationis Italiæ Eremitarum Discalc. S. Augustini.

Ab Alex. VII. redactus fuit numerus Vocalium ad trinarium ex unaquaque Provincia. Et ab Urban. VIII. an. 1631. suppressa fuere Capitula Provincialia. Quæ postea concessa fuerunt Provinciæ Germaniæ ab Inn. XII. Const. ed. 1692. Jun. 30. P. 1. Hujus Pontif. Constitutione præcedenti agitur de suffragio Commissariorum Insularum Philippinarum, & Const. ed. 1702. Dec. 24. P. 3. de suffragio consanguineorum.

Dat. 30. Apr. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii vocales Capituli Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum in hac Alma Urbe nostra novissime celebrati, quod cum eo tempore, quo dicta Congregatio instituta, & a Sede Apostolica approbata fuit parvus esset ejus Religiosorum numerus, ac omnes Priores, & Discreti singulorum illius Conventuum ad Capitulum Generale ipsius Congregationis concurrerent, notitia qualitatum, & meritorum Fratrum magis idoneorum, & virtute præditorum facile habebatur; Sed postmodum dicta Congregatio aucta, & in multas Provincias, tam intra, quam extra Italiam erectas divisa, ac vocalibus illius Capitulorum Generalium, qui duo erant pro singulis Conventibus ad tres tantum pro unaquaque Provincia juxta dispositionem fel. rec. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris nostri literarum, quarum initium est -- *Militantis Ecclesiæ* -- reductis, quia illi soli Religiosos ad officia totius suæ respective Provinciæ eligendos pro suo arbitrio proponunt, experientia compertum fuit, multas inde factiones, & divisiones in Congregatione prædicta introductas, ac quosdam Fratres parum, aut nullo modo habiles, vel idoneos ad exercenda Provincialium, Priorum, & alia nonnullarum Provinciarum ejusdem Congregationis officia promotos fuisse, Provinciæque hujusmodi in magna adhuc perturbatione reperiuntur, timerique potest ne etiam in futurum tota ipsa Congregatio, & regularia illius Instituta conturbentur; ac proinde ipsi Exponentes considerantes, quantum Provinciæ Germaniæ dictæ Congregationis profuerit celebrationem Capituli sui Provincialis illi alias per quoddam Decretum in Capitulo Generali dictæ Congregationis anno 1692. editum, & subinde a rec. me. Innocentio Papa XII. Prædecessore pariter nostro confirmatam concessam fuisse, aliis quoque omnibus Provinciis ejusdem Congregationis Capitula sua Provincialia eisdem modo, & forma, ac cum eisdem privilegiis, gratiis, indultis, jurisdictione, & auctoritate, quibus dicta Germaniæ Provincia vigore concessionis ejusmodi Capitulum suum Provinciale celebrat, celebrandi facultatem a nobis concedi, ac ad eum effectum tam prædictis Alexandri Prædecessoris super memorata Vocalium reductione an. 1659. quam similis mem. Urbani Papa VIII. etiam Prædecessoris nostri literis, quarum pariter initium est -- *Militantis Ecclesiæ* -- super Capitulorum, & Diffinitoriorum Provincialium dictæ Congregationis suppressione anno 1631. respective emanatis, ac Constitutionibus ejusdem Congregationis auctoritate Apostolica confirmatis, in quibus neque Priorum, neque Capitulorum Provincialium ulla mentio facta reperitur, derogari plurimum desiderent, omnesque in Aula supradicti Capituli Generalis congregati suum ad id consensum per vota secreta præstiterunt, ita scilicet, ut omnes Superiores dictarum Provinciarum, & omnia alia illarum officia pro hac vice tantum ad triennium durent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

[Margin notes: ...tio duo ex ...gulis Cœnobiis, sed postea soli tres ex unaquaque Provincia auctoritate Apostolica Capitulis Gen. interfuerunt. — Hinc dissensiones ortæ. — Preces Capituli Gen. pro celebratione Capitulorum Provincialiū instar Provinciæ Germaniæ, & contrariorum derogatione.]

§. 1. Nos igitur eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnibus, & singulis Provinciis prædictis petitam Capitula sua Provincialia ad instar dictæ Provinciæ Germaniæ, sicut præmittitur celebrandi facultatem tenore præsentium concedimus, & impartimur, auctoritate Apostolica, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Margin note: Concessio facultatis celebrandi præd. Capitula Provincialia.]

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[Margin note: Clausulæ.]

§. 3. Non obstantibus dicti Alexandri, & Urbani Prædecessorum literis, aliisque Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis Italiæ, illiusque Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præ-

sentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCI. Pontificatus Nostri anno Primo.

Erigitur Collegium studiorum sub invocatione Nominis Jesu in Cœnobio Urbinatensi Ord. Min. Conventualium. Huic Collegio conceduntur privilegia concessa Collegio S. Bonaturæ de Urbe.

A Sixto V. Constitut. edit. 1587., Januar. 1. & hujus Pontificis Const. ed. 1710. Jan. 10. P. 10. confirmantur regulæ Collegii Missionariorum in Cœnobio Assisiensi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili divinæ sapientiæ consilio Catholicæ Ecclesiæ regimini meritis licet imparibus præsidentes, sacrarum eisque ancillantium bonarum literarum studia præsertim inter Christifideles divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo addictos opportunis rationibus fovemus, & promovemus, ac pastoralis officii nostri partes peculiari desuper charitate interponimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Religionis incrementum, & præsidium, ac etiam nostrorum, & hujus Sanctæ Sedis in temporalibus subditorum, decorem, commodum, & utilitatem expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Diffinitores Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum in Conventu SS. Duodecim Apostolorum de Urbe dicti Ordinis novissime celebrati, quod licet Provincia Marchiæ ejusdem Ordinis inter eas Provincias numeretur, quæ Conventibus, & Fratribus magis abundant, ac Provincia primæ classis nuncupetur, nihilominus nullus in ea adest Conventus in quo Collegium studii erectum reperiatur, indeque fit, ut Religiosi ejusdem Provinciæ, qui se in studiis, & Regentiis tertiæ, secundæ, & primæ classis Ordinis hujusmodi diu exercuerunt ad Regentias Collegiorum ejusdem Ordinis, quemadmodum ad gradus Paternitatis Provinciæ consequendas per Constitutiones ipsius Ordinis auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri confirmatas requiritur, difficile promoveri valeant.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat in Conventu Civitatis nostræ Urbinaten. Provinciæ prædictæ studium quidem primæ classis Ordinis supradicti habeatur, si vero in hoc eodem Conventu unum Collegium pro duobus Regentibus, decem Collegialibus, & duobus Baccalaureis erigi contingeret, non modo Fratres dictæ Provinciæ, sed etiam Sæculares ejusdem Civitatis, in qua Universitas studii generalis erecta reperitur, ad literarum studia magis excitarentur, nec per erectionem Collegii hujusmodi consuetus Collegialium, ac consequenter etiam Magistrorum dicti Ordinis numerus ullatenus augeretur, attento, quod ad effectus ejusmodi erectionis dilecti pariter filii Fratres Provinciarum Neapolitan., & Bononien. ejusdem Ordinis consentiant, ut a Neapolitan. quidem septem, a Bononien. vero Provinciarum hujusmodi Collegiis tres Collegiales respective segregentur, quin imo, nec Conventus Urbinaten. prædictus ullo exinde majori, quam antea onere gravaretur, cum in eo æqualis, ac de præsenti habetur, Religiosorum numerus haberetur, ac tres Lecturæ, Logicæ, scilicet, Philosophiæ, & Metaphysicæ, quæ ibidem sub nominibus Baccalaurei Conventus, Magistri artium, & Magistri studii de præsenti adsunt, a dictis Collegialibus de cætero exercerentur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. *Preces Diffinitorum Capituli Gen.*

§. 3. Nos igitur, qui dictum Ordinem, cujus egregia constant in Ecclesia Dei merita, ac Civitatem Urbinaten. prædictam Patriam nostram dilectissimam, literarum studiis, & virtutibus magis magisque in dies florere propensis desideramus affectibus, ipsorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in prædicto Conventu Urbinaten. unum Collegium sub invocatione Sanctissimi Nominis Jesu pro duobus Regentibus, & decem Collegialibus, ac duobus Baccalaureis Ordinis prædicti professoribus, cum omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, gratiis, & Indultis Collegio Sancti Bonaventuræ in primodicto Conventu dudum a re. me. Sixto Papa V. prædecessore pariter nostro per quasdam ejus literas anno Incarnationis Dominicæ 1587. Kal. Januarii emanatas erecto, & instituto, etiam per viam communicationis, & alias quomodolibet, & qualitercumque concessis, & attributis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus. *Causæ hujus Constitutionis.* *Erectio dicti Collegii pro 2. Regentibus, 10. Collegialibus, & 2. Baccalaureis, cum privilegiis Collegii S. Bonaventuræ de Urbe.*

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulæ.*

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Maji MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XV.

Conceditur scholaribus Cœnobii Sancti Augustini Eremitarum S. Aug. Civitatis Lagunæ in Insula Tenarisæ facultas suscipiendi gradus scholasticos in eodem Cænobio.

Eadem facultas concessa fuit Alumnis Provinciæ novi Regni Granaten. ab Innoc. XII. Const. ed. 1694. Apr. 24. P. 4. Et hujus Pontificis Const. ed. 1710. Maji 20. P. 10. augetur numerus Magistrorum Provinciæ Chilen. Eremit. S. Augustini.

Dat. 4. Junii 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, solicitudo Nos admonet, ut sacrarum, bonarumque literarum studia per quæ depulsis ignorantiæ tenebris veritas elucescit, Religio augetur, ac fides Catholica roboratur, & propagatur ubique locorum, & præsertim in remotis ab hac Sancta Sede partibus, opportunis rationibus, & peculiaribus favoribus, ac gratiis confovere, & promovere satagamus.

Rationes pro d. facultate obtinenda.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres, & Scholares Conventus Sancti Augustini Oppidi Civitatis nuncupati Lagunæ in Insula Tenarisæ Ordinis Fratrum Eremitarum ejusdem Sancti Augustini Canarien. Diœcesis, quod cum in Insulis Canariis nulla reperiatur studii Generalis Universitas, in qua studentes illarum partium ad gradus Scholasticos promoveri valeant, ideoque ad gradus hujusmodi in Hispaniis consequendos mare mille ducentorum milliarium trajicere, & Terras trecentorum aliorum milliarium peragere, non sine maximo vitæ discrimine, & expensis debeant, ac sæpe contingat aliquos ex illis a Mauris capi, & mancipari, ipsi exponentes, asserentes dictum Conventum primum, & principaliorem esse dictarum partium, in eoque grammaticam, ac artes seu scientias, & facultates Philosophiæ, & Theologiæ tam scholasticæ, quam moralis tradi, plurimum cupiunt a Nobis indulgeri, ut scholares dicti Conventus in artibus, seu scientiis, & facultatibus hujusmodi ibidem laureari, & ad scholasticos gradus promoveri valeant.

Preces Fratrum, & Scholarum d. Cœnobii.

§. 2. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione venerabilis fratris Archiepiscopi Hispalen. dictarum Insularum Metropolitæ super præmissis ad eosdem Cardinales transmissa, omnibus scholaribus in dicto Conventu sufficienter edoctis, ut in, & super facultatibus, & artibus supra expressis Philosophiæ scilicet, necnon Theologiæ Scholasticæ, & Moralis in eodem Conventu laureari, ac ad doctoratus, & Magisterii gradum, & honorum publice provehi, & insigniri valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ita tamen, ut in omnibus, & singulis, Lectoribus, Magistris, & laureandis dicti Concilii Cap. 1. Sess. 5., & Cap. 2. Sess. 25. de Reform., nec non Constitutionis fel. rec. Pii PP. IV. prædecessoris nostri, quæ incipit *Sacrosancta &c.* dispositio servetur, ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Concessio facultatis suscipiendi gradus in Philosophia, Theologia Scholastica, & Morali, servatis tamen Statutis Concil Trid. & Pii IV.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Junii MDCCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

XVI.

Conceduntur Congregationi Charitatis S. Hippolyti in Ind. Occident. privilegia Ordinum Mendicantium, & Clericorum ministrantium Infirmis.

Eadem privilegia concessa fuerunt Ord. S. Joannis Dei ab Urb. VIII. Const. ed. 1624. Jun. 20. P. 1. Hujus Congregationis privilegia, & Indulgentiæ confirmata fuere ab Inn. XII. Constitut. ed. 1700. Maji 20. P. 9. Et aliud privilegium de Ordinibus suscipiendis extat Constitutione sequenti.

Dat. 25. Junii 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis cælitus Pastoralis officii ratio postulat, ut paternam sacrarum Religionum, & Congregationum Christianæ Charitatis, & Hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium, & Institutum, quo labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent, & ferventius exequantur, liberalibus gratiarum, & privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Rationes pro dd. Privilegiis obtinendis, una cum precibus Procuratoris Gen.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Joannes de Cabrera Procurator Generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti Martyris in Civitate Mexicana, aliisque partibus Indiarum Occidentalium a fel. rec. Innocentio Papa XII. prædecessore nostro in Religionem erectæ, Nobis nuper exponi fecit Fratres dictæ Congregationis ab ipso illius initio multiplicia, atque insignia pietatis, & Christianæ charitatis opera erga Pauperes, & Infirmos in eorum Hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio,

exercuerint, & in dies exercere non desinant, quo vero illa semper impensius, & indefessi obeant, & continuent, ipse Joannes Procurator Generalis plurimum cupiat gratias, & privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregationis Clericorum Regularium ministrantium Infirmis, quæ alias rec. mem. Urbanus Papa VIII. prædecessor pariter noster Ordini tunc Congregationi nuncupat. Fratrum S. Joannis Dei communicavit & concessit, prædictæ Congregationi Charitatis, quæ (ut asseritur) in suis Regularibus institutis cum dicto Ordine S. Joannis Dei maxime convenit, illiusque fratribus, & locis a Nobis pariter communicari, & concedi. Nos eamdem Congregationem Charitatis, & pia illius Instituta confovere, & promovere, ac proinde dictum Joannem Procuratorem Generalem, ac dilectos etiam filios Fratres Congregationis hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Thomæ Mariæ Ferrarii tituli S. Clementis ejusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sancti Clementis nuncupati prædictæ Congregationis Charitatis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis dictis Cardinalibus facta, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præeminentias, & Indulta cujusvis generis existentia, spiritualia, & temporalia, qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, vel sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, vel memoratis Regularibus dictæ Congregationis Charitatis Institutis non adversentur, prædictis Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium ministrantium Infirmis, eorumque Conventibus, domibus, & aliis locis regularibus, ac Ordinum, & Congregationis hujusmodi Generalibus, Præsidentibus, & quibusvis aliis superioribus, Prælatis, & Capitulis, etiam generalibus, Provincialibus, seu intermediis, eorumque Diffinitoribus, Prioribus, Novitiis, Fratribus, Conversis, Donatis, & quibusvis eorum Regularibus personis tam in Urbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, & illorum instituto, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, seu per Nos, & successores nostros, aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, & conceduntur, ac quibus de jure, usu, & consuetudine, vel privilegio, seu concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, ad prædictam Congregationem Charitatis, & singula illius Hospitalia, Domos, & alia loca regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque Regulares personas, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo extendimus, illasque eis communicamus, & de novo concedimus, ac suffragari volumus.

...onceffio ...edictorum ...vilegio...n, dum...do sint in ..., & non ...versentur ...nstitutio...ous Eccle...sticis, vel ...ngrega...onis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Constituuntur hujus Constitutionis Executores.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, nec non dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Fratrum dictæ Congregationis charitatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem plenum earum effectum sortiri, & obtinere, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui, & gaudere, non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem, sub quovis prætextu, & causa, etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quinimo quidquid in contrarium attentari, vel fieri contingat, omnino semper in pristinum reponi, contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac piæ me. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis ac Ordinum, & Congregationis Clericorum Regularium etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præ-

sentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Junii MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XVII. Conceditur Fratribus Congregationis Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidental. facultas suscipiendi Ordines omnes extra tempora, & non servatis interstitiis.

De aliis privilegiis vide Constitutionem præced. Hæc facultas conceditur, quia unus duntaxat Presbyter esse potest in unaquaque Domo juxta Constitutiones, quæ confirmatæ fuerunt ab Inn. XII. Const. ed. 1700. Maji 21. P. 9. Et Innoc. XIII. Const. ed. 1722. Aug. 7. P. 2. confirmantur Statuta Congregationis.

Dat. 25. Junii 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM sicut dilectus filius Joannes de Cabrera Procurator Generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti Martyris in Civitate Mexicana, aliisque partibus Indiarum Occidentalium a fel. rec. Innocentio Papa XII. Prædecessore nostro in Religionem erectæ nobis nuper exponi fecit per Constitutiones d. Congregationis subinde ab eodem Innocentio Prædecessore specifice confirmatas, & approbatas statuatur, ut in singulis Hospitalibus, seu Domibus ipsius Congregationis unus dumtaxat Frater Presbyter esse possit, & id quidem, quia scilicet varia, & præsertim vilia infirmis exhibenda ministeria promptius, ac decentius per Fratres Laicos obeuntur, plurimum expediat, verum eveniente in aliquo ex dictis Hospitalibus, seu Domibus unici illius Fratris Presbyteri obitu, futurum sit, ut donec alius Frater dictæ Congregationis ad omnes Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines promoveatur, & in Defuncti locum subrogetur, si tempora ad dictorum Sacrorum Ordinum susceptionem a jure statuta expectanda, ac interstitia a Sacro Concilio Tridentino designata servanda erunt, toto eo tempore Hospitale, seu Domus hujusmodi, absque Presbytero Religioso remaneat, & interim Ministerio Presbyteri Sæcularis, assignato illi ex bonis in Hospitalitatem erogandis stipendio, & non sine Religiosæ quietis periculo uti debeat, ac propterea ipse Joannes Procurator Generalis opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desideret; Nos ejusdem Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium nostrum Thomam Mariam Ferrarium tituli S. Clementis ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sancti Clementis nuncupatum dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem super præmissis audiverunt, consilio, ut quandocumque memoratus unicus Frater Presbyter cujuscumque ex dictis Hospitalibus, seu Domibus ab humanis decesserit, alius frater expresse professus prædictæ Congregationis in illius locum subrogandus Clericali charactere, si illo nondum insignitus sit, insigniri, & ad quatuor minores, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unica, & subinde ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio arbitrio Ordinarii definiendo interpolatis) etiam extra tempora ad id a jure statuta, ac interstitiis a dicto Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex sacris Ordinibus prædictis antequam ad alium promoveatur se minime exercuerit, dummodo nullum Canonicum ei obstet impedimentum, ipseque ad id idoneus reperiatur, ac servatis alias servandis, de Superiorum suorum licentia promoveri, & promotus in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Ratio pro d. facultate obtinenda.

Preces Procuratoris Gener.

Concessio prædictæ facultatis.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Charitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Junii MDCCI. Pontificatus Nostri anno Primo.

XVIII. Conceditur Visitantibus S. Domum Lauretanam Indulgentia plen. perp. etiam per modum suffragii pro Defunctis.

De Pœnitentiariorum Collegio extat Alexand. VII. Const. ed. 1659. Feb. 22. P. 4. Et hujus Pontificis

sequens

sequens Const. est de celebratione Missarum in d. Domus Capella, & Ecclesia.

26. Sept. An. I.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD augendam fidelium devotionem pia charitate intenti, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ad Sacram Domum Lauretanam ab Omnipotenti Deo specialibus gratiis, & donis illustratam devotionis causa peregrinantibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Sacram Domum hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam etiam animabus fidelium Defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio dicta toties quoties.

§. 1. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausula.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Sept. MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XIX.

Consulitur celebrationi Missarum non adhuc celebratarum, & aliarum in posterum celebrandarum in Capella, & Ecclesia S. Domus Lauretanæ.

In præcedenti Constitutione extat concessio Indulgentiæ plen. perp. Inn. XII. Const. ed. 1698., Aug. Nonis, P. 8. agitur de regimine Domus, & Civitatis Lauretanæ. Et hujus Pontificis Const. ed. 1711., Maji 13., P. 11. de facultate Confessariorum etiam Pœnitentiariorum.

Dat. 28. Sept. 1701. An. I.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constitutionis.

CUM sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, plurima Missarum, tam in Capella, quam in Ecclesia Sacræ Domus Lauretanæ celebrandarum onera a multo tempore inexpleta remanserint, ac usque ad annum 1678. adhibiti cum fuerint Libri, in quibus Missæ manuales celebrandæ adnotarentur, adeoque Missarum hujusmodi non celebratarum numerus ignoretur, a dicto vero Anno, quo dictæ Missæ in Libris adnotari cœperunt, quinquaginta millium in dicta Capella, ac viginti quinque millium circiter in præfata Ecclesia respective celebrandarum Missarum hujusmodi celebrationem omissam fuisse constet, nec ullus appareat modus, quo ejusmodi oneribus non adimpletis, ac Christifidelium eleemosynas pro aliis Missis tam in Capella, quam in Ecclesia prædictis celebrandis quotidie offerentium devotioni, & voluntati, attento Capellanorum ad hoc necessariorum defectu, & quia unicum est dictæ Capellæ Altare, satisfieri possit, nisi desuper opportune a Nobis provideatur, & ut infra indulgeatur: Hinc est, quod Nos, ut suscepta hactenus, & omissa, ut præfertur, quantum fieri potest, ac suscipienda in futurum Missarum hujusmodi onera exacte, & diligenter adimpleantur, sicque dictorum Christifidelium ad dictam Sacram Domum confluentium, & eleemosynas pro Missis offerentium devotio, & pietas confoveatur, prospectum esse cupientes, de Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum nuncupatæ consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præcipimus, & mandamus, ut nunc, & pro tempore existentes dictæ Sacræ Domus Ministri loco dictarum Missarum usque ad memoratum annum 1678. celebrari omissarum, quarum, ut præfertur, numerus ignoratur, unam Missam cantatam in prædicta Ecclesia singulis mensibus per quinquaginta annorum spatium, celebrari facere teneantur, qua Missarum cantatarum celebratione completa, prædictarum Missarum usque ad dictum annum celebrari omissarum oneri satisfacturum fore declaramus; ac concedimus, ut dictæ Missæ cantatæ illis, pro quibus ipsæ Missæ celebrari omissæ, celebrari debebant, perinde suffragentur, acsi omnes eædem Missæ celebrari omissæ, celebratæ fuissent; prædictas vero omnes Missas in Libris adnotatas tam in Capella, quam in Ecclesia prædictis celebrandas a dicto anno hactenus non celebratas, celebrari, ac proinde ultra Capellanos necessarios alios quinque, qui eas singulis diebus usque ad totale supra expressi illarum numeri adimplementum celebrent, deputari, & ut in posterum Missarum hujusmodi celebratarum numerus sciri, secutoque dicto earum adimplemento ipsi Capellani removeri possint, ac tale onus deficiat, Librum particularem, in quo iidem Capellani illas adnotent, retineri debere decernimus, & ordinamus; Quoniam autem si dictæ Missæ in prædicta Capella celebrandæ hactenus omissæ ad numerum viginti quinque millium, sicut præmittitur, ascendentes, in ipsa Capella celebrari deberent, aliorum Christifidelium Missas in eadem Capella celebrari expostulantium devotioni, cum ne quidem duo Altaria ad dictarum omissarum, & aliarum pro tempore celebrandarum Missarum celebrationem sufficerent satisfieri, ut præfertur, non possent; ut hujusmodi Missæ omissæ, quæ in dicta Capella celebrandæ essent ad quodcumque Ecclesiæ prædictæ Altare a dictis quinque deputandis Capellanis celebrari valeant; & sic celebratæ perinde suffragentur, acsi ad memoratum dictæ Capellæ Altare celebratæ fuissent, concedimus, & indulgemus. Ne vero de cætero talis Missarum celebrationis omissio contingat, numerum Capellanorum sacræ Domus præfatæ, tot scilicet, quot adimplendum tam perpetuarum, quam manualium sive in Capella sive in Ecclesia prædictis celebrandarum Missarum onus sufficiant, augendum, & ut in posterum de ipsarum Missarum celebrationis adimplemento semper constare possit, duos Libros distinctos, & separatos, in quorum uno Missæ manuales, pro quarum celebratione in Capella, & Ecclesia hujusmodi, eleemosynæ præstantur; in altero vero omnes Missæ, quæ in utroque loco celebrantur adnotentur, retinendos, & quolibet semestri in perpetuum computa receptarum eleemosynarum, & celebratarum Missarum tam perpetuarum quam manualium revidenda, & legaliter revisa ad supradictam Congregationem Lauretanam transmittenda esse, sub suspensionis ab Officiis, vel illorum privationis per eos, qui dicta computa, ut præfertur, non reviderint, aut non transmiserint, incurrendis, aliisque arbitrio ipsius Congregationis imponendis pœnis,

De Missis non celebratis usque ad annum 1678. quarum ignoratur numerus.

De Missis non celebratis post an. 1678. quarum numerus est 75000.

De Missis in posterum celebrandis.

De Missis in posterum celebrandis in Capella dictæ Domus. statuimus, & ordinamus. Verum quia experientia compertum habetur omnes Missas tam perpetuas, quam manuales, quæ ad Altare Capellæ hujusmodi celebrari petuntur, ad illud celebrari non posse, ut in futurum Missa hujusmodi ad Altare sub titulo Sanctissimæ Annunciationis dictæ Capellæ annexum celebrari possint, ac illis, pro quibus celebratæ fuerint, suffragentur, & piorum Largitorum menti, & voluntati satisfactum sit, perinde ac ad primo dictum Altare celebratæ fuissent, concedimus pariter, & indulgemus.

Clausulæ. §. 1. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus quorumcumque Testatorum, & piorum Largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Sacræ Domus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XX. Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. de celebratione Capitulorum, & Congregationum Provinciarum Lusitaniæ, & Algarbiorum FF. Min. de Observ., & Tertii Ord. S. Francisci.

Inn. XII. Const. ed. 1700., Jul. 10. P. 9. agitur de alternativa in Provincia Insularum Azorum sub Regno Portugalliæ. Et hujus Pontificis Const. ed. 1717. Jul. 8. P. 17. de divisione, & erectione Provinciæ. Bened. XIII. vero Const. ed. 1724., Oct. 3. P. 1. abrogantur privilegia personalia FF. Tertii Ord. in Regnis, & Dominiis Portugalliæ.

Dat. 15. Oct. 1701. An. I.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciarum Portugalliæ, & Algarbiorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, necnon alterius Provinciæ Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci in Lusitania Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod cum in Capitulis, & Congregationibus dictarum Provinciarum in Curia Regia celebrari solitis vocales ad suffragia sua Religiosis immeritis conferenda Magnatum commendationibus sæpius adducerentur, ad abusum hujusmodi tollendum in Capitulo generali primodicti Ordinis anno 1688. celebrato Diffinitorium Generale, ad instantiam Vocalium Nationis Lusitaniæ per suum Decretum præceperat, ut in posterum dicta Capitula, & Congregationes extra Curiam præfatam in Conventu a Superioribus Generalibus eligendo celebrarentur, & alias prout in dicto Decreto uberius dicebatur contineri; Ne vero Decretum hujusmodi sub quovis prætextu violaretur, sed semper executioni mandaretur, ipsi Fratres plurimum cupiebant illud auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium confirmari. Emanavit ad eorum supplicationem ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audita relatione Patris Procuratoris Generalis dicti Ordinis, & attentis narratis, censuit, ac decrevit servandum esse Decretum Capituli Generalis editi anno 1688. Romæ 23. Septembris 1702. G. Cardinalis Carpineus. J. N. Paraccianus Secretarius.

Ad declinandam mala definitum fuit a Capitulo Gener. 1688., ut Capitula, & Congregationes ld. Provinciarum celebrarentur extra Curiam Regiam.

Decretum d. Congr., quo confirmatum fuit statutum præ. Capituli Gen.

Preces Fratr. Provinciarum. §. 1. Cum autem, sicut etiam dilectus filius Verissimus a Conceptione Frater expresse professus, & Procurator dictæ Provinciæ Portugalliæ Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Verissimum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti Congreg.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Octobris MDCCI. Pontificatus nostri anno Primo.

XXI.

Confirmatur Decretum Magistri Gen. Ordinis Prædicatorum confirmans abdicationem graduum, & privilegiorum personalium factam a Congreg. Observantis B. Jacobi Venetiarum.

Inn. XI. Const. ed. 1683. Apr. 7. declaratum fuit non esse admittendam cessionem loci factam a Fratribus Gallis strict. Obser. Et hujus Pont. Const. ed. 1702. Feb. 8. P. 2. agitur de receptione Religiosorum ad Congregationem Venetam.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

[...]e 21. Oct. [...]1, An. 1.

[...]b hujus[...]di Reli[...]ssis nun[...]m remis[...]a fuit gra[...]ius omni[...], & pri[...]egiis per[...]alibus.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Fratres Congregationis Observantis Beati Jacobi Venetiarum Ordinis Prædicatorum, quod ipsi ad regularem disciplinam in dicta eorum Congregatione promovendam, & sublatis omnibus obstaculis perpetuis stabiliendam omnibus gradibus, præcedentiis, & privilegiis personalibus, quorum usus in eam introductus reperiebatur, sponte renunciarunt, ad hoc ut Religiosi omni ambitiosa æmulatione, & temporalis retributionis expectatione remotis, literarum studiis, & verbi Dei prædicationi, gloriam Dei, & spiritualem Christifidelium utilitatem sibi tantum proponentes vacent, ad imitationem, & exemplum Provinciæ Toletanæ, ac Congregationum Sanctæ Sabinæ, & Sancti Marci ejusdem Ordinis, ac dilectus etiam filius Antoninus Cloche Magister Generalis dicti Ordinis renunciationem, & abdicationem hujusmodi acceptavit, & nonnulla statuit circa honorem, titulos, præeminentias, exemptiones, & privilegia in præfata Congregatione nulli in posterum competitura, & omnimodam inter omnes æqualitatem servandam, & alias prout ulterius continetur in ipsius Antonini Magistri Generalis Decreto desuper edito tenoris, qui sequitur videlicet. Nos Frater Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus. Exigit Officii nostri ratio, ut in vota Patrum Provinciarum, & Congregationum aliquando descendamus, earumque precibus inclinemur. Quare cum Reverendus Admodum Pater Vicarius Generalis cæterique RR. PP. Congregationis nostræ Beati Jacobi Venetiarum libello supplici Nobis exposuerint, se vehementer optare gradibus omnibus, seu Magistri, seu Baccalaurei, seu Prædicatoris Generalis eorumque titulis, Juribus cæterisque omnibus præeminentiis renunciare a Constitutionibus nostris concessis, eorum petitionibus paterna providentia annuentes tenore præsentium, nostrique auctoritate Officii acceptamus R. A. P. Vicarii Generalis aliorumque Patrum spontaneam abdicationem graduum omnium ab iis factam, statuimusque in posterum, quod nulli in ea Congregatione assumantur, & admittantur tituli Theologiæ Magistri, Regentis, Baccalaurei, Magistri studentium, Prædicatoris Generalis, quod nulla futura sit unquam quomodocumque præeminentia, sed omnes, & singuli post Superiores sua loca sumant, ordinem juxta professionis antiquitatem, ubique teneant, nullum titulum usurpent, nisi dumtaxat Officii, quod actualiter exercent, quo Officio expleto nullum nisi, qui simplici Religioso convenit titulum habeant, nullum etiam privilegium mittendi, vel recipiendi, vel legendi literas habeant, nisi accepta a Superiore licentia, nullam excusationem habeant a sequela Chori, aut ab onere hebdomadarii, sed omnimoda æqualitas, ac uniformitas observetur ab omnibus, & quoad omnia, inter eosque sola in Religione professionis antiquitas distinguatur, cæteris aliis omnibus omissis. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 8. Aprilis 1701. -- Frater Antoninus Cloche Magister Ordinis -- Registrat. fol. 50. -- Frater Aloysius de Baratel Magister, & Socius.

Decretum Magistri Gen. quo confirmatur abdicatio præd. omnium.

Preces FF. d. Congregationis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina regulari specialiter deputatorum consilio, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium, & Prælatorum.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXI. Octob. MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXII.

Confirmatur Constitutio Urb. VIII. super indigentiis Locorum Sacrorum Terræ Sanctæ.

Constitutio Urb. VIII. ed. fuit 1634. Feb. 3., Et ultimo confirmata ab Inn. XII. Const. ed. 1696. Feb. 24. P. 5. Postea vero ab Inn. XIII. Const. ed. 1721. Nov. 21. P. 1.

Dat. 18. Nov. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAlvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis Redemptione seipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in Terris inter multiplices gravesque Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris Mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

Ab Urb. VIII. præceptum fuit Locorum Ordinariis, & Religionum Generalibus, ut saltem his in anno populo commendari curarent indigentiam dd. Locorum.

§. 1. Cum itaque alias felic. record. Urbano Papæ VIII. Prædecessori Nostro exposito, quod Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum Tyrannidem, & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem Locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus Prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet Anno, Adventus, & Quadragesimæ temporibus tam per Verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ipsius Urbani Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; & sicut pro parte dilecti filii Bernardi ab Ecclesia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Professoris, ac ejusdem Terræ Sanctæ Commissarii Generalis Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo præfatæ Urbani Prædecessoris Literæ, quæ a recol. mem. Innocentio X. Clemente X. Innocentio XI., Alexandro VIII., ac Innocentio XII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per Nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, prædictas Urbani Prædecessoris Literas Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces Commissarii Gen. Terræ S. pro confirmatione Constitutionis Urban. VIII. jam antea ab aliis Sum. Pontif. confirmatæ.

Confirmatio d. Constitutionis.

Et mandatum super ejus executione.

§. 2. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi præfati in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant, se prædictis Urbani Prædecessoris, ac præsentibus Nostris Literis paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausula.

§. 3. Volumus insuper, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVIII. Novemb. MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXIII.

Conceditur Indulgentia plen. perp. peregrinantibus ad Ecclesiam Monasterii Sacri Specus Sublacen. Monachorum Cassinensium.

Innoc. XII. Const. ed. 1676. Nov. 17. P. 1. agitur de facultate approbandi Confessarios.

Dat. 22. Nov. 1701. An. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

INjunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cælestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos ad augendam in terris Sanctorum in Cælis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem libenter, quantum Nobis ex alto conceditur erogare studeamus.

Causæ hujus Concessionis.

§. 1. Itaque gloriosa S. Benedicti Abbatis, qui dum in hac Terra adhuc esset, nulli voluptati animum dedit, sed soli Deo placere desiderans, Sanctæ Conversationis habitum quæsivit, ac cælestis gratiæ benedictione repletus Ecclesiam Catholicam spiritualium aromatum fragrantia longe, lateque replevit, merita pio, devotoque animi affectu recolentes, nec non spirituali Christifidelium ad Ecclesiam Monasterii Sacri Specus Sublacen. nullius Diœcesis Provinciæ Romanæ Congregationis Cassinen. Ordinis ejusdem Sancti Benedicti, ubi ipse, ut totum se Jesu Christo daret, per triennium delituit, quamque Nos pluries ante nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem, dum in minoribus constituti eramus, personaliter visitavimus, devotionis causa peregrinantium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus ad Ecclesiam ejusdem Sacri Specus, sicut præmittitur, peregrinantibus, qui illam vere pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem semel tantum in anno per unumquemque lucrifaciendam, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio d. Indulgentiæ semel tantum in anno.

Clausula.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXII. Novemb. MDCCII. Pontificatus nostri Anno Primo.

XXIV.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris quo permittitur publicatio Decretorum innovantium, moderantium, & declarantium Constitutiones Ord. B. M. de Mercede Redem. Captiv.

Constitutiones Ordinis confirmatæ fuere Innoc. XII. Const. ed. 1691. Dec. 7. P. 1. Et Const. ed. 1692., Mar. 1. P. 1. permittitur moderatio cujusdam particulæ Constitutionum. Hujus vero Pontificis Const. ed. 1703. Aug. 13. P. 1. confirmantur quædam Capitula, & Ordinationes.

Dat. 29. Mar. 1702. An. 2.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Supplex libellus super

ALias pro parte dilecti filii Antonii Salvador Gilaberte Vicarii, & Procuratoris Gene-

ralis

ralis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ac in Sacra Theologia Magistri, etiam nomine dilecti pariter filii moderni Magistri Generalis dicti Ordinis porrecto Nobis ex speciali, ut asserebatur commissione totius Capituli Generalis ejusdem Ordinis die 17. Maji 1698. in Oppido Civitate nuncupato Gualdalforriensi celebrati supplici libello, in quo nonnullarum ex Constitutionibus dicti Ordinis a fe. re. Innocentio PP. XII. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 7. Decembris 1691. expeditas literas specifice confirmatis, moderari, & declarari respective petebatur: Nos supplicem libellum hujusmodi remisimus ad Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, a qua ipse Antonius Vicarius, & Procurator Generalis obtinuit plura Decreta super innovatione, moderatione, & declaratione dictarum Constitutionum in diversis earum Capitibus, seu Articulis, ac facultatem eadem Decreta imprimendi, seu typis mandandi, illaque prædictis Constitutionibus suo quoque loco inserendi, ea tamen conditione ut prius insertionis hujusmodi minuta, seu formula ipsi Congregationi Cardinalium exhiberetur, quam subinde prædictus Antonius Vicarius, & Procurator Generalis eidem Cardinalium Congregationi exhibuit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

...novatione, ...oderatio-..., & decla-...tione Con-...tutionum ...ntifici ...latus mit-...ur ad S. ...ongrega-...nem Episc., ...Reg., a ...a manarūt ...sequentia ...ecreta.

...ecreta Cō-...egationis ...mmatim ...posita.

I.

...e tempore ...citandi ho-...m matuti-...m.

Distinctio prima Cap. 2. num. 1. Decrevit Sacra Congregatio, *quod Matutinæ horæ hora noctis nona non cantentur, sed determinetur hora a Diffinitorio cujuslibet Provinciæ, ea tamen determinata amplius non varietur* -- Quare deleto num. 1. ejus loco dicet sic: Firmiter statuimus, ut matutinæ in toto Ordine nostro perpetuo, & inviolabiliter media nocte dicantur, & Superiorum conscientias oneramus, ne ad aliam horam transferri permittant, nisi in casu inevitabili, qui si accidat a die Pentecostes inclusive, usque ad festum S. Augustini dicantur post completorium, reliquis vero temporibus, eodem casu occurrente, designetur hora a Diffinitorio cujuslibet Provinciæ, ea tamen determinata, nullo modo varietur; Provincialis, aut Visitator, qui hoc non exequatur, voce activa privetur in proximo Provinciali Capitulo -- Sequitur num. 2. *Prima non longe &c.*

II.

...e immuni-...tibus Patrū ...ovinciæ.

Eadem *Distinctione cap. 10. num. 5.* Decrevit Sac. Congregatio, *quod omnes, qui a jure Constitutionis habent immunitates Patrum Provinciæ, debent eisdem gaudere suffragiis, quibus illi, qui sunt, aut fuerunt Provinciales* -- Quare addi debet in prima clausula, dum dicit: Ad hæc ipsa qualibet Provincia tenebitur pro his qui sunt, aut fuerunt Provinciales, vel a jure Constitutionis habent immunitates Patrum Provinciæ, seu Exprovincialium -- Et sequitur: *Atque etiam pro actuali Visitatore &c.*

III.

...e facultate ...agistri Ge-...ralis super ...emosynis ...o redem-...ne Capti-...rum.

Dist. 2. cap. 1. num. 6. Decrevit Sacra Congregatio: *Posse, Magistrum Generalem eleemosynas unius Provinciæ applicare Redemptioni alterius in casu necessitatis pro suo arbitrio, & conscientia de consensu Diffinitoris Provinciæ commodantis, cum hac tamen conditione, quod ex pecuniis commodatis primo loco redimantur Captivi Provinciæ commodantis, & in Catalogo Redemptionis exprimatur unde pecuniæ fuerunt desumptæ* -- Unde deleto num. 6. ejus loco dicet sic: Eidem injungimus, ut non transferat Eleemosynas unius Provinciæ in aliam, nisi in casu necessitatis, ut ad redimendum Captivos illius ad uberiorem Redemptionem agendum, ad repignorandum, vel ad debita aliqua contracta solvendum; hoc tamen minime faciat, nisi de consensu Diffinitorii Provinciæ, & semper primo redimantur Captivi Nationales illius Provinciæ, quæ pecunias commodavit, & in Catalogo Redemptionis clare exprimatur, ex qua Provincia fuerunt desumptæ Pecuniæ -- Sequitur numerus 7. *Super hoc autem*, usque ad illa verba: *Unde sub præcepto, & excommunicatione* præfatis; & deleantur reliqua.

IV.

Eadem *Dist. Cap. 5.* Deleatur in totum numerus secundus juxta Decretum Sac. Congregationis, & sufficiant dicta num. 1.

V.

De tempore disciplinæ faciendæ.

Dist. 3. cap. 6. num. 4. Decrevit Sacra Congregatio *Sufficere observantiam Constitutionum antiquarum* -- Quare deleatur numerus quartus, & ejus loco dicet sic: Quarta, & Sexta feria per totum Quadragesimale tempus, & etiam omnibus sextis feriis per totum Adventum peracto completorio omnes Fratres conveniant in Ecclesia, vel Choro, & ibi communem exerceant disciplinam, recitantibus interim Prælato, & ejus Vicario, & Conventu alternatim prædictum Psalmum, semel, & iterum, vel secundum Domorum consuetudinem cum versibus, & oratione præfixis, ab ipso Prælato dicendis. Alias autem disciplinas, quibus ultra, & privatim fratres afficiuntur, si prudenter, & cum discretione fiant, non solum laudabiles reputamus, verum & salubriter suademus -- Sequitur Caput 8.

VI.

De linteaminibus lecti.

Eadem *Distinct. cap. 11. num. 1.* Decrevit Sacra Congregatio, *Indulgeri quod deleatur prohibitio duorum linteaminum* -- Quare deleto num. 1., ejus loco dicet sic: -- Ne in lectulis delitiis refoveamus, universis fratribus constituimus, ut nunquam nudi dormiant, sed cum tunica. Uti possunt duobus linteaminibus cum religiosa tamen paupertate, absque profanitatis umbra -- Sequitur num. 2. -- *Singuli Fratres &c.*

VII.

De Capitulo Culparum.

Eadem *Dist. cap. 5. num. 1.* Decrevit Sacra Congregatio, *Relinquendam solam pœnam privationis Officii ipso facto incurrendam, cæteris pœnis, & Comminationibus deletis.* Quare deleto hoc num. 1. ejus loco dicet sic: Regularem observantiam exequimur in Capitulis culparum, ubi nosmetipsos accusamus, & salubriter a Prælato corrigimur. Quapropter universis Commendatoribus sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda præcipimus, ut ad minus qualibet feria sexta, vel opportuniori die cujuslibet hebdomadæ Capitulum culparum post completorium celebrent -- Sequitur numerus secundus -- *Congregatis igitur &c.*

VIII.

De promovendis ad gradum Præsentaturæ.

Dist. 6. cap. 6. num. 2. Decrevit Sacra Congregatio, *quod serventur Constitutiones antiquæ.* Quare deleto num. 2., dicet sic: Quo circa præsenti Constitutione præcipimus, quod nullus ad gradum præsentaturæ de lectura promoveri valeat, nisi peractis quinque annis lecturæ, inclusis pariter, quos forsan egerit in magisterio studentium, ita ut jam per triennium, unam ad minus artium lecturam expleverit, & per biennium Sacram Theologiam docuerit, vel Magister studentium extiterit. Similiter, etiam, quod nullus ad Magisterium assumatur, nisi ultra prædictos quinque annos, alios sex in Sac. Theologiæ lectura consumpserit -- Sequitur num. 3. -- *Lectorem autem.*

IX.

De collatione graduū literariorum.

Eadem *Dist. & cap. 1. num. 13.* Decrevit Sac. Congregatio *quod mutetur examen* -- Quare deleto hoc numero ejus loco dicet sic: Ut quis autem ad Collationem graduum de gratia per Breve Sedis Apostolicæ perveniat, sufficientiæ illius rigorosum fiat examen a Magistro Generali, vel a Provinciali, cum aliis duobus Magistris, vel præsentatis de numero, & Cathedra, qui juxta Deum, & propriam conscientiam de sufficientia, aut insufficientia graduandi judicent, & decla-

rent.

rent. Et sic & non aliter ad gradum promoveatur -- Sequitur num. 14. eos tamen. &c.

X.

Eadem *Dist.*, *&* *Cap. num.* 17. Decrevit Sac. Congregatio -- *Præcedentiam Graduatorum per Breve Sedis Apostolicæ* -- Quare deleto hoc num. dicet sic: Super quibus insuper declaramus Magistros, & Præsentatos de gratia, modo dicto creandos, in his quoque respective privilegiis, immunitatibus contineri: ita tamen, ut quantum ad locum, Præsentati de gratia, si fuerit lectores, sint immediate post Præsentatos de lectura: si fuerint Prædicatores, sint immediate post Præsentatos de Pulpito; si autem ex mera gratia Sedis Apostolicæ graduati fuerint ultimum locum habeant. Pariter Magistri per Breve Sedis Apostolicæ semper sint immediate post Magistros de numero -- Et juxta hanc Constitutionem corrigatur caput de Ordine sedendi -- Sequitur cap. 7.

XI.

De Generalis & Provincialis facultate extrahendi libros ex Bibliotheca.

Eadem *Dist. Cap.* 11. *num.* 5. Decrevit Sacra Congregatio -- *Posse Magistrum Generalem*, *&* *Provinciales concedere Fratribus licentiam ad extrahendum libros a Bibliotheca* -- Quare numerus iste terminabit sic: Nec ad hoc valeant Prælati locales facultatem concedere sub eisdem pœna, & præcepto: Magister tamen Generalis, & Provinciales possint licentias concedere ad libros extrahendum ex Bibliotheca, raro tamen, & solum in casu necessitatis id faciant, super quod eorum conscientias oneramus -- Sequitur numerus sextur qui vero &c.

XII.

De Spolio Magistri Generalis.

Dist. 7. *Cap.* 5. *n.* 17. Decrevit S. Congregatio. *Modum servandum in his, quæ pertinent ad spolium Magistri Generalis, etiam in casu mortis* -- Quare huic numero addendum est in casu tamen mortis Magistri Generalis, bona, pecuniæ & aliæ res pertinentes ad spolia Magistri Defuncti taliter reserventur, & custodiantur a Provinciali, & a Diffinitorio illius Provinciæ, in qua existere quomodocumque innotuerit, & de his omnibus in Capitulo Generali proxime futuro fiet dispositio pro solvendis debitis, tam Romæ contractis (si quæ fuerint) juxta computa illius Procuratoris Generalis Curiæ adducta, etiam a Vicario Generali Ordinis tempore sui officii pro causa communi Religionis, & quidquid superet novo Magistro Generali resignetur pro sumptibus sui muneris, & Religionis, de quibus omnibus etiam reddet rationem modo, & tempore in hac nostra Constitutione statutis -- Sequitur numerus 18.

XIII.

De subjectione Exgeneralium.

Eadem *Distinct. Cap.* 5. *n.* 22. Decrevit Sac. Congregatio -- *Exgenerales subesse soli Generali actuali, quoad vitam coactivam, quoad vero directivam, etiam Provincialibus, & Superioribus localibus.* Quare huic numero addi debent hæc verba: Semper quoad vim coactivam subsint soli Generali Magistro. Sequitur Caput 6.

XIV.

De suffragio Procuratoris Gener.

Eadem *Dist. Cap.* 10. *n.* 4. Decrevit Sacra Congregatio -- *Procuratorem Generalem Curiæ gaudere voce in omnibus in hac Constitutione nominatis quin necessarium sit quinquennium explere* -- Quare in hoc numero deleatur illa particula: *per quinquennium.*

XV.

De suspensione Commendatorum.

Eadem *Dist. Cap.* 23. *n.* 16. Decrevit Sacra Congregatio -- *Modum, quo suspendi debent Commendatores* -- Quare deleto hoc numero dicet sic: Quod si Commendator aliquid commiserit, quo in Constitutionibus nostris pœna suspensionis afficiatur, illamve promereatur, tunc audiatur tanquam reus, & suæ defensiones admittantur, quibus perpensis ad sententiam procedatur, quam solus Superior proferre non poterit, sed unice de unanimi consensu unius Magistri, vel Præsentati, & dignioris Fratris Conventus, ubi fuerit Commendator. -- Et in hunc modum corrigantur omnes Constitutiones, quæ de hac materia loquuntur Sequitur -- n. 17. *Item ipsius interest &c.*

XVI.

De facultate Generalis habilitandi ad officia.

Dist. 8. *Cap.* 3. *n.* 10. Decrevit S. Congregatio -- *Posse Magistrum Generalem habilitare ad officia adoptatos in aliis Provinciis de consensu earum* -- Quare deleto hoc num. 10. dicet sic: Et quoniam apud Indias Occidentales in Provincia Quitensi quantum ad Provincialis officium similis viget alternandi consuetudo, inter Hispanos scilicet, & ejus Regionis indigenas ab ipsa Hispania oriundos, idcirco pariter constituimus, ut prædicta alternatio constituenda sit, quatenus ex utraque parte suppetat vir habilis, & quantum ad Hispanos, quod possint a Magistro Generali habilitari de consensu Provinciarum ad omnes honores, & dignitates illius. Privative enim attinet ad Magistrum Generalem filios alias legitime adoptatos, habilitare ad honores, & dignitates, accedente consensu Diffinitorii Provinciæ, in qua fuit adoptio -- Sic corriget adoptionem per Quinquennium requisitam in Provincia Italiæ in hoc Cap. num. 8. -- Sequitur n. 11. *de omnibus &c.*

XVII.

De loco, atque præstantia Officialium.

Eadem *Dist. Cap.* 19. *n.* 5. Decrevit Sac. *Congregatio locum Diffinitoribus Provinciæ* -- Unde deleto num. 5. dicet sic: Circa reliqua officia, quæ diversis personis accidunt, sic ea distribuimus. Diffinitores Generales ex suo genere sunt Electoribus priores, & utrique Diffinitoribus Provinciæ, qui semper sint immediate post Magistros tempore Diffinitoriatus: Cum autem hæc officia in personis Superioris dignitatis extiterint, ut in partibus Provinciæ, & reliquis ad hunc Ordinem pertinentibus, non propterea locum inter se mutare debent, sed semper servare sibi debitum ex Provincialatu, aut alio munere perfecto. Infra eos autem, si Magister fuerit Diffinitor, sit primus inter Magistros. Quod si Socius Magistri factus sit Diffinitor Ordinis, aut Provinciæ, aut Elector Generalis, ex hoc ipso sit alter Socio prior, & si duo intra eumdem Ordinem in diffinitione, aut electione fuerint pares, tunc præcedat, qui alterum alioquin, sine dictis officiis, anteiret -- Sequitur numerus 6. -- *De Socio autem &c.*

XVIII.

De jure probandi ad gradus extra Capitulum.

Dist. 6. *Cap.* 6. Deleantur numeri 8. & 9. & eorum loco dicet sic: Cum hæc præsentatio fieri semper debeat in vacante determinata per Diffinitorium Provinciale intra Capitulum Provinciale congregatum, ad quod privative attinet approbare, præsentare, seu exponere, & ex hoc necessario sequatur posse gradus, extra Capitulum vacantes, usque ad alium proxime futurum manere suspensos, si in Capitulo præsentatio, & approbatio facta non fuit, idcirco, ne præ his dilationibus, quidquam incommodi Provincia sustineat, consulto, & deliberate statuimus, ut prædicto Diffinitorio liceat intra Capitulum hanc facultatem approbandi quemcumque Magistro Generali cedere, ut extra Capitulum, mediante approbatione promoveat, quem maluerit -- Num. 9. pariter declaramus ad Magistrum Generalem loco, & vice Capituli Generalis, privative pertinere quoscumque ex approbatis a Diffinitorio Provinciali (vel a se ipso ex speciali facultate a Diffinitorio concessa) graduare, sive ad gradus promovere, eosdemque in ipsis confirmare. Qua etiam facultate gaudere volumus Priorem Barchinonæ, aut alium qui tempore vacationis Magistratus in Vicarium Generalem totius Ordinis successerit -- Sequitur numerus 10. *Ordinamus ulterius &c.*

XIX.

Dist. 7. Cap. 20. n. 2. ante illa verba: *Cui soli hanc potestatem &c.* addantur ista: Ita; ut juxta declarationem Alexandri VII. semper sit in libera potestate Magistri Generalis, confirmare in Vicarium Provincialem talis Provinciæ Commendatorem Domus futuri Capituli Provincialis, vel si maluerit, alium ex Patribus ad dictum Officium ab ipsis Constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex tota ipsa Provincia pro suo arbitrio, & prout melius judicaverit. -- Sequuntur illa verba: *Cui soli hanc potestatem &c.*

XX.

Dist. 7. Cap. 3. Declaratur numerus 13., & pro declaratione, ejus loco dicet sic: Cuilibet alterius Commendatori præcipimus sub pœna privationis utriusque vocis per tres annos, ut nullo prætextu per se solum audeat expendere, vel recipere aliquid non præsentibus Depositariis, vel ad minus id notum faciat, & manifestet intra terminos viginti quatuor horarum, quod ut inviolabilibus periodis impleatur, sub eadem pœna eidem injungimus, ut singulis septimanis indispensabiliter computa faciat, non quidem privatim, solique Procuratori associatus, sed publice, adstantibusque Depositariis, Dispensatore Conventus, ejusque Procuratore, atque etiam Procuratoribus Redemptionis; Quotquot in ea Domo resideant, sono Cimbali vocatis, quos omnes hujusmodi convocationibus necessario adesse compellimus. -- Sequitur num. 14. *Commendatores &c.*

Quare pro parte dicti Antonii Vicarii, & Procuratoris Generalis prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut dicta Decreta in præinserta minuta sic disposita, & digesta, ad hoc, ut illa typis edi possent, & eorum observantia demandari valeret, approbare, & confirmare dignaretur: Dicta Congregatio Cardinalium attenta relatione dilecti filii nostri Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalis Otthoboni nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta per suum Decretum die 13. Januarii proxime præteriti emanatum, dicti Antonii Vicarii, & Procuratoris Generalis precibus pro arbitrio, & prudentia ejusdem Petri Cardinalis, & Protectoris benigne indulsit, unde ipse Petrus Cardinalis, & Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet -- Vigore supradictæ facultatis Nobis a S. Congregatione attributæ Oratoris precibus in supplici Libello expositis, annuimus, petitamque Constitutionum innovationem, moderationem, & respective declarationem, necnon facultatem ea imprimendi, suoque loco inserendi auctoritate qua supra concedimus, & impartimur. Ex ædibus Cancellariæ Apostolicæ die 18. Januarii 1702. P. Cardinalis Otthobonus Protector. I. D. Grimaldus Secr. Loco ✠ Sigilli.

§. 1. Cum autem sicut dictus Antonius Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos dicti Antonii Vicarii, & Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; præinsertum memorati Petri Cardinalis, & Protectoris Decretum, omniaque, & singula in eo contenta; auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris; & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint; supplemus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri; & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis prædicti, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Martii MDCCII. Pontificat. nostri anno Secundo.

XXV.

Conceditur Fratribus Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occident. exemptio a Processionibus publicis.

Constitutiones, privilegia, & Indulgentiæ hujus Confraternitatis in Congregationem erectæ extant Inn. XI. Constit. ed. 1687. Mar. 26. Pont. 12. Et hujus Pontificis Const. ed. 1707. Jul. 28. Pont. 7. Eidem conceduntur privilegia Mendicantium, & Ministrantium Infirmis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 17. Junii 1702. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut paternam Christifidelium Christianæ erga pauperes infirmos, & convalescentes charitatis, & hospitalitatis operibus, juxta laudabilia eorum Instituta pie, & fructuose incumbentium curam gerentes, ne ipsi a salutaribus operibus, & Institutis hujusmodi ullatenus avertantur, quantum nobis ex alto conceditur providere studeamus.

Causæ præsentis Concessionis.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Confratres Congregationis Bethlehemitarum nuncupat. Hospitalium Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus, quod cum ipsi juxta eorum Constitutiones a fel. rec. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro speci-

fice confirmatas hospitalitatem erga pauperes infirmos, & convalescentes exercere, illisque inservire debeant; Verum contingat, ut dum ipsi Exponentes Processionibus publicis, quæ pro tempore peraguntur, intersunt, prædicti pauperes Convalescentes ope, & assistentia destituti remaneant, idque eo magis eveniat, quod non ita in illarum partium, ac in Italiæ, aliarumque Europæ Regionum Conventibus Religiosorum numerus frequens sit, adeoque dividi non possit, ut & dictorum Convalescentium necessitatibus, & memoratis Processionibus comitandis sufficiat, dicti Exponentes opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderent.

Preces FF. d. Congregationis.

§. 2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnibus, & singulis memoratæ Congregationis Superioribus, Confratribus, & personis nunc, & pro tempore existentibus, ut ipsi de cætero, ne ab iis, quibus ad infirmorum, & Convalescentium in ipsius Congregationis Hospitalibus degentium subventionem, & utilitatem sedulo vacant, ministeriis distrahantur, processionibus supradictis quacumque ex causa ex more, vel consuetudine, aut alias pro tempore faciendis, vel a quibusvis Ordinariis Locorum indicendis interesse minime teneantur, nec ad id ubique locorum per Ordinarios hujusmodi, seu alias quascumque personas quavis auctoritate, vel superioritate fungentes, inviti, seu nolentes cogi, vel compelli possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concessio exemptionis a publicis Processionibus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Junii MDCCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. de juribus ad gradus Scholasticos pro Studentibus Collegii S. Mariæ Transpontinæ de Urbe FF. Carmelitarum.

Inn. XII. Const. ed. 1691. Oct. 11. P. 2. extant decreta de promovendis studiis. Et hujus Pontificis Constit. ed. 1704. Mar. 27., P. 4. conceduntur privilegia Lectorum in Collegio Sapientiæ de Urbe Lectoribus Collegii Ecclesiastici in Cœnobio S. Mariæ Transpontinæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 27. Jun. 1702. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Studentium Conventus, seu Collegii Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Urbe Ordinis ejusdem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, ipsos alias vigore Constitutionum dicti Ordinis nonnullis prærogativis, circa eorum promotionem ad gradus Scholasticos gavisos fuisse, dictasque prærogativas §. 9. Cap. 17. primæ partis prædictarum Constitutionum contineri, ibi nempe disponi, ut ad Cursoratus nuncupat., Philosophiæ cursum absolvisse, ac prius publicas disputationes super universa Philosophia hujusmodi, & quatuor lectiones in dictis Constitutionibus præfixas sustinuisse, ad Lectoratus, cursum Sacræ Theologiæ similiter absolvisse, ac publicas disputationes, & quatuor lectiones in eisdem Constitutionibus designatas pariter sustinuisse, ad Baccalaureatus, Philosophiam, & Sacram Theologiam præfatam per biennium legisse, vel publicas disputationes itidem sustinuisse, & ad Magisterii in Sacra Theologia gradus promovendi post adeptum Baccalaureatum Philosophiam, ac Sacram Theologiam hujusmodi, etiam per biennium legisse, vel duas publicas disputationes in dictis Constitutionibus commemoratas similiter sustinuisse respective debeant; verum dictos Fratres Studentes ab aliquot annis prærogativis hujusmodi per quædam Decreta prædictarum Constitutionum moderatoria tunc emanata, & subinde per quasdam felic. rec. Innocentii PP. XII. Prædecessoris Nostri Literis in simili forma Brevis anno secundo ejus Pontificatus expeditas confirmata, privatos remansisse. Et in eadem expositione subjuncto, quod æquum non videbatur eosdem Fratres Studentes sub generali Decretorum moderatoriorum hujusmodi dispositione comprehendi, quia multæ speciales rationes, cur dictis prærogativis eis per dictas Constitutiones concessis, quæ in usu semper fuerant, gaudere deberent, insimul concurrebant, ipsi nempe Fratres Studentes maximos labores, & totum pene dicti Conventus onus, Officia Sacerdotum, & Clericorum, ac exercitia ordinaria studiis in eodem Conventu, & extraordinaria in gymnasio Sapientiæ nuncupatorum de Urbe, quo se ut ibi lectionibus Ordinarii Lectoris interessent, conferebant, peragendo, sustinere, ac incommoda itinerum per ipsos ab eorum Provinciis ad dictam Urbem suscipiendorum perferre, & expensas ad id necessarias facere, ac postea ad dictas suas Provincias, ut illic lecturas, quarum loca occupata, quam sæpissime reperiebant, exercerent, redire, & post tempus lecturæ ad eamdem Urbem pro examine ad Magisterii in dicta Sacra Theologia gradum subeundo reverti, multaque

Referuntur dd. jura ab Ordinis Constitutionibus concessa, & post ea oblata per quamdam earumdem Constit. reformationem.

Causæ pro restitutione relatorum jurium.

alia incommoda pati cogebantur, ac proinde dictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut memoratas Constitutiones super præmissis observari mandaret: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet - Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita. Sanctissimus Dominus Noster supplicem hunc libellum pro voto remisit, auditis Patribus Generali, Procuratore Generali, & Assistentibus Ordinis, censuit, ac decrevit, super præmissis servandas esse Constitutiones ejusdem Ordinis, enunciato Brevi sa. me. Innocentii XII. non obstante. Romæ 9. Septembris 1701. - G. Cardinalis Carpineus - N. Grimaldus Secretarius.

(Decretum ... gr. præd. ... tutione.)

§. 1. Cum autem, sicut dicti Fratres Studentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

(...ices Studium. ... nfirmatio ...ti Decre...)

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

(...lausulæ.)

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Conventus, Collegii, & Ordinis prædictorum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Junii MDCCII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

...XVII. Confirmantur declarationes, & additiones ad Statuta Universitatis Fabrorum Ferrariorum de Urbe.

Præcedent. Statuta confirmata fuere ab Alex. VIII. Const. ed. 1690. Inn. XII. Const. ed. 1693. Sept. 25. P. 3. confirmatum fuit Decretum Universitatis Barbitonsorum de Urbe. Et hujus Pontificis Const. ed. 1712. Maji 12. P. 12. confirmantur Statuta eorumdem.

CLEMENS PAPA XI.

(Dat. 28 Junii 1702. An. 2.)

Ad perpetuam rei memoriam.

(Exordium.)

Militantis Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidentes, ac publicæ utilitatis curam assidue ferentes ea, quæ pro felici prosperoque Artium, & Universitatum Almæ Urbis nostræ, cujus commodis peculiari paternæ charitatis affectu studemus, proinde constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

(Causæ insequentium Declarationum, & Additionum a Senatore, & Collateralibus Curiæ Capitolinæ probatarum.)

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Universitas, & Homines Artis Fabrorum Ferrariorum de eadem Urbe, quod licet alias felic. record. Alexander Papa VIII. Prædecessor noster dictæ Universitatis Statuta per quasdam suas in simili forma Brevis anno 1690. desuper expeditas Literas specifice confirmaverit; Quia tamen nonnulla Statutorum hujusmodi Capitula ab antiquis diversa, ac inter se ad invicem contraria; alia vero dubia, & obscura reperiebantur proindeque in illis pro ipsorum conciliatione, & declaratione aliquid etiam addendum, & innovandum videbatur; ipsi Exponentes ad tollendas controversias hac in re inter eos exortas insimul congregati nonnullas declarationes, & additiones in prædictis Statutis fecerunt, quæ jussu nostro per dilectos filios Senatorem, & Collaterales Curiæ Capitolinæ dictæ Urbis, visæ, & examinatæ, & approbatæ fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

Nel Libro Primo de' Statuti dell'Università de' Ferrari.

(Capitula super Arte in genere.)

(De Licentiis concedendis.)

Il Cap. 8. del Libro primo; dove dice, che l'approvazione di ciò non s'intenda averla ottenuta, se non sarà vinta per il voto di due terzi, almeno in questa parte lo moderiamo. Dichiarando, che basti aver vinto il partito per il voto della maggior parte; restando ferma tutta ogn' altra cosa, che in detto Capitolo si dispone, aggiungendo di più per maggior osservanza di detto Capitolo, che cadino in pena li Consoli di scudi tre per ciascheduna volta, che daranno patente, o licenza contro la forma prescritta in detto Capitolo, e detta patente, o licenza contro la forma prescritta in detto Capitolo, sia ipso facto nulla, e nessuno possa dar licenza d'aprire o ritenere aperte dette Botteghe, senza, che siano prima approvati, ed appatentati.

CAPITOLO XXI.

(De Appellationibus.)

Essendo certo, che nessuno puole essercitare alcun'Arte delle comprese nella nostra Università, se non sarà stato approvato precedente l'esame, e speditali la patente, o pure se sarà di quelle arti, che non sono sogette a far esame, se non avrà spedita la patente, altrimenti cada nella pena, come anco di desistere dall'esercizio dell'Arte, che professerà, e deve serrare la Bottega, come si dispone in detto *Lib. 1. Cap. 8. c. 9.* quanto nel Libro 5. Cap. 1., ed in altri Capitoli respettivamente; ma perchè alle volte alcuni sono sedotti da chi procura solamente tirare in lungo le liti, e fargli dispendiare senza profitto alcuno con consigliarli, che quando sono condannati dalla Giustizia a spedir la patente in conformità delli Statuti, pagar la pena, e chiudere la Bottega, s'appellino, il che poi resulta in pregiudizio d'essi medemi Appellanti, ed essendo in detto Capitolo 2. proibita detta Appellazione in ogni modo per evitar ogni attacco, e dispendio,

ed interpretazione, diciamo, e dichiaramo, che da' detti Decreti di pagar la pena; come di chiudere la Bottega, sia proibita ad ogn' uno l'appellare, e la detta Appellazione non s'ammetta da alcun Giudice ne in sospensivo, ne in devolutivo, ma bensì possino domandare il ricorso una volta solamente.

DETTO CAP. XXI.

De Instrumentis, & similibus.

Il quale pare, che obblighi li Mastri dell' Università a far qualsivoglia Istromento, o descrizione, ed altro per gl' Atti del Notaro d'essa Università, dichiaramo, che debba intendersi ogni qual volta, che l'Istromento, o altro rogito concerna l'interesse d'essa Università; dichiarando però che gl'Istromenti di vendite di Botteghe, Affitti, o Mezzarie, o debba farlo stipolare dal Notaro dell' Università con pagare la mercede dovuta, o convenuta, o almeno debba esibire negl' atti del medesimo Notaro la notificazione dell' Istromento se si farà stipolare da altro Notaro, enunciando il giorno, Mese, Anno, ed il Notaro, che se ne sarà rogato per conservarla tra gl' altri Istromenti di detta Università, altrimente il Venditore cada per ciascheduna volta, che contraverrà nella pena di scudi tre da applicarsi a benefizio della Chiesa di S. Eligio, e nell' istessa forma s'intenda il Capitolo 50. del Libro 3., restando ferma ogn' altra cosa, che si dispone in detto Capitolo 21., e Capitolo 50.

CAPITOLO XLII.

De Consultoribus.

Che è delli Consiglieri. Dichiaramo, che li detti Consiglieri possino porre per conseglio ciò, che a loro parerà utile per l'interessi d'essa Università, ed allora ciò, che da essi sarà proposto s'intenda valido, e rato, quando sarà approvato dalla maggior parte de' Mastri perpetui, altrimenti s'abbia, come se non fosse stato proposto.

CAPITOLO XLIII.

De Examinatoribus.

Il quale è dell' Esaminatori. Lo moderiamo sin dove dice che l'Esaminando resti approvato, se sarà vinto il partito per due terzi, si anco in quella parte, dove dice, che o resti approvato, o nò, si paghi la mercede depositata all' Esaminatori; dichiarando, e determinando, che resti approvato l'Esaminato, se sarà unito il partito per la maggior parte de' voti, e che la mercede depositata per l'Esaminatori, si paghi solamente nel caso, che resti approvato, altrimenti si restituisca all' Esaminato, conforme si determina l'istesso nel Capitolo primo del Lib. 3., restando ferme tutte l'altre cose, che in detto Capitolo 43. si dispongono.

CAPITOLO VI.

Nel Libro Secondo di detto Statuto.

De Peritis.

Che è dell' elezione de Periti. Diciamo, e dichiaramo, che per Periti non si possono eleggere, nè deputare, se non Mastri matricolati di quell' Arte, della quale si trattarà, restando ferme l'altre cose, che in detto Capitolo si dispongono.

CAPITOLO VIII.

De Libris Magistrorũ.

Che concerne la fede da darsi alli Libri delli Mastri dell' Università, il quale dice, che alli Libri delli Conti delli Mastri di detta Università, quando saranno tenuti legalmente, se le dia credito, come si da alli Libri degli Mercanti fondacali. Dichiaramo, che fino alla somma di scudi quaranta s'intendino tenuti legalmente ogni qual volta un Mastro tenga un Libro solo, anche, che sia semplice straccio foglio, nel quale apparisca essere scritte le partite senza fraude con il Mese, giorno, ed Anno di ciascheduna partita, dato però anche il giuramento al detto Mastro sopra la realtà del Libro, e di dette partite, restando ferme l'altre cose disposte in detto Capitolo 8., e che se si trovaranno nel Libro scritte falsità alcune, oltre le pene, che sono di ragione, il Libro non provi in nessuna parte, e tutto l'altro, ch'ivi si dispone.

CAPITOLO X.

Nel Libro Terzo di detto Statuto.

De Vecturis.

Che ordina, che chi darà bestia a vettura, debba farla stimare, e descrivere. Lo moderiamo in tutto, e dichiariamo esser mero consiglio, e non obbligo del Lavoratore, nè del Conduttore.

CAPITOLO LI.

De Suffragio.

Nel quale si dice, che chi non esercita più Bottegha, non possa aver voto, nè attivo, nè passivo nell' Adunanze, o Congregazioni, e nè anche in quelle intervenire. Lo dichiariamo doversi intendere, quando però abbia dimesso la Bottega per causa di fallimento doloso così dichiarato dal Giudice, o che faccia qualche esercizio infame.

Capitula super Arte in specie.

Sin quì essendosi fatte le dichiarazioni ali Capitoli generali, che comprendono qualsivoglia Arte, e Maestro della detta Università, essendosi considerato, che vi sono necessarie anche le dichiarazioni ad alcuni Capitoli particolari di ciascheduna Arte in particolare, quali parimente sono in detto Libro 3. pertanto il

CAPITOLO XXV.

De' Morsari.

De Fabris frænorum.

Dichiariamo, che s'intende di proibire a ciaschedumo di qualsivoglia arte il poter lavorare della Professione de' Morsari nel modo, che essi Morsari lavorano, se non sarà stato approvato, precedente l'esame, e ch' abbia spedita la Patente in tutto, e per tutto, come si dice in detto Capitolo.

Li Capitoli 28. 44., e 25. di detto Libro terzo.

De Fabris ferramentorum veterũ.

Nelli quali vi sono alcune parole, dalle quali pare, che si voglia inferire, che li Ferravecchi siano in colpa di furti, che succedono, moderandoli in questa parte. Dichiariamo, che dette parole non s'intendino poste per alcuno delli compresi in detta Università, nè per li Ferravecchi Botteghari, e Matricolati, de' quali, se vi fosse tal' ombra non si riceverebbero, nè si riterrebbero nell' Università, ma più tosto s'intendino de' Zingari, e Vagabondi, che vanno per la Città girando sotto nome di stracciaroli: e perchè in detti Capitoli si parla confusamente de' Ferravecchi, e stracciaroli, pertanto s' è fatta la presente dichiarazione con porre alli Ferravecchi il seguente Capitolo.

De' Ferravecchi Bottegari, statuimo, ed ordiniamo, che chiunque voglia esercitar l'Arte di Ferravecchio, e vorrà tener Bottega, debba prendere la Patente dalli Signori Consoli, altrimenti per ciascheduna volta cada in pena, come dispone il Capitolo 8. nel Libro primo, e presa, ch' averà la Patente da nessuna dell' altr' Arti gli si possa impedire il libero commercio d'essercitare la lor' Arte nel modo, e forma, che per il passato hanno pratticato, ed esercitato, e di presente pratticano, ed esercitano.

CAPITOLO XXXIX. LIBRO III.

Delli Chiavari.

De Fabris Clavium.

Parlando il detto Capitolo, che chi vorrà essere ammesso per Maestro Chiavaro faccia li lavori di Bottega all' Esaminatori: Dichiariamo,

e vogliamo, che detti Esaminatori debbino elegersi dalla Congregazione del Corpo di dett'Arte de'Chiavari, ed a dett'effetto li Tredici di dett' Arte debba far intimare la Congregazione sudetta, e mandare a partito sei Maestri per Esaminatori, di quelli ne restino approvati tre, cioè quelli, ch'averanno avuti più voti a favore, e l'Offizio de'detti Esaminatori duri un Anno solamente, e la nomina di detti sei Maestri la faccia il detto Tredici di dett'Arte.

CAPITOLO XL.

Fabris ...ntibus.

Disponendosi in detto Capitolo di quelli, che vanno vendendo per Roma, ed ivi disponendosi che si faccino scrivere nel Libro Matricolare, e che paghino venticinque bajocchi, Diciamo, che per non riuscir così comodo il poter rinvenire li suddetti se si meschino con li nomi degl'altri Maestri che tengono Bottega aperta; Pertanto si debbano far scrivere in un libro a parte quale sarà intitolato--Libro di quelli, che vanno vendendo per Roma, e paghino per il Bollettrino venticinque bajocchi, di che dispone detto Capitolo 40.

CAPITOLO XLIX.

Dell' Arte Grossa.

De Fabris' ...amento. ...magno-.

Nel quale parla nell'esame da farsi da chi vorrà esercitar l'Arte, poichè non distingue chiaramente qual esame preciso debba farsi dallo Staderaro, quale dal Ferracocchio, e quale da chi esercita l'Arte grossa, comprendendosi sotto questo nome d'Arte grossa tutte le sudette tre Arti, come si dice nel Capitolo 48. del Libro terzo, e volendo, che queste tre Arti siano sottoposte all'eseme da chi le vorrà esercitare, ed a dett'effetto moderando il Capitolo 48., che è delli Ferravecchi, e Staderari in quella parte, dove dice benchè non sino di quell'Arti sogette a far l'esame; Diciamo, e dichiariamo, che chi vorrà in avvenire esercitar l'Arte grossa, oltre li pezzi de' lavori posti in d. Capitolo 49., debba anche fare una mannara da Candelottaro, e saldare un ferro grosso, o altri ferri in arbitrio dell'Esaminatore. Chi vorrà fare il Ferracocchio dovrà per suo esame fare una boccola da Rota fatta con regola, e misura, una Treversa di Frollone con li calcagni, ed un Maniglione di Carrozza, o altri ferri, che si usino in arbitrio dell'Esaminatori.

Chiunque vorrà fare lo Staderaro per suo esame dovrà fare giusta, e di buona qualità una Stadera da mille libre; un'altra da mano con il fondo, una bilancia a mano, e racconciare, e rimettere a sesto una stadera guasta, che li darà un'Esaminatore; e ciascheduno de'sopradetti sì Arte grossa, come Ferracocchi, e Staderari dovrà far li lavori sudetti in presenza dell'Esaminatori. Proibendo a ciascheduno, che non sia stato appatentato il poter esercitare alcuna di dett'Arti come Maestro in qualsivoglia Bottega sotto pena di scudi dieci per ciascheduna volta d'applicarsi a beneficio della Chiesa di S. Eligio.

CAPITOLO LIII.

De' Stagnari.

De Fabris ...norum.

Il quale parla degli Stagnari, e loro esame perchè non si distingue in detto Capitolo l' esame da farsi da chi esercita l'Arte minuta solamente, e da chi esercita l'Arte di grosso, o pure sì di grosso, come di minuto, non potendosi adattare a tutti l'istesso esame; Pertanto moderando detto Capitolo statuimo, ed approviamo il seguente.

Statuimo, ed ordiniamo, che chi in avvenire vorrà fare l'Arte di Stagnaro, se con aprire nuova Bottega, o lavorare fuori di Bottega de' Maestri appatentati, debba presentarsi avanti l'Esaminatori, e dichiararsi, s'intende lavorare solamente di minuto, o pure di minuto, e di grosso, ed in caso voglia lavorare solo di minuto, debbano l'Esaminatori fargli lavorare in loro Bottega un pezzo di lavoro di stagno, un altro di latta, ed uno di piastra d'ottone di quelli lavori, che pareranno più a proposito ad arbitrio dell' Esaminatori, facendoli secondo l'uso dell'Arte debbano approvarli, e fargli l'attestazione ad effetto, che possa conseguire la Patente, se poi vorrà lavorare di grosso non riuscendo così comodo fargli lavorare attualmente il lavoro, debbano gl'Esaminatori interrogarlo a voce sopra li lavori di dett'Arte a loro arbitrio, come giudicaranno, che sia necessario, e rispondendo a proposito, debba fargli l'attestazione, come sopra, altrimente chi contraverrà al presente Capitolo, cada per ciascheduna volta nella pena, come si dice nel Capitolo 8. del Libro primo, ed a tal effetto si debbano deputare tre Esaminatori, l'Offizio de'quali durerà un Anno, e per deputargli, debba, il Tredici dell'Arte de'Stagnari nella Congregazione da intimarsi a tal effetto del Corpo de' Stagnari potre sei Maestri delli più idonei, e quelli mandarli a partito, de'quali doveranno restarne tre solamente, cioè quelli, ch'averanno avuto più voti, ed il Tredici non possa nominare, e mandare a partito per Esaminatori, se non che quelli Maestri, che lavorano, tanto di grosso, quanto di minuto.

Essendosi per oblivione tralasciato di porre in detto statuto, sì l'Arte dell'Archibugiero, come delli Chiodaroli; Pertanto poniamo, ed approviamo alle dette Arti li seguenti Capitoli.

CAPITOLO LV.

Dell'Archibugieri.

De Fabris Sclopporum.

Essendo l'Arte dell'Archibugiero, che ricerca somma esattezza per ovviare alle disgrazie, che possono succedere dell'Archibugi, Terzaroli ed altre Armi da fuoco inespertamente fatte per l'imperizia d'alcuni, che si fanno chiamar Maestri, e non hanno cognizione della Professione; Pertanto statuimo, che nessuno possa aprir Bottega d'ess'Arte, se prima non sarà stato approvato dall'Esaminatori, quali li dovranno far tirare una Canna con limarla, e polirla giusta, ed egualmente a tutto livello, fargli sfogiare; ed agiustare un fucile, come anche di fare una Cassa d'Archibugio con guardamano di legno, che parimente sii accomodato all'uso di buon' Arte, ed il tutto venghi fatto nella Bottega d'uno dell'Esaminatori, ed altri lavori ad arbitrio delli medemi Esaminatori, ed il medemo esame dovrà anche fare ciaschedun Maestro, che venendo a Roma voglia aprir Bottega, e non sia lecito a' Mercanti, Lanciari, Spadari, e qualsivoglia altro tenere a Bottega loro a lavorare di robbe spettanti a dett'Arte, persone, che non siano state approvate, ed appatentate, precedente detto esame, altrimente chiunque contraverrà a detto Capitolo cada nella pena, come nel Capitolo 8. del Libro primo; e di più li Consoli lo faccino desistere dall'esercizio di dett'Arte anco con fargli serrare la Bottega.

CAPITOLO LVI.

Delli Chiodaroli a fuoco.

De Fabris Clavorum.

Perchè li Chiodaroli altri lavorano a fuoco, ed altri sono lustri; Però chiunque vorrà esercitare l'Arte di Chiodarolo a fuoco debba in presenza dell'Esaminatori fare una Chiodaria di Bollette da scarpe, un'altra da chiodi da Mulo, e Martello acciarato ad uso d'Arte, altrimenti cada in pena per ciascheduna volta secondo il Capitolo 8. del Libro primo, e li Consoli li faccino serrare la Bottega, caso che di fatto l'avessero aperta, nè li possono dar licenza d'aprirla, e ritenerla aperta, altrimenti cadino essi Consoli an-

che in pena secondo il detto Capitolo 8., nè da detto Esame siano esenti li figli de'Maestri, purche non venissero abilitati da tutto il corpo di dett'Arte d'essi Chiodaroli a fuoco. Inoltre partendosi qualche Garzone da essi, che restasse debitore del Padrone, chi lo prenderà a lavorare, fatta che li sarà l'interpellazione dal Maestro Creditore debba far l'obbligo a favore di detto Maestro Creditore di sodisfarlo, cioè per quel tempo, che starà con esso a ragione d'uno scudo il mese da dare a detto, e ricusando farlo, sia tenuto giudizialmente, e sia forzato dal Giudice, ed inoltre cada in pena di scudi tre per ciascheduna volta d'applicarsi alla Chiesa di S. Eligio, come si dice nel Capitolo delle pene.

CAPITOLO LVII.

Delli Chiodaroli lustri.

Tutti quelli, che vogliono aprire Bottega, ed esercitar l'Arte di Chiodarolo lustro, doveranno prima esaminarsi dalli Maestri Esaminatori con fare dieci pezzi di lavoro da assegnarseli ad arbitrio dell'Esaminatori, quali però non debbano assegnarli lavori antiquati, che non si costumino più da qualche tempo, e facendoli secondo l'uso d'Arte, ed essendo tali approvati da detti Esaminatori li si spedisca la Patente, altrimenti cadino in pena, come al Capitolo 8. del Libro primo, e li Consoli li faccino serrare la Bottega, proibendo a detti Maestri il lavorare robba nuova per venderla per ritenere l'Ebrei, anzi proibendo a' detti Ebrei il ritener robba nuova di dett'Arte, e trovandogliela sia persa, e si venda, con applicare il valore a beneficio della Chiesa di S. Eligio, con il premio anche all'Accusatore di parte di detto prezzo, seguita che sarà la vendita, qual Accusatore si dovrà tener segreto.

CAPITOLO

Del modo di vendere gl'Animali a partito.

De Venditione bestiarum.

Perchè essendo parimente per oblivione tralasciato il Capitolo del vendere gl'Animali, come si dice a partito, e per un sacco d'ossa, o pure all'uso di Roma, ed essendo questo un Capitolo, utile non tanto alli Sensali, e Manescalchi, quanto a benefizio del Publico. Per tanto approviamo il seguente Capitolo.

Statuimo, ed ordiniamo, che quando alcuno venderà qualche Animale, cioè Cavallino, Asinino, ò Mulino, e detto Venditore si dichiari venderglielo tale quale è, e come si dice per un sacco d'ossa, in tal caso il Compratore non possa in alcun modo restituire tal'Animale, nè rescindere il contratto, benchè detto Animale fosse bolso, ciamorito, o avesse qualsivoglia altro difetto sì occulto, come palese, se non costasse, che dal Venditore non gl'avesse affermato, o intimato con inganno quel difetto nascosto, che se poi il Venditore venderà qualcheduno de'sopradetti Animali non per un sacco d'ossa, ma si spiegasse all'usanza di Roma; in tal caso se detto Animale dentro il termine di quaranta giorni dal giorno della vendita apparisse bolso, ciamorito, o altra infermità sì palese, come occulta; allora il Compratore possa rescindere il contratto, o restituire detto Animale al Venditore, e farsi rendere il prezzo: passati poi detti quaranta giorni, non si possa rescindere più il contratto; se in detto tempo il Compratore non l'averà restituito, o pure intimata la rescissione del contratto, o la restituzione della Bestia dentro il quaranta giorni, proceda, e si debba intendere ogni qual volta il Compratore, non ci abbia fatto viaggi lontani da giudicarsi secondo la perizia de'Manescalchi; Possa anco il Venditore provare contro il Compratore querelante, passati li quaranta giorni, che non pativa tal difetto avanti la vendita.

De reliquis Fabris.

Statuimo anche, ed ordiniamo, che l'Intaglialime, Braghierari, ed altri de'quali non si sono posti i loro Capitoli particolari, s'intendono, e sono compresi, ed obbligati osservare tutti li Capitoli Generali dello Statuto, ed anche, che possino esercitar l'Arte, senza prima aver spedita semplicemente la Patente dalli Consoli di essa Università, altrimenti s'intendino incorsi in tutte le pene, e secondo il Capitol. 8. del Libro primo -"

Preces Universitatis Fabrorum Ferrariorum.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Exponentes prædicti declarationes, & additiones hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, declarationes, & additiones præinsertas a prædictis Exponentibus factas, ut præfertur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relatarum Declarationum, & Additionum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Jun. MDCCII. Pontificatus nostri anno Secundo.

Abrogantur Discreti Conventuales in Provincia Flandro-Belgica FF. Capuccinorum. XXVIII.

Abrogatio Discretorum in pluribus aliis Provinciis extat Inn. XII. Const. ed. 1693. Maji 29. P. 2. Constit. ed. 1693. Septem. 11. P. 3. Et Const. ed. 1694.

Apr. 5. P. 3. At hujus Pontificis Const. ed. 1714. Jul. 13. P. 14. conceditur facultas restituendi Discretos in d. Provincia.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 28. Aug. 1702. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis expoſitum fuit, quod cum alias ad tollenda damna, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum Regnorum utriuſque Caſtellæ veteris, ſcilicet, & novæ nuncupatæ Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum ex electione Diſcretorum, qui a Conventibus, ad effectum ſua ſuffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi conſueverant, in religioſæ pacis, & concordiæ Regularis diſciplinæ præjudicium patiebantur, fel. recor. Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 29. Maji 1693. expeditas literas Diſcretos prædictos in dictis Provinciis ſuſtulerit, & removerit; ac ſubinde inter alia remotionem, & abolitionem Diſcretorum hujuſmodi, expeditaſque deſuper Literas præfatas ad Provincias Bæthicam, & Navarræ ejuſdem Ordinis per alias ſuas itidem in forma Brevis literas die 12. Septembris ejuſdem anni deſuper emanatas extenderit, & ampliaverit; dilecti vero filii Fratres Provinciæ Flandro-Belgicæ ſupradicti Ordinis eadem damna, & incommoda ex ſimili Diſcretorum electione pati cogantur, tam ipſi, quam prædictus Philippus Rex commune hujus quoque Provinciæ bonum promovendi ſtudio ductus, uſum eligendi Diſcretos prædictos in eadem Provincia ſimiliter abrogari, & Apoſtolicæ deſuper auctoritatis noſtræ partes interponi plurimum deſiderant. Nobis propterea ejuſdem Philippi Regis nomine humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ipſius Philippi Regis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attento voto Venerabilis Fratris noſtri Nicolai Epiſcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris ad quem ſupplicem Libellum Nobis ſuper præmiſſis porrectum remiſimus, remotionem, & abolitionem Diſcretorum hujuſmodi in dicta Provincia Flandro-Belgica ad impediendas relaxationes, & evitanda præjudicia, quæ in Regularem obſervantiam, ex illorum electionibus irrepere ſolent, expedire, ac in Religionis, ejuſque Regiminis bonum ceſſuram eſſe cenſentes, Diſcretos prædictos in eadem Provincia, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tollimus pariter, & removemus.

§. 1. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcator. die XXVIII. Aug. MDCCII. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

XXIX.

Diſmembrantur a Provincia S. Petri de Alcantara Regni Neapolis Cœnobium S. Luciæ de Monte, & Hoſpitium in Oppido Portici, quæ uniuntur Provinciæ ejuſdem S. Petri Regni Caſtellæ pro FF. Minoribus Diſcalceat. Hiſpaniæ.

Hujus Pontificis Const. ed. 1700. Dec. 22. P. 1. restituta fuere quatuor Cœnobia Provinciæ Argentinen. Recollect. Et Const. ed. 1712. Sep. 23. P. 12. revocatur præsens Constitutio.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 15. Sept. 1702. An. 2.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COmmiſſi Nobis cælitus paſtoralis Officii ratio poſtulat, ut exorta inter Religioſos Viros Animorum diſſidia, ne fraternæ charitatis compagem diſſolvant, opportunis rationibus dirimere, ac ipſorum Religioſorum ſtatui, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur providere ſtudeamus.

Cauſæ dismembrationis.

§. 1. Cum itaque (ſicut accepimus) inter dilectos filios Fratres Neapolitanos, & Hiſpanos Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum plures controverſiæ exortæ reperiantur, fierique nequeat, ut dicti Fratres habitatione, & rerum communione conjuncti animis, & contrariis ſtudiis non diſſideant, ac proinde expediat, eos ab invicem ſegregari, ita ſcilicet, ut Conventus S. Luciæ de Monte nuncupat. Civitatis Neapolitan. dictæ Provinciæ, & Hoſpitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici ejuſdem Provinciæ Neapolitan. Diœceſis Fratribus dumtaxat Hiſpanis, Neapolitanis excluſis aſſignentur: Alii vero Conventus Provinciæ prædictæ qui octo de præſenti numerantur, Fratribus Neapolitanis tantum remaneant; Hinc eſt, quod Nos pro paterna paſtoralique noſtra ſolicitudine agrum Dominicum dictæ Provinciæ ad bonam frugem, & abundantiam pacis, charitatiſque reducere cupientes: Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Conventum S. Luciæ de Monte, & Hoſpitium S. Petri de Alcantara hujuſmodi a dicta Provincia S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano tenore præſentium perpetuo ſeparamus, & diſmembramus, illaque ſic ſeparata, & diſmembrata, Provinciæ ejuſdem S. Petri de Alcantara Regni Caſtellæ Fratrum Diſcalceatorum dicti Ordinis itidem perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus. Volentes, & harum ſerie ordinantes, ut in illis Religioſi Hiſpani dumtaxat, qui deinceps Miniſtro Provinciali ſecundo dictæ Provinciæ pro tempore exiſtenti ſubjecti

Diſmembratio, & unio dd. 2. Cœnobiorum pro ſolis Hiſpanis, qui prædicare debent Verbum Dei, & obedire Provinciali Caſtellæ.

Ab Inn. XII. abrogati fuerunt Diſcreti in Provinciis utriuſque Caſtellæ, Bæticæ, & Navarræ.

Cauſæ abrogationis Diſcretorum in Provincia Flandro-Belgica.

Preces Regis Philippi.

Abrogatio Diſcretorum.

Clauſulæ.

sint, ac Missionibus, ad spiritualem instructionem Militum Hispanorum in Civitate & Regno Neapolitano prædictis degentium, ac præsidiorum, Arcium, seu Portuum Tusciæ a dicto Regno Neapolitano dependentium operam dare, illisque verbum Dei prædicare, & Sacramentales eorum Confessiones audire teneantur, habitent, & collocentur; Alii vero octo Conventus prædictis Religiosis Neapolitanis, & Italis tantum remaneant, ac primodicta Provincia octo Conventibus hujusmodi constans in futurum Ministro Generali, seu Commissario Generali Italiæ Ordinis prædicti pro tempore pariter existenti subjaceat, modo, & forma, a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita præscribendis gubernetur.

Reliqua 8. Cœnobia dictæ Provinciæ conceduntur solis Italis, qui subesse debent Ministro, seu Commissario Gen. Italiæ.

Clausulæ.

§. 2. Ac decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ fuerint, aut quavis alia, etiam quantumlibet juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormi, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiæ prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis Provinciarum, Conventuum, & Hospitii, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Sept. MDCCII. Pontificatus Nostri anno Secundo.

XXX.

Confirmatur Constitutio Inn. XII. de uniformitate tam in habitu quam in cæteris cum universo Ordine pro Canonicis Præmonstraten. Congreg. Hispaniæ.

Laudata Constitutio ed. fuit 1698., Dec. 6., P. 8. Et hujus Pontificis Const. ed. 1703., Feb. 8., P. 3. idem denuo statuitur.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 6. Nov 1702. An. 2.

Ad futuram rei memoriam.

Summa Constitutionis Innoc. XII.

Alias fel. rec. Innocentius PP. XII. Prædecessor noster supplicationibus tunc existentium Canonicorum Regularium Congregationis Hispaniæ Ordinis Præmonstraten., qui habitu Regulari ab eo, qui per Regulam dicti Ordinis præscribitur, & ab aliis Canonicis Regularibus ejusdem Ordinis gestatur, diverso utebantur, ac primævum habitum Regularem in limine fundationis Ordinis hujusmodi præscriptum reassumere, eoque in futurum uti, nec non officia Sanctorum ejusdem Ordinis recitare posse cupiebant, sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de cætero dicti Canonici Regulares Congregationis Hispaniæ cum universo Ordine Præmonstraten. prædicto tam habitu quam in cæteris uniformes essent, & esse deberent, auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas literas tenoris sequentis, videlicet.

Constitut. præd.

Innocentius PP. XII. *Ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis (*reliqua omittuntur*).

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Decembris 1698. Pontificatus nostri Anno VIII.

Causæ præsentis Constitutionis.

§. 1. Cum autem sicut accepimus oppositum fuerit in præinsertis Innocentii Prædecessoris literis nonnullis Constitutionibus dictæ Congregationis Hispaniæ, ac quibusdam re. me. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri die 19. Augusti 1641., aliisque diversis literis Apostolicis in eadem forma Brevis emanatis uniformitati (sicut præmittitur) statutæ, & ordinatæ adversantibus minime derogatum, ipsasque literas præinsertas a persona legitime ad id facultatem, seu auctoritatem non habente, impetratas fuisse, hæque, & aliæ forsan difficultates illarum executionem hactenus impediverint; nunc vero res ita compositæ reperiantur, ut si Constitutionibus, & literis Apostolicis prædictis a nobis derogetur memoratam dictorum Canonicorum Regularium Congregationis Hispaniæ cum universo Ordine Præmonstraten. uniformitas eidem Congregationi plurimum profuturam obtineri, & stabiliri valeat. Hinc est, quod Nos firmiori præinsertarum Innocentii Prædecessoris literarum robori, & efficaciæ quantum cum Domino possumus consulere volentes, & prædictarum

Consti-

Constitutionum, & Urbani Prædecessoris, aliarumque literarum Apostolicarum prædictarum tenores, & Datas etiam veriores, aliaque quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & specificatis habentes, de Venerabilium fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ac motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Innocentii Prædecessoris literas, ac omnia, & singula in eis contenta, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac easdem literas valere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere decernimus, & declaramus in omnibus, & per omnia perinde ac si illæ a persona legitimam, & sufficientem ad hoc facultatem, & auctoritatem habente, impetratæ fuissent, ac Constitutionibus, & Urbani Prædecessoris, aliisque literis Apostolicis prædictis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque specifice, & expresse, totoque literarum hujusmodi tenore inserto in præinsertis Innocentii Prædecessoris literis derogatum extitisset; ac proinde a dictis Canonicis Regularibus Congregationis Hispaniæ prædictam uniformitatem cum universo Ordine Præmonstratensi prædicto tam in habitu, quam in Breviario, cæterisque suscipi, & servari debere, harum serie statuimus pariter, & ordinamus.

Confirmatio Constitutionis motu proprio facta.

Sanatio defectuum.

Novum mandatum de uniformitate inter prædictos Canonicos.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes similiter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo interesse quovis modo habentes, seu habere prætendentes cujuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, nec causæ propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque mentionem requirente defectu, notari, invalidari, infringi, retractari, seu in controversiam revocari, aut ad viam, seu ad terminos Juris reduci, sive adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Urbani Prædecessoris, & aliis literis præfatis, cæterisque præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis Hispaniæ, & Ordinis prædictorum aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die VI. Novemb. MDCCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XXXI.

Declaratur, Congregationem Eremitarum Discalceat. Ord. S. Augustini comprehendi sub prohibitione, ne duo consanguinei, vel affines in 1. vel 2. gradu in Capitulis suffragentur.

Hæc prohibitio confirmata fuit a Clem. VIII. Const. ed. 1596. Febr. 28. P. 4. Et deinde extensa ad Discalceatos Congr. Hispaniæ, & Indiarum ab Innoc. XI. Const. ed. 1680. Sep. 14. At Inn. XIII. Const. ed. 1723. Sep. 20. P. 3. moderatur præsentem Constitutionem.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 24. Nov. 1702. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Clemens a Sancto Bernardino Prior Conventus Jesu, & Mariæ de Urbe Congregationis Fratr. Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum quod dudum nempe die 16. Februarii 1596. quoddam Decretum a quon. Andrea Fivizano, dum vixit Priore Generali dicti Ordinis inter alia emanavit, & subinde die 28. ejusdem Mensis a fel. record. Clemente PP. VIII. Prædecessore nostro per quasdam ejus in simili forma Brevis literas quarum initium, *Universalis Ecclesiæ &c.* confirmatum fuit, quo prohibetur expresse, ne duo Fratres Ordinis prædicti in primo, vel secundo gradu Consanguinei, vel affines in ejusdem Capitulis, aut Congregationibus Capitularibus ullatenus simul conveniant, & votare possint, & alias prout in Decreto, & Clementis Prædecessoris

Data prohibitio statuta fuit a Priore Gen. Ord. an. 596. F. b. 16. & confirmata a Clem. VIII. d. e 28.

Causæ præsentis Declarationis.

literis prædictis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, sæpius dubitatum fuerit, an dictum Decretum Congregationem prædictam, quæ tunc temporis initium habebat, & postmodum a rec. memor. Urbano VIII., & Clemente X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris membrum dicti Ordinis declarata fuit, & nunc in Italia, & Germania propagata reperitur, sub prohibitionis hujusmodi generalitate compleReretur, nec istius dubii resolutio ab hac Sancta Sede hactenus petita fuerit, licet illa, sive pro liberandis ab anxietate Religiosorum conscientiis, sive pro tollendis abusibus facile irrepentibus necessaria sit; Eædem vero causæ, propter quas prohibitio prædicta in dicto Ordine edita fuit, concurrere videantur, ut illa ad dictam Congregationem extendantur, ac proinde idem Clemens exponens pro suo, quo, ut Apostolicæ, & prædicti Ordinis Constitutiones, sublatis dubiis accurate observentur, zelo ducitur, ad conscientiarum quietem, dictæque Congregationis bonum de opportuna in præmissis declaratione a Nobis provideri summopere desideret.

Preces Prioris Cœnobii Jesu, & Mariæ de Urbe.

§. 1. Nos piis ipsius Clementis Exponentis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum etiam filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt consilio, supradictam Congregationem sub prohibitione prædicta in futurum comprehendi debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Declaratio prædicta.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis Fratrum Discalceatorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Nov. MDCCII. Pontificat. nostri anno Tertio.

XXXII.

Confirmatur Constitutio Innoc. XII. de Primatu pro Provincia S. Didaci Novæ Hispaniæ Min. de Observ. Discalc. contra Eremitas S. Aug. Provinciæ Nominis Jesu.

Laudata Constitutio ed. fuit an. 1700. *Apr.* 3. *P.* 9. *Et hujus Pontificis Const. ed.* 1705. *Dec.* 12. *P.* 6. *agitur de facultate renunciandi huic Primatui.*

Dat.24.Nov. 1702. An.3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Literæ In- noc. PP.XII. confirmante[s] Decretum e- ditum a Sa- crorum Ri- tuum Congr. quo decerni- tur Fratres Min.Observ Discalceatos Provinciæ S. Didaci Nova Hispaniæ præcedere debere FF. Ord. Eremi- tarum S. Au- gustini Pro- vinciæ SS. Nominis Je- su.

ALias a fe. rec. Innocentio PP. XII. Prædecessore nostro emanarunt ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ S. Didaci novæ Hispaniæ in Indiis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. *Innocentius Papa XII. Ad futuram rei memoriam.* Emanavit nuper (*Reliqua vide in suo ordine*).

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die 3. Aprilis 1700. Pontificatus nostri anno Nono.

Preces Pro- curatoris Gen., & cau- sæ præsenti[s] Confirmatio- nis.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Paulus Lopez, Frater expresse professus, ac Diffinitor, & Procurator Generalis Provinciæ, & Ordinis prædictorum Nobis nuper exponi fecit, prædicti Archiepiscopus Mexican., & antiquior Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Mexican., quibus d. Innocentius Prædecessor executionem præinsertarum suarum literarum demandaverat, easdem literas executioni demandare neglexerint, seu renuerint, ac interea Fratres secundo dicti Ordinis apud Nos recursum habuerint, ut causam hujusmodi cum dubiorum distinctione iterum ad eamdem Congregationem Cardinalium examinandam remitteremus. Nos vero recursum hujusmodi per quoddam Rescriptum die 15. Octobris proxime præteriti jussu nostro emanatum rejecerimus, ac Religiosos prædictos eisdem præinsertis literis omnino parere mandaverimus, ac proinde idem Paulus Diffinitor, & Procurator Generalis illas Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, necnon debitæ executioni demandari plurimum desideret. Nos ipsum Paulum Diffinitorem, & Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Innocentii Prædecessoris literas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac earumdem præinsertarum literarum executionem dilectis etiam filiis Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem in Civitate Mexican. auctoritate præfata deputatis cum facultatibus, & auctoritatibus, ac alias modo, & forma in præinsertis literis hujusmodi contentis, & expressis, dicta auctoritate harum serie committimus, & demandamus.

Confirma- tio præd. Constitutio- nis Inn. XII cum deputa- tione Execu- torum.

§. 3. De-

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes, & præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Nov. MDCCII. Pontificatus nostri anno Tertio.

XXXIII.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc., Reg. de Lecturis, & Lectoribus Fratr. Prædicatorum Congregationis Observ. Sancti Marci de Cavotis.

Innoc. XII. Const. ed. 1696. Jul. 23. P. 6. est de examine pro Lecturis, & Bened. XIII. Const. ed. 1726. Feb. 8. P. 2. agitur de receptione Religiosorum ad Congregationem S. Marci.

Dat. 2. Dec. 1702. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ inferentis Decreti.

Alias pro parte dilectorum filiorum Procuratoris, & Fratrum Conventus S. Mariæ Gratiarum nuncupat. Terræ, seu loci S. Marci de Cavotis etiam nuncupat. Congregationis Observantiæ ejusdem S. Marci de Cavotis in Regno Neapolitano Ordinis Prædicatorum Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito, quod cum dicta Congregatio S. Marci in simplicitate cordis, & humilitate spiritus instituta fuisset, Fratres ejusdem Congregationis, ab ipso illius primordio, omnibus gradibus Baccalaureatus, prædicaturæ generalis, & Magisterii renunciaverant, & in suscepto proposito hujusmodi, Prædicatorum, & Lectorum titulis dumtaxat contenti, a centum circiter annis perseveraverant, adeoque ipsi Congregationi denominatio Strictioris Observantiæ a Magistris Generalibus d. Ordinis pro tempore existentibus attributa, & attento quod Prædicatores, & Lectores actuales nullo privilegio, nullaque specifica exemptione potiebantur, & cæteris tam in victu, quam in vestitu conformabantur, specialia privilegia a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa fuerant; Et in eadem expositione subjuncto, quod plures patres Provinciæ dicti Regni Neapolitan. Ordinis prædicti ad Conventus Studiorum ejusdem Congregationis, ut in illis lecturas exercerent, cursumque suum absolverent, & sic gradus Scholasticos ab eis ad solitas eorum exemptiones obtinendas magnopere desideratos consequerentur, venire multis modis instantes procuraverant, & adhuc procurabant; illorum vero in dictis Conventibus commoratio, cum obsequium sibi exhiberi vellent, victu, & vestitu communi contenti essent, magnum observantiæ Regulari detrimentum allatura erat: Ac proinde prædictæ Cardinalium Congregationi supplicato, ut dictæ Observantiæ Regularis conservationi in hac parte consulere dignaretur: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sac. Congregatio Emorum, & Reverendiss. S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & attentis narratis, censuit, ac declaravit, Lecturas de quibus agitur, non suffragari pro gradibus, & Lectores uti debere vestitu, & victu sicuti cæteri Religiosi. Romæ 16. Decemb. 1701. -- G. Card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. I. D. -- Grimaldus.

Preces Fratrum Cœnobii S.M. Gratiarum.

§. 1. Cum autem, sicut dicti Prior, & Fratres nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis S. Marci hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die II. Decembris MDCCII. Pontificatus nostri anno Tertio.

XXXIV.

Statuitur, ut Canonici Regulares Congreg. Hispaniæ Ord. Præmonstraten. reassumant Habitum, Breviarium, & Missale dicti Ordinis.

Idem præceptum fuit Const. ed. 1702. Nov. 6. sed postea Const. ed. 1705. Maji 30. P. 5. aliter disponitur.

Dat. 8. Febr. 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

COmmissa Nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut sanctarum Religionum statum in sua integritate, & puritate conservare, & primæva illarum Instituta sicuti exciderint, ad pristinam observantiam, adjuvante Domino reducere satagamus.

Diu erat, quod dd. Canonici assumerant habitum Monasticum, & Rom. Breviarium.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum nempe tempore Pontificatus felic. rec. Gregorii Papæ XIII. prædecessoris nostri in occasione reformationis in Congregatione Hispaniæ Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstraten. tunc introductæ, Canonici Regulares dictæ Congregationis tunc existentes habitum monasticum, ac usum Breviarii Romani assumpserint, dilectique filii moderni Canonici Regulares ejusdem Congregationis dispositioni trecentesimi trigesimi quarti, aliorumque Capitulorum Constitutionum dictæ Congregationis, & quarumdam rec. mem. Urbani Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri die 19. Augusti 1651. ac tam dicti Gregorii prædecessoris, quam piæ mem. Pii Papæ V., etiam prædecessoris nostri literarum in simili forma Brevis emanatarum inhærentes habitum, & Breviarium hujusmodi adhuc retineant: Quo vero intentioni Sancti Norberti dicti Ordinis Canonicorum Regularium Institutoris conformentur, & congruum sit, ut relicto dicto habitu Monastico primævum habitum regularem, qui ab aliis Canonicis Regularibus ejusdem Ordinis communiter gestatur, resumant, ac relicto pariter dicto Breviario Romano, divina Officia juxta Breviarium, & Missale ejusdem Ordinis recitent: Hinc est, quod Nos dictam Congregationem, ad primæva sua Instituta in hac parte reduci cupientes, ac Constitutionum, necnon Pii, Gregorii, & Urbani prædecessorum literarum prædictarum tenores, & datas etiam veriores, aliave quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & specificatis habentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero dicti Canonici regulares, relicto habitu Monastico, & Breviario Romano habitum Regularem, qui ab aliis Canonicis Regularibus dicti Ordinis communiter gestatur reassumere, & divina Officia juxta Breviarium, & Missale ejusdem Ordinis recitare omnino debeant, & teneantur, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Causa prædd. Statuti.

Statutum præd. motu proprio factum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo interesse quovis modo habentes, seu habere prætendentes cujuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati, & auditi, nec causæ propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque mentionem requirente defectu, notari, invalidari, infringi, retractari, seu in controversiam revocari, aut ad viam, seu ad terminos Juris reduci, sive adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore, quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Lariffen. nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes Motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicans faciat auctoritate nostra præmissa omnia, & singula debitæ, & omnimodæ executioni quam primum commode fieri poterit, demandari, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari, inobedientes quoslibet, & præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recursu postpositis, invocato etiam adhoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 4. Non obstantibus memoratis Pii, Gregorii, & Urbani Prædecessorum literis, cæterisque præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, necnon similis memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in judicium non trahatur, aliaque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis Hispaniæ, & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam

impressis

impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Februarii MDCCIII., Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXV.

Damnantur, & prohibentur folia impressa sub titul. *Lettre de Monsieur ***. Chanoine de B. à Monsieur T. D. A. Cas de conscience &c.*

Ab Inn. XII. Const. ed. 1699. Mar. 12. P. 8. damnatus fuit liber - Maximes des Saints. *Et hujus Pontificis Const. ed. 1704. Jan. 28. P. 4. damnatur libellus* - Tradition sur la Predestination &c.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 12. Febr. 1703. An. 3.

Ad perpet. rei memoriam.

Titulus Foliorum.

CUM nuper in lucem prodierint quædam folia gallico idiomate edita, sub Titulo - Lettre de M. *** Chanoine de B. à Monsieur T. D. A. &c. *Cas de conscience proposé par un Confesseur de Province touchant un Ecclesiastique qui est sous sa conduite, & resolu par plusieurs de la faculté de Theologie de Paris* - Quamplures autem ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum specialiter delegimus, audita, ac diligenter perpensa foliorum hujusmodi censura, quæ coram Nobis relata fuit, folia ipsa damnanda, & prohibenda esse censuerint. Hinc est quod Nos pro commissa Nobis ab æterno Patre gregis sui cura, dominicas oves quantum Nobis ex alto conceditur, a noxiis præservare cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio, folia prædicta auctoritate Apostolica tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate prædicta mandantes, ut quicumque eadem folia penes se habuerint, illa statim atque præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Damnatio, & prohibitio.

Præceptum consignandi folia Ordinariis, vel Inquisitoribus.

Clausulæ.

§. 1. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicentur, illarum exempla ibidem affixa relinquantur, & sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 2. Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud. S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Februarii MDCCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXVI.

Confirmatur separatio 12. Cœnobiorum a Provincia Germaniæ, & unio eorumdem Provinciæ Hungariæ FF. Prædicatorum.

Ab Alex. VII. proposita fuit divisio Provinciæ Const. ed. 1666. Junii 9. Inn. XII. Const. ed. 1695. Jun. 14. P. 4. erectæ fuere duæ Provinciæ in Congregationes. Et Bened. XIII. Const. ed. 1724. Jul. 15. P. 1. subjiciuntur Pœnitentiarii S. M. Majoris de Urbe Priori S. Mariæ super Minervam.

CLEMENS PAPA XI.

Dat 21. Mar. 1703. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Præd. divisio olim ab Alex. VIII. vetita, facta fuit a Magistro Gener., & rejectis reclamantium precibus etiam approbata a Congr. Episc. & Reg.

ALias pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Fratrum Provinciæ Germaniæ Ordinis Prædicatorum Nobis exposito, quod licet per quasdam fel. rec. Alexandri PP. VII. Prædecessoris Nostri literas ad instantiam dictæ Provinciæ die nona Junii 1666. emanatas, ipsius Provinciæ divisio sub censuris Ecclesiasticis prohibita reperiretur, nihilominus dilectus etiam filius Antoninus Cloche Magister Generalis dicti Ordinis eamdem Provinciam, ipsis Exponentibus insciis, diviserat, duodecim videlicet illius Conventus in Austria, Tyroli, & Styria consistentes ab ea separaverat, illosque Provinciæ Hungariæ Ordinis prædicti incorporaverat, Priore Provinciali (ut asserebant) minus canonice, & contra electionis per Constitutiones ejusdem Ordinis præceptæ libertatem præfecto, ac ordinaria Prioris Provincialis primodictæ Provinciæ in dictos Conventus potestate suspensa, ac propterea dicti Exponentes denegatam a dicto Antonino Magistro Generali licentiam, ut duo fratres dictæ eorum Provinciæ ad illius causam hujusmodi coram ipso Antonino Magistro Generali, vel coram Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita dicendam, & tractandam, ad hanc almam Urbem nostram venire possent a Nobis concedi summopere desiderabant: Nos supplicem libellum eorum nomine Nobis ea super re porrectum ad dictam Congregationem Cardinalium remisimus. Ipsa vero Cardinalium Congregatio audito desuper dilecto pariter filio moderno Procuratore Generali dicti Ordinis, censuit separationem præfatam rejectis dictorum Exponentium precibus, a Nobis approbari posse. Quare Nos dicti Antonini Magistri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de memoratorum Cardinalium consilio, separationem dictorum Conventuum a prædicta Provincia Germaniæ ab ipso Antonino Magistro Generali factam (ut præfertur) auctoritate Apostolica approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Preces Magistri Gen.

Confirmatio d. separationis.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore, quandocumque spectabit in omnibus,

& per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis hujuſmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXI. Martii MDCCIII. Pontificat. noſtri anno Tertio.

XXXVII.

Revocantur Conventualitates perpetuæ a Prioribus Generalibus Ord. S. Joan. Dei conceſſæ.

Inn. XII. Conſt. ed. 1693., Maii 20. P. 2. donati fuere dd. Fratres exemptione a Proceſſionibus. Et Bened. XIII. Conſt. ed. 1727. Jan. 10. P. 3. abolentur eorum privilegia perſonalia.

Dat. 10. Maji 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tres ſpecies Conventualitatum, & rationes eas revocandi.

CUM ſicut dilectus filius modernus Prior, ſive Superior Generalis Ordinis Fratrum Sancti Joannis Dei Nobis exponi fecit, nonnulli Fratres dicti Ordinis Conventualitates perpetuas in particularibus ejuſdem Ordinis Conventibus conſecuti fuerint, quorum undecim ab hujus Sanctæ Sedis Nunciis, duo a Congregatione infraſcriptorum Cardinalium, & reliquæ octo a diverſis Prioribus, ſive Superioribus Generalibus dicti Ordinis illas obtinuerunt; Conventualitates vero hujuſmodi in miniſteriis Hoſpitalibus præſtandi præjudicium vergant, & voto obedientiæ, cujus ſuave jugum dicti Fratres portare detrectant, directe adverſentur, ideoque Diffinitorium generale Ordinis prædicti ordinaverit, & Nobis preces pro obtinenda dictarum Conventualitatum abolitione, & revocatione porrigerentur; Nobis propterea dictus Prior, & Superior Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Superioris Gen., & Diffinitorii.

§. 1. Nos igitur ipſius Prioris, ſive Superioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis prædictas Conventualitates perpetuas a memoratis Prioribus ſive Superioribus generalibus dumtaxat conceſſas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium revocamus, & abolemus.

Revocatio Conventualitatum a Prioribus dumtaxat conceſſarum.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Conventuum prædictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X. Maji MDCCIII. Pontificatus noſtri anno Tertio.

XXXVIII.

Confirmantur quædam Statuta Congregationis Reformatæ Ord. S. Antonii Viennæ.

Ab Inn. XI. Conſt. ed. 1678. Feb. 25. P. 2. conceſſa fuit Indulgentia in feſtis S. Antonii, Auguſtini, Monicæ.

Dat. 12. Ma[...] 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

MIlitantis Eccleſiæ Regimini per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritorum Noſtrorum ſuffragio præpoſiti illa, quæ pro felici proſperoque Religioſorum Ordinum in Eccleſia Dei pie, ſancteque inſtitutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adſpirante ſuperni favoris auxilio proferre jugiter ſatagentium gubernio, & progreſſu provide ſapienterque conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio libenter conſtabilimus.

Cauſæ inſequentium Statutorum Capituli Gener. Menſis Septembris an. 1702.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Petrus Lovat Procurator Generalis Ordinis Sancti Antonii Viennen. ſub Regula Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium tam ſuo, quam etiam dilectorum filiorum Joannis Danghor Abbatis Superioris generalis, & Diffinitorum dicti Ordinis nominibus, quod Capitulum Generale ejuſdem Ordinis, quod noviſſime, videlicet menſe Septembri proxime præterito apud illius Monaſterium Abbatiale celebratum fuit, enixe deſiderans occurrere malis, quæ Congregatio reformata Ordinis hujuſmodi perpeſſa eſt, pro felici dictæ Congregationis regimine, & directione, ac germano ejuſdem Statutorum ſenſu, ut inde omnis in poſterum controverſiæ materies abſcinderetur, ſanctiuſque Al-

tiſſimo

tissimo obsequium in ea exhiberetur, edidit nonnulla Decreta tenoris qui sequitur, videlicet-- Cum Constitutionum Congregationis nostræ Reformatæ circa Jurisdictionem Capituli Generalis, Abbatialem potestatem, & facultates Diffinitorii, expositiones variæ multis jam ab annis dissidii seminarium fuerint, ut quæstiones in posterum omnes, & controversiæ materies penitus abscindatur, possitque debitum Deo obsequium nostro in Ordine concordibus animis sanctius exhiberi; Capitulum Generale pro suprema, & omnimoda qua pollet auctoritate hac sua, & semper observanda sanctione super prædictis statuit, pronuntiat, & definit; ut sequitur.

I.

Cum Ordinis nostri omnimoda, & suprema Jurisdictio sit penes Capitulum Generale, si illius Decreta Reverendissimus Abbas, dato publico Rescripto, damnare palam, & rescindere, atque eadem etiam exequenda esse auctoritate propria demandare præsumpserit, nec destiterit reverenter admonitus, Ordinemque hac de causa conturbaverit Recessus ab Institutis Congregationis nostræ reformatæ, reus ipso facto censeatur, & a Capitulo Generali, vel proxime futuro, vel confestim, si rei pravitas, & necessitas Ordinis id postulent per Diffinitores, contradicentes etiam Reverendissimo Abbate extra tempus convocando, de plano, & sine strepitu Judicii præmissorum convictus deponi possit; salvis tamen legitimis appellationibus, sine quarum præjudicio Decreta hujusmodi, donec aliter sancitum fuerit, servabuntur.

II.

Ne dissidiis, atque litibus extra Religionem transmissis Congregatio nostra reformata turbetur; Capitulum Generale vult, statuit, & præcipit quod gravi aliqua dissentione inter Superiorem Generalem, ac Diffinitores omnes, aut eorum majorem numerum exorta super causis quibuscumque omnino dubiis, atque alias per Constitutionem Ordinis, sive per Capitulorum Generalium Decreta nunquam declaratis, Diffinitorium, aut major pars illius Priorem Claustralem, Visitatorem utrumque, aut alterum ex ipsis, si tamen intra tres dietas adsint Superiores Domorum nostrarum Camberii, Lugduni, Viennæ, Pontis in Royanis, & Sancti Marcellini, ac Magistrum Novitiorum Abbatiæ Decreto peculiari apud Monasterium Sancti Antonii ad præstitutam diem convocare teneantur, ut cum Reverendissimo Abbate, ac Diffinitoribus sub excommunicationis pœna, nisi legitime impediti fuerint, simul conveniant, & quod a majori præsentium parte; absentes enim expectare non debebunt, constitutum fuerit usque ad Generale Capitulum proxime subsequens omnino servabitur.

Si vero inter Reverendissimum Abbatem, & Diffinitores concordia nec sic firmari possit, ad Sedem Apostolicam causa deferatur, quæ si urgens, ac gravis adeo sit, ut dilationem pati non valeat, a Reverendissimo Abbate, & Diffinitoribus simul, vel si quis eorum renuat ab aliis omnibus convocatum extra assuetum tempus Capitulum rite celebrabitur, & discordiæ modum imponet.

Si autem, quod absit, Reverendissimus Abbas gravissimi alicujus excessus, depositionis pœna juxta Constitutiones nostras puniendi a Promotore Generali Ordinis reus ageretur, Inquisitio, seu informatio ad Diffinitorium auctoritate ipsi delegata Præsidente, qui inter Diffinitores ordine primus erit; Judicium vero ad Capitulum Generale citra assuetum tempus per Diffinitores, si ita eis videbitur, etiam convocandum, pertinebit.

Demum, si inter Superiorem Generalem, ac Diffinitores causa oboriatur hujusmodi, quæ extra Religionem agitari necessario debeat, Diffinitores ex seipsis alterum, seu ex fratribus alios quosdam mittere extra Monasterium, ac etiam Procuratores suos constituere valebunt, atque expensæ ex Ærario communi desumentur.

III.

Acta Capituli Generalis cujusque, juxta approbatum Congregationis nostræ usum in Aula Capitulari promulgata ante illius absolutionem Reverendissimi Abbatis, aut ejus Vicarii, & Secretarii Chirographis, atque etiam ejusdem Capituli Generalis sigillo firmabuntur; quod si Præses subscribere abnuat facta denegati ab ipso Chirographi mentione, vocales Capituli septem dignitate potiores, aut certe consequentes alii; si ex primis aliquis id etiam recuset consessus Generalis nomine subscribant, Patentibus autem, & obedientialibus Literis, Præses, aut ejus obventis loco, qui officio primus erit cum Secretario Syngraphum apponet; transumpta vero, seu extracta Secretarii solius Chirographo munientur.

IV.

Statutis Congregationis nostræ reformatæ, ac illius receptissimæ praxi inhærentes Generalis consessus Patres decernunt Diffinitorium in Capitulorum Interstitiis Generalis Capituli vices gerere, ac proinde verbum illud de consilio pagina 227. appositum in Statutis omnino significare consensum, quem sapit ex vi verborum tam antecedentium, quam consequentium; unde consilium illud Diffinitorum plene decisivum esse pronuntiant, itaut in omnibus Diffinitorii actibus exercentibus Abbas Superior Generalis Diffinitores omnes, qui ultra dietam non absunt, neque sunt legitime impediti vocare, omnium, aut duorum saltem ex ipsis, si alii absint, votum exquirere, & majoris numeri expectare, ac sequi suffragia, & assensum teneatur, sub pœna nullitatis eorum omnium, quæ secus agendo præscripta, & sancita fuerint.

V.

Inter actus Diffinitorii proprios, qui ad Religionis nostræ administrationem potissime pertinent, quosque ideo Superior Generalis non nisi de consilio, & assensu Diffinitorum expedire, ac terminare potest, Capitulum Generale recenset, videlicet electiones omnes, quæ a Diffinitorio per secreta suffragia celebrandæ occurrunt.

Superiorum, & aliorum Commissiones, Postulantium ad habitum, & Novitiorum ad emittenda vota admissionem; Religiosorum de Domo in Domum justa ex causa translationes; erectiones novarum Domorum, & Novitiatuum Ærarii Communis administrationem, & custodiam; fulminationem Excommunicationis solemnis; pœnarum gravissimarum, scilicet depositionis, suspensionis, incarcerationis, vocis activæ, & passivæ privationis, & aliarum importantium infamiam ac juris ordinem requirentium, impositionem, ac demum actus illos omnes, qui sive in Libro Constitutionum, sive per Capitulorum Generalium decreta Diffinitorio reservantur.

VI.

Cum ea omnia, quæ ad Religionis, aut cujuslibet Domus particularis gubernationem, præsertim in rebus gravioribus spectant, Abbas Superior Generalis ex vi Statutorum terminare, ac definire non possit, nisi de consilio decisivo, ac consensu Diffinitorum; idcirco nominationes Procuratorum Domus particularis cujuslibet Abbatialis, S. Antonii Monasterio excepto, cujus Procurator a Conventuali Capitulo approbari debet, & institui, & destitui; Seminariorum Institutiones, ac designationes Lectorum, utpote difficiles, & arduæ, ac Religionis totius administrationem, & commodum in re gravissima

Marginalia: Statuta. — De firmitate Decretorum Capituli Gen. — De modo dirimendi controversias inter Superiorem Gen., & Diffinitores, & Promotorem Ordinis. — De Actis Capituli Gener. subscribendis, atque firmandis. — De auctoritate Diffinitorii in Capitulorum Interstitiis. — De muneribus ex actibus propriis Diffinitorii. — De regimine Ordinis, & cujuslibet domus particularis.

attingentes a Reverendissimo quidem Abbate, sed Diffinitorum tantum, aut duorum ex ipsis consilio, & assensu fieri debebunt, & terminari.

VII.

De loco atq. frequenti convocatione Diffinitorii.

Apud Monasterium S. Antonii Diffinitorium residebit perpetuo, ac ne res Ordinis, ac Domorum ipsius præ nimia cunctatione damnum aliquod patiantur, hebdomadis singulis Diffinitorium semel saltem convocabitur a Reverendissimo Abbate, aut ejus Generali Vicario die, & hora, quibus ipsis magis videbitur expedire, & toties quoties propter urgens negotium aliquod Diffinitores convocationem hujusmodi exquisierint; quod si Reverendissimus Abbas sive Vicarius ipsius per hebdomadas singulas Diffinitorium vocare negligant, aut requisiti recusent, Sabbato qualibet hora quarta pomeridiana in loco ad id constituto absque interpellatione alia; dies enim, & hora interpellant, ab illo, qui inter Diffinitores ordine primus aderit, habebitur, & quæ in illo decreta fuerint omnino dabuntur effectui.

VIII.

De Secretario Diffinitorii.

Diffinitorii Secretarius, qui inter Diffinitores semper assumetur, designatus a Reverendissimo in Congregatione Diffinitorii, post cujusque Capituli Generalis celebrationem, prima, & a Collegiis admissus Consultationes, ac deliberata scribet in libro, seu in Registro, quod custodire semper, neque illud inconsulto Diffinitorio dimittere, ac generali Capitulo pro tempore exhibere tenebitur. Sigillum vero sive majus, sive minus apud Diffinitorem alterum pari modo selectum, & approbatum similiter custodietur.

IX.

De actis Diffinitoriis scribendis.

Acta Diffinitorii scribantur in Registro tam a Præside Diffinitorii, quam a duobus Diffinitoribus, quorum alter ipse Secretarius erit; Commissiones vero, Patentes Literæ, & facultates, quæ mittuntur in Domos a Præside, & Secretario tantum; transumpta autem, sive extracta Secretarii solius Chirographo firmabuntur.

X.

De Vicario Gen., aliisque Vicariis.

Abbas Superior Generalis aliquem ex Fratribus nostris ætate, moribus, scientia, & rerum usu probatum in Vicarium Generalem sibi constituet, qui ejus absentis, aut impediti vicem in Diffinitorio, seu Capitulo Generali obire possit, quique idcirco in Monasterio Abbatiali semper residere debeat, Patentes literas cum clausulis restrictivis, quantum ad actus Diffinitorii, Superior Generalis ipsi tribuere non possit: quod si Vicarium Generalem Reverendissimus Abbas creare differat, Vicarii ipsius partes, & munus Prior ipse Claustralis tam in Capitulo Generali, quam in Diffinitorio, ubi opus erit, interim supplebit.

Cæterum Vicariis omnibus in Domibus aliis a Reverendiss. Abbate, aut jam constitutis, aut constituendis in posterum, nullam omnino Jurisdictionem competere in Congregatione nostra reformata, sed in Domibus, atque erga personas Ordinis antiquæ Reformationis tantum pro Reverendiss. Abbatis Juribus vendicandis, tuendis.

XI.

De electione Superiorum, & Vicariorum.

Capitulum Generale inhærens Bullis Summorum Pontificum Gregorii XV., & Urb. VIII. pro reformatione Ordinis nostri editis, Statutis Congregationis nostræ reformatæ a Sancta Sede anno 1634. approbatis Decretis Capitulorum Generalium annis 1630. 1634. 1636. 1645. 1676. sancitis, & promulgatis nulla habita ratione declarationum a Capitulis Generalibus annis 1648. *Sess. 6.*, 1651. *Sess. 5.*, & 1679. *Sess. 3.* super Superiorum, aut Vicariorum nominatione simplici editarum, quas tamquam hic expressas præsens Capitulum, utpote Pontificiis Bullis adversantes, & Constitutionibus, ac Institutis Congregationis nostræ reformatæ contrarias, & noxias antiquat, & rescindit, Religiosos omnes veri Superioris Officio fungentes in Domibus Congregationis nostræ reformatæ, ubi fratres Clerici quatuor a Superiore cohabitant, quocumque nomine appellentur, etiam Domorum Urbis, & Florentiæ Vicarios a Capitulo Generali per secreta suffragia in posterum eligendos esse, & illos tantum, qui sic electi fuerint, in Comitiis Generalibus cum vocis activæ suffragio admitti posse, statuit, pronuntiat, & definit exceptis Vicariis Domorum Renuersi, & Taurini, qui a Capitulo Conventuali Monasterii Abbatialis per secreta suffragia pro more confessus generalis tempore electi confirmationis beneficium ab ipso Generali Capitulo sub nullitatis pœna obtinere tenebuntur; firma tamen & stabili permanente Domorum Capiti Ordinis annexorum unione, cui per supradictum Decretum Capitulum Generale nullum præjudicium inferre intendit, servato etiam antiquo Superiorum, & Vicariorum Ordine, qui eundem gradum, idemque nomen obtinebunt.

XII.

De Novitiis.

Nullus Superior etiam Reverendiss. Abbas Generalis Postulantes ad habitum, & Novitios ad professionem admittere præsumat, nisi præmissis informationibus legitimis, ac examine prævio de eorum vita, moribus, scientia, & qualitatibus in Diffinitorio discussis, & approbatis, secundum Constitutiones fel. rec. Sixti V. & Clementis VIII., ac Decreta Capituli Generalis anni 1630. *Sess.* 15. 16. & 17. edita sub pœna suspensionis ab officio, & aliis in eadem Constitutione Clementis VIII. expressis; præfiniaturque a Capitulo Generali statutus, & constans Novitiorum numerus, qui triennio quolibet juxta Domorum redditus in Congregationem admitti possit, neque hunc numerum adaugere, & transgredi liceat.

Relata Statuta confirmata fuere a Capitulo, & confirmanda erunt ab omni Superiore Gen., nec non a S. Sede.

Facta prædictorum Decretorum in Capitulo generali promulgatione expressa RR. PP. vocales omnes, & singuli ad perpetuam eorum observantiam quantum ad se pertinebit jurejurando solemni manibus ad pectus appositis sese adstrinxerunt, volueruntque insuper ut Reverendiss. Abbas mox eligendus, ejusque Successores Officio suo defungi non possint, nisi prius decreta hujusmodi omnia, & singula in integrum a se sancte, & religiose observanda fore simili juramento coram omnibus confirmaverint, & tam Reverendissimus Abbas Superior Generalis, quam Diffinitores, ac specialiter Procurator Generalis Ordinis in Curia præmissorum omnium confirmationem a Summo Pontifice per Breve Apostolicum quamprimum, & infra sex Menses si possint obtinere curabunt, ut præfati articuli omnes Constitutionis apud nos perpetuæ vim, & auctoritatem habere, ac in posterum inviolate observari possint, & valeant. Actum apud Monasterium Sancti Antonii Viennensis in Capitulo Generali Sessione quarta die vero mensis 4. Septembris anno post Christum natum millesimo septingentesimo secundo. In quorum fidem vocales omnes hic subscripserunt, & sigillo Capituli Gen. muniri jusserunt.

Nomina eorum, qui Capituli Gener. actis subscripserunt.

Frater Jo. Dufresne Prior Claustralis.
Fr. Gaspard Fayard Diffinitor.
Fr. Claud. Barracan Diffinitor.
Fr. Franciscus Masseis Diffinitor.
Fr. Hieronymus Fajard Visitator.
Fr. Pignier Visitator.
Fr. M. Hesseler Procurator Gen.
Fr. Antonius Foryet Superior Paris.
Fr. Delamare Superior Cambreij.
Fr. Fouton Superior Pontis Moussionis.
Fr. Petrus Dumont Superior Aremoniar.
Fr. Antonius Fayard Superior Mai-Landæ.

Fr. Matthæus David Superior Isnheimensis.
Fr. Petrus Barbe Superior Montisferrandi.
Fr. Antonius Fournet Superior Albæ-terræ.
Fr. Francis. Guillaud Superior Massiliæ.
Fr. De Daisse Superior Domus Trecensis.
Fr. Henricus la Forest Superior Barroduci.
Fr. Franciscus Roux Superior Lugduni.
Fr. Balthassar de Falcoz Superior Rothomagi.
Fr. Bounier Superior Rhemensis.
Fr. Jacobus Dufaur Superior Pontis aurati.
Fr. Marcus Antonius Villaris Superior Metensis.
Fr. Gaspar Combes Superior Cabilonensis.
Fr. H. de Tarrissan Superior Viennensis.
Fr. Antonius Fruchet Superior Pontis Inroyanis.
Fr. Gaspar Gautier Superior Argentorati.
Fr. Edmundus Superior trium Spicatum.
Fr. Jacobus Descamp Vicarius Urb.
Fr. Alexander Patu Vicarius Florentiæ.
Fr. Joannes Baptista Arthaud Vicarius Renuersi.
Fr. Jacobus Grata Taurini Vicarius.
Fr. Jacobus Ballet Discretus Abbatiæ, & Magister Novitiorum.
Fr. Alexander Dufresne Parisiorum Discretus.
Fr. Guillelmus Autin Discretus Rothomagensis.
Fr. Antonius Mus Discretus Lugduni.
Fr. Petrus Louat Discretus Cambreji.
Fr. Raymundus Fayard Discretus Massiliæ.
Fr. Antonius Joseph Luchaspe Discretus Pontis Moussionis.
Fr. Franciscus le Reune Discretus Urbis.
Fr. Claudius Franciscus Jolis Pontis aurati Discretus.
Fr. Gregorius de Vitrolle Florentiæ.
Fr. Jo. Robin Discretus Trecarum.
Fr. Paulus Autin Secretarius, & Diffinitor.

Quibus perlectis in præsentia R. Ad. Patris Joannis Danthon Abbatis Superioris Generalis electi, & coram utroque Capitulo Generali Ordinis, & Conventuali hujus Monasterii hos omnes articulos, & singulos eorum, præfatus Ad. Pater Joannes Danthon electus Abbas laudavit, approbavit, & jure jurando illos se esse observaturum promisit, manibus ad pectus appositis die 7. Mensis Septembris post meridiem Anno millesimo septingentesimo secundo in Aula Capitulari apud S. Antonium Viennensem. In quorum fidem &c. -- Fr. Joannes Danthon Abbas Superior Generalis -- De mandato præfati Superioris Generalis -- Fr. Paulus Autin Diffinitor Secretarius.

Preces Abbatis Procuratoris, & Diffinitorum Gen.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Capitulum Generale prædictum, quo Decreta hujusmodi vim Statuti irrevocabilis habeant, eisdem Petro Procuratori Generali, ac Joanni Abbati Generali, & Diffinitoribus juxta tenorem quarumdam literarum felic. rec. Gregor. XV., & Urbani VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum circa reformationem prædictæ Congregationis emanatarum dederit in mandatis, quatenus infra sex menses inde proximos prædictorum Decretorum a Sede Apostolica confirmationem & approbationem obtinere curarent, ac proinde dictus Petrus Procurator Generalis nominibus prædictis Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, exactiorique observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem prædictis Petro Procuratori Generali, & Joanni Abbati Generali, & Diffinitoribus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum consilio, Decreta præinserta in memorato Capitulo Generali edita, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper intervenerint supplemus.

(Ipsorum preces Pontifex benigne annuit.)

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus insuper, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Maji MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXXIX.

Conceditur facultas applicandi quasdam Indulgentias Defunctis per modum suffragii Confraternitati Conceptionis Beatæ Mariæ Virg. in Ecclesiis Fratrum de Mercede Civit. Mexicanæ.

Ab Alex. VIII. Const. ed. 1690. Apr. 15. P. 1. concessa fuit Indulg. Stationum in perpetuum Confraternitatibus B. M. de Mercede. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1717. Aug. 4. P. 17. conceditur Indulgentia in festo S. Raymundi pro Ecclesiis Fratrum de Mercede.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 23. Junii 1703. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Auctoritate Apost. quæd.

CUM sicut dilecti filii Officiales, & Confratres Confraternitatis sub titulo, seu in-

Indulgen. perp. concessæ fuerunt d. Confraternitati. Preces Confratrum.

vocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in Ecclesia Ordinis Fratrum ejusdem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Civitatis Mexican. in Indiis Occidentalibus canonice, ut asseritur, erectæ nobis nuper exponi fecerunt, alias Confratribus, & Consororibus dictæ Confraternitatis certa tunc expressa pietatis opera peragentibus nonnullæ Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes auctoritate Apostolica in perpetuum concessæ fuerint, quibus iidem Confratres, & Consorores de præsenti fruuntur; dicti vero Exponentes illas Christifidelium Defunctorum animabus per modum suffragii applicari posse plurimum desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis memoratæ Confraternitatis Confratribus, & Consororibus præsentibus, & futuris, ut Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes prædictas, quas de cætero consecuti fuerint, Christifidelium Defunctorum animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragi applicare libere, & licite possint, & valeant, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio perpetua præd. facultatis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIII. Junii MDCCIII. Pontificatus nostri anno Tertio.

XL.

Declaratur, competere primo Assistenti Congreg. Missionis jus præsidendi in Gen. Conventu, etiam quando Superior Gen. munus suum dimittit.

De Assistentibus vide Innoc. XI. Constitut. ed. 1679. Jun. 5. P. 3. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Julii 15. P. 4.

Dat. 9. Julii 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

A Constitutionibus conceditur facultas præsidendi Primo Assistenti in pluribus casibus sed non refertur casus præsens quo Superior Gener. renunciat muneri suo.

CUM, sicut accepimus, dilectus filius modernus Superior Generalis Congregationis Presbyterorum Missionis officium suum in Conventu generali per eum ad id convocato dimittere intendat, ac in eo secuta dimissione hujusmodi electio Vicarii, seu novi Superioris Generalis die VI. Augusti proxime venturi fieri debeat, in Constitutionibus vero dictæ Congregationis primo quidem Assistenti Superioris Generali ejusdem Congregationis facultas præsidendi Conventui deputatorum ad Vicarium Generalem eligendum, casu, quo ipse Superior Generalis propter infirmitatem illum eligere nequeat, aut nolit, vel ab officio suo deputandus sit, aut non nominato Vicario Generali ab humanis decesserit, concessa legatur, sed quis dicto Conventui Generali, Superiore Generali adhuc in humanis agente, & officium secum dimittente, præsidere debeat, per Constitutiones prædictas expresse cautum minime reperiatur nec similis casus unquam evenerit. Nos cupientes, ut Conventus generalis hujusmodi recte, & feliciter ad Dei gloriam, & prædictæ Congregationis utilitatem celebretur, & hac in re omnis dubitandi occasio tollatur, ac dilecti filii Mauritii Faure, qui (ut pariter accepimus) primi Assistentis ejusdem moderni Superioris Generalis munere de præsenti fungitur, fide, prudentia, charitate, vigilantia, & integritate plenam habentes in Domino fiduciam, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eumdem Mauritium dicto Conventui Generali, quatenus in eo memoratus modernus Superior Generalis ante electionem Vicarii, seu novi Superioris Generalis hujusmodi nolit, aut impediatur ministerium Præsidentis exequi, præsidere debere, perinde, ac si id in Constitutionibus prædictis expresse cautum reperiretur, tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Causæ declarationis d. catus.

Declaratio motu proprio facta pro Primo Assistente.

§. 1. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac prædicto Mauritio in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die IX. Julii MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XLI.

Conceditur facultas utendi Altari portatili, & absolvendi a casibus reservatis in quibusdam partibus Infidelium Fratribus Discalceatis Sanctiss. Trinitat. Redempt. Captiv. Congregat. Hispaniæ.

Inn. XII. Const. ed. 1695. Apr. 23. P. 4. concessa fuit facultas eligendi Judices Conservatores. Et hujus Pontif. Const. ed. 1720. Mar. 2. P. 20. conceditur Commissariis Gen. aliud tempus post electionem Generalis.

Dat. 21. Nov. 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Idem concessum fuit cum aliis in Africa ab Urb. VIII

ALias fel. rec. Urbano Papæ VIII. Prædecessori Nostro pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum exposito, quod Congregatio prædicta juxta laudabile ipsius Institutum ejus Religiosos

in

in Africam, ut Christifideles inibi sub misera Turcarum servitute constitutos, quos poterant, ab illa eximere quærebant, eosque in Domino consolabantur, Ecclesiastica Sacramenta illis administrabant, ac eorum denique animarum saluti, quibus poterant, rationibus, incumbere valebant, mittere intendebant, memoratus Urbanus Prædecessor, ut iidem Religiosi in commisso sibi munere hujusmodi ad eorumdem Christifidelium spiritualem fructum utilius sese exercere valerent, supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Religiosis mittendis hujusmodi, quod Altare portatile cum debita reverentia, & honore, super quo in locis Africæ dumtaxat honestis tamen, & congruis, etiam non sacratis, & cum temporis qualitas id exegisset, etiam antequam illucesceret dies, circa tamen diurnam lucem, in dictorum Captivorum, & aliorum fidelium in dictis locis degentium præsentia Missas, & alia divina Officia celebrare, omnesque, & singulos eorumdem locorum utriusque sexus Christifideles, ipsorum confessionibus diligenter auditis a quibuscumque excessibus, & delictis, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, ac pro commissis per eos, & eorum quemlibet pœnitentiam injungere salutarem; Necnon his qui peccata sua confessi, & de illis corde contriti fuissent, ac Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, quoties id fecissent, toties plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino elargiri libere, & licite valerent, Apostolica auctoritate facultatem impertitus fuit. Necnon eosdem, qui dura servitute in illis partibus oppressi pro tempore fuissent, quotiescumque ab Ecclesia Romana illius Thesauros reserari, & generales peccatorum remissiones per Romanos Pontifices, etiam præscripta fidelibus ad illas assequendas, forma, & Statuto tempore in eisdem adjecto proponi contigisset, cum primum illarum ad eosdem Captivos notitia pervenisset aliqua agendo, quæ naturali libertate privatum verisimile erat facere posse, illas omnes consequi, quæ alii Christifideles tempus, & formam exacte, in illarum concessione tradita observantes consequuti fuissent, eadem auctoritate voluit, & declaravit, & alias prout in ipsius Urbani Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 20. Januar. 1626. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causa se[ntentis] Con[fessionis] cum [pr]ecibus [Pr]ocuratoris [Ge]n.

§. 1. Cum autem, sicut Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, eadem Congregatione Germaniæ, & Poloniæ Regnis subinde propagata, Fratres ejusdem Ordinis in novis Conventibus Regnorum hujusmodi commorantes Constantinopolim, ad Tartariæ partes, aliaque Infidelium loca ad Captivos hujusmodi redimendos sese conferre soleant, ac proinde ipse Procurator Generalis prædictas Urbani Prædecessoris Literas ad loca hujusmodi a Nobis extendi, & ampliari plurimum desideret. Nos piis ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus annuere cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri in Alma Urbe Vicarii in spiritualibus generali super præmissis eisdem Cardinalibus facta, Fratribus dicti Ordinis ad loca Infidelium hujusmodi sese conferentibus, ut Altari portatili utantur, & a casibus reservatis in eisdem locis Infidelium dumtaxat cum dependentia tamen a nunc, & pro tempore existentibus Vicariis Apostolicis a Sede Apostolica deputatis absolvere possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio facultatis [cu]m dependentia a Vi[car]iis Apo[sto]licis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in ejusdem Urbani Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Nov. MDCCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XLII.

Damnantur, ac prohibentur quædam Folia impressa sub titulo: *Acte d'Appel interjetté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois, de l'execution du Bref du 22. Septembre dernier &c.*

Const. hujus Pont. ed. 1704. Jan. 28. P. 4. damnatus fuit libellus -- Veritable tradition &c. *Et Const. ed. 1705. Jul. 16. P. 5. damnatur Jansenianismus.*

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 11. Febr. 1704. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Scopus foliorum.

CUM Nos alias per quasdam nostras in simili forma Brevis literas librum quemdam Gallico idiomate conscriptum, & in duas partes divisum, sub titulo: *Ordonnance de Leopold I Duc de Lorraine, & de Bar &c. donnée à Nancy au Mois de Juillet* 1701. *A Nancy Chez Paul Barbier Imprimeur Libraire à la Ville Neuve* 1701. damnaverimus, & reprobaverimus, ac legi, seu retineri prohibuerimus, & alias, prout in prædictis nostris literis die 22. Septembris proxime præteriti expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; Subinde vero ad Apostolatus nostri notitiam pervenisset in vulgus circumferri quædam Folia eodem gallico idiomate typis impressa, quibus titulus: *Acte d'Appel interjetté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois, de l'execution du Bref du* 22. *Septembre dernier rendu contre l'Ordonnance de Son Altesse Royale du mois de Juillet* 1701. *de notre Saint Pere le Pape Clement XI. mal informé, à notredit Saint Pere le Pape, lors qu'il sera mieux informé, avec l'Arrêt d'enregistrement d'icelui*: Nos nonnullos ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliosque in Sacra Theologia Magistros, & in Decretis Doctores ad eorumdem Foliorum examen delegimus, qui omnes Folia ipsa, tanquam conti-

Causæ damnationis dd. foliorum.

nentia propositiones falsas, temerarias, calumniosas, in praxi perniciosas, Ecclesiæ injuriosas, ac jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ læsivas, similiter damnanda, & prohibenda esse censuerunt. Auditis itaque eorundem Cardinalium, Magistrorum, & Doctorum sententiis, creditum nobis a Domino pastoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes de ipsorum Cardinalium consilio, Folia supradicta auctoritate Apostolica tenore præsentium damnamus pariter, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Damnatio, & prohibitio præd.

Mandatum tradendi dd. folia, & executioni mandandi Breve ed. 22. Septem.

§. 1. Volentes, & eadem auctoritate mandantes, ut quicumque Folia hujusmodi penes se habuerint, illa statim atque præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur. Præterea eadem Folia, necnon appellationem, arrestum, aliaque in eis contenta quæcumque nemini suffragari posse, ad effectum expediendi, declinandi, seu etiam suspendendi executionem præfatarum nostrarum literarum, quæ juxta earum formam, & tenorem servari omnino debeant, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate præfata similiter decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla, ibidem affixa relinquantur; & sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 4. Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die XI. Febr. MDCCIV. Pontificat. nost. anno Quarto.

XLIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo declaratur, Provinciales assumptos gaudere omnibus privilegiis Provincialium Absolutorum Eremit. Sancti Augustini Disc. Congreg. Hispan., & Indiarum.

Exprovincialium privilegia concessa fuere Procuratoribus Gen. Insularum Philippinarum ab Inn. XI. Const. ed. 1677. Dec. 11. Pont. 2. Et Vicariis Provincialibus Ind. Oriental. Prov. Portugalliæ ab hoc Pontifice Const. ed. 1706. Feb. 1. Pont. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 13. Febr. 1704. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

Causa insequentis Decreti.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Didaci a Sancto Bonaventura Vicarii Generalis, ac Diffinitorum Generalium Congregationis Hispaniæ, & Indiarum Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, præpositæ exposito, quod ipsi ad tollendam omnem litis occasionem, quæ in Congregatione Hispaniæ, & Indiarum hujusmodi oriri posset plurimum cupiebant ab eadem Congregatione Cardinalium declarari casum in eorum Constitutionibus omissum, an Rectores Provinciales, quos propter plures alias causas, quam per obitum Ministrorum Provincialium, nempe ob renunciationem, & privationem, ad Provincialatus hujusmodi officium assumi contigisset, absolutis eorum officiis gaudere deberent omnibus, & singulis privilegiis, & exemptionibus, quibus gaudent Provinciales absoluti: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & attentis narratis censuit, ac declaravit, gaudere. Romæ 14. Decembris 1703.-- G. Cardinalis Carpineus -- l. F. Grimaldus Secr.

Decretum d. Congregationis pro Provincialibus assumtis.

Preces Vicarii, & Diffinitorum Gen.

§. 1. Cum autem, sicut dicti Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis eorumdem Cardinalium.

Constitutio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis Hispaniæ, & Indiarum, ac Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum

inser-

insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Febr. MDCCIV.; Pontificatus nostri Anno Quarto.

XLIV.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de celebratione Missæ B. M. V. singulis anni Sabbatis pro Min. de Observ. Discalc. Provinciæ Bæticæ.

Inn. XI. Const. ed. 1686. Sep. 5. P. 10. extat confirmatio Indulgentiarum Ordinibus de Observ. concessarum. Et hujus Pontificis Constitut. ed. 1705. Maji 8. P. 5. conceditur eadem facultas Fratribus Provinciæ Mexicanæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum ad supplicationem dilecti filii Balthasaris a Sancto Didaco Fratris expresse professi, ac Procuratoris Provinciæ Bæticæ Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Ordinis Discalceatorum S. Francisci Provinciæ Bæticæ, sive Hispalen.: Cum in Provincia Bætica Ordo Discalceatorum S. Francisci a principio suæ erectionis, prout afferebatur, ob singularia, intercessione Beatissimæ V. Mariæ accepta beneficia in gratitudinis obsequium singulis diebus Sabbati pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, ac pro conservatione ipsius Provinciæ; non omissa post tertiam conventuali, de ipsa Beatissima Virgine in Aurora Missam celebrare se obstrinxerint; cumque, prout etiam exponebatur, ob multiplicia Ritus duplicis officia, ad quæ Ordo prædictus tenetur; nunquam, vel raro Missa de Beatissima Virgine valeat celebrare; idcirco a Fratre Balthasare a Sancto Didaco Provinciæ Bæticæ Discalceatorum S. Francisci Procuratore Sanctissimo Domino Nostro pro concessione Indulti celebrandi prædictas Missas de Beatissima Virgine singulis anni Sabbatis in Aurora; & licet festo duplici impeditis, nunquam tamen in iisdem Sabbatis omissa alterius Missæ Conventualis celebratione, humiliter supplicatum fuit, supplicique libello eidem Sanctissimo porrecto, a Sanctitate Sua ad sacrorum Rituum Congregationem remisso, eoque ab Emo, & Rmo Domino Cardinali S. Clementis relato Sac. eadem Rituum Congregatio; exceptis die Nativitatis, ac Sabbatis Paschatis, & Pentecostes, pro Discalceatis S. Francisci Provinciæ Bæticæ, gratiam juxta petita benigne indulsit, atque concessit. Die 13. Augusti 1701. -- Ita reperitur in Registro Decr. Congr. Sacr. Rituum. In quorum fidem &c. hac die 15. Febr. 1704. Loco ✠ Sigilli -- G. Cardinalis Carpineus -- B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secretarius.

§. 1. Cum autem, sicut prædictus Balthasar Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Balthasarem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

XLV.

Confirmatur Decretum Congr. Episc., & Regularium de servanda Constitutione Innoc. XI. etiam quoad restrictionem numeri quatuor Prædicatorum Vocalium pro Congregatione Cisterciensi S. Bernardi in Hispaniis.

Laudata Constitutio Inn. XI. ed. fuit an. 1678. Et de Prædicationibus vide Const. 1701. Febr. 19. P. 1. secundo loco. Et Constit. editam 1720. Maji 29. P. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 20. Febr. 1704. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum, tenoris, qui sequitur, videlicet. In causa vertente inter Religionem S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Reformati Hispaniarum ex una, & Patres Dionysium Ximener, Paulum Freyriam, & adhærentes partibus ex altera de, & super observatione Brevis Sa. Mem. Innocentii XI. de anno 1678. expediti pro limitatione numeri Prædicatorum Generalium ad quatuor tantum &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita referente Eminentissimo Gabriellio; censuit; ac decrevit, prædictum Breve Sa. Mem. Innocentii XI. esse observandum, etiam quoad restrictionem numeri quatuor Prædicatorum vocalium, comprehenso inter ipsos Prædicatore Toletano Romæ 2. Junii 1702. -- G. Cardinalis Carpineus. I. F. Grimaldus Secr.

Decretum præd. an. 1702. Jun. 2.

§. 1. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Guerrero Procurator Generalis Congregationis Reformatæ Monachorum earumdem Hispaniarum Ordinis prædicti Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum

Preces Procuratoris Gen.

tum

rum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis Hispaniarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Februarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

XLVI.

Conceditur FF. Capuccinis facultas dividendi Provinciam Vallonam in duas, hasque firmandi quibusdam articulis.

Inn. XII. Const ed. 1695. Aug. 6. P. 5. extat divisio Provinciæ Sardiniæ. Et hujus Pontificis Const. ed. 1721. Jan. 11. P. 21. divisio Provinciæ Insulen.

Dat. 1. Mar. 1704. An. 4.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium, quod ineffabilis Sapientiæ, atque Clementiæ Dei altitudo humilitati nostræ meritis licet, & viribus longe impari imponere dignata est salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes ad ea, per quæ felici, prosperoque Religiosorum virorum suave Christi jugum sub arctioris vitæ instituto, laudabiliter portantium regimini, & gubernio consulitur, libenter intendimus, munerisque nostri Pastoralis partes, propensa desuper charitate interponimus, sicut locorum, personarum, rerum, & temporum qualitatibus mature pensatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum, expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Ordinis Fratris Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod cum nos alias nempe anno 1702. negotium petitæ divisionis Provinciæ Vallonicæ dicti Ordinis novemdecim Conventibus, quorum decem in Hispanici, & novem in Leodiensis Dominii temporalis locis reperiuntur, constantis, ad Capitulum Generale ejusdem Ordinis die 2. Junii ejusdem anni celebratum examinandum remisimus, ibique auditis hinc inde Fratrum, tam dictorum decem, quam prædictorum novem Conventuum super divisione hujusmodi ab eis postulata, petitionibus, decretum fuisset, ut Commissarius Generalis ad dictam Provinciam deputaretur, qui super dicta divisione omnes ejusdem Provinciæ Religiosos audiret, Principum, ac Populorum sensus exploraret, & divisionis hujusmodi necessitatem examinaret, ac quatenus ea evitari non posset, illius modum, & formam, membraque, confinia, & omnia ad pacem, charitatemque inter partes divisas servandam, conducentia sedulo discuteret, illorumque relationem cum voto suo consultivo ad hanc Almam Urbem transmitteret, dilectus filius Angelicus Wolfacensis Ex-Vicarius, & actualis Diffinitor Generalis dicti Ordinis ad ejusmodi Commissarii generalis munus utraque parte ipsum unanimiter petente, deputatus, ac ad Provinciam prædictam missus, peractis ibi, quæ ipsi peragenda erant, apertaque super dicta divisione animi sui sententia eam omnino necessariam, memoratosque decem nempe Eupii, Luxemburgi, Arluni, Martisvillæ, Carologerii, Montis, seu Mons, Athi, Angia Sonnegii, & Namurei Conventus ab aliis prædictis novem, videlicet, Verniæ, Spadæ, Malmundarii, Stabuleti, Dionanti, Tudinii, & Huii, necnon Sancti Michaelis Civitatis Leodien, & Sanctæ Margaritæ ejusdem Civitatis Conventibus separandos, ac ex his decem, unam Vallonam pro Vallonibus Regiis nuncupat. ex prædictis vero novem Conventibus, alteram Leodiensem respective nuncupandas Provincias constituendas esse, retulit, jamque Provinciarum, & Conventuum hujusmodi limites, confinia, & districtus, necnon quæstuationes, & alia Justitiæ distributivæ charitati, & paci consentanea jam forsan statuta, designata, & disposita, seu statuenda, designanda, & disponenda, Diffinitorio Generali Ordinis prædicti communicata, & ab eo approbata fuerunt, quæ septem articulis comprehensa tenoris, qui sequitur, videlicet:

Causa Divisionis præd. Rom. Pontifice commissa fuit Capitulo Gen. quod deputavit Commissarium, qui necessariam judicavit divisionem 19. Cænobiorum Provinciæ Vallonæ.

Decem nempe Cœnobia pro Prov. Vallona, & novem pro Leodiensi.

Quæ Provinciæ firmandæ sunt 7. sequentibus articulis a Diffinitorio Gen. approbatis.

Articuli, de quibus conventum in ordine ad prætensam separationem.

Articuli prædicti.

De nomine, & sigillo Provinciarum.

Primus. Nomen, & sigillum Provinciæ Valloniæ retinebunt, ditionis Regis Hispaniæ Conventus. Pro Conventibus autem Principatuum Leodiensis, & Stabulensis in Sacro Romano Imperio sitis conficietur sigillum novum, & vocabitur Provincia Leodiensis.

De earum limitibus.

Secundus. Quælibet Provincia se contineat intra limites suorum Conventuum, & suorum districtuum, Regii nempe intra limites Conventuum Montensis, Athensis, Anghiensis, Sonegiensis, Caroloregiensis, Namurcensis, Eupensis, Arlunensis, Luxemburgensis, & Sancti Joannis Baptistæ juxta Martis Villam; Leodienses vero intra limites S. Margaritæ, & Sancti Michaelis Leodii, Varviensis, Spadani, Stabulensis, Malmundarii, Hayensis, Dionatensis, Thudiniensis, absque eo quod liceat Regiis aliquem ex Conventibus Leodiensibus jam memoratis, aut Leodiensibus aliquem ex præfatis Conventibus Regiis jure belli, aut alterius cujuscumque prætextus prætendere, aut occupare, & hæc quantum ad Conventus utriusque Nationis; In casu autem supervenientis alicujus controversiæ decident utriusque Nationis Patres.

De Cœnobiorum Districtibus.

Tertius. Quoad districtus vero utriusque partis Conventuum, quibus quæruntur lanæ, butyrum, calefactio, & cætera sustentationi necessaria, Conventus Thudiensis districtus a parte Caroloregii extendatur usque in Ierne Sancti Angeli, Montigny, Letigneux, Nalines, & Famioulle inclusive a parte vero Hannoniæ usque Binchiam. Districtus Caroloregius ex parte

Urbis Thudiniensis comprehendit Andelù, Containe, Marchiennes, Monten. Marchiennes Versus Dionantum Gerpines usque Bieme exclusive. Districtus Dionantensis versus Hamurcum præscribitur Godinne, Purnod, Doxenne, Mianoytroupe inclusive, & ab altera parte Mosæ, Riveræ, Cour, & S. Gerard. exclusive, versus Luxemburgum usque ad oppidum, & Monasterium S. Huberti inclusive. Districtus Hamurcanus versus Huum usque in Andenuæ exclusive, & sicut fuit ante, comprehendit etiam Geve. Districtus Veruius versus Eupenam comprehendit Andriamont Jayron, Rechain, & Thymister. Districtus Conventuum Malmundarii, & Stabulensis inter Conventus Luxemburgum, Arlunensem, & Eupensem; ut olim in posterum remanebunt, & in parte Luxemburgensi comprehenduntur Reth, Bustembac, Bolange, S. Vith cum ipsius Terra Reulanth Ghomen, & pagi adjacentes usque ad Wampach, & Ourt inclusive Salmes cum ipsius Terra, Bellin, Lestailles, & pagi adjacentes usque Boholimetle, & Stembach inclusive.

De mutua charitate inter Provincias.

Quartus. Cum autem Conventus utriusque Nationis sint inter se mixti, & necessario sæpius Regii per Leodios, & Leodii per Regios Conventus transire debebunt, observetur erga transeuntes omnimoda, & Seraphica charitas juxta illud Regulæ : Ubicumque se invenerint Fratres, ostendant se Domesticos invicem inter se, & quilibet Provincialis in Capitulis, Congregationibus, & quotiescumque Fratrum mutatio fiet, poterit per Conventus alterius partis, qui sunt in transitu mittere, non petita licentia illius Provincialis; Sed quando Fratres extra præfatos casus volent ire ad Conventus alterius Provinciæ, debebunt obtinere obedientiales utriusque Provincialis.

De Prædicatoribus, & Discretis.

Quinto. Pro bona inter utramque Provinciam correspondentia Prædicatores maxime Stationarii a RR. PP. poterunt mitti de una ad aliam cum eorum consensu, & in ordine ad Capitula respective pro Discretorum electione servandæ sunt Constitutiones.

De reliquis Fratribus.

Sexto. Omnes utriusque Provinciæ Sacerdotes celebrabunt unam Missam pro Fratribus, & eorum Patribus, & Matribus defunctis. Idem charitatis munus secundum Constitutiones exequentur Clerici, & Laici Fratres. Juvenes ad Ordinem prætendentes recipiantur a Provincialibus suæ Nationis, etiam si essent alterius districtus Leodii 13. Julii 1703.

Fr. Angelus Wolfacensis Diffinitor, & Commissarius Gen.
Fr. Dionysius Melmendarius Procurator Gener.
Fr. Claud. Leod. Diffinitor.
Fr. Pacificus Droncenten. Diffinitor.
Fr. Vincentius Sonequen. Diff.
Fr. Barnabas Chiniacen. Custos.
Fr. Eligius Leodien. Custos.

Preces Diffinitorii, & Ordinis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Procurator Generalis, attentis præmissis dictam divisionem expedire censeat: Nobis propterea totius Diffinitorii, & Ordinis prædicti nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hac re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Portuen. S. R. Eccl. Cardinalis Acciajoli nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis audiverunt, ac præinsertos articulos viderunt, atque mature perpenderunt, consilio, dicto Angelico Ex-Vicario, Diffinitori, & Commissario Generali supradictos decem Conventus ab aliis novem Conventibus prædictis (sicut præmittitur) auctoritate nostra Apostolica perpetuo segregandi & separandi, ac ex iis decem, unam Vallonam, ex prædictis vero novem Conventibus sic segregatis, & separatis, alteram Leodiensem respective nuncupandas Provincias dicta auctoritate itidem perpetuo erigendi, & instituendi, ipsisque novis Provinciis, & illarum Conventibus prædictis limites, confinia, districtus, & quæstuationes juxta articulos præinsertos auctoritate prædicta assignandi, omniaque, & singula alia in eisdem articulis contenta, & expressa, prædicta auctoritate ordinandi, statuendi, & executioni demandari faciendi quamcunque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam eadem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, & impertimur, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Concessio præd. Facultatis instituendi duas Provincias, easque relatis articulis firmandi.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari : Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ Vallonicæ, ac illius Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

XLVII.

Confirmantur Constitutiones Monachorum Vallis Umbrosæ cum suis correctionibus, additionibus, & declarationibus ad Regulam S. Benedicti.

Hisce Constitutionibus insertæ sunt Ordinationes Alexan. VII. Et hic Pontifex Const. ed. 1704. Dec. 11. P. 5. deputavit Generalem, Diffinitores, & Visitatores in Visitatores Vitæ Communis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 15. Mar. 1704. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

INjuncti Nobis divinitus Pastoralis Officii ratio exigit, ut paternam Religiosorum Virorum

rorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ Monasticæ Instituto mancipatorum curam gerentes ipsos in salutari eorum vivendi norma regularique observantia confovere, atque conservare satagamus, ac proinde ea quæ simili consilio, ac pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate perennent, Apostolici muniminis præsidio roboremus.

Constitutiones insequentes jussu ejusdem Roman. Pontificis editæ a nonnullis Cardinalibus, & Prælatis in unum volumen collectæ fuere.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas Generalis, Visitatores, & Diffinitores Congregationis Vallis Umbrosæ Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, quod alias de mandato nostro nonnullæ declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac correctiones, & additiones ad antiquas ejusdem Congregationis Constitutiones, quo illæ ad posteriora Decreta Apostolica, & præsentem rerum statum aptarentur, factæ, omnesque Ordinationes alias a fel. re. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro pro ipsa Congregatione emanatæ eisdem Constitutionibus insertæ fuerunt. Porro ipsæ Constitutiones una cum correctionibus, additionibus, & Ordinationibus, ac declarationibus hujusmodi a nonnullis Venerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus, & dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, quibus id commiseramus, remissæ, & in unum volumen collectæ sunt, tenoris, qui sequitur videlicet.

Constitutiones.

COSTITUZIONI
Della Congregazione
DI VALL' OMBROSA.
PARTE PRIMA.
Spettante al Governo Politico.
CAPITOLO I.
Della celebrazione del Capitolo.

Seguendo le vestigie degl' antichi nostri Padri per la conservazione della carità fraterna, ordiniamo con autorità Apostolica per le presenti Costituzioni, che ogni quattr' anni si faccia il nuovo Presidente per la creazione del quale si celebri il Capitolo Generale di nostra Congregazione, quale cominci la terza Domenica dopo Pasqua di Resurrezione, e che si celebri in quel luogo, dove avranno ordinato il Padre Presidente, e li Definitori del precedente Capitolo, nel quale vogliamo, che venghino tutti quelli, che averanno voce in Capitolo, talmente, che siano presenti al primo atto Capitolare, che si deve fare dopo il Vespero della detta terza Domenica, sotto pena, che li Vocali siano privi della voce attiva in Capitolo quell' anno, se già non fossero detenuti da qualche legitimo impedimento approvato, ed accettato dalla maggior parte del Capitolo per fave nere, e bianche, nel qual caso quel Vocale, che non sarà arrivato da principio, s'intenda non possa aver la voce nel restante degl' atti Capitolari. E chi si trovarà assente ancor con licenza non possa per Sostituto in quel Capitolo avere la voce attiva in modo alcuno.

De dieta Generali.

Oltre al sudetto Capitolo Generale da convocarsi ogni quattr' anni, come si è detto; per sfuggire le spese superflue, e non privar così spesso tutti i Monasterj de' loro Superiori, ed altri vocali, ordiniamo, che nel luogo deputato dal P. Presidente si celebri ogni due anni dopo il Capitolo una Dieta Generale nel giorno solito, cioè nel Lunedì dopo la terza Domenica dopo Pascha di Resurrezione, alla qual Dieta siano tenuti intervenire il P. Presidente, ambidue i Visitatori, e tutti i Definitori attuali sotto pena delle sospensione dall' Officio, se pure non fosse stato alcun di loro dispensato per qualche legitimo impedimento dal P. Presidente, e Visitatori, e detta Dieta Generale abbia l'autorità di eleggere i Definitori, che mancano, di creare i nuovi Visitatori, far nuovi Abbati, mutar Governi, conferir gradi, far' ordini per il buon servigio di Dio, e della Religione, e finalmente s' intenda avere tutta quell' autorità, che risiede nel Definitorio in tempo del Capitolo Generale.

CAPITOLO II.
Del mutar per giusta causa il luogo deputato per la celebrazione del Capitolo.

Ordiniamo parimente, che il P. Presidente con li due Visitatori, e tre Definitori attualmente Collegiati del prossimo passato Capitolo più vicini alla solita residenza del Presidente possino con più della metà de' Voti, occorrendo giusta causa mutare il luogo del Capitolo antecedente, ma non possino già ne allungare, ne abbreviare il tempo di detto Capitolo, ma che osservino il tempo determinato per le dette Costituzioni.

CAPITOLO III.
Come si deve procedere occorrendo fra l' anno la morte di qualche Presidente.

Vogliamo similmente, che quando occorresse fra l' anno vacar l' offizio del Presidente per morte, o per qualsivoglia altro accidente, resti Vicario Generale in suo luogo, e con la medesima autorità l'Abbate di Vall' ombrosa fino al nuovo Capitolo, quale vogliamo, che si celebri in tal caso la terza Domenica dopo Pasqua di Resurrezione prossima seguente a detta vacanza, non obstante, che in detto tempo, ed anno non si avessi a celebrare e convocare il Capitolo. Ed in tale evento eletto il nuovo Presidente si celebri il Capitolo quattro anni dopo tale elezzione, e così si seguiti l' ordine solito di due in due anni: Con il quale ordine vogliamo similmente, che siano creati tutti li Prelati, e Offiziali; e ordinati da un Capitolo all' altro, e respettivamente da una Dieta Generale all' altra. E dato, che il Presidente passasse a miglior vita tanto vicino a detta Domenica terza, che non ci restasse tempo a notificare il Capitolo alli Prelati di Lombardia, o più lontani, in tal caso vogliamo, che il P. Vicario, e li due Visitatori abbino facoltà di prolongare detto Capitolo a 40. giorni dopo detta Domenica per intimare alli Prelati, che venghino al Capitolo, e alla creazione del nuovo Presidente: Dichiarando, che ogni volta, che il detto Presidente venisse a morte per tutto detto giorno in detta Domenica terza per insino alle ore 24. inclusive il nuovo Presidente si elegga in fra detto tempo di 40. giorni dopo la terza Domenica, e perciò debbino essere intimati subito li Padri assenti, come s'è detto, ma caso, che il Presidente morisse dopo le 24. della detta terza Domenica, vogliamo, che in luogo suo succeda l'Abbate di Vall' ombrosa per Vicario fino alla terza Domenica dopo Pasqua di Resurrezione prossima futura: E in evento, che creato il Presidente passasse a meglior vita avanti l'elezione de' Prelati, nel qual caso per l'assoluzione non ci sarebbe Vicario Generale, ordiniamo, che quello, che era prima Abbate di Vall' ombrosa convochi il Capitolo per l'elezione d'un altro Presidente.

CAPITO-

CAPITOLO IV.

Quando debbano partirsi per venire a Capitolo i Monachi Capitolari.

A fine, che i Prelati, e Monaci Capitolari sotto pretesto d'andare al Capitolo non abbandonino nelli giorni santi li loro Monasterj, ordiniamo, che quelli di Lombardia, & di Roma non si partino prima, che il Lunedì dopo l'ottava di Pasqua, e gl'altri più vicini, se non il Lunedì dopo la secunda Domenica di Pasqua sotto pena; che li Prelati, che contrafaranno, dichino li Salmi Penitenziali, nel mezzo del Refettorio; mentre gl'altri Padri mangiaranno, e se saranno Monaci semplici, oltre alli detti Salmi Penitenziali mangino pane, ed aqua una volta.

CAPITOLO V.

Di quelli, che debbano venire à Capitolo per avervi la voce attiva, e passiva secondo i gradi loro.

Per tor via ogni dubbio, che potesse nascere per l'avvenire intorno a coloro, che debbano venire al Capitolo per avervi la voce attiva, e passiva secondo li gradi di ciascuno, ordiniamo, che al Capitolo siano tenuti venire gl'infrascritti Monaci, e non altri cioè il Padre Presidente, li Visitatori, l'Abbati Collegiati d'Abbazie unite, o che si unissero per l'avvenire alla Congregazione, fra li quali Abbati Collegiati, dichiariamo essere, come sempre è stato insino al presente giorno l'Abbate di S. Bartolomeo di Ripoli.

Item siano tenuti a venire gl'Abbati, e Priori non Collegiati, quali noi chiamiamo titolari non tanto delle sottoscritte Priorie, e Abbazie, ma se altre se ne acquistassero alla Congregazione. Dichiarando detti Abbati, e Priori Titolari avere la voce attiva, e passiva quantunque per qualche legitimo impedimento non risiedessero ne' proprj luoghi de' Titoli loro: Debbano parimente venire al Capitolo li Priori Abbaziali; cioè S. Bartolomeo di Novara, e di S. Benedetto di Vercelli, e finalmente il Decano di Vall'ombrosa, il Maestro di Passignano, ed il Procuratore Generale di Firenze: E tutti li sopradetti Vocali di voce attiva, e passiva insieme s'ordina, che unitamente rappresentino tutta la Congregazione, e tutto il Capitolo nostro Generale, e nessuno altro possa venire a detto Capitolo, ne avervi voce attiva, ancorche avesse avuta amministrazione di qualunque sorte, se già non fosse chiamato dal Presidente, e Definitorio, che allora sia tenuto venirci, ma non per questo s'intenda avere voce; proibendo a ciascuno delli sudetti, che vanno al Capitolo, che non possino sotto qualsivoglia pretesto, nè anco d'Infermità menar seco Monaco alcuno, che non abbia obbligo di andare.

CAPITOLO VI.

Quali siano l'Abbazie, e Priorie di nostra Congregazione solite darsi in Titolo.

Le Badie, e Priorie di nostra Congregazione solite darsi in titolo siano l'infrascritte.

Badie Titolari di Governo.

S. Paolo di Razzuolo a Ronta.
S. Maria di Vigesimo.
S. Maria della Serena.
S. Maria di Tagliafune.
S. Salvatore di Soffena.

Badie di puro Titolo.

S. Salvi Titolo del P. Generale.
S. Gio. Gualberto di Pomajo Titolo del primo Visitatore.
S. Andrea a Candeli Titolo del Secondo Visitatore.
S. Maria de' SS. Magi di Bibona Titolo del Procurator Generale di Roma.
S. Maria della Romita di Spoleto.
S. Trinità in Alpe.
S. Zaccharia di Tricento.

Priorie Titolari di Governo.

S. Benedetto di Muleghio vicino Vercelli.
S. Bartolomeo di Novara.
S. Maria di Sesto nel Frioli.
La Decania di Vall'ombrosa.
La Procureria di Firenze.

Priorie di puro Titolo.

S. Maria ad Ughi.
S. Pier a Gello.
S. Donato in Vinca.

Tutte l'altre Badie, e Priorie di puro Titolo non si conferiscono più ad alcuno, ma la prima volta, che vacaranno s'intendano *ipso facto* suppresse, e del tutto estinte.

CAPITOLO VII.

Di quello, che debbon portare i Prelati a Capitolo.

Similmente ordiniamo, che ciascun Prelato, quando viene a Capitolo, porti seco tutta quella somma di danari, che li farà bisogno per condursi al luogo del Capitolo per le spese di esso Capitolo per il suo ritorno, e finalmente per pagare nelli Capitoli ogn'altra cosa, che fosse consueta. Porti anco li Bilanci dell'entrate, e uscite, e delli debiti, e crediti estratti da' Libri saldati dal Prelato, e Seniori del suo Monastero, così anco porti la nota di tutti l'Istromenti, e contratti fatti infra l'anno spettanti al suo Monastero; purchè siano di cose notabili, o a lungo tempo, li quali il Definitorio facci registrare nel Libro da esso ordinato a questo effetto; e mancando d'alcuna delle predette cose sia privo di voce attiva per quell'anno in quel Capitolo. Nella qual pena incorrino quelli ancora, che non averanno pagati i gravami della Congregazione in tempo, cioè la terza parte per tutto Settembre, l'altra per tutto Novembre, e l'altra per tutto Marzo seguenti, e se questi tali saranno esenti dal Capitolo siano privi della voce passiva, se già in qualsivoglia delli suddetti casi non avessero mancato per causa legitima approvata per la maggior parte del Capitolo, o Definitorio. Volendo di più Aless. VII. ne' suoi Decreti fatti per noi nel *1660. num.* 8. *che* Congregationis onera omnino solvenda sub pœnis gravibus.

CAPITOLO LXX.

Che niuno presuma battere alcuno, ovvero scommunicare.

Cujus auctoritati, ac vigilantiæ subsint Monachi.

Accioche sia tolta via dal Monastero ogni occasione di presunzione, ordiniamo, e costituimo, che a niuno sia lecito scommunicare, ovvero battere alcuno de'suoi Fratelli, eccetto quello, al quale l'Abbate averà data tal potestà. Quelli, che commettono alcun difetto, siano ripresi in presenza di tutti, accioche gl'altri ne temano: E da tutti sia avuta cura, e diligente disciplina alli Fanciulli infino al quinto decimo anno della loro età, e questo però con ogni misura, e ragione, ma chi presumerà in alcun modo impacciarsi in quelli di magiore età, senza commandamento dell'Abbate, o vero che chì circa detti fanciulli si portarà senza discrezione, sia punito secondo l'ordine della Regola, però che è scritto: Non fare ad altri quello, che non vorresti fosse fatto a te.

Dichiarazione del Cap. LXX.

De ratione monendi, & corrigendi.

Dove dice (*presumerà*) Dichiariamo non essere presunzione ammonirsi, e correggersi caritativamente l'un l'altro, anzi esser merito, ed opera di misericordia corregger ciascuno, e anche li suoi Superiori, servando però il rispetto a luogo, e tempo a ogni grado, cioè che non si faccia publicamente verso li Superiori, nè con parole ingiuriose, minaccevoli, brutte, e colleriche, rimproverando li difetti della passata vita, o di corpo, o di mente, o di Parenti, e chiamando ingiuriosamente con sopranomi, gridar con alcuno non sia mai lecito.

Dichiarando però, che li Superiori possino con parole aspre, e minaccevoli, ma non brutte, ed ingiuriose paternamente riprendere li Sudditi, ed ancora castigarli, ma se alcuno userà simili parole brutte contro alcun privato, detta prima sua colpa in Capitolo mangi pane, ed acqua in Refettorio, se averà fatta simil cosa contro a' Seniori, oltre alla detta pena, stia otto giorni degradato dalla sua professione; e se contro al suo Prelato, stia un mese degradato, oltre alla prima pena. Se il Prelato sarà sottoposto a questi vizj, sia ammonito da'Seniori fino a tre volte, o quattro, e non s'emendando denunziato al Presidente, e Visitatori sia sottoposto alle medeme pene, e ancora più gravi a loro arbitrio; Atteso però sempre, che le dette pene si possino accrescere secondo la gravità del delitto infino a tanto, che il colpevole sia forzato inginocchioni baciare li piedi a tutti, o vero inginocchioni dimandar perdonanza all'ingiuriato. E queste medeme pene vogliamo siano imposte a quelli, che tirati da parole, e contrasti fanciulleschi, mettendosi le mani adosso, si danno schiaffi, urti, pugni, purchè siano fanciulleschi, e giovanili, alli quali si potrà con discrezione del Prelato aggiungere battiture, discipline, silenzj, perche non vogliamo, che a simili errori si dia la Carcere formale: Ma se parranno colpe alquanto più gravi per le quali caschino in scommunica, se gl'assegni la Cella in luogo di Carcere con silenzio, o digiuno se pure l'enormità del delitto non fosse tale, che meritasse pene più rigorose secondo le leggi Canoniche.

De injicientibus more puerili manus violentas in alios.

Si ricordi ogn'uno ciò, che ci viene ordinato da Alessandro VII. nel Decreto 7. del 1661. che nessuno tenga arme di veruna sorte ancorche difensiva, nè nel Monastero, nè fuori, nè abbia ardire di ferire, o percuotere ancorche leggiermente alcuna Persona, nè anche Secolare fuori, o dentro del Monastero: E si commanda in virtù di santa obbedienza al Superiore Locale, che subito faccia mettere in prigione in pane, ed acqua il Trasgressore di questo precetto, e ne dia quanto prima minutissimo ragguaglio al P. Generale, e da quello aspetti ciò si deve fare.

De armis, & eorum usu.

CAPITOLO LXXI.

Che li Fratelli siano obbedienti l'un l'altro.

Ubi de cohibendis animi motibus.

Il bene dell' obedienza da tutti si deve rendere, ed usare non solamente verso l'Abbate, ma anco li Fratelli s'obedischino l'uno all' altro, sapendo, che per questa via dell'obedienza anderanno a Dio. Oltre adunque il commandamento dell'Abbate, e degl'Offiziali, che da lui sono ordinati, al quale non permettiamo, che li commandamenti delle persone private siano preferiti, da questo in poi tutti gl'inferiori con ogni carità, e sollecitudine obedischino alli magiori, e trovando alcuno contenzioso sia corretto. Se qualche Fratello per qualsivoglia

glia minima causa sarà ripreso dall'Abbate, o da qualche altro suo maggiore in qualsivoglia modo, ovvero s'avvederà, che l'animo di qualunque suo maggiore sia contro se adirato, o commosso, ancorche poco, subito senza dimora, giaccia tanto in terra prostrato a i piedi di quello sodisfacendo, che colla benedizione sia sanata quell'alterazione. Il che s'alcuno disprezerà di fare, sia punito d'afflizione corporale, ovvero se sarà contumace, ed ostinato, sia cacciato dal Monastero.

CAPITOLO LXXII.

Del Zelo buono, che devono avere li Monaci.

Siccome si trova un zelo d'amaritudine, cattivo, che separa l'Uomo da Dio, e conduce all'Inferno; Così si trova un zelo buono, che separa l'Uomo da' Vizj, e lo conduce a Dio, e alla vita eterna. Li Monaci dunque con ferventissimo amore in questo zelo si esercitino, cioè con onore si prevengano l'un l'altro, sopportando pazientissimamente l'uno l'infermità dell'altro così de' corpi, come de' costumi, e obedendosi insieme fra loro a chi più può. Niuno cerchi, o seguiti quello, che giudica li sia utile agl'altri in carità fraterna, e casto amore servino l'un con l'altro: temano Dio con sincera, ed umile carità; Amino il loro Abbate: niente al tutto prepongano a Cristo, il quale tutti insieme ci conduca a vita eterna.

CAPITOLO LXXIII.

Come in questa Regola non sia posta ogn' osservazione di Giustizia.

Noi abbiamo descritta questa Regola, acciocheè osservandola Noi nelli Monasterj, in qualche modo mostriamo d'avere, o onestà di costumi, ovvero qualche principio di vivere Religioso. Ma per quelli, che s'affrettano di pervenire alla perfezione di essa conversazione, ci sono le dottrine de' Santi Padri, l'osservanza delle quali conduce l'Uomo all'altezza della perfezione: Imperoche quale scrittura, o parlare della Divina autorità del Vecchio, e Nuovo Testamento non è rettissima norma, e Regola della vita Umana? ovvero qual Libro di Santi, e Cattolici Padri non risuona questo, che per diritto certo cerchiamo di pervenire al nostro Creatore?

Similmente ancora le Collazioni de' Santi Padri, e gl'Istituti, e Vite loro, e parimenti la Regola del nostro Padre S. Basilio, che altro sono se non esempj, ed istromenti delle Virtù de' Monaci di buona Vita, ed obedienti? Le quali tutte cose a noi pigri, e che male, e negligentemente viviamo, generano gran confusione, e vergogna. Qualunque dunque tu sii, il quale t'affretti d'andare alla Celeste Patria, con l'ajuto di Cristo osserva perfettamente questa Regola, fatta per li principianti, ed allora finalmente perverrai a quelle maggiori altezze di dottrina, delle quali abbiamo di sopra fatto menzione mediante la Divina Grazia. Amen.

Dichiarazione del Capitolo ultimo della Santa Regola.

Perche la Regola di S. Benedetto, e le dichiarazioni fatte non tendono ad altro fine, che alla carità, che si conduca a quell'eterna Gloria, alla quale non può alcun pervenire, che non sia purgato d'ogni macchia di peccato, dal quale è troppo difficil cosa il potersi guardare in questo Mondo, perche in molte cose offendiamo tutti, e sette volte cade il giusto, e se pensassimo, o dicessimo non aver peccato, inganaremmo noi medesimi. Per questo dovendo noi la carità a tutti, ma specialmente alli Fratelli di nostra Congregazione, però volendo mantenere la fraterna carità avutagli in vita, ancora dopo morte:

Ordiniamo, che qualunque volta alcuno de' Fratelli nostri passarà a miglior vita, se gli faccino le consuete Esequie, e Cerimonie, e Orazioni, ed Offizj, e Sagrificj nel modo, che sono segnati nel Breviario, e Messale Monastico; ed il Prelato del Monastero, ove sarà stato di Stanza il Defonto, dia avviso agl'altri tutti, o vero al Presidente, ed in ogni Convento si celebri un'Offizio con tutte le Messe, e gli dichino le Messe di S. Gregorio, eccetto che a S. Prassede, dove bastino cinque alla S. Colonna, e ogni Sacerdote dica tre Messe, e gl'altri tre Offizj de' Morti con una vigilia per volta. E chi non sà leggere, dica cento Pater noster, e cento Ave Maria, e dove sarà di stanza tal Defonto, li Sacerdoti dichino nove Messe, e gl'altri trecento Pater noster, e trecento Ave Maria, oltre agl'Offizj, e Messe Gregoriane, quali s'hanno a fare, come negl'altri Monasterj.

La parte del Vitto, che se fosse vivo toccarebbe al Defonto, si metta in Refettorio in luogo suo con una Croce per nove giorni, e poi sia data per elemosina.

Ordiniamo ancora, che il medesimo modo si tenga per quelli, che hanno Lettere graziose di nostra Congregazione circa alle Messe Gregoriane.

Ordiniamo parimente, che annualmente, il Lunedì dopo la Domenica di Passione, o vero se quello fosse impedito, per qualche festa doppia, il primo di feriale seguente si celebri un Offizio solenne in qualunque luogo di nostra Congregazione per l'anima de' Defonti Fratelli, e Sorelle, Famigliari, e Benefattori nostri. E di più vogliamo ancora, che ogni Lunedì, che sì farà di feria, si canti la Messa de' Morti ordinariamente. Amen.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes easdem declarationes, & Constitutiones in hanc formam redactas, quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Declarationes ad Regulam S. Benedicti, ac Constitutiones, illarumque correctiones, & additiones, ac ordinationes præinsertas, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas, ac Declarationes, Constitutiones, illarumque correctiones, & Additiones, ac Ordinationes præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cau-

Preces Congregationis Vallumbrosanæ.

Confirmatio relatarum Constitutionum, & Declarationum.

Clausulæ.

sarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque,

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

XLVIII. Conceduntur Lectoribus Carmelitis Collegii Ecclesiastici in Civitate Leonina de Urbe privilegia Lectorum itidem Carmelitarum in Archigymnasio Sapientiæ.

Ab hoc Pontifice Const. ed. 1701. Jun. 27. P. 2. concessa fuere quædam jura Studentibus Cœnobii S. Mariæ Transpontinæ. Et ab Inn. XIII. Const. ed. 1723. Jul. 14. P. 3. conceditur Magistris Provinciæ Portugalliæ dict. privilegium suscipiendi Lauream Doctoratus.

Dat. 27. Mar. 1704. An. 4.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ Concessionis a Cardinalibus Deputatis d. Collegii; eorumque preces Pontifici oblatæ.

EXposuerunt Nobis nuper dilecti filii nostri Leander tituli Sanctorum Nerei, & Acchillei Presbyter Cardinalis Colloredus, & Josephus Renatus Sancti Georgii in Velabro Diaconus S.R.E. Card. Imperialis respective nuncupati super regimine, & administratione Collegii Ecclesiastici Civitatis Leoninæ, seu Burgi de Urbe auctoritate Apostolica deputati, quod cum dilectus Filius Petrus Thomas Sanchez Frater expresse professus Provinciæ S. Angeli Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in Sacra Theologia Magister, ac in Conventu ejusdem Beatæ Mariæ Transpontinæ d. Ordinis commorans lecturam Theologiæ Moralis a nonnullis annis in eodem Collegio cum magno illius Convictorum fructu, atque progressu exercuerit, & adhuc de præsenti exerceat, ipsi Leander, & Josephus Renatus Cardinales, ut debitus virtuti honor rependatur, ac idem Petrus Thomas, necnon alii Conventus, & Ordinis prædictorum Religiosi, si quos in posterum ad Lecturam hujusmodi exercendam deputari contigerit, eo alacrius ad subeundos ejusdem lecturæ labores incitentur, illos aliquo honorificentiæ præmio ex nostra, & Sanctæ Sedis Apostolicæ benignitate decorari plurimum desiderant. Nos ipsorum Leandri, & Josephi Renati Cardinalium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, dictumque Petrum Thomam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eorumdem Leandri, & Josephi Renati Cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Petro Thomæ, & pro tempore existentibus Fratribus Conventus, & Ordinis hujusmodi in eodem Collegio Lectoribus, ut omnibus, & singulis privilegiis, gradibus, honoribus, & præeminentiis, quibus Lectores Ordinis prædicti, qui in Collegio, seu Gymnasio Sapientiæ nuncupato de eadem Urbe legentes tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pari modo, & absque alia differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Petro Thomæ, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Conventus, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quarto.

Confirmantur Literæ Patentes Nuncii Portugalliæ de Alternativa Officiorum in Provincia Portugalliæ Ord. Eremitarum Sancti Augustini. XLIX.

A Nuncio instituta fuit dicta Alternativa auctoritate recepta ab Inn. XII. Brevi ed. 1698. Dec. 13. P. 8. quod infra refertur. Innoc. XII. Constitut. ed. 1698. Aug. 19. P. 8. extat concordia circa Alternativam in Provincia Narbonæ, & Burgundiæ. Et hujus Pontificis Const. ed. 1708. Aug. 14. P. 8. confirmatur abrogatio Alternativæ in Provin. B. M. V. de Gratia in Ind. Occident.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 19. Apr. 1704. An. 4.

Ad futuram rei memoriam.

PRO parte charissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris Nobis nuper expositum fuit, quod cum alias felic. record. Innocentius Papa XII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas ad tollenda dissidia, quæ inter Fratres Provinciæ Portugalliæ Ordinis Eremitarum Sancti Species facti paucis hic, sed pluribus in sequentibus Literis exponitur.

Augustini propter duas Religiosorum factiones, non sine gravi Christifidelium scandalo, regularisque observantiæ detrimento tunc vigebat; Venerabili Fratri Michaeli Angelo Archiepiscopo Tharsen. in eisdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Apostolicæ Sedis Nuncio dedisset in mandatis, ut circa perpetuam Alternativam Officiorum dictæ Provinciæ auctoritate Apostolica id ageret, statueret, atque decerneret, quod sibi pro ejusdem Provinciæ quiete restituenda, necnon regulari disciplina in ea conservanda, & sic ubi collapsa esset, reparanda magis in domino visum fuisset expedire; Ipse Michael Angelus Archiepiscopus, & Nuncius vigore facultatis sibi super hoc ab eodem Innocentio prædecessore, & subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita de mandato nostro concessæ, eamdem Alternativam de unanimi Religiosorum Provinciæ prædictæ consensu, perpensis iis, quæ ad illam impediendam a dilecto filio Nicolao Serano Priore Generali dicti Ordinis in contrarium deducta fuerunt, determinavit, & statuit, cum diversis declarationibus, & Ordinationibus, prout plenius continetur in ejusdem Michaelis Angeli Archiepiscopi, & Nuncii Literis patentibus desuper emanatis, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. Michael Angelus Abbas de Comitibus Domicellus Romanus ex Ducibus, & Principibus Poli, & Guadagnoli &c. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Tarsen. Sanctissimi Domini Nostri Papæ Prælatus domesticus, & Assistens, ejusque, & dictæ Sanctæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, atque Dominiis cum potestate Legati de Latere Nuncius. Dilectis in Christo filiis Provinciali, ex-Provincialibus, Diffinitoribus, Prioribus, Magistris Præsentatis, reliquisque Patribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Provinciæ Lusitaniæ, salutem in Domino sempiternam. Omnibus notum sit, quod cum potentissimus, & serenissimus Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Petrus Secundus, solito singularis pietatis suæ stimulo permotus, ad eliminandas a dicta Provincia dissentiones, pacemque introducendam, devotas, apud Sanctissimum Patrem fel. rec. Innocentium XII. interposuerit preces, quibus Apostolicum paternæ providentiæ subsidium ad finem congruentem exposcebat, Sanctitas Sua ad ipsius supplicationem benigne attendens, nullumque aliud judicans efficacius, opportuniusque remedium ad hujusmodi dissidiorum occasiones vitandas, præjudicialiaque ab inimico homine super seminata zizania evellenda, quam perpetuam quandam Alternativam circa electiones officiorum omnium dictæ Provinciæ inducere per Breve Apostolicum die 13. Decembris 1698. exaratum facultatem Nobis commisit, mandavitque, ut alternativam prædictam decerneremus, atque statueremus, ut constat ex ipsomet facultativo Diplomate tenoris sequentis -- A tergo, videlicet.

§. 2. Venerabili Fratri nostro Michaeli Angelo Archiepiscopo Tarsen. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio -- Intus vero -- Innocentius Papa *XII.* *Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.* Cum sicut pro parte Charissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris, Nobis nuper expositum fuit, Provincia Portugalliæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini propter duas Religiosorum factiones dudum, nempe jam a centum annis in ea vigentes acerrimis discordiis, & perturbationibus agitetur, non sine gravi Christifidelium scandalo, regularisque observantiæ detrimento, ad tollenda vero dissidia hujusmodi plurimum expediat perpetuam quandam Alternativam circa electionem Officiorum dictæ Provinciæ stabiliri, idque religiosæ tranquillitati ejusdem Provinciæ conducibile fore; etiam dilectus filius Prior Generalis dicti Ordinis existimet, cum ejusmodi Alternativæ in aliis ejusdem Ordinis Provinciis ordinatæ ad conservandam inter illarum Fratres pacem multum facere dignoscatur. Nobis propterea ipsius Petri Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur piis ejusdem Petri Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, ac memoratæ Provinciæ Portugalliæ quieti salubriter providere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito Tibi de narratis circa Alternativam prædictam auctoritate nostra Apostolica id geras, statuas, atque decernas, quod tibi pro ejusdem Provinciæ Portugalliæ quiete restituenda, necnon regulari disciplina in ea conservanda, & sic ubi collapsa est reparanda magis in Domino videbitur expedire. Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem tibi eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impertimur.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Decemb. 1698. Pontificatus nostri Anno Octavo -- I. F. Cardinalis Albanus.

A Nuncio instituta fuit alternativa inter Fratres Cœnobii S. M. Gratiarum, & Fratres Cænobii S. M. de Penha.

§. 5. Nos igitur prædicto Summi Pontificis Diplomati obtemperare, necnon piissimi Regis zelo, ac Religionis studio satisfacere cupientes, matura prius habita consideratione super negocio tanti ponderis per publicum Edictum toti Provinciæ intimari, & notificari mandavimus, quod duæ assignarentur distinctæ filiationes, una scilicet Conventus Dominæ nostræ Gratiarum, altera vero Conventus Dominæ nostræ de Penha de Franca quibus duabus filiationibus omnes, & singuli præfatæ Provinciæ Religiosi professi cujuscumque conditionis, & gradus libere, sed post assignationem immutabiliter, invariabiliter, sub pœnis etiam privationis vocis activæ, & passivæ, & inhabilitationis ad omnia Officia Provinciæ adscriberentur; utque omnia utiliter, & accurate concluderentur, ordinavimus, quod cuncti ejusdem Provinciæ Patres, Exprovinciales, Diffinitores, Magistri, Priores, cæterique Vocales, & non Vocales, sibi bene visos instituerent Procuratores cum potestate, & facultatibus sufficientibus, ut ipsorum nomine Nobiscum conferrent, omnia, quæ convenientia, & congruentia visa forent ad expeditiorem felicioremque præfatæ Alternativæ exitum, desideratamque Provinciæ tranquillitatem, & majorem ejusdem utilitatem, & reformationem. Quibus præ omnibus sic a Provincia institutis semel, iterum, atque iterum auditis, ea quæ opportuniora fuerunt judicata executioni mandari decrevimus, prædictamque alternativam in forma infra expendenda, & stabilienda statuimus. Verum cum hæc omnia proxima executioni forent, per Patrem Nicolaum Seranum totius Ordinis Eremitarum Generalem ad Summum Pontificem recursu habito, a Sacra Congregatione

Alternativa statim executioni demandata non fuit & qua de causa.

Eminen-

Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ de ejusdem Sanctissimi Patris Ordine Nobis Literæ 4. mensis Decembris anni 1699. exaratæ fuerunt, ne quid executioni demandaremus, quin prius idem Generalis super articulis Alternativæ certior fieret quibus Nos parentes, eidem Congregationi articulum Alternativæ transmittere duximus, & cum effectu die 6. Aprilis anni 1700. transmisimus. Hoc tamen frustra, vel quia ostensæ Literæ non fuerunt, vel alia de causa, Nobis quid super negotio ulterius agere deberemus injunctum non fuit. Quare Serenissimi Regis pietas denuo excitata, ne propriæ adversantibus utilitati, & bono Provinciæ malitia prodesset, precibus Sanctissimum Pontificem Clementem Undecimum Regnantem repetiit, ut ad hujusmodi Alternativæ determinationem prosequeretur, quibus Sanctitas Sua benigne intuens, Literas per eamdem Sacram Congregationem Nobis expediri, mandavit, ut tali negotio finem omnino imponeremus, vel denegando, vel stabiliendo Alternativam, & hanc uno, vel alio modo, sicuti Provinciæ utilius fore judicaremus, prout clarius apparet ex eisdem Literis italico idiomate tenoris sequentis videlicet.

Novæ Regis preces Clementi XI. oblatæ.

§. 6. Foris -- Al Molt' Illustre, e Reverendissimo Monsignore, come Fratello -- Il Nuncio Apostolico in Lisbona -- *Intus vero* -- Molt' Illustre, e Reverendissimo Monsignore, come Fratello -- Dopo essersi spedito a V. S. un Breve della San. mem. d'Innocenzio XII. con la facoltà di poter stabilire un' Alternativa perpetua circa l'elezione degl'Offizj in cotesta Provincia di Portogallo per li Padri Agostiniani, secondo che prima fosse il Generale de'medesimi fatto consapevole di quanto si contenesse negl'Articoli da formarsi sopra la materia, ma essendo stato fatto ricorso a Sua Beatitudine a nome della Maestà del Rè, che per ancora non si fosse venuto a determinazione veruna per varj rispetti, la Santità Sua fatto udir prima il Generale medesimo, ha ordinato, che si scriva a V. S., che prosegui sca in ogni modo, che nell'altro secondo, dico modo avanti, concedendo, o negando la detta Alternativa, o permettendola più in un modo, che nell'altro, secondo che giudicarà con la sua prudenza esser più proficuo per sedar le discordie, che sono fra le parti, volendo la Santità Sua si dia onninamente fine a questo negotio, dandole a tale effetto la facoltà di prorogare per quel tempo, che stimarà opportuno il Capitolo, con l'essersi fatto sapere all'istesso Generale di dedurre avanti di V. S. tutto ciò, che crederà di ragione, che nondimeno dentro un termine più discreto non seguisse, venga pur ella alle resoluzioni opportune, e Dio la prosperi. Roma 17. Marzo 1702., come Fratello affettionatissimo -- G. Cardinal de Carpegna -- M. Grimaldi Segretario.

Literæ Congregationis Epis., & Reg. ad Nuncium pro executione alternativæ.

§. 7. Et cum juxta literarum tenorem Pater Generalis aliquas Nobis adduxerit rationes pro non stabilienda Alternativa, easdem ut de adimplemento hujusmodi conditionis constet, hic, & si Italice scriptas inseri judicavimus -- Illustrissimo, e Reverendissimo Signore -- Avendo la Santità di nostro Signore rimesso a V. S. Illustrissima, e Reverendissima la Commissione d'istituire, quando sia conveniente, e proficuo in cotesta Provincia degl' Agostiniani di Portogallo una perpetua Alternativa tra due fazioni, espone umilmente a V. S. Illustrissima, e Reverendissima il Generale di S. Agostino li seguenti motivi, per li quali egli crede, che tal Alternativa non è per recar alcun' utile, ma bensì innumerabili pregiudizj, ed infamia alla detta Provincia Poiche non essendo detta divisione fondata in diversità, nè di Nazione, nè di Patria, anzi volendosi, che nell'istessa casa vi siano Religiosi parziali, o di una parzialità, o d'un'altra, si vengono a stabilire per Legge le fazioni, e l'istesse scissure, che sarebbe più tosto necessario svellere dalle radici, con mortificare i capi fazionarj, si vengono ad eternare, e a propagare ne' Posteri, essendosi già dato alle fazioni il suo proprio nome, con fare, che gl'uni si dichiarino Guilìermi, e gl' altri Bartolomei, ad imitazione delle funeste memorie de'Guelfi, e Gibellini, giustamente è da temere, che quella Provincia restarà esposta al Mondo per ludibrio di male odore perpetuo, se poi siegue di più, non solo in presenti, ma tutti quei, che si vestiranno Novizj in futuro, devono arrollarsi per necessità sotto qualcheduna di dette insegne, non si renda credibile, che mai più persona di giudizio, che cerca ne' Chiostri la pace dello spirito, e non le fazioni del Secolo, sarà per vestire fra loro l'Abito di S. Agostino. Le fazioni, che adesso sarebbono due, tra poco tempo molto verisimilmente diverebbero quattro, perche imbevute di spiritu fazionarj, e nodrite di latte di divisioni, è molto verisimile, che ogn'una di esse verrebbero a suddividersi in altri rami, quando, cioè nel tempo di distribuire gl' Offizj non si conseguirebbe da tutti quel che si vuole. Si aggiunge il cattivo esempio, mentre, come che rare sono quelle adunanze, che vadano esenti da varietà d'affetti, e disparate di sentimenti, si eccitarebbe in gran parte il desiderio d'imitare simili separazioni. Nè si deve attendere, che nella Religione vi sono altri esempi di Alternativa, perche questi sono tra diverse Nazioni, come Spagnoli, e Crioli nell'Indie; Aragona, e Valenza, e Catalogna, in Spagna; Narbona, e Borgogna in Francia, ma non tra soggetti di una medesima casa, di una medesima famiglia, dove si pretende di alzare stendardi di Guilìermi, e Bartolomei. L'Alternativa di Narbona, e Borgogna, sono circa sei anni, che ebbe principio, nondimeno avendo cominciato già sperimentare i danni della loro divisione: concordemente richiedono, che l'Oratore supplichi la Santa Sede, acciò voglia paternamente degnarsi d'abolirla. L'Alternativa d'Aragona, Valenza, e Catalogna, l'esperienza dimostra, che non ha apportato alcun frutto, ed oggi in vece d'Alternativa, bramarebbero, che li dividessero in tre Provincie, il che forse sarebbe più espediente, essendo tanto peggiore la divisione, quanto è più interna. Dell' Alternativa tra' Spagnoli, e Crioli nell' India, l' Oratore non ardisce di parlare, essendo sufficiente quel che ne dice il Solorzano *de Jure Indiarum tom.* 2. *lib.* 3. *Cap.* 26. per concludere con universale induzione, che l'Alternative della Religione di S. Agostino non l'hanno mai sovvenuta, ma lacerata. Nè finalmente le fazioni della Provincia di Portogallo, si riducono ad altro, se non che al fare i Capitoli Provinciali, nelli quali si dividono i voti a favorire diversi sogetti, nè possono sempre l'istessi esser uniti in tutti li Capitoli, ma in ogn'uno, si mutano, o sia per motivo di coscienza, o di altri fini, prendendo partito nelli Capitoli, conforme gli torna più commodo, la qual cosa in ogni suo genere succede, nè per questo si viene a simili rimedj d'Alternativa. Supplica pertanto V. S. Illustrissima, e Reverendissima a degnarsi di non dar luogo a considerare le ragioni suddette a simile Alternativa. E della gratia &c. Fr. Nicola Serano Generale dell'Ordine Eremitano di S. Agostino.

Literæ Generalis Ord. ad ipsum Nuncium contra alternativam.

§. 8. Cum ergo prædictis rationibus Patris Generalis serio per nos, diligenterque discussis, illasque piissimi Regis animum ad procurandam Alternativam excitarunt, præponderare judicaverimus prædictam Alternativam, tanquam unicum,

Causæ ob quas a Nuncio iterum instituta fuit alternativa.

cum, & efficax remedium, ne dissentiones in dies inter Religiosos ingravescentes ad majora scandala degenerarent, statuendam duximus, eamdemque, in qua unanimiter per legitimos Procuratores, ut præfertur, tota Provincia convenerat, auctoritate Apostolica nobis desuper concessa, & qua in hac parte fungimur, determinamus, & statuimus, & ne ullo unquam tempore quavis causa, aut quæsito colore infringi valeat Literas has in forma Brevis in Libro Provinciæ inserendas expediri mandavimus.

§. 9. Cum itaque in Pontificio Diplomate præcipiatur, quod Alternativa fiat omnium Officiorum, graduum, dignitatum, & suffragiorum facta assignatione filiationum, & auditis Procuratoribus a tota Provincia constitutis, prout diximus, matureque, ac minutim discussis, examinatisque iis omnibus, de quibus fieri solet provisio in Capitulis Provincialibus, opus hoc in melius Dei servitium, communeque Provinciæ bonum semper cessurum, adjuvante eodem Domino, sperantes, statuimus, & mandamus, quod in omnibus fiat electio Provincialis ex una filiatione, & sequenti Capitulo fiat ex altera indispensabiliter. Et mutetur Ordo Conventuum, itaut Conventus, qui in primo Capitulo fuerint assignati Patribus filiationis Conventus Dominæ Gratiarum, in sequenti Capitulo assignetur Patribus alterius filiationis, scilicet Conventus Dominæ de Penha de Franca, ut sicut Provincialis in quolibet Capitulo mutatus de una filiatione ad alteram, ita etiam Conventus mutentur de una filiatione ad alteram, ordine infrascripto. Ex filiatione Provincialis semper erunt Conventus sequentes, Primo Provincialis. 2. Collegium Conimbricen. 3. Conventus Dominæ de Penha de Franca. 4. Conventus de Villa Nicoza. 5. Conventus Ulyssiponen. 6. Conventus de Pena Firmet. 7. Conventus Leirien. 8. Conventus Albiscastrensis. 9. Conventus de Fanira. 10. Conventus de Pontadelgada. 11. Conventus Angren. Primus Diffinitor, & Tertius Diffinitor, unus Visitator, Secretarius Provinciæ, duo additi Diffinitores. Ex altera filiatione erunt Conventus sequentes, scilicet, Conventus Dominæ Gratiarum Ulyssiponen. Secundo, Collegium Bracharen. Tertio, Conventus Eboren. Quarto, Conventus Santarensis. Quinto, Conventus Portuen. Sexto, Conventus de Torres Vedras. Septimo, Conventus Montemor. Octavo, Conventus de Loule. Nono, Conventus de Lamego. Decimo, Conventus de Arronchez. Undecimo, Conventus de Praya. Secundus Diffinitor, & Quartus Diffinitor, unus Visitator, Procurator Provinciæ. Duo additi Diffinitores, facta hac æquali divisione, eodem modo dividantur Superiores, Confessores Monialium, & omnia Officia Conventuum, itaut Superiores, Confessores Monialium, & Officiales omnes sint ejusdem filiationis, ac Prior, exceptis tantummodo Discretis, ac Depositariis, qui dimidiabuntur per ambas filiationes, cum sint Officia, quæ specialem requirunt capacitatem, & æqualiter debent dividi in omnibus Conventibus, ita etiam dividantur Examinatores in Collegio Conimbricen., & in Conventu Dominæ Gratiarum Ulyssiponen., taliter ut in Collegio Conimbricen. sit unus tantummodo Examinator ex filiatione Provincialis, & duo ex altera filiatione. In Conventu vero Dominæ Gratiarum erunt duo ex filiatione Provincialis, & unus ex altera filiatione. Et si forte valuerit aliquis Prioratus, vel aliud quodcunque Officium ante Capitulum, erit eligendus ex eadem filiatione. Provincialis in toto triennio recipiet tantummodo viginti Novitios ad Coronam, & in illorum susceptione servari debent Constitutiones, & Decreta (considerata Novitiorum conditione) pro Laicis autem duo tantum acceptari debent in eodem triennio, & omnes Novitii post Professionem assignabuntur eidem filiationi Provincialis. In quolibet Capitulo fient duo Lectores Artium, quilibet ex sua filiatione, etsi non fuerint in eodem Collegio Conimbricen., variabuntur, itaut, nec semper Lector Artium in Conimbricen. Collegio sit ex una filiatione, sed in uno triennio ex una, & in alio ex alia, si vero non fuerit conveniens aliquando, nisi unus tantummodo cursus Artium, observabitur Alternativa in sequenti cursu. Sic etiam fient substituti Artium, ac Theologiæ æqualiter, itaut non possit unus Provincialis facere ex una filiatione quin etiam ex alia sumat aliud, vel alios, ut æqualiter distribuantur per ambas filiationes Lectores, qui fient semper ex ipsis substitutis tempore debito, servato Ordine Religionis, ac semper per oppositionem factam in Collegio Conimbricensi, ubi omnes Magistri, & Lectores erunt Judices, vel in Conventu Ulyssiponen. Dominæ Gratiarum, ubi omnes Magistri Ordinis Ulyssipone degentes cum Provinciali erunt Judices. Lectores Theologiæ Moralis in Cathedris publicis non fient, nisi servato Ordine Alternativæ, etsi fieri posset ex Lectoribus habentibus novem annos Lecturæ Theologiæ speculativæ, vel Philosophiæ, & tunc computentur dictis Lectoribus anni sicut si fuissent Theologiæ speculativæ. Ex Lectoribus habentibus novem annos Theologiæ speculativæ, vel Philosophiæ, si non dentur eis Cathedræ publicæ Theologiæ Moralis, eam legere in Collegiis per ultimos tres annos indispensabiliter teneantur; Lectores vero Theologiæ Moralis non habentes novem annos lecturæ Theologiæ speculativæ, vel Philosophiæ, non eis computentur anni ad jubilationem, sed duo pro uno computentur, & ad minus habeant quatuor annos Theologiæ speculativæ, vel Philosophiæ, ut possint jubilari, quod indispensabiliter deinceps observabitur. Magisteria, & Præsentaturæ de numero a Reverendissimo provideantur, servato etiam ordine filiationis, ut hæc vota dividantur æqualiter per ambas filiationes, itaut si in principio assignentur plura uni, quam alteri filiationi, quoad usque perveniat ad numerum æqualem, & sint tot Magistri ex una filiatione, & tot ex alia, similiterque in præsentatis, & deinceps erit providendum ex illa filiatione unde vacaverit. Magisteria ex gratia concessa Patri Generali etiam dividantur æqualiter servato ordine Alternativæ, & quod non dentur, nisi Lectoribus Jubilatis postulatis a Diffinitorio. Si Provincialis renunciaverit, vel obierit ante triennium completum, succedat Rector Provincialis ejusdem tamen filiationis Provincialis demortui, vel renunciantis, & hoc usque quo Pater Generalis provideat de Rectore Provinciali, quæ electio fieri debet a Reverendissimo ex Patribus ejusdem filiationis Provincialis demortui, vel renunciantis. In Capitulis Præsidens semper erit eligendus a Reverendissimo ex filiatione Provincialis deficientis, & nunquam ex filiatione Provincialis eligendi. Duo Visitatores Provinciæ eligantur juxta Alternativam, unus ex una filiatione, & alius ex alia, & deficiente quolibet ante Congregationem succedat alius ejusdem filiationis Capituli proximioris, etsi nullus inveniatur illius filiationis, qui succedere possit, eligentur a Diffinitorio alius ejusdem filiationis, sicut si deficiat post Congregationem. Eo triennio, quo erunt eligendi Diffinitor, & Discretus ad Capitulum Generale, fiat ex una filiatione Diffinitor, & ex alia Discretus, itaut Diffinitor Generalis in uno sexennio sit ex una filiatione, & Discretus ex alia, & in alio sexennio viceversa, ut æqualiter etiam procedatur in his electionibus.

§. 10. Utque omnia in his literis contenta exacte

Margin notes: Modus quo debeat Alternativa. — De Provinciali, Officialibus Provinciæ, & Cœnobiis. — De Superioribus, & Officialibus Cœnobiorum. — De Examinatoribus. — De electione Officialium ante Capitulum. — De Novitiis. — De Lectoribus, & judicibus. — De Magisteriis, & Præsentaturis. — De Officiis Provinciæ, si ante Capitulum vacarent ac de Capituli Præsidente. — Quædam præcipiuntur

pro executione alternativæ.

exacte cernantur, desideratusque perpetuæ Provinciæ tranquillitatis finis consequatur, præcipimus, quod omnia in hisce nostris Apostolicis Literis de unanimi totius Provinciæ consensu disposita, in Libro Provinciæ, & in alio ad hoc specialiter determinando adnotentur, ac in eo sub fide Secretarii Provinciæ numerentur, & describantur omnes unius, alteriusque filiationis fratres, tam ex jure de præsenti assignatis, quam in futurum assignandis sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, cui irremissibiliter subjacebunt singuli, qui prædictarum filiationum subscribi noluerint; quia vero aliqui de præsenti reperiuntur, qui, vel propter absentiam, vel propter professionem tempore prius a Nobis præscripto non emissam, vel propter aliam rationabilem causam neutri ex dictis filiationibus addicti sunt, ut omnis in posterum fraudulentiæ occasio evitetur, mandamus, quod omnes, & singuli Religiosi Professi cujuscumque gradus, & conditionis existant, qui usquemodo non sunt quovis titulo adscripti filiationem eligant, & in præfato Libro ad hoc specialiter destinando intra tempus duorum mensium a præsentium publicatione, & qui in posterum Professionem emittent, intra idem tempus a die Professionis computandum adscribantur sub pœnis in nostro primo Decreto jam taxatis ipso facto irremissibiliter incurrendis, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Ordinis, & Provinciæ statutis, & consuetudinibus, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem præsentes manu nostra firmatas fieri, & subscribi, sigillique nostri jussimus impressione muniri. Datum Ulyssipone in Palatio nostræ solitæ Residentiæ hac die 30. Mensis Junii anno 1703. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. anno tertio. -- Loco † Sigilli. Franciscus Ignatius de Ferrantibus Secretarius, registratus libr. 3. fol. 17. Joannes Dominicus de Honoratis Registrator -- Michael Angelus Archiepiscopus Tarsen.

Preces Regis Lusitaniæ pro confirmatione præd. Statutorum.

§. 11. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quo firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur, Nobis propterea memorati Petri Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmati alternativæ, & relatarum Nuncii.

§. 12. Nos igitur piis ejusdem Petri Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, alternativam hujusmodi a prædicto Michaele Angelo Archiepiscopo, & Nuncio factam, ut præfertur expeditasque desuper illius patentes Literas præinsertas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§. 13. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitatis alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Aprilis MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

L.

Confirmantur quædam Decreta Conventus Generalis Congregationis Missionis declarantia Constitutiones, cum extensione excommunicationis latæ sententiæ contra ambientes Præfecturas.

Lata fuit præd. excommunicatio a Clem. X. Constit. ed. 1670. Jun. 11. Hujus Pontificis Const. ed. 1703. Jul. 9. P. 3. agitur de jure præsidendi Conventui Gen. Et Const. ed. 1707. Apr. 2. P. 7. de prætensa divisione contra Constitutiones.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 9. Sept. 1704. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ Regimini per abundantiam Divinæ Bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio præpositi illa, quæ pro felici Congregationum personarum Ecclesiasticarum in Ecclesia Dei pie, sanctèque institutarum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium gubernio, & progressu provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

In sequentibus Decretis declarantur quædam capita ad tollenda suborta dubia.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Fil. Franciscus Watel Superior Generalis Congregationis Missionis, quod pro felici dictæ Congregationis, ejusque Presbyterorum Regimine, & directione in Conventu generali ipsius Congregationis, qui Mense Augusto 1703. Parisiis celebratus est, inter alia, nonnulla Decreta, per quæ quædam puncta Constitutionum Congregationis hujusmodi auctoritate Apostolica confirmatarum clarius declarantur, & super quibus aliqua dubietas exoriri poterat, edita fuerunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decreta prædicti Conventus Gen. 1703.

§. 2. Decreta Conventus Generalis Congregationis Missionis Mense Augusto 1703. Parisiis habiti, quæ Franciscus Watel Superior Generalis in eo electus, & Presbyteri ejusdem Congregationis Sedi Apostolicæ confirmanda supplices exponunt tenoris, qui sequitur.

De casu quo Superior Gener. inhabilis evadat ad regimen.

Primo. Quæsitum est, in quo residere debeat potestas regendi Congregationem quo tempore Superior Generalis non potest per gravissimam, ac diuturnam infirmitatem, & per defectum judicii eam administrare usquedum Vicarius eligatur. Responsumque hanc potestatem concedi a Conventu hoc generali primo Assistenti, vel Secundo, si Primus non posset cum limitationibus, quæ Vicario Generali præscribuntur in Constitutionibus, hujusque Decreti confirmationem a Summo Pontifice postulandam. Ut autem judicetur, an Superior Generalis eo in statu infirmitatis versetur, qui

illum

illum præſtet omnino inidoneum Congregationis Regimini, cenſuit Conventus de eo ſtatu ab Aſſiſtentibus, a Viſitatore Provinciæ, a Superioribus quinque viciniorum Domorum, a Secretario, & Congregationis Procuratore, ab Aſſiſtente Domus, ſi non ſit ex Aſſiſtentibus Congregationis, & a ſex Sacerdotibus Domus, iiſque ratione vocationis antiquioribus, in qua commoratur Superior Generalis, ac plura medietate ſuffragia, eaque publica judicandum, cui quidem deliberationi non intererit Primus Aſſiſtens, vel is, cui committenda eſſet prædicta poteſtas, & cui præerit Aſſiſtens electione antiquior.

Secundo. Propoſita hæc quæſtio eſt. Utrum Vicarius Generalis poſſit eligi a Conventu Deputatorum juxta ea, quæ habentur Conſtitutionum Cap. 2. §. 3., cujus quæſtionis proponendæ hæc ratio fuit, quod a multis uni tantum Conventui Generali Vicarium Generalem eligendi poteſtatem in ſelectis a S. Sede approbatis crederetur. Dictumque ſuffragiorum pluralitate debere a Summo Pontifice poſtulari a Congregatione, ut omnis circa illud negotium, vel minimus tollatur ſcrupulus Conventui Deputatorum, ſive etiam ſexcennali, ſi quando neceſſitas eligendi Vicarium occurreret ejuſdem electionis faciendæ jus, & poteſtatem competere.

Tertio. Quæſitum eſt quid ſentiendum judicet Conventus de caſu ſequenti, qui raro quidem poteſt accidere, ſi Superior Generalis in eo ſtatu infirmitatis poſitus, Vicarium Generalem nominare deberet, ac nollet, aut non poſſet, & tunc Conventus Vicarium eligeret. Quæritur utrum hoc ipſo Superiore mortuo capſula, in qua nomen Vicarii recluditur aperiri tunc deberet, & qui electus eſſet a Conventu, Vicario Generali nominato a Superiore Generali cederet locum, & curam, ſeu Regimen Congregationis. Reſponſumque ſuper ea re ad eundam Sanctam Sedem, ut nominatio, ſeu electio Vicarii Generalis a Conventu facta in prædicto caſu firmam eſſe, & validam uſque ad electionem novi Superioris Generalis declaretur. Tuncque capſula non aperiretur, niſi ut extracta ex illa Schedula combureretur.

Quarto. Petitum fuit num deberet quoque ab eadem Sancta Sede pro Aſſiſtente ad regimen Congregationis evocato in caſu, qui ſuperius exprimitur facultas peti eandem noſtram Congregationem regendi, Conventum etiam generalem tempore a Conſtitutionibus præſcripto convocandi, ac in eo uſque ad Vicarii Generalis electionem præſidendi. Et hoc quoque poſtulandum eſſe Conventus ſtatuit.

Quinto. Quæſitum deinde eſt, num oportet poſtulare a S. Sede pro Vicario Generali, ſeu nominato a D. Superiore Generali, ſive etiam in Conventu electo, ut ſuperius dictum eſt, ac pro Aſſiſtente, qui uſque ad electionem Vicarii Generalis Congregationem adminiſtraret, diſpenſandi in actu dimiſſionis cum aliquibus de noſtris de ſuis votis facultatem, cum evenire aliquando poſſit, ut propter magni momenti rationes, vel dimitti, vel expelli a Congregatione tunc temporis debeant, eam ſelectæ facultatem uni Superiori Generali tribuere videantur. Reſponſumque eam licentiam a S. Sede eſſe poſtulandam.

Ad inſtantem Italiæ, Poloniæque Provinciarum poſtulationem nos omnes congregati una voce, & unanimi conſenſu declaramus, quod novo modo in hac proxime futura Superioris Generalis electione, quam propter dimiſſionem a R. Admodum D. Nicolaõ Pierron ab Officio Generalatus factam, & a Conventu admiſſam intra paucos dies fieri oportere ſtatuit, verum quoque in futuris quibuslibet electionibus neminem a Sacerdotibus noſtris, qui duodecim annos poſt emiſſa vota in Congregatione tranſegerunt cujuſvis tandem ſit Nationis, & Patriæ, dummodo nullo canonico impedimento irretiatur, tam ab ipſo Generalatu, quam a quovis alio Officio quavis ratione, & non aliis utendo regulis, quam quæ a Sacris Canonibus, & noſtris præſcribuntur in Conſtitutionibus eſſe, vel fore excludendum, cum quilibet ex prædictis Sacerdotibus libere, & cum effectu ad prædicta Officia eligi poſſit, & valeat, hancque eſſe Conſtitutionum noſtrarum variis a S. Sede approbatarum, & uſque in hanc diem emanatis ſanctionibus, & Brevibus ad electionem ſpectantibus mentem, ac intentionem Conventus Generalis agnoſci, quas illibate obſervari ſtatuimus.

Preces Superioris Gener.

§. 3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat prædictus Franciſcus Superior Generalis Decreta hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, ac alias opportune in præmiſſis a nobis provideri plurimum deſideret: Nos ipſius Franciſci Superioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, omnia, & ſingula Decreta præinſerta, in eiſque contenta quæcumque auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, ſupplemus, & ſanamus. Præterea excommunicationis latæ ſententiæ pœnam per quaſdam felic. rec. Clementis Papæ X. Prædeceſſoris noſtri deſuper in ſimili forma Brevis die 11. Junii 1670. expeditas Literas contra ambientes Generalatum latam ab obitu Superioris Generalis incurrendam, a die convocationis Conventus ad electionem Superioris, vel Vicarii Generalis indicti, etiam quando Conventus hujuſmodi vivente adhuc Superiore Generali juxta præſcriptum Conſtitutionum præfatarum celebrari debet, auctoritate & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

Confirmatio relatorum Decretorũ, cum excommunicatione latæ ſententiæ contra ambientes Generalatum vel Vicariatum Generalem.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas, ac Decreta præinſerta ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro ple-

ne, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Sept. MDCCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

LI.

Deputantur Abbas Gen. Visitatores, & Definitores Congregationis Monachorum Vallis-Umbrosæ, cum Statuto spectante ad Visitationem Monasteriorum Majoris Observantiæ.

Constitutiones hujus Congregationis extant Const. ed. 1604. Mar. 15. P. 4. ubi agitur de Majori Observantia. Et Const. ed. 1713. Sep. 28. P. 13. conceduntur Congregationi plurima privilegia.

Dat. 11. Dec. 1704. An. 5.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ præsentis Constitutionis.

PRospero, fælicique Congregationis Vallis-Umbrosæ Monachorum Ordinis S. Benedicti regimine, & gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de infrascriptorum ejusdem Congregationis Monachorum expresse professorum fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, solertia, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel. ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Gregorium Bartoli in Abbatem Generalem, ac Silvanum Caranzi, Columbinum Bassi, Laurentium Poltri, Virgilium Falugi, Angelum Mariam Serafini, Mercurialem Prati, Innocentium Rosetti, & Joannem Aurelium Casati in Diffinitores, ac Ricciardum Betti, & Joannem Jacobum Caleppi Congregationis prædictæ Monachos expresse professos in Visitatores respective ejusdem Congregationis non modo usque ad Dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime venturum, qua Capitulum Generale ipsius Congregationis convocari solet, sed etiam inde ulterius ad tempus solitum, quo ejusmodi officia juxta Regularia memoratæ Congregationis Instituta per Sedem Apostolicam confirmata durare consueverunt, cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & Indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis tenore præsentium constituimus, & deputamus.

Deputatio Generalis Visitatorum, & Definitorum ac extensio suorum officiorum ultra solitum tempus.

Mandatum pro executione d. Deputationis.

§. 1. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis omnibus, & singulis supradictæ Congregationis Superioribus Monachis, & personis, cæterisque ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut supranominatos Monachos ad officia eis respective per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium juxta earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant, illosque recognoscant, & illis omnibus, quæ ad officia hujusmodi pertinent, faveant, & assistant, pareantque, & obediant respective. Præterea auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Abbas Generalis pro tempore existens memoratæ Congregationis occasione Visitationis Monasteriorum majoris observantiæ, & exactioris vitæ Communis ejusdem Congregationis pro eadem Visitatione, & examine præter duos Visitatores, & Secretarium etiam Abbatem pro tempore existentem Monasterii S. Mariæ ejusdem Vallis Umbrosæ, sive S. Joannis Gualberti de Valle Benedicta alternatim una cum Priore alterutrius Monasteriorum hujusmodi adhibere, iique peracta Visitatione prædicta fidelem, & sinceram relationem proprio charactere subscriptam circa eamdem vitam communem, ejusque progressum ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter deputatorum sub pœnis itidem arbitrio nostro infligendis quanto citius transmittere teneantur.

Statutum de ratione visitandi Monasteria, & relatione transmittenda ad Congregationem super Discipl. Reg.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Monachis supra nominatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Vallis Umbrosæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Decembr. MDCCIV. Pontificatus nostri anno Quinto.

LII.

Declaratur, jus visitandi Parochiales Ecclesias Regularium in Insulis Philippinis competere Locorum Ordinariis.

De Confessariis Regularibus ab Ordinario approbandis extat Inn. XII. Const. ed. 1698. Sep 6. P. 8. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Aug. 26. P. 2. agitur de ingressu Parochorum in Ecclesias Regularium.

Dat. 30. Jan. 1705. An. 5.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lis inter Religiosos, & Ordinarios dd. Insularum de Visitatione Ecclesiarum Parochialium.

CUm sicut Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus Manilan. Nobis nuper exponi fecit, dilecti filii Fratres Ordinum Prædicatorum, Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Eremitarum Sancti Augu-

stini,

ftini, nec non Clerici, seu Presbyteri Regulares Societatis Jesu ordinariam Visitationem in septingentis, & amplius Parochialibus Ecclesiis, seu (ut vocant) Doctrinis, quas in Dioecesi Manilan., & aliis Insularum Philippinarum Episcopatibus regant, & respective exercent, admittere renuant, seque potius animarum curam, dictasque Parochiales Ecclesias deserere, quam sese Visitationi praedictae subjicere velle declarent, plura scandala, & absurda exorta, inde vero plura scandala, & inconvenientia cum neglectu Constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum Concilii Tridentini, exoriantur; ac proinde ipse Archiepiscopus de opportuno desuper remedio a Nobis provideri plurimum desideret: Nos ejusdem Archiepiscopi votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum ex Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dicti Concilii Tridentini Interpretibus super hoc negotio a Nobis specialiter Deputatorum, qui Fratrum, & Clericorum, seu Presbyterorum Regularium praedictorum Procuratorem citatum; & informantem super praemissis audiverunt consilio, jus visitandi Regulares in iis, quae concernunt curam Animarum, ac Sacramentorum administrationem Archiepiscopo Manilan., aliisque Episcopis in Insulis Philippinis existentibus competere, nec eosdem Regulares Parochias, seu Doctrinas, de quibus agitur sub censurarum, amissionis bonorum, aliisque arbitrariis poenis, dimittere posse, auctoritate Apostolica, tenore praesentium decernimus, & declaramus.

Preces Archiepiscopi Manilan.

Declaratio ... Ordinarii Loco... & man... ne Religio... Parochias ... ittant.

§. 1. Decernentes pariter easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

...ausulae.

§. 2. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ordinum, & Societatis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDCCV. Pontificatus nostri anno quinto.

LIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. approbans divisionem Provinciae S. Antonii in Regno Portugalliae Fratrum Min. Reformat. in duas sub certis conditionibus.

Const. ed. 1702. Sep. 15. P. 2. extat dismembratio Coenobiorum a Provincia S. Petri de Alcantara Regni Neapolis. Et Const. ed. 1709. Mar. 8. P. 9. agitur de divisione Provinciae S. Didaci Papien.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 24. Apr. 1705. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & Superiorum Provinciae Sancti Antonii in Regno Portugalliae Ordinis Minorum S. Francisci de observantia Reformatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositae exposito, quod cum ipsa Provincia numerus Conventuum, & Religiosorum notabiliter auctus reperiretur; praedicti ejus Religiosi ob locorum distantiam, & ardua itinera multa patiebantur incommoda, ac inter eos continuae dissensiones, lites, gravissimaeque inordinationes oriebantur, ac proinde, his, aliisque inconvenientibus in Capitulo Provinciali Provinciae praefatae quod die 16. Januarii 1694. in Conventu S. Antonii loci de Castagneira celebratum fuit, consideratis, de eadem Provincia in duas dividenda, si ad id hujus Sanctae Sedis licentia accederet, illam approbante, & confirmante tunc existenti Ministro Generali dicti Ordinis, qui in eodem Capitulo Praesidentis munere fungebatur, deliberatum fuerat; subinde vero eadem divisio, repartitis per tres Religiosos qualificatos Conventibus, ac tredecim ex eis uni, totidemque alteri sic de novo erigendis Provinciis assignatis, in Capitulo Generali Mense Junii ejusdem anni in Oppido Civitate nuncup. Victoriae itidem celebrato, a Discretorio, dicto Ministro Generali, & Definitorio Generali ibidem congregatis iterum approbata, ac novissime nempe die 17. Februarii 1703. eadem divisio altera vice proposita in Capitulo Provinciali in praedicto Conventu convocato, praevia reformatione circa aliqua pacta, plenis votis, & nemine discrepante cum conditionibus in eodem Capitulo stabilitis acceptata fuerat. Et in eadem expositione subjuncto, quod cum praedicta Cardinalium Congregatio ad Venerabilem Fratrem Michaelem Angelum Archiepiscopum Tharsen in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis nostrum & Apostolicae Sedis Nuntium pro informatione super dicta divisione scripsisset, praedictus Michael Angelus Archiepiscopus, & Nuntius transmiserat ad ipsam Congregationem Cardinalium una cum sua informatione conditiones sequentes.

Causae divisionis praed. a Capitulis Provincialibus 1694. 1703. & Generali 1694. necnon Nuncio Apostolico approbatae.

Primo videlicet, ut Provincia Ulyssiponen. suum proprium nomen Sancti Antonii retinere, altera vero sic de novo erigenda Provincia conceptionis de Bera, & Migno nuncupari, ac Convenienti sigillo uti deberet.

Conditiones sub quibus divisio fieri debebat.

Secundo quod expensae pro expeditione praesentium literarum ab utraque Provincia pro aequali portione fierent.

Tertio ut eleemosynae communes ordinariae nuncupatae, quas Charissimus in Christo filius Petrus Portugalliae, & Algarbiorum Rex pro sua Regia pietate singulis annis Provinciae supradictae facere solet, aequaliter dividerentur, itant Provinciae erigendae illa pars obveniret, quae ad quemlibet suorum Conventuum spectabit.

Quarto ut suffragia pro Religiosis defunctis, qui professionem ante perventam divisionem emisissent, ab utraque Provincia persolverentur, ac dies eorum obitus per literas notificari deberet, prout de præsenti fieri solet.

Quinto in Conventu supradidicto S. Antonii Ulyssiponen. duæ Cellæ assignatæ erunt pro duobus Religiosis Procuratoribus novæ Provinciæ erigendæ hujusmodi, quotiescumque eos ad prædictam Civitatem pro ipsius Provinciæ negotiorum expeditione accedere contigisset.

Sexto liceret unicuique ex Religiosis alterutram ex dictis Provinciis intra sex Menses a die conclusionis dictæ divisionis incipien. eligere.

Septimo ex duobus Conventibus, qui in districtu loci de Maragnon nempe de Gran Para, & præfati de Maragnon locorum respective nuncupat. siti sunt, primodictus ad Ulyssiponen., alter vero ad Conceptionis prædictæ, Provincias respective spectabunt, hac tamen conditione, quod præfatus Conventus dicti loci de Maragnon Religiosos Provinciæ Conceptionis erigendæ hujusmodi eo tempore, quo inibi Hospites erunt charitative excipiet, parique charitate ab altero Conventu ejusdem loci de Para excipientur Religiosi Provinciæ Ulyssiponen. præfatæ, & ibidem curabuntur, si eos aliqua infirmitate tempore Missionum corripi contingat, Missiones vero hujusmodi inter Fratres utriusque Provinciæ æqualiter dividantur.

Octavo repartitio Conventuum sic fiat, scilicet, ut relictis Provinciæ Sancti Antonii omnibus illis Conventibus, qui usque ad Oppidum, seu locum de Cantagneda inclusive siti sunt, nova fundatio Conventus de Figuereio de Campo nuncupat., cæterique alii Conventus, qui a Serem, & Vizeu usque ad flumen Mignum reperiuntur ad novam Provinciam Conceptionis prædictam spectare debeant, Collegii autem Colimbrien., licet illius gubernium in solidum penes Provinciam Sancti Antonii remaneat, dicta nova Conceptionis Provincia usum habeat, hac forma nempe, quod in ipsum Collegium Collegiales utriusque Provinciæ æquali numero admittantur, & indistincte tractabuntur, prout hactenus observatum fuit, deficientibus vero eleemosynis pro illius sustentatione utraque Provincia pro rata juxta Religiosorum numerum in eo commorantium illas subministrabit. Lectores artium alternatim, Theologiæ vero de Prima, & Tertia juxta antianitatem uniuscujusque, itaut quælibet Provincia Lectorem suum semper habeat, constituantur.

§. 1. Præterea si nova Provincia Conceptionis prædicta aliquem situm pro construendo Dormitorio, aliisque sibi necessariis commodum inveniret, consequi posset, Divina autem officia in eadem Ecclesia, & Sacrario peragi, & aula pro actibus literariis, prout de præsenti fit, & perinde ac si omnes sub eadem Provincia uniti essent, uti debeant, & quatenus nova Provincia Conceptionis hujusmodi ad eum statum perveniret, habendi Collegium separatum, utriusque Provinciæ Superiores inter se circa necessarias provisiones concordare curabunt.

Decretum Congregationis approbans divisionem cum relatis conditionibus.

§. 2. Ac proinde quo quies, & unio inter prædictos Fratres conservaretur, eidem Congregationi pro parte dictorum exponentium supplicato, ut divisionem hujusmodi cum conditionibus prædictis, & in novissimo Capitulo Provinciali (ut præfertur) acceptatis, confirmaret, & approbaret, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Nuntii Apostolici apud Serenissimum Lusitaniæ Regem residentis, referente Eminentissimo S. Clementis, censuit indulgendum, prout præsentis Decreti vigore benigne indulget confirmationi divisionis præfatæ Provinciæ cum conditionibus expressis, & approbatis in proximo præterito Capitulo Provinciali, ita tamen, ut effectum non habeat, nisi completo regimine Provincialis electi in eodem Capitulo. Romæ 18. Aprilis 1704. G. Cardinalis Carpineus. Loco † Sigilli. N. Grimaldus Secr.

Preces Fratrum novæ Provinciæ.

§. 3. Cum autem, sicut prædicti Fratres Provinciæ erigendæ hujusmodi Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis Cardinalium hujusmodi.

Confirmatio relati decreti.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ Sancti Antonii hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Aprilis MDCCV. Pontificatus nostri anno Quinto.

LIV.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de facultate celebrandi Missam de B. M. V. singulis Sabbatis pro Fratribus Minoribus Discalc. Provinciæ Mexicanæ.

Hæc facultas concessa fuerat Provinciæ Bethicæ Const. ed. 1704. Feb. 13. P. 4.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 8. Maji 1705. An. 5.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

lium Sacris Ritibus Præpoſitorum ad ſupplicationem dilecti filii Joſephi de Sottomayor fratris expreſſe Profeſſi, ac Prominiſtri Provincialis Provinciæ Mexicanæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Excalceatorum nuncupatorum, Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet: Mexicana. Ad humillimas preces Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi PP. XI. a Patre Joſepho de Sottomayor Ordinis Excalceatorum Sancti Franciſci, & Provinciæ Mexicanæ Prominiſtro porrectas a Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remiſſas, & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale S. Clementis relatas: Sac. eadem Rituum Congregatio gratiam alia ſub die 13. Auguſti anni 1701. eidem Ordini Provinciæ Bæthicæ impartitam extendendo, benigne indulſit, atque conceſſit, ut in Eccleſiis Ordinis prædicti Excalceatorum S. Franciſci Provinciæ Mexicanæ qualibet die Sabbati per annum non impediti officio duplici primæ, & ſecundæ Claſſis, exceptis Sabbato Sancto, Sabbatis infra octavam Reſurrectionis Domini Noſtri, & Pentecoſtes, & Vigilia Nativitatis Domini, ſi in Sabbatum inciderit, non omiſſa Conventuali, unica etiam Miſſa Votiva de Beata Maria Virgine celebrari poſſit, & valeat. Die 4. Aprilis 1705. G. Cardinalis Carpineus. Loco † Sigilli. B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

(Decretum præd., in quo tamen exciuntur nonnulla Sabbata.)

(Preces Prominiſtri Provincialis.)

§. 1. Cum autem, ſicut prædictus Joſephus Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret: Nos ipſum Joſephum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

(Confirmatio relati Decreti.)

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

(Clauſulæ.)

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Maji MDCCV. Pontificatus noſtri anno Quinto.

LV.

Confirmatur Decretum Congregationis Epiſ., & Reg. de non immutando habitu, & Breviario Congregationis Præmonſtratenſium Hiſpaniarum.

Hoc Decreto decernitur non eſſe executioni mandandam Conſtitutionem ed. 1703. Feb. 8. P. 3. Et Inn. XIII. Conſt. ed. 1724. Feb. 9. P. 3. conceditur facultas recitandi Officia Sanctorum propriorum juxta Ritum Breviarii, & Miſſalis Romani.

CLEMENS PAPA XI.

(Dat. 30. Maji 1705. An. 5.)

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita in cauſa prætenſæ commutationis habitus, & officii inter dilectos filios Canonicos Regulares Congregationis Præmonſtratenſium Hiſpaniæ ex una, & modernum Procuratorem Generalem Ordinis Præmonſtratenſium Galliæ etiam, nonnulloſque Religioſos ejuſdem Congregationis Hiſpaniæ ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet. In Cauſa Hiſpaniarum prætenſæ commutationis habitus, & officii vertente inter Congregationem Præmonſtratenſium Hiſpaniæ ex una, & Procuratorem Generalem Ordinis Præmonſtratenſium Galliæ &c. & nonnullos Patres ejuſdem Congregationis Hiſpaniæ partibus ex altera, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter preces ejuſdem Congregationis Præmonſtratenſium Hiſpaniarum remiſit, mature perpenſis Brevibus B. Pii V. ſan. mem. Gregorii XIII., Clementis VIII., & Urbani VIII., & Reſolutionibus ipſius Sacræ Congregationis alias emanatis ſuper eadem prætenſa mutatione habitus, re diſcuſſa in ipſa Sacra Congregatione favore memoratæ Congregationis Hiſpaniarum necnon Statutis primævis Ordinis Præmonſtratenſis, & Conſtitutionibus prædictæ Congregationis Hiſpaniæ, habitaque opportuna Informatione Brevis ſan. mem. Innocentii XII. ad inſtantiam nonnullorum Religioſorum præfatæ Congregationis Hiſpaniarum expediti, atque attente conſiderato Brevi motu proprio a Sanctitate Sua die 8. Februarii 1703. conceſſo, mutationem habitus, & Breviarii in eadem Congregatione Præmonſtratenſium Hiſpaniarum deferri, & recitari reſpective conſueti demandante, Partibus hinc inde informantibus, referente Eminentiſſimo S. Clementis, cenſuit, ac decrevit, ſi eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, præfatum Breve a Sanctitate ſub dicta die 8. Februarii 1703. conceſſum, non eſſe exequendum Romæ 30. Januarii 1705. Et die 7. Februarii dicti anni, facta ſuper præmiſſis relatione eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua prædictæ Sacræ Congregationis ſententiam benigne approbavit, prædictumque Breve executioni non demandari juſſit. Romæ &c. Cardinalis Carpineus, J. F. Grimaldus Secr.

(Decretum præd. quo ſtatuitur, non eſſe executioni mandand. in Conſtitutionem ed. 1703. de mutatione Habitus, & Breviarii.)

§. 1. Cum autem, ſicut pro parte dilecti filii Joannis Arevali Canonici Regularis expreſſe profeſſi, ac Procuratoris dictæ Congregationis Hiſpaniæ Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret, Nos ipſum Joannem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

(Confirmatio relati Decreti.)

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas

(Clauſulæ.)

semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Maji MDCCV. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LVI.

Conceditur facultas mittendi Discretum, & Juvenes Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris Ordinis S. Francisci de Observan. ad Cœnobium Parisiense.

Pro restitutione hujus facultatis a Clem. X. edita fuit Const. ed. 1672. Oct. 18. Et hujus Pontificis Constit. ed. 1708. Dec. 18. P. 9. præcipitur executio Constitutionis Clem. X.

Dat. 28. Sept. 1705. An. 5.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Faure Exdiffinitor Generalis, & Minister Provincialis Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod a nonnullis annis per quasdam fel. rec. Clementis PP. X. Prædecessoris nostri desuper in simili forma Brevis expeditas literas ad instantiam tunc existentis Ministri Provincialis dictæ Provinciæ nomine Joannis Jourdain prohibitum fuit, ne Discretus, & Studentes ejusdem Provinciæ ad Magnum Parisiensem Conventum dicti Ordinis amplius mitterentur, eo quod Regularis Observantia in illo minime vigeret, indeque timeretur, ne ad Provinciam prædictam transactis Studiis redeuntes ab ipsa Regulari Observantia aliquo modo declinarent.

A Clemen. X. vetitum fuit, ne prædicti ad Cœnobium Parisien. amplius mitterentur.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, reformatio in prædicto Conventu Parisien. a tunc pariter existente Ministro Generali Ordinis prædicti introducta fuerit, necnon ibidem Regularis Observantia hujusmodi de præsenti vigeat, cessetque proinde talis prætextus, neque simile periculum amplius sit timendum, ac propterea dictus Philippus Exdiffinitor Generalis, & Minister Provincialis Provinciam prædictam in suum Jus, quo ante emanatas literas prædictas pacifice, & absque ulla controversia fruebatur, restitui, eique facultatem mittendi Discretum, & Studentes more solito ad eumdem Conventum Parisien. concedi plurimum desideret, & pro Juris hujusmodi restitutione a prædicto Clemente Prædecessore aliæ itidem in forma Brevis literæ die 18. Octobris 1672. expeditæ ob legitima tamen impedimenta executioni demandatæ minime fuerint, Nos ipsius Philippi Exdiffinitoris Generalis, & Ministri Provincialis votis hac in re, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti etiam filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis audiverunt, consilio, Superioribus Regularibus, ad quos cæteroqui juxta præscriptum ejusdem Ordinis Constitutionum pertinet, ut Discretum, & Juvenes ad præfatum Conventum Parisien., prout ante primodictarum in forma Brevis literarum expeditionem consueverant, Studiorum causa mittere possint, & valeant, facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Rationes, & preces Provincialis pro restitutione d. facultatis.

Concessio præd. Facultatis.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LVII.

Mandatur Provinciali Fratrum Minorum Discalc. Provinciæ Mexicàn., quod juri præcedendi Fratribus Eremitis S. Augustini absque consensu Diffinitorii, & Discretorii nuncium remittere nequeat.

Hujusmodi jus concessum fuit ab Innoc. XII. Const. ed. 1700. Apr. 3. P. 9. Et postea confirmatum ab hoc Pontif. Const. ed. 1701. Novem. 24. P. 3. Et Const. ed. 1714. Oct. 6. P. 14. agitur de primatu inter Fratres Clericos, & Laicos Provinciæ Baticæ.

Dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Provinciali Provinciæ S. Didaci Mexican. Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum.

Dat. 12. De[c.] 1705. An. [5.]

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum sicut dilectus filius Isidorus a Jesu verbi Dei Prædicator, & Procurator Provinciarum SS. Josephi, Joannis Baptistæ, & Petri de Alcantara Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum Nobis nuper exponi fecit, alias ad favorem Fratrum Provinciæ Sancti Didaci Mexican. a fel. rec. Innocentio PP. XII. Prædecessore nostro die 14. Junii 1700. emanarunt in simili forma Brevis Literæ expeditæ con-

A quo Pontifice conces[s]um, & con[-] firmatum fuerit hujus[-] modi jus præcedendi

firmatoriæ cujusdam Decreti Congregationis tunc existentium S. R. Eccl. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, per quas dispositum reperitur præcedentiam Fratribus supradictæ Provinciæ non solum in Processionibus solis, etiam sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, disputationibus, concurrentia Prælatorum, aliisque actibus tam publicis, quam privatis interveniente, vel non interveniente familia de Observantia supra Fratres Provinciæ Sanctiss. Nominis JESU Ordinis Eremitarum S. Augustini competere; Et subinde nos prædictas Innocentii Prædecessoris literas per alias nostras pariter in simili forma Brevis die 24. Novembris 1702. expeditas literas confirmaverimus; ipse vero Josephus, ut dicto Juri præcedendi primodictæ Provinciæ, sicut præmittitur competenti a te, seu tunc existente illius Ministro Provinciali sine totius Provinciæ consensu renunciari nequeat per nos decerni plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

[Preces Procuratoris Provinciarum Hispaniarum.]

§. 1. Nos igitur ipsum Isidorum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum etiam Filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt, consilio, tibi, & pro tempore existenti Ministro Provinciali dictæ Provinciæ committimus, & injungimus, ut sine consensu Patrum Diffinitorii, & Discretorii Juri præcedentiæ, de quo agitur, renunciare nequeas; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Mandatum præd. Ministro Provinciali factum.]

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & Provinciæ S. Didaci, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

[Clausula.]

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCV. Pontificatus nostri Anno Sexto.

[...VIII.]

Prohibetur, ne Fratres Eremitæ S. Augustini Discalc. Congregationis Hispaniæ alteri Religioni adscripti habitent in ea Provincia, in qua priorem habitum gestaverint.

Const. ed. 1701. Nov. 24. Pont. 3. extat prohibitio ne duo consanguinei, vel affines in Capitulis suffragentur. Et Bened. XIII Const. ed. 1726. Jan. 22. Pont. 2. præcipitur uniformitas in cantu, barba, & Caputio Congregationis Discalceatorum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

[Dat. 16. Dec. 1705. An. 6.]

SAcrosancti Apostolatus solicitudo, quam meritis, licet, & viribus longe impares, auctore Deo gerimus, Nos admonet, ut conservandæ Religiosorum Virorum, qui e fluctibus seculi in Regularis vitæ portum confugerunt, assumptoque suavi Christi jugo Altissimi obsequiis sese devoverunt, ac uberes bonorum operum fructus per Dei gratiam proferre jugiter satagunt, existimationi, quantum Nobis ex alto conceditur, satagamus.

[Exordium.]

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Vicarius Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quod nonnulli e dicta Congregatione ad alias Religiones etiam laxiores transeundi licentiam ab hac Sancta Sede variis prætextibus obtinere curant, eaque obtenta in illis habitum Regularem assumunt, nec non ad eas Provincias, in quibus habitum prædictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum publice gestaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illuc habitatum se conferunt, & ad detegendas, seu defendendas proprias imperfectiones ejusdem Congregationis Fratrum Discalceatorum, illiusque superiorum famam multis imposturis, & derisionibus lacerare non verentur, cum gravi Secularium scandalo, bonique nominis dictæ Congregationis detrimento. Quare idem Vicarius Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

[Causa d. Prohibitionis.]

[Preces Vicarii Gen. præd. Congregationis.]

§. 2. Nos igitur ipsius Vicarii generalis votis favorabiliter, quantum cum Domino possumus annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ne de cætero quisquam, qui e memorata Congregatione Hispaniæ Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum post emissam in illa professionem regularem, ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet transierit in ea Provincia, in qua Professionem hujusmodi emiserit, ac habitum Fratrum ejusdem Congregationis Discalceatorum Hispaniæ publice gestaverint, habitare, seu commorari audeat quovis modo, vel præsumat, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus, & interdicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Prohibitio, ne dd. Fratres commorentur in eadem Provincia.]

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[Clausulæ.]

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis

ratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscat. die XVI. Decembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili, & casu excepto pro Beatis Teresia, & Sancia Regis Portugalliæ filiabus Congregationis Alcobacen. Ordinis Cistercien. Monialibus.

De cultu immemorabili B. Mariæ de Capite vide Inn. XII. Const. ed. 1697. Aug. 11. P. 7. Et hujus Pontificis Const. ed. 1710. Mar. 26. P. 10. confirmatur cultus B. Luciæ de Narnia.

Dat. 23. Dec. 1705. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per Universum Orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus, Nos urget, atque compellit, ut Beatarum Christi ancillarum in Cælis cum eo regnantium cultum, & venerationem in terris promovere studeamus, sicut pia Regum, & Principum Orthodoxorum studia postulant, & Nos ad Omnipotentis Dei Gloriam, ad Ecclesiæ decus, & præsidium, ac spiritualem Christifidelium ædificationem, & consolationem expedire in Domino arbitramur.

Causa Beatificationis introducta fuit 1667. sedente Clem. IX.

§. 1. Cum itaque alias, videlicet die 4. Octobris 1667. a felic. recor. Clemente Papa IX. Prædecessore nostro Commissiones pro introductione causæ, seu Causarum Beatificationis Beatarum Reginarum Teresiæ, & Sanciæ Monialium Ordinis Cistercien. clar. mem. Sancii Primi, dum vixit, Portugalliæ Regis illustris natarum signatæ, ac in illarum executionem die decima Decembris ejusdem anni, dicto Clemente Prædecessore annuente, literæ remissoriales, attento, quod Sedes Episcopalis Colymbrien. tunc vacabat, tunc existenti Episcopo Targen. Civitate Ulyssiponen. commoranti dirigendæ pro constructione Processus particularis super cultu immemorabili prædictis Teresiæ, & Sanciæ præstito, & casu excepto a decretis jussu rec. mem. Urbani Papæ VIII. pariter Prædecessoris nostri editis, decretæ fuerint, cum facultate, quod in una remissoria ambæ Commissiones includerentur. Literæ vero hujusmodi, prout assertum fuerat, nunquam expeditæ fuerint, ideoque ad effectum conficiendi præfatum Processum ad pias, enixasque preces Charissimi in Christo filii Nostri Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris, ac tunc in humanis agentis clar. mem. Mariæ, dum vixit, Reginæ ejus Uxoris, necnon dilecti filii nobilis Viri Cosmi Etruriæ sibi subjectæ Magni Ducis, accedentibus etiam in id ipsum supplicationibus nonnullorum Prælatorum Religiosorum, Tribunalium, Senatuum, Magistratuum, & Academiarum Regni Portugalliæ, ac ad iteratas humillimas instantias dilecti filii Bernardi de Castel Branco Monachi expresse professi, ac Procuratoris Generalis Congregationis Sanctæ Mariæ de Alcobatia Ordinis præfati, in Sacra Theologia Magistri, Causæ, seu Causarum Beatificationis, & Canonizationis hujusmodi Postulatoris, Nobis referentibus, qui tunc in minoribus constituto Cardinalatus honore fungebamur, ac in locum bon. memor. Sigismundi Chisii, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sigismundi nuncupati Causæ, seu Causarum hujusmodi Relatoris, subrogati fueramus, exhibitis prius per dictum Bernardum Postulatorem binis Processibus in Colymbrien., seu Ulyssiponen. Civitatibus, postquam Sedes Apostolica in Causa, seu Causis præfatis manus apposuerat, nulliter constructis, die 17. Septembris 1695. a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum novæ Remissoriales, seu Compulsoriales literæ tunc pariter existentibus Archiepiscopo Ulyssiponen., & Episcopo Colymbrien., eorumque Vicariis in spiritualibus Generalibus dirigendæ, annuente etiam die 25. ejusdem Mensis Septembris piæ memoriæ Innocentio Papa XII. itidem Prædecessore nostro, concessæ fuerint, illarumque vigore Processus prædictus constructus, ac in actis memoratæ Congregationis Cardinalium exhibetur, servatisque servandis apertus fuerit; demum vero, eodem Bernardo Postulatore instante, proposito dubio in prædicta Congregatione Cardinalium per dilectum filium nostrum Carolum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem Bichium nuncupatum, qui in Relatorem Causæ, seu Causarum prædictarum in locum nostrum a Nobis subrogatus fuerat — An constaret de cultu immemorabili Beatis Teresiæ, & Sanciæ supradictis præstito, & casu excepto a dictis Decretis Urbani Prædecessoris, & an sententia desuper lata a memorato Episcopo Colymbrien. Judice Delegato, esset confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agebatur.

Precibus Regis & Reginæ Portugalliæ, aliorumque commissa fuit constructio Processus 1695. sedente Inn. XII.

Decretum fuit a Congregatione Rituum constare de cultu, & casu excepto.

Dicta Congregatio Cardinalium, audito tam in scriptis, quam in voce Venerabili Fratre Prospero Archiepiscopo Miren. Promotore Fidei de ejusmodi cultu immemorabili, & casu excepto, constare censuerit: Hinc est, quod Nos piis, ac devotis ejusdem Petri Regis, ac totius Congregationis de Alcobatia hujusmodi, necnon dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Monialium Monasterii Lorvaniensis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, ac præfatarum Abbatissæ, & Monialium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Decretum a præfata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili eisdem Beatis Teresiæ, & Sanciæ præstito, & casu excepto a Decretis ejusdem Urbani Prædecessoris, constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Preces Regis Portugalliæ Congregationis de Alcobatia, & Monialium Monasterii Lorvaniens.

Confirmatio Decreti præd. Congregationis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, &

Delegatos,

Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decembris MDCCV. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LX.

Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Ecclesiis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Rufi in festis SS. Augustini, Rufi, & Monicæ.

Dat. 12. Jan. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Commissæ Nobis a Domino Nostro Jesu Christo dispensationis ratio exigit, ut Cælestium munerum Thesauros ad augendam in Terris Sanctorum in Cælo regnantium venerationem, fovendamque, & incitandam erga illos fidelium devotionem, fideli prudentia quantum nobis ex alto conceditur erogare studeamus.

Preces Præpositi Gen.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Abbatis Monasterii S. Rufi Præpositi Generalis Congregationis Canonicorum Regularium ejusdem S. Rufi Ordinis S. Augustini nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum Canonicorum Regularium dictæ Congregationis hactenus erectis, & in futurum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in præfatorum Sanctorum Augustini, & Rufi, ac S. Monicæ festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio præd. Indulgentiæ.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXI.

Confirmatur Decretum Generalis Ord. Prædicatorum, quo prohibetur receptio Illegitimorum in Provincia Angelopolitan.

De dimissione Fratrum e Congregatione S. Sabinæ, & eorum receptione agitur Bened. XIII. Const. ed. 1724. Maji 1. P. 1.

Dat. 15. Jan. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causa præd. Decreti 1705. Sep. 9. editi.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ferdinandus de Espinosa frater expresse professus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Angelopolitan. dicti Ordinis in Sacra Theologia Magister, quod dilectus pariter filius Antonius Cloche Magister Generalis Ordinis hujusmodi spirituali quieti Religiosorum ejusdem Provinciæ non modicas ob frequentem in illis partibus Illegitimorum ad habitum Regularem Ordinis hujusmodi receptionem perturbationes patientium consulere peroptans suo peculiari Decreto die 9. Septembris anni proxime præteriti edito omnibus, & singulis Superioribus Provinciæ prædictæ in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ sub formali præcepto, necnon sub pœna absolutionis ab officio ipso facto incurrenda prohibuit, & interdixit, ne sub quovis titulo, seu prætextu ad habitum, & Ordinem hujusmodi quempiam illegitime genitum, etiam ex soluto, & muliere soluta cujusvis conditionis, & qualitatis existat, absque expressa pro tempore existentis Magistri Generalis Ordinis prædicti in scriptis, & cum specifica derogatione prohibitionis hujusmodi concedenda licentia admittant, irritum, & inane declarans quidquid in contrarium contigerit attentari, & alias prout in eodem Decreto uberius dicitur contineri.

Preces Magistri de Espinosa.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Ferdinandus Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocicio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Ferdinando gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum etiam filium modernum Procuratorem Generalem Ordinis prædicti super præmissis audiverunt consilio, supradictum Decretum auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis,

ac ad

ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXII. Declarantur nulla acta in Indiis collata a Generali Inquisitore, Archiepiscopo S. Fidei, Episcopo S. Marthæ, & Curia Laicali adversus Episcopum Carthaginen. Immunitatis Ecclesiasticæ jura tuentem, cum nonnullis aliis declarationibus, & Statutis.

Inn. XII. Const. ed. 1693. Sep. 1. P. 3. declarata fuere nulla edicta Prætoris Cremonen. de festo S. Dominici. Et hujus Pontificis Const. ed. 1707. Jan. 1. P. 7. declaratur nullum edictum Archiepiscopi Goan. contra jurisdictionem Commissarii Apost. in Indiis Orient.

Dat. 19. Jan. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lis orta inter Episcopum Carthaginen. & alios prædd.

EX commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito causam inter Venerabilem Fratrem Michaelem Antonium Episcopum Carthaginen. in Indiis ex una, & Dilectos filios Franciscum Varelam adversus hæreticam pravitatem Inquisitorem in dicta Civitate auctoritate Apostolica deputatum, ac Officiales, seu Ministros Curiæ Laicalis, necnon Venerabiles Fratres tunc existentes Archiepiscopum Sanctæ Fidei, & Episcopum Sanctæ Marthæ, aliosque ex altera partibus vertente dirimere cupientes, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis specialiter deputatæ, quæ diebus 11. Decembris 1703. & 11. Januarii 1704. si ita Nobis placuisset, ut infra, censuit, consilio, omnia acta per dictum Michaelem Antonium Episcopum esse rite, & bene gesta, & vice versa cuncta, quæ per dictos Inquisitorem, & Curiæ Laicalis officiales, seu Ministros, ac Archiepiscopum Sanctæ Fidei, & Episcopum Sanctæ Marthæ contra prædictum Michaelem Antonium Episcopum gesta fuerunt, esse nulla, invalida, & attentata, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus.

Quæ ad examen revocata fuit a speciali Cógregatione 1703. 1704.

Approbantur acta Episcopi Carthaginen. & nulla declarantur illa partis adversæ.

Eadem revocantur, & irrita pronunciantur.

§. 1. Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi debere decernimus, & pariter declaramus.

Quomodo procedendū adversus partem contrariam, & delinquentes; atque Tribunal Inquisitionis in Civitate Carthaginensi abolletur.

§. 2. Cæterum præfati Archiepiscopus Sanctæ Fidei, & Episcopus Sanctæ Marthæ, cæterique omnes supranominati consulant conscientiæ suæ pro eorum absolutione. Quo vero ad Canonicos, aliosque Ecclesiasticos, etiam Regulares delinquentes dictus Michael Antonius Episcopus in reditu ad suam Ecclesiam contra illos non obstante quacumque prætensa exemptione per eos forsan adducenda, prout de jure procedat, & jam excommunicati curent sibi concedi absolutionem a præfato Michaele Antonio Episcopo, qui prævio edicto offerat illam comparentibus infra terminum præfigendum, excepto Canonico cognominato *Bentancur*, cui uti magis culpabili, & in suis delictis detestabili dictus Michael Antonius Episcopus de mandato nostro injungat, ut ad hanc Almam Urbem nostram accedat, firmis tamen remanentibus privatione Canonicatus, & præbendæ, necnon Beneficiorum, aliisque pœnis eo per memoratum Michaelem Antonium Episcopum inflictis. Præterea Tribunal Inquisitionis a dicta Civitate Carthaginen. amovendum esse harum serie etiam decernimus.

Quid de iis, qui plura injuste passi sunt.

§. 3. Quo vero ad illos, qui Carcerationem, exilium, & quamplures alias pœnas passi fuerunt, ex quo eidem Michaeli Antonio Episcopo adhæserunt, eisdem, & eorum familiis tam in puritate sanguinis, quam in nobilitate, prout etiam quoad officia, & quæcumque beneficia cum cura, & sine cura, Canonicatus, & præbendas, ac Dignitates, etiam primas, necnon quascumque Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias obtinendas nullum præjudicium illatum fuisse, ac illis omnes mulctas, aliaque damna passa pariter reficienda esse, & processus contra eosdem formatos pro abolitis, & cassatis habendos esse auctoritate, & tenore præfatis itidem declaramus.

Monasterium Monialium S. Claræ Episcopo subjicitur: & Fratres Minores puniuntur.

§. 4. Insuper subjectionem Monasterii Monialium Sanctæ Claræ Civitatis prædictæ eidem Michaeli Antonio Episcopo juxta declarationem tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, & quasdam fe. re. Innocentii PP. XI. Prædecessoris nostri desuper in simili forma Brevis expeditas literas quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, cum privatione omnium officiorum, ac vocis activæ, & passivæ in perpetuum respectu illorum Fratrum, qui complices, & culpabiles de tot insultibus, & violentiis contra Monasterium, & Moniales hujusmodi commissis reperti fuerunt, factam confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Porro dilectus filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum procedat, prout de jure ad executionem pœnæ adversus delinquentes, iique pro absolutione a censuris incursis ad eumdem Michaelem Antonium Episcopum recurrere teneantur.

Omnia alia Monialium Monasteria, uno excepto, Episcopi jurisdictioni subjiciuntur.

§. 5. Ulterius omnia alia Monialium Monasteria cujuscumque Ordinis, si quæ adsint, (excepto Ordine Sancti Augustini) a jurisdictione, & regimine spirituali, & temporali Religiosorum, quibus Monasteria hujusmodi subjecta sunt, eadem auctoritate ipsarum tenore præsentium perpetuo eximimus, ac illa omnimodæ jurisdictioni tam in spiritualibus, quam in temporalibus memorati Michaelis Antonii, & pro tempore existentis Episcopi Carthaginen. subjicimus.

Antonius Episcopus Carthaginen. merito ornatur elogio.

§. 6. Demum zelum præfati Michaelis Antonii Episcopi pro omnibus ad suæ dignitatis, jurium Ecclesiæ, & Immunitatis Ecclesiasticæ defensionem gestis plurimum in Domino commendantes illum de omnibus Ecclesiæ suæ fructibus decursis, & non exactis, necnon de omnibus damnis occasione ejusmodi indebitæ vexationis per ipsum passis, reintegrandum esse decernimus.

Clausulæ.

§. 7. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Michaeli Antonio Episcopo, aliisque ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscum-

que

que Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Monasteriorum, & Ordinum præfatorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCCVI. Pontificatus nostri anno Sexto.

LXIII. Conceduntur Fratribus Eremitis S. Augustini Provinciæ Portugalliæ, qui in Congregatione Indiarum Orient. Vicarii Provincialis munere perfuncti fuerint, omnia privilegia Exprovincialium Provinciæ.

Eadem privilegia Exprovincialium concessa fuerunt quibusdam Fratribus Insularum Philipp. ab Innoc. XI. Const. ed. 1677. Dec. 11. P. 2. Et nonnullis Discalceatis Congregationis Hisp., & Indiarum ab hoc Pontifice Const. ed. 1704. Febr. 13. P. 4. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Jun. 14. P. 4. statuitur ne amplius concedantur privilegia Exprovincialium in Provincia Portugalliæ.

Dat. 1. Febr. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Portugalliæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Nobis expositum fuit, quod cum ipsa Provincia quamdam habeat Congregationem in Indiis Occidentalibus sibi subjectam, ad cujus gubernium unus Vicarius Provincialis cum quatuor Diffinitoribus, qui illam tam in spiritualibus, quam in temporalibus juxta peculiares Constitutiones dicti Ordinis auctoritate Apostolica confirmatas ad instar cujuslibet memorati Ordinis Provinciæ cum ordinaria Jurisdictione, & auctoritate regant, institui solet; Congregatio vero hujusmodi aliquibus abhinc annis in calamitoso, & miserabili statu reperiatur, tum ob Religiosorum defectum, qui illam zelo, ac debito fervore gubernent, curamque specialem Missionum eis commissarum, ac in illis partibus adeo necessarium habeant, tum denique ob repugnantiam, quam habent prædictæ Provinciæ Alumni pro memoratæ Congregationis regimine electi ad subeundum adeo longum, & periculosum Maris Iter, iidem Religiosi in Vicarios Provinciales electi, tametsi, absoluto eorum officio, in dicta Congregatione permanentes privilegiis Provincialibus absolutis competentibus potiantur, nihilominus ipsi ad propriam Provinciam postea revertentes in ea omni prorsus privilegio, & exemptione careant, ut autem Religiosi prædictæ Provinciæ digniores ad subeunda tot, tantaque evidentia eorum vitæ pericula in conficiendo, tam longo itinere sex millium leucarum Maris, & visitandis post eorum adventum Conventibus dictæ Congregationis inter se valde distantibus, & demum disseminando verbum Dei variis in locis pariter distantibus, prout necessitas exigit incitentur, dilecti pariter filii Simon de Gowea Lector Jubilatus, & Joannes Ferreyra Fratres expresse professi Congregationis, & Ordinis hujusmodi Exvicarii Provinciales, Congregationis, seu Capitulo intermedio dictæ Provinciæ die 10. Novembris 1704. celebrato supplicem libellum porrexerunt pro opportuno remedio, enixe deprecantes, ut nedum iidem Simon, & Joannes, qui prædicta omnia pericula, & incommoda munus Vicarii Provincialis obeundo passi fuerunt; Verum etiam cæteri dictæ Provinciæ Religiosi, quos in posterum ad memoratam Congregationem ad Vicarii Provincialis hujusmodi officium exercendum transmitti contigerit, post eorum in Provinciam reditum omnibus privilegiis, & exemptionibus, quibus ejusdem Provinciæ Provinciales absoluti cum voce, & loco in Capitulis Provincialis fruuntur, similiter gaudere deberent.

Rationes pro obtinenda hujusmodi concessione.

Quæ exposita fuere in Capitulo intermedio 1704. ab eoque approbatæ.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, omnes Fratres de gremio Diffinitorii, lectis, ac mature perpensis supradictis rationibus, nemine penitus contradicente, Indulti hujusmodi concessioni consensum præstiterint. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Provinciæ pro concessione.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui votum Capituli Generalis per dilectum etiam filium modernum Priorem Generalem dicti Ordinis relatum perpenderunt, ipsumque Priorem Generalem super præmissis audiverunt, consilio, ut memorati Simon, & Joannes, qui in prædicta Congregatione in Indiis Orientalibus Vicarii Provincialis munere functi sunt, privilegiis, & prærogativis Exprovincialium, etiam cum voto in Capitulis Provincialibus Provinciæ Lusitaniæ, ac cum loco immediate post Exprovinciales ejusdem Provinciæ potiantur, & gaudeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Præterea eadem privilegia, & prærogativas Exprovincialium, etiam cum voto in Capitulis Provincialibus, & cum loco immediate post prædictos Exprovinciales, Vicariis Provincialibus Congregationis Orientalis prædictæ postquam in Provinciam Portugalliæ supradictam reversi fuerint, auctoritate, & tenore prædictis concedimus; ea tamen lege, ut ii dumtaxat enarratis privilegiis in Provincia ipsa gaudere valeant, qui ex Europa in Indias transeunt, & ibidem Vicarii Provincialis munus integro biennio cum laude, & profectu Sacrarum Missionum obierint, quive aut lectores jubilati sint, aut Evangelicæ Prædicationis principalioribus in Lusitaniæ Urbibus viginti ad minus annos cum plausu, justaque fama expleverint; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio præd. iis tantum facta, qui Lectores jubilati, vel Prædicatores 20. annorum spatio extiterint.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab

Clausulæ.

illis inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus fe. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Admonet Nos &c.* aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Februar. MDCCVI. Pontificatus nostri anno Sexto.

LXIV. Extenditur Indultum recitandi divina officia ritu latino, necnon Sanctorum Ordinis S. Basilii ad Monachos, & Moniales Ritus Latini ejusdem Ordinis.

Hoc indultum concessum fuit Monialibus Messanen. Const. ed. 1703., Feb. 17. P. 3. Et Const. ed. 1706. Jun. 15. P. 6. conceditur Indulgentia plen. perp. pro omnibus Ecclesiis.

Dat. 26. Mar. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Rationes pro extensione præd. Indulti.

CUm sicut dilectus filius Petrus Menniti Abbas Generalis Ordinis Sancti Basilii Magni Nobis nuper exponi fecit, alias per Decretum infrascriptæ Congregationis Cardinalium, quod subinde a Nobis per quasdam nostras desuper in simili forma Brevis die XVII. Februarii 1703. expeditas literas confirmatum fuit, Abbatissæ, & Monialibus Monasterii Sancti Salvatoris Philantropos nuncupati Civitatis Messanen. ejusdem Ordinis indultum fuerit, ut relicto ritu Græco in posterum divina officia ritu Latino ad præscriptum Breviarii Romani, necnon Sanctorum ejusdem Ordinis, quæ a Sede Apostolica Monialibus alterius Monasterii ejusdem Sancti Salvatoris Civitatis Panormitán. recitandi facultas concessa fuit, recitare possent, & valerent, prout in dictis literis uberius continetur; ipse vero Petrus Abbas Generalis, quo de cætero uniformitas in Divina Psalmodia servetur Indultum hujusmodi tam ad Monachos, quam Moniales eorumdem Ordinis, & Ritus Latini, quemadmodum in aliis Regularibus Ordinibus, qui inter se ejusmodi gratias spirituales communicare solent, extendi plurimum desideret. Nos piis dicti Petri Abbatis Generalis votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac ipsius, & Monachorum, ac Monialium hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis. Si quibus quomodobet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Indultum prædictum ad omnes, & singulos Monachos, & Moniales Ritus Latini quorumcumque Monasteriorum dicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Preces Abbatis Gen.

Extensio relati Indulti.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Monasteriorum, & Ordinis prædictorum aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXV. Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Ecclesiis Monachorum S. Basilii in festo ejusdem Sancti.

Const. ed. 1706. Mar. 26. P. 6. extensum fuit Indultum recitandi divina Officia ritu Latino. Et Const. ed. 1726. Jun. 12. P. 2. agitur de confirmatione Abbatis Generalis.

Dat. 15. Junii 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cælestium munerum Thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Sanctorum in Cælis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Preces Procuratoris Gen.

Concessio præd. Indulg.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis S. Basilii Magni nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem Sancti Basilii a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum

preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXVI.

Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Ecclesiis Ord. Militaris Crucigerorum cum rubea Stella in festo Exaltationis S. Crucis.

Inn. XII. Const. ed. 1695. Jul. 23. P. 5. confirmata fuerunt privilegia. Et Bened. XIII. Const. ed. 1724. Aug. 4. P. 1. extat translatio Indulgentiæ.

Dat. 28. Aug. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Preces Magni Magistri.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dilecti filii moderni Magni Magistri Ordinis Militaris Crucigerorum cum rubea Stella per Bohemiam, Silesiam, Moraviam, & Poloniam, existen. sub regula Sancti Augustini nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis in eisdem Regnis, & Provinciis existentibus die festo Exaltationis Sanctæ Crucis a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio præd. Indulg.

Clausulæ.

§. 1. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Augusti MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXVII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. de servanda Constitutione Inn. XI. pro divisione Provinciæ Poloniæ Ordinis B. M. Montis Carmeli.

Laudata Const. ed. fuit 1687. Jun. 27. Et Bened. XIII. Const. ed. 1725. Jul. 21. P. 1. confirmatur decretum pro pace in Provincia Poloniæ.

Dat. 9. Oct. 1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur hujusmodi divisio in Provinciam, Poloniæ & Russiæ, atque ejus confirmatio ab Inn. XI. facta.

NUper pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, Definitorum, ac Superiorum Provinciæ Russiæ Sancti Josephi Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in Regno Poloniæ Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod cum Provincia Poloniæ, quæ omnes Conventus dicti Ordinis in illis partibus existentes comprehendebat, propter ejus amplitudinem ab uno Priore Provinciali quotannis, quinimo singulis trienniis commode, & ea, qua par erat, cura visitari non valuisset, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis tunc celebrato, hac, aliisque rationibus mature perpensis, decretum fuerat, eamdem Provinciam Poloniæ in duas dividendam, unde bon. mem. Paulutius S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alteriis nuncupatus, dum vixit Ordinis prædicti apud Sanctam Sedem Apostolicam Protector, in vim facultatis ei super hoc per Rescriptum fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris nostri attributæ per suum Decretum die 7. Junii 1687. editum divisionem Provinciæ prædictæ in duas a se invicem distinctas Provincias fecerat, assignatis utrique earum suis respective Conventibus, & cum diversis ordinationibus earumdem Provinciarum statui, & utilitati, ac felici progressui congruentibus, quod quidem Decretum dictus Innocentius Prædecessor per quasdam suas desuper in simili forma Brevis die 27. eorumdem Mensis, & anni expeditas literas, toto illius tenore inserto confirmaverat. Et in eadem expositione subjuncto, quod in novissimo Capitulo Generali Ordinis hujusmodi in Alma Urbe nostra celebrato tunc existentes Priores Provinciales Provinciarum Poloniæ, & Russiæ sine consensu earumdem Provinciarum pro illarum reunione institerant; Ipsi vero Exponentes renunciationi hujusmodi sese opposuerunt, & proinde dictas Innocentii Prædecessoris literas præfati Decreti Paulutii Cardinalis, & Protectoris confirmatorias etiam confirmari plurimum cupiebant: Emanavit a præfata Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, referente Eminentissimo Flisco, censuit, ac decrevit, servandum esse enunciatum Breve, & imponendum perpetuum silentium, prout præsentis Decreti vigore servari mandat. Romæ X. Septembris MDCCVI. -- G. Card. Carpineus -- Ferdinandus Archiepiscopus Nicen. Secretarius.

Causæ Congreg. Episc. & Reg.

Decretum præd.

Preces Provinciæ Russiæ.

§. 1. Cum autem, sicut dicti Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per

per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Octobris MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXVIII. Declaratur nullum Edictum Archiepiscopi Goan. contra jurisdictionem Commissarii, & Visitatoris Apost. in Sinarum, & aliis Indiarum Oriental. Regnis.

Declarata fuerunt nulla acta a Generali Inquisitore aliisque contra Episcopum Carthaginen. Const. ed. 1706. Jan. 19. P. 6. Et Const. ed. 1711. Mar. 15 P. 11. declarantur nulla acta ab Episcopo Macaonen. adversus Commissarium Sinarum.

Dat. 1. Jan. 1707. An. 7.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Carolus Patriarcha Antiochen. electus fuit Commissarius, cujus censuræ adversus nonnullos Religiosos promulgatæ, nullæ declaratæ fuere præd. Edicto ab Augustino Archiep. Goan.

Cum nos alias pro commisso Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, etiam ad remotissimas ab hac Sancta Sede Regiones Pastoralis vigilantiæ nostræ curam extendentes per quasdam nostras in simili forma Brevis literas Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum nostrum, & Apostolicæ Sedis Commissarium, & Visitatorem in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis cum potestate, etiam nostri, & ejusdem Sedis de Latere Legati, ac diversis, & amplissimis facultatibus constituerimus, & deputaverimus, & alias prout in prædictis nostris die 4. Julii 1702. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur. Et (sicut nuper non sine gravi animi nostri dolore accepimus) postquam idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, & Visitator in Diœcesi Melioporen. debita, ut par erat reverentia a venerabili pariter Fratre Gaspare Alphonso Episcopo Meliaporen. recognitus, & exceptus fuerat, ac justis, & rationabilibus causis adductus, censuras quasdam Ecclesiasticas in eadem Diœcesi contra nonnullos Regulares promulgaverat, Edictum quoddam sub nomine venerabilis, etiam Fratris Augustini ab Annunciatione die 22. Decembris 1704. editum prodierit, & subinde in quibusdam Oppidorum, seu locorum Madraspatani, & Pudiaherii Ecclesiis, & forsan alibi publicatum fuerit, quo sub variis, frivolis, ac prorsus insubsistentibus prætextibus censuræ prædictæ ab eodem Carolo Thoma Patriarcha Commissario, & Visitatore, sicut præmittitur, promulgatæ, inaudito ausu, nullæ declarantur, ipsique Regulares ad Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem admittuntur, nec non omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quam Laicis mandatur ne ipsi Carolo Thomæ Patriarchæ Commissario, & Visitatori obediant, aut dictas censuras revereantur, ac insuper eidem Carolo Thomæ Patriarchæ Commissario, & Visitatori, inverso sane pœnarum per Canonicas sanctiones irrogatarum usu sub excommunicationis pœna inhibetur, quo minus jurisdictionem suam libere exerceat, aliaque temere præcipiuntur, atque ordinentur in gravissimum Apostolicæ auctoritatis, qua idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, & Visitator nostro, & dictæ Sedis nomine in illis partibus fungitur contemptum, præjudicium, & detrimentum, & alias, prout in præfato Edicto, quod non approbandi, sed penitus, & omnino reprobandi animo, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri.

Causæ sequentis declarationis.

Hinc est, quod nos ex debito Sacrosancti Apostolatus officii, quod humilitati nostræ meritis licet, & viribus longe impari commisit divina dignatio, ejusdem Caroli Thomæ Patriarchæ, Commissarii, & Visitatoris, seu potius nostram, & dictæ Sedis dignitatem, auctoritatem, & jurisdictionem a temerariis, & perniciosis hujusmodi conatibus illæsas, sartasque, & tectas tueri, & conservare cupientes, ac omnium, quæ prædicti Edicti, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta, & gesta sunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus, pariter pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandæ Fidei negotiis præpositæ super rebus Indiarum Orientalium a Nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænarratum Edictum, & quæcumque in eo contenta cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, temeraria, attentata, & de facto præsumpta, nulliusque omnino roboris, & momenti esse, & perpetuo fore tenore præsentium declaramus; & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi debere decernimus, & pariter declaramus.

Declaratio nullitatis Edicti, omniumque actorum ab Archiep. Goan.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictus Augustinus Archiepiscopus, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, aut incogitato, & inexcogitabili indivi-

duamque

duamque expressionem, requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Metropolitanæ Ecclesiæ Goan., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Januarii MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Regular. de forma eligendi Generalem infra Triennium in Congregatione Monachorum Montis Oliveti.

De electione Abbatum Titularium extat Clem. X. Const. ed. 1671. Feb. 27. P. 1. Et ejus derogatio in parte hujus Pontificis Const. ed. 1713. Apr. 12. P. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 28. Jan. 1707. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Variæ mutationes factæ super forma præd. electionis.

Alias pro parte dilecti filii Abbatis Roselli Procuratoris Generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod jamdudum in dicta Congregatione Montis Oliveti ad evitandas expensas, quæ in celebratione Capituli Generalis Congregationis hujusmodi fieri solebant, dum infra triennium Abbatis Generalis Congregationis præfatæ Officium vacare contingebat, certus numerus vocalium, qui electioni hujusmodi interesse debebat, præfixus (numquam tamen ab eadem Congregatione Cardinalium confirmatus) fuerat, quemadmodum pro derogatione novissimæ Constitutionis ea super re emanatæ *§. Si autem infra triennium ob mortem &c.* expresse requirebatur, imo ab ultimo Capitulo Generali dictæ Congregationis Montis Oliveti re melius discussa, & considerata ejusdem electionis modus prorsus abolitus remanserat, & pro illius libertate magis conveniens existimatum fuerat, ut Capitulum Generale prædictum in hunc modum convocaretur, videlicet.

Primo, quod prævia Vicarii Generalis intimatione facienda Capitulum Generale hujusmodi semper in Monasterio Montis Oliveti majoris convocari, ibique electio novi Abbatis Generalis intra terminum trium Mensium fieri debeat.

Secundo, ut in supradicto Capitulo Generali Vicarius Generalis, Visitatores, Procurator Generalis actu existentes, Abbates, Exgenerales, Vicarius Exgeneralis, & Visitatores antecedentis Diffinitorii, & unus Monachus in Discretum a familia ejusdem Montis Oliveti majoris, forma hactenus usitata eligendus votum, sive suffragium ferant; Unde exceptis Abbatibus Exprovincialibus sexdecim in totum erunt Vocales.

Tertio, quod cum una Provincia uno ex duobus Visitatoribus destituta remaneat, Abbas antiquior in eadem Provincia, deficientibus vero prædictis duobus Visitatoribus, duo Abbates antiquiores in eorum locum respective succedant.

Quarto, quod Scrutatores, qui in hoc Capitulo Schedulas electionis Abbatis Generalis colligere, signare, & legere debeant, sint tres, qui ex numero novissimi Diffinitorii sorte extrahantur.

Quinto, quod pro expensis prædicti Capituli quælibet Provincia memorato Monasterio Montis Oliveti majoris viginti scuta monetæ Romanæ solvere teneatur, necnon tam pro expensis itineris, quam pro pecunia supradicto Monasterio subministranda, fiat repartitio pro rata super Monasteriis ejusdem Provinciæ.

§. 1. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Re-

Decretum Congregationis.

& Reverendissimorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Eminentissimi Card. Spinulæ prædictæ Congregationis Olivetanæ apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentissimo Gabriellio petitam confirmationem Oratori benigne concedendam censuit, prout præsentis Decreti vigore concedit: Constitutionibus Apostolicis, & Ordinibus, cæterisque contrariis non obstantibus. Romæ 27. Novemb. 1705. -- G. Card. Carpineus. -- I. N. Grimaldus Secretar.

Preces Procuratoris Gen.

§. 2. Cum autem, sicut dictus Abbas Justinus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Abbati Justino Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pænis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio relati Decreti.

Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Montis Oliveti, & Monasteriorum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Januar. MDCCVII. Pontificatus nostri anno Septimo.

LXX.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis, quo declaratur, non esse locum petitæ divisioni Congr. Presbyterorum Missionis, & servandas esse Constitutiones.

Const. ed. 1703. Jul. 9. P. 3. concessum fuit quoddam Jus primo Assistenti. Et Const. ed. 1704. Sept. 9. P. 4. declaratæ fuere Constitutiones. At Benedictus XIII. Const. ed. 1717. Jul. 15. P. 4. agitur de ejectione Assistentis.

Dat. 2. April 1707. An. ...

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. Eccl. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata emanavit in Causa Romana, seu Galliarum prætensæ divisionis inter dilectos filios modernum Superiorem Generalem Congregationis Missionis ex una, & Presbyteros Sæculares Italiæ ejusdem Congregationis Missionis ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum præd. quod favet Assistenti Italiæ.

In Causa Romana, seu Galliarum prætensæ divisionis inter D. Superiorem Generalem Congregationis Missionis ex una, & DD. Missionarios Italiæ partibus ex altera: Sac. Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimor. DD. S. R. Eccl. Cardinalium Carpinei, Marescotti, Panciatici, Spadæ, & Casoni per Sanctissimum D. N. specialiter deputata, partibus ipsis informantibus, reque mature discussa, censuit, ac declaravit, non esse locum Divisioni, & servandas Constitutiones, & ad mentem, quæ quidem est, quod Superior Generalis utatur consilio, & opera assistentis Italiæ in omnibus negotiis Congregationis, quemadmodum utitur consilio, & opera aliorum Assistentium, quodque illum admittat, & retineat una cum aliis in Domo suæ Residentiæ, & cæteros subditos amanter, & charitative tractet Romæ 4. Octobris 1706. -- G. Card. Carpineus -- Fr. Archiepiscopus Nicenus Secretar.

Preces Superioris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dictus Superior Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Superiori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio relati Decreti.

Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis Missionis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, &

expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Aprilis MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXXI.

Conceditur Presbyteris Congregationis Piorum Operariorum facultas celebrandi Missam una ante Auroram, & post meridiem hora.

Const. ed. 1710. Jan. 9. P. 10. conceditur approbatis confessariis iter agentibus facultas excipiendi confessiones absque facultate Ordinarii Loci.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 10. Maji 1707. An. 7.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut Sacris ejusdem Ecclesiæ Ministris pro gregis Dominici salute laudabiliter laborantibus ea libenter concedamus, per quæ eorum ministerium ad animarum salutem, & spiritualem fidelium consolationem uberiori cum fructu benedicente Dom. valeant adimplere.

§. 1. Volentes itaque dilectis filiis Presbyteris Sæcularibus Congregationis Piorum Operariorum nuncupatorum gratiam facere specialem, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem modernis, & pro tempore existentibus Presbyteris Congregationis prædictæ ubique existentibus, ut ipsi perpetuis futuris temporibus, tam in eorum, quam in aliis Ecclesiis Civitatum, Terrarum, & Locorum in quibus juxta laudabile eorum Institutum Sacras Missiones de Ordinariorum respective locorum licentia exercebunt, per horæ spatium ante Auroram, & post meridiem, Missas celebrare, libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concessio præd. facultatis Presbyteris supplicantibus facta.

§. 2. Non obstantibus præmissis, a Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ ... mandato de parce... endo præd. facultate.

§. 3. Volumus autem, ut Presbyteri prædicti hujusmodi Indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris Ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce, utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCCVII. Pontificatus nostri anno Septimo.

LXXII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium quo revocantur facultates concessæ Fratribus Carmelitis Musicis Provinciæ Portugalliæ manendi extra Cœnobia.

Inn. XII. Const. ed. 1696., Feb. 11. P. 5. confirmata fuere quædam decreta pro d. Provincia. Et hujus Pontificis Const. ed. 1717., Feb. 22. P. 17. prohibetur, ne Superiores concedant licentiam canendi in alienis Ecclesiis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 31. Aug. 1707. An. 7.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ sequentis Decreti.

NUper pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Definitorii Provincialis Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet per Concilium Tridentinum *Sess.* 28. *Cap.* 4 prohibeatur expresse, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis, vel Lectoris, aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personæ, seu loci; nihilominus in Regno Portugalliæ irrepserat abusus Regulari observantiæ præjudicialis, ac Populis illarum partium scandalum præbens, eo quia Episcopi earumdem partium in vim Indultorum per nostram, & Sedis Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncium concessorum nonnullos Religiosos Musicæ peritos pro eorum Ecclesiarum servitio è propriis Conventibus absque Superiorum Regularium ejusdem Provinciæ licentia educebant, ac propterea pro parte dictorum Exponentium memoratæ Cardinalium Congregationi supplicato ut præmissis occurrendo, omnibus, & singulis Religiosis prædictæ Provinciæ extra eorum Conventus servitio cujuslibet simplicis Ecclesiæ addictis, & sine Superiorum suorum licentia degentibus, ut ad ipsorum respective Conventus redirent præcipere, quodque Superiores prædicti illos ad id quocumque Indulto minime obstante, compellere possent, decernere, nec non pro tempore existenti Nuncio mandare, ne hujusmodi Indulta, nisi legitimis de causis, & audito Superiore Religiosi, qui ab Episcopis pro eorum servitio postulatur concederet, aliasque in præmissis juxta memorati Concilii dispositionem providere dignaretur; Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster supplicem hunc libellum remisit, attenta relatione Patris Procuratoris Generalis Ordinis, censuit committendum, prout præsentis Decreti vigore committit Eminentissimo Nuncio Apostolico in Lusitania residenti, ut revocet quascumque licentias, & curet Regulares redire omnino ad eorum Conventus. Romæ 29. Julii 1707. -- G. Cardinalis Carpineus. F. A. Niceus Secretarius.

Decretum Congregationis, quo injungitur Nuncio ut revocet licentias omnes.

§. 1. Cum autem, sicut dicti exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctori-

Preces Definitorii Provincialis.

Confirmatio relati Decreti.

tate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXXI. Augusti MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXXIII.

Conceditur Indulgentia plenaria perpetua pro Ecclesiis Ord. S. Pauli Primi Eremitæ in ejus die Festo.

Inn. XI. Const. ed. 1676., Nov. 27. P. 1. confirmata fuere quædam statuta pro Eremitis in Regno Portugalliæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 1. Oct. 1707. An. 7.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Concessio præd. Indulg.

AD augendam fidelium Religionem, & Animarum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ ubique existen. die festo ejusdem S. Pauli Primi Eremitæ a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula.

§. 1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXXIV.

Confirmatur Decretum Capituli Gen. Fratrum Recollec. Discalc. Ord. S. Augustini Congregationis Hispaniæ de casu, quo decederet Vicarius Generalis d. Congregationis.

Const. ed. 1704. Feb. 13. P. 4. declarata fuere privilegia Provincialium absolutorum. Et Bened. XIII. Const. ed. 1630. Feb. 14. P. 5. reducitur alternativa pro electione Vicarii Generalis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 10. Febr. 1708. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Recollectorum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispanicæ Ordinis Sancti Augustini, quod in Capitulo Generali dictæ Congregationis in Oppido Civitate nuncupat. Borgia in Regno Aragoniæ die 20. Maji 1706. celebrato, inter alia duæ sequentes Constitutiones pag. 171. editæ fuerunt, videlicet, quod Magistris Primariis Novitiorum trium Domorum Regularium, nempe Matritensis, Cæsaraugustan., & Hispalen. attentis eorum laboribus jus ferendi suffragium, sive votum in Capitulis Provincialibus suarum Provinciarum competat, ea tamen lege, ut dicti Magistri Novitiorum ab immediata Priorum jurisdictione exempti minime sint, & in omnibus, & per omnia iisdem Prioribus subjecti remaneant, quemadmodum alii Religiosi subditi immediate illis subjecti reperiuntur, & quod in posterum ii Religiosi, qui Priorum alicujus Domus, sive magni Conventus, sive Diffinitorii Provinciarum, seu Lectoris Sacræ Theologiæ muneribus functi fuerint in Magistros Novitiorum eligantur; Ac insuper in prædictis Constitutionibus fol. 173. statutum fuit, quod decedente Vicario Generali prædictæ Congregationis sive naturaliter, sive civiliter in ejus Gubernio pro tempore existens Prior Provincialis Provinciæ, cujus est filius usque ad complementum sexennii succedat, ad hoc, ut omnes Provinciæ Dignitatis honore per dictum sexennium æqualiter frui valeant, ac officia generalia pariformiter nonnisi post triennium cessent, necnon expensæ occasione Capitulorum faciendæ evitentur, casu vero quo eumdem Priorem Provincialem in prædicti Vicarii Generalis officio succedere contingat, Officium Prioris Provincialis hujusmodi vacet, & id, quod in Constitutionibus super præcedentia Rectoris Provincialis dispositum reperitur adimpleatur.

A Capitulo Gen. d. Congregationis 1706. edita fuerunt duo inssequentia Decreta.

1. De Magistris Novitiorum.

2. De casu, quo vacaret Vicariatus Gen.

Preces Congregationis pro eorum confirmatione.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Capitulum Generale prædictum, confirmationem Decretorum, seu Statutorum hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & observatione ab hac Sancta Sede impetrari mandaverit: Nobis propterea præfatus Procurator Generalis tam suo, quam dictæ Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui attenta relatione dilecti Filii nostri Josephi Renati ejusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupat. dicti Or-

dinis

dinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris eisdem Cardinalibus facta, quoad primum Decretum resolutionem distulerunt, consilio, secundo dictum Decretum, seu Statutum Capituli Generalis dictæ Congregationis Hispaniæ auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Confirmatio secundi tantum Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Congregationis Hispaniæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. Februarii MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

LXXV.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. de electione Diffinitorum adjunctorum loco Procuratorum Gen. absentium Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Inn. XII. Const. ed. 1698. Aug. P. 8. confirmatum fuit Decretum de interventu quorumdam in Capitulo Provinciali. Et hujus Pontificis Const. ed. 1708. Jul. 25. Pont. 8. conceditur vox deliberativa prædictis Diffinitoribus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

...t. 24 Mar. ...08. An. 8.

...b litem ...tam in d. ...ongrega... ...ne emana... ...t sequens.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa Avenionen., seu Parisien. inter dilectos filios Clericos Sæculares Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & quosdam particulares Presbyteros Provinciæ Parisien. ejusdem Congregationis Doctrinæ Christianæ, ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Avenionen., seu Parisiensi vertente inter Congregationem Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & quosdam particulares Presbyteros Provinciæ Parisiensis ejusdem Congregationis partibus ex altera, desuper infrascriptis Dubiis, nempe -- Primò. *An sequens Decretum Capituli Generalis anni 1705. sustineatur, in casu &c & quatenus affirmative.* Secundo. *An beneplacitum Apostolicum pro voce declarativa sit concedendum?*

...ecretum, ...o resoluta ...ere duo du... ...a super ...odam de... ...eto Capi...

...tuli Gen. 1705 de Diffinitoribus adjunctis.

Decretum Capituli Generalis PP. Doctrinæ Christianæ Parisiis celebrati anno 1705.

Sessio 18. *Quia alter Procurator Generalis, vel uterque simul possunt abesse a loco, ubi Diffinitorium desit, sicque suam privare Provinciam suffragio ipsi debito; Statutum est, quod ut justa stabiliatur æqualitas juxta id, quod decretum fuit in novissimo Generali Capitulo Sessione 32. in eorum loco eligentur Diffinitores adjuncti, qui voce fruantur consultiva, illis absentibus, & non aliter, donec a Sancta Sede ipsis & deliberativa obtineatur; tum in Diffinitorio, tum in Capitulo Generali, cum dicti Procuratores Generales ipsis adesse non poterunt. Ad eorum autem electionem requiretur eadem, & ætatis, & professionis antiquitas, quæ ad aliorum Officialium majorum. Locus eorum erit post Secretarium Generalem, quod si vel morte præventi, vel alia quacumque ratione deficiant, eorum officio providebitur eo modo, quo Officia aliorum Officialium majorum* -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus ipsis informantibus, referente Eminentissimo Sancti Clementis, respondit affirmative ad utrumque. Romæ 23. Septembris 1707. -- G. Cardinalis Carpineus -- F. Archiepiscopus Nicenus Secretarius.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis præfatæ Congregationis Doctrinæ Christianæ Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Doctrinæ Christianæ hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad

verbum

verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

LXXVI. Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. de juramento in Abbatum Benedictionibus pro Congregatione Benedictino Bavarica.

Inn. XI. Const. ed. 1687. Mar. 21. P. 11. confirmatur Decretum super Dubiis circa Constitutiones pro Nuncio Helvetiorum.

Dat. 8. Maji 1708. An. 8.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lis orta inter Abbates prædict., & quosdam Episcopos.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa Benedictionum novorum Abbatum, & juramenti in illarum actu præstandi inter dilectos filios modernum Præsidem, & Abbates Congregationis Bavaricæ Monachorum Ordinis Sancti Benedicti ex una, & Venerabiles Fratres Modernum Augustan., nonnullosque alios Episcopos ex altera Partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa vertente inter Patres Præsidem, & Abbates exemptæ Congregationis Benedictino Bavaricæ, prætendentes in Benedictionibus novis Abbatibus impartiendis ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, novos Abbates non teneri ad aliud juramentum, quam ad illud contentum in Pontificali Romano, juxta Decreta Congregationis particularis die 14. Januarii 1687. ex una, & Episcopum Augustanum, nonnullosque alios Episcopos sustinentes novos Abbates in actu dictarum Benedictionum teneri præstare juramentum fidelitatis, subjectionis, & reverentiæ ipsis Episcopis, eorumque Ecclesiis, Partibus ex altera -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita; Partibus hinc inde auditis, referente Eminentissimo Sperello mandavit executioni demandari Decreta prædicta Congregationis Particularis, & censuit, ac declaravit, servandam esse formam præscriptam in Pontificali Romano pro Abbatibus exemptis. Romæ 20. Aprilis 1708. -- G. Cardinalis Carpineus -- Ferdinandus Archiepiscopus Nicænus.

Decretum Congregationis, quo declaratur Abbates in eorum Benedictionibus non teneri ad aliud juramentum quam illud in Pontificali Roman. descriptum.

Preces Abbatum.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte dictorum Præsidis, & Abbatum prædictæ Congregationis Bavaricæ Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Bavaricæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Maji MDCCVIII. Pontificatus Nostris Anno Octavo.

LXXVI[...] Damnatur, & prohibetur liber sub tit. *Traité de la puissance Ecclesiastique, & temporelle &c.*

Damnatur, & prohibetur liber &c. Traité de la puissance &c. *Const. ed. 1707. Dec. 19. P. 8. damnati fuere libri Laurentii Pirez de Carvalho. Et Const. ed. 1708. Jul. 13. P. 8. damnatur,* Le Nouveau Testament &c.

Dat. 14. Ma[...] 1708. An. [...]

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis Apostolicæ servitutis munere, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidemus, Dominici Gregis custodiæ jugiter invigilantes, ac oves æterni Pastoris sanguine redemptas a perniciosarum doctrinarum venenis pastorali charitate, quantum Nobis ex alto conceditur, præservare satagentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum quemdam Gallico idiomate conscriptum, cui Titulus: *Traité de la puissance Ecclesiastique, & temporelle,* Anno 1707. Typis (ut accepimus) impressum, & in lucem editum, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub excommunicationis pœna per contrafacientes ipso facto absque alia decla-

Damnati[o] & prohibiti[o] d. libri cum mandato il[...]lum tradend[i] Ordinariis, vel Inquisit[o]ribus.

ratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque librum prædictum pœnes se habuerint, illum statim ac præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur.

Clausulæ.

§. 1. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ, omnes, & singulos quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: ipsarum autem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Maji MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

XXVIII.

Confirmatur, & innovatur Constitutio Pauli V. contra ambientes Officia, & Dignitates in Congregatione Canonicorum Regul. S. Salvatoris Ord. S. Augustini.

Inn. XII. Const. ed. 1695. Jan. 19. P. 4. statutum fuit, ut serventur Constitutiones de receptione Regularium professorum. Et hujus Pontificis Const. ed. 1709. Mar. 18. P. 9. extenditur indultum de Prælaturis obtinendis.

Dat. 20. Junii 1708. An. 8.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad recidendam, & excludendam a Religiosis viris, quos in humilitatis Spiritu Deo servire decet, ambitiosa honorum, & dignitatum cupiditate pie, prudenterque constituta esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, novisque præsidiis ut serventur exactius corroboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Refertur Constitutio Pauli V. contra implorantes auxilium extra Religionem, vel utentes illegitimis modis ad Officia, vel dignitates obtinendas, cum præscriptione pœnarum, nedum contra eos, sed etiam contra Superiores indulgentes.

§. 1. Dudum siquidem per fel. rec. Paulum PP. V. prædecessorem nostrum accepto, quod quidam in Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini Dignitatum, & officiorum in dicta Religione ambitione ducti pro iis consequendis Ecclesiasticorum, & sæcularium Principum, aut aliarum personarum studia requirebant, & S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis Commendatitias literas, aliosque favores, & gratias procurabant, quibus adjuti gradus, & dignitates in eadem Religione consequi valerent; propterea dictus Paulus Prædecessor Officia, & Dignitates pro meritis cujuscumque absque ambitu conferri cupiens per quasdam suas in simili forma Brevis die 22. Septembris 1607. expeditas literas Motu proprio, & ex certa scientia, & mera deliberatione suis omnes, & singulos Canonicos Regulares dictæ Congregationis, & Ordinis cujuscumque gradus, status, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero pro Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & aliis Officiis Congregationis, & Ordinis prædictorum consequendis ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque personarum tam Ecclesiasticarum, quam Sæcularium de gremio dictæ Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque Sæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium, favores recurrissent, aut aliis viis illicitis ad hujusmodi Prælaturas, gradus, honores, & dignitates, administrationes, & alia officia obtinenda aspiravissent, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsivissent, ac iis obtentis usi fuissent, illorumque complices, & fautores ad quascumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinenda, perpetuo inhabiles declaravit, & obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & Officiis hujusmodi eo ipso privavit, & sic promotos voce tam activa, quam passiva carere decrevit, & declaravit, atque in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus dictorum Congregationis, & Ordinis Superioribus, Prælatis, Canonicis quocumque nomine nuncupatis, etiam Priori Generali tunc, & pro tempore existentibus præcepit, districteque mandavit, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel alias ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & Rerumpublicarum, vel Prælatorum etiam ejusdem S. R. E. Cardinalium, aut aliarum quarumcumque personarum tam Sæcularium, quam Ecclesiasticarum extra dictum gremium existentium, ad cujusvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia dictæ Congregationis promovere, vel pœnas aliquas remittere auderent, vel præsumerent.

§. 2. Decernentes electiones, & promotiones ad Monasteria, seu Prioratus, vel officia dictorum Congregationis, & Ordinis contra earumdem literarum dispositionem quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus, invalidasque fore, & esse, ac omnes, & singulos in præmissis delinquentes nulla alia admonitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illos sententias, & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitime probandum solas præmissarum personarum instantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam & sufficientem in Judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, & alias, prout in præfatis Pauli Prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Angelus Seraphinus Mastri Procurator Generalis prædictæ Congregationis S. Salvatoris Nobis nuper exponi fecit prædictæ Pauli Prædecessoris literæ non ita exacte, & accurate, ut par est in eadem Congregatione observentur: Hinc est, quod Nos considerantes, quod nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tanquam Aaron, ac proinde pravum hoc ambitionis malum omnino tollere, & a dicta Congregatione

Causæ Confirmationis relatæ Constitutionis.

penitus

penitus excludere cupientes, ut Congregatio ipsa præclara semper humilitatis Religiosæ laude floreat, illiusque munera, non mendicatis studiis, sed a viris virtute, & meritis conspicuis obedienter suscipiantur, & humiliter administrentur, ac dictum Angelum Seraphinum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prædictas Pauli Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis censuris, & pœnis, & aliis quibuslibet contentis in illis Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus sit, innovamus, ac de novo constituimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, illaque omnia, & singula inviolabiliter, & inconcusse in præfata Congregatione Sancti Salvatoris perpetuo servari mandamus, & præcipimus.

Confirmatio, & innovatio Constitutionis Pauli V. precibus Procuratoris Gener. facta.

§. 4. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, easdem præsentes literas, illarumque exempla etiam impressa manu Abbatis Generalis ipsius Congregationis S. Salvatoris subscripta, & ejus sigillo munita in locis patentibus uniuscujusque Monasterii affigi, & perpetuo retineri, ac semel in anno per Superiores quorumcumque Monasteriorum inter alias Constitutiones Apostolicas legi, & publicari, dictasque literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ cum mandato Gener. Constitutionem affigendi, & legendi.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ prædictus Paulus Prædecessor in literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Junii MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

LXXIX.

Conceditur vox deliberativa Definitoribus adjunctis Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Hæc vox concessa fuerat a Congreg. Episc. & Reg. & confirmata in Const. ed. 1708. Mar. 24. P. 8. Item conceditur Definitorio adjuncto Const. ed. 1714. Jun. 11. P. 14.

Dat. 25. Julii 1708. An. 8.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALias Nos in Causa Avenionen. seu Parisien. inter Dilectos Filios Clericos seculares Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & quosdam particulares Presbyteros Provinciæ Parisien. ejusdem Congregationis ex altera partibus vertente, ad supplicationem dilecti etiam filii Joannis Fallot Procuratoris Generalis dictæ Congregationis Decretum infrascriptæ Cardinalium Congregationis, quo duobus Dubiis, primo scilicet an Decretum Capituli Generalis anno 1705. Sess. 18. editum circa electionem definitorum adjunctorum in locum Procuratorum Generalium absentium, qui voce fruerentur consultiva illis absentibus, & non aliter donec a S. Sede ipsis & deliberativa obtineretur tum in Definitorio, tum in Capitulo Generali sustineretur in casu etiam, & quatenus affirmative; ac secundo, an beneplacitum Apostolicum pro voce deliberativa esset concedendum, ad utrumque affirmative responsum fuerat, toto illius tenore inserto, auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 24. Martii proxime præteriti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

Ab hoc Pontifice confirmatum fuerat Decretum de voce deliberativa pro Definitoribus adjunctis.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Joannes Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, dilectus etiam filius Anselmus Espittallier Clericus dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ ad munus Definitoris adjuncti hujusmodi assumptus fuerit; Ipse vero Joannes Procurator Generalis, ne unquam futuris temporibus de validitate electionis prædicti Definitoris adjuncti, minusque de Beneplacito Apostolico pro eadem voce deliberativa dubitari possit, electionem de persona dicti Anselmi Definitoris adjuncti per Nos confirmari, illique, ac ejus ad idem munus pro tempore assumendis Successoribus vocem deliberativam concedi plurimum desideret.

Preces Procuratoris Gen. & causa novæ Congregationis.

§. 2. Nos ipsum Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eidem Anselmo, ejusque in dicto Definitoris Adjuncti officio successoribus vocem deliberativam, tam in Capitulo Generali, quam in Definitorio cum omnibus privilegiis, & conditionibus in Decreto Capituli generalis dicto anno 1705. Sess. 18. edito contentis, eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Concessio vocis deliberativæ juxta Decretum Capituli Gen. 1705.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Anselmo, aliisque ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis Doctrinæ Christianæ hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores

præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Jul. MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

LXXX.

Conceditur Fratribus Tertii Ord. Sancti Francisci Provinciæ Lugdunen., ut decedente Ministro Provinciali sex mensibus ante Capitulum, Vicarius Gen. non eligatur.

Ab Alexand. VII. Constit. edit. 1660., Febr. 16. statutum fuit, ut in præd. casu absque ulla restrictione eligeretur Vicarius Gener. At ab Innoc. XI. similis huic præsenti concessio facta fuit Provinciæ Parisinæ. Innoc. XII. Constitut. edit 1693. Oct. 19. Pont. 3. extat resolutio quorumdam dubiorum. Et hujus Pontificis Constit. edit. 1718. Maii 14. Pont. 18. agitur de receptione Guardiani, & aliorum Officialium S. Mariæ Miraculorum de Urbe.

Dat. 9. Aug. 1708. An. 8.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constitutionis.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, quatuor Definitores, & Exprovincialis Provinciæ Lugdunensis, sive Sancti Ludovici Tertii Ordinis Sancti Francisci totum, & integrum Diffinitorium conficientes, quod cum ipsi nonnulla inconvenientia ex executione quarumdam literarum fel. rec. Alexandri Papæ VIII. Prædecessoris nostri die 16. Februarii 1660. expeditarum, quibus electio Vicarii Provincialis casu obitus Ministri Provincialis demandatur, oriri posse animadvertentes, ex eo, quod in prædicto casu obitus Ministri Provincialis Exprovincialis curare debet, ut ad electionem Vicarii Provincialis modo in præfatis literis præscripto procedatur, & eveniente dicti Ministri Provincialis brevi tempore ante triennium sui officii elabendum obitus, cœtum ad dictam electionem non tantum fore inutilem, verum perturbationes in præfata Provincia, moramque pro celebratione Capituli subsequentis allaturum esse, ad tollenda inconvenientia hujusmodi dilecto filio Cherubino a Lugduno Fratre expresse professo, & Procuratori Provinciæ hujusmodi dederunt in mandatis, ut memoratarum Alexandri Prædecessoris literarum explicationem ab infrascripta Cardinalium Congregatione postularet, quatenus si in prædicto Ministro Provinciali obitus adventu, sex solum menses usque ad celebrationem sequentis Capituli Provincialis supersint, nulla in posterum electio Vicarii Provincialis fieri debeat, sed Exprovincialis, vel in ejus defectum alius, qui tunc sigillorum, & negotiorum Provinciæ geret curam, Provinciam ipsam cum omnimoda Vicarii Provincialis potestate usque ad tempus Capituli celebrandi præfinitum gubernet, literasque obedientiales pro convocando eodem Capitulo, ad quos de jure accedere competit, transmitti, cæteraque omnia, quæ de jure, & consuetudine sunt peragi curet, quemadmodum Provinciæ Parisinæ dicti Ordinis a piæ me. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro concessum fuisse memoratur. Nobis propterea exponentes, & Cherubinus prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. (Preces Definitorii.)

§. 1. Nos igitur eosdem Exponentes, & Cherubinum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio attentis narratis, ut si ab obitu Ministri Provincialis sex menses dumtaxat supersint usque ad celebrationem futuri Capituli Provincialis, nulla deinceps Vicarii Provincialis electio fieri debeat, sed Exprovincialis, vel in ejus defectum alius, qui tunc sigillorum, & negotiorum Provinciæ curam geret, eamdem Provinciam cum omnimoda Vicarii Provincialis auctoritate gubernet, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. (Concessio prædicta.)

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Clausulæ.)

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Aug. MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

LXXXI.

Confirmatur Decretum Magistri Gen. Eremitarum S. Augustini, quo revocatur alternativa in Provincia B. M. V. de Gratia in Indiis Occident.

Hæc alternativa instituta fuit 1649. & confirmata 1680. 1689. & executioni mandata 1681. Const. ed. 1704. Apr. 19. Pont. 4. confirmata fuit alternativa in Provincia Portugalliæ Const. ed. 1716. Oct. 26. Pont. 16. confirmatur alternativa in Lusitania & Algarbiis. Et Const. ed. 1713. Jun. 21. Pont. 13. agitur de electione Provincialium in Ind. Occident.

Dat. 14. Aug. 1708. An. 8.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Augustinus Garzia de Galves Frater expresse professus, ac in Romana Curia Procurator Provinciæ B. Mariæ Virginis de gratia nuncupat. in Indiis Occidentalibus Ordinis Eremitarum S. Augustini in Sacra Theologia Magister, quod alias videlicet die 3. Octobris proxime præteriti dile-

ctus etiam filius Adeodatus Nuzzi Prior Generalis Ordinis prædicti Decretum super nullitate Alternativæ dictæ Provinciæ inter Religiosos Hispanos, in Europa, & Hispanos, ex alia parte in America natos Crioli vulgo nuncupatos ab aliis tunc existentibus Prioribus Generalibus Prædecessoribus suis in dicto Decreto emanatis præscriptæ edidit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Prioris Gen 1707. Oct. 3. in quo pluribus exponuntur causæ revocationis Alternativæ.

§. 1. Adeodatus Nuzzi ab Altamura Sacræ Theologiæ Magister totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. N. Augustini Prior Generalis Muneris nostri ratio exposcit, ut quæ ad rectum Provinciarum regimen spectant efficaci solicitudine promoveamus, eaque omnia removere satagamus, quæ in Provinciis ipsis providam, & fidelem bonorum administrationem, studiorum profectum, ac regularem disciplinam evertere, ac dissipare moliuntur. Sane ex Alternativa in Provincia nostra Deiparæ Virginis de Gratia novi Regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Hispanos inter, ac Criollos, ut vocant pro officio Provincialatus, Definitorum, & Visitatorum a Reverendissimo Prædecessore nostro Philippo Vicecomite sub die 23. Octobris anno 1649. instituta; & deinde a Reverendissimis pariter Prædecessoribus nostris Dominico Valvasorio sub die 4. Maji anno 1680., & Fulgentio Travallonio sub die 22. Januarii anno 1689. confirmata, quæ tamen effectu suo caruit usque ad annum 1681., resistente usque ad tempus illud statutæ Alternativæ executioni Provincia, utpote, quæ futura mala inde exoritura optime prævidebat, nullum revera in laudatam Provinciam commodum, decorem nullum, quinimo gravissima detrimenta tam in temporalibus, quam in spiritualibus redundare non sine ingenti cordis nostri dolore experimur; nam cum ob parvum Hispanorum numerum eadem in Provincia commorantium, qui ternarium aliquando non excedunt, quinque requisitis per Sacras Ordinis Constitutiones ad officia obtinenda præscriptis sæpe sæpius destituti reperiuntur, eligi necesse fit ex vi memoratæ Alternativæ in Diffinitores, in Visitatores, & quod lacrymabilius est in Provinciales etiam, viros inidoneos, indoctos, rerum agendarum inexpertos, nulla virtute probatos, & aliquando a propriis Provinciis exules, atque profugos, dictu inexplicabile est, quot, & quæ damna miserrima Provincia sub talibus Superioribus constituta patiatur: Inde enim naturali quadam consecutione exoriuntur bonorum temporalium dilapidationes, literarum contemptus, ac Regularis disciplinæ relaxatio: His propterea malis occurrere volentes, super quibus, ut opportune provideamus instantissime nomine Provinciæ R. P. Magister Frater Augustinus Garzia de Galtes ejusdem Provinciæ in hac Aula Romana Procurator nos urgere mature, diuque in nostra Congregatione discussa, nullum aliud remedium Provinciæ saluti consentaneum adhiberi posse judicavimus, quam e medio tollere prædictam Alternativam nunc dictorum malorum causam quamvis ex fine Provinciæ succurrendi a laudatis Prædecessoribus nostris prudenter institutam, & respective confirmatam: Harum itaque serie literarum, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum RR. PP. memoratæ nostræ Congregationis prædictam Alternativam a Philippo Vicecomite in Provincia nostræ Deiparæ Virginis de Granata novi Regni Granatensis in Indiis Occidentalibus institutam, & a Dominico Valvasorio, Fulgentio Travallonio, aliisque forsan Prædecessoribus nostris confirmatam irritamus, cassamus, & annullamus, prout irritam, cassam, & nullam esse, & fore volumus, decernimus, & declaramus: ac proinde damus, & concedimus, seu verius restituimus eidem Provinciæ novi Regni Granatensis plenam facultatem, quæ ipsi de jure alias competit, sibi eligendi perpetuis futuris temporibus in Provincialem, Definitores, Visitatores, Priores, & reliquos officiales sive ex Hispanis, sive ex Criolis eos viros, quos ad prædicta officia respective adimplenda in Domino judicaverint aptiores. Præcipimus vero omnibus, & singulis Nobis subditis in virtute Spiritus Sancti, & in meritum salutaris obedientiæ, nec non sub rebellionis nostræ, privationis utriusque vocis, officiorum, & graduum, ac etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, quam hac una pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis (licet inviti) ferimus, aliisque nostro arbitrio reservatis pœnis, ne ullo quæsito colore, aut prætextu sint impedimento, quominus præsentes nostræ literæ, quas firmas, validas, & efficaces semper esse volumus, suos plenarios, & integros effectus sortiantur, & obtineant, irritum, atque inane declarantes quidquid super his a quoquam Nobis inferiore quomodolibet scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die III. 1707. Octobris Fr. Adeodatus Nuzzi Generalis Magister. Fr. Josephus Marchetti Forosempronienſis Ordinis Secretarius.

Preces Procuratoris Provinciæ.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Augustinus Garzia Procurator præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsius Augustini Garziæ votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti filii nostri Josephi Renati ejusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris perpenderunt, consilio, præinsertum memorati Adeodati Prioris Generalis Decretum cum omnibus, & singulis in eo contentis Auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo

robore

robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Statuitur, ut executioni mandetur Constitutio Clem. X. de facultate mittendi Discretum, & Juvenes ad Conventum Parisien. FF. Minor. de Observ. pro Superioribus Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris Ordinis.

Laudata Constitutio hic refertur, & ed. fuit 1671. Oct. P. 3. Item hujus Pontificis Const. ed. 1705. Sep. 28. P. 5. concessa fuit hæc facultas. Et Const. edit 1710. Jan. 21. P. 10. confirmantur Regulæ Collegii Sancti Bartholomæi in Insula de Urbe.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

DUdum felic. rec. Clemens Papa X. Prædecessor noster supplicationibus tunc existentis Ministri Provincialis Provinciæ Aquitaniæ antiquioris Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum Superioribus Regularibus, ad quos cæteroqui juxta præscriptum ejusdem Ordinis Constitutionum pertinebat, ut Discretum, & Juvenes ad magnum Conventum Parisien., prout ante quarumdam in forma Brevis literarum expeditionem consueverant, studiorum causam mittere possent, & valerent, facultatem concessit, & impartitus fuit, prout continetur in ipsius Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. Clemens Papa X. *Ad futuram rei memoriam.* Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Felix Cuilhens Minister Provincialis Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum, quod a multis annis per quasdam Literas Apostolicas in simili forma Brevis expeditas, ad instantiam tunc existentis Ministri Provincialis dictæ Provinciæ nomine Joannis Jourdain, prohibitum fuit, ne Discretus, & Studentes ejusdem Provinciæ ad magnum Parisiensem Conventum dicti Ordinis amplius mitterentur, eo quod regularis observantia in illo minime vigeret, indeque timeretur, ne ad Provinciam prædictam transactis studiis redeuntes ab ipsa regulari observantia aliquo modo declinarent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, reformatio in prædicto Conventu Parisien. a Dilecto filio Ministro Generali Ordinis prædicti jam laudabiliter feliciterque introducta reperiatur, cessetque proinde talis prætextus, neque simile periculum amplius sit timendum, & propterea dictus Felix Minister Provincialis Provinciam prædictam in suum jus, quo ante emanatas Literas prædictas pacifice, & absque ulla controversia fruebatur, restitui, eique facultatem mittendi Discretum, & Studentes more solito ad eumdem Conventum Parisien. concedi plurimum desideret, & pro juris hujusmodi restitutione jam a prædicto Ministro generali in partibus tunc existente decretum ad hunc effectum fuerit expeditum: Nos ipsius Felicis Ministri Provincialis votis, hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dicti Ministri Generalis audiverunt, consilio, Superioribus Regularibus, ad quos cæteroqui juxta præscriptum ejusdem Ordinis Constitutionum pertinet, ut Discretum, & Juvenes ad prædictum Conventum Parisien., prout ante prænarratarum in forma Brevis Literarum expeditionem consueverant studiorum causa mittere possint, & valeant facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impartimur. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscunque judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Literis prædictis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Octobris MDCLXXI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Causa præsentis Constitutionis, & preces Exprovincialis.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Philippus Faure Ex-Definitor Generalis, & Exprovincialis dictæ Provinciæ Nobis nuper exponi fecit, in prædicto Conventu Parisien. a tunc pariter existente Ministro Generali Ordinis prædicti reformatio introducta fuerit, necnon ibidem regularis observantia de præsenti vigeat, ac proinde præinsertas Literas hujusmodi, quæ ob quasdam controversias tamen inde secutas executioni demandatæ minime fuerunt, per Nos confirmari plurimum desideret. Nobis propterea dictus Philippus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Philippum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter filium Procuratorem Generalem Ordinis præfati audiverunt, consilio, præinsertas Clementis Prædecessoris Literas, tametsi illæ executioni demandatæ non fuerint, ut præfertur, nihilominus executioni mandari, ac perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia servari posse, & debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Statutum mandandi executioni relatam Constitutionem.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Clementis Prædecessoris Literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decembris MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. de ratione habenda solius meriti in electionibus Fratrum Min. de observ. Reformat. Provinciæ S. Didaci Papien.

Inn. XII. Const. ed. 1694. Apr. 7. P. 5. statutum fuit, ut Procurator Gen. eligatur in Capitulo Gen. Et hujus Pontificis Const. ed. 1717. Sept. 7. P. 17. agitur de electione Visitatorum pro Provincia Conceptionis B. M. V. Fluminis Januarii.

Dat. 8. Martii 1709. An. 9.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita pro Declaratione Rescripti alias nempe sub die 5. Martii 1693. in Causa Fratrum Provinciæ Sancti Didaci Papien. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupat. facti scilicet, quod nihil innovandum esset quoad divisionem, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Minorum Reformatorum Provinciæ Sancti Didaci pro declaratione Rescripti alias facti sub die 5. Martii 1693. tenoris sequentis -- Nihil innovandum quoad divisionem -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, reassumptis, ac visis juribus, & scripturis datis sub dicta die quinta Martii ad relationem claræ memoriæ Eminentissimi Petrucci, ac mature perpensis rationibus adductis, referente Eminentissimo de Abdua, censuit, & declaravit, Decretum anni 1693. esse intelligendum, itaut nulla habeatur ratio Nationum, & æqualitatis Definitorii, sed solum meriti eligendorum. Romæ 21. Februarii 1709.

Decretum præd. 1709. quo declaratum fuit quoddam rescriptum an. 1693. in causa petitæ divisionis.

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii nonnulli Fratres dictæ Provinciæ Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & promptius executioni mandetur, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Preces nonnullorum Fratrum.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Martii MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXIV.

Extenditur Indultum de assequutione Prælaturarum ab Urb. VIII. concessum Lectoribus, & Magistris Juvenum Canonicorum S. Salvatoris Ord. S. Augustini ad Religiosos curam animarum habentes.

Indultum ed. fuit 1641. Jun. 25. Hujus Pontificis Const. ed. 1709. Jun. 20. P. 8. confirmata fuit Constitutio contra ambientos.

Dat. 18. Mar. 1709. An. 9.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

DUdum fel. rec. Urbano VIII. Prædecessori pro parte tunc existentis Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Sancti Salvatoris Ordinis S. Augustini exposito, quod ipse aperte cognoscebat, ex recta educatione Novitiorum, & Juvenum Professorum quemcumque dictæ Congregationis progressum dimanare, & re ipsa compertum habebat, paucos Ministerio hujusmodi uti difficili, & laborioso animum intendere velle, proindeque rei adeo gravi opportunum aliquod remedium adhibere desiderabat. Idem Urbanus Prædecessor supplicationibus prædicti Abbatis Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod ii prædictæ Congregationis Canonici Regulares presbyteri, qui de cætero laudabiliter spatio sex annorum Magistri, seu Lectores Novitiorum, & Juvenum professorum fuissent, in assecutione Prælaturarum dictæ Congregationis deinceps vacantium, primum quidem Lectores, & deinde Magistri Novitiorum, Juvenumque professorum hujusmodi, quatenus tamen quo ad mores, & regimen habiles a Capitulo Generali, vel a Dietis infra annum haberi solitis, reputarentur quibusvis aliis ejusdem Congregationis Canonicis Regularibus præferri deberent, auctoritate Apostolica statuit, mandavit, & ordinavit, & alias prout in ipsis Urbani Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 25. Junii 1641. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus plenius continetur.

Ab Urb. VIII. concessa fuit habilitatio ad Prælaturas Lectoribus, & Magistris Juvenum post sexennium.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis prædictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit Congregatio hujusmodi ob nonnullas Ecclesias Parochiales, quas

Causa extensionis Indulti, & Preces Procuratoris Gen.

obtinet,

obtinet, Religiosis, qui curam animarum incumbant, magis indigeat. Ipse vero modernus Procurator Generalis, quo prædicti Religiosi ad officium hujusmodi diligenter exercendum incitentur, supradictum Indultum a memorato Urbano Prædecessore ad favorem prædictorum Lectorum, seu Magistrorum Novitiorum concessum, ut præfertur, ad eos Religiosos dictæ Congregationis, qui per sexennium in ea curam animarum exercuerint, itaut ipsi in assecutione Prælaturarum prædictarum pro tempore vacantium, dummodo tamen conditionibus in prædictis Urbani Prædecessoris literis requisitis prædíti sint, aliis præferri debeant, quemadmodum lectores præferuntur, per Nos extendi, & ampliari plurimum desideret: Nos prædicti moderni Procuratoris Generalis Votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione bo. me. Leandri dum vixit ejusdem S. R. E. Cardinalis Colloredi nuncupati dictæ Congregationis S. Salvatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Comprotectoris, eisdem Cardinalibus facta, petitam similis Indulti extensionem ad favorem illorum Religiosorum dumtaxat, qui in posterum laudabiliter curæ Animarum incumbent, in illis Ecclesiis dumtaxat, quibus inserviant ipsi Canonici Regulares, ibique vigeat Regularis observantia, auctoritate, & tenore præfatis concedimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Extensio Indulti ad eos illum, qui curati sint in propriis Ecclesiis post sexennium.]

[Clausulæ.]

§. 2. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Urbani Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXV. Mandatur Ordinariis Italiæ, & Generalibus Religiosorum, ut saltem bis in anno Populo commendari curent necessitates Captivorum.

Similis Constitutio ed. fuit 1701. Nov. 18., P. 1 pro indigentiis Locorum Sacrorum Terræ Sanctæ. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721., Nov. 21., P. 1. Hujus Pontificis Const. ed. 1715., Sep. 16., P. 13. extat huic simile mandatum.

CLEMENS PAPA XI.

[Dat. 25. Maji 1709. An. 9.]

Ad futuram rei memoriam.

[Preces Procuratoris Gen. Ord. SS. Trinitatis ac Causæ præsentis Constitutionis.]

Cum sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum Congregationis Hispaniæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit Christifideles multo numero sub dura Barbarorum servitute cum gemino corporis, & animæ periculo detineantur, & in illorum redemptionem dilectus pariter filius Mauritius a Sancto Joanne de Matha frater expresse professus Congregationis prædictæ in Oppido Civitate nuncupat. Liburni a suo Superiore Generali, & Definitorio juxta laudabile Congregationis hujusmodi Institutum deputatus fuerit: quia verò modica in Redemptionem eorumdem Christifidelium Captivorum subsidia conferunt, unde eorum calamitates, & pericula in dies ingravescunt, dictus Procurator Generalis Christifidelium pietatem ad opus adeò pium excitari plurimum desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuère volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Raynutii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Pallavicini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis Italiæ, necnon dilectis filiis Superioribus Generalibus quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium harum serie auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet Anno, Adventus, scilicet, & Quadragesimæ temporibus in suis respective Ecclesiis, tam per verbi Dei Prædicatores in Sacris Concionibus, quam in aliis actionibus, & functionibus publicis prædictorum Christifidelium Captivorum miserias, & calamitates Populo proponi, & commendari curent, & faciant, ut eorum exhortationibus stimulentur Christifideles ad eleemosynas largiter conferendas, quibus prædictus Mauritius, seu alii Redemptores dictæ Congregationis Hispaniæ eosdem Captivos a dura servitute hujusmodi redimere, ac illorum spirituali, corporalique saluti, Domino benedicente, valeant providere; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Mandatum prædictum.]

[Clausulæ.]

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Maji MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXVI.

Conceditur Indulgentia Plen. Perp. pro Ecclesiis Monachorum Congregationis Poloniæ in Festis Inventionis, & Exaltationis S. Crucis.

Hæc Congregatio erecta fuit ab hoc Pontifice Const. ed. 1709. Maji 22. P. 9.

Dat. 6. Junii 1709. An. 9.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Preces Congregationis.

Ad augendam fidelium religionem, & Animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dilectorum filiorum Monachorum Monasteriorum Congregationis Poloniæ Ordinis S. Benedicti sub titulo S. Crucis a Nobis erectæ, & institutæ nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesias prædictorum, & aliorum quorumcumque dicti Ordinis Monasteriorum eidem Congregationi Poloniæ in futurum quandocumque canonice aggregandorum, vel earum aliquam in Inventionis, & Exaltationis ejusdem Sanctæ Crucis festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis cujuslibet festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio præd. Indulg.

Clausulæ.

§. 1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Junii MDCCIX., Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXVII.

Declarantur nulla Edictum, & Mandatum a Sæculari potestate in Ducatu Mediolanen. promulgata, ne transferantur pecuniæ ad Statum Ecclesiast., & ut sequestrentur fructus Ecclesiastici personarum absentium, cum facultate absolvendi resipiscentes Archiepiscopo Mediolanen. concessa.

De vi illata immunitati Ecclesiasticæ super fructibus in Ducatu Parmæ, & Placentiæ vide Constit. ed. 1707. Jul. 27. P. 7. Et de eadem re in Regno Neapolis vide Constitutionem sequentem.

Dat. 5. Oct. 1709. An. 9.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

A sæculari potestate Mediolanen. edictum publicatum fuit 1708. quo prohibebatur translatio, seu transmissio pecuniarum ad Statum Ecclesiasticum.

Alias cum ad Apostolatus Nostri notitiam, non sine gravi animi Nostri molestia, pervenisset in Civitate, & Ducatu Mediolanen. prodiisse a Sæculari potestate Edictum quoddam paulo ante nempe die 20. Martii 1708. editum, quo sub gravissimis pœnis prohibebatur, ne quis cujuscumque status, gradus, & conditionis esset, genus ullum pecuniarum in quavis quantitate, specie, vel moneta e Civitate, ac Ducatu præfatis ad almam Urbem nostram, aliave loca Status Nostri Ecclesiastici deferendarum per se, vel alios directe, vel indirecte ex quavis causa, seu prætextu, etiam privilegiato extrahere, seu extrahi facere auderet; ac insuper sub iisdem pœnis interdicebatur, ne ullus Campsor, seu alia quælibet persona directe pariter, vel indirecte pecunias prædictas ad effectum illas sive per mandata, sive per literas Cambii, ut vocant ad Urbem, aliave loca Status Ecclesiastici hujusmodi transmittendi, recipere, seu solvi facere ex quacumque causa, seu prætextu, ut supra, etiam privilegiato similiter auderet, seu præsumeret. Simulque Nobis innotuisset, die subsequenti nempe 21. ejusdem mensis Martii in Civitate Mediolanen. prædicta ab eadem sæculari potestate itidem prodiisse mandatum, seu Decretum quoddam quo tunc existenti nostro, & Apostolicæ Sedis Œconomo Generali in Ducatu Mediolanensi hujusmodi auctoritate Apostolica deputato præcipiebatur, ut illico super fructibus, redditibus, & proventibus cujuscumque tandem generis essent, omnium, & quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum in Ducatu præfato a personis extra illum degentibus possessor sequestrum apponeret, fructusque, redditus, ac proventus hujusmodi tam tunc decursos, & non solutos, quam de cætero decurrendos exigeret, ac illos, seu illorum pretium penes personam fide, & facultatibus idoneam deponeret, neque eos absque prædictæ sæcularis potestatis licentia quovis modo distrahi permitteret; Præterea quascumque pensiones, ac præstationes a quibusvis personis dicti Ducatus quibuscumque personis Ecclesiasticis extra eumdem Ducatum, ut præfertur degentibus solvi, seu dari consuetas, similiter sequestro committeret, & ad effectum supra expressum retineret, ac alias, prout in Edicto, ac mandato, seu Decreto supradictis, quorum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, plenius continetur.

Item Mandatum de sequestro fructuum, & pensionum Ecclesiasticorum absentium a Ducatu Mediolanen.

Nos probe considerantes, ex edicto, ac mandato, seu Decreto hujusmodi maximum Pontificiæ non minus auctoritatis, quam dignitatis detrimentum nec non manifestam Jurium Ecclesiasticorum subversionem sequi primum quidem, hoc est, statim ac præmissa Nobis innotuerunt, Pastoralis muneris nostri partes quantocius implere satagentes per plures literas jussu nostro a dilecto filio nostro Fabritio S. R. E. Presbytero Cardinali Paulutio nuncupato Secretario nostro status, tam dilecto pariter filio nostro Josepho ejusdem S. R. E. etiam Presbytero Cardinali Archinto nuncupato Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli, quam aliis Venerabilibus Fratribus Episcopis in dicto Ducatu Mediolanen. suas Ecclesias, vel Diœceses habentibus conscriptas edictum, & mandatum, seu Decretum supradictum, tanquam juribus, & rationibus Ecclesiæ manifeste adversantia improbavimus, ipsisque Josepho Cardinali, & Præsuli, ac Episcopis propterea commisimus, & mandavimus, ut contra eos, qui illis exequendis quovis modo se ingerere ausi fuissent, via Juris procederent.

Datis Literis 1708. ad Ordinarios in d. Ducatu improbata fuere memorata Edictum, & Mandatum, necnon ipsis injunctum, ut de jure procederent contra executores.

Subinde vero per alias binas literas ab eodem Fabritio Cardinale, ac Secretario status tam eidem Josepho Cardinali, ac Præsuli, quam tunc in humanis agenti bo. me. Jacobo Antonio S. R. E. prædictæ Cardinali Morigia nuncupato, dum vixit Ecclesiæ Papien. ex concessione, & dispensatione paribus Præsuli die 28. Aprilis ejusdem Anni 1708. jussu nostro datas, utrique eorum injunximus, ut non modo iis, qui edictum, ac mandatum, seu Decretum hujusmodi ediderant, seu subscripserant, sed etiam aliis omnibus, qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsan etiam executione, auxilium, consilium, favorem, aut operam quovis modo præstitissent,

Item aliis literis mandatum fuit Præsulibus Mediolan. & Papien. ut denunciarent censuras, & pœnas in violatores Sacrorum jurium, atque ab Imperatore auxilium peterent.

quorum-

quorumcumque tandem gradu, seu dignitate præfulgerent, censuras, & pœnas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, ac Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitis, signanter vero dicto Anno 1708. ea ipsa die, qua Edicti, & Mandati, seu Decreti præfatorum exemplaria typis impressa ad manus nostras pervenerant, lectis, & promulgatis, inflictas, quibus ipsi irretiti reperiebantur, Pastorali pectore aperte edicerent, illos præterea paterna charitate admonerent se a censuris, & pœnis hujusmodi, non nisi post debitam, & condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, & liberari posse, validis demum, ac salutaribus officiis apud eum agerent, cujus auctoritate præmissa a pietate quidem Austriaci nominis, quod præseferebant, nimium aliena, gesta fuisse dicebantur, quatenus scandalis tam gravibus constanti suo in Ecclesiam cultu, acceptoque ab inclytis majoribus more confestim occurreus, omnino curaret, ut quæ nos Jure nostro petebamus, & exigebamus pro reparatione auctoritatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, ipso etiam jubente quamprimum implerentur. Quæ sane omnia idem Josephus Cardinalis, & Præsul se Evangelica libertate, suoque munere, ac loco, quem in Ecclesia Dei obtinet vere digni fideliter, & alacriter implevisse suis ad eumdem Fabritium Cardinalem, & Secretarium status datis literis rescripsit. Ad hæc nostris in simili forma Brevis ad Charissimum in Christo filium nostrum Josephum Romanorum Regem in Imperatorem electum die 6. Maji ejusdem Anni 1708. expeditis literis, & per celerem Cursorem transmissis, gravissimam, quam inde conceperamus, amaritudinem ei denunciavimus, enixe illum hortantes, ac commonentes, quatenus auctoritate sua efficeret, ut Ecclesia ab illis ipsis, a quibus tanta injuria affecta fuerat congruis remediis sarciretur, ac nedum ad jura sua, sedes ad pristinam dignitatem quamprimum rediret. Postmodum vero cum accepissemus, prædictis monitionibus nostris penitus contemptis mandatum signanter, seu Decretum supradictum, quo Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus illorum Possessoribus extra dictum Ducatum, sicut præmittitur, degentibus nulliter, æque, ac perperam intercipiebantur vere in Civitate, & Ducatu prædictis executioni demandatum fuisse, per alias literas a prædicto Fabritio Cardinale, & Secretario status tam Josepho Cardinali, & Præsuli, quam Episcopis supradictis die VII. Julii ejusdem Anni 1708. jussu itidem nostro scriptas districte præcepimus, & mandavimus, ut adversus quoscumque in executione hujusmodi culpabiles, ac potissimum adversus Œconomum Generalem supradictum, ac subœconomos ad legitimam censurarum a Tridentina Synodo *sess. 22. de Reformatione cap. 11.* ac ab Apostolicis in die Cœnæ Domini promulgari consuetis literis supradictis, præsertim Canone XVII. contra talia perpetrantes latarum, atque inflictarum Declarationum absque ulla cunctatione devenirent: Nobis interim justum, & misericordem Dominum assidue exorantibus, ut Nobis quidem cælesti sua ope clementer adesse, errantibus vero, ut in viam possent redire Justitiæ veritatis suæ lumen ostendere non dedignaretur.

§. 1. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, ab eadem sæculari potestate, cujus nomine præmissa contra Jura, & rationes Ecclesiastici Ordinis, ut præfertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum, atque inde secutorum quorumcumque revocatione, rescissione, ac retractione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde nobis oborta fuit justa, ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam esse amplam materiem gratias agendi misericordiarum Patri, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irritos fecerit, inclytumque illud nomen, in quo Sancta Dei Ecclesia tutelam, atque salutem, nec non validum inter pericula præsidium toties est nacta, a veteri sua, ac plæclari laude deficere non permiserit. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, simulque omnium Christifidelium curam, & solicitudinem gerimus, Ecclesiæ indemnitati, ultra ei præjudicialium prædictorum revocationem, ac retractationem eadem auctoritate, qua illa peracta fuerant, sicut præmittitur faciendam Apostolici etiam Judicii nostri accessione efficacius, ac uberius consulere, ac alias animarum saluti quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, nec non omnium, & singulorum quæ in præmissis, seu illorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Edictum, ac Mandatum, seu Decretum supradicta, cum omnibus, & singulis in eis eorumque quolibet contentis, ac inde secutis, & quandocumque secuturis ipso Jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuo fore, neminemque ad cujuslibet eorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari potuisse, vel debuisse, neque ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, vel facta non fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo haberi debere, tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, firmis tamen remanentibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuscumque, quas ii omnes, qui præmissa perpetrarunt, sive alias in illis, ut præfertur, culpabiles fuerunt, propter eadem præmissa incurrerunt, a quibus non nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente post debitam, & condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari valeant. Quoniam vero Sedes Apostolica pia Mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet, & benignam: Idcirco omnes, & singulos primodictos, seu aliquos ex eis, qui veræ pœnitentiæ signa ostenderint, paterna nostra clementia prosequi volentes, eidem Josepho Cardinali, & Præsuli per præsentes committimus, & mandamus, ut si & postquam sibi constiterit Edictum, & Mandatum, seu Decretum supradictum cum omnibus inde secutis congrue revocata, & retractata fuisse, ac alias desuper debitæ, ac condignæ satisfactioni Ecclesiæ opportune consultum fuisse, omnes, & singulos, sive Laicos, sive Clericos tam sæculares, quam Regulares ad ipsum recurrentes cujuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis, & conditionis existant, qui præmissa peragerunt, seu alias in illis quovis modo culpabiles fuerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, & facta prius per eos promissione, quod in futurum a similibus abstinebunt, & quidquid eis præscriptum, & injunctum fue-

Sed interim a Pontifice suo debito fit satis.

Declaratio nullitatis prædictorum cum eorumdem revocatione, ac firmitate censurarum, & pœnarum.

Concessio facultatis Episcopo Mediolan. facta absolvendi a censuris, & pœnis, necnon super irregularitate, in contemptum clavium non contracta, dispensandi in utroque facto cum resipiscentibus satisfacientibus, & promittentibus se a prædictis abstinendi.

rit, priusquam infrascriptæ absolutionis beneficium obtineant, observabunt, & adimplebunt, a censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent, injunctaque cuique pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, similiter injunctis in utroque foro auctoritate nostra Apostolica in forma Ecclesiæ consueta absolvat, & totaliter liberet, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiose remittat, & condonet. Ac cum illis, qui Clerici, seu etiam Presbyteri fuerint super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter eadem præmissa innodati Missas, & alia Divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu alias in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset; Ipsosque, & eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, nec non Beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, cæteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac alias in pristinum, & eorum, in quo antea quomodolibet erant, statum adversus eadem præmissa rehabilitet, restituat, reponat, ac plenarie reintegret. Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur, communicare, & subdelegare valeat, eidem Josepho Cardinali, ac Præsuli harum serie auctoritate prædicta tribuimus, & impertimur.

Clausulæ. §. 7. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, alioque quocumque, etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a jure, vel facto, aut Statuto, Consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed ipsas præsentes literas, & quæcumque in earum executionem ab ipso Joseph Cardinali & Præsule facienda semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Apostolicæ Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Octob. MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXVIII.

Declarantur nulla Edicta, & Literæ a Sæculari Potestate in Regno Neapolis promulgata, ne transmittantur pecuniæ ad Statum Ecclesiasticum, & ut sequestrentur fructus Ecclesiastici personarum absentium, cum facultate absolvendi resipiscentes Archiepiscopo Neapol. concessa.

Similis huic est Constitutio præcedens pro Ducatu Mediolanensi. Et Const. ed. 1711. Jul. 28. P. 11. Declarantur nulla Edicta Magni Consilii in Polonia de suppositione fructuum Ecclesiasticorum pluribus oneribus.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 5. Oct. 1709. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

A Sæculari potestate Neapolitan. publicatum fuit Edictum 1708. quo vetabatur translatio, seu transmissio pecuniarum ad Statum Ecclesiast.

ALias cum ad Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestia, pervenisset, in Civitate Neapolitan. prodiisse a Sæculari potestate Edictum quoddam paulo ante nempe die 8. Jun. 1708. editum, quo sub gravibus pœnis prohibebatur, ne quis cujuscumque status, gradus, ac conditionis esset, genus ullum pecuniarum in quavis quantitate, specie, vel moneta a Regno Neapolis ad Almam Urbem nostram, aliave loca Status nostri Ecclesiastici deferendarum per se, vel alios directe, vel indirecte ex quavis causa, seu prætextu, etiam privilegiato extrahere, seu extrahi facere auderet; Ac insuper sub iisdem pœnis interdicebatur, ne ulla persona directe, vel indirecte pecunias prædictas, ad effectum illas sive per

mandata, sive per literas Cambii, ut vocant ad Urbem, aliave loca Status Ecclesiastici hujusmodi transmittendi, recipere, seu solvi facere ex quacumque causa, seu prætextu, ut supra, etiam privilegiato similiter auderet, seu præsumeret, simulque Nobis innotuisset, vigore quarumdam Literarum ab eadem Sæculari potestate datarum, quibus omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum tam in Civitate, quam Regno Neapolis hujusmodi a personis extra idem Regnum degentibus cujuscumque Ordinis, ac qualitatis essent, possessorum, sequestro committi, illosque penes Montem pietatis dictæ Civitatis deponi, itaut quidquam ex eis absque prædictæ Sæcularis potestatis licentia distrahi minime potest, districte præcipiebatur: Aliud itidem Edictum in executionem literarum hujusmodi in prædicta Civitate Neapolis die 11. ejusdem Mensis Jun. promulgatum fuisse, quo omnibus, & singulis personis cujuscumque tandem status, gradus, & conditionis existerent sub gravibus pœnis mandabatur, ut intra certum inibi præfixum tempus, fructus, redditus, pensiones, præstationes, & alia quævis emolumenta, quæ ex quavis causa, seu titulo a personis Ecclesiasticis extra dictum Regnum degentibus, in eadem Civitate, ejusque districtu percipiebantur ad effectum supradictum denunciare tenerentur, & alias prout in literis, ac Edictis hujusmodi, quorum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, plenius continetur.

§. 1. Nos probe considerantes ex Edictis, & literis prædictis, maximum Pontificiæ non minus auctoritatis, quam dignitatis detrimentum, necnon manifestam Jurium Ecclesiasticorum subversionem sequi: primum quidem, hoc est statim ac præmissa nobis innotuerunt, Pastoralis muneris nostri partes quantocitius implere satagentes, per literas jussu nostro a dilecto filio nostro Fabritio S. R. Eccl. Presbytero Cardinale Paulutio nuncupato Secretario nostro status, tam dilecto pariter filio nostro Francisco ejusdem S. R. E. etiam Presbytero Card. Pignatello nuncupato Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitan. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli, quam aliis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in dicto Regno Neapolis suas Ecclesias, vel Diœceses habentibus, conscripta Edicta, & alia præmissa tanquam Juribus, & rationibus Ecclesiæ manifeste adversantia improbavimus, ipsisque propterea Francisco Cardinali, & Præsuli, ac Archiepiscopis, & Episcopis supradictis commisimus, & mandavimus, ut confestim contra eos, qui illis exequendis quovis modo directe, vel indirecte se ingerere ausi fuissent, via juris procederent; Subinde vero per alias literas a dicto Fabritio Cardinale, ac Secretario Status, eidem Francisco Cardinali, & Præsuli jussu itidem nostro datas injunximus, ut non modo iis, qui Edicta, & alia præmissa ediderant, seu subscripserant, sed etiam aliis omnibus, qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsan etiam executione auxilium, consilium, favorem, aut operam quovis modo præstitissent, quocumque tandem gradu, seu dignitate præfulgerent, censuras, & pœnas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim Literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitis, ac eo ipso anno lectis, & promulgatis inflictas, quibus ipsi irretiti reperiebantur, Pastorali pectore aperte ediceret, illosque præterea se a censuris, & pœnis hujusmodi nonnisi post debitam, & condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, & liberari posse paterna charitate admoneret. Præterea id ipsum per tunc existentem Nostrum, & Apostolicæ Sedis in dicto Regno Neapolis Nuncium ei potissimum, qui Regnum prædictum cum potestate Proregis tunc gubernabat; & cujus auctoritate, & nomine eadem præmissa gesta fuerant, nostro nomine edici, & denunciari curavimus. Interea tamen cum ad aures nostras pervenisset, prædictis monitionibus nostris penitus contemptis executionem edicti signanter, seu Mandati illius, quo Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus, eorum Possessoribus extra dictum Regnum, ut præfertur, degentibus nulliter, æque, ac perperam intercipiebantur, variis œconomis in Regno prædicto ab eadem Sæculari potestate deputatis, seu forsan aliis personis commissam fuisse. Nos per alias literas a prædicto Fabritio Cardinale, & Secretario Status tam Francisco Cardinali, & Præsuli, quam Archiepiscopis, & Episcopis supradictis die 6. Jul. ejusdem anni 1708. scriptas districte præcepimus, & mandavimus, ut adversus quoscumque in d. executione culpabiles, ac potissimum adversus Œconomos, seu alias personas hujusmodi ad legitimam censuram a Tridentina Synodo *Sess. 22. de Reform. Cap.* 11. ac ab Apostolicis in die Cœnæ Domini promulgari consuetis literis supradictis præsertim Canone 17. contra talia perpetrantes latarum, atque inflictarum declarationum absque ulla cunctatione devenirent.

Item a Nuncio denunciarum fuit etiam Proregi Neapolis.

Attamen commissa fuit executio sequestri fructuum Ecclesiast.

Novis Apostolicis literis injuncta fuit Ordinariis publicatio censurarum contra executores.

§. 2. Ad hæc cum accepissemus, per quasdam Sæcularis Magistratus dicti Regni Collateralis nuncupati literas ad eosdem Archiepiscopos, & Episcopos datas, non sine gravi comminatione vetitum illis fuisse, ne ad censurarum declarationem hujusmodi a nobis, sicut præmittitur, demandatam adversus eos, qui exequendo prædicto Edicto, seu Mandato se ingessissent ullatenus procederent. Nos tam apertam, & inverecundam Sanctissimarum legum violationem dissimulare minime volentes, dilecto Filio nostro Vincentio ejusdem S. R. E. Diacono Cardinali Grimano nuncupato dicti Regni Proregi, cujus nomine literæ hujusmodi subscriptæ prodierant per nostras in simili forma Brevis die prima Septembris ejusdem anni 1708. expeditas literas, sub certis inibi expressis pœnis injunximus, ut omnino abstineret tam a procurando quomodolibet, sive per se, sive per alios prædicti Edicti, seu mandati, quod suapte natura nullius prorsus roboris, & efficaciæ esse pronunciavimus executione: tum ab impediendo directe, vel indirecte eosdem Archiepiscopos, & Episcopos, quominus contra quos propter hujusmodi Edictum procedendum esse cognovissent, Pastoralis sui muneris partes libenter exequerentur, quemadmodum expresse illis, & iterato mandaveramus; Justum interim, ac misericordem Dominum humiliter benedicentes, quod plurimos ex Archiepiscopis, & Episcopis supradictis superno Christianæ fortitudinis spiritu adeo roborasset, ut propositas sibi minas nullatenus pertimescentes, Sacrificium Justitiæ pro officii sui debito sacrificare parati essent; Eumque insuper assiduo exorantes, ut tam nobis, quam illis Cælesti sua ope clementer adesset: errantibus vero, ut in viam possent redire Justitiæ, veritatis suæ lumen ostendere non dedignaretur.

Sed a Collaterali literis interdicta fuit d. publicatio.

Hinc quodam Brevi injunctum fuit Proregi, ne Edicti executionem procuraret, nec impediret Ordinariorum munus.

§. 3. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, ab eadem Sæculari potestate, cujus nomine præmissa contra Jura, & rationes Ecclesiastici Ordinis, ut præfertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum, atque inde secutorum quorumcumque revocatione, rescissione, ac retractatione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde nobis aborta fuit justa, ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam

A sæculari potestate edita fuerunt tandem mandata pollicentia actorum revocationem.

esse

esse amplam materiem gratias agendi misericordiarum Patri, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irritas fecerit, inclytumque illud nomen, in quo Sancta Dei Ecclesia tutelam, atque salutem, necnon validum inter pericula præsidium toties est nacta, a veteri sua, ac præclara laude deflectere non permiserit. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, simulque omnium Christifidelium curam, & solicitudinem gerimus, Ecclesiæ indemnitati, ultra ei præjudicialium prædictorum revocationem, ac retractationem, eadem auctoritate, qua illa peracta fuerant, sicut præmittitur, faciendam, Apostolici etiam Judicii nostri accessione efficacius, ac uberius, consulere, ac alias animarum saluti quantum nobis ex alto conceditur prospicere cupientes, necnon omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu illorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Edicta, seu Mandata supradicta aliaque præmissa cum omnibus, & singulis in eis, eorumque quolibet contentis, ac inde secutis, & quandocumque secuturis, ipso Jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuo fore, neminemque ad cujuslibet eorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari potuisse, vel debuisse, neque ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, vel facta non fuissent pro non extantibus, & non factis perpetuo haberi debere tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, firmis tamen remanentibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuscumque, quas ii omnes, qui præmissa perpetrarunt, sive alias in illis, ut præfertur, culpabiles fuerunt, propter eadem præmissa incurrerunt, a quibus nonnisi a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, post debitam, & condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari valeant. Quoniam vero Sedes Apostolica pia Mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet, & benignam: Idcirco omnes, & singulos prædictos, seu illos ex eis, qui veræ pœnitentiæ signa ostenderint, paterna nostra clementia prosequi volentes, eidem Francisco Cardinali, & Præsuli per præsentes committimus, & mandamus, ut si & postquam sibi constiterit Edicta, seu Mandata prædicta, aliaque præmissa cum omnibus inde secutis congrue revocata fuisse, ac alias desuper debitæ, ac condignæ satisfactioni Ecclesiæ opportune consultum fuisse, omnes, & singulos, sive Laicos, sive Clericos tam Sæculares, quam Regulares ad ipsum recurrentes cujuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis, & conditionis existant, qui præmissa peragerunt, seu alias in illis quovis modo culpabiles fuerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, & facta prius per eos promissione, quod in futurum a similibus abstinebunt, & quidquid eis præscriptum, & injunctum fuerit, priusquam infrascriptæ absolutionis beneficium obtineant, observabunt, & adimplebunt, a censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent, injuncta cuique pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda similiter injunctis, in utroque foro auctoritate nostra Apostolica in forma Ecclesiæ consueta absolvat, & totaliter liberet, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiose remittat, & condonet; Ac cum illis, qui Clerici, seu etiam Presbyteri fuerint super irregularitate per eos, qui a censuris hujusmodi propter eadem præmissa innodati, Missas, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrarunt, seu alias in suis Ordinibus ministrarunt, quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset, ipsosque, & eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon Beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, cæteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac alias in pristinum, & eum in quo antea quomodolibet erant statum adversus eadem præmissa rehabilitet, restituat, reponat, ac plenarie reintegret. Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur communicare, & subdelegare valeat, eidem Francisco Cardinali, & Præsuli harum serie auctoritate prædicta tribuimus, & impertimur.

Interim à Pontifice fit satis suo muneri.

Declaratio nullitatis prædictorum omnium, cum eorumdem revocatione, & firmitate censurarum, & pœnarum.

Facultas Præsuli Neapolitan. facta a pœnis, censuris, & irregularitate absque contemptu Clavium contracta in utroque foro absolvendi, pœnitentes, satisfacientes, & pollicitantes in futurum quid si mile non patrandi.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque etiam quantumlibet magno, aut incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a Jure, vel facto, aut Statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed ipsas præsentes literas, & quæcumque in earum executionem ab ipso Francisco Cardinale, & Præsule facienda semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Apostolicæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus,

& qua-

& quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscumque Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, editis, factis, & pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transuptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Octob. MDCCIX. Pontificatus nostri Anno Nono.

LXXXIX. Conceditur Presbyteris Congregationis Piorum Operariorum ab eorum locorum Ordinariis approbatis facultas ubique audiendi Sociorum ejusdem Congregationis in itinere Confessiones.

Const. ed. 1707. Maji 10. P. 7. concessa fuit facultas celebrandi Missas una hora ante auroram, & post meridiem. Et Const. ed. 1712. Jan. 2. P. 12. conceduntur Ecclesia, & Collegium S. M. Montium de Urbe.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 9. Jan. 1710. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii humilitati nostræ divinitus impositi solicitudo Nos admonet, ut paternam Congregationum Virorum in Ecclesia Dei uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferri jugiter satagentium curam peculiari studio gerentes, illas quo laudabilia earum Instituta cum majori spirituali consolatione, uberiorique animarum fructu prosequi valeant, opportunis favoribus, & gratiis decoremus.

Preces Procuratoris

§. 1. Cum autem, sicut dilectus filius Modernus Procurator Generalis Congregationis Piorum Operariorum Nobis nuper exponi fecit ipse quibuscumque dictæ Congregationis Presbyteris ad Confessiones audiendas in Diœcesibus ubi residere soliti sunt, approbatis, sacramentales quorumvis aliorum ejusdem Congregationis Confessiones extra Diœceses hujusmodi audiendi facultatem a Nobis concedi, & opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, quibuscumque Congregationis prædictæ Presbyteris, qui tamen in Diœcesibus, ubi residere soliti sint, seu unde discesserint ad Confessiones audiendas approbati reperiantur, ut sacramentalis quorumvis aliorum ejusdem Congregationis una cum ipsis iter pro tempore agentium Confessiones, tametsi in illis Diœcesibus in quibus iter agendo reperientur, approbati non fuerint, audire, illosque a peccatis suis (pœnitentia salutari & aliis, quæ fuerint injungenda, eis injunctis) absolvere libere, licite, & valide possint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Concessio prædd. facultatis.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici vel Secretarii dictæ Congregationis Piorum Operariorum subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu illius Superioris Generalis munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Jan. MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

XC. Damnantur, & prohibentur denuo quatuor libelli Episcopi S. Pontii.

Constit. ed. 1708. Jul. 13. P. 8. damnatus fuit liber: Le Nouveau Testament &c. *Et Constitutione sequenti damnatur liber:* Traité de la Regale &c.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 10. Jan. 1710. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM alias in lucem prodierint libelli quidem Gallico idiomate impressi sub titulis infrascrip- Referuntur libellorum tituli.

infrascriptis, videlicet. *Mandement de Monseigneur l'Evêque de S. Pons touchant l'acceptation de la Bulle de N. S. P. le Pape Clement XI. sur le cas signé par XL. Docteurs, avec la justification des 23. Evêques, qui voulant procurer la paix à l'Eglise de France en 1667. se servirent de l'expression d'un silence respectueux, pour marquer la soumission qui est duë aux decisions de l'Eglise sur les faits non revelés, avec les Moyens de rétablir à présent cette paix. 1706. Nouvelle Lettre de Monseigneur l'Evêque de Saint Pons, qui refute celle de Monseigneur l'Archevêque de Cambray touchant l'infaillibilité du Pape. 1707. Lettre de Monseigneur l'Evêque de S. Pons à Monseigneur l'Archevêque de Cambray où il justifie les XIX. Evêques qui écrivirent en 1667. au Pape & au Roy, au sujet des IV. celebres Evêques, de Alet, de Pasivez, de Beauvais, & de Angers. Reponse de Monseigneur l'Evêque de S. Pons à la Lettre de Monseigneur l'Archevêque de Cambray.* Illi vero tametsi hujus Sanctæ Sedis auctoritate prohibiti, atque damnati, adhuc præsertim apud Gallos, non sine bonorum indignatione, & pusillorum scandalo, atque animarum periculo palam in vulgus spargantur, quemadmodum ad Apostolatus nostri Notitiam plurimorum querela delatum fuit. Nos auditis desuper nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, plurimumque in Sacra Theologia Magistrorum, qui rem mature, ac diligenter discusserunt sententiis pro commissa Nobis ab æterno Pastore gregis sui cura, Dominicas oves, quantum Nobis ex alto conceditur, a noxiis præservare cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio libellos supradictos, & eorum quemlibet, utpote continentes doctrinas, & propositiones falsas, perniciosas, scandalosas, seditiosas, temerarias, schismaticas, erroneas, atque hæresim respective sapientes, necnon in apertam fraudem, & elusionem Constitutionis ad extirpandam penitus Jansenianam hæresim a Nobis novissime editæ manifeste tendentes, sub superius expressis aliisque quibuscumque titulis, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, & versione hucusque impressos, ac manu descriptos, aut, quod absit, inposterum imprimendos, & describendos auctoritate Apostolica, tenore præsentium denuo damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus; ipsorumque libellorum, & eorum cujuslibet impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto, & absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, omnino interdicimus; Volentes, & auctoritate præfatæ mandantes, ut quicumque libellos prædictos, vel aliquem illorum penes se habuerint, illos, seu illum statim atque præsentes literæ eis innotuerit, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus deferat. Qui autem venerabili fratri Episcopo S. Pontii subsunt, Metropolitano, aut uni ex Vicinioribus Episcopis tradere, atque consignare teneantur, hi vero exemplaria sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Causæ novæ damnationis relatorum libellorum.

Damnatio, & prohibitio nova eorumdem, cum censura, & mandato illos tradendi Ordinariis, vel Inquisitoribus.

Clausulæ cum comminatione pœnarum in auctorem.

§. 1. Cæterum contra Authorem libellorum eorumdem pro tradita a Nobis divinitus suprema pastoralis officii potestate in promptu habentes, secundum Apostolum ulcisci omnem inobedientiam, & destruere omnem altitudinem extollente se adversus scientiam Dei, procedere intendimus, prout Juris fuerit juxta Canonicas Sanctiones.

§. 2. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate præfata decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum ac Cancellariæ Apostolicæ necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 3. Ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eamdem prorsus fidem ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Januarii MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

XCI.

Damnatur, & prohibetur liber sub tit. *Traité de la Regale &c.*

Const. præcedenti damnati fuere libelli Episcopi S. Pontii, & Const. ed. 1710. Feb. 17. P. 10. damnatur liber: Ragioni a pro della Città di Napoli &c.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 18. Ja[n.] 1710. An.[10]

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, in lucem prodierit liber quidam Gallico idiomate editus, cui Titulus: *Traité de l'origine de la Regale, & des Causes de son établissement, par M. Gaspard Audoul Avocat au Parlement, & au Conseil du Roy, & de Monseigneur le Duc d'Orleans. A Paris* 1708. In quo ejus Author non modo antiquum illum usum percipiendi, seu potiùs custodiendi fructus quarumdam vacantium Ecclesiarum, quem Jus Regaliæ nuncupant in omnibus Regni Galliarum Ecclesiis, adeoque etiam in illis, quæ tempore celebris Constitutionis in Generali Concilio Lugdunensi secundo editæ ejusmodi oneri minime erant obnoxiæ, non tam contra ipsius Concilii Decreta, quam contra satis omnibus notam ea in re Apostolicæ Sedis mentem, locum sibi vendicare contendit, sed quod prorsus intolerandum est ausu non minùs Nobis, quam fe. re. Alexandri VIII. & Innocentii XII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris injurioso, Universalem juris Regaliæ usum hujusmodi quem re. me. Innocentius Papa XI. etiam Prædecessor noster omni humano, divinoque Juri contrarium esse censuit, ab iis, qui eidem Innocentio Prædecessori successerunt, veluti Justitiæ consonum agnitum fuisse falso, æque, ac temere affirmare non erubescit.

Libri titul[us] & ejus da[m]nationis c[au]sæ.

§. 1. Nos librum hujusmodi nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris examinandum commisimus, qui illum subinde utpote continentem, præter præmissa, etiam quamplura alia afferta manifeste falsa, contumeliosa, Ecclesiasticæ Immunitati Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutæ adversantia, impia, temeraria, erronea, atque etiam hæresim respective sapientia, damnandum, & prohibendum esse unanimiter censuerunt. Auditis itaque eorumdem Cardinalium, & Magistrorum sententiis, creditum Nobis a Domino pastoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantum Nobis ex alto conceditur salubriter exequi cupientes, de

Libri C[en]sura.

ipsorum

ipsorum Cardinalium consilio, librum prædictum auctoritate Apostolica tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœnis excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam (præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente) nisi in Mortis Articulo constitutus absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, & eadem Auctoritate mandantes, ut quicumque librum hujusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum statim, atque præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur, hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulæ.

§. 2. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum ac Cancellariæ Apostolicæ nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent. Ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Januarii MDCCX. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

XCII.

Conceditur Alternativa Tripartita in Electione Correctoris, Collegarum, & Definitorum in Provincia Messanen. Fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula.

Clem. X. Const. ed. 1670. Aug. 13. P. 1. concessum fuit suffragium Pontificis Constit. ed. 1717. Augusti 12. P. 17. agitur de suffragio Exprovincialium.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii, quod Authore Deo gerimus, cura animum nostrum solicitat, ad ea peculiari paternæ charitatis studio statuenda, quæ per Christifidelium divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum quieti, & fælici regimini opportunis rationibus salubriter consulatur.

§. 1. Alias siquidem per dilectos filios fratres Vallis Neti nuncupatos Provinciæ Messanen. Ordinis Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Nobis supplicato, ut quamdam Alternativam in electione Correctoris Provincialis dictæ Provinciæ inter Fratres Conventuum dictæ Vallis, & Vallis Demonis nuncupat. Provinciæ, & Ordinis prædictorum concederemus. Nos supplicem libellum Nobis super præmissis porrectum ad Congregationem Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam remisimus, ipsa vero Congregatio Cardinalium eumdem supplicem libellum ad Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Panormitan. pro informatione, & voto transmisit, qui quidem Archiepiscopus ad occurrendum inordinationibus, quæ occasione electionis Correctoris Provincialis hujusmodi oriebatur, ne illius officium penes Fratres Conventus Mylarum perpetuo remaneret, censuit Alternativam hujusmodi tripartite concedendam esse, & ad hunc effectum quandam Conventuum repartitionem fecit, assignando eisdem Fratribus Vallis Neti, Conventus Cathanien., Syracusan., Augustæ, Leontinensis, Vizzini, Calatagironensis, Mellitellensis, Victoriæ, Neti, Terræ novæ, & Syclensis; Fratribus vero districtus Messanen., Conventus Messanen., Castaneæ, Scalanen., Tauromine, Linguæ grossæ, & Randiatiens., ac demum fratribus Plani Mylarum Conventus Mylaytar., Montis fortis, S. Petri, S. Angeli, Condronensis, & Gipsensis, addens, quod in primo Capitulo Provinciali celebrando electio de persona Religiosi Conventus Vallis Neti, & subinde modo recensito alternatim fieri deberet. Auditoque postmodum ab eadem Congregatione Cardinalium dilecti filii Moderni Procuratoris Generalis voto, die 26. Augusti 1707. rescripsit, ut ad Capitulum Provinciale recurrerent, & postea supplicarent; Cum autem die 29. Septembris ejusdem anni Capitulum Provinciale celebratum fuisset, Fratres Capitulares in eo legitime congregati; præmissa vera esse considerantes, eidem Congregationi Cardinalium pro concessione ejusmodi Alternativæ tripartitæ, juxta votum memorati Archiepiscopi, ita scilicet ut in primo memoratus Corrector Provincialis e Fratrum Vallis Neti nempe Cathanien., Syracusan., Augustæ, Leontinen., Vizzini, Calatagironensis, Mellitellensis, Victoriæ, Terræ novæ, Netensis, & Siclensis, in Secundo e fratrum Messanen., Castanensis, Scalattensis, Taurominensis, Linguæ grossæ, & Randiatiensis, & in tertio Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ successive celebrando e fratrum Mylaytani, Montis fortis, Gipsensis, Sancti Petri Condronensis, & S. Angeli respective Conventibus Provinciæ, & Ordinis prædictorum, tres vero Collegæ dicti Capituli Provincialis, unus e Vallis Neti, alter vero ex districtu Messanen., ac reliquus ex Plani Mylarum Conventibus eligi deberent, & id ipsum in Electionibus sex Diffinitorum servandum sit.

Sed ab Archiepiscopo Panormitano approbata fuit alternativa inter Fratres Vallis Neti, Districtus Messanen., & Plani Mylarum.

Forma dictæ tripartitionis.

Et a Capitulo Provinciali ann. 1707. alternativa tripartita nedum quoad electionem Correctoris, sed etiam Collegarum, & Definitorum.

§. 2. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Fratrum Provinciæ.

§. 3. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui relationem prædicti Archiepiscopi ad eosdem Cardinales super præmissis transmissam audiverunt, consilio, eisdem Exponentibus petitum Indultum Alternativæ tripartitæ in omnibus juxta petita a memorato Capitulo Provinciali concedimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Concessio præd. alternativæ tripartitæ e Capitulo Provinc. propositæ.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia

Clausulæ.

nia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Februarii MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

XCIII. Damnatur, & prohibetur Liber, cujus titulus: *Ragioni a prò della fedeliſſima Città, e Regno di Napoli &c.*

Conſt. ed. 1710. Jan. 18. P. 10. damnatus fuit Liber: Traité de la Regale &c. *Et Conſtitutione ſequenti damnantur tres Libri de re beneficiaria.*

Dat. 17. Febr. 1710. An. 10.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Libri titulus, & ejus cenſura.

CUM, ſicut accepimus, in lucem prodierit Liber quidam Italico idiomate editus, cui titulus: *Ragioni a prò della fedeliſſima Città di Napoli contra il procedimento ſtraordinario nelle Cauſe del S. Offizio diviſate in tre Capi &c.* Et Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati, audita Libri hujuſmodi cenſura ſibi relata, illum tamquam continentem propoſitiones falſas, pernicioſas, temerarias, ſeditioſas, erroneas, Eccleſiaſticæ Immunitatis, & Juriſdictionis everſivas, ad ſchiſma excitandum aptas, Tribunali S. Inquiſitionis ſummopere injurioſas, hæreſim demum ſapientes, ſive de hæreſi ſuſpectas reſpective prohibendum, & condemnandum eſſe cenſuerint. Hinc eſt, quod Nos creditum Nobis a Domino paſtoralis curæ, & vigilantiæ munus, quantum Nobis ex alto conceditur ſalubriter exequi cupientes de memoratorum Cardinalium conſilio, ac etiam Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſupradictum Librum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hucuſque impreſſum aut impoſterum imprimendum tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac legi, ſeu retineri prohibemus, ipſiuſque Libri impreſſionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam præterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus.

Damnatio, & prohibitio libri præd. cum præcepto illum tradendi Ordinariis, vel Inquiſitoribus.

Clauſulæ.

§. 1. Volentes, & auctoritate Apoſtolica mandantes, ut quicumque Librum hujuſmodi penes ſe habuerint, illum ſtatim, atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur, hi vero exemplaria ſibi ſic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

§. 2. Ut autem eædem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ Generalis Montis Citatorii, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, ſic vero publicatas omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, & arctare, acſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent. Ipſarum autem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dinitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Februarii MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Damnantur, & prohibentur Libri ſub titulis: *Ragioni del Regno di Napoli &c. De re Beneficiaria &c. Conſiderazioni Teologico-Politiche &c. Parte prima.* XCIV.

Conſtitutione præcedenti damnatus fuit Liber: Ragioni a prò della Città di Napoli &c. *Et Conſtitutione ſequenti denuo damnatur prædictus tertius Liber, & explicite ejus* Secunda pars.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 17. Febr. 1710. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, ſicut Nobis innotuit, in lucem prodierint nonnulli Libri ſub Titulis infraſcriptis, videlicet -- I. *Ragioni del Regno di Napoli nella Cauſa de' ſuoi Beneficii Eccleſiaſtici, che ſi tratta nel Real Concilio della Maeſtà del Rè nuovamente a tal' affare ordinato* 18. *Giugno* 1708. -- II. *De re beneficiaria diſſertationes tres, ubi Caroli III. Auſtr. Hiſpan. Regis Pii, felicis Victoris PP. Auguſtini Edictum, quo fructuum capionem in Sacerdotiis externorum, & vagantium Clericorum jubet, tum ſummo, tum optimo jure recte, atque ordine factum demonſtratur. Rex qui ſedet in ſolio Judicii diſſipat omne malum intuitu ſuo. Prov.* 20. *anno* 1708. -- III. *Conſiderazioni Teologico-Politiche fatte a prò degl' Editti di S. Maeſtà Cattolica intorno alle rendite Eccleſiaſtiche del Regno di Napoli, parte prima nell' anno* 1708. Venerabiles vero fratres noſtri S. R. Eccl. Cardinales in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generales Inquiſitores a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati, auditis Librorum hujuſmodi cenſuris ſibi relatis, illos tamquam continentes propoſitiones falſas, male ſonantes, temerarias, ſeditioſas, erroneas, ſedi Apoſtolicæ injurioſas, unitatis, & primatus ejuſdem S. R. Eccleſiæ everſivas, libertatis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ penitus deſtructivas, ſuſpectas de hæreſi, ſchiſmati, & hæreſi proximas, imo etiam hæreticas reſpective, omnino damnandos, & prohibendos eſſe cenſuerint. Hinc eſt, quod

Librorum tituli, eorumque cenſuræ.

Nos pro commissa Nobis divinitus gregis Dominici cura animarum pretioso Salvatoris, & Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum periculis, atque detrimentis, quæ ex eorumdem Librorum lectione, & usu provenire possent, pastorali solicitudine quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Libros supradictos, & eorum quemlibet, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, & versione hucusque impressos, ac manu descriptos, aut inposterum imprimendos, & describendos, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, ac retineri prohibemus, ipsorumque Librorum, & eorum cujuslibet impressionem, descriptionem, retentionem, lectionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam nisi per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, omnino interdicimus. [...]mnatio,& [...]hibitio [...]edd. li-[...]rum cum [...]ndato eos [...]dendi Or-[...]ariis, vel [...]quisitori-[...]i.

§. 1. Volentes, & Apostolica auctoritate præcipientes, ut quicumque Libros prædictos, vel aliquem eorum penes se habuerint illos, seu illorum statim atque præsentes Literæ ad eorum notitiam pervenerint, teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Clausulæ.

§. 2. Cæterum, ut ipsæ præsentes Literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare valeat, volumus pariter, & auctoritate prædicta decernimus, ut illæ ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostol., necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; Sic vero publicatæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; Utque earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Febr. MDCCX. Pontificatus nostri anno Decimo.

XCV.

Damnatur, & prohibetur denuo liber sub Titulo *Considerazioni Teologico-Politiche &c. Parte prima, & Seconda.*

Hic liber damnatus fuit Constitutione præcedenti sine expressione ejus Secundæ Partis. *Et Const. edita 1710 Jun. 6. Pontif. 10. damnantur propositiones excerptæ ex libro*, Nouveau Testament &c.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 24. Mar. [1]710. An. 10.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas inter alios librum quemdam Italico idiomate conscriptum, & in duas partes divisum sub Titulo -- *Considerazioni Teologico-Politiche fatte a prò degl' Editti di sua Maestà Cattolica intorno alle rendite Ecclesiastiche del Regno di Napoli* -- damnavimus, & reprobavimus, ac legi, seu retineri prohibuimus, & alias prout in scriptis nostris literis die 17. Februarii proxime præteriti expeditis, quarum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. [L]ibri titulus, [c]ensura, ac [n]ovæ damna[t]ionis causa.

§. 1. Cum autem in nostris literis prædictis Titulo ejusdem libri ex priori ejus pagina transcripto præter superius relata, etiam adjecta legantur hæc verba -- *Parte prima nell' anno* 1708. atque exinde, sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit a nonnullis dubitatum fuerit, num libri hujusmodi damnatio, & prohibitio, etiam ad Secundam illius partem anno 1709. ut accepimus, in lucem editam extendatur, seu potius ad primam ejus partem dumtaxat anno 1708., ut præfertur Typis impressam restricta sit: Hinc est quod Nos ex injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere, quamcumque dubitandi ansam hac in re penitus præcidere, animarumque periculis paterna charitate quantum Nobis ex alto conceditur peramplius occurrere cupientes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, qui vere audita alias libri supradicti censura sibi relata, illum non solum quoad primam, sed etiam quoad secundam ejus partem utpote continentem propositiones falsas, temerarias, seditiosas, erroneas, sedi prædictæ injuriosas, jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ destructivas, atque etiam in schisma manifeste tendentes, & hæresi proximas respective damnantur, & prohibendum esse censuerunt, consilio, ac etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine librum prædictum quoad utramque ejus partem ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, & versione hucusque impressum, ac manu descriptum, aut quod absit in posterum imprimendum, & describendum tenore præsentium denuo damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque libri, ac cujuslibet ejus partis impressionem, retentionem, lectionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda a qua nemo a quoquam præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque librum supradictum, vel aliquam ejus partem penes se habuerint, illum, seu illam, statim atque præsentes literæ illis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur, hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Damnatio, & prohibitio altera libri prædicti cum mandato illum tradendi Ordinariis, vel Inquisitoribus.

§. 2. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris ut moris est publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent. Ipsarum vero literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Clausulæ.

personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

XCVI. Erigitur Congregatio Bethlemitarum sub Regula S. Augustini in Indiis Occident. in veram Religionem.

Erecta fuit hujusmodi Congregatio ab Inn.XI.Const. ed. 1687. Mar. 26. & Jun. 14. Hujus Pontificis Const. ed. 1707. Jul. 18. P. 7. concessa fuere Privilegia. Et Const. ed. 1714. Dec. 22. P. 15. agitur de gubernio hujus Congregationis.

Dat. 3. Apr. 1710. An. 10.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Congregationes Christifidelium pietatis, & Christianæ charitatis operibus ad pauperum infirmorum, & convalescentium subventionem, & utilitatem laudabili studio incumbentium paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illarum statui, ac ut personæ, quæ tam pium vitæ institutum susceperunt in ea vocatione, in qua vocatæ sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, & favoribus providere studemus, sicut omnibus mature consideratis ad Omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, & animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Confraternitas Bethlemitarum instituta an. 1653. & confirmata a S. Sede, in Congregationem erecta fuit an. 1687. ab Inn. XI. sub Regula S. Augustini cum peculiaribus Constitutionibus, exemptione ab Ordinariis locorum, ac electione primi Generalis.

§. 1. Alias siquidem nempe anno 1653. postquam in Civitate Guatimalæ in Indiis singulari pietate quon. Petri de Betancur a Sancto Josepho Viri ob ejus erga Deum amorem, ac Pauperum convalescentium, ægrotantiumque charitatem, aliasque ejus virtutes (ut asserebatur) satis abunde clari Confraternitas Bethlemitarum nuncupat. prius Ordinarii, & deinde Sedis Apostolicæ auctoritate confirmata exordium desumpserat, ac Benedicente Domino adeo excreverat, ut ad annum 1687. undecim Hospitalia cum Domibus Religiosis, in quibus plures Religiosi nedum in ægrotantium, convalescentium, ac contagioso morbo laborantium cura æque pia, & laudabiliter se exercebant, verum etiam in puerorum eruditione sedulo incumbebant, integre erecta, & fundata reperirentur, fe. re. Innocentius PP. XI. Prædecessor noster attento tam ejusmodi spirituali rerum augmento, & ex eo, quia prædictæ Confraternitatis viri strictius Deservitio se mancipari cupiebant, supplicationibus dilecti filii Roderici a Cruce, qui tunc ad Almam Urbem nostram, tunc suam pro expetenda illarum Confraternitatum erectione in veram, & Religiosam Congregationem cum concessione Generalatus pro prima vice in ejus persona missus fuerat benigne inclinatus, dictam Confraternitatem, seu Societatem Confratrum Bethlemitarum pauperum convalescentium in Congregationem sub Regula S. Augustini, sub quibusdam Constitutionibus auctoritate Apostolica perpetuo erexit, & instituit, ac easdem Constitutiones toto illarum tenore inserto cum omnibus, & singulis in eis contentis confirmavit, & approbavit, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenissent, supplevit. Præterea eamdem Congregationem sic per eum erectam, ejusque Confratres, & Hospitalia, Ecclesias, & personas quascumque ab omnimoda jurisdictione, & correctione quorumcumque Ordinariorum locorum eadem auctoritate exemit, ac plenarie liberavit, ipsamque Congregationem, Confratres, Hospitalia, Ecclesias & personas hujusmodi sub immediata sua, & Sedis Apostolicæ protectione, & subjectione pari auctoritate suscepit, & alias prout in ipsius Innocentii Prædecessoris die 26. Martii dicti anni 1687. in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Postmodum vero idem Innocentius Prædecessor accepto, eumdem Rodericum professionem in eadem Congregatione juxta prædictas Constitutiones expresse emisisse, illum in primum Superiorem Generalem dictæ novæ per eum erectæ Congregationis per alias suas in eadem forma Brevis die 14. Junii ejusdem anni 1687. emanatas literas ad sexennium a die, quo idem Rodericus ad Civitatem Guatimalam prædictam advenisset numerandum, cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus, quæ ejusmodi Superiori Generali per easdem Constitutiones ab eo confirmatas supradictas tribuebantur, & præscribebantur, Motu proprio, & ex certa scientia sua, deque Apostolicæ potestatis plenitudine constituit, & deputavit, prout in his posterioribus ipsius Innocentii Prædecessoris literis etiam uberius continetur.

Preces Congregationis & rationes pro ejus erectione in Religionem cum appendice ad Constitutiones.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Michael a Jesu Maria Procurator Generalis, & Franciscus a Sancto Antonio plurium graviorum vocalium dictæ Congregationis Procurator in Curia ejusdem Congregationis nomine Nobis nuper exponi fecerunt, quamvis in hujusmodi eorum Religiosa Congregatione singula, quæ veros, & formales decent Regulares tum respectu habitus tum cæterorum operum, ad quæ juxta prædictas Constitutiones tenentur, adimpleantur, ac octodecim in Congregatione hujusmodi Hospitalia totis numeris absoluta de præsenti reperiantur, necnon in Liman., & Mexican. pro qualibet domo Religiosa quinquaginta, vel circiter, in cæteris vero quadraginta, triginta, aut viginti quinque, & singulis respective Hospitalibus non minus duodenario numero Religiosi collocari, & assistere soleant, nihilominus ipsi exponentes ipsam eorum Congregationem in veram, & formalem Religionem, in qua non vota simplicia, ut de præsenti, sed expressa, & solemnia, sicut in quatuor Mendicantium Ordinibus, cæterisque approbatis Religionibus in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur, itaut in posterum dictæ Congregationi Religionis, & Ordinis, ipsis vero fratribus illud Religiosi, & veri Regularis nomen respective conveniat, atque Religio hujusmodi tam quoad Hospitalia, quam quoad personas, & inservientes quoscumque a jurisdictione Ordinarii, necnon ut antea sub Regula ejusdem S. Augustini compatibiliter cum eisdem Constitutionibus per prædictas Innocentii Prædecessoris super ejus in Congregationem erectione, & ipsarum Constitutionum confirmatione emanatas literas supradictas stabilitis, prout in eisdem literis sancitur, exempta intelligatur, & esse debeat, salva tamen aliqua correctione, & nonnullarum earumdem Constitutionum appendice, quæ ad constituendam essentialitatem veræ, & formalis Religionis ad prosperum ipsius gubernium, & incrementum omnino necessaria esse existimantur de novo per Nos erigi, approbari, & confirmari plurimum desiderent. Nos eorumdem Michaelis, & Francisci Procuratorum votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum

ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper hoc negotio ſpecialiter deputatorum, qui illud mature perpenderunt, conſilio, præfatam Congregationem Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus in veram Religionem cum votis ſolemnibus ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota hujuſmodi in eadem Congregatione emiſerunt, emittendis; Ita tamen, ut nova vota emittentes prius de inefficacia præcedentium votorum ad conſtituendum eos veros Religioſos certiorentur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Congregationis, & Hoſpitalium prædictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſi præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III. Aprilis MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Conceduntur Indulgentiæ Perp. geſtantibus Scapularia parva, diſtribui ſolita a Clericis Regularibus Theatinorum.

Inn. XII. Conſt. ed. 1691. *Jul.* 15. *P.* 1. *extat Canonizatio S. Cajetani Thienæi. Et hujus Pontificis Conſt. ed.* 1712. *Maji* 22. *P.* 12. *Canonizatio S. Andreæ Avellini.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆleſtium munerum Theſauros, quorum diſpenſationem humilitati noſtræ commiſit divina dignatio, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, ſicut pia Religioſorum virorum in ſortem Domini aſſumptorum, vota poſtulant, & nos ad incitandam, fovendamque fidelium pietatem, necnon augendum potiſſimum erga Glorioſiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam cultum, ac devotionem profuturum in Domino arbitramur.

A Clem. X. conceſſa fuit facultas benedicendi, & diſtribuendi dd. Scapularia cærulei coloris.

§. 1. Alias ſiquidem fe. rec. Clemens X. Prædeceſſor noſter Clericis Regularibus Congregationis Theatinorum nuncupatorum Scapularia parva cærulei coloris benedicendi, illaque Chriſtifidelibus pio devotionis erga Myſterium Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ affectu ea geſtare cupientibus, quemadmodum in Hiſpania jam dudum fieri conſueverat, diſtribuendi licentiam, & facultatem ſub certis modo, & forma tunc expreſſis auctoritate Apoſtolica tribuit, & impertitus fuit, & alias, prout in ipſius Clementis Predeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die 30. Januarii 1671. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac inſerto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem Nos laudabilem Chriſtifidelium erga Myſterium ſupradictum devotionem magis, magiſque in dies augeri, & propagari cupientes, ſupplicationibus totius Congregationis eorumdem Clericorum Regularium Theatinorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, quibus Scapularia benedicta hujuſmodi, ut præfertur in poſterum diſtribuetur, die quo illa primum ſuſceperint, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam, necnon eiſdem in cujuſlibet eorum mortis articulo, ſi etiam vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, itidem plenariam. Ac ipſis pariter vere pœnitentibus, & confeſſis, ac eadem Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dictæ Congregationis, vel Cappellam, ſeu Oratorium die feſto ejuſdem Conceptionis B. M. V. Immaculatæ a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & S. R. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper prædictis Chriſtifidelibus, etiam vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis Eccleſiam vel Cappellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in aliis ejuſdem B. M. V. feſtis diebus, ut præfertur, viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Precibus Congregationis Theatinorum conceduntur.

Indulgentia plen. in ſuſceptione Scapularis.

In mortis articulo.

In feſto Conceptionis B. M. V.

Sed in aliis feſtis Indulgentia 7. annorum, ac totid. Quadrag.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII. Maji MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

XCVIII.

Extenditur senarius numerus Magistrorum ad duodenarium pro Provincia Chilen. Ord. Eremitarum S. Augustini.

Similes extensiones vide in Constitutionibus infra relatis, inter quas extat una Inn. XII. ed. 1692. Sept. 28. P. 2. pro Provincia Mexicana. Atque alia hujus Pontificis ed. 1702. Mar. 17. P. 2. pro Provincia S. Fidei. Const. ed. 1712. Feb. 26. P. 12. augetur numerus pro Provincia Limana. Et Inn. XIII. Const. ed. 1723. Aug. 7. P. 3. iterum extenditur numerus pro Provincia Chilen.

Dat. 20. Maji 1710. An. 10.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus pastoralis solicitudinis munere Sacrarum, bonarumque literarum studia præsertim inter Christifideles divinis obsequiis sub suavi Religionis Jugo addictos opportunis rationibus fovemus, & promovemus, ac ut debitus virtuti honor rependatur libenter providemus; sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Rationes pro concessione præd. extensionis.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii Fratres Provinciæ Chilen. in Indiis occidentalibus Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecerunt, in Capitulo generali dicti Ordinis anno 1685. in Alma Urbe nostra celebrato statutum fuerit, ut Senarius Magistrorum numerus in Provinciis earumdem Indiarum ad duodenarium extendi, & ampliari deberet, si hujus Sanctæ Sedis facultas desuper accederet; similis vero extensio numeri Magistrorum pro Peruana, Quitensi, Mexicana, & Sanctæ fidei Provinciis ejusdem Ordinis in dicto Capitulo Generali facta a fel. rec. Innocentio XI. Alexandro VIII. & Innocentio XII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & a Nobis per quasdam eorum, & nostras in simili forma Brevis literas die 29. Januarii 1688. die 31. Julii 1690. & die 28. Septembris 1692. ac die 17. Martii 1702. a Nobis respective expeditas, approbata, & confirmata fuerit: Nobis propterea Exponentes prædicti, asserentes in prædicta eorum Provincia studia satis aucta, eamque Magno Religiosorum debitis ad consecutionem gradus Magisterii requisitis prædictorum numero refertam esse humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Fratrum Provinciæ.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium Adeodatum Nuzzi Priorem Generalem dicti Ordinis audiverunt consilio, ut de cætero senarius dictæ Provinciæ Chilen. Magistrorum numerus ad duodenarium (servata tamen in reliquis quoad promovendos ad Magisterii gradum forma per Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones, nec non specialia ipsius Provinciæ Chilen. Decreta, & consuetudines præscripta) augeatur, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extensio numeri Magistrorum servatis tamen servandis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus re. me. Clementis PP. VIII. etiam Prædecessoris nostri de senario Magistrorum numero, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ, Chilen., & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maji MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

XCIX.

Damnatur, & prohibetur liber sub tit. *Entretiens sur le Decret de Rome contre le Nouveau Testament &c.*

Damnatio libri: Le Nouveau Testament &c. *extat Const. ed. 1708., Jul. 13., P. 8. Const. ed. 1710., Mar. 24., P. 10. damnatus fuit liber:* Considerazioni Teologico - Politiche &c. *Et Const. ed. 1713., 6. Idus Sept., P. 13. damnantur propositiones excerptæ ex d. libro:* Le Nouveau Testament &c.

Dat. 6. Junii 1710. An. 10.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam Gallico idiomate editus, cui titulus - *Entretiens sur le Decret de Rome contre le Nouveau Testament de Châlons, accompagnés de reflexions morales où l'on decouvre le vrai motif de ce Decret, on soutient les droits des Evêques, & l'on justifie l'approbation de Monseigneur le Cardinal de Noailles, Archevêque de Paris.* 1709. - Venerabiles autem fratres nostri S. R. E. Cardinales in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati, audita libri hujusmodi censura sibi relata, illum tanquam continentem propositiones scandalosas, in praxi perniciosas, Apostolicæ Sedi injuriosas, contumeliosas, erroneas, schismaticas, ac hæresi proximas, & hæreticas, respective prohibendum, & condemnandum esse censuerint. Hinc est, quod nos pro commissa Nobis divinitus gregis Dominici cura Animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex ejusdem libri lectione, & usu provenire possent, pastorali solicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, ac etiam motu pro-

Refertur liber una cum censura.

prio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine supradictum librum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut inposterum (quod absit) imprimendum tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, nec non omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis sub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque librum hujusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum statim atque præsentes literæ eis innotuerint locorum ordinariis, vel hæreticæ pravitatis inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur, hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Damnatio, prohibitio libri cum mandato illum tradendi Ordinariis, et Inquisitoribus.

Clausulæ.

§. 1. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ nec non Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum in Arce Guandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscat. die VI. Junii MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

C.

Conceditur Fratribus Carmelitis Excalc. Congregationis Italiæ facultas fundandi Hospitium in Civitate Ulyxiponen.

Interdictum fuit Carmelitis Discalc. Congreg. Hispaniæ ædificare Cœnobium in Oppido de Bilbao a Clem. X. Const. ed. 1673., Maji 6., P. 3. Et Bened. XIII. Const. ed. 1726., Feb. 9. P. 2. confirmatur privilegium erigendi novas Domus cum sola licentia Ordinarii.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 28. Aug. 1710. An. 10.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Excalceati nuncupati Congregationis Italiæ Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, quod ipsi Hospitium in Civitate Ulyssiponen. tam pro eorum Conventus Goan., ac Residentiæ Oppidi, seu loci de Diu, quam Sacrarum Missionum illarum partium ipsorum curæ, & directioni Commissarum manutentione fundare, & erigere intendunt, si nostra, & hujus S. Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, & facultas. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Congregationis, & causæ erigendi Hospitium.

§. 1. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, eisdem exponentibus Hospitium prædictum in Civitate Ulyssiponen. ad præmissorum effectum auctoritate nostra Apostolica fundandi, & instituendi facultatem, & licentiam, eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio præd. facultatis.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annullo Pisc. die XXVIII. Augusti MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CI.

Confirmantur tredecim Decreta Congregationis Rituum, quibus Congregationi Reformatæ Monachorum Cistercien. conceditur facultas recitandi Officia complurium Sanctorum quibusdam ritibus, & modis.

Const. ed. 1705. Dec. 23. P. 6. confirmatus fuit cultus BB. Teresiæ, & Sanciæ Monial. Ord. Cisterc. & Bened. XIII. conceditur Indulg. Plenar. in Festo S. Stephani III. Abbatis Const. ed. 1724. Jul. 4. Pont. 1.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 25. Sept. 1710. An. 10.

Ad futuram rei memoriam.

Alias a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus præpositorum ad supplicationem tam dilecti Filii nostri Joannis Mariæ S. R. Ecclesiæ Cardinalis Gabriellii nuncupati, qui in minoribus constitutus professionem Regularem in Congregatione reformata Monachorum S. Bernardi Ordinis Cistercien. emisit, quam nonnullorum tunc existentium Superiorum dictæ Congregationis Reformatæ emanarunt tredecim Decreta, tenorum, qui sequuntur, videlicet –

Referuntur præd. Decreta edita precibus Cardin. Gabrielii, & Superiorum d. Congregationis.

§. 1. Congregatio S. Bernardi Ordinis Cisterciensis. Sacra Rituum Congregatio referente Eminentiss., & Reverendiss. Domino Cardinale Gabriellio, ad humillimas preces P. D. Joannis Francisci Rotæ Vicarii Generalis Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis benigne indulsit Monachis Congregationis prædictæ S. Bernardi utriusque sexus, ut licite elevare possint officia Sanctorum Roberti Abbatis in Anglia, Lutgardis Virginis, Hedwigis Reginæ Poloniæ, & Thomæ Episcopi Cantuariensis, & Martyris a

Primum Decretum de celebratione festorum sub ritu duplici, & 2. classis.

Ritu semiduplici ad duplicem, & officium S. Roberti Abbatis Institutoris Ordinis Cisterciensis a Ritu duplici ad duplicem secundæ Classis, necnon, ut libere, ac licite possint celebrare sub Ritu duplici nonnulla festa Sanctorum ejusdem Instituti cum officiis, ut infra indicantur. Die 2. Martii S. Aelredi Abbatis Rievallis. Die 5. Martii S. Petri de Castro novo Martyris cum lectionibus desumptis ex literis ab Innocentio PP. III. scriptis super ejus Martyrio. Die 13. Martii S. Heldradi Abbatis Novaliciensis. Die 1. Aprilis S. Hugonis Abbatis Bonevallis. Die 18. Junii S. Elisabeth a Schonaugia Virg. Die 17. Septembris Sanctæ Hildegardis Virginis. Die 8. Octobris S. Martini Abbatis Vallis Paradisi. Die 13. Augusti 1701.

Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Secundum Decretum.

Sacra Rituum Congregatio referente Eminentiss., & Reverendissimo Domino Cardinale Gabriellio, ad humillimas preces P. D. Francisci a S. Benedicto Visitatoris Provincialis Provinciæ Romanæ Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis benigne indulsit Monachis utriusque sexus Congregationis S. Bernardi prædicti Ordinis, ut infra octavam Festivitatis Sanctæ Scholasticæ Virginis recitare possint lectiones proprias approbatas pro Officio ejusdem S. Scholasticæ recitando singulis mensibus, & ut die 28. Novembris recitari possint sub ritu duplici officium S. Columbani Abbatis cum lectionibus approbatis pro Congregatione Cassinensi. Item benigne concessit, ut libere, & licite possint celebrare sub ritu duplici nonnulla festa Sanctorum Ordinis Cisterciensis cum Lectionibus, ut infra indicantur. Die 14. Januarii S. Guarini Episcopi Sedunensis, & Confessoris. Die 26. Januarii S. Alberici Abbatis Cistercii. Die 27. Aprilis S. Franchæ Virginis. Die 15. Julii S. Balduini Abbatis Reatini. Die 8. Augusti S. Famiani Confessoris. Die 4. Decembris S. Galgani Confessoris. Die 3. Decembris 1701.

Congregationis Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Tertium Decretum.

Officia aliorum SS. sub ritu duplici recitãda cum Orationibus, & Lectionibus propriis.

Cum Sacra Rituum Congregatio referente Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinale Gabriellio sub diebus 13. Augusti, & 3. Decembris 1701. Monachis utriusque sexus Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensium, festa, & officia nonnullorum Sanctorum posse celebrari, & recitari benigne concesserit; Ad humillimas modo preces P. D. Joan. Francisci Rotæ Vicarii Generalis Congregationis prædictæ eisdem ut supra indulsit posse recitari sub ritu duplici officia S. Amadei Episcopi Lausanensis, & Confessoris die 28. Januar., & S. Raymundi Abbatis de Fitero die 15. Martii, atque etiam omnes supradictas Orationes, & Lectiones proprias in festis, ac officiis Sanctorum ejusdem Instituti recitandas diligenter revisas per eumdem Eminentiss., & Rm̃um D. Card. Gabriellium approbavit, & imprimi posse concessit die 21. Januar. 1702.

Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Quartum Decretum.

Facultas celebrandi festum SS. Coronæ Domini Nostri Jesu Christi feria 3. post Dominicam Passionis cum Missa, & Officio proprio.

Sac. Rituum Congregatio referente Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinale Gabriellio ad humillimas preces P. D. Joannis Francisci Rotæ Vicarii Generalis Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis benigne indulsit Monachis utriusque sexus Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi prædicti Ordinis, in feria tertia post Dominicam Passionis celebrare possint festum SS. Coronæ Domini Nostri Jesu Christi, & recitare sub ritu duplici majori Missam, & Officium proprium supradictum per eumdem Eminentissimum D. Cardinalem Gabriellium diligenter revisum, & utrumque imprimi posse concessit. Die 18. Martii 1702.

Congregationis Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Quintum Decretum.

Sac. Rituum Congregatio, referente Eminentiss., & Reverendiss D. Card. Gabriellio ad humillimas preces P. D. Henrici a S. Philippo Nerio Visitatoris Provincialis Provinciæ Romanæ Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis benigne indulsit Monachis utriusque sexus Congregationis prædicti Ordinis, ut licite possint celebrare festa, & recitare sub ritu duplici majori officia, & Missas harum festivitatum B. M. Virginis videlicet Desponsationis cum S. Joseph die 20. Februarii, Septem dolorum feria sexta post Dominicam Passionis, de Monte Carmelo die 16. Julii, Sanctiss. Rosarii die 3. Octobris, Patrocinii die 10. Novembris, & Expectationis die 18. Decembris, necnon, ut libere, ac licite possint celebrare festa, & recitare sub ritu duplici Officia, & Missas aliquorum Sanctorum ejusdem Instituti, ut infra indicantur. Die 30. Januar. S. Gerardi Confessoris. Die 19. Februarii S. Bonifacii Episcopi, & Confessoris. Die 8. Martii S. Gerardi Abbatis, & Martyris. Die 11. Martii S. Stephani Abbatis. Die 5. Aprilis S. Julianæ Virginis. Die 13. Aprilis Beatæ Idæ Virginis. Die 1. Junii SS. Martyrum Bernardi Mariæ, & Gratiæ. Die 15. Junii S. Aleydis Virginis. Die 8. Julii S. Theobaldi Abbatis. Die 13. Octobris S. Mauritii Abbatis. Die 24. Octobris S. Bernardi Episcopi, & Confessoris. Die 30. Octobris Sanctorum Martyrum, & aliorum Sanctorum quorum corpora, & reliquiæ in Ecclesiis ejusdem Congregationis asservantur, & sub ritu duplici majori. Die 14. Novembris translationis Corporis S. Bernardi Abbatis Clarævallensis, atque die 27. Novembris omnium Sanctorum Monachorum Ordinis Cisterciensis. Item omnes suprascriptas orationes, Hymnos ℣℣. ℟℟. Cap. Antiphonas, & Lectiones proprias in Festis, Officiis, ac Missis præfatis B. M. V. & præfatorum Sanctorum, aliorumque Sanctorum Monachorum jampridem in Breviario Monastico contentorum recitandas, diligenter revisas, & relatas per eumdem Eminentissimum & Reverendiss. Dominum Cardinalem Gabriellium, approbavit, & imprimi posse concessit, una cum Kalendario suprascripto, quod inposterum debeat unice observari in tota præfata Congregatione S. Bernardi non obstantibus quibuscumque aliis Decretis hujus Sacræ Congregationis ante hoc emanatis in favorem prædictæ Congregationis, salvis tamen remanentibus Decretis spectantibus ad Officia, uti superius de novo ordinata sunt. Sanctorum Benedicti, & Bernardi Abbatum semel in hebdomada, & S. Scholasticæ Virginis semel in mense extra tempus Adventus, Quadragesimæ, & Vigiliarum recitanda. Die 1. Julii 1702.

Festa B. M. V quæ celebrari posse conceditur sub ritu duplici majori, cum Missis, & Officiis propriis.

Aliorum SS festa sub ritu duplici.

Orationes, hymni, Responsoria, Capitula, Antiphonæ, & Lectiones propriæ ab eadem Sacr. Rituum Congr. approbatæ ad usum Monachorum Cisterciensium.

Ordinis Cisterciensis.

Sextum Decretum.

Cum Sac. Rituum Congregatio, referente Eminentiss., & Reverendiss. Dom. Cardinale Gabriellio sub die 13. Augusti, & 3. Decembris 1701., & 21. Januarii, 18. Martii, & prima Julii 1702. Monachis utriusque sexus Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, festa, & officia propria, atque Missas SSm̃æ Coronæ Spineæ D. Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, & plurium Sanctorum posse celebrari, & recitari benigne concesserit: Ad pias modo preces ejusdem Em̃i,

& Rmi Domini Cardinalis extendit, & concessit omnibus, & singulis Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cistercien. eamdem prorsus facultatem, ut supra celebrandi omnia prædicta festa, ac recitandi memorata officia propria, & Missas, atque acceptandi proprium Kalendarium, eodem prorsus modo, quo illa supradictæ Congregationi Reformatæ S. Bernardi concessa fuerunt in prænarratis Decretis hujus S. Congregationis. Die 9. Decembris 1702.

Ordinis Cisterciensis.

Sac. Rituum Congregatio referente, & supplicante Emo, & Rmo D. Cardinale Gabriellio benigne indulsit omnibus, & singulis Monachis utriusque sexus totius Ord. Cisterciensis, ut licite possint celebrare festa, & recitare sub ritu duplici officia, & Missas horum Sanctorum Summorum Pontificum, & Confessorum, ut infra die 19. Januarii S. Agathonis. Die 18. Februarii S. Gregorii Secundi. Die 25. Maji S. Bonifacii IV. Die 28. Maji S. Gregorii VII. Die 12. Junii S. Leonis III. Die 17. Julii S. Leonis IV., atque omnes suprascriptas orationes, & lectiones proprias in festis, & officiis prædictorum Sanctorum recitandas diligenter revisas, & relatas per eumdem Eminentiss., & Reverendissimum Dominum Cardinalem Gabriellium approbavit, & imprimi posse concessit. Die 20. Jan. 1703.

Ordinis Cisterciensis.

Cum Sac. Rit. Congregatio referente, & supplicante Eminentiss., & Reverendiss. Domino Cardinale Gabriellio sub die 9. Decem. 1702. benigne indulserit omnibus Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cistercien., ut possint celebrare festa, ac recitare Missas, & Officia propria Sanctorum Coronæ Spineæ Dom. Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, ac plurium Sanctorum jam per varia Decreta hujus Sacr. Congregationis concessa, & impressa juxta Ritum Breviarii Monastici pro Monachis Reformatis utriusque sexus S. Bernardi ejusdem Ordinis Cisterciensis: Ad pias modo preces ejusdem Eminentiss., & Reverendiss. Domini Cardinalis Gabriellii concedit omnibus Sanctimonialibus Ordinis Cisterciensis, quæ utuntur Breviario Romano, ut adaptare possint prædicta officia juxta Ritum Breviarii Romani, eaque sic accommodata faciant typis imprimi, necnon secundum easdem festivitates valeant celebrare facere Missas per Capellanos Ecclesiis earumdem servitio addictos cum Missali Romano, & juxta illius Rubricas ad instar concessionum alias factarum sub die 24. Jan. 1688. Monialibus Cisterciensibus S. Susannæ de Urbe, sub die 18. Jun. 1689. Monialibus Cisterciensibus S. Ursulæ Bononiæ. Die 23. Jun. 1703. Ita reperiuntur in Regestris Decretorum Congregationis Sac. Rituum In quorum fidem die 28. Jul. 1710. G. Cardinalis Carpineus. -- B. Inghirami Secretarius.

Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cistercien. Provinciæ Romanæ.

S. Rit. Congregatio, referente Eminentiss., & Reverendiss. Domino Cardinale Gabriellio ad humillimas preces P. D. Henrici a S. Philippo Nerio Visitatoris Provincialis Provinciæ Romanæ Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis benigne indulsit Monachis dumtaxat Provinciæ Romanæ prædictæ Congregationis Reformatæ S. Bernardi, ut die 19. Maji possint in omnibus Monasteriis, & Ecclesiis tantum ejusdem Provinciæ Romanæ, celebrare festum S. Pudentianæ Virginis, & recitare sub ritu duplici majori Missam, & Officium d. S. Pudentianæ ad relationem ejusdem Eminentiss. Domini Card. Gabriellii approbatum die 8. April. 1702. ab hac Sacra Congregatione pro Monachis S. Pudentianæ de Urbe. Hac die 20. Januar. 1703.

Pudentianæ V. & M. & recitare sub ritu duplici majori ejus Missam & Officium.

Ordinis Cisterciensis.

Decimum Decretum.

Sac. Rit. Congregatio supplicante, & referente Eminentiss., & Reverendiss. Dom. Cardinale Gabriellio, approbavit officium proprium supra descriptum S. Humbelinæ Viduæ, benigneque indulsit omnibus, & singulis Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut licite possint celebrare festum, & recitare sub ritu duplici die 12. Februarii prædictum officium proprium S. Humbelinæ, illudque imprimi posse concessit, non solum secundum Ritum Breviarii Monastici, sed etiam secundum Ritum Breviarii Romani pro Sanctimonialibus Cisterciensibus utentibus eodem Breviario Romano. Die 1. Sept. 1703.

Facultas celebrandi festum S. Humbelinæ cum Officio sub ritu duplici.

Ordinis Cistercien.

Undecimum Decretum.

Cum Sac. Rit. Congregatio referente Eminentiss., & Reverendiss. Dom. Card. Gabriellio sub diebus prima Julii, & nona Decembris 1702. omnibus Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis concesserit novum Kalendarium proprium ordinatum, & adauctum compluribus officiis propriis pro dierum diversitate ab hac Sac. Congregatione jam approbatis: Ad pias modo preces, & relationem ipsius Eminentiss., & Reverendissimi Domini Cardinalis Gabriellii, eadem Sacra Congregatio pro omnibus Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis dumtaxat approbavit, & imprimi posse concessit suprascripta elogia publice in Choro recitanda in Lectione Martyrologii Romani juxta Rubricas ejusdem Martirologii. Hac die 24. Nov. 1703.

Approbatio novi Kalendarii pro omnibus Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis. Cum elogiis in Choro recitandis ad Lectionem Martyrologii Romani juxta Rubricas ejusdem Martyrologii.

Ordinis Cisterciensium.

Duodecimum Decretum.

Sac. Rituum Congregatio, referente, & supplicante Eminentiss., & Reverendiss. Domino Cardinale Gabriellio benigne indulsit omnibus, & singulis Monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut quotannis die 14. Januar. licite possint, & valeant celebrare festum, & recitare sub ritu duplici secundæ Classis officium & Missam de SS. Nomine Jesu alias approbata, & pluries concessa ab hac Sac. Congregatione translato ad diem 14. Februar. festo, & officio S. Guarini Episcopi, & Confessoris. Hac die 15. Febr. 1710.

Omnes utriusque sexus Cistercienses die 14. Jan. festum cum officio SS. Nominis Jesu celebrare possunt, translato in diem 14. Febr. festo, atque Officio S. Guarini Ep. & Conf.

Ordinis Cisterciensis.

Decimum tertium Decretum.

Cum S. Rituum Congregatio, referente Eminentiss., & Reverendiss. D. Card. Gabriellio sub die 18. Mart. 1702. Monachis Reformatis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis festum, & officium proprium Sanctiss. Coronæ Spineæ Dom. Nostri Jesu Christi in feria tertia post Dominicam Passionis posse celebrari, ac recitari sub ritu duplici majori benigne concesserit, eamque gratiam ad omnes Monachos Cistercienses utriusque sexus die 9. Decem. 1702. extenderit: Ad pias modo preces Eminentiss., & Reverendiss. Domini Card. Gabriellii pro toto Ordine Cisterciense utriusque sexus porrectas, eadem Sacra Congregatio transfert ad feriam sextam ante Dominicam Passionis Officium Sanctissimæ Coronæ Spineæ sub eodem Ritu duplici majori. Die 21. Jun. 1710. -- Ita reperiuntur in Regestris Decretorum Congregationis Sac. Rituum. In quorum fidem die 28. Jul. 1710. -- I. Cardinalis Carpineus. -- B. Inghirami S. Rit. Congr. Secretarius.

Officium cum festo SS. Coronæ D. N. J. C. ex feria 3. post Dominicam Passionis transfertur in feriam 6. ante ipsam Dominicam.

Memoratus Card. Gabriellius supplicat Summo Pontifici pro Confirmatione recensitorum Decretorum.

Annuit Pontifex ejus precibus.

§. 1. Cum autem, sicut prædictus Joannes Maria Cardinalis nuper exposuit, ipse Decreta hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos specialem ipsi Joanni Mariæ Cardinali gratiam facere volentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tredecim Decreta præinserta, & eorum quodlibet auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congr. Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Reformatæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXV. Septem. MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CII.

Confirmatur Decretum Capituli Provinciæ Romanæ Congregationis Italiæ Fratrum Carmelitarum Discalc. de pecuniis investiendis.

Inn. XII. Const. ed. 1692. Nov. 22. P. 2. confirmata fuere quædam decreta pro pace inter utramque Congregationem. Et Bened. XIII. Constit. edita 1728. Jun. 22. P. 5. mandatur Donatis, ut exerceant humilitatis opera.

Dat. 26. Sept. 1710. An. 10.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Prior Provincialis, & Definitores Provinciales Provinciæ Romanæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Italiæ Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ die 22. Aprilis anni proxime præteriti celebrato decretum fuit, ut in posterum Conventus Provinciæ hujusmodi pecunias ad ipsos quomodolibet spectan., personis particularibus ad censum tradere nequeant, sed illas in tot locis Montium Cameræ nostræ Apostolicæ non vacabilium, sive censibus cum locis piis, & communitatibus investire, aut in emptionem bonorum stabilium fructiferorum convertere, & erogare teneantur, & alias prout uberius continetur in Decreto Diffinitorii Provincialis memoratæ Provinciæ desuper emanato tenoris, qui sequitur, videlicet. Ex actis Capituli Provincialis fratrum Carmelitarum Discalceatorum ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Provinciæ Romanæ S. Mariæ celebrati Caprarolæ in nostro Conventu S. Mariæ in S. Silvestro in sess. vespertina fer. 2. die 22. mensis Aprilis 1700. Cum ex creatione censuum cum personis particularibus sæpe deperdantur, aut periculum subeant capitalia, & eorum fructus, indeque plures quotidie lites debeant excitari. Propositum fuit, an sit ordinandum ne in posterum Conventus possint tradere ad censum personis particularibus pecunias quomodolibet ad ipsos spectan., sed teneantur reinvestire illas in locis Montium, vel cum locis piis, aut communitatibus, aut in emptione Terrarum frugiferarum; Et hoc non intelligatur, si capitale non ascendat ad scuta centum, tunc enim recurratur ad Definitorium Provinciale, quod re mature examinata, decernat, quid faciendum in casibus particularibus sub pœna suspensionis per sex menses Prioribus contrafacien. quod si hæc pœna locum habere non possit, sint privati voce activa, & passiva per idem tempus: responsum est affirmative per secreta suffragia cum omnibus. Item propositum fuit pro majori firmitate supradictæ ordinationis, an servatis servandis sit recurrendum ad S. D. N. supplicando pro confirmatione in forma Brevis; Responsum est affirmative cum viginti octo ex viginti novem. -- Fr. Matthæus a Sancta Maria Provincialis &c. -- Fr. Eusebius a Sanctis Capituli Secretarius &c.

Decretum prædict. de pecuniis investiendis in locis Montiū, sive cum Communitatibus, vel in Terris fructiferis, cum quadam exceptione.

Preces Prioris, & Diffinitorum.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Capitulum Provinciale prædictum confirmationem Decreti hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione ab hac S. Sede impetrari mandaverit: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium modernum Præpositum Generalem dictæ Congregationis super præmissis audiverunt consilio Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Salva tamen semper in præmissis Auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus

ſit, Congregationis, & Conventuum, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illarum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Sept. MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

III. Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Eccleſiis Congregationis Alexianorum in feſto S. Alexii.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

[Da]t. 4. Oct. [1710.] An. 10.

[Ex]ordium. INjunctæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut cæleſtium munerum Theſauros diſpenſationi noſtræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris Sanctorum in Cælis cum Chriſto regnantium venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum ſalutem ſperamus in Domino profuturum.

[Pre]ces Con[greg]ationis. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Fratrum Congregationis Alexianorum, ſeu Cellitarum nunc ſub Regula S. Auguſtini nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcumque Conventuum dictæ Congregationis Alexianorum, ſeu Cellitarum tam hactenus erectis, quam in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum exiſtentibus die feſto S. Alexi Confeſſoris ſub cujus invocatione eadem Congregatio inſtituta fuit, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. [C]onceſſio [In]dulg.

[Cl]auſulæ. §. 1. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV. Octobris MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

IV. Declaratur nullum Edictum Ducis Sabaudiæ ſuper deputatione Judicis pro juſtitia adminiſtranda, & Œconomi pro colligendis fructibus in Abbatia S. Benigni in Fructuaria ſuo Rectore orbata.

Conſt. ed. 1707. Maji 17. P. 7. declarata fuere nulla Decreta, aliaque geſta in ditione Ducis Sabaudiæ. Et Conſt. ſequenti declaratur nulla deputatio Vicarii in loco de Saorgio, aliiſque locis Duci Sabaudiæ ſubjectis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 27. Oct. 1710. An. 10.

ACcepimus nuper porrectas fuiſſe ab Officiali Patrimoniali Generali nuncupato, dilecti Filii Nobilis viri Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis, & Pedemontis Principis quaſdam preces eidem Victorio Amedeo Duci tenoris, qui ſequitur, videlicet *Altezza Reale.* Sendoſi reſa vacante per la morte ſeguita dell'Abbate di S. Tomaſo il primo Agoſto ſcorſo, l'Abbatia di S. Benigno d'indubitata nomina, e Regio Perſonato di V. A. R. la di cui Juriſdittione, e redditi conſiſtono particolarmente al temporale ſopra le quattro terre di S. Benigno Montanaro, Feletto, & Lombardore; Ha il ſuo Patrimoniale d'ordine della ſua Regia Camera de Conti per la ragione di protettione da V. A. R. dovuta a detta Abbatia, ed ad effetto di far conſervare li frutti, e redditi vacanti a beneficio di eſſa e del ſucceſſore, che deve eſſer nominato da V. A. R. fatto procedere conforme al ſolito dell'altre Abbatie, e Chieſe vacanti di nomina Regia alla riduttione d'eſſa, frutti, e redditi della medema ſotto l'economia, o ſia Amministrazione del detto ſuo Patrimoniale con deputatione non ſolo d'Economo nella perſona di Giuſeppe Antonio Roggerino per la percettione e conſervatione de'frutti, e redditi, ma ancora d'un Giudice rogato nella Perſona dell'Avvocato Battaglione ad effetto, che venga dal medemo a nome di detta Abbatia eſſercitata la giuriſdittione temporale, e reſa quella giuſtizia alli ſudditi d'eſſa, e luoghi ſudetti nel concernente il temporale, che venivali amministrata, e reſa dalli Giudici in eſſe quattro Terre pro tempore deputati dagl' Abbati con ordine e commando eſſercire con tutta integrità, e diſintereſſamento, e nella forma, e ſtili, che eſſercivaſi in vita degl'Abbati dalli Giudici ſuddetti, come del tutto ne appare per atti, lettere, e legitime proviſioni ottenute dalla Regia Camera ſudetta: occorre preſentemente aaver per inteſo, che ſotto nome di Monſignore Arciveſcovo di Seleucia in qualità di Teſoriere Generale di Sua Santità, e della Camera Apoſtolica, e colletore de' ſpogli, e diritti delle Abbatie, e Beneficii vacanti in Italia, ſiaſi ultimamente preteſo publicarſi in detta Abbatia aſſerte lettere, ordine, o Manifeſto del medemo che ſi dice dato in Roma li 16. Agoſto ſcorſo per cui detto Monſignore Teſoriere abbia preteſo dichiarare nulli gl'altri di riduttione fattaſi d'ordine d'eſſa Camera de'Conti di V. A. R. e ſucceſſivamente la deputazione dell' Economo Roggerino con inibire a chi che ſia d'ingerirſi ſotto qualſivoglia preteſto, nella cura o amministrazione, o Economia de'Beni, luoghi, rendite, e giuriſdizione dell'Abbazia ſudetta ſenza eſpreſſa facoltà, e permiſſione ſua, e dell'Abbate Barbaroſſa, che dice eſſer ſuo Delegato con commando di pagare, e riſpondere dd. frutti, e redditi nelle mani d'eſſo Abbate Barbaroſſa, & a ſudditi d'eſſe quattro Terre di obedire ſolamente alla Sede Apoſtolica, ed alla Santità di noſtro Signore & a Giudici, e Miniſtri Coſtituiti da ſe, come Collettore Generale ſudetto o pure dal detto Abbate Barbaroſſa ſuo Delegato durante la vacanza ſenza riconoſcere altro Superiore, nè ricevere, nè ubbedire agl'Ordini d'altri Giudici, o d'altri Magiſtrati di qualſivoglia ſorte ſotto le pene, ed altri commandi ivi eſpreſſi, e meglio come riſulta dalla qui gionta copia del manifeſto, e lettere ſudette. Doppo del che l'iſteſſo Abbate Barbaroſſa per altro ſuo particolar ordine delli 6. corrente Settembre, che pure ha preteſo far publicare in

Libellus porrectus ab Officiali Gener. Patrimonii Duci Sabaudiæ ſuper confirmatione Deputationis a ſe factæ, & abolitione alterius a Subdelegato Theſaurarii Cam. Apoſt. editæ Judicis pro juſtitia adminiſtranda Vaſſallis locorum Abbatiæ S. Benigni in Fructuaria, & Oeconomi pro colligendis fructibus quouſque ſuo Rectore vacaret.

detta Abbazia, e di cui si rimette la qui gionta copia notificando la sudetta delegazione, ed autorità, che dice confertali da Monsignore Tesoriere non solo notifica, dichiara, e commanda come sopra, ma passando più oltre, supponendo fatti d'autorità ordinaria, e delegata dall'Avvocato Pochettini, alcuni atti di riduttione d'essa Abbazia, deputazione d'Economo, Giudici, ed altri ufficiali, ha preteso confermare in Economo il Prete Don Passora, in Giudice, e Luogotenente il Notaro Marco Aurelio Carlevaris, per li luoghi di S. Benigno, Montanaro, e Netto, ed in suo Vice-Luogotenente e Vice Segretario il Notaro Roga, come pure in Luogotenente, e Segretario nel luogo di Lombardore, il Notaro Gioseppe Maurizio Roggeri, ed in fiscale il denominato Saudimo, che però non dovendo persuadersi il Patrimoniale di V. A. R. possa esser mente di Monsignore Tesoriere, come non è di suo potere l'esercitare, ed estendere l'autorità sua di Collettore Generale sopra l'Abbazia sudetta, quale per più ragioni non deve cadere sotto la riduttione, e ragione di vacanti, e particolarmente per esser d'indubitata nomina, e Padronato Regio, e dovendo anzi credere essere evidentemente surrettitie le sudette lettere, e provisione sendosi taciuta particolarmente la qualità tanto essentiale, che questa Abbazia sia di Padronato Regio, come altresì costandoli conseguentemente esser nulle, ed insossistenti le susseguite provisioni dell'Abate Barbarossa, e tanto la sudetta delli 6. Settembre, che ogn'altra, e molto più attentati tutti gl'atti di deputazione d'Economo, Giudice, o Luogotenente, Segretario Fiscale, ed altri Ufficiali, dall' Avvocato Pochetini senza nessuna autorità, e con accidente perturbazione de' dritti del suo Regio Padronato: Implorando per tanto il benigno effetto della Real protezzione da V. A. R. dovuta alla detta Abbazia, e sudditi di essa particolarmente durante la vacanza della medema, per la conservazione de redditi, e frutti vacanti di essa, tanto a favore del successore, che dell' Abbazia senza che siano contro ogni diritto del Regio Padronato e ragioni della medesima; altrove divertiti, e trasportati, e che l'amministrazione ancora della giurisdizione temporale, come de' più cospicui frutti, e redditi dell' Abbazia, stia oppresso, e venga esercitata da persone d'ogni integrità, e disinteressamento. Supplica per tanto humilmente V. A. R. degnarsi dichiarare non aver potuto, ne potere le sudette provisioni di Monsignore Tesoriere ed Abbate Barbarossa, ed Avvocato Pochettini, come surrettitie, nulle, invalide, ingiuste, ad attentate respettivamente sortire alcun effetto, nè recare verun pregiudizio alle ragioni di detta Abbazia, e dal suo Regio Padronato, e per maggior, e dovuta naturale difesa d'un dritto tanto giustamente spettante alla sua corona, fare positivo, è contrario precetto a tutti li sudditi, ed habitanti in essa Abbazia, e Torre alla medesima nel temporale sottoposte, di non dover, pendente la vacanza della medesima riconoscer altro Economo, che il già deputato d'ordine della sua Regia Camera de' Conti Rogerino con obligo, e commando a tutti li Massarj, Fittuarj, Enfiteoti, Reddituarj, ed in qualunque maniera, e per qualunque titolo Debitori verso detta Abbazia, di pagare, e rispondere d'essi in avvenire dal giorno della Morte dell' Abbate di S. Tomaso, e durante la vacanza in altre mani, che dal prenominato Economo, o altri che venissero dal suo Patrimoniale nominati, e deputati, come altresì di non ubbidire ad altri Giudici nel temporale che al già detto Avvocato Battaglione, o suoi Luoghi tenenti, o altri, che verranno come sopra dalla Regia Camera, o suo Patrimoniale deputati, ed inibire alli sudetti nullamente deputati dall' Avvocato Pochettini, e confermatri come sopra dall'Abbate Barbarossa, o etiandio da Monsignore Tesoriere sudetto, o che potessero ancora in avvenire essere da' medemi, o chiunque altri eletti, o deputati d'ingerirsi in qualunque maniera, per se, o per altri direttamente o indirettamente nell'essercizio di detta Giurisdizione temporale, amministrazione della giustizia, percettione de' redditi, e qualunque altra economica, o temporale amministrazione di qualsisia officio, ed essercizio in detta Abbazia, e Terre a quella soggette, anzi di dover pendente la vacanza, come sopra ubbedire intieramente nel concernente detta amministrazione alli sudetti dalla di lei Regia Camera, e suo Patrimoniale deputati e deputandi in avvenire sotto pena non solo della nullità d'ogni atto in contrario, ma d'altre maggiori arbitrarie alla sua Regia Camera, secondo la contingenza de' casi. Con dichiarar la publicazione delle presenti per voce di grida, ed affissiane di copia ne' modi, e luoghi soliti, e che alla copia stampata dal Stampatore di V. A. R. Valetta si debba dar tanta fede, come al proprio originale valer. Il che &c. Fecia di Cossato Auditore Patrimoniale Generale.

§. 1. Subinde vero super precibus prædictis prodiisse sub nomine ejusdem Victorii Amedei Ducis præceptum, sive Edictum tenoris sequentis, videlicet. *Vittorio Amedeo II. per grazia di Dio Duca di Savoja, Prencipe di Piemonte, Rè di Cipro &c.* Veduta nella Camera nostra de' conti l'allegata supplica sottoscritta dal Conso Consigliere di Stato, Mastro Auditore Patrimoniale nostro Generale Fecia di Cossato, ed il tenore del tutto ben considerato per le presenti col parere, e partecipazione di detta Camera dichiaramo non aver potuto, ne poter le provisioni di Monsignore Tesoriere, ed'Abbate Barbarossa, ed'Avvocato Pochettini, come surrettizie, nulle, invalide, ingiuste, ed attentate rispettivamente sortire alcun' effetto, nè recare verun pregiudizio alla ragione della nostra Abbazia, e del Regio nostro Padronato, e per maggior, e dovuta natural difesa di un diritto tanto giustamente spettante alla nostra Corona. Faciamo positivo, e contrario precetto a tutti li sudditi, ed abitanti in essa Abbazia, e Terre alla medesima nel temporale sottoposte de non dover pendente la vacanza della medesima riconoscere altro Economo, che il già deputato d'ordine di detta nostra Camera de' Conti Rogerino con obligo, e commando a tutti li Massarj, Fittuarj, Enfiteoti, Reddituarj, ed in qualunque maniera, e per qualunque titolo debitori verso d. Abbazia di pagare, e rispondere d'essi in avvenire dal giorno della morte del Abbate di San Tomaso, e durante la vacanza in altre mani, che del prenominato Economo, o altri, che venissero dal nostro Patrimoniale nominati, e deputati, come altresì di non ubbedire, ad altri Giudici nel temporale, che all' Avvocato Battaglione, o suoi Luogotenenti, o altri, che verranno come sopra dalla predetta nostra Camera, o Patrimoniale deputati. Inibendo alli nominati nella sudetta supplica nullamente deputati dall'Avvocato Pochettini, e confermati dall'Abbate Barbarossa, o etiandio da Monsignore Tesoriere sudetto, o che potessero ancora in avvenire essere da' medesimi, o chiunque altri eletti, o deputati d'ingerirsi in qualunque maniera per se, o per altri, direttamente, o indirettamente nell'esercizio di detta Giurisdizione temporale, amministrazione della giustizia, percezzione de' redditi, e qualunqu' altra economia, o temporale amministrazione di qualsivoglia officio, ed' esercizio in d. Abbazia, e Terre a quella soggette, anzi di dover pendente la vacanza, come sopra ubbedire intieramente nel concernente detta amministrazione alli sudetti dalla sudetta nostra Camera, e Pa-

Edictum Ducis Sabaudiæ, quo confirmata fuit præd. Deputatio judicis, & OEconomi ab Officiali Gen. Patrimonii, ac nulla declarata alia Deputatio a Subdelegato Thesaurarii facta.

trimo-

trimoniale nostro deputati, e deputandi in avvenire sotto pena non solo della nullità di ogni atto in contrario, ma d'altre maggiori arbitrarie all'istessa nostra Regia Camera secondo la contingenza de' casi. Dichiarando la publicazione delle presenti per voce di grida, & affissione di copia nei modi, e luoghi soliti valida, e che alla copia stampata del Stampatore nostro Valetta si debba dare tanta fede, come a proprio Originale, che tal' è nostra mente. Dato in Torino li 15. Settembre 1710. Per S. A. R. a relazione di detta Camera. In Torino per Gio. Battista Valetta Stampatore di S. A. R. 1710.

...tenditur ... Edic... esse nul... , utpote ...um ju... Apolto... Sedis.

§. 2. Cum autem, fructus, redditus, & proventus Monasterii, seu Abbatiæ in fructuaria nuncupatur nullius, seu Hypporegien., vel alterius Dioecesis, deque in præcepto, seu Edicto præinserto fit mentio, tempore illius vacationis seu cessationis commendæ, ad nos, & Cameram nostram Apostolicam spectare, & pertinere dignoscuntur, & in vacationibus, seu cessationibus Commendæ Monasterii hujusmodi, quæ retroactis temporibus contigerunt, a tunc existentibus Nunciis Apostolicis, aliisque hujus S. Sedis Officialibus, & Ministris in ditione prædicti Victorii Amedei Ducis pro tempore residentibus recollecti, & pro eadem Camera custoditi fuerint, ac interea Officiales, & Judices pro Justitia administranda Vassallis, & Subditis in Oppidis, Castris, & locis eidem Abbatiæ, ejusque pro tempore existenti Abbati Commendatario, etiam in temporalibus subjectis a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris seu Nunciis, aut aliis Ministris Apostolicis præfatis constitui, ac deputari consueverint, ipsaque Oppida, Castra, & loca sub alto, & supremo Dominio, ac Superioritate nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis, ac S. R. E. privative quoad alios quoscumque fuerint, & sint, ac censeri debeant, adeoque Vassalli, Universitates, & homines eorumdem Oppidorum, Castrorum & locorum soli nostræ & dictæ Sedis superioritati fuerint, & sint vere subjecti, ac propterea, nec dicto Victorio Amedeo Duci tempore vacationis, seu cessationis Commendæ Monasterii prædicti, Judices constituere, aut alios Jurisdictionales actus exercere, & multo minus fructus bonorum ad dictum Monasterium, seu Abbatiam spectantium sub quocumque prætextu colligere, seu custodire, aut Œconomos deputare, & sic res ad Ecclesias spectantes perturbare licuerit, nec liceat in præjudicium Sedis, & Cameræ prædictarum, ideoque præcepta, inhibitiones, ordinationes, aliaque omnia, & singula demandata, contenta & enunciata in præinserto præcepto, seu Edicto quovis modo læsiva Ecclesiasticæ Jurisdictionis, & libertatis, ac Jurium Cameræ, & Sedis prædictarum nullius prorsus sint roboris, & momenti, nec deceat illa absque nostra, & ejusdem Sedis animadversione, impugnatione, & revocatione prætermitti. Hinc est, quod Nos, qui in sublimi Justitiæ solio a Domino constituti Universarum Terrarum Orbis Ecclesiarum gerimus curam, quique illarum, & Sedis prædictæ jurium Supremi Assertores sumus, ne pastorali officio nostro hac in re quoquo modo deesse videamur. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine paribus præceptum, seu Edictum præinsertum, necnon mandata, inhibitiones, præcepta, aliaque omnia, & singula in eo contenta, & enunciata tum Cameræ, & Sedis prædictarum, tum etiam Monasterii, seu Abbatiæ S. Benigni hujusmodi Juribus quovis modo præjudicialia, ac præsertim deputationem Œconomi, seu aliorum Officialium pro reducendis, colligendis, & custodiendis illius fructibus, necnon constitutionem Judicis, seu Judicum pro Justitia in temporalibus administranda in prædictis Oppidis, Castris, seu locis, sicut præmittitur, facta, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, injusta, erronea, ac de facto præsumpta, & attentata, nulliusque momenti, & efficaciæ fuisse, & esse, neque per illa tanquam inania, frivola, & inefficacia ullum, vel minimum præjudicium nostris, & Sedis, ac Cameræ prædictarum, necnon dicti Monasterii, seu Abbatiæ Juribus quibuscumque illatum fuisse, vel esse, neque inferri potuisse, nec ullo unquam tempore posse, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse, vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel præscribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed proinde ac si numquam emanassent, nec facta fuissent; pro non extantibus, & non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore præsentium statuimus, decernimus, & declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam revocationes Œconomi, & Judicis, omniumque in præmissis, seu eorum occasione gestorum a Camera computorum nuncupata dicti Victorii Amedei Ducis, seu illius Officialibus per Venerabilem Fratrem Joannem Archiepiscopum Seleuciæ Thesaurarium nostrum generalem, vel alios Sedis prædictæ Officiales factas approbantes ac quatenus opus sit, confirmantes deputationem Œconomi, & Judicis prædictorum, & alia quæcumque a Camera prædicta computorum, ac eisdem Œconomo, & Judice, seu aliis Ministris Ducalibus, quoad exercitium Jurisdictionis in Vassallos, & Subditos, ac reductionem, seu recollectionem fructuum Monasterii, seu Abbatiæ hujusmodi in præjudicium Sedis, & Cameræ Apostolicarum prædictarum hactenus attentata, vel forsan in futurum attentanda, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, harum serie reprobamus, annullamus, cassamus, & abolemus, viribusque, & effectu prorsus vacuamus, & pro reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, ac omnino vacuis semper, & perpetuo haberi volumus & mandamus, itaut illis minime obstantibus supremum Dominium, & Superioritas in Vassallos, & Subditos, Oppidaque, Castra, seu loca ejusdem Monasterii, seu Abbatiæ ad nos, & Sedem prædictam solummodo spectet, & pertineat, prout revera spectat, & pertinet, jusque deputandi Judicem pro administratione justitiæ in iisdem Oppidis, Castris, seu locis, & colligendi fructus, ac redditus ejusdem Monasterii, seu Abbatiæ, quotiescumque illius vacatio, seu cessatio Commendæ contigerint, ad Sedem, & Cameram Apostolicas prædictas, non autem ad d. Ducem pari modo spectet, & pertineat, quemadmodum revera spectat, & pertinet. Propterea que Subcollectores, Commissarios, & Ministros pro recolligendis fructibus prædictis, necnon Judices pro administratione Justitiæ a nostris, & dictæ Sedis Officialibus, postquam Monasterii, seu Abbatiæ hujusmodi vacatio, seu cessatio Commendæ contigit, Deputatos, & in prædicto præcepto, seu Edicto nominatos, quatenus opus sit, & ad majorem cautelam harum serie approbamus, & confirmamus, eisdemque Judicibus tam hactenus deputatis, quam in futurum forsan pro administratione Justitiæ per nos, & dictæ Sedis, & Officiales prædictos deputandis ab omnibus, & singulis Vassallis, & Subditis dicti Monasterii, seu Abbatiæ obtemperari,

Declaratio ...llitatis re... i Edicti ...m confir... tione De... tationis a ...bdelegato ...esaurarii ...tæ, & abo... ione alte... s ab Offi... liGen. edi...

tæ, necnon cū mandato parendi sub poenis, & censuris; quas jam incurrerunt Apost. jurium perturbatores.

perari, debitamque obedientiam præstari, ac Subcollectoribus, seu Commissariis itidem per eosdem nostros, & ejusdem Sedis Officiales deputatis, aut in posterum forsan deputandis, fructus, redditus, & proventus quoscumque tam hactenus decursos, quam ipsius Monasterii, seu Abbatiæ vacatione durante, seu Commenda cessante decurrendos realiter, tradi, & consignari volumus, præcipimus, & mandamus. Præterea iisdem Vassallis, ac Subditis, necnon omnibus, & singulis Colonis, Conductoribus, Massariis, & aliis quibuscumque fructuum, redditutuum, & proventuum hujusmodi debitoribus districte interdicimus, & prohibemus, ne cuicumque personæ, seu personis a prædicta Camera computorum dicti Victorii Amedei Ducis, vel aliis ejus Officialibus hucusque deputatæ, seu deputatis, & in prædicto præcepto, seu Edicto expressis, seu aliis forsan in futurum deputandis pro administratione Justitiæ, seu perceptione, & Custodia fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum, ulla ratione, aut quocumque quæsito colore, vel causa pareant, vel obtemperent, vel iis respective ullam prædictorum fructuum, reddituum, & proventuum portionem, etiam minimam, aut pretium inde retractum, vel retrahendum quoquomodo tradant, & assignent; Quod si secus fecerint, censuras, & pœnas a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversus talia perpetrantes inflictas se noverint incursuros. Quin etiam Judici, & Œconomo prædictis, & aliis quibuscumque e dicta Camera Computorum, vel etiam ab ipso Victorio Amedeo Duce, aut ejus Officialibus hactenus deputatis, vel forsan in posterum deputandis penitus, ac omnino interdicimus, & prohibemus, ne quibusvis Jurisdictionalibus actibus, quoad Monasterium, seu Abbatiam hujusmodi, ejusque Vassallos, & Subditos ullatenus se immiscere, fructus, redditus, & proventus ejusdem Monasterii, seu Abbatiæ vacatione durante, seu Commenda cessante exigere, aut aliquod impedimentum Judicibus, & Subcollectoribus, seu Commissariis per præsentes nostras, & dictæ Sedis Officiales deputatis, aut in posterum forsan deputandis, quominus eorum officio in præmissis libere fungi possint per se, vel alios inferre, nec quidquam aliud circa præmissa facere audeant, seu præsumant in nostrum, & Sedis, & Cameræ Apostolicarum prædictarum præjudicium sub censuris, & pœnis adversus Ecclesiasticæ libertatis, & Jurisdictionis Apostolicæ perturbatores, ac usurpatores a Sac. Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim Literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitis inflictis, quas cæteroquin manifesti, ac explorati Juris est eos incurrisse, qui quoquomodo in prætensa administratione justitiæ, vel recollectione fructuum, reddituum, ac proventuum hujusmodi, in Sedis, & Cameræ Apostolicarum prædictarum præjudicium se ingesserunt, vel aliud quidquam in præmissis hactenus attentarunt, vel attentare præsumpserunt.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, & ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, ac individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus necnon legibus Imperialibus, etiam Municipalibus, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, & fel. rec. Pii PP. IV. Prædecessoris nostri Constitutione de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literæ etiamsi in eadem Camera nullo unquam tempore præsententur, & registrentur, nihilominus valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant; Necnon dicti Monasterii, seu Abbatiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Monasterio, seu Abbatiæ, ejusque Commendatario, & quibusvis personis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Octob. MDCCX. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Declarantur nulla Deputatio Vicarii in Oppido Saorgio, aliiſque locis Duci Sabaudiæ ſubjectis per Epiſcopum Vintimilien., ejuſque Provocatio ad d. Ducem, & Senatum Nicien. nec non horum Beneplacitum, mandatum, & Decretum, cum prohibitione exercitii Vicariatus, & præcepto illius revocationis.

Conſt. praeced. declarata fuit nulla Deputatio Judicis, & OEconomi in Abbatia S. Benigni. Et Conſt. ed. 1712. Jul. 9. P. 12. Declaratur nullum Decretum a poteſtate Sæculari Nicien. ſuper ſolutione ab Eccleſiaſticis facienda.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut accepimus Venerabilis Frater Carolus Maria Epiſcopus Vintimilien. die 8. Octobris proxime præteriti dilectum filium Præpoſitum Dominicum Carolum de Robiolis in loco de Saorgio Vintimilien. Diœceſis Juriſdictioni temporali dilecti filii Nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis, & Pedemontis Principis ſubjecto Vicarium in Partibus cum facultate non ſolum in dicto loco de Saorgio, ſed etiam in aliis locis dictæ Diœceſis temporali Victorii Amedei Ducis Juriſdictioni hujuſmodi ſubditis juſtitiam in omnibus cauſis contentioſæ juriſdictionis ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantibus tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis, itaut ab illius ſententiis, ſeu judicatis appellatio ad Curiam Epiſcopalem Vintimilien., aut ad ipſum Carolum Mariam Epiſcopum dari, dictorumque locorum incolæ, & habitatores ad dictam Curiam Epiſcopalem in prima inſtantia, nec etiam in gradu appellationis trahi nequeant, adminiſtrandi, nec non quoad ea, quæ voluntariam Juriſdictionem concernunt diſpenſandi, ac alia omnia, quæ immediata dicti Caroli Mariæ Epiſcopi cognitione non indigent, neque ab ordine, & Charactere Epiſcopali dependent, & conſequenter primariis ad Chriſtifidelium confeſſiones audiendas, divinique verbi prædicationem admiſſionibus, Beneficiorum Eccleſiaſticorum Collationibus, Monitoriorum Conceſſionibus, ac iis, quæ ad Clericorum ordinationes ſpectant, & recognitionibus diſpenſationum matrimonialium exceptis, eidemque Carolo Mariæ Epiſcopo reſervatis faciendi, & exercendi per ſuas patentes literas deputaverit, & conſtituerit. Et ſucceſſive die 16. ejuſdem menſis poſt apprehenſam multo ante Eccleſiæ Vintimilien. poſſeſſionem ſupplicem libellum manu propria ſubſcriptum dicto Victorio Amedeo Duci, ut illius beneplacitum, ſeu approbationem pro capienda locorum prædictorum poſſeſſione obtineret, porrexerit, intuituque deputationis Vicarii per eum ſicut præmittitur factæ in eodem ſupplici libello ab ipſo Victorio Amedeo Duce petierit, ut ſequeſtrum ſuper fructibus, & redditibus menſæ Epiſcopalis Vintimilien. in Dominio, ſeu ſtatu ejuſdem Victorii Amedei Ducis exiſten. attentare, & violenter appoſitum pro rata fructuum, & reddituum hujuſmodi a die ipſius præfectionis in Epiſcopum dictæ Eccleſiæ Vintimilien., non autem tempore quo Venerabilis Frater Ambroſius Epiſcopus Lunen. Sarzanen. dictæ Eccleſiæ Vintimilien. antequam ad Eccleſiam Lunen. Sarzanen. prævia ipſius abſolutione a vinculo quo eidem Eccleſiæ Vintimilien. tenebatur a Nobis auctoritate Apoſtolica translatus fuiſſet, præerat, decurſorum removeretur; ac die 18. ejuſdem menſis a dicto Victorio Amedeo Duce non ſolum prædictum ejus beneplacitum, ſeu approbationem pro capienda memoratorum locorum poſſeſſione, verum etiam mandatum Senatui Nicien. in Oppido Oneliæ reſidenti directum pro quocumque impedimento removendo, ac dictis fructibus, & redditibus pro rata prædicta libere relaxandis obtinuerit, nec non in executionem mandati hujuſmodi per ſuum Procuratorem apud dictum Senatum Nicien. inſtiterit pro ſequeſtri remotione, ac fructuum, & reddituum libera relaxatione hujuſmodi, ac denique die 10. Novembris, etiam proxime præteriti reſcriptum, ſeu Decretum deſuper ad ſui favorem a Præſidente, & Judicibus ultimarum appellationum nuncupatis in eodem Oppido Oneliæ reſiden. propter prædictam tamen deputationem Vicarii, illiuſque intuitu, & ratione reportaverit, & alias prout in literis deputationis, ſupplici libello, reſcripto, mandato, & Decreto prædictis, quorum tenores non approbandi ſed penitus, & omnino reprobandi animo præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus plenius reſpective continetur. Porro dicta Vicarii deputatio cum prænarrata facultate contra expreſſam mentem, & intentionem noſtram, & poſtquam dicto Carolo Mariæ Epiſcopo tum indebitum prædicti Victorii Amedei Ducis Vicarium Generalem, vel alium Officialem, qui in dictis locis omnem Juriſdictionem contentioſam abſque recurſu, ſeu appellatione ad ipſummet Carolum Mariam Epiſcopum, & privative quo ad illum, dictam que ejus Curiam Epiſcopalem, etiam in prima inſtantia exercere poſſet, depoſcentis, prætenſionem tum noſtram prætenſioni hujuſmodi oppoſitionem ſignificaveramus, facta fuerit, ac per eam dicta loca a Diœceſi Vintimilien. fere ſeparata, & a juriſdictione prædicti Caroli Mariæ Epiſcopi non ſine notabili rectæ adminiſtrationis Juſtitiæ, conſervationis diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Divini Cultus præjudicio, quaſi independentia remaneant, ac tam eadem Vicarii deputatio, & ſupplices libelli, & recurſus per dictum Carolum Mariam Epiſcopum ad laicalem poteſtatem facti, quam reſcripta, mandata, ſeu Decreta prædicta a Victorio Amedeo Duce, & Senatu Nicien. reſpective emanata, ut præfertur, Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitioni adverſentur, ac libertatem, juriſdictionem, & immunitatem Eccleſiaſticam manifeſte lædant, magnumque dictæ Eccleſiæ Vintimilien., & Apoſtolicæ Sedis juribus præjudicium afferant. Hinc eſt, quod nos, qui libertatis, ac juriſdictionis, aliorumque jurium Eccleſiaſticorum aſſertores in Terris a Domino conſtituti ſumus Eccleſiæ prædictæ Vintimilien. dictæque ſedis jurium hujuſmodi indemnitati providere, ac tam gravibus, & ſcandaloſis illorum læſionibus, quantum Nobis ex alto conceditur occurrere cupientes, ac omnium, & ſingulorum in præmiſſis tam a Carolo Maria Epiſcopo, quam a Victorio Amedeo Duce, & Senatu Nicien., aliiſque ſupradictis per ſe, vel alios quoſcumque quomodolibet actorum, & geſtorum ſeriem, Cauſas, & occaſiones, aliave quælibet, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plene itidem, & ſufficienter expreſſis ac exactiſſime, & accuratiſſime ſpecificatis habentes. Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine deputationem prædicti Dominici Caroli de Robiolis in Vicarium cum facultate prænarrata a memorato Carolo Maria Epiſcopo factam, ac ſupplices libellos, ac recurſus per eum ad laicalem poteſtatem habitos, nec non reſcripta, mandata, ſeu Decreta deſuper a laicali poteſtate hujuſmodi edita, ut præfertur, aliaque omnia, & ſingula tam a Carolo Maria Epiſcopo, & Dominico Carolo, quam

ne, & Mandatum ad Senatum Nicien. pro remotione ſequeſtri.

Decretum d. Senatus pro remotione ſequeſtri.

Supra relata adverſantur expreſſe voluntati Pontificis, ac libertati, juriſdictioni, & immunitati Eccleſiaſticæ.

Declaratio nullitatis prædict. omnium cum eorumdem revocatione.

quam a Victorio Amedeo Duce, & Senatu Nicien. prædictis, seu eorum respective jussu, mandato, vel nomine ab aliis quibuscumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis in præmissis, & circa ea quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata, vel dispensata, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda, & ordinanda cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, & inania, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenore præsentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus, ac ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu, itaut nullum unquam præjudicium etiam minimum libertati, jurisdictioni, & immunitati Ecclesiasticæ, aut Ecclesiæ Vintimilien., & Sedis Apostolicæ juribus prædictis inferre, vel alias nocere, seu intulisse, vel nocuisse quoquomodo dici, censeri, prætendi, vel intelligi possint, penitus, & omnino vacuamus in omnibus, & per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, nec evenirent. Quo circa dicto Dominico Carolo in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis, & excommunicationis majoris, & privationis dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum per eum obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœnis districte prohibemus, & interdicimus, ne irritæ, & invalidæ deputationis prædictæ vigore prætensum Vicariatum hujusmodi, aut ullam jurisdictionum potestatem, vel auctoritatem Ecclesiasticam in locis prædictis exercere, ullumque actum jurisdictionalem facere audeat quovis modo, seu præsumat; prædicto vero Carolo Mariæ Episcopo sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdictu ab ingressu Ecclesiæ præcipimus, & mandamus, super publicum Edictum eandem irritam, & invalidam Vicarii deputationem, concessamque illi, ut præfertur facultatem statim, & incunctanter omnino revocet, ac in locum Vicarii hujusmodi alium Vicarium Foraneum cum facultatibus similibus Vicariis Foraneis concedi solitis, cum quibus ejusmodi Vicarius Foraneus in locis dominii temporalis dicti Victorii Amedei Ducis alias ab Episcopis Vintimilien. ejus Prædecessoribus deputatus fuit, deputet.

Prohibitio Vicario facta, ne jurisdictionem exerceat.

Præceptum Episcopo factum, ut revocet Vicarii deputationem, & Vicarium Foraneum deligat.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, & alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non prædictæ Ecclesiæ Vintimilien., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, & approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Januarii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Restituitur

CVI.

Restituitur Magno Magistro, & Congregationi quinque Fratrum Militum Hospitalis S. Joan. Hierosolym. jus super regimine trium Navium Bellicarum.

Erecta fuit d. Congregatio, & jus concessum Const. ed. 1701. Apr. 15. P. 1. Const. ed. 1706. Mar. 22. P. 6. concessa fuit facultas faciendi celebrari Missam in Navibus. Et Inn. XIII. confirmatur Breve Pii V. super concessione Privilegiorum.

. 17. Jan. 1. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

escribitur ctio d. gregatio & jus concess.

Alias pro parte dilecti filii moderni Magni Magistri Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Nobis exposito, quod ipse ad Christiani nominis Hostes, & Piratas, qui in illius dedecus, & Christifidelium detrimentum longe validioribus, quam antea Navigiis maria continuo infestabant, facilius propulsandos de consilii complexi ejusdem Hospitalis consensu quatuor novas Naves bellicas unam quidem suis propriis, alias vero tres dicti Hospitalis sumptibus construere, & manutenere deliberaverat, ac pro bono ipsarum Navium regimine idem Magnus Magister, ejusque consilium prædictum particularem quinque Fratrum Militum ejusdem Hospitalis ab ipso Magno Magistro nominandorum, & a prædicto consilio approbandorum, quorum unus dignitate Magnæ Crucis insignitus esse deberet, Congregationem deputandam esse decreverant: Nos supplicationibus dicti Magni Magistri, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati aliam Congregationem eorumdem quinque Fratrum Militum sic deputandam ex tunc, prout postquam sic deputata fuisset, ac prænarratum Magni Magistri, & consilii prædictorum Decretum auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus; Congregationi autem sic deputandæ prædictas tres Naves Bellicas privative quoad omnes alios, itaut ipsa Congregatio prædicto Magno Magistro tantum subjecta esset, & absque eo, quod alia quæcumque Congregatio in Conventu dicti Hospitalis existens, aut alia quælibet persona, Officialis, vel Minister ejusdem Hospitalis sub quovis titulo, aut alicujus præeminentiæ, vel prærogativæ, etiam linguarum ipsius Hospitalis prætextu, sive quacumque de causa illi ullo modo intervenirent, aut quorumcumque per eam circa ipsarum trium Navium regimen, & gubernium disponendorum, & gerendorum participes fierent regendi, & omnino gubernandi plenam, & liberam facultatem eadem auctoritate tribuimus, & impertiti fuimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 15. Aprilis 1701. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenius continetur.

ausæ restituendi præd. adversus n usum, & ces M. gistri.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Magnus Magister denuo Nobis exponi fecit, licet dictæ tres Naves Bellicæ per memoratam Congregationem ipsi Magno Magno tantum subjectam privative quoad omnes alios juxta facultatem illi a Nobis, sicut præmittitur attributam regi, & omnino gubernari deberent, ipse nihilominus ob quamdam urbanitatem consilium dicti Hospitalis super rebus majoris momenti dictas naves bellicas concernentibus, inter quas nominatio majorum Officialium habetur, semper consuluerit, ac desuper cum illius approbatione deliberaverit, progressu vero temporis experientia compertum fuerit, eam urbanitatem proponendi in consilio nominationem officialium a dicto Magno Magistro observatam, non solum bono regimini dictarum Navium non conducere, sed illud potius perturbare non sine præjudicio auctoritatis ipsius Magni Magistri, & meritorum Fratrum Militum nominatorum. Nobis propterea dictus Magnus Magister, qui (ut asserit) non solum dicto Hospitali Navem bellicam prædictam, quan suis propriis sumptibus construxit, & manutenet, quantum ad lucrum attinet, cessit, & portiones prædictarum hactenus captarum ipsum tangentes libere donavit, verum etiam omnibus dignitatis admirati juribus ipsi occasione prædarum per armata particularium personarum navigia reportatarum competentibus in commodum ejusdem Hospitalis pariter cessit, humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum Magnum Magistrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, particularem quinque Fratrum Militum Congregationem, sicut præmittitur, deputandam, seu jam forsan deputatam, eumdemque Magnum Magistrum, cui illa, sicut etiam præmittitur subjecta esse debet, adversus præmissa, ac non usum prænarratæ facultatis privative regendi, & omnino gubernandi prædictas tres Naves bellicas, in integrum & pristinum, ac illud, in quo antea quovis modo erat, jus utendi facultate hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus. Restitutio relati juris.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon consilium prædictum, ac quævis Tribunalia ejusdem Hospitalis judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis prædictis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Magni Magistri munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Januarii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CVII.

Confirmatur Decretum Card. de Tournon Commissarii, & Visitatoris Gen. in Sinarum, aliisque Indiarum Oriental. Regnis super exercitio Missionum, & acceptatione Præfecturarum, cum illius extensione ad sequentia tempora.

Const. ed. 1707. Jan. 1. P. 7. declaratum fuit nullum Edictum Archiepiscopi Goan. contra jurisdictionem Commissarii Gen. Et Const. sequenti declarantur nulla gesta ab Episcopo Macaonen. aliisque adversus eumdem Commissarium.

Dat. 15. Mar. 1711. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Epitome d. Decreti, quo omnibus vetitum fuit Missiones ingredi vel ab iis discedere, atque Præfecturas assumere absque licentia Commissarii Gen.

CUm (sicut accepimus) alias nempe anno 1708. dilectus filius noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis Maillard de Tournon nuncupatus, tanquam noster, & Apostolicæ Sedis Commissarius, & Visitator Generalis in Sinarum, & aliis Indiarum Occidentalium Regnis cum potestate etiam nostri, & ejusdem Sedis de Latere Legati a Nobis deputatus, ut varios abusus, quos in Apostolicæ auctoritatis contemptum in illarum partium Missionibus irrepsisse cognoverat, emandaret, per suum Edictum, seu Decretum in Civitate Machaonen. editum, districte prohibuerit, ne ullus Missionarius, sive sæcularis, sive Regularis cujuscumque Ordinis, absque ipsius Caroli Thomæ Cardinalis Commissarii, & Visitatoris Generalis licentia Missiones Sinicas ingredi, vel ea non obtenta Missionarii munus in illis obire, aut etiam ea minime quæsita, sive non obtenta ab illis discedere auderet, sub pœna suspensionis a Divinis per contrafacientes eo ipso incurrenda, simulque sub eadem pœna interdixerit, ne ullus sive sæcularis, sive Regularis absque ejusdem Caroli Thomæ Cardinalis Commissarii, & Visitatoris Generalis consensu, superioratus cujuscumque officium, in alios sui gremii, vel Ordinis Missionarios in Sinis assumere, seu exercere præsumeret, & alias, prout uberius continetur in eodem Edicto, seu Decreto tenoris sequentis, videlicet:

Decretum præd. an. 1708. cujus exordium petitur a necessitate servandi ordinem Hierarchicum, quem Missionarii perturbabant.

§. 1. *Carolus Thomas Maillard de Tournon* Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus Sanctissimi Domini Nostri, Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI., Prælatus domesticus, ejusque Pontificio Solio Assistens, necnon S. Romanæ Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem Consultor, ac in Indiis Occidentalibus, & Sinarum Imperio finitimisque Regnis, & Insulis Commissarius, & Visitator Apostolicus Generalis cum facultate Legati de Latere &c. omnibus, & singulis Missionariis tam sæcularibus, quam cujuscumque Ordinis Regularibus, & eorum Superioribus in hac Sinensi Missione, salutem in Domino &c. Quasi Castrorum Acies ordinata Nobis exhibetur Ecclesia ab eo, qui rerum omnium est ordo perfectus, & immutabilis absque vicissitudinis obumbratione, ut quemadmodum Milites hujus sæculi sub Tribunis, Præfectis, & Ducibus bella gerunt, ita, & Præpositis suis discant parere, qui sub Jesu Christi vexillo militare profitentur. Et quidem cum Christi membra simus, debemus juxta Apostolicam traditionem Capiti Ordine Hierarchico adhærere secundum operationem in mensuram cujuscumque membri, atque in Prælatis Christi vocem audire, & Imaginem venerari, docentibus Nos sacris paginis obedire Præpositis, etiam dyscolis, & Deo potius obedientiam offerre, quam victimam. Quod si ordo ubique apprime convenit, hic est maxime necessarius, ubi sanctitatem Christianæ Religionis in recta illius Ministrorum disciplina decet præfulgere, ex quorum officio, & exemplo sanctitatis gloria stare videtur, & bonus odor notitia Dei manifestatur. Quis enim honor Evangelii, si lapides sanctuarii in capite omnium Platearum sint dispersi? Disperguntur namque, cum Sacerdotes, & perfectionis Institutionis viros in Ecclesiæ ædificationem compositos a solido Divinii ædificii fundamento per inobedientiam dissolutos, & Petræ, a qua excisi sunt, immemores conspicimus, cum abjectis regiminis juribus in Præpositos suos palam insiliunt, qui eorum deberent apparere ornamentum, & cum insalutato Pastore Dominici Gregis curam inordinate usurpare præsumunt, non attendentes cui dictum sit a Domino -- Pasce oves meas -- neque miseram reformidantes conditionem non intrantium ad ovile per ostium. Cum itaque scandala ista sub oculis nostris, & in positivum Apostolicæ, qua fungimur, auctoritatis contemptum in has Missiones nuper irrepserint, & quod dolendum magis est per quosdam Religiosos strictiori voti vinculo S. Sedi obedientiæ obstrictos, lugere cogimur cum Propheta aurum obscuratum, & mutatum colorem optimum, qui sane juxta D. Gregorium commutatur, cum eorum, qui degere religiose credebantur æstimatio ante acta minuitur: ne autem omnino inanis sit luctus noster, pro viribus commissæ Nobis, licet immeritis, a Sanctissimo Domino Nostro Domino Clemente PP. XI., & a Sancta Sede potestatis, abusibus hujusmodi obviam ire volentes, decernimus, & statuimus, ut quicumque Missionarius, aut Presbyter, sive sæcularis, sive Regularis cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, desiderio propagandæ fidei ad has Sinenses oras appulsus, vel appulsurus, Missiones ingredi non requisita prius nostra licentia (quæ in scriptis dabitur) vel ea non obtenta Missionarii munus obire, vel ea etiam irrequisita, aut non obtenta hinc recedere præsumpserit, sit ipso facto suspensus a Divinis. Non obstantibus quibuscumque indultis, & privilegiis Apostolicis, etiam Societatis Jesu, quæ ad hunc effectum, quatenus opus sit, ex speciali, quæ Nobis est data a S. Sede facultate, suspendimus, & suspensa declaramus. Cum illis vero, qui inordinato hoc modo ingredi in Missiones ausi sunt, benigne indulgentes quadrimestre a publicatione præsentium concedimus ad moram purgandam; quo tempore elapso, nisi facti pœnitentes veniam cum licentia a Nobis humiliter impetraverint, sint etiam ipso facto a Divinis suspensi. Et quoniam in his non videntur innoxii eorum Superiores, qui Regiminis habenas Nobis nequidem monitis clam suscipientes pernicioso exemplo, & interdum etiam consilio subditos suos in foveam inobedientiæ ducunt, contra quos Dominus per Prophetam queri videtur, dicens: Oves meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: conculcata siquidem Pastorum pedibus oves pascuntur, cum subjecti ea, quæ aspiciunt, opera pravitatis imitantur. Iis igitur, aliisque de causis præcipimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut nullus sive sæcularis, sive Regularis, etiam Societatis Jesu, Nobis inconsultis, & non obtento prius nostro consensu, superioratus cujuscumque Officium in alios sui Gremii, vel Ordinis Missionarios in Sinis assumere, seu exercere præsumat. Quod si aliquis Visitatoris, Vice-Visitatoris, Provincialis, Vice-Provincialis, Commissarii, aut Vicarii Provincialis titulo forsan nominandus, sive Superior quicumque contrafaciet, præter suspensionem a Divinis ipso facto incurrendam, Nobis, & S. Sedi reservatam, ex nunc pro tunc irritamus, & annullamus quæcumque acta, & præcepta, ab eo facta, & facienda, atque illa irrita, & nulla declaramus, subditosque ab illius obedientia in utroque foro absolvimus, & liberamus. Et ita ex commissa Nobis Apostolica auctoritate, etiam Legati de Latere decernimus, statuimus, & ab omnibus servari mandamus. Æquum enim est, ut qui Dominicæ Vineæ operariis præest, & vices gerit, universalis in Terris Patris familias, illos agnoscat, & sub quibusvis Præpositis Evangelicæ culturæ dent operam non ignoret. Datum Machai ex Palatio nostræ solitæ habitationis die 3. Julii anno Domini 1708. Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis, Divina Providentia Papæ XI. anno octavo. C. Thomas Patriarcha Antiochenus, & Visitator Apostoli-

Mala hac in parte suborta Apostolicæ auctoritatis Commissarii contemptum pariunt.

Statutum de non peragendis Missionibus, vel ab eis discedendo sine licentia sub pœna suspensionis a Divinis.

Statutum alterum de non accipiendis Præfecturis sine Commissarii consensu sub pœna suspensionis a Divinis.

cus-

cus -- Sabinus Marianus Auditor. Loco † Sigilli. Andreas Candela S. Visitationis Apostolicæ Cancellarius.

Confirmatio relati Decreti.

§. 2. Nos Edictum, seu Decretum hujusmodi rectæ, ac felici dictarum Missionum directioni in præsentibus potissimum rerum circumstantiis summopere conducibile esse considerantes, ac proinde inviolabili illius firmitati, robori, & efficaciæ, debitæque executioni, ex commissi Nobis cælitus Pastoralis officii debito providere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium tam in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, a Sede prædicta specialiter deputatorum, quam aliorum ex Congregatione Propagandæ fidei negotiis præposita super rebus Indiarum Orientalium specialiter itidem deputatorum, quos insimul coram Nobis super rebus hujusmodi congregatos pluries audivimus, consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Edictum, seu Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & præsidium adjungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Extensio præd. Decreti ad tempora sequentium Commissariorum, cum mandato Missionariis præstandi juramentum de servando Decreto 1710. 25. Sept. edito super Ritibus Sinicis.

Præterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus omnia, & singula, quæ in Edicto, seu Decreto prædicto super licentia dicti Caroli Thomæ Cardinalis Commissarii, & Visitatoris Generalis ab iis, qui Missiones Sinicas supradictas ingredi, sive in eis Missionarii munus exercere volunt, requirenda, & obtinenda, sicut præmittitur statuta, & sancita fuerunt, earumdem tenore præsentium ita extendimus, ac respective declaramus, ut non modo quo ad ipsum Carolum Thomam Cardinalem Commissarium, & Visitatorem Generalem quousque in illis partibus permanserit, sed etiam quoad alios, qui ei in munere Commissarii, & Visitatoris Generalis hujusmodi pro tempore succedent locum, & effectum, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum habere debeant, dicta vero licentia, sive a prædicto Carolo Thoma Cardinale, aliove Commissario, & Visitatore Generali earumdem partium, sive a personis per eos opportune subdelegandis, ut præfertur danda, non alias concedenda sit, nisi præstito prius per eos, quibus concedetur, juramento, de exacte observando Decreto super Ritibus, seu Cæremoniis Sinicis die 25. Septembris anni proxime elapsi a Nobis promulgato, quovis contrafaciendi, etiam prætensæ, & a Nobis improbatæ conditionalitatis Decreti hujusmodi, aliove quæsito colore, seu prætextu penitus rejecto, atque sublato.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, etiam cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & Dignitatis, seu alia speciali, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, juridica, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali, & incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, quarumvis Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, Institutorum, Provinciarum, Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, & locorum piorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Ecclesiis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Institutis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, Monasteriis, & locis piis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regum, & Principum, seu alias quacumque mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Martii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CVIII. Declarantur nulla gesta ab Episcopo Macaonen. ejus Vicario, aliisque adversus Commissarium, & Visitatorem Gen. Apost., cum eorumdem damnatione, & censurarum inflictarum confirmatione.

Const. praecedenti confirmatum fuit decretum Commissarii Gen. de Missionibus, & Praefecturis. Et Const. ed. 1720. Jan. 5. P. 20. declaratur nulla sententia ab Officiali Archiepisc. Ebredunen. lata super censuris a Vicario Capitulari Nicien. promulgatis.

Dat. 15. Mar. 1711. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Auctoritas Commissarii Gen., quam antea agnoverat Episcopus Macaonen. ab eodem postea aliisque impetita fuit.

AD Apostolatus nostri notitiam non sine gravissima animi nostri molestia, pervenit, quod venerabilis frater Joannes de Cazal Episcopus Macaonensis, tametsi alias, nempe statim ac ad illius manus devenerant quaedam nostrae in simili forma Brevis literae, quibus ei significaveramus, Nos in illas partes allegasse dilectum filium nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardinalem de Tournon tunc Patriarcham Antiochenum, eique munus nostri, & Apostolicae Sedis Commissarii, ac Visitatoris Generalis in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis, cum potestate etiam nostri, & ejusdem Sedis de Latere Legati demandasse: Ipse Joannes Episcopus debita reverentia, atque obedientia, ut par erat ejusdem Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae, ac Commissarii, & Visitatoris Generalis Jurisdictionem absque ulla mora, agnovisset, quinimo ad ipsum per suum edictum publicè affixum, ac promulgatum toto literarum nostrarum praedictarum tenore inserto palam declarasset, nihilominus postea tam acriter, atque impudenter ipsius Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae, ac Commissarii, & Visitatoris generalis auctoritatem, potestatem, ac dignitatem, adeoque etiam nostra, & dictae Sedis Jura impetere ausus fuit, ut non modo per aliud suum edictum vigore quarumdam assertarum literarum sibi hac in re a Venerabili Fratre Augustino ab Annunciatione Archiepiscopo Goano scriptarum, illique forsan ejusdem Augustini Archiepiscopi Edicto consimilium, (quod dudum per alias nostras in simili forma Brevis die 4. Januarii 1707. expeditas literas, nullum, irritum, atque invalidum declaravimus) publicatum, dicto Carolo Thomae Cardinali tunc Patriarchae, ac Commissario, & Visitatori generali cujusvis jurisdictionis exercitium in sua Dioecesi Macaonen. interdixerit, omnemque ei a suis subditis obedientiae actum exhiberi prohibuerit, verum etiam ejus nomine a quodam Laurentio Lomez asserto illius Vicario Generali adversus dilectum filium Constantinum a Spiritu Sancto Priorem, aliosque tunc existentes Fratres Conventus nostrae Dominae de Gratia nuncupati Macaonen. Ordinis Eremitarum S. Augustini, eo quia ipsum Carolum Thomam Cardinalem tunc Patriarcham, ac Commissarium, & Visitatorem Generalem honorifice excepissent, ad interdicti, aliasque poenas, & censuras Ecclesiasticas, non minus nulliter, quam injuste deventum fuerit. Ad haec idem Joannes Episcopus eo temeritatis processit, ut minime attendens ad petram unde excisus fuerat, quascumque censuras a praedicto Carolo Thoma Cardinale, tunc Patriarcha, ac Commissario, & Visitatore Generali inflictas pro irritis, & nullis habendas esse publice declaraverit, imo etiam contra ipsum Carolum Thomam Cardinalem tunc Patriarcham, ac Commissarium, & Visitatorem Generalem inverso sane poenarum per canonicas sanctiones irrogatarum usu, majoris excommunicationis sententiam promulgare non erubuerit, ita plane Apostolicae Jurisdictionis hostis, & eversor factus, quo illius custos, & vindex praecipuus esse debuisset. Praeterea adeo se immemorem ostendit venerabilis dignitatis seu characteris, ac inviolabilis Religionis illius juris jurandi, quo se Deo, Nobis, & Ecclesiae in suscipiendo consecrationis munere se obstrinxerat, ut Ministris, ac Officialibus Laicis earumdem partium duriora quaeque adversus dignitatem, imo etiam personam praedicti Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae, ac Commissarii, & Visitatoris Generalis molientibus se sociaverit, ac pene Dux eorum, qui Christum Domini sacrilego, ac detestabili ausu multifariam vexarunt, & forte etiam adhuc vexant, fieri non formidaverit, aliaque plura adversus ejusdem Caroli Thomae Cardinalis, tunc Patriarchae, ac Commissarii, & Visitatoris Generalis, imo potius adversus nostram, & Sedis praedictae auctoritatem, ac jurisdictionem attentare praesumpserit. Innotuit pariter Nobis, quod praemissis attentis dictus Carolus Thomas Cardinalis tunc Patriarcha, ac Commissarius, & Visitator Generalis, tametsi tunc temporis in praedicta Civitate Macaonen. non quidem a Paganis, sed ab Officialibus, ac Ministris Christianis nulla sacri characteris, nulla praestantissimae suae dignitatis, nulla Ecclesiasticarum sanctionum, nulla denique Juris Gentium, quod apud Barbaras quoque Nationes, sacrosanctum, ac inviolabile est, habita ratione, multorum Militum diurna, nocturnaque custodia, ut captivus detineretur, aliisque acerbissimis, ac plane incredibilibus injuriis, & contumeliis, ipsis exhorrescentibus Ethnicis, afflictus reperiretur, nihilominus inter affectae valetudinis, ac tot aliarum tribulationum, quas perferebat, incommoda crescens quotidie magis in charitate Christi, invictoque animo illius causam agens, postquam praecipuos ejusmodi sacrilegorum excessuum adversus ejus personam, ac dignitatem commissorum authores, ac verae iniquitatis filios canonicae severitatis mucrone percusserat, illosque affixis publice contra eos schedulis, majoris excommunicationis poenam incurrisse pronunciaverat, inter alia, atque ut sua, quinimo nostra, & ejusdem Sedis Jura fortiter tueretur, imperterrito animo devenit, omnia, & singula per Curiam Episcopalem Macaonen. contra ipsum ejusque jurisdictionem gesta, ut praefertur, utpote impedientia exercitium muneris sibi a Nobis commissi, necnon Ecclesiasticae libertatis, & Apostolicae auctoritatis summopere laesiva, circumscripsit, annullavit, revocavit, ac uti nulliter, attentate, temere, & audaciter facta declaravit; Sententiam insuper asserti interdicti in fratres, & Ecclesiam praedicti Conventus Ordinis Eremitarum S. Augustini, sicut praemittitur latam, nec non quascumque citationes, mandata, edicta, ac scripturas, jurisdictionem Apostolicam quomodolibet laedentes, aut illi quoque modo contrarias revocari, aboleri, deleri, ac pro nulliter factis, nulliusque roboris, ac momenti haberi, & habendas esse mandavit, ipsum vero Joannem Episcopum propter praemissa censuras omnes Sacris Canonibus, & Apostolicis constitutionibus, ac praesertim literis die Coenae Domini singulis annis legi, & promulgari solitis contra similia perpetrantes inflictas damnabiliter incurrisse, illumque pro excommunicato, & a fidelium consortio segregato, & vitando haberi, & habendum esse similiter declaravit. Post haec cum accepisset in eadem Civitate Macaonen. non semel adversus Pontificiae potestatis jura, & Ecclesiasticam libertatem convenisse in unum, atque in tenebrarum consilia, non

Episcopi Edicto interdictum fuit Commissario exercitium suae auctoritatis.

Item ab ejus Vicario Gen. inflictae fuere censurae FratribusS. Aug. quod Commissarium excepissent.

Et ab Episcopo nullae declaratae censurae a Commissario inflictae, nec non in eum promulgata sententia majoris Excommunicationis.

Ac tandem auxilium praestitum Ministris Cu[...] riae saecular[...] multa adversus Commiss[...] sarium molientibus.

A Commissa[...] rioMachaon[...] in Custodia detento declaratum fuit, nulla esse praedd. a Curia Epi[...] copali, & sa[...] culari, religiosis personis aliisque gesta, atqu[...] illos in censuras incidisse.

modo

modo Ministros, & Officiales Laicos sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti, sed etiam eos, qui cæteris lucis exempla præbere, atque, utpote de Altari viventes, vel Religioso Strictioris vitæ, & obedientiæ Instituto addicti Apostolicam auctoritatem præcipue excolere debuissent, turpiter conspirasse: Omnia, & singula in ejusmodi Conventibus, seu potius Conciliabulis Decreta, & Statuta, quæ Sedis Apostolicæ prædictæ, & Ecclesiasticæ Immunitatis jura quovis modo lædere poterant, uti nulla, irrita, & invalida, nulliusque roboris, & momenti pariter habenda esse decrevit, omnesque, & singulos cujusvis status, & conditionis, sive laicos, sive Ecclesiasticos tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, vel Instituti, qui Conventibus, seu Conciliabulis hujusmodi interfuerant, ibique aut suadendo, aut consulendo, aut subscribendo, aut mandando, aut alias quomodolibet directe, vel indirecte Decretis, & Statutis prædictis consenserant, censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra hæc perpetrantes in Apostolicis Constitutionibus, ac potissimum literis die Cœnæ Domini legi solitis supradictis contentas incurrisse, illosque propterea pro excommunicatis, & a Fidelium gremio segregatis, & vitandis haberi, & habendos esse denunciavit. Novissime demum e remotissimis illis regionibus Nobis significatum fuit illatas eidem Carolo Thomæ Cardinali Commissario, & Vicario Generali, ejusque dignitati multiplices, ac pene inauditas vexationes, etiam postquam illuc innotuerat, eum eximiis suis ita exigentibus meritis, ad sublimem Cardinalatus honorem a Nobis evectum fuisse, minime cessasse, præ cæteris vero supradictum Laurentium Gomez assertum Vicarium Generalem Macaonen. in alium prorupisse gravissimum excessum, cum enim dictus Carolus Thomas Cardinalis ob justas, & rationabiles causas ab eo expressas dilectos Filios Presbyteros Regulares Societatis Jesu in dicta Civitate Macaonen. existentes, illorumque Ecclesiam, Collegium, ac Seminarium Ecclesiastico interdicto suppofuisset, idem Laurentius non modo interdictum hujusmodi irritum, ac nullum temere declaravit, verum etiam suo ad id promulgato Monitorio, seu Edicto, omnibus, & singulis Episcopatus Macaonen. subditis, cujuscumque tandem gradus, conditionis & præeminentiæ existerent, ne cum dilecto Filio Petro de Amaral Fratre expresse professo Ordinis Prædicatorum, qui pro debita eidem Carolo Thomæ Cardinali, semper, & constanter præstita obedientia, ærumnas plurimas, magno, fortique animo sustinuit, aliisque Fratribus Conventus Macaonen. dicti Ordinis, imo nec cum aliis quibuscumque, sive Laicis, sive Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, seu Instituti dicto Carolo Thomæ Cardinali obedientiam exhibentibus, consortium ullum, seu commercium haberent, sub pœna excommunicationis per contrafacientes eo ipso incurrenda districte prohibuit, & interdixit. Quibus permotus, aliisque pluribus supradicti Laurentii reatibus attentis, idem Carolus Thomas Cardinalis ipsum Laurentium excommunicatum publice declaravit, & tamquam putridum membrum a Christifidelium consortio abscissum pronunciavit. Subinde vero prædictum Joannem Episcopum non modo ejusdem Laurentii sui asserti Vicarii Generalis gesta temere, ac perperam repugnantem, sed etiam secundum duritiem suam, & impœnitens cor thesaurizantem sibi iram in die iræ, ac peccatum super peccatum adjicere non dubitantem, mense Septembri anni 1709., dilecto filio Promotori Fiscali suæ Apostolicæ Visitationis instante, ad comparendum infra annum in alma Urbe nostra coram Nobis, ad se defendendum, & purgandum de excessibus in præjudicium Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedis prædictæ, & contra proprium juramentum Episcopale commissis, necnon ad dicendum causam, quare contra ipsum ad depositionis, aliasque graviores pœnas arbitrio nostro irrigandas procedi non deberet, citari, ac moneri jussit, & mandavit.

[Margin notes, left: Multiplices vexationes ... atæ Commissario ad S. R. E. Cardinalatum evecto. — A Vicario Gen. nullum declaratum fuit Interdictum cui suppositi fuerunt Presbyteri Societ. Jesu, ejusque Ecclesia: nec non omnibus interdictum consortium cum exhibentibus obedientiam Commissario Gen. — A Commissario declaratus fuit Vicarius Gen. publice excommunicatus, atque mandatum Episcopo, ut Romæ adesset.]

§. 1. Cum autem ea omnia, quæ adversus prædictum Carolum Thomam Cardinalem, sicut præmittitur Decreta, gesta, atque attentata fuerunt, quæque profecto nonnisi summo omnium Christifidelium horrore, ac mœrore audiri possunt, intolerabilem prorsus Ecclesiasticæ Immunitatis Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutæ, debitæque huic S. Sedi obedientiæ violationem imo potius eversionem importent, adeoque Romanum Pontificem in suprema dictæ Sedis specula cum potestatis plenitudine ab Altissimo collocatum, ad quem in primis pertinent damna, & offensæ, quæ Christo Domino inferuntur in tanta, & tam gravi divini nominis, atque humani juris perturbatione otiosum, ac deinde esse minime patiantur. Hinc est, quod Nos, qui ex commissi Nobis cælitus Pastoralis Officii debito quorumcumque eidem Apostolicæ Sedi, Sanctæque Dei Ecclesiæ competentium Jurium, nec non quarumvis Ecclesiasticarum personarum, præsertim non minus insignium meritorum, quam sublimis in eadem Ecclesia gradus splendore fulgentium libertatis, ac dignitatis assertores in Terris, ac Vindices a Domino constituti sumus: tametsi dictus Carolus Thomas Cardinalis quantum sibi inter illas in quibus versabatur, & forsan adhuc etiam versatur angustias, permissum fuit, ea omnia, quæ ad ipsius munus pertinebant, quæque proinde firma semper, & salva esse volumus strenue, ac fideliter, ut præfertur implere non prætermiserit; Nihilominus Pontificii, etiam Judicii nostri accessione Ecclesiasticæ Jurisdictionis indemnitati uberius consulere, nostraque, & dictæ Sedis Jura, sarta, tecta, atque illibata quantum nobis ex alto conceditur enixius tueri, & conservare cupientes, necnon omnium, & singulorum in præmissis, seu eorum occasione tam ab eisdem Joanne Episcopo ac Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Generali, quam a prædictis Officialibus, & Ministris, aliisve quibuscumque personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, necnon Officialium, Ministrorum, aliorumque prædictorum qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædicta omnia, & singula Decreta, Monitoria, ordinationes, literas, censuras, declarationes, resolutiones, interdicta, Mandata, & Edicta, ac alia quælibet tam a Joanne Episcopo, & Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Generali, quam ab Officialibus, & Ministris supradictis, aliisque quibusvis personis tam Sæcularibus, sive Ecclesiasticis, sive Laicis, cujuscumque tandem status, gradus, conditionis, & dignitatis fuerint, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu Regularibus, in præmissis, sive eorum occasione adversus Personam, seu dignitatem supradicti Caroli Thomæ Cardinalis Commissarii, & Visitatoris Generalis, seu alias in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Apostolicæ respective quovis

[Margin notes, right: Enormitas prædictorum omnium, & causæ præsentis Constitutionis. — Declaratio nullitatis relatorum omnium cum eorumdem damnatione, confirmatione censurarum, necnon comminatione severiorum pœnarum.]

modo edita, promulgata, scripta, lata, acta, facta, gesta, & perpetrata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, vel momenti, & efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari posse, vel potuisse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo itidem haberi debere tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus. Firmas præterea, ac salvas esse similiter volumus, atque decernimus quascumque censuras, & pœnas Ecclesiasticas sive a jure, sive a prædicto Carolo Thoma Cardinali latas, & promulgatas, quas prædicti, & alii quilibet, qui præmissa perpetrarunt, necnon adhærentes, Fautores, & Defensores eorum, sive, qui illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, a quibus post condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem, nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, vel etiam ab ipso Carolo Thoma, & Cardinali, aliove Commissario, & Visitatore Generali dictarum partium similiter pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari valeant. Facultate insuper non solum Nobis, & eidem S. Sedi, sed etiam ipsi Carolo Thomæ Cardinali, seu pro tempore existenti Commissario, & Visitatori generali prædicto expresse reservata, quatenus illi minime redierint ad cor, sed in sua contumacia persistentes, censuras, & pœnas Ecclesiasticas hujusmodi, animo, quod absit, sustinuerint indurato, ad alia canonica, & severiora remedia quandocumque procedendi.

Clausulæ. §. 2. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aux ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Eccl prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Ecclesiæ Macaonen., & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum etiam Jesu, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Ecclesiæ Macaonen., Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu prædictis, illorumque respective Præsulibus, Superioribus, & Personis, aliisve quibuslibet, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave quabibet mundana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplationem, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie, etiam consistorialiter in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, exprimerentur, ac insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Martii MDCCXI. Pontificatus nostri anno Undecimo.

Conce-

Conceduntur Religioni Bethlehemitarum Privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregat. Ministrantium Infirmis.

Eadem privilegia concessa fuere Congregationi Sancti Joannis Dei ab Urbano VIII. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1701. Jun. 25. P. 1. Congregationi Charitatis S. Hippolyti. Item Const. edit. 1710. Apr. 3. P. 10. præd. Religio erecta fuit. Et Constitut. ed. 1714. Decem. 22. P. 15. agitur de ejus gubernio.

Dat. 24. Julii 1711. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut paternam Sacrarum Religionum, & Congregationum Christianæ charitatis, & hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium, & Institutum, quo labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent, & ferventius exequantur, liberalibus gratiarum, & privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Preces Procuratoris Gen. & causa præsentis Constitutionis.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Michael de Jesu Maria Congregationis Fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in Hospitalibus Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus se exercentium jam in Romana Curia Procurator Nobis nuper exponi fecit, Fratres dictæ Congregationis nuper a Nobis per quasdam nostras desuper in simili forma Brevis die 3. Aprilis anni proxime præteriti expeditas literas in veram Religionem erectæ tria substantialia vota in illa ad instar cæterorum Ordinum, & Institutorum a Sede Apostolica confirmatorum de præsenti emittant, aliaque multiplicia, atque insignia pietatis, & Christianæ charitatis opera erga pauperes, & convalescentes in eorum Hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio exercuerint, & in dies exercere non desinant, ut autem illa semper impensivus, & indefessi obeant, & continuent, ipse Michael plurimum cupiat gratias, & privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quæ alias rec. mem. Urbanus PP. VIII. Prædecessor pariter noster Ordini tunc Congregationi nuncupat. Fratrum S. Joannis Dei communicavit, & concessit; Nosque subinde nempe die 25. Jun. 1701. per quasdam nostras in simili itidem forma Brevis desuper expeditas Literas ad Congregationem Charitatis sub titulo Sancti Hippolyti Martyris in Indiis sub certis modo, & forma tunc expressis extendimus, prædictæ Congregationi Fratrum Bethlehemitarum, illiusque Fratribus, & Locis a Nobis pariter communicari, & concedi: Nos eamdem Congregationem Fratrum Bethlehemitarum, & pia illius Instituta confovere, & promovere, ac proinde dictum Michaelem, & dilectos filios Fratres Congregationis hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus ejusdem Michaelis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes conservatorias, Immunitates, & exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præeminentias, & Indulta cujuscumque generis existentia spiritualia, & temporalia qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, vel memoratis Regularibus dictæ Congregationis Bethlehemitarum Institutis non adversentur prædictis Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eorumque Conventibus, Domibus, & aliis Locis Regularibus, ac Ordinum, & Congregationis hujusmodi Generalibus, Præsidentibus, & quibusvis aliis Superioribus, Prælatis, & Capitulis, etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque Diffinitoribus, Prioribus, Novitiis, Fratribus, Conversis, Donatis, & quibusvis eorum Regularibus personis tam in Urbe, quam etiam in quibuscumque Mundi partibus existentibus, & illorum intuitu, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, & conceduntur, ac quibus de jure, usu, vel consuetudine, privilegio, seu concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, ad præfatam Congregationem Bethlehemitarum, & singula illius Hospitalia, Domos, & alia Loca Regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque Regulares personas auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo extendimus, illaque eis communicamus, & denuo concedimus, ac suffragari volumus.

Concessio Privilegiorum, dummodo non sint revocata, nec adversentur Constitutionibus.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio Executorũ.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto Filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel per alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Fratrum dictæ Congregationis Bethlehemitarum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem plenum earum effectum sortiri, & obtinere, illosque omnes, quos concernunt pacifice frui, & gaudere, non permittentes quempiam desuper contra illarum tenorem sub quovis prætextu, & causa etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quinimo quidquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia op-

portuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac piæ me. Bonifacii PP. VIII. etiam Prædecessoris Nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinum, & Congregationis Clericorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, & forma derogari valeat, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Jul. MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CX.

Declarantur nulla Decreta, aliaque gesta a Magno Consilio Varsaviæ, super solutione onerum ab Ecclesiasticis facienda, eorumque subjectione sæculari judicio.

Const. ed. 1709. Oct. 5. P. 9. declarata fuere nulla edicta a potestate sæculari in Regno Neapolis super sequestro fructuum Ecclesiasticorum absentium. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Sep. 25. P. 5. declaratur nulla lex per Ordines Regni Poloniæ lata.

Dat. 28. Julii 1711. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Post plura gravamina Ecclesiasticis personis illata, edita fuere prædd. Decreta, quibus bona Ecclesiastica subjiciuntur solutioni pro Exercitu, & Ecclesiasticæ personæ Tribunali laicali, non tamen quoad corporales pœnas.

§. 1. AD Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod præter multa gravamina, & præjudicia a laicali potestate personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus Regni Poloniæ pluribus abhinc annis illata, in magno consilio dicti Regni nuper, nempe anno proxime præterito in Oppido Varsaviæ Posnanien. Diœcesis habito edita fuerunt nonnulla decreta, ac Ordinationes, seu Constitutiones, quibus non modo bona Ecclesiastica solutioni plurium onerum, & gabellarum pro exercitu tam æstivo, quam hiberno tempore alendo, ac stipendiis militarium copiarum, quas in præsentibus ejusdem Regni moribus, & perturbationibus retineri oportet, solvendis impositorum obnoxia redduntur, cum expressa declaratione, quod nulla cuiquam hac in re exemptio suffragetur, itaut Ecclesiarum, locorum piorum, & quarumcumque personarum Ecclesiasticarum tam Sæcularium, quam Regularium æque, & non secus ac Laicorum bona onerum, & Gabellarum solutioni hujusmodi subjaceant; verum etiam personæ ipsæ Ecclesiasticæ, quas machinationis, seu aliorum delictorum contra leges, & auctoritatem Reipublicæ commissorum reas esse constiterit, generalis confederationis Sandominiæ judicio, nec non laicali cujuscumque Provinciæ foro (facta dumtaxat quoad personales, seu corporales pœnas exceptione) subjiciuntur, & alias prout in Decretis, & Ordinationibus, seu Constitutionibus supradictis plenius dicitur contineri, successive vero in executionem dictorum Decretorum, & Ordinationum taxa præfatorum onerum, impositionum, & gabellarum laicali auctoritate præscripta fuit, illorumque exactio fieri cœpit absque ullo prævio Apostolico beneplacito, quod de jure requirebatur, & pro quo alias obtinendo in gravioribus, & majoribus Belli contra Turcas necessitatibus, imo etiam in casibus alicujus spontanei subsidii ab Ecclesiasticis in supplementum virium, seu facultatum Laicorum oblati humiles preces pro parte ipsorummet Poloniæ Regum ab illius exactione interim, donec beneplacitum hujusmodi obtentum fuisset, prout juris erat, abstinentium huic Sanctæ Sedi porrectæ fuerant.

Prædd. Decreta executioni mandata fuere sine beneplacito Apost. contra consuetudinem ipsius Regni.

§. 2. Cum autem Decreta, & Ordinationes, seu Constitutiones hujusmodi, aliaque præmissa Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, nec non Conciliorum Generalium Decretis, quæ laicali potestate, ne ullum onus, gravamen, seu Pedagium, aut quodcumque subsidium, etiam oblatum, & concordatum a personis Ecclesiasticis absque dicto beneplacito Apostolico exigere, ipsasque personas Ecclesiasticas ad Laicorum Tribunalium judicium trahere, illisque eas subjicere audeant, seu præsumant sub gravissimis pœnis prohibent manifeste, adversentur, adeoque per ea libertas, jurisdictio, & Immunitas Ecclesiastica summopere læsa remanserit: Hinc est quod Nos, qui jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, & Christifidelium curam, & solicitudinem divina dispositione gerimus, tam gravibus, & scandalosis Sæcularis potestatis abusibus, ac animarum periculis quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, nec non omnium, & singulorum in præmissis, seu circa præmissis tam a dicto magno consilio Varsaviæ, quam ab aliis quibuscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & occasiones, aliaque quælibet, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, supradicta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones in consilio Varsaviæ edita, nec non Taxam onerum impositorum, & Gabellarum ab Ecclesiasticis etiam solvendorum præscripta, illorumque exactionem deinde subsecutam, ut præfertur, aliaque omnia, &

Relata omnia adversantur juribus Ecclesiæ.

Declaratio nullitatis prædictorum, cum eorumdem damnatione, & revocatione.

singula,

singula, a dicto consilio, aliisque quibusvis personis, etiam specifica, & individua mentione dignis in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, per abusum Sæcularis potestatis quandocumque, & qualitercumque acta, gesta, mandata, decreta, & ordinata forsan, & forsan in futurum, (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda, & ordinanda cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quomodocumque secuturis penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, & de facto præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, & efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore tenore præsentium decernimus, & declaramus, illasque damnamus, & reprobamus; ac nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu, ita ut nullum unquam præjudicium, etiam minimum, libertati, jurisdictioni, & Immunitati Ecclesiasticæ inferre, vel intulisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi quoquo modo possint, penitus, & omnino vacuamus in omnibus, & per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, nec evenirent.

§. 3. Quo circa Venerabilibus Fratribus dicti Regni Archiepiscopis, & Episcopis sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ præcipimus, & mandamus, ne Decreta, Ordinationes, & Constitutiones hujusmodi executioni mandari, necnon dictam Taxam laicali auctoritate absque nostro, & dictæ Sedis consensu, & beneplacito factam exigi, multoque minus ullam personam Ecclesiasticam, sive sæcularem, sive Regularem ad forum laicale trahi, & ab eo vel a quocumque alio, quam Ecclesiastico Tribunali judicari, & puniri permittant, omnibus vero, & singulis aliis ejusdem Regni personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam Regularibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis, & excommunicationis majoris, & privationis Dignitatum, officiorum, munerum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœnis districte prohibemus, & interdicimus, ne prædictorum Decretorum, Ordinationum, Constitutionum, & Taxæ vigore quidquam etiam minimum quovis modo, etiam subsidii, vel subventionis titulo, aut vexationum, & molestiarum sibi illatarum, vel inferendarum redemptionis prætextu solvere, aut solvi facere, vel ad solutionem alicujus ex prædictis oneribus, impositionibus, & gabellis, nisi illa prius nostra, & dictæ Sedis auctoritate approbata, & confirmata fuerint, concurrere, multoque minus dictæ generalis confœderationis Sandominæ, aut cujusvis alterius laicalis Tribunalis dicti Regni foro se se subjicere audeant quovis modo, seu præsumant.

§. 4. Cæterum cum notorii, & explorati juris sit, eos omnes, qui supradicta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones ediderunt, & promulgaverunt, ac dictam Taxam formaverunt, prædictaque onera, impositiones, & Gabellas exigi fecerunt, vel procuraverunt, ac dictas personas Ecclesiasticas ad forum laicale traxerunt, vel trahere tentaverunt, hæcque, vel eorum aliqua executioni mandaverunt, vel ut mandarentur ordinaverunt, necnon illorum fautores, adhærentes, consultores, & defensores, atque illa, vel in eorum sequelam, & executionem gesta approbantes quocumque tandem gradu, seu dignitate quantumcumque sublimi præfulgeant, censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitis inflictas damnabiliter eo ipso incurrisse: Notum similiter omnibus esse volumus illis a censuris, & pœnis hujusmodi, etiam postquam dicta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones, aliaque præmissa revocaverint, ac alias debitam, & condignam Ecclesiæ satisfactionem præstiterint, nonnisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutos, imo nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, atque cum reincidentia eo ipso, quo convaluerint, absolvi, & liberari posse.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, & alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque mentionem requirente defectu impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualifi-

catis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, ac quantiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, iiſdem præſentibus pro plene, & ſuffi cienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac pleniſſime, & ampliſſime derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Jul. MDCCXI. Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

CXI.

Confirmantur Statuta Academiæ Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Bononiæ inſtitutæ, & *Clementinæ* nomine inſignitæ.

Conſt. ed. 1701. Jun. 28. P. 2. confirmatæ fuere additiones ad Statuta Univerſitatis Fabrorum Ferrariorum de Urbe. Et Conſt. ed. 1715. Jun. 12. P. 15. confirmantur Statuta Academiæ Scientiarum in Civit. Bononien.

Dat. 8. Oct. 1711. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Eccleſiæ regimini divina diſpoſitione præſidentes, ac publicæ utilitatis curam gerentes illa, quæ pro excitandis, promovendiſque laudabilium Artium ſtudiis, provide conſtituta, atque ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio, cum id a Nobis petitum, libenter conſtabilimus.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Reformatores ſtatus libertatis Civitatis Bononien., quod ipſi in eadem Civitate, quæ antehac eximiis, & celebribus Pictoribus floruit, & adhuc de præſenti floret, Academiam Pictorum, Sculptorum, & Architectorum ſub auſpiciis noſtris erigi, ac pro fælici illius directione, atque gubernio nonnulla ſtatuta confici, ac in unum volumen redigi curarunt, tenoris, qui ſequitur, videlicet--

Statuta prædicta.

Etſi jampridem Bononiæ conſtituta fuerit *Societas* Pictorum cum quibuſdam regulis, ob eorum tamen Pietatem, profeſſionis excellentiam etiam, *Academia Clementina* nuncupata, opem ferente Senatu erecta eſt adinſtar aliarum in pluribus Europæ Urbibus fundatarum, cum propriis Statutis a Card. Legato, & Senatu approbatis.

Quantunque in altri tempi, ravviſato per indecoroſo alla Profeſſione della Pittura lo ſtare meſcolata frà l'Arti mecaniche di queſta Città, foſſe con l'Autorità maggiore dell' Eminentiſſimo Legato, e dell' Illuſtriſſimo Senato di Bologna quella a diſtinzione dell' altre Univerſità qualificata col nome ſpecioſo di Compagnia di Pittori, e ſtabilita con Regole, & Leggi oneſtiſſime, e prudentiſſime compilate, ed approvate in un piccolo volume fino dell' Anno 1602. 20. Aprile ſotto nome de' Statuti de' Pittori; perchè nondimeno gli ſtimoli della virtù non laſciano mai in pace gl' animi generoſi nella sfera del mediocre, o mezzano intendimento, concitandoli ſempre a carriere più vigoroſe, ed a più elevati avanzamenti: così mercè delle fatiche virtuoſe di tanti Scrittori ſi riconoſcono a' noſtri Secoli arricchite l'Arti liberali di tante nobili notizie, di cui l'antichità viſſe lungo tempo digiuna, e ne ſoſpirò l'acquiſto. Fra queſte non fuori di propoſito al parere di Tiraquello de Nobilitate Cap. 34. num. 2. può aſcriverſi la Profeſſione nobiliſſima della Pittura, come conſiſtente più nell' Opra dell' Ingegno, e nella nobiltà dell' Idee, che forma l'intelletto, che nella fatica della mano, e nel materiale de' colori; di modo che non hanno ſdegnato gl' Imperadori nel corpo delle Leggi Civili con publiche ſanzioni privilegiando li Pittori più Eccellenti da Peſi perſonali, parificarli agl' iſteſſi Protomedici della Caſa Auguſtale, come ci moſtra il Teſto nella Legge *Archiatros Cod. de metatis, & Epidem. lib.* 12. Impulſi, che hanno promoſſo gli ſpiriti di più virtuoſi Profeſſori della Pittura, della Scultura, e del diſegno a ſupplicare l'Illuſtriſſimo Senato d'aſſiſtenza all' erezione d'una nobile Accademia da intitolarſi del diſegno ad imitazione delle tanto providamente erette, e glorioſamente avanzate in altre Città primarie dell' Italia, e dell' Europa, e particolarmente, nella Patria univerſale di Roma, ove non isdegna la Santità coronata vedere queſta nobiliſſima virtù accompagnata ogn' anno da glorioſi trionfi in Campidoglio, inteſi ſempre a quei nobiliſſimi vantaggi degl' animi inclinati alla virtù, che ſogliono partoriſi dalle Accademie ben dimoſtrati dal Padre Andrea Mendo de jure Academico *lib. 1. quæſt. 10. ad quæſt.* 8. ed in parte accennati dal Segretario di Milano Franceſco Sadarini *Veſp.* 11. *num.* 17. *& ſeqq.* Ha riconoſciuto con ſomma contentezza l'Illuſtriſſimo Senato queſti ſpiriti generoſi ne' proprj Cittadini, e volentieri per eccitamento maggiore a così pregiabile virtù, e per il decoroſo mantenimento di sì riguardevole Univerſità, e concorſo, e con l'Opera, e con gl' aſſegnamenti burſali a tanto lodevole Inſtituzione, umiliando, maſſime in queſta parte ancora i proprj voleri agl' altri ſentimenti della *Santità Regnante di noſtro Signore Clemente XI. Prencipe ſupremo*, che ſi degna intitolare queſta virtuoſa adunanza col glorioſiſſimo nome proprio di *Accademia Clementina*, e di qualificarla della ſua clementiſſima approvazione, quale per più perenne durabilità, e per più felice incaminamento a gloria del Signore Iddio, e della Beata Protettrice infraſcritta ſotto li feliciſſimi auſpicj della Santa Sede, e dell' Eminentiſſimo Cardinale Legato diretta dal governo, e Protezione dell' Illuſtriſſimo Senato, ſi è creduto doverſi regolare colli ſeguenti Capitoli, quali come ſtatuti formali d'eſſa Accademia, ſi ſono prefiſſi, e ſtabiliti, e reſpettivamente accettati col contento, ed autorità dell' Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signor Cardinale Legato, e del Senato ſudetto.

E prima, perchè ciò, che non ha per principio il Cielo, non può dirſi nè ſaldo, nè durabile in Terra, ſi elegge, ed invoca per Protettrice, ed avvocata di queſta Accademia del Diſegno una Concittadina Pittrice la Beata Catarina de Vigri, il cui glorioſo Depoſito ſi adora in queſta Città, ſiccome per Protettore in Terra, ſecondo la richieſta fatta nel Memoriale poſto da' Promotori di queſta Accademia, ſarà l'Illuſtriſſimo Senato medemo, alla giudicatura di cui nella Perſona dell' Illuſtriſſimo Signor Confaloniere *pro tempore* dovrà ſempre reſtare commeſſa la ſudetta Accademia, come una delle Univerſità Secolari di queſta Città.

Dell' Aggregazione de' Sig. Accademici.

Secondo. Dovrà l'Accademia esser composta di Pittori, e Scultori eccellenti, siano Pittori di Figure, d'Architettura, di Prospettiva, di Fiori, e Frutti, di Animali, di Marine, e simili, ed Intagliatori insigni in Rame, o in Legno da imprimersi: di bravi Disegnatori, massime di Fortificazioni, e d'altre cose riguardanti l'Architettura Militare: di Fonditori di Statue, o Artiglierie; Tutti però qualificati di nome per qualche lodevole loro operazione, il di cui numero sarà di quaranta soggetti da sceglierli fra tutti li moderni Concorrenti, e tutti così scelti da approvarsi dall'Illustriss. Reggimento, quali saranno sempre in reale constitutivo dell'Accademia predetta senza veruna implicanza, che uno stesso Professore possa stare aggregato tanto al Consiglio dell'antica Compagnia de' Pittori, quanto alla moderna Accademia predetta, e possa esercitarsi, ed avere offizj nell'uno, e nell'altra, anche nel tempo stesso, non vietandosi però l'aggregarsi a quest' Accademia, oltre il numero de' sudetti quaranta, altri sogetti qualificati o per nobiltà di nascita, o per virtù eccellente in simile Professione, e tanto Esteri, quanto Cittadini si dell'uno, come dell'altro sesso. Che però non siano sogetti, o vero obbedienti antecedentemente al Conseglio di detta Compagnia de' Pittori, e non esercitino mercenariamente tale Professione in questa Città, e mancando uno del detto numero delli quaranta, dovrà il Principe dell'Accademia per scieglière con Voto degl' Accademici favorevoli almeno per li due terzi nel Consiglio, o Compagnia de' Pittori tre sogetti, che a' Signori Accademici pareranno più qualificati, e meglio addottati a riempire il loco del mancato ed al grado dell' Accademia; E quelli così eletti presentare all'Illustriss. Sig. Confaloniere, perche dal Reggimento col consueto scrutinio ne resti aggregato uno a riempire il loco del Defonto Accademico, se alcuno de' sudetti tre sarà conosciuto abile; e non approvandosi dal Senato alcuno delli suddetti tre, dovrà detto Sig. Principe nel modo, come sopra descritto, prescieglière altri, e quelli nel modo stesso presentare, perche uno di loro resti approvato, come sopra, e quando nemmeno in questa seconda prescelta non riconoscesse il Senato alcuno capace, o abile a riempire detto loco, resterà in arbitrio del Senato il prescegliergne. Egli uno di tutta l'Università de' Pittori, restando per altro all' arbitrio de' Signori Accademici legittimamente congregati l'Aggregazione de' Soggetti a titolo di Nobiltà, o dell'eccellenza della Professione con le condizioni però, che non esercitino mercenariamente in questa Città, come sopra, e purchè l'Aggregazione segua per li due Terzi almeno de' loro Voti favorevoli: E quando mai succedendo il caso di simili vacanze non si trovassero nel Conseglio de' Pittori sogetti abili, e capaci di subentrare nel loco Accademico vacato, perche tutti quelli del Conseglio, come di minor numero, in quel tempo fossero aggregati all' Accademia; nel caso, e casi sudetti possino li Signori Accademici fare le predescritte due preelezioni di Soggetti anche fuori del Conseglio, purche abbino le qualità necessarie d'entrare in detto Conseglio, quantunque non vi fossero entrati, e trovandosi anche Professori Eccellenti, che fossero Forastieri, ovvero nati di Padre Forastiero, e così incapaci d'entrare in detto Conseglio, possino li Sig. Accademici per tali sogetti addimandare l'abilitazione, e dispensa del Senato, e poscia così dispensati prescieglierli, e presentarli, come se fossero del Conseglio, e nelle forme sopra espresse.

Terzo. E perche apparisca sempre anche ne' tempi avvenire lodevole l'elezione dell'Aggregato Accademico a confronto della di lui Virtù, ed eccellenza, dovrà l'Accademico detto, ed approvato, come sopra, fare un Quadro di Pittura Istorico d'invenzione a dettame del Sig. Principe dell'Accademia da conservarsi nelle Stanze publiche dell'Illustrissimo Reggimento a memoria perenne della Virtù di esso Accademico, restando però, oltre il titolo d'onore, riconosciuta la di lui fatica col regalo di sc. 30. di paoli da cavarsi dalle rendite della Dogana medesima, quando però non sia ricercato dall'Illustriss. Reggimento, e non altrimente.

Degl' Officj de' Sig. Accademici.

Quarto. Da questo Corpo de' Quaranta Accademici dovrà reggersi, e governarsi l'Accademia mediante però gl' infrascritti loro Capi, e respettivamente Ministri da eleggersi ogn'anno da tutti, o dalla maggior parte de' Signori Accademici legitimamente convocati il giorno di............, cioè da un Principe, da un Vice-Principe, o da 8. Direttori, da un Depositario, da due Proveditori. Quali Elezioni dovranno farsi ne' modi, che singolarmente si esprimono ne' Capitoli particolari di ciaschedun de' sudetti Officj; oltre poi le cariche sopra esposte, si elegeranno ancora nel numero degl' istessi Sig. Accademici altri Officj subordinati, cioè, due Custodi dell' Accademia, e delle robbe a quella spettanti, due Sottoproveditori, ed un Cancelliero, e di più fuori delli Sig. Accademici, si elegerranno due Bidelli, che servino l'Accademia.

Residenza dell' Accademia.

Quinto. Si conosce necessario primariamente, e di prima necessità stabilire il loco della Residenza di questa Accademia abile, e capace per farvi la publica Scuola del Nudo, con altra Stanza separata per la Scuola de....... ed altri Professori indipendenti dal Disegno del Nudo, quale Residenza appropriata al bisogno si conosce dover esser almeno di una Sala, e di due Stanze separate con la commodità del foco in una di esse. E questa Residenza intende provederla per propria munificenza, ed a spese proprie l'Illustriss. Senato, o in uno de' Fondi proprj, se potrà trovarsi proporzionato, e capace, o vero in altro Fondo da lui comprato, o condotto quanto prima sarà possibile, abile, e capace arbitrio *boni viri* per tutte le sopradette, ed infrascritte operazioni, e per le Congregazioni de' Sig. Accademici, e perche fra tanto non resti meno per minimo tempo differito esercizio così virtuoso, la generosità dell'Eccmo Sig. General Conte Luigi Ferdinando Marsilii provido Mecenate a tutte le Virtù si compiace condurre, e somministrare a proprie spese la Residenza sudetta per fino al giorno 8. Maggio dell'anno venturo 1710., acciò fra tanto possa più agiatamente provederse una stabile ferma dal sudetto Illustriss. Senato.

Del Nome, e Impresa di questa Accademia.

Sesto. Non isdegnando la Santità Regnante di Nostro Signore Clemente XI., che questa Adunanza di Virtuosi resti perpetuamente insignita, e inauspicata del di lui gloriosissimo Nome, Promotore degl'avanzamenti della virtù, massime ne' suoi divotissimi Sudditi, dovrassi perpetuamente nominare *Academia Clementina*, e sarà quanto all'impresa, corpo, e motto della medesima in libertà di ciascheduno de' Signori Accademici, secondo la varietà de' loro Insegni, il proporla; con che

però quella, che sarà stimata più degna, e più propria dal giudicio, e dalla maggior quantità de' Voti favorevoli di tutti li Sig. Accademici, s'intenda approvata, ed accettata da tutti, e dovrà essere esposta nel più cospicuo luogo di tale Residenza da non potersi mai nè rimovere, nè mutare senza un nuovo Perito da ottenersi con pienezza di tutti li Voti.

Qualità necessarie de' Sig. Accademici aggregandi.

Settimo. Dovrà ciascheduno aggregando a quest' Accademia essere vero, e buon Cattolico Romano, di buona vita, e fama maggiore, di anni ventiquattro, Pittore, o Scolare, o Professore d'alcuna delle scienze, e facoltà sopra espresse, o buon Disegnatore cognito in riguardo all'abilità per qualche sua riguardevole, o almeno lodevole operazione nella sua Professione, e nel rimanente dovrà aggregarsi ne' modi, e forme sopra espresse nel Capitolo secondo.

Obblighi degl' Aggregati.

Ottavo. Dovranno tutti li Sig. Accademici, e ciaschedun di loro tanto in questa prima Fondazione ascritti, ed'aggregati, quanto li Successori aggregandi ne i casi di vacanza d'alcuno del numero de' quaranta immediatamente; Rispetto a' primi dopo che saranno approvati li presenti Capitoli per partito dell'Illustrissimo Reggimento ottenuto davanti l'Eminentissimo Signor Cardinal Legato, e rispetto a quelli, che si aggregaranno ne' casi di vacanze il primo giorno, che dopo la loro ammissione sarà convocata detta Accademia, fare solenne promissione in presenza del Principe e degl' Accademici congregati di osservare, ed adempire pontualmente, quanto si prescrive ne' presenti Capitoli, e sta ingionto a tutti gl' Accademici per il buon servigio, onorificenza, e mantenimento dell' Accademia, e di questo si farà un piccolo rogito dall' infrascritto Notaro Segretario, e si registrerà nel Campione degl' Accademici, dove quel tale sarà descritto dal Cancelliere. Quale promissione, ed obligazione dovrà essere del seguente, o simile tenore --

Il Sig. N. N. eletto prescelto in Accademico ed approvato dall' Illustriss. Reggimento spontaneamente &c. promette, e s'obbliga anche sotto vincolo di fede immacolata a tutti detti Sig. Accademici congregati, e per tutti al Sig. N. N. medemo Princpe presente &c., ed a loro Successori d'essere sempre obediente a' Sig. Superiori *pro tempore* d'essa Accademia nelle cose a quella spettanti, osservatore de' Statuti, e Capitoli della medesima, tanto fatti, quanto forsi legitimamente da farsi, vero amatore, ed osservatore della Pace, e dell'onore di tale congresso, non litigioso, ne disturbatore de' Sig. Accademici, o d'alcuno di loro, e d'intervenire sempre all'Adunanze di quella, quando non sia legitimamente impedito, ed occorrendo dar Voti, d'esser sempre lontano dall'interesse, e dalla parzialità, regolato solo dalla propria coscienza, e che non revelarà ad altri, che non sia dell'Accademia, se non d'ordine di essa le cose trattate per il di lei buon governo, onore, ed utile delle Adunanze, e Congregazioni de' Sig. Accademici.

Dell' Elezione del Principe.

Nono. Dovranno porsi in una borsa i nomi, e cognomi di tutti li Signori Accademici, quale sarà conservata nell' Armario della Residenza, come si dirà, qual imborsazione per la prima volta dovrà farsi subito dopo l'approvazione de' prescritti da Capitoli da farsi, come sopra, per partito del Senato, e ne' tempi successivi dovrà rinuovarsi, quando sarà finita, e sempre farsi in piena Congregazione a tal'effetto radunata. Ed il giorno di S. Petronio Protettore principale di questa Città ogn'anno dovrassi da detta borsa, mediante il Notaro Segretario di essa Accademia estrarsi un bolettino continente il nome, e cognome d'un de' Sign. Imborsati, quale dovrà essere il Principe, ed assumere tal Carica per un'anno all'ora da decorrere, dovendo durare tale imborsazione sin che tutti gl'Imborsati saranno estratti, convenendo però li Sig. Accademici, che tal Regola non s'osservi in questo primo Principe, quale per la venerazione, che ciascheduno di loro professa al merito grande, all'eccellenza della Virtù, e dell'età avanzata del Sig. Carlo Cignani Concittadino, e Pittore celeberrimo a pieni Voti lo eleggono, intendono, e vogliono, che sia il loro primo Principe in questa Accademia da durare per un anno dopo la di lui accettazione di tal Officio, come sopra. Ed occorrendo estrarsi uno de' Sig. Accademici, che fosse assente da questa Città, per starci per quell'anno, o maggior parte di quello, dovrà rimborsarsi, ed estrarsene un altro; ed occorrendo la morte d'alcuno, per cui dovesse surrogarsi in di lui luogo nuovo Accademico nelli modi, e forme sopr'espressi, se il Defonto nell'Imborsazione corrente avrà avuto l'officio di Principe, non dovrà il surrogato ponersi in detta borsa a nuova Imborsazione, ma se il Defonto non fosse stato mai estratto vivente a tale carica, dovrà da tale borsa levarsi il di lui nome, e bolettino, e ponersi il nome, e bolettino del surrogato, acciò egli ancora resti capace di detto Officio, e se morisse il Principe nel tempo di detto Officio potrà compirlo l'Accademico, che sarà aggregato nel di lui luogo, e fra tanto supplirà alle di lui incombenze il Vice-Principe.

Facoltà, ed incombenze del Principe.

Decimo. Avrà il Principe facoltà d'eleggere, e nominare il Vice-Principe, quale in di lui assenza portarà le veci, le facoltà, e l'autorità di esso Principe. Il Principe solo, ed in di lui assenza il Vice-Principe avrà l'arbitrio di convocare la Congregazione per trattare, e risolvere tutte le cose, che per bocca propria, o del Cancelliere da lui informato saranno proposte, ed esposte, di modo, che non dovrassi mai adunare Congresso alcuno per trattare tali interessi, senza la di lui presenza, ovvero del Vice-Principe in di lui assenza dalla Città, come sopra, ovvero per di lui ordine da darsi in scritto, e conservarsi presso il Cancelliere. Avrà il Principe la facoltà di fare insieme col Depositario le riscossioni de' Quartieri assegnati, e di tutte l'altre rendite, che col tempo potesse avere l'Accademia, e di farle ritenere al medesimo Depositario, e non mai ad altra persona; come ancora di trarre gl'Ordini sempre in iscritto al detto Depositario per il pagamento di tutte le spese necessarie, che occorreranno per l'esercizio, e mantenimento di essa Accademia di tempo in tempo, quali ordini dovranno esser scritti di mano del Cancelliere, e sottoscritti da esso Principe, e dalli due Proveditori maggiori, e se nel fine dell'Officio sopravansasse a dette spese necessarie qualche reliquato dell'annuo assegnamento, dovrà detto reliquato conservarsi nella Cassa del Depositario per supplire a spese ordinarie, o estraordinarie, che potessero accadere agl'anni venturi, o per erogarsi in altra cosa necessaria, o vero utile all'Accademia da approvarsi per li due terzi de' Voti di

tutti

tutti li Sig. Accademici, sotto però l'assenso, e beneplacito dell'Illustriss. Sig. Confaloniero, ed assonti di Milizia.

Delle facoltà, ed Elezione del Vice-Principe.

Undecimo. Sarà il Vice-Principe uno de' Sig. Accademici eletto ad arbitrio dell'istesso Principe per sostener le di lui veci, ove Egli non potesse assistere all'incombenze dell'Accademia, o per assenza della Città, o per qualche suo importante affare, o per altro legittimo impedimento, ne' quali casi avrà esso Vice-Principe tutta la facoltà, che avrebbe il Principe, se fosse presente, e la di lui Carica sarà parimente annuale, come quella del Principe.

De' Direttori, e del loro Officio.

Duodecimo. Gli otto Direttori, l'Uffizio de' quali sarà parimente annuale, dovranno eleggersi per Partito posto fra tutti gl'Accademici da ottenersi per due terzi de' Voti, nominati che saranno dal Principe, avvertendo, che nel tempo de' Scrutinj, li nominati devono stare fuori della Congregazione per maggior libertà de' voti: Quattro dunque di questi dovranno esser Pittori o Scultori di Figure, e gl' altri quattro Pittori, e Disegnatori d' Architettura, di Prospettiva, o Professori d' alcun' altra delle Scienze sopra espresse, e le incombenze de' primi saranno di ponere in attitudine il modello una settimana per ciascheduno, e l'assistere per quella settimana alla correzione de' Disegni de' Giovani, che studiano, per lo che fare, sarà necessario, che il Direttore di quella settimana, quando possa, intervenga personalmente ogni sera nell'Accademia per dar stimolo agli Studenti, e con tenere li Giovani nel dovuto rispetto, e saviezza. Sarà uffizio degl'Ultimi il dare le Regole della Prospettiva, dell'Architettura, massime militare, quale Architettura dovranno insegnare li Professori di quella a titolo onorifico solamente, come così per loro cortesia dichiarano voler fare: come anco le Regole, e li Disegni della Pittura de' Paesi, degl'Animali, o di altri simili membri della Pittura a quei Giovani, che lo vorranno apprendere, e dovranno stare in una stanza separata, e disgiunta da quella della Scuola del Nudo, di modo che una di dette Stanze non possa disturbare o distraere dall' applicazioni l'altra, e come meglio si potranno adattare li commodi della Residenza.

Del Depositario, e suo Officio.

Decimoterzo. Il Depositario dovrà proporsi, o per elezione, o per conferma, quando sia conosciuto idoneo dal Prencipe, e dovrà restare approvato per partito secreto degl'Accademici da ottenersi per li due terzi almeno de' Voti: Con che però sia Uomo di sana ragione, e non figlio di famiglia, e dia sicurezze idonee da approvarsi come sopra: dovrà il Depositario, durante il di lui Officio, (quale durazione, o remozione sempre dipenderà dal Partito, come sopra di tutta l' Accademia), dovrà, diciamo, ricevere, e custodire onoratamente in deposito formale, e regolare tutti li denari spettanti all' Accademia, che li proveniranno tanto dall'assegnamento sopradetto, quanto da qualsivoglia altra Causa, e non pagarne, ne rilasciarne mai meno minima quantità ad alcuna Persona, se non con li Mandati scritti dal Cancelliere, e come sopra, firmati dal Prencipe, e da due Proveditori maggiori *pro tempore*: e tutte le altre Cariche saranno annuali, fuorche questa del Depositario, e quella del Cancelliere, che saranno arbitrarie dell' Accademia, e durabili, secondo sarà loro onoratezza, e abilità, e puntualità.

De' Proveditori, e loro Incombenze.

Decimoquarto. Li due Proveditori verranno eletti dal Principe a proprio arbitrio, e la loro incombenza sarà di provedere l'Accademia del modello, e di tutte l'altre cose necessarie per la Scuola per li tempi, e ne' modi saranno lor prefissi dal Principe, e per loro sollievo avranno due Sottoproveditori da essi eletti frà gl'Accademici per essere da loro ajutati in tutto quello, che avranno di bisogno per servizio di essa Accademia, e dovranno sempre dopo il Principe sottoscrivere li mandati da dirigersi al Depositario, come sopra.

De' Sottoproveditori.

Decimoquinto. Saranno li due Sottoproveditori eletti dalli Proveditori maggiori, come sopra; e dovranno assistere alli medemi, o supplire in loro assenza, o adempimento in quelle cose, che verranno loro imposte, o indicate dal Principe, o da detti Proveditori maggiori, e potranno essere di loro sollievo, e di benefizio all'Accademia.

Del Segretario, e Cancelliere.

Decimosesto. Dovrà il Cancelliere essere eletto nel numero de' Signori Accademici per partito di tutta l'Accademia ottenuto per due terzi de' Voti, e con altro simile partito solamente potrà rimoversi, o licenziarsi: E la di lui incombenza sarà di scrivere nelle Congregazioni degl'Accademici tutto quello occorrerà terminarsi per il servigio, e governo di detta Accademia, secondo gl'Ordini della medema, e secondo li commandi del Prencipe, e dovrà diligentemente custodire nel loco, che li sarà prescritto dall'Accademia le Lettere, ed altre Scritture della Cancellaria, che li saranno consegnate, come anche le Polize stampate per invitare le Congregazioni, quali non potrà mai consegnare alli Bidelli, se non per ordine scritto dal Principe, o dal Viceprincipe in di lui assenza, come sopra.

Del Notaro dell'Accademia.

Decimosettimo. Si conosce necessario, che l'Accademia sia provista d'un Notaro Concittadino di buona vita, e fama, prattico della sua Professione, la di cui incombenza sarà di fare le matricole degl' Accademici, e le Scritture ad essa attinenti, come ancora d'assistere alle Congregazioni, quando si faranno, se egli vi sia chiamato, e possa intervenirvi, e di registrare li partiti in un Libro per tal'effetto ritenuto in detta Accademia: sarà quest' eletto per partito ottenuto per due terzi, come sopra, ed amovibile per altro partito simile, siccome sarà in di lui arbitrio altresì il rinonciare tal impiego, ma sempre però nel fine dell'anno, quando termina l'officio del Principe, rassegnando, e consegnando tutto, che avrà in mano spettante a detta Accademia, al Principe nuovamente eletto.

De' Custodi, e loro Officio.

Decim'ottavo. Li due Custodi saranno eletti da quel Maestro, a cui toccarà per quella settimana il ponere in attitudine il modello, e questo impiego sarà ebdomadale, e dovranno assumerlo la prima sera, che quel Maestro interverrà ad assistere all'Accademia: E sarà ben fatto, che tale impiego cada sopra due di quei Giovani, che più frequentano lo studio di essa Accademia. Il loro officio sarà di ben custodire in buon ordine tutte le cose necessarie, ed oc-

correnti per l'esercizio di quella settimana per le funzioni d'ambedue le Scuole sudette, di commandare alli Bidelli, e di compire a tutte le cose, che saranno convenienti per il buon ordine, e decenza di dette Scuole, e dell'Operazioni da farsi in quelle.

De' Bidelli, e loro Officio.

Decimonono. Li Bidelli dovranno essere Bolognesi eletti dall' Accademia, ed il loro offizio sarà di portare le Polize per radunare le Congregazioni, quando saranno loro consegnate dal Cancelliere, dovranno tenere in forma pulita, e decente le stanze dell' Accademia, aprirle, e chiuderle alle ore debite, tenendo cura delle robbe, che in dette stanze si ritrovaranno, e saranno commesse alla loro fede, di approntare li lumi, ed il fuoco ne' tempi, ed ore, che saranno loro prescritte dal Principe, o dal Maestro assistente di quella settimana.

De' Libri, Scritture, ed altre cose preziose spettanti all'Accademia, e loro conservazione.

Vigesimo. Si custodiranno li Libri, le Scritture, ed altre cose simili, come disegni, carte stampate, e simili spettanti all'Accademia in una delle stanze di detta residenza insieme con l'Inventario in un Armario chiuso a due chiavi, una delle quali dovrà sempre conservarsi presso il Principe, e l'altra presso il Cancelliere, nel qual Armario ancora dovrassi conservare, e custodire la borsa per l'estrazione de' Principi, come sopra.

Delle Pene.

Vigesimoprimo. Quantunque non si dovesse dubitare, che fra gl'Uomini civili, e morigerati, quali devono presumersi tutti gl' Accademici, come applicati allo studio, ed incaminati alla gloria della virtù, possa trovarsi alcuno, che si scordi de' proprj doveri nella morigeratezza, e nel rispetto con tutti, ne meno manchevole nell'osservanza di quelle Leggi, che avrà promesso osservare con formale obligazione nel di lui ingresso, come sopra nel Capitolo settimo: Per abbondanza nondimeno di cautela si statuisce, che se alcuno de'Signori Accademici scordato delle sue obligazioni predette mancasse di rispetto al Principe dell'Accademia, e per interesse dell' Academia, o ingiuriasse il medesimo, o vero altri Colleghi nelle Congregazioni, perda *ipso facto* il suo officio, se ne avrà, e sia privo di voce attiva, e passiva nell'Accademia medesima, ne più possa essere reintegrato, se non per partito legitimo ottenuto per li due terzi de' voti: che perciò si vieta a ciascheduno de'Signori Accademici l'entrare con l'arme nelle Congregazioni, dovendo quelle prima depositare, avendole, e consegnare al Custode delle residenza, per togliere ogni occasione di sconcerto, e mantenere in tutti quella modestia, che deve essere inseparabile dalle Persone virtuose, e Civile: quelli poi, che mancassero volontariamente alle proprie incombenze nelle cariche, che avranno a giudizio dell' Accademia, restino privi *ipso facto* di detti offizj, senza mai più essere capaci, se non per reintegrazione da ottenersi per partito, come sopra e perche la virtù non ha mai sodi principj, quando non stà unita con la Legge di Dio, e con la morale, perciò si vieta, tanto a ciascheduno de'Signori Accademici, quanto a ciascheduno de' Scolari, e de'Giovani, che interverranno a detta Accademia, il valersi della medesima, e de' studj, che in essa devono farsi per dipingere, o disegnare oscenità, come lascive, o caricature ingiuriose ad alcuna Persona, o altre simili vietate dalla buona moralità sotto pena in caso di contravenzione, rispetto a Primi di perdere il loro loco nell'Accademia, da non reintegrarsi, se non nel modo sopradetto; e rispetto a gl'ultimi d' essere perpetuamente esclusi dall'ingresso, ed uso della medesima Accademia: e questo, oltre le pene imposte dalla Legge Civile, e Canonica, che si lasciano all'arbitrio de' Signori Superiori.

De' Premj onorifici.

Vigesimosecondo. E perche l'emulazione virtuosa suole dare gli stimoli maggiori agl'avanzamenti de' studj fra la Gioventù, si statuisce perciò, che finito il corso dell'Accademie ogn'anno, il Signor Principe deve proponere a tutti li Studenti delle predette Professioni un'Operazione di disegno d'invenzione, tanto alli Professori di Figuristi, quanto un' altro simile alli Professori d'Architettura, d'Animali, di Fiori, di Frutti, o di Paesi, come più a lui piacerà, ed in quella specie d'essa Professione, che egli sceglierà, prescrivendo il termine congruo a tutti li sudetti Giovani Studenti tanto di Figuristi, quanto degl'altri sudetti ad avere perfezzionata ciascheduno detta operazione, e dato saggio del proprio valore: e queste operazioni presentate, che saranno tutte al detto Signor Principe di ciascheduno de' Giovani, tanto dell'una, quanto dell'altra Professione, devino tenersi secrete, e ben custodite nell'Armario della residenza, finche dal medesimo Principe, e da due de' Signori Maestri Accademici, uno cioè di Figuristi, e l'altro di quella Professione, che sarà stato proposto al disegno, tutti cavati a sorte, saranno le operazioni di ciascheduno de'Giovani state ben vedute, considerate, e sarà stato dà detti Signori Principe, ed Estratti risoluto quale di detti Giovani disgiuntamente in dette operazioni sia prevalso a tutti gl'altri nell'eccellenza dell'operato: ed a quelli due, che saranno stati conosciuti, e giudicati li migliori, uno in detta Scuola del nudo, e l'altro in detta Scuola d' Architettura, o Scultura, o d'altri membri sopra espressi, sia consegnato a titolo d'onore una Medaglia d'oro di valore, e peso di quattro scudi d'oro Romani per ciascheduno, quali Medaglie dovranno per quest'effetto a spese dell'assegnamento sudetto farsi gettare, o imprimere, o fondere con l'impressione dà una parte di essa Beata Protettrice, e dall'altra dell'impresa sudetta dell'Accademia da farsi, come sopra.

Delli Legati, e Donazioni, o altri acquisti dell'Accademia.

Vigesimoterzo. E perche a così fausti principj, si sperano con l'ajuto del Signor Iddio avanzamenti maggiori dall'amore de'virtuosi, e dalla generosità de'Concittadini, e massime de'Professori di questa nobil virtù, onde in progresso di tempo potranno provenire a questo congresso donazioni, Legati, tanto pecuniarj, quanto di specie, e massime di Statue, di carte, o disegni speciosi, o d'altri simili da conservarsi per ammaestramento, uso, ed esercizio de' Signori Accademici, e della Gioventù studente; perciò si ordina, e si statuisce, che tali Legati, o donazioni devino regolarsi, secondo quello sarà stato prescritto da'Testatori, o da'donanti. E quando non avessero tali donazioni, o Legati annessa alcuna legge particolare, se saranno legati di specie simili questi devino conservarsi in una delle stanze della residenza anche chiuse in armarj, o scanzie, come sarà meglio giudicato dal Principe, ed Offiziali di quel tempo. Se saranno Capitali fruttiferi, questi devino ritenersi sempre investiti, e le loro rendite conservarsi presso il Depositario colle Leggi, e nelli modi, e forme di sopra espressi, e se saranno annui redditi,

questi pure dovranno colare nella cassa di esso Depositario nelle forme predette dà erogarsi sempre negl'usi, ed avanzamenti, e nelle funzioni di essa Accademia, e sempre col partito segreto di tutti li Signori Accademici legitimamente congregati.

Facoltà dell'Academia.

Dichiariamo, ed ordiniamo, che quando interveniffe, che foffero due Compagni Maeftri in una Bottega, e fi voleffero per qualunque caufa dividere, e fpartire l'uno dall' altro, febene foffe finita la loro Locazione, non poffi l'uno mandar via l'altro, nè far nuova Locazione, fe prima non averanno fatto il partito tra loro d'accordo, altrimente chi contrafarrà cada in pena di fc. dieci, e non poffa per qualfivoglia caufa effer valida detta Locazione, ma abbiano da fare il partito, e fi devino convenire infieme nel modo fottofcritto, cioè che quello farà più Giovane d'età abbia a fare il partito, non folo in quefta, ma in ogn'altra occafione, ed occorrendo, che un Padrone di Bottega pigliaffe in Compagnia un altro più vecchio, o più giovane, faccia il partito quell' ultimo, che verrà, e farà chiamato, e quello, che reftarà in detta Bottega fia tenuto donare alla noftra Chiefa due libre di Cera bianca lavorata fotto pena di fc. dieci, e quando occorreffe, che uno delli due Compagni voleffe vendere la fua parte della Bottega, fia tenuto quella proferire al Compagno, prima, che ad altra Perfona per la ftima, ovvero per quello, che trovaffe da un altro, e quando il fuo Compagno non la voleffe, poffa vender quella a chi pare, e piace a lui, purchè non fia inimico, o malevolo di quello, che refta nella Bottega, e facendo detto Venditore altrimente incorra nella pena di fc. 25. Come anche ordiniamo, che neffun Maeftro partendofi di Compagnia da una Bottega, o in qualfivoglia modo foffe levato, o gli foffe toccato partire per qualfivoglia caufa tanto volontaria, che neceffaria, o coatta, poffa far nuova Bottega appreffo di quella, fe non farà diftante cento cinquanta canne, nemmeno Compagnia con altri fenza la fudetta diftanza, fotto pena di fc. dieci, e gli fia fubito fatta ferrare la Bottega, ma poffa mettere nuova Bottega diftante da ogn'altra 50. canne.

CAPITOLO XLI.

Delle ftime, e vendite di Bottega, e Robbe dell' Arte de' Barbieri.

De æftimationibus, & venditionibus Tonftrinarum, itemque Inftrumentorum, quæ ad tonftrinam artem pertinent.

Nell' alienazione delle Robbe delle Botteghe di Barbiere, non dovendofi avere in confiderazione folamente il valore delle medefime ma ancora il pofto, ed avviamento nel che hanno maggior cognizione i Maeftri Barbieri; Perciò ftatuimo, ed ordiniamo, che in occafione di vendita, o di qualfivoglia alienazione, tanto volontaria, che coatta, non fi poffino ftimare Botteghe, Pofti, Avviamenti, Stigli, Mobili, nè Robbe alcune, efiftenti in fimili Botteghe di Barberia, fe non di Maeftri Barbieri, che abbiano Bottega aperta, con facoltà alli fteffi Maeftri, che faranno eletti Periti, di poterfi informare del valore di quelle robbe, delle quali dubitaffero non aver ficura cognizione; & facendofi da altre Perfone, fiano le ftime nulle, ed invalide, e poffa darfi di nullità anche da ogn'uno de' Contraenti, benche foffero ftate accettate per Iftromento, e sì il Compratore, che il Venditore cadano in pena di fc. dieci d'oro per ciafcheduno.

Similmente commandiamo, ed ordiniamo, che le fopradette ftime, non poffino farfi fenza licenza de Confoli in fcritto fotto la medema pena di fcudi dieci d'oro per ciafcheduno, tanto de' Stimatori, che delli Venditori, e Compratori.

E per le fudette ftime, fi devino pagare due bajocchi per ogni fcudo dell' intiero prezzo ftimato, cioè uno dal Venditore, e l'altro dal Compratore da dividerfi pro rata fra li Stimatori, febbene fuffero più di due.

Come pure, che fi devino pagare altri due bajocchi per ciafchedun fcudo della valuta ftimata nello fteffo modo per metà dal Venditore, e Compratore da ripartirfi fra la noftra Chiefa, ed i Confoli, come fi è ftabilito nel *Capitolo XVII.* quali due bajocchi per fcudo dovuti alla noftra Chiefa, e Confoli, fi devino pagare, ancorche li Compratori, e Venditori foffero d'accordo, e la vendita, e la compra fi faceffe fenza ftima, eccettuando però li cafi di coftituzione, e reftituzione di Dote, ne' quali non fi devino pagare emolumenti alla Chiefa, mà folamente al Notaro la folita mercede dell' Inftromento.

E dette ftime, fi dovranno portare, e produrfi nell' Offizio del noftro Notaro, e Segretario *pro tempore* fotto pena di fcudi fei per Stimatore.

CAPITOLO XLII.

Delle Botteghe di Vedove, ed ereditarie di Maeftri.

De Tonftrinis Viduarum, & hæreditariis.

Defiderando provedere coll' equità poffibile, ma non pregiudiziale al publico per l'efercizio delle Botteghe delle Vedove, Figli, ed Eredi de' Maeftri. Dichiariamo, ed ordiniamo, che morendo qualche Maeftro, lafciando Figli, o Nipoti dell' agnazione, e per parte del Maeftro, non già per parte di Donna, minori dell' età neceffaria per aver la Patente, o pure lafciando Figlie, o Nipoti femine per parte del medemo Maeftro, durante la minorità de' mafchi fudetti, o fino a tanto, che le nominate femine faranno maritate, o monacate, fe gli deva dalli Confoli dar licenza di poter tenere un Maeftro Patentato in Bottega, ma pervenuti, che faranno i mafchi all' età di ventidue anni debbano fottoporfi all' efame, ed avendo li requifiti neceffarj pigliare la Patente, e le femine dopo che faranno maritate a perfone, che non foffero della Profeffione, nè patentate, o monacate, debbano dentro il termine di fei mefi, dal giorno, che farà feguito il Matrimonio, o la Profeffione vendere la Bottega a perfona patentata, altri-

mente

mente cadano in pena di scudi dieci d'oro, e gli sia fatta serrare la Bottega, e quando il Maestro morendo lasciasse la Moglie, o pure altri Eredi, che non fossero dell'arte, ne patentati; in tal caso la Moglie Vedova, alla quale per ragione di Dote, o di Eredità rimanga la Bottega, possa con licenza de' Consoli ritenere in detta Bottega un Maestro patentato, durante sua vita, e stato vedovile, ma rimaritandosi con persona, che non fosse della professione, nè patentata, deva dentro il termine di tre mesi dal giorno del Matrimonio vendere la Bottega a persona patentata, nè possa affittarla, o far compagnia con patentati sotto la detta pena di essergli fatta serrare la Bottega.

E gli altri Eredi, non essendo dell'Arte, dentro il termine di tre mesi dal giorno della morte del Maestro debbano vendere la Bottega a persona patentata, nè possino affittarla, nè farvi compagnia con patentati sotto la medema pena di essergli subito fatta serrare la Bottega.

CAPITOLO XLIII.

Del dispensare le pene.

Pecuniæ, quæ pœnarum loco exiguntur in Ecclesiæ Emolumentum erogandæ.

Ordiniamo, e statuimo, che tutte le pene, che si esiggeranno, sì in denari, che in cera, e che sono espresse nelli presenti Statuti, o che ciascheduna volta s'imporranno da' Consoli, e Congregazione segreta, spettino, ed appartenghino intieramente, ed in tutto, e per tutto alla detta nostra Chiesa; e ad effetto di rimediare alla facilità di contravenire alla disposizione del Statuto con la speranza di ottenere la grazia, e remissione dell'incorse pene dalla Congregazione generale, dove facilmente sogliono ottenersi in sommo pregiudizio della Chiesa, ed Università nostra; volendo provedere all'indennità della medema per quanto si stende il nostro potere; Dichiariamo, e comandiamo, che nella Congregazione generale non devano, nè possano domandarsi, proporsi, nè concedersi simili grazie, e remissione di pene incorse, e che s'incorreranno da qualsisia persona; sotto pena di scudi dieci, tanto a chi la domandarà, come a chi ardirà proporla, e della nullità della grazia, ma solo la Congregazione segreta secondo la necessità, causa, e circostanze de'Contravenienti possa ridurre le pene, che averanno incorse, con che la reduzione, e grazia non ecceda la terza parte, o al più la metà, e senz'altra dilazione il Debitore paghi effettivamente, ed incontinente l'altre due parti, o metà, ed il partito sia vinto con due terzi de'Congregati.

E non facendo li Consoli, e Camerlengo tutte le dovute diligenze per l'esazione di simili pene, siano tenuti del proprio.

CAPITOLO XLIV.

Che si proceda in ogni giudizio sommariamente.

In judiciis causæ omnes compendiaria methodo dirimantur.

Item vogliamo, ed ordiniamo, che per la consecuzione, ed esazione delle contribuzioni, tasse, pene, e qualsivoglia condanna, e qualunque cosa per l'osservanza delli presenti Statuti, come anco per le clausure delle Botteghe, ed ogni lite, e giudizio dipendente dall'Arte, tanto tra i Maestri, che tra li Giovani, e Fattori, e la nostra Università, o misti con li medemi, si deva procedere sommariamente, ed esecutivamente, ancorche li giudizj, e liti s'introducessero differentemente, nè si devono attendere nullità di sorte alcuna, accioche si finischino, e terminino con ogni celerità, e non si abbino da defaticare le Parti, e Litiganti nelle spese, e che per le contribuzioni, ed emolumenti, che si doveranno in qualunque modo dalli Giovani, e Fattori della nostra Università, siano tenuti del proprio li Maestri, e Padroni, riservando le ragioni alli medemi Maestri, e Padroni di poter ripetere dalli loro Giovani, e Fattori le somme, che averanno pagate.

CAPITOLO XLV.

Che niuno possa contradire alli presenti Statuti.

Nemini liceat præsentibus Statutis adversari, sed illa ab omnibus sunt omnino servanda.

Ordiniamo, ed espressamente commandiamo, che non sia alcuno dell'Arte, che ardisca sotto qualunque causa, e pretesti opponere, e controvenire alli presenti Statuti, ed Ordinazioni, ma tutti, e ciascheduni Maestri, Giovani, e Fattori della nostra Università siano tenuti, e debbano obbedire, ed eseguire le presenti ordinazioni, e Statuti, con quanto in essi si contiene, ed ogni volta, che ciascheduno dell'Università sarà stato intimato ad intervenire alla Congregazione Generale, o segreta, e non interverrà senza legitima causa, cada in pena di giulj tre da pagarsi irremissibilmente.

Item vogliamo, che tutto quello, che si risolverà, e stabilirà nella Congregazione sì segreta, che generale, secondo la facoltà concessagli a ciascheduna ne i presenti Statuti, e particolarmente nel *Capitolo XII.*, si abbia per valido, e fermo, ed ogn'uno sia tenuto, ed obligato, ad essere astretto ad osservarlo, ed adempirlo, ancorche nelle Congregazioni non vi sia intervenuto, nè abbia prestato il consenso. Intendendo però sempre doversi vincere il partito per due terzi de'voti de'Congregati in qualsivoglia differenza, peso, obligo, e risoluzione, come si è ordinato, e stabilito nelli Capitoli particolari, alli quali con il presente non s'intende derogato, ne innovato; e vogliamo, che li presenti Statuti s'abbiano da mandare in esecuzione, e devono incominciare ad osservare subito, che saranno confermati dalla Santità di Nostro Signore, e stampati; con dichiarazione però, che non essendo ancora terminata la Bussola ultimamente fatta, per i presenti Statuti non s'intenda pregiudicato agli Offiziali della medema, non per anco estratti, quali si devono estrarre a suo tempo conforme il solito; con che li quattro Esaminatori sì estratti, che da estraersi, confermati, e stampati, che, come sopra, saranno li presenti Statuti, s'abbiano subito per aggregati alla Congregazione segreta, e siano del numero di diecisette senza veruna distinzione, e con le medeme facoltà concesse nel *Capitolo XII.*, e solamente possino esaminare in quelle volte, che a sorte verranno estratti per tal'effetto, come si è ordinato nel *Capitolo XXXII.*; similmente dichiariamo, che in evento il Camerlengo, che si estraerà nell'anno venturo non accettasse il dett'Offizio, o per qualsivoglia causa non l'esercitasse; vogliamo, che il detto Camerlengo in tal caso, si debba eleggere, da' quei medemi Consoli, che saranno estratti nell'istessa estrazione a loro beneplacito, come si è disposto nel *Capitolo XX.* E perche vi occorre non poca spesa per far condurre a fine li presenti Statuti; nè volendo noi, che la nostra Chiesa venga gravata, perciò ordiniamo, che tutti li Maestri della nostra Università siano tenuti subito, che saranno stampati pigliarne una copia di essi, con pagare alla nostra Chiesa giulj tre, affinche non abbiano occasione di pretenderne ignoranza sotto pena di un scudo a chi non l'averà presi passati sei mesi dal giorno della Conferma.

CAPITOLO XLVI.

Conclusione delli presenti Statuti.

Conclusio libri Statutorum.

Essendo coll'ajuto Divino, e de' gloriosi Santi Cosmo, e Damiano nostri Protettori pervenuti alla fine de'presenti Statuti, e questi ben veduti, e considerati dalli Maestri a tal' effetto

deputati,

deputati, e fatti anco rivedere a persone legali, e da questi anco approvati, perciò doverà ogn'uno esser tenuto alla precisa osservanza di quanto in essi si contiene, sotto le pene in quelli espresse, e si doverà supplicare la Santità di Nostro Signore, acciò si degni confermarli con autorità Apostolica in amplissima forma, con la deroga delle Costituzioni, Ordinazioni, e Disposizioni Apostoliche, e particolarmente dello Statuto di Roma in qualsivoglia Capitolo, e parte di esso, che disponesse in contrario di quanto si è stabilito, ed ordinato nelli nostri presenti Statuti, e specialmente al *Capit. XLIII.* del Libro terzo di esso Statuto di Roma, quale fù anco derogato dalle sante memorie di Paolo Quinto, ed Alessandro Settimo a favore della nostra Università, e forse anco dagl'altri Sommi Pontefici, acciò non si possino mai li presenti Statuti da veruna pesona oppugnare a laude, e gloria di Sua Divina Maestà, e della Gloriosa Vergine Maria, e de' nostri Santi Avvocati, e Protettori Cosmo, e Damiano. Amen.

Consoli.

Antonio Bruner Console.
Francesco Romei Console.
Matteo Renzi Console.

Deputati.

Gio. Pietro Rossetti Deputato.
Pietro della Baja Deputato.
Bartolomeo Pierucci Deputato.
Domenico Borgiassi Deputato.
Filippo Maurizj Deputato.
Biagio Francesco Battisti Deputato.

Preces Universitatis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Statuta hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares peesonas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula Statuta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relatorum Statutorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes, easdem præsentes literas, & statuta præinserta, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Urbis, nec non Universitatis, & Collegii præfatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Maji MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CXVI.

Declarantur nulla Decretum a potestate Comitatus Nicien. editum, & concordia ab Ecclesiasticis cum Syndicis Terræ Villarii inita super solutione onerum Laicalium, cum pœnis in contravenientes.

Const. ed. 1711. Jul. 28. P. 11. nulla declarata fuere Decreta Magni Consilii Varsaviæ super eadem solutione. Et Const. ed. 1718. Dec. 10. P. 19. declaratur nullus Tractatus Pacificationis inter Abbatem S. Galli, & Magistratum Bernensem & Tigurinum.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 9. Julii 1712. An. 12.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum præd. concessum Syndicis Villarii, quo cogerent Ecclesiasticos ad solutionem pro bonis a se possessis.

CUM sicut accepimus, habito per Syndicos Terræ, seu Loci Villarii Nicien. Diœcesis ad Laicalem potestatem Civitatis, & Comitatus Nicien. recursu ad hoc, ut Ecclesiastici dictæ Terræ ad Talliarum, & aliorum onerum Laicalium solutionem ratione bonorum per eos possessorum sub pœna, in eventu quo repugnarent, executionis Militaris, obligarentur, die 26. Aprilis proxime præteriti iidem Syndici Rescriptum, seu Decretum ab eadem Laicali potestate obtinuerint, quo præcipitur, ut Ecclesiastici prædicti Tallias, & onera Laicalia hujusmodi pro rata non solum per ipsos acquisitorum, verum etiam suorum patrimonialium bonorum, juxta reparationem per Consules Universitatis dictæ Terræ faciendam persolvant, & successive ipsi Ecclesiastici cum Syndicos prædictos ad exactionem Talliarum, & onerum Laicalium præfatorum pro rata bonorum per eosdem Ecclesiasticos possessorum vigore Rescripti, seu Decreti prædicti etiam sub minis ad eam per viam procedendi omnino devenire paratos viderent, ut executionem hujusmodi, omnemque aliam vim, quæ sibi a Laicali potestate, & Sindicis prædictis inferri possent, evitarent, quamdam cum eisdem Syndicis conventionem inierint, per quam se ad solutionem ratæ partis Talliarum, & onerum Laicalium prædictorum eos tangentis ratione bonorum per eos possessorum, etiam patrimonialium iisdem modo, & forma, quibus illa Laici pro suis bonis persolvunt, faciendam obligarunt; ea adjecta conditione, ut casu, quo dicta eorum bona a Talliis, & oneribus hujusmodi immunia, & a Collectis exempta declarari, hancque declarationem a Principe Laico acceptari contingeret eorumdem Ecclesiasticorum obligatio hujusmodi cessaret, ipsique in posterum Tallias, & onera Laicalia

Concordia cum Syndicis inita ab Ecclesiasticis minis perterritis.

prædicta solvere minime tenerentur: Ii tamen, quod a dicta Universitate usque ad tempus declarationis hujusmodi exactum forsan foret ab eadem Universitate restitui non deberet, attento quod jam nunc pro eo tempore id totum a dictis Ecclesiasticis ipsi Universitati dono gratuito concedebatur, prout in Rescripto, seu Decreto, ac conventione præfatis, quorum tenores non approbandi, sed penitus, & omnino reprobandi animo præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus plenius respective continetur; Præfatum vero Laicalis potestatis Rescriptum, seu Decretum, necnon prænarrata Ecclesiasticorum conventio, & obligatio Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositioni manifeste adversentur, ac libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam summopere lædant. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum Assertores in Terris a Domino constituti sumus, Ecclesiasticam libertatem a temerariis, ac perniciosis hujusmodi conatibus illæsam tueri, ac conservare, necnon gravioribus, quæ ei per exactionem, & solutionem Talliarum, & onerum Laicalium prædictorum forsan adhuc non inceptam inferri possent præjudiciis, quantum nobis ex alto conceditur occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum præmissis tam ab Ecclesiasticis, quam a Laicali potestate, & Sindicis, aliisque supradictis per se, vel alios quoscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & occasiones, aliave quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tam Rescriptum, seu Decretum a Laicali potestate editum, quam conventionem a dictis Ecclesiasticis cum prænarrata obligatione irritam, ut præfertur cum omnibus, & singulis in eis contentis, ac inde secutis, & quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, invalida, & irrita, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuo fore, tenore præsentium decernimus, & declaramus; Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu, itaut nullum unquam præjudicium etiam minimum dictis Ecclesiasticis, aut libertati, & immunitati Ecclesiasticæ inferre, vel alias nocere, seu intulisse, vel nocuisse quoquo modo dici, censeri, prætendi, vel intelligi possint, penitus, & omnino vacuamus in omnibus, & per omnia, perinde acsi nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, vel evenirent, illaque earumdem tenore præsentium damnamus, & reprobamus.

Causæ præsentis declarationis.

Declaratio nullitatis prædictor. omnium cum eorumdem revocatione.

Pœnæ in executores Decreti, & Concordiæ.

§. 1. Quo circa dictæ Universitati, illiusque Syndicis prædictis, ac Officialibus, & aliis Ministris quibuscumque sub censurarum, & aliis per Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas inflictis Ecclesiasticis pœnis; Omnibus vero, & singulis Ecclesiasticis prædictis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis, & excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis districte prohibemus, & interdicimus, ne irritorum, & invalidorum Rescripti, seu Decreti, ac Conventionis, & obligationis hujusmodi vigore, dicti quidem Universitas, & Syndici, aliique Officiales, & Ministri Tallias, & onera Laicalia prædicta a prædictis Ecclesiasticis exigere; ipsi vero Ecclesiastici illa, vel aliam quamcumque summam sub quovis titulo, aut prætextu, solvere absque nostro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito audeant quomodolibet, seu præsumant; salvis tamen, ac firmis remanentibus aliis quibuscumque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas præfati, & alii omnes in præmissis, quæ hactenus acta fuerunt, culpabiles propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, a quibus nonnisi a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, post debitam Ecclesiæ præstitam satisfactionem (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convalescant) absolvi, & liberari valeant.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, & alia specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, seu interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Apostolicæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter,

& alias

& alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & quantiscumque vicibus, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Julii MDCCXII. Pontificat. nostri anno Duodecimo.

CXVII. Confirmatur Decretum Card. Protectoris de servanda æqualitate Cœnobiorum, & Officiorum inter duas Custodias Provinciæ Turonen. Fratrum Capuccinorum.

Inn. XI. Const. ed. 1679. Feb. 10. P. 3. unita fuere nonnulla Cœnobia Custodiæ Campaniæ. Hujus Pontificis Const. ed. 1711. Jan. 11. P. 11. Provincia Insulen. dividitur in duas Custodias. Et Benedict. XIII. Const. ed. 1729. Feb. 21. P. 5. statuitur alternativa in Provincia Brixien.

Dat. 13. Sept. 1712. An. 12.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Timotheus de la Fleche Frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod ad tollendas dissentiones inter dilectos filios Fratres Provinciæ Turonen. dicti Ordinis exortas Venerabilis Frater noster Nicolaus Episcopus Portuen. S. R. E. Card. Acciajolus nuncupatus ejusdem Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector vigore facultatis sibi per rescriptum nostrum die 14. Junii 1709. attributæ Decretum edidit tenoris, qui sequitur: Nos Nicolaus Divina miseratione Episcopus Portuensis S. R. E. Card. Acciajolus apud S. Sedem Ordinis Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum Protector.

[margin: Decretum præd. quo statuta fuit inter ambas Custodias æqualitas jam antea in Capitulo Provinciali 1708. hic Generali ad tollendas dissensiones approbata, & executioni mandata.]

§. 1. Cum per Provincialem, & Custodes Provinciæ Turonensis Ordinis Capuccinorum in Capitulo Generali existentes SS. D. Nostro Clementi XI. fuerit expositum, quod ad pacem, tranquillitatemque communem totius dictæ Provinciæ plurimum conferre possit conservandam, si ipsa Provincia, quæ ex duabus est composita Custodiis, nempe Aurelianensi, & Pictaviensi assignato utrique Custodiæ æquali Conventuum, ac etiam pari Superiorum, & Guardianorum, numero, duo Diffinitores ex una, & duo ex altera; Minister vero Provincialis alternatim modo ex una, modo ex altera Custodia eligeretur, qui totam Provinciam gubernaret, & ipsi Patres Turonenses in Capitulo eorum Provinciali celebrato die 18. Maii anni 1708. in Conventu Rupellensi hoc negotio per vota secreta Capitularium prius examinato sortiti fuerint ejusdem Capituli approbationem, & ratihabitionem, imo ad aliqualem praxim reduxerint, cumque Sanctissimus prædictum negotium examinandum demandaverit Diffinitorio Generali in Capitulo Generali congregato, quod, re discussa censuit (*si ita Sanctitati Suæ placuerit ad pacem, tranquillitatemque intentam posse valide conferre*) quibus omnibus per Procuratorem Ordinis eidem Sanctissimo repræsentatis, placuit Sanctitati Suæ sub die 14. Junii Nobis super tale negotium, preces expositas remittere, ut id statueremus pro nostro arbitrio, & prudentia, quod magis in Domino expedire censeremus. Idcirco Nos virtute facultatis, & auctoritatis a Sanctitate Sua Nobis in hac parte specialiter attributæ dicimus, & declaramus, primo non licuisse Capitularibus in Conventu Rupellensi congregatis ad praxim reducere propositam in tali Capitulo tam Conventuum, quam Superiorum Guardianorum designationem duorum Diffinitorum ex una, & duorum ex altera, & Ministri Provincialis modo ex una, modo ex altera Custodia restrictam electionem, & alia hujusmodi, quæ etsi bona fide (ut credere juvat) potuerunt irrepsisse, ne tamen ex infecta radice unquam possint in suspicionem infectionis venire, & dici cæteræ electiones, & provisiones in dicto Capitulo factæ. Nos eadem auctoritate supra nobis attributa, quatenus opus sit omnia sanamus, & sanata declaramus, abolito tamen prius omni Decreto quomodolibet per Patres Turonenses edito libertati electionum Canonicarum contrario, & eadem auctoritate, qua supra concedimus præfatæ Provinciæ Turonensi, ut in Capitulis Provincialibus in posterum celebrandis propositam tam Conventuum, quam Guardianorum designationem duorum Diffinitorum ex una, & duorum Ex-Diffinitorum ex altera, necnon Ministri Provincialis alternatim modo ex una, & modo ex altera Custodia electionem ad praxim reducere tanquam paci, & tranquillitati communis totius Provinciæ plurimum profuturam possint, & valeant, ita dicimus, declaramus, decernimus hoc, & omni &c. Datum Romæ in nostro Palatio die 10. Julii 1709.-- Nicolaus Episcopus Portuensis Cardin. Acciajolus Protector -- Ita est Card. Acciajolus Protector.

[margin: Preces Patris Timothei de la Fleche.]

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Timotheus Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Timothei votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt, & sententiam ejusdem Nicolai Episcopi Cardinalis, & Protectoris attenderunt, consilio, præinsertum ejus Decretum, omniaque, & singula in eo contenta auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

[margin: Confirmatio relati Decreti.]

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Sept. MDCCXII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CXVIII. Conceduntur Privilegia Capellanis *Communibus* Sanctitatis Suæ.

Similia Privilegia concessa fuere ab Inn. XII. Const. ed. 1693. Dec. 4. P. 3. Et conceduntur ab Inn. XIII. Const. ed. 1721. Jun. 17. P. 1.

Dat. 7. Dec. 1712. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nomina Capellanorum, & merita.

Grata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joannes Alexander de Marinis Pisauren. Diœcesis, Carolus Mariani Romanus, & Augustinus Colangeli Spoletan. Diœcesis Presbyteri moderni Capellæ nostræ Pontificiæ Capellani familiares nostri nobis, & Apostolicæ Sedis hactenus impenderunt, & adhuc solicitis studiis impendere non desistunt; necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est, quod nos volentes (*Reliqua vide Inn. XI. Const. ed.* 1680. *Aug.* 2. *P.* 1.)

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Decemb. MDCCXII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXIX. Declaratur, & decernitur pertinere ad Congregationem Clericorum Regularium Minorum Cathedra in Archigymnasio Romano, & Officium Consultoris in Congregatione Indicis.

Dat. 8. Apr. 1713. An. 13.

Reverendiss. Card. Camerlengo.

Ab Alex. VII. id concessum fuit, sed nullum monimentum editum.

Ci hanno fatto rappresentare li Chierici Regolari Minori, che la fel. mem. d'Alessandro VII. nostro Predecessore aggradendo la prontezza, con cui li consegnarono la celebre Libraria, che la chiara memoria di Francesco Maria della Rovere ultimo Duca di Urbino aveva lasciato loro per la Casa del Crocifisso d'Urbania, trasportata poi, ed a commodo, ed utilità publica collocata in questa Sapienza di Roma, li aggraziasse in perpetuo, non solo ivi d'una lettura perpetua, ma anche d'un luogo di Consultore nella nostra Congregazione dell' Indice de' Libri proibiti, e sebbene da esso Pontefice non ne fosse positivamente seguita la grazia per aver già cominciato ad infermarsi, tuttavia ne abbino sempre goduto l'effetto, e venga sufficientemente giustificata coll' attestato del fu Monsignor Marc' Antonio Bucatti, e di Gio. Matteo Hairone, mandati dallo stesso nostro Predecessore a prendere la detta Libraria; Onde gelosi, che col progresso del tempo non potesse perdersi la memoria di una grazia, che tanto qualifica la loro Religione, ci supplicavano, che volessimo assicurargliela con qualche atto positivo della nostra Apostolica autorità;

Causæ præsentis Declarationis, seu Chirographi, & preces Clericorum.

Noi dunque volendo secondare l'intenzione del sudetto Pontefice Alessandro espressamente riferita dalle sopranominate persone già defonte, e degne di tutta la fede, e comprovataci dalla sudetta osservanza giamai da quel tempo interrotta, specialmente perche sempre rilevi la Pontificia gratitudine verso la detta Religione, siamo ben volontieri condescesi com'appresso all'istanza;

Declaratio & Decretum præd.

E però col presente Chirografo, in cui abbiamo per espressa ogni, e qualunque cosa quantosivoglia necessaria d'esprimersi di nostra certa scienza, e con la pienezza della nostra potestà dichiariamo, e vogliamo, che alla sopradetta Religione de' Chierici Regolari Minori spetti, ed in ogni futuro tempo sia perpetuamente dovuto il luogo, e grado d'un Lettore nella Sapienza di Roma, come pure quello di Consultore nella nostra Congregazione dell' Indice, ed ordiniamo a Voi, che quante volte succederà la vacanza del detto Lettore, facciate sempre surrogare altro sogetto idoneo della stessa Religione da deputarsi, ed approvarsi da Noi; Così ancora al Reverendissimo Card. Prefetto *pro tempore* della detta Congregazione dell' Indice, che parimente riceva sempre un simile Religioso idoneo pure da deputarsi, ed approvarsi da Noi per Consultore d'essa Congregazione, facendogli godere ogni dritto, ed onorificenza, che per tali cariche respettivamente se gli dovesse, senza che possa da chi sia pretendersi alcuna cosa in contrario per essere così mente, e volontà precisamente uniforme a quella del sudetto nostro Prædecessore Alessandro,

Clausulæ.

volendo, e decretando, che questo nostro Chirografo vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la nostra semplice sottoscrizione, ne possa in verun tempo opporsegli di surrezione, obrezione, nè alcun altro vizio, o difetto d'Apostolica volontà, ed intenzione, non ostanti in quello facesse di bisogno le Costituzioni, Ordinazioni, e Decreti sopra lo Studio della Sapienza, e respettivamente sopra l'erezione della detta Congregazione, la Regola della nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, ed ogn' altra cosa, che in qualunque modo potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendo il tenore di parola in parola inserto per questa sola volta, ed all' effetto premesso amplamente deroghiamo.

Dato dal nostro Palazzo Apostol. Vaticano questo dì 8. Aprile 1713.

Conceditur

CXX.

Conceditur Derogatio Constitutionum Clem. X. quoad alternativam regiminis Abbatiarum inter Abbates, & Monachos Congregationis Montis Oliveti.

Laudatæ Constitutiones editæ fuere 1671. Feb. 27. & Jun. 21. de forma eligendi Abbatem Gen. vide Const. ed. 1707. Jan. 28. P. 7. Et Bened. XIII. Const. ed. 1729. Dec. 6. P. 6. agitur de Abbatibus Titularibus.

Dat. 12. Apr. 1713. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Epitome prioris Constitutionis, qua concessa fuit facultas creandi 12. Abbates Titulares, juxta præscriptas conditiones.

Alias felic. record. Clemens Papa X. Prædecessor Noster supplicationibus tunc existentis Procuratoris Generalis Congregationis Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti nomine sibi de consilio, & assensu bo. mem. Cæsaris S. R. E. Cardinalis Facchenetti nuncupati, dum vixit, ejusdem Congregationis apud dictum Clementem Prædecessorem, & Sedem Apostolicam Protectoris super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc, & pro tempore existenti Abbati Generali memoratæ Congregationis, una cum diffinitorio ipsius Congregationis duodecim Abbates titulalares, nempe duos pro qualibet Provincia ejusdem Congregationis, qui tamen essent ætate quinquagenarii, & saltem viginti annorum spatio lecturam, aut Verbi Dei prædicationem, vel Vicarii, aut Magistri Novitiorum, aut Œconomica Officia exercendo, Congregationi prædictæ laudabiliter inserviviſſent, ita tamen, ut ejusmodi Abbates titulares, nec gubernium Monasteriorum, nec votum, sive suffragium in Capitulis generalibus, nec ullam aliam prærogativam, vel exemptionem, quæ Monasteriis onerosa esset, prætendere valerent, sed in Ecclesia saltem diebus festivis Missæ Conventuali, & Vesperis, ac diebus singulis mane Orationi mentali interesse tenerentur, auctoritate sua Apostolica creandi, ac in defunctorum pro tempore locum alios ex eadem Provincia usque ad complementum numeri duodenarii hujusmodi, & non ultra subrogandi plenam, & amplam facultatem tribuit, & impertitus fuit; Et quia nonnunquam accidebat, ut aliquis Abbas Regiminis dictæ Congregationis, vel proprii levamenti studio, vel alterius Monachi merito gratificandi ergo regimen, sive gubernium Monasterii sibi commissi alternis vicibus cum illo agere esset contentus, permisit memorato Abbati Generali una cum diffinitorio prædicto ejusmodi alternationes acceptare, & ad usum deducere, dummodo tamen Abbas ad id sponte consentiret, ac in Monacho concurrerent qualitates ad Abbatiam juxta præscriptum Constitutionum dictæ Congregationis necessariæ, & non aliter; Porro voluit, ut unus tantum eorum, nempe ille, qui Monasterium actu gubernaret, votum, sive suffragium in Capitulo Generali Congregationis prædictæ haberet, vacans autem a gubernio in alterius gubernantis Monasterio degeret, nec plus prætendere posset quam Monachus ordinarius præter titulum Abbatis, & uno illorum defuncto, alter solus remaneret Abbas regiminis quamdiu viveret, vel donec renunciaret; Et subinde porrectis sibi denuo pro parte dicti Procuratoris Generalis supplicationibus benigne annuens, quod illi Monachi, ad quorum favorem fierent renunciationes, sive alternationes hujusmodi quadraginta annis majores, nec Abbatum easdem alternationes facientium, in primo, vel secundo gradu consanguinei esse, sed in Monasteriis, in quibus saltem viginti Monachi residerent, Officiales fuisse deberent, nec ejusmodi renunciationes, sive alternationes ab illis Abbatibus qui essent actu Visitatores, neque in præjudicium Officialium actualium, aut eorum, qui fuissent Officiales Monasterii Montis Oliveti majoris dictæ Congregationis, cæteris paribus fieri possent, dicta auctoritate statuit, & ordinavit, & alias, prout in binis ejusdem Clementis Prædecessoris in forma Brevis die 27. Februarii, & die 21. Junii 1671. respective emanatis Literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Epitome posterioris Constitutionis, qua permisse fuere alternationes regiminis Abbatiarum inter Abbates & Monachos cum quibusdam conditionibus.

Causæ præsentis Constitutionis, & preces Abbatis Diffinitorii Gen.

§. 1. Cum autem, sicut dilecti Filii modernus Abbas Generalis, & diffinitores memoratæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, progressu temporis experientia compertum sit, numerum Abbatum alternationes hujusmodi facientium Monasteriis cum detrimento disciplinæ, & observantiæ Regularis valde onerosum existere, & propterea ipsi Exponentes, quo de cætero ejusmodi guberniorum alternationes prohibitæ, & interdictæ remaneant prædictis Clementis Prædecessoris Literis hac in parte, itaut in alia, quæ collationem Abbatiarum titularium benemeritis in eadem Congregatione faciendam concernit, in suo robore, & firmitate persistant, per nos derogari plurimum desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio præd. Derogationis.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti Filii nostri Joannis Baptistæ prædictæ S. R. E. Cardinalis Spinulæ Nuncupat. ejusdem Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta, petitam derogationem primodictarum Literarum hujusmodi in ea parte dumtaxat, quæ alternativam respicit, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in Literis prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique Locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXI.

Confirmatur Decretum Congregationis Epif., & Regul. de fuffragio concedendo Superioribus cujufcumque Conventus Min. de Obferv. in Provinciis Indiarum Occident. non obftante Conftitutione Pauli V.

Idem conceffum fuit Provinciis Florida, & de Buenos ayres, necnon S. Antonini, & S. Crucis FF. Prædicatorum Conftitutionibus editis 1707. Nov. 31. 1708. Jul. 20. & 1712. Jun. 10. Item quibufdam Provinciis FF. S. Aug. Conftitutione ed. 1713. Jun. 21. P. 13. Laudata Pauli Conft. ed. fuit 1611. Dec. 23. Et Conft. ed. 1717. Jan. 25. P. 17. agitur de Vifitatore pro Provincia Chilen.

Dat. 16. Junii 1713. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ne Superiores parvorum Cænobiorum fuffragium ferent in Capitulis Provincialibus obftabat Pauli V. Conftitutio.

NUper pro parte dilecti filii Andreæ de Quiles fratris expreffe profeffi Ordinis Minorum S. Francifci de Obfervantia nuncupatorum Procuratoris Generalis in Curia Matritenfi omnium Provinciarum Indiarum Occidentalium ejufdem Ordinis Congregationi Venerabilium Fratrum noftrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & confultationibus Epifcoporum, & Regularium præpofitæ expofito, quod cum a longiffimo tempore in pluribus Conventibus, & Domibus earumdem Provinciarum ob Indorum paupertatem exiguus Religioforum numerus fuftentatus fuiffet, dictique Religiofi inftructioni illorum populorum pro confervanda Fide Catholica fedulam operam navaffent, evenerat, prout de præfenti eveniebat, ut Religiofi hujufmodi in aliqua ex dictis Domibus tres, in altera duo, in alia vero unus tantum reperirentur, ac attento tam exiguo Religioforum numero Guardiani, & Superiores earumdem Domorum impediti fuerint qui vota, five fuffragia in eorum Capitulis Provincialibus abfque notorio fcandalo ferre potuerint, in vim quarumdam literarum fel. rec. Pauli PP. V. Prædeceſſoris noftri die 23. Decembris 1611. expeditarum, per quas ftatuebatur, ut Conventus prædicti fupprimi, eorum vero Religiofi ad alios Conventus commodiores transferri deberent, & alias, prout in prædictis literis, quarum tenorem præfentibus pro plene, & fufficienter expreffo, ac de verbo ad verbum inferto haberi volumus, uberius dicebatur contineri. Et in eadem expofitione fubjuncto, quod memorati Pauli Prædeceſſoris literæ executioni demandatæ minime reperiebantur, fed folum allegabantur ad fovendas diffentiones, prout Venerabilis Frater modernus Archiepifcopus Sanctæ Fidei in eifdem Indiis prædictæ Congregationi Cardinalium retulerat, proindeque ut inter memoratos Religiofos mutua animo tranquillitas ftabiliretur, eidem Congregationi Cardinalium fupplicato, ut circa præmiffa id quod alias ad favorem Provinciarum Floridæ, & de Buenos ayres Fratrum ejufdem Ordinis, necnon Sancti Antonini novi Regni Granatæ, & Sanctæ Crucis Ordinis Fratrum Prædicatorum in eifdem Indiis die 21. Novembris 1707., & die 20. Julii 1708. necnon die 10. Junii anni proxime præteriti refcriptum fuerat, nempe ut memoratis Pauli Prædeceſſoris literis minime obftantibus, etiam in reliquis fupradictis ejufdem Ordinis S. Francifci de Obfervantia Provinciis fervari decerneretur. Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui fequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiffimorum, & Reverendiffimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & confultationibus Epifcoporum, & Regularium præpofita, ad quam Sanctiffimus Dominus Nofter fupplicem hunc libellum remifit, audito P. Procuratore Generali Ordinis, referente Eminentiffimo de Abdua, cenfuit, ac decrevit fervandum folitum, enunciato Brevi S. M. Pauli V., & aliis quibufcumque non obftantibus. Romæ 16. Martii 1713. G. Cardinalis Carpineus. T. A. Nicænus Sec.

Caufæ præd. Decreti.

Decretum Congregationis.

Preces Procuratoris Provinciarum in Curia Madriten.

§. 1. Cum autem, ficut dictus Andreas Nobis fubinde exponi fecit, ipfe Decretum hujufmodi quo firmius fubfiftat, & fervetur exactius Apoftolicæ confirmationis noftræ patrocinio communiri plurimum defideret: Nos ipfius Andreæ votis hac in re quantum cum Domino poffumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, fupplicationibus ejus nomine Nobis fuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinfertum auctoritate Apoftolica tenore præfentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adjicimus; falva tamen femper in præmiffis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Claufulæ.

§. 2. Decernentes eafdem præfentes literas femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos fpectat, & pro tempore quandocumque fpectabit, in omnibus, & per omnia pleniffime fuffragari, & ab eis refpective inviolabiliter obfervari: ficque in præmiffis per quofcumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caufarum Palatii Apoftolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam, quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obftantibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, necnon quatenus opus fit Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ftatutis, & confuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis, illorum tenores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac ad verbum infertis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, ad præmifforum effectum hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcefis fub Annulo Pifc. die XVI. Jun. MDCCXIII. Pontificatus noftri Anno Decimotertio.

CXXII.

Confirmatur Decretum Congregationis Epif., & Reg. de concedendo fuffragio Superioribus cujufcumque Cœnobii Fratrum Eremitarum S. Auguftini in quibufdam Provinciis Indiarum Occident., non obftante Conftitutione Pauli V.

Simile Decretum pro Fratribus Minoribus de Obferv. vide Conftitutionem præcedentem. Conft. ed. 1708. Aug. 14. P. 8. extat Decretum contra alternativam in Provincia B. M. V. de Gratia. Et Conft. ed. 1720. Oct. 20. P. 20. augetur numerus Magiftrorum in Provincia Peruviana.

Dat. 21. Junii 1713. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ne Superioribus parvorum Cæno-

NUper pro parte dilecti filii Auguftini Garciæ de Galbes Fratris expreffe profeffi Ordinis

Eremita-

iorum præd. suffragium de more concedetur, vetatur Constitutio Pauli V.

Eremitarum S. Augustini in Sacra Theologia Magistri, ac Procuratoris Generalis Provinciarum B. Mariæ de Gratia nuncupat. novi Regni Granaten. Peruvii, & Mexican. ejusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet in aliquo earumdem Provinciarum Conventibus, seu Domibus valde exiguus, nempe duorum, trium, seu quatuor Religiosorum numerus aleretur, ac etiam in nonnullis Domibus hujusmodi unus tantum Religiosus nomine Prioris habitaverit, & inhabitaret, nihilominus iidem Conventus omnibus illis prærogativis, quibus cæteri Conventus majori, & sufficienti eorumdem Religiosorum numero referti frui solebant, fruebantur, & inter alia, ut eorum Priores, seu Vicarii pro legitimis Superioribus semper habiti, ac voto sive suffragio in Capitulis Provincialibus potiti fuerint ex eo quia prædictorum Religiosorum munus in instruendis in explicatione Catechismi Populis illarum partium, eisque ad gremium Fidei Catholicæ adducendis versabatur, eaque de causa satis longe se conferre cogebantur, nec eis ob tam considerabilem distantiam ad propriam Domum, nisi post plurium mensium, vel etiam alicujus anni spatium redire licebat. Porro hoc minime obstante vigore quarumdam literarum fel. rec. Pauli PP. V. Prædecessoris nostri die 23. Decembris 1591. in simili forma Brevis desuper expeditarum prætendebatur Conventus hujusmodi, qui octo Religiosorum numerum sustentare nequivissent, supprimi debere, si vero ad suppressionem hujusmodi devenire minime posset, Religiosi ad alios Conventus, seu ad alias Domos Regulares transferendi essent, itaut in partibus Indiarum non reperiretur Monasterium, aut Regularis Domus, in quo, seu qua minor numerus octo Monachorum, seu Fratrum Regularem vitam duceret, & alias, prout in supradictis Pauli Prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberius continetur. Et in eadem expositione subjuncto, quod prædictæ Pauli Prædecessoris literæ executioni nunquam demandatæ fuerant, si vero executioni hujusmodi demandandæ essent, diversæ inordinationes, non sine maximo scandalo exinde essent orituræ, prout Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus S. Fidei eidem Congregationi Cardinalium retulerat, eaque de causa memorati Pauli Prædecessoris literæ, quarum executio arbitrio Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in eisdem partibus existentium commissa fuerat, hucusque ab eis ob præmissa ejusmodi executioni demandatæ minime reperiebantur. Proindeque prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato ut circa præmissa nihil innovari, sed solitum in dictis Provinciis non obstantibus præfatis Pauli Prædecessoris literis quemadmodum per eamdem Congregationem Cardinalium Provinciæ Floridæ, & de Buenos agres Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. die 21. Novembris 1707., & die 21. Julii 1708. necnon die 10. Junii anni proxime præteriti Provinciæ S. Antonini novi Regni Granaten., & S. Crucis Ordinis Fratrum Prædicatorum in eisdem Indiis ad earum favorem rescribi obtinuerunt, servari deberet, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster supplicem hunc libellum remisit, audito Patre Procuratore Generali Ordinis referente Eminentissimo de Abdua censuit, ac decrevit, servandum solitum, non obstante enunciato Brevi S. M. Pauli V., & aliis quibuscumque. Romæ 16. Martii 1713. G. Cardinalis Carpineus. F. A. Nicænus Sec.

Causæ sequentis Decreti.

Decretum Congregationis.

Preces Procuratoris Provinciarum.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Augustinus Garzias Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ipsius Augustini Garziæ votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die XXI. Junii MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimo tertio.

CXXIII.

Mandatur Ordinariis quamplurium nationum, & Generalibus Religiosorum Ordinum, ut commendari curent Populis Christifideles Captivos.

Idem mandatum extat Constit. ed. 1709. Maji 25., P. 9. Inn. XIII. Const. ed. 1721. Nov. 21. P. 1. confirmantur literæ Urb. VIII. pro indigentiis locorum Terræ Sanctæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 16. Sept. 1713. An. 13.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ præsentis Constitutionis, & preces Procuratoris Gen. Ord. SS. Trinit. Red. Captiv.

CUM sicut dilectus filius Hieronymus Cavizzudo in Sacra Theologia Doctor Minister, & Superior Conventus Sanctæ Franciscæ Romanæ de Urbe, necnon Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Nobis nuper exponi fecit,

fecit, Christifideles multo numero sub dura Barbarorum servitute cum gemino corporis, & Animæ periculo detineantur, quia vero illorum redemptio pluribus abhinc annis tam propter bella, ac Regionum direptiones, quam propter Conventuum egestatem, & eleemosynarum diminutionem intermissa fuit, unde eorumdem Captivorum calamitates, & pericula in dies ingravescunt; dictus Hieronymus Procurator Generalis Christifidelium pietatem ad opus adeo pium excitari plurimum desideret:

§. 1. Nos ipsius Hieronymi Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Francisci Mariæ Casini Tituli S. Priscæ S. R. E. Cardinalis S. Priscæ nuncupat. dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Regnorum Castellæ, Bæticæ, Aragoniæ, Valentiæ, Principatus Catalauniæ, Insularum Majoricen., & Minoricæ, ac itidem Regnorum Sardiniæ, Legionis, & Navarræ, Franciæ, necnon Provinciarum Campaniæ, Picardiæ, Normandiæ, Ovitanæ, Provinciæ, Belgii, Italiæ, Portugalliæ, & Siciliæ, ac Civitatum Neapolitan., Januen., Taurinen., & Alexandrin. Provinciæ Mediolanen. respective Ordinariis, necnon dilectis filiis Superioribus Generalibus quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium harum serie, auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet, & Quadragesimæ temporibus in suis respective Ecclesiis, tam per verbi Dei Prædicatores in Sacris Concionibus, quam aliis actionibus, & functionibus publicis prædictorum Christifidelium Captivorum miserias, & calamitates Populo proponi, & commendari curent, & faciant, ut eorum exhortationibus stimulentur Christifideles ad eleemosynas largiter conferendas, quibus Redemptores dicti Ordinis eosdem Captivos a dicta servitute hujusmodi redimere, ac illorum spirituali consolationi, corporalique saluti Domino benedicente valeant providere, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. *Mandatum præd.*

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Clausulæ.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Septembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXIV.

Conceditur Congregationi Monachorum Vallis-Umbrosæ communicatio privilegiorum quorumdam Ordinum, & Congregationum.

Privilegia Congregat. Cassinensis concessa fuere a Jul. II. Et quædam alia a Clem. X. Const. ed. 1671. Oct. 2. P. 2.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 28. Sept. 1713. An. 13.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est; salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, Religiosos viros sub suavi Christi jugo vota sua reddere, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentes ut eo alacrius pietatis exercitiis incumbant, favoribus, & gratiis libenter prosequimur opportunis. *Exordium.*

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Columbinus Bassi Abbas Generalis Monachorum Congregationis Vallis-Umbrosæ Ordinis S. Benedicti, quod alias postquam Monasteria dictæ Congregationis an. 1484. insimul unita, & in Congregationem a fel. rec. Innocentio PP. VIII. Prædecessore nostro auctoritate Apostolica erecta fuerant, piæ mem. Jul. PP. II. pariter Prædecessor noster eidem Congregationi omnia, & singula privilegia, & Indulta Congregationi Cassinen. alias S. Justinæ de Padua dicti Ordinis a Sede Apostolica concessa communicavit; Deinde vero similis me. Pius PP. V. etiam Prædecessor noster per quasdam Literas Apostolicas anno 1567. desuper expeditas privilegia Ordinum Regularium Mendicantium ad undecim Congregationes extendendo, etiam primodictam Congregationem inter alias enumeravit, sed successive prædictis Pii Prædecessoris literis a rec. mem. Gregor. PP. XIII. itidem Prædecessore nostro revocatis, Congregationes Monasticæ fere omnes cum pro obtinenda privilegiorum Ordinum Regularium Mendicantium hujusmodi communicatio ad nonnullos Romanos Pontifices Prædecessores nostros recursum habuissent, vigore Indultorum specialium eis concessorum dictam, ac universalem eorumdem privilegiorum, ac gratiarum, quibus Ordines Regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes fruuntur, communicationem sibi concedi obtinuerunt. *Varia privilegia concessa d. Congregationi an. 1484. erectæ, & causæ præsentis Concessionis.*

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, eadem primodicta Congregatio Vallis-Umbrosæ hac universali communicatione de præsenti destituta reperiatur, ac proinde dictus Columbinus Abbas Generalis prædictæ suæ Congregationi omnia, & singula privilegia, gratias, & Indulta quæcumque a Sixto V., Clemen. VIII., Gregorio XVI., Paulo V., Gregor. XIV., Urbano VIII., ac Innocentio XII. Romanis Pontificibus, etiam Prædecessoribus nostris Congregationibus S. Hieronymo Hispaniæ Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, necnon Monachorum Camaldulensium, Cistercienfium, Cœlestinorum, & S. Mauri in Gallia, necnon Carthusien., & Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinibus respective concessa, ac quibus Congregationes, & Ordines prædicti quomodolibet utuntur, & gaudent, a nobis communicari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. *Preces Abbatis Gener. pro d. Communicatione privilegiorum singillatim expositorum.*

§. 3. Nos igitur Congregationem præfatam, quam peculiari paternæ charitatis affectu prosequimur, ipsumque Columbinum Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volen-

tes,

tes, & singulares Congregationis hujusmodi personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Caroli Augustini ejusdem S. R. Eccles. Cardinalis Fabroni nuncupat. prædictæ Congregationis Vallis-Umbrosæ apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta, memoratæ Congregationi Vallis-Umbrosæ, petitum Indultum, seu communicationem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus.

Conceffio præd. Communicationis.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Vallis-Umbrosæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXV.

Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Ecclesiis Fratrum Capuccinorum in Festis SS. Paschalis Baylon, & Jo. a Capistrano.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1689. Maji 19. P. 13. concessa fuit facultas applicandi quamdam Indulgentiam animabus Defunctorum. Et Bened. XIII. Const. ed. 1709. Mar. 12. P. 5. extat Beatificatio B. Fidelis.

Dat. 11. Oct. 1713. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum ubique existen. in Sanctorum Paschalis Baylon, & Joannis a Capistrano a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint; & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Conceffio præd. Indulgentiæ.

Clausulæ.

§. 1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Octobris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXVI.

Decernitur, servandum esse solitum super suffragio ferendo a Superioribus cujuscumque Cœnobii Fratrum Ordinis Prædicatorum in Provinciis Indiarum Occiden., non obstante Constitutione Pauli V.

Laudata Pauli V. Const. ed. fuit 1611. Decem. 23. Idem concessum fuit Provinciis S. Antonii, & S. Crucis ab hoc Pontifice Const. ed. 1712. Jul. 2. P. 12. necnon Eremitis S. Augustini Const. edit. 1713. Jun. 21. P. 13. Et Innoc. XIII. Constitut. ed. 1722. Apr. 24. P. 1. conceduntur Provinciæ Mexicanæ octo gradus Magisterii.

Dat. 11. Oct. 1713. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALias pro parte Provinciarum S. Antonii novi Regni Granatensis, & Sanctæ Crucis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Indiis Occidentalibus Nobis exposito, quod licet praxis inconcussa inolevisset, Priores, seu Vicarios illorum Conventuum, seu Domorum, tametsi sufficientem Religiosorum numerum minime alerent, itaut in nonnullis ex eisdem Conventibus quatuor Religiosi, ac etiam unus uti Prior, seu Vicarius permanserit ad Provincialia Capitula cum Voto, & loco in Superioris Provincialis electione juxta etiam approbationem fel. rec. Clementis VII., Pauli III., Gregor. XIII., & Alexandri etiam VII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum semper accessisse, nihilominus nonnullis abhinc annis ab aliquibus factionariis scandalose prætensum fuerat, Provincialium, seu Vicariorum electiones cum Voto, & suffragio eorumdem Priorum, seu Vicariorum sic celebratas nullas, & irritas fuisse, & quidem vigore quarumdam piæ mem. Pauli PP. V. pariter Prædecessoris nostri desuper in simili forma Brevis die 23. Decembris 1611. expeditarum literarum, quibus præscribitur, quod dicti Conventus, seu Domus numerum saltem octo Religiosorum alere non valentes perpetuo supprimi, aut fratres in tam exiguo numero inibi viventes, ad alios Conventus, ubi regularis vigeret observantia transferri deberent. Et in eadem expositione subjuncto, quod ejusdem Pauli V. Prædecessoris Literas hujusmodi per Episcopos,

Idem antea definitum fuerat a Congregatione pro Provinciis S. Antonii, & S. Crucis.

& Archiepiscopos earumdem Indiarum quorum arbitrio illarum executio remissa fuerat, executioni unquam demandatas fuisse non constabat; Imo Vener. Frater Archiepiscopus Sanctæ Fidei infrascriptæ Cardinalium Congregationi per peculiares literas ipsi directas retulerat, impossibile prorsus fore ad earum executionem devenire; Ideoque earumdem Provinciarum nomine nobis supplicato, ut in dictis Provinciis tam circa permanentiam memoratorum Conventuum, quam accessus, ac suffragia danda ab illorum Prioribus, & Vicariis in ejusmodi Capitulis Provincialibus non obstantibus prædictis Pauli V. Prædecessoris literis. Solitum servari mandaremus. Nos controversiam hujusmodi ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum examinandam remisimus; Ipsa vero Congregatio per suum Decretum die 10. Junii anni proxime præteriti emanatum rescripsit, quod solitum servaretur, prædictis Pauli V. Prædecessoris literis, & aliis quibuscumque non obstantibus.

Causa sequentis Decreti, & preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit ne eædem prætensiones, & scandala in omnibus aliis dictarum Indiarum Occidentalium Provinciis prædicti Ordinis vigeant, seu irrepant, ac proinde in illis, id quoque quod pro prædictis Provinciis Sancti Antonini, & Sanctæ Crucis Decretum fuit, servari plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasiones, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de supradictæ Congregationis Cardinalium consilio, ut de cætero in reliquis earumdem Indiarum Occidentalium Provinciis ejusdem Ordinis, prædictis Pauli V. Prædecessoris literis, & aliis quibuscumque minime obstantibus, servetur solitum auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Decretum præd. pro aliis Provinciis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XI. Octob. MDCCXIII. Pontificat. nostri anno Decimotertio.

CXXVII.

Conceduntur Indulg. perp. Clericis, seu Presbyteris, qui interfuerint Collationibus fieri solitis in Ædibus Congregationis Missionis in Monte Citatorio Urbis.

Const. ed. 1701. Nov. 5. P. 1. extant aliæ Indulgentiæ, & Bened. XIII. Const. ed. 1729. Aug. 13. P. 6. Beatificatio Servi Dei Vincentii a Paulo.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 27. Oct. 1713. An. 13.

Ad perpetuam rei memoriam.

Collationes fieri solent singulis tertiis feriis.

Cum, sicut accepimus, in Domo Presbyterorum Sæcularium Congregationis Missionis nuncupat. in Monte Citatorio de Urbe, juxta laudabile ejus institutum singulis tertiis feriis cujuslibet hebdomadæ collatio, sive Colloquia ad perfectionem spiritus conducentia haberi consueverint. Nos eorum devotionem, qui operi adeo pio, & salubri vacaverint cælestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis excitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Clericis, sive Presbyteris in dicta Collatione tam descriptis, quam pro tempore describendis, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam: Præterea eisdem præsentibus, & futuris Clericis, seu Presbyteris, vere similiter pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam dictæ Domus feria tertia majoris hebdomadæ, qua propositum imitandi Salvatorem nostrum innovare solet, a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Clericis, seu Presbyteris nunc, & pro tempore existentibus, qui in reliquis tertiis feriis totius anni ejusmodi Collationi, & Colloquiis interfuerint, & oraverint, ut præfertur centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentia plen. in mortis articulo.

Item alia in feria 3. majoris hebdomadæ.

Necnon 100. dies in reliquis tertiis feriis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Octobris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXVIII.

Prohibetur, ne Clerici Congregationis Doctrinæ Christianæ in Galliis sine Generalis, & Diffinitorii facultate Beneficia accipiant, nec unquam in Domos mulieres introducant.

Hoc secundum prohibitum fuerat ab Alexan. VII. Const. ed. 1696. Maji 16. P. 5. præcepta fuit executio vitæ communis. Et Const. ed. 1699. Jun. 22. P. 8. agitur de voto, ac juramento. Item hujus Pontificis Const. ed. 1716. Sep. 28. P. 16. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Junii, P. 4. eduntur quædam ordinationes pro bono regimine.

[Dat.] 28. Oct. [17]13. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Procuratoris ... jussu ... Capituli ... Pontifi[ci] oblatæ pro remedio adhibendo duobus abusibus.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Fallot Procurator Generalis Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia quod alias in ultimo Capitulo Generali dictæ Congregationis in Civitate Parisien. celebrato unanimi consensu deliberatum fuit, Nobis supplicandum esse, quatenus aliquod remedium nonnullis abusibus in eadem Congregatione in magnum ejus detrimentum vertentibus adferre dignaremur. Primo quidem quod quamvis ex dictæ Congregationis Constitutionibus cautum reperiatur, ne quis Beneficium quodcumque Ecclesiasticum absque Generalis, ejusque Diffinitorii consensu accipere audeat, accidit tamen sæpissime, ut nonnulli in eadem Congregatione professi ejusmodi Beneficia Ecclesiastica, licentia, & consensu prædictis minime obtentis, sibi conferri procurent, vel oblata recipiant, quod revera absque paupertatis, & obedientiæ ab ipsis emissorum votorum infractione nullo modo fieri potest. Secundo ut novum, majusque robur adjiciatur cuidam Decreto a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro die 8. Decembris 1660. emanato, per quod sub pœna excommunicationis ipso facto incurren. prohibetur, ne quis ejusdem Congregationis intra illius Domos, seu Collegia mulieres introducere audeat. Nobis propterea dictus Joannes Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem venerabilis Fratris Cornelii Archiepiscopi Carthaginen. apud Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum nostri, & Apostolicæ Sedis Nuntii super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam, perpenderunt consilio, ne de cætero quisquam dictæ Congregationis quodcumque beneficium Ecclesiasticum absque moderni, & pro tempore existentis Præpositi Generalis ejusdem Congregationis cum suo Diffinitorio in scriptis obtenta licentia sub nullitatis collationis, seu provisionis hujusmodi beneficii accipere, nec intra Domos, & Collegia prædictæ Congregationis mulieres sub excommunicationis pœnis ipso facto incurren. introducere audeat, seu præsumat, authoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Prohibitio prædicta juxta Constitutiones Ordinis, & Apostolicas.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Octobris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXIX.

Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Ecclesiis Fratrum Min. de Observ. in festo S. Catharinæ Bononien.

Ab hoc Pontifice Sanctarum albo adscripta fuit. Aliæ Indulgentiæ extant Const. ed. 1701. Jan. 14. P. 1. Et Bened. XIII. Const. ed. 1726. 5. Nonas Mar. P. 2.

Dat. 15. Nov. 1713. An. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

REdemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit exemplorum sectatores, altis decoravit honoribus, & cælestis Beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos Cæli Incolas Fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causæ præsentis concessionis.

§. 1. Cum itaque nos alias ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe nostra tunc existentium consilio, Beatam Catharinam a Bononia Ordinis Sanctæ Claræ auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctam esse decreverimus, & diffiniverimus, illamque Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripserimus. Hinc est, quod Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cælestis Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia,

& Beato-

Concessio præd. Indulgentiæ die 9. Martii.

& Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem Sanctæ Catharinæ, nempe die nona Martii, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Novembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXX.

Reformatur Constitutio Pauli III. super facultate Confessariorum Hospitalis Sanctæ Mariæ de Consolatione cum illius extensione ad Confessarios aliorum Hospitalium de Urbe.

Laudata Constitutio ed fuit. 1544. Jun. 13. Innocent. XII. Const. ed. 1694., Aug. 18. P. 3. concessa fuit Indulgentia plen. pro Archihospitali S. Spiritus in Saxia. Hujus Pontificis Const. ed 1711. Maji 13. P. 11. interdicta fuit etiam Pœnitentiariis facultas absolvendi a casibus S. Sedi reservatis. Et Bened. XIII. Constit. ed. 1726 Decem. 6. P. 3. erigit Hospitale B. Gallicani, eique Privilegia conceduntur.

Dat. 12. Jan. 1714. An. 14.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Epitome Constitutionis Pauli III. qua concessa fuit Confessariis a Custodibus deputatis facultas absolvendi a censuris, & peccatis S. Sedi reservatis commutandi Vota, & impetrandi Indulgentiam plenariam in articulo mortis

Alias pro parte tunc existentium Custodum Confraternitatis Hospitalis Beatæ Mariæ de Gratia, Consolatione, & Porticu nuncupat. de Urbe fel. rec. Paulo Papæ III. Prædecessori Nostro exposito, quod in dicto Hospitali, quod ex eleemosynis Christifidelium gubernabatur, quamplures pauperes infirmi utriusque sexus diversarum nationum pro sanitate recuperanda venientes, in dies recipiebantur, qui ex Statuto, vel consuetudine ipsius Hospitalis antequam ad cubicula accederent, eorum peccata Confessoribus ad hoc per Custodes deputatis confiteri tenebantur, & in eadem expositione subjuncto, quod licet verisimiliter credendum esset quod in erectione dicti Hospitalis, aut postmodum, vel alias a Sede Apostolica concessum fuisset, quod infirmi ad Hospitale hujusmodi accedentes ab omnibus, & singulis eorum peccatis etiam Sedi Apostolicæ reservatis absolvi possent; nihilominus, quia de hujusmodi concessione non constabat pro parte prædictorum Custodum, & Confratrum eidem Paulo Prædecessori humiliter supplicato, quatenus eorum, & ipsorum infirmorum conscientiarum tranquillitati opportune consulere, & alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur: Idem Paulus Prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus Presbytero, & Presbyteris per Custodes dicti Hospitalis pro tempore existentes deputatis, & ab illis deputandis, etiamsi Presbyteri Sæculares, vel cujusvis Ordinis, & Mendicantium Regulares fuissent, omnium, & singulorum utriusque sexus Christifidelium personarum tunc & pro tempore ad dictum Hospitale pro sanitate recuperanda confluentium cujuscumque qualitatis, etiamsi divites, & etiamsi Clerici Regulares, vel cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium Regulares fuissent, confessiones quotiescumque confiteri voluissent, audiendi, & illis auditis eos ab omnibus, & singulis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis quomodolibet latis, & votorum quorumcumque, Juramentorum, & Ecclesiæ mandatorum transgressionibus, jejuniorum, pœnitentiarum injunctarum, ac divinorum Officiorum omissionibus, manuum violentarum in quasvis personas injectionibus, ac perjuriorum, & homicidii mentalis, vel casualis, necnon adulterii, incestus, stupri, fornicationis, sacrilegii reatibus, omnibusque aliis, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiamsi Sedi Apostolicæ reservatis, de quibus corde contriti, & ore confessi fuissent, etiamsi talia fuissent, propter quæ merito Sedes Apostolica esset consulenda, absolvendi, & pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, necnon vota quæcumque (ultra marino, visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis Votis dumtaxat exceptis), in alia pietatis opera commutandi, juramenta quæcumque relaxandi, ipsisque infirmis Ecclesiastica Sacramenta, prout eatenus fecerant, ministrandi, ac eis in articulo mortis plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, etiamsi mors non subsequeretur, & quoties mors immineret, vel in dicto mortis articulo constituti viderentur, impendendi, licentiam, & facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica concessit, & elargitus fuit, & alias prout in prædictis Pauli Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 13. Jun. 1544. expeditis Literis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Pro-Secretarii Visitationis Ap. pro facultatis extensione ad alia Hospitalia Urbis.

§. 1. Cum autem, sicut Venerabilis Frater Fabritius Episcopus Lycien. Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum piorum Almæ Urbis nostræ, auctoritate Apostolica institutæ deputatorum Pro-Secretarius, Nobis nuper exponi fecit, ipse facultates a memorato Paulo Prædecessore per Literas supradictas Confessariis dicti Hospitalis concessas, ut præfertur, etiam ad aliorum ejusdem Urbis Hospitalium Confessarios per Nos extendi plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Fabritii Episcopi, & Pro-Secretarii votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas

Pauli

Reformatio facultatis pro foro conscientiæ tantum quibusdam casibus exceptis ejusque extensio ad Confessarios aliorum Hospitalium Urbis.

Pauli prædecessoris Literas quo ad dictum Hospitale Consolationis, sicut præmittitur, emanatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium reformamus, & declaramus, itaut facultas in eis concessa intelligatur pro foro conscientiæ tantum, exceptis casibus in Bulla Cœnæ Domini, necnon publicæ violationis clausuræ Monialium ad malum finem, Presbytericidii publici, ac casus publici violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ, imo etiam occulti in terminis Constitutionis piæ mem. Greg. Papæ XIV. pariter Prædecessoris nostri, quæ incipit - *Cum alias nonnulli &c.*, etiamsi ejusmodi violatio auctoritate publica secuta fuerit, ac citra ullam facultatem dispensandi super irregularitate; Indultum vero hujusmodi sic reformatum, & declaratum etiam aliis prædictæ Urbis Hospitalibus harum serie concedimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes eas præsentes literas nullo unquam tempore revocari, suspendi, vel limitari, aut eis derogari posse, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & censeri, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXI.

Confirmatur electio, & Coronatio Caroli VI. in Regem Romanorum futurum Imperatorem.

Const. ed. 1711. Dec. 18. P. 12. extat declaratio quædam super confirmatione hujus Electionis: Et Const. ed. 1714. Mar. 10. P. 14. agitur de precibus Primariis ejusdem Regis.

Dat. 26. Febr. 1714. An. 14.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Chariss. in Christo filio nostro Carolo Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

ROmani Pontificis, qui Regis Regum, Domini Dominantium, & per quem Reges regnant, ac Legum conditores justa decernunt in B. Petri Sede vices gerit in terris muneris esse dignoscitur, quæ ad communem utilitatem, salutem, & præsidium, & ad Sacri Romani Imperii statum pertinent Judicii, & auctoritatis suæ robore communire.

Refertur Electio prædicta 1711. Oct. 12. & Coronatio die 22. Dec. facta.

§. 1. Quapropter cum clar. memor. Josepho Romanorum Rege in Imperatorem electo fratre tuo germano rebus humanis exempto, seu alias certo, quem præsentibus pro expresso haberi volumus, modo Romanum vacaret Imperium, ejusdem Imperii Principes Electores a Venerabile Fratre nostro Lothario Francisco Archiepiscopo Moguntino pro munere suo in Civitatem Francofurti ad Mœnum, ad certam diem vocati in eadem Civitate convenientes, ut Romanorum Regem futurum Imperatorem eligerent, qui præcelsis, Regiisque virtutibus Rempublicam tueretur, iidem Principes die 12. Mensis Octobris anni Domini millesimi septingentesimi undecimi, Te, qui Hungariæ, & Bohemiæ Rex eras, unanimi consensu, divina favente clementia, in Romanorum Regem futurum Imperatorem elegerunt, Tuque electionem hujusmodi, oblato tibi de more Decreto, qua decuit modestia, consensisti, ac deinde nempe die 22. Mensis Decembris ejusdem anni in dictæ Civitatis collegiata Ecclesia S. Bartholomæi, post Missarum solemnia a prædicto Lothario Francisco Archiepiscopo celebrata per Te in manibus ejusdem Lotharii Francisci Archiepiscopi præstito more Catholicorum Regum Romanorum Prædecessorum tuorum Juramento, aliisque solemnitatibus rite peractis, dicti Lotharii Francisci Archiepiscopi ministerio, ritu, & pompa solita coronatus fuisti; Quoniam vero electionis, coronationisque negotiis hujusmodi per dilectum filium nobilem virum Herculem, Josephum Ludovicum Turinetti Marchionem de Prié oratorem tuum specialem coram Nobis proponi fecisti, petens omnia præmissa per nos Apostolica auctoritate cæremoniis servari solitis confirmari: Nos de præmissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, & re cum Venerab. Fratribus nostris S. R. Ecclesiæ Cardinalibus diligenter perpensa, & mature considerata magna animi nostri cum spirituali lætitia ex eadem electione suscepta ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, gloriosissimæque ejus Genitricis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ac Sacri Imperii exaltationem, & honorem electionem de persona Majestatis tuæ in Regem Romanorum futurum Imperatorem, & coronationem in dicta Civitate Francofurti factas ob præstantissimas animi, & corporis tui dotes, luculentissimaque earum indicia, ac testimonia, & certissimam spem, quam de te in Sanctæ Fidei, & Religionis Catholicæ, ac nostra, & Romanæ Ecclesiæ, illiusque rerum, & bonorum defensione, propagatione, & protectione conceptam habemus, de eorumdem Fratrum consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Petitio Caroli VI. pro Confirmatione.

Cautiones a Pontifice adhibitæ, & causæ confirmationis.

Confirmatio Electionis, & Coronationis.

Clausulæ particulares cum decreto pro suscipienda Imperiali dignitate.

§. 2. Ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales qui seu ratione formæ, vel loci coronationis ejusdem, seu ratione personarum eorumdem Electorum tam scilicet eorum, qui absfuerunt, ac suum suffragium minime tulerunt, quam aliorum qui ad suffragium ferendum, licet quovis legitimo jure eligendi destituti essent, admissi fuerint, sive etiam ex eo, quod idem Josephus Electus Imperator de manu Romani Pontificis, auream Coronam non susceperit, imo, nec etiam suæ electionis confirmationem ab eodem Romano Pontifice obtinuerit, seu quavis alia ratione, vel causa in electione, & coronatione hujusmodi quovis modo intervenerunt, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, sanamus, & supplemus, teque sic electum, & confirmatum ad suscipien. Imperialis dignitatis culmen suis loco, & tempore dignum, & idoneum, etiam decernimus, & declaramus.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis legibus Imperialibus, ac privilegiis Electoribus ipsis, & quibusvis aliis forsan concessis, quibus etiamsi ad illorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma servanda esset, illorum omnium tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat auctoritate, scientia, pote-

state,

ſtate, & tenore præmiſſis ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, ſanationis, ſuppletionis, Decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimoquarto, Quarto Kalen. Martii, Pontificatus Noſtri Anno Decimoquarto.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



†
† *Ego N. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Acciajolus.*
†
†
† *Ego F. Epiſcopus Præneſtinus Card. Spada.*
† *Ego G. Tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyterorum Card. Mariſcottus.*
† *Ego F. Tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Aſtallius.*
† *Ego B. Tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Panciaticus.*
† *Ego F. Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Card. de Abdua.*
†
†
†
†
† *Ego Fr. T. M. Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Ferrari.*
† *Ego Joſeph Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presb. Card. Sacripantes.*
† *Ego J. B. Tit. S. Cæſarei Presbyt. Card. Spinula S. R. E. Camerarius.*
†
† *Ego Fr. Tit. SS. Jo. & Pauli, Presbyt. Card. Paulutius Major Pœnitent.*
†
†
† *Ego F. Tit. S. Euſebii Presbyter Cardin. Martellus.*
†
†
†
† *Ego N. Phil. Tit. S. Honuphrii Presbyt. Cardinalis Spada, S. Honuphrii nuncupat.*
†
† *Ego J. Tit. S. M. Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.*
† *Ego J. D. Tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinal. Paraccianus.*
†
† *Ego C. A. Tit. S. Auguſtini Presbyter Card. Fabronus.*
† *Ego M. A. Tit. Sanctorum Quirici, & Julitæ Presb. Card. de Comitibus.*
†
† *Ego A. F. S. Petri in Monte Aureo Presbiter Card. Sanvitalis.*
† *Ego L. Tit. S. Silveſtri in Capite, Presbyt. Card. Picus.*
† *Ego L. Tit. S. Calixti Presbyter Cardinalis de Via.*
†
†
†
†
†
† *Ego P. M. Tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presb. Card. Corradinus.*
†
†
†
†
† *Ego A. Titul. S. Marcelli Presbyter Cardinal. Priolus.*
† *Ego S. B. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Ptolomeus.*
† *Ego F. F. M. Tit. S. Priſcæ Presbyter Card. Caſinus.*
†
† *Ego B. S. M. in Via Lata Diaconus Card. Pamphilius.*
† *Ego P. S. Laurent. in Damaſo Diac. Card. Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellar.*
† *Ego C. Sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Bichius.*
† *Ego J. R. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Imperialis.*
† *Ego Franciſcus S. Angeli Diaconus Card. Barberinus.*
† *Ego L. Nicolai Diaconus Card. de Alteriis.*
† *Ego C. S. Mariæ de Scala Diacon. Card. Columna.*
†
† *Ego N. S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card. Grimaldus.*
† *Ego Annibal S. Euſtachii Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego C. S. Mariæ in Dominica Diaconus Card. Origus.*
†

CXXXII. Conceditur Carolo VI. Romanorum Regi in Imperatorem electo, ut ad ejus Preces Primarias aliqua beneficia Eccleſiaſtica conferantur, cum Decreto pro executione ſimilium Precum Joſephi I.

Conſt. ed. 1711. Oct. 3. P. 11. nullæ declaratæ fuere Preces Primariæ Vicariorum Imperialium. Conſt. ed. 1714. Feb. 26. P. 14. confirmata fuit d. Regis Electio, & Inn. XIII. Conſt. ed. 1722. Jun. 9. P. 2. extat aſſertio juris Sanctæ Sedis in Regnum Siciliæ per Inveſtituram Carolo VI. factam.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum DEI.

Dat. 10. Mar. 1714. An. 14.

Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Regi Illuſtri in Imperatorem electo Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cauſæ præſentis Conſtitutionis.

CUM poſt factam de perſona tua per Sacri Romani Imperii Principes Electores in Regem Romanorum Electionem, ac per nos pro

Universæ Christianæ Reipublicæ salute confirmatam nuper nobis significaveris, Te summopere desiderare personas tibi gratas, & acceptas, gratia, & munificentia aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse, nos quemadmodum magnis merentur efferri laudibus insignibusque præconiis commendari sublimium Principum desideria, & vota, quæ in Divini nominis, & personarum illi Clericali Vinculo adscriptarum amore feruntur, & opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate, & devotione illibatæ Ecclesiæ Sponsæ nostræ te fidelem Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem, & Dominam tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & Sacri Romani Imperii decus, unctionem Victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio advenire tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis; Verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus Pugil, & Athleta Te adversus Schismaticorum, & Hæreticorum, Turcarum Tyranni, ac fidei, & Christi nominis hostis insanias, & futuros spiritualiter, & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea Tibi favorabiliter concedamus, quæ tuæ celsitudini cædant ad honorem, & per quæ eisdem benemeritis personis Te munificum reddere possis ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum. Hinc est quod tuæ celsitudinis supplicationi inclinati dicta auctoritate præsentium serie, eidem celsitudini tuæ concedimus, & indulgemus, quod si per Te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per Sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum, etiamsi qui, vel si quæ Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura Sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsæ Præbendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Præbendæ esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, & dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales majores aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorumdem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit primarias, iidem Collatores, & Collatrices salvo, quod singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores, & Collatrices saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant hujusmodi precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit juxta earumdem precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant, & etiam tueantur, ita quod celsitudo tua, unam, & eamdem personam supradictis Collatoribus, & Collatricibus simul, vel successive nominare possit; ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata de aliquo Beneficio provisa fuerit, ejus nominatio, quoad alios Collatores, vel Collatrices facta, ipso jure expiret, & quoad easdem preces Canonicatum, & Præbendam, ac dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una Ecclesia pro unico dumtaxat Beneficio computari debere declaramus; quodque quicumque, quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli, videlicet in illis, quos pro singulis personis prædictis precum, & nominationum hujusmodi, & ad hoc ut illæ sortiantur effectum, etiam præsentium executores deputaveris per te vel per alium, seu alios Beneficia prædicta cum in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per Constitutiones nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, & Indulta quæcumque quomodolibet concessis, & imposterum concedendis, aut aliis quibuscumque Mensibus vacaverint, & quæ personæ, pro quibus preces, & nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi preces, sive nominationes ad illa se extendant infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda, etiamsi ipsa Beneficia, dispositioni Apostolicæ alias quam per Constitutionem felic. recor. Benedicti Papæ XII. Prædecessoris nostri, quæ incipit -- *Ad regimen* -- generaliter reservata existant, & ex diversis personis vacaverint, & personæ nominatæ prædictæ tempore assecutionis Beneficii ad quod nominatæ fuerint, aliud Beneficium in eadem Ecclesia obtineant, ac secundum Statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi constiterint, vel Indulta Ecclesiis concessa capaces videlicet in ætate legitima constitutæ, aut de legitimo matrimonio procreatæ non sint, dummodo quoad hujusmodi qualitates alias cum eis canonice dispensatum, & Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda talia sint, quæ sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum Collatio non fuerit juxta Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, personis ipsis, etiam duo, vel tria, seu plura quarumcumque qualitatis, & cujuscumque annui valoris Ecclesiastica Beneficia obtinentibus, & expectantibus conferre, etiam assignare, necnon omnia, & singula, quæ ad hoc ut precum, seu nominationum, & acceptationum, ac Collationum hujusmodi succedunt effectus, opportuna fuerint facere, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam exequi possint, & valeant, super quibus ipsis plenam, & liberam auctoritate prædicta tenore præsentium potestatem concedimus, ac etiam facultatem, ac personis prædictis pro quibus hujusmodi primarias preces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipse expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibus Beneficiis pro eis factarum gratiis, & mandatis de providendo ipsis de eisdem, siquæ ipsis concessa fuerint una cum gratia precum, & nominationum primariarum earumdem uti possint, nec aliqua gratiarum hujusmodi consumpta, reliquæ earumdem cassæ censeantur, vel irritæ, indulgemus. Præterea cum sicut accepimus, ac ex authenticis ad Nos allatis documentis liquido constitit, etiam clar. mem. Josepho, dum vixit, Romanorum Regi in Imperatorem electo germano fratri tuo animus non defuerit, ad ea omnia explenda, quæ pro confirmatione electionis dudum de ejus persona in eundem Romanorum Regem futurum Imperatorem similiter factæ obtinenda tam juxta Sacrorum Canonum

Concessio præd. cum quibusdam restrictionibus, & exceptionibus.

Decretum præd. cum confirmatione Electionis Josephi I.

præscriptum, quam juxta veterem Apostolicæ Sedis morem, requirebantur, nisi immaturus illius obitus cuncta turbasset; adeoque per ipsum non steterit, quo minus ejus electio prædicta a Nobis confirmata fuerit; Idcirco memorati Josephi Regis electionem perinde acsi a Nobis rite, & recte ac servatis servandis cum suppletione, ac sanatione quorumcumque defectuum, aliisque omnibus opportunis, & necessariis clausulis, & decretis, approbata, & confirmata fuisset habere volentes, ac habendam esse decernentes: Ut etiam similes preces pro Beneficiorum hujusmodi cum primum illa vacassent, collatione, ab eodem Josepho Rege, dum viveret sub spe simile Indultum a nobis post suæ electionis confirmationem assequendi, expeditæ, quas Collatoribus, & Collatricibus prædictis hactenus exhiberi contigit, seu imposterum continget, suum integrum, ac plenum effectum sortiri, & obtinere debeant de speciali gratia, quæ nunquam transeat in exemplum similiter indulgemus: Servatis tamen restrictionibus, & exceptionibus supradictis, & citra illorum præjudicium, quos in possessione Beneficiorum sibi a nobis, sive a quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus prædictis collatorum, exclusis prorsus, ac nullatenus ad illam admissis iis, in quorum favorem preces, seu nominationes prædictæ pro Beneficiis hujusmodi a memorato Josepho Rege porrectæ, seu factæ fuerunt, reperiri contigerit; Quibus tamen, sicut præmittitur, exclusis Beneficia primo vacatura conferri debebunt.

Clausulæ particulares.

§. 1. Non obstantibus nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, & publicatione, & diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem ordinariorum Collatorum, necnon expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis prædictæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, & publicandis, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, statutis, & consuetudinibus, illis præsertim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam majore assequi valeat, nisi illam de minori gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus super provisione sibi facienda de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis speciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literæ, etiam nostro, vel eas concedentium proprio motu, aut cujusvis etiam quocumque respectu, & ad cujuscumque instantiam sint concessæ, vel concedantur in posterum seu si speciales de hujusmodi Beneficii per Nos, vel Sedem prædictam, aut quæcunque aliæ, aut quacumque etiam Ecclesiastica, vel mundana dignitate fungentibus per Sedem prædictam concessarum, vel concedendarum vigore reservationum, sive earumdem facultatum obtenta ad hujusmodi Beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factæ fuerint, quas quidem literas etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet processum fuerit, necnon reservationes, facultates, & nominationes cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, quæ præsentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut alias eisdem præsentibus quomodolibet obtentæ viderentur, sive ex certa scientia nostra, vel simili motu, sive alias sub quibusvis forma, & expressione verborum, & quæ fortassis totalis sui tenoris insertionem, ac illorum in quibus concessa sunt, vel fuerunt, nominum, & cognominum individualem expressionem præsentibus faciendam ad hoc ut illis per easdem præsentes sufficienter derogetur, exigunt, vel requirunt, & quæ ipsis præsentibus perinde acsi earum tenor de verbo ad verbum insertus foret pro expressis habeatur emanarunt, ac mandata de providendo inde secuta cum processibus per ea, quæ pro tempore habitis, nisi illi pro quibus emanaverint, ut præfertur, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium numero fuerint ad Beneficia, quæ precum, & nominationum primariarum vigore per personas pro quibus illæ factæ fuerint, ac acceptata, & de quibus eis provideri contigerit minime extendi, quinimo in illorum executione personas ipsas omnibus, & quibuscumque earum literarum, & expectativarum, & reservationum hujusmodi vigore, & cum quibusvis antelationum prærogativis, etiam illis, quas certis nostris familiaribus continuis commensalibus in Cancellaria Apostolica, ac aliis nostris literis ad effectum, & aliis in assecutione Beneficiorum conferendis nominatim descriptis concessimus, & cum similibus derogatoriis clausulis, quæ nulli quominus præsentium succedant effectus, suffragari debeat expectantibus, etiamsi illarum obtentum in quibusvis Ecclesiis in Canonicos recepti, ac de numero ipsorum familiarium continuorum commensalium antiquorum fuerint, necnon gratias in communi forma pauperum habentibus, ac Officialibus, & illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam nostris familiaribus continuis commensalibus antiquis, & descriptis, & in posterum describendis, dictis Cardinalibus dumtaxat exceptis, anteferri volumus, sed nullum per hoc expectantibus prædictis quoad assecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si dictis Collatoribus, vel Collatricibus, vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede Indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis, aut si personæ prædictæ præsentes non fuerint ad præstanda de observandis statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus hujusmodi Beneficia fuerint, ut præfertur solita juramenta, dummodo in absentia sua per Procuratores idoneos, & cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa præstent, necnon concordatis Nationis Germanicæ, ac eorumdem concordatorum confirmatione, ac prædictis, ac quibuscumque aliis quandocumque editis, & edendis Constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam & satisfactionem, seu observantiam, habentes preces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur, nec ipsæ preces, sub illis comprehendantur quoquomodo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratiis, expectativis specialibus, vel generalibus, etiam mensalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, &

temporalibus nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominatis, & aliis conferendi, commendandi, supprimendi, & extinguendi, aliisque citra accessus, & regressus de consensu, facultatibus, literis, mandatis, & indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, commendis, & aliis dispositionibus ex tunc, & gratiis quibusvis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, & quacumque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, praeminentia, nobilitate, & excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & familiaribus continuis commensalibus nostris, etiam descriptis, & antiquis, & in eorum, ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & principalium Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum quorumcumque cum cura, & sine cura saecularium, & quorumvis Ordinum Regularium, locorum piorum, Universitatum, Studiorum, & aliorum quorumcumque aut in nullius favorem, aut eorum, necnon jurium cessorum, vel oblatorum, aut spoliorum, damnorum, etiam per infideles illatorum, & obsequiorum Nobis, Romanaeque Ecclesiae, vel praedictae Sedi, aut pro Fide Catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, & urgentissimis, & insolitis, necnon exprimendis causis consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac Motu proprio, ac ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, & cum quibusvis antelationum praerogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, suspensionibus, ac gratiis, & restitutionibus, modificationibus, exceptionibus, & annullativis, irritativis, ac derogatoriarum derogatoriis, necnon praedictam, & alias quascumque concessas, & concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, necnon mentis, & intentionis, ac perpetuae, & incommutabilis voluntatis nostrae fuisse, & esse de non revocando, & suspendendo gratias easdem, & illis non derogantibus quomodolibet attestantibus, & in pristinum, & validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti, & initi contractus, ac perpetui Statuti, necnon gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, & ex nunc vere, & non ficte, etiam quoad possessionem praedictorum Beneficiorum, ac omnes juris, & facti defectus plenum esse sortitas effectum decernentibus, & declarantibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis per Nos, & Sedem praedictam, aut ejus legatos in genere, vel in specie, etiam nominatim de dictis Beneficiis, & alias quomodolibet emanatis, quibus etiamsi in illis, quod illae nonnisi certis modis, & formis inibi expressis, & nominatis, verbisque, & signis inibi appositis, & omni diversarum literarum Apostolicarum expeditione, & intimatione, etiam diversis temporibus faciend., ac de consensu eorum, quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, & quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, & sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur eligenda concessae, & factae sint, & esse censeantur, ac expediri possint, ac si non aliter per quoscumque judices, & personas, judicari debeat, caveatur expresse, illorum omnium tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos, & formas hujusmodi pro individuo servatis habentes ad effectum praesentium omnino derogamus, & in dictis Beneficiis cum, ut praefertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vindicare; necnon decernentes praesentes literas nullatenus de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, & sic per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Judices, & personas ubique judicari, cognosci, atque decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, & decidendi facultate; necnon irritum, & inane quidquid secus super praemissis omnibus, & singulis, vel eorum aliquo quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Praeterea quia difficile foret praesentes literas ad singula loca deferri, volumus, & dicta auctoritate nostra decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ubique adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Decimotertio, sexto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXIII.

Conceditur suffragium deliberativum Diffinitori Adjuncto Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia.

Idem suffragium concessum fuit Diffinitoribus Adjunctis Const. ed. 1708. Jul. 25. P. 8. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Jun.... P. 4. eduntur quaedam Ordinationes pro bono regimine.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 11. Junii 1714. An. 14.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Fallot Procurator Generalis Congregationis Clericorum Saecularium Doctrinae Christianae in Gallia, quod cum dilecti filii Capitulares ejusdem Congregationis in eorum Capitulo Generali Anno 1705. celebrato congregati Sess. 18. decrevissent, ut ad servandam inter Provincias Congregationis praedictae aequalitatem, Diffinitor Adjunctus, qui loco, & vice Procuratoris Generalis in Alma Urbe nostra, vel Procuratoris Provinciarum Congregationis hujusmodi Parisiis respective degentium, tam in Diffinitorio, quam in Capitulo Generali cum illis interesse nequeant, votum, sive suffragium haberet, in futurum eligeretur, Capitulares praedicti considerantes pro tempore existentem Procuratorem Generalem Congregationis praedictae ex Provincia Avenionen. semper assumi consuevisse, adeoque hanc Provinciam propter ejusdem Procuratoris absentiam una voce, & suffragio in Diffinitorio, ac etiam in Capitulo Generali, si ad illud se conferre minime valeret, privari posse, dilectum pariter filium Anselmum Espitallier Clericum Congregationis, & Provinciae Avenionen. praedictorum filium in Diffinitorem Adjunctum hujusmodi cum voce consultiva tantum, reservato quoad vocem deliberativam nostro, & hujus Sanctae Sedis beneplacito, ac sub conditionibus in Decreto ab iisdem Capitularibus desuper edito, elegerunt; Quod quidem Decre-

Id antea decretum fuerat in Capitulo Gen. 1705. approbatum a S. Congregatione, & confirmatum ab hoc Pontifice.

tum subinde ab infrascripta Congregatione Cardinalium approbatum, & per quasdam nostras desuper in simili forma Brevis expeditas literas confirmatum fuit.

Preces Procuratoris Generalis, & causa præsentis concessionis.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dilectus etiam filius Paulus Rigord Clericus ejusdem Congregationis in Capitulo Generali Anno 1711. Parisiis celebrato ad munus Diffinitoris adjuncti prædictum, seu Substituti dicti Procuratoris Generalis electus fuerit, ac proinde prædictus Joannes Procurator Generalis, ne unquam futuris temporibus de validitate electionis prædicti Pauli in Diffinitorem adjuncti, ac de Beneplacito hujusmodi, dubitari queat, illam Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio per Nos communiri, ac eidem Paulo, ejusque pro tempore successoribus ad idem munus asservandis vocem deliberativam, cum aliis prærogativis in prædicto Capituli Generalis Decreto contentis concedi plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut eidem Paulo in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio præd.

§. 2. Nos igitur ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac eorumdem Joannis Procuratoris Generalis, & Pauli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eidem Paulo, ejusque in dicto Diffinitoris Adjuncti officio pro tempore successoribus vocem deliberativam tam in Capitulo Generali, quam in Diffinitorio hujusmodi, cum omnibus Privilegiis, & conditionibus in memorato Decreto Capituli Generalis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXIV.

Conceditur Ministro Gener. Ordinis Fratrum Capuccinorum facultas restituendi Discretos in Provincia Flandro-Belgica.

Hujusmodi Discreti primo abrogati fuere in Regnis utriusque Castellæ Inn. XII. Const. ed. 1693. Martii 29. P. 2. Deinde in Provinciis Bæticæ, & Navarræ Const. ed. 1693. Sep. 12. Item in aliis Const. 1694. Apr. 5. P. 3. Ac demum in Provincia Flandro-Belgica hujus Pontificis Const. edita 1703. Aug. 28. P. 2. Bened. vero XIII. Constit. ed. 1727. Septem. 30. P. 4. restituuntur Discreti in Provinciis Hispaniarum.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 13. Julii 1714. An. 14.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur duæ Constitutiones Innoc. XII. pro abolitione dd. Discretorum, in variis Provinciis, & alia hujus Pontificis pro Provincia præd.

Dudum pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis exposito, quod cum alias ad tollenda damna, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ Veteris scilicet, & Novæ nuncupat. Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ex electione Discretorum, qui a Conventibus ad effectum sua suffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi consueverant, in Religiosæ pacis, & concordiæ, ac Regularis disciplinæ præjudicium passi fuerant fel. rec. Innoc. PP. XII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 29. Maji 1693. expeditas literas Discretos prædictos in dictis Provinciis sustulisset, & removisset, ac subinde inter alia remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi, expeditasque desuper Literas prædictas ad Provincias Bæticæ, & Navarræ per alias suas itidem in forma Brevis literas die 12. Septembris ejusdem anni desuper emanatas extendisset, & ampliasset; dilecti vero filii Fratres Provinciæ Flandro-Belgicæ supradicti Ordinis eadem damna, & incommoda ex simili Discretorum electione pati cogerentur, tam ipsi, quam prædictus Philippus Rex, commune hujus quoque Provinciæ bonum promovendi studio ductus, usum eligendi Discretos prædictos in eadem Provincia abrogari, & Apostolicæ desuper auctoritatis nostræ partes interponi plurimum desiderabant, Nos piis ipsius Philippi Regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attento Voto Venerabilis Fratris nostri Nicolai Episcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, ad quem supplicem Libellum nobis super præmissis porrectum remiseramus remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi in dicta Provincia Flandro-Belgica ad impediendas relaxationes, & evitanda præjudicia, quæ in Regularem observantiam ex illorum electionibus irrepere solebant, expedire, ac in Religionis, ejusque regiminis bonum cessuram esse censentes, Discretos prædictos in eadem Provincia auctoritate Apostolica sustulimus pariter, & removimus, & alias prout in nostris itidem in simili forma Brevis die 28. Augusti 1702. expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Ministri, Procuratoris, & Diffinitorum Gene-

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Michael Angelus a Ragusia Minister Generalis, Joannes Antonius a Florentia in Romana Curia Procurator, & Commissarius Generalis, Ti-

motheus a Flexia, & Timotheus a Rodenas Diffinitores Generales Ordinis prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ab eo tempore experientia compertum fuerit, non solum damna, & incommoda ex eorumdem Discretorum electione sublata minime fuisse, sed majora in gravius Religiosæ pacis, & concordiæ, necnon Regularis observantiæ præjudicium etiam cum scandalo, & Sæcularium admiratione emersisse, ac in dies emergere, ac proinde fratres prædictæ Provinciæ Flandro-Belgicæ eorum Discretorum electionem, pro qua pluries ne dum Superioribus Generalibus, & dicto Nicolao Episcopo Cardinali, & Protectori, ac Nobis præsertim in Comitiis Generalibus die 13. Maji anni 1712. in Alma Urbe nostra celebratis supplicaverant, restitui summopere desiderent. Nobis propterea prædicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attento etiam voto ejusdem Nicolai Episcopi Cardinalis, & Protectoris, prædicto Michaeli Angelo Ministro Generali, auditis prius, ac visitatis omnibus, & singulis ejusdem Provinciæ Flandro-Belgicæ Fratribus, ac re serio, prudenter, & diligenter examinata electionem Discretorum hujusmodi, si id Divinæ gloriæ, publicæ tranquillitati, ac regularis observantiæ incremento in Domino expedire judicaverit, restituendi facultatem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Concessio præd. Ministro Gen. facta sub certis conditionibus.

§. 3. Non obstantibus prædicti Innocentii Prædecessoris Literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Julii MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXV.

Conceduntur omnia privilegia Congregationum Ord. S. Benedicti Congregationi Monachorum Bohemiæ, illiusque membris in Moravia, & Silesia.

Inn. XII. Const. ed. 1699. Sep. 24. P. 9. Benedictinis in Austria concessæ fuere gratiæ spirituales Congregationis Cassinen. Eædem conceduntur Congregationi Augustanæ a Bened. XIII. Const. ed. 1725. Maji 4. P. 1. Et Congregationi in Bohemia Const. ed. 1728. Oct. 7. P. 5.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 6. Oct. 1714. An. 14.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes Religiosos viros sub suavi Monasticæ vitæ jugo vota sua reddere, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentes, ut eo alacrius pietatis exercitiis incumbant, favoribus, & gratiis libenter prosequimur opportunis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Otthmarus Abbas Monasterii Bizeunoviensis Ordinis S. Benedicti in Regno Bohemiæ Sedi Apostolicæ (ut asseritur) immediate subjecti, quod ipse, qui (ut asserit) inter alias prærogativas quibus ex privilegio Apostolico gaudet, caput, & Magister in correctione, & reformatione regularis disciplinæ super omnia claustra dicti Ordinis in prædicto Regno existentia, existit, tam sibi, ejusque successoribus, quam toti Congregationi, Monasteriis, & Locis prædicti Regni ejusdem Ordinis ejus correctioni, & reformationi subjectis, ut præfertur, necnon filiabus Præposituris, Prioratibus, seu Monasteriis eidem Monasterio Bizeunoviensi in eadem Bohemia, ac Kan-Gradensi in Moravia, & Waldstediensi in Silesia existentibus, aliisque prædictæ Congregationi in futurum uniendis, illorumque Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Monachis, & personis præsentibus, & futuris, omnes, & singulas gratias, tam spirituales, quam temporales variis Congregationibus, & Monasteriis concessas, omniaque, & singula alia privilegia, quibus Congregatio Cassinen. alias S. Justinæ de Padua, ejusque Præsidentes, Visitatores, Abbates Superiores, & Monachi, ac personæ quæcumque fruuntur, & gaudent, nullo prorsus excepto privilegio, etiamsi specialem requireret mentionem, firmisque remanentibus reliquis juribus, & privilegiis a prædicto capite Bizeunoviensis Monasterii in dicta Congregatione Bohemiæ, ejusque Monasteriis ab immemorabili tempore possessis a Nobis communicari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Abbatis Bizeunovien., qui est Caput Congregationis.

§. 2. Nos igitur Congregationem primodictam, quam peculiari paternæ charitatis affectu prosequimur, ipsumque Otthmarum Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium modernum Procuratorem Generalem dictæ Congregationis Cassinen. super præmissis audiverunt consilio memoratæ Congregationi Bohemiæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, ejusque Abbati Præsidenti, aliisque Abbatibus, Monasteriis, Monachis, cæterisque personis dictæ Congregationis, illiusque membris nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, indultis, aliisque gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus quibus potiuntur, & gaudent Congregationes Cassinen., & aliæ dicti Ordinis Sancti Benedicti potiri, & gaudere possint, sine præjudicio tamen aliorum privilegiorum eidem Congregationi Bohemiæ a Sede Apostolica, sicut præmittitur, alias concessorum, auctoritate Apostolica tenore præsentium juxta petita concedimus, & indulgemus; salva tamen semper in

Concessio præd. sine præjudicio propriorum Privilegiorum d. Congregationis.

præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quo tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Bohemiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXVI. Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Regul. de primatu inter Clericos, & Laicos, horumque titulo pro Provincia Bætica Ordinis Minor. de Observ.

De Primatu inter Fratres Discalc., & Eremitas S. Aug. Provinciæ Mexicanæ vide Const. ed. 1705. Dec. 12. P. 6. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Julii 5. P. 1. de primatu inter Laicos, & Clericos Reformatos, & 3. Ord. in Regno Siciliæ.

Dat. 6. Oct. 1714. An. 14.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti. EManavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in causa prætensæ consuetudinis præcedentiæ inter dilectos filios Clericos Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciæ Bæticæ ex una, & Fratres laicos ejusdem Provinciæ ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur videlicet -- In causa prætensæ consuetudinis Præcedentiæ vertente inter Fratres Clericos Ordinis de Observantia Provinciæ Andalutiæ ex una, & Fratres Laicos ejusdem Provinciæ ex altera de, & super infrascriptis Dubiis, nempe. 1. An Fratres Laici Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciæ Bæticæ tam Conventuum de Observantia, quam Recollectorum præcedere debeant Fratres Clericos non in Sacris constitutos, quamvis Choristæ sint receptione Juniores, & Laici sint receptione antiquiores. 2. An Fratres Laici denominari debeant Patres, & titulo Reverentiæ frui, prout denominantur, & fruuntur Sacerdotes ejusdem Ordinis, & Provinciæ, vel potius contenti esse debeant titulo charitatis, sicut Clerici, seu Choristæ ejusdem Ordinis. 3. An sit imponendum perpetuum silentium in casu &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita referente Eminentissimo Sanctæ Priscæ, Procuratore dumtaxat Fratrum Clericorum informante, ac altero Fratrum laicorum, licet pluries intimato, informare recusante, & dilationem petente ad suprascripta Dubia infrascriptum in modum respondendum censuit. Ad primum negative. Ad secundum negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam. Ad tertium affirmative, & amplius hujusmodi causam non proponi mandavit, prout præsentis Decreti vigore amplius non proponi mandat, & præcipit. Romæ 31. Augusti 1714. oblatis subinde precibus Sanctissimo Domino Nostro ex parte Laicorum supplicantium pro suspensione Brevis confirmatorii prædictorum Decretorum editi die 31. Augusti proximi præteriti, & pro nova audientia, iisque per Sanctitatem Suam ad eumdem Eminentissimum S. Priscæ Ponentem remissis pro relatione precum in prima proxima Congregatione, & per Eminentiam suam relatis in Congregatione habita sub dicto die 28. Septembris dicti anni, eadem Sacra Congregatio decrevit consulendum Sanctissimo pro expeditione Brevis. Et die 29. dicti Mensis facta per me infrascriptum Secretarium de præmissis relatione Sanctissimo Domino nostro in solita Audientia, Sanctitas Sua jussit expediri Breve, non obstantibus &c. Cardinalis de Abdua F. Archiepiscopus Nicænus Sec.

(Marginal note: Decretum Congregationis super tribus dubiis, & mandatum Sanctissimi pro expeditione Brevis.)

Preces Procuratoris Provinciæ. §. 1. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Dominicus a Jesu Maria prædicti Ordinis Fratrum de Observantia professus, & Provinciæ Bæticæ Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Dominicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

(Marginal note: Confirmatio relati Decreti.)

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus

Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

XXXVII. Confirmantur Decreta Congregationis Episc., & Regul. in Causa de facultate Assistentium, & primatu tempore S. Visitationis inter Priorem Gen. Eremitarum S. Augustini, & Vicarium Gen. Congr. Lombardiæ.

Const. ed. 1713. Oct. 20. P. 13. extant nonnulla pro electione, & facultate Diffinitorum, & Vicesgerentium dictæ Congregationis. Et Benedict. XIII. Const. edit. 1727. Sep. 27. P. 4. agitur de Officiis Vicarii, Procuratoris, & Diffinitorum in toto Ordine S. Aug.

Dat. 2. Nov. 1714. An. 14.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManarunt nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalum negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa Romana Visitationis inter dilectos filios Priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, ejusque Assistentes ex una, & Congregationem Observantiæ Provinciæ Lombardiæ ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet.

I. Decretum Congregationis 1712. super 4. dubiis.

§. 1. In Causa Visitationis verten. inter Patres Priorem Generalem totius Ordinis Sancti Augustini, ejusque Assistentes ex una, & Congregationem Observantiæ Provinciæ Lombardiæ ejusdem Ordinis Partibus ex altera, propositis infrascriptis dubiis, videlicet. Primo. An casu Visitationis Conventuum Congregationis Observantiæ Lombardiæ peragendæ per P. Generalem Ordinis, possint intervenire Patres Assistentes ejusdem Ordinis? Secundo. An, & quando se se ingerere valeant, & an, & quando votum eis competat? Tertio. An Vicarius Generalis, seu Visitator prædictæ Congregationis possint in actu Visitationis a pari, seu in æquali gradu procedere cum dicto Priore Generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, & quomodo? Quarto. An, & quis locus competat Patribus Assistentibus quatenus ipsi possint intervenire in actu Visitationis.

Eorum resolutiones.

§. 2. Sacra Congregatio die 19. Aug. 1712. Patribus ipsis auditis, & informantibus, re mature, & accurate discussa, & referente Emo Corsino, ad præfata dubia respondit. Ad primum. Affirmative, præterquam in Scrutinio secreto. Ad Secundum. Provisum in primo, & competere Assistentibus Votum consultivum tantum apud solum Priorem Generalem. Ad Tertium. Non liquere. Ad quartum. Competere Assistentibus locum post Vicarium Generalem, seu Visitatorem Congregationis. Repropositio sub die 3. Februarii 1713. supradicto tertio Dubio, videlicet. Tertio. An Vicarius Generalis, & Visitator Congregationis Lombardiæ Ordinis Heremitarum Sancti Augustini possint in actu Visitationis a pari, seu in æquali gradu procedere cum P. Generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, & quomodo? Sacra eadem Congregatio partibus iterum informantibus, & referente præfato Eminentiss. Corsino, rescripsit. Ad mentem, quæ fuit, ut præscriberetur modus ab Eminentissimo Ponente referendus in Sacra Congregatione.

II. Decretum 1713. super tertio dubio.

III. Decretum quo approbatur modus servandus in casu tertii dubii a Card. Ponente propositus.

§. 3. Qui quidem modus in Congregatione habita sub die 21. Julii dicti anni 1713. ab Eminentia Sua præscriptus, & relatus fuit, ut infra sequitur, nimirum. Quoniam S. Congregatio Episcoporum, & Regularium sub die 3. Februar. currentis anni in Causa Romana Visitationis inter P. Generalem totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, & Venerabilem Congregationen Lombardiæ ejusdem Ordinis ad Tertium Dubium a me propositum -- An scilicet Vicarius Generalis, & Visitator Congregationis Lombardiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini possint in actu Visitationis a pari, seu in æquali gradu procedere cum P. Generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, & quomodo? Rescripsit juxta mentem, & mens fuit, ut præscriberetur a me modus referendus in eadem Sacra Congregatione, quæ de cætero jure credit, quod idem P. Generalis in quibuscumque actibus Visitationis esset cum distinctione tractandus: dum Visitationi assistit P. Vicarius Generalis, & cum majori distinctione assistente simplici P. Visitatore ejusdem Congregationis; Hinc ego auditis etiam deinde Patribus, & re mature perpensa, crederem, quod posset ita præfiniri. Primo. Quod dum Pater Generalis recipitur cum Cruce ante Januam Ecclesiæ, & processionaliter, incedere ipse debeat post Religiosos Conventus, & P. Vicarius immediate post Patrem Generalem. Secundo. Quod Pater Generalis habeat paratum genuflexorium cum tapeto, & duobus pulvinaribus, uno brachiis, altero genibus supponendis, & Pater Vicarius Generalis aliud pulvinar, non in genuflexorio, sed in terra superponendum genibus suis a sinistris Patris Generalis. Tertio. Quod idem P. Generalis habeat Sedem super supremum gradum Altaris dum Religiosi ipsi obedientiam præstare debent, & Pater Vicarius Generalis aliam Sedem habeat a sinistris Patris Generalis in infimo Altaris gradu positam. Quarto. Quod P. Vicarius Generalis, sit primus in præstando obedientiam Patri Generali non quidem ante ipsum genuflectendo, sed tantum ejus manum deosculando, quem P. Generalis statim amplectatur, & P. Vicarius Generalis una tamen vice obedientiam P. Generali præstare teneatur, scilicet in primo Conventu visitando, & non in aliis, si in ipsis P. Vicarium Generalem adesse contingat. Quinto. Quod dum fit Scrutinium secretum, conduntur Decreta, & de aliis rebus ad Sacram Visitationem spectantibus fiunt Congregationes, P. Generalis sedeat in capite Mensæ, & Pater Vicarius Generalis sedeat pariter a latere sinistro ejusdem mensæ. Si vero assistat Visitationi non Pater Vicarius Generalis, sed simpliciter P. Visitator Congregationis, hic incedere debeat post Patrem Generalem, immediate genuflectere in terra sine pulvinare, obedientiam eidem Patri Generali præstare ejus manus deosculando, & habeat Sedem pariter in inferiori gradu Altaris post præstitam obedientiam ipsi Patri Generali, & in Scrutinio secreto, aliisque congressibus pro Decretis condendis, cæterisque ad Sacram Visitationem ordinandis sedeat cum P. Generali a latere sinistro mensæ. Sacra Congregatio &c. referente Eminentiss. Corsino, censuit, ac decrevit, supradictum modum ab E. S. propositum servandum esse.

IV. Decretum 1714. de

§. 4. Postremo repropositis iterum omnibus præfatis dubiis, una cum modo per Emum

causa amplius non proponenda.

Corsinum, ut supra, præposito -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus ipsis denuo informantibus, & referente eodem Eminentiss. Corsino stetit in Decretis in omnibus, & causam hujusmodi amplius non proponi mandavit. Romæ 28. Septembris 1714. F. Card. de Abdua -- Ferdinandus Archiepisc. Nicenus Secr.

Preces Procuratoris Gen. Congregationis Lombardiæ.

§. 5. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dictæ Congregationis Observantiæ Lombardiæ nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ejusdem Procuratoris Generalis desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Lombardiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXVIII

Confirmantur quædam Decreta Congregationis particularis, ac Episc., & Regular. de revocatione Decretorum Capituli General. 1703. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidental., ejus erectione in Religionem, aliisque nonnullis ad regimen pertinentibus.

Erectionem hujus Congregationis, ejusque Constitutiones vide in Inn. XI. Const. ed. 1687. Mar. 26. P. 11. Erecta fuit in Religionem ab hoc Pontifice Const. edit. 1710. Apr. 3. P. 10. Et Bened. XIII. Const. ed. 1725. Maii 4. P. 1. confirmantur quædam resolutiones Capituli Gen.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 22. Dec. 1714. An. 15.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Alias emanarunt tam a Congregatione particulari nonnullorum ex Venerabilib. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata, quam a Congregatione eorumdem Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad supplicationem dilecti filii Francisci de Sancto Antonio Fratris expresse professi, ac Prioris Hospitalis, seu Domorum Mexican., Angelopolitan., Oaxacan., & S. Christophori de Havana nuncupat. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet -- Cum in asserto Capitulo Generali Congregationis Bethlehemitarum habito Guathemalæ die 12. Decemb. 1703. quamplura edita fuerint Decreta contraria Constitutionibus dictæ Congregationis Apostolica auctoritate erecta anno 1687. confirmatis, adversus prædicta Decreta nomine Hospitalium, seu Domorum Mexican., Angelopolitan., Oaxacan., & S. Christophori de Havana nuncupati ejusdem Congregationis, mediante persona fratris Francisci a S. Antonio eorum specialis Procuratoris, habito recursu ad S. Sedem Apostolicam, & negotii hujusmodi cognitione remissa ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, & per eam deputata Congregatione particulari Eminentissimorum DD. Cardinalium S. Clementis, Gabriellii, & Parracciani usque, & sub die 12. Aprilis 1709. prodiit Decretum tenoris sequentis -- Renovatis Decretis asserti Capituli Generalis in ea parte, in qua sunt contraria Constitutionibus, Apostolica auctoritate confirmatis, serventur omnino eædem Constitutiones & Archiepiscopo Limano pro executione, & convocatione Capituli, cui præsideat per se, sive per alium, cum omnibus facultatibus Sac. Congregationis, & quatenus tunc temporis Archiepiscopus obierit, exequatur, & præsideat Vicarius Capitularis; Quod Decretum sub die 25. Martii 1710. fuit per speciale Breve a Sanctissimo Domino nostro confirmatum; Et postea cum in eadem Congregatione orta fuerit dubietas, An Congregatio Bethlehemitarum esset vera, & formalis Religio, habita de tali dubitatione notitia a fratre Michaele a Jesu Maria, & a fratre Francisco a S. Antonio, isti recursum habuerunt ad Sanctissimum, ad hoc, ut erigeret Congregationem Bethlehemitarum in veram Religionem, & delegata instantia per Sanctitatem Suam eidem Congregationi particulari trium Cardinalium, prodiit sub die 8. Novembris ejusdem anni 1709. Decretum -- Consulendum Sanctissimo pro erectione Congregationis Bethlehemiticæ in Indiis Occidentalib. in veram Religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eadem Congregatione: Ita tamen, ut emittentes nova vota prius certiorentur de inefficacia præcedentium Votorum ad constituendos eos veros Religiosos -- Quod Decretum fuit a Sanctitate Sua approbatum per aliud Breve expeditum die 3. Aprilis 1710. Cumque sub prætextu, quod P. Rodericus a Cruce assertus Præfectus Generalis Ord. Bethlehemitarum non fuerit auditus in supra relata Propositione habita coram dicta Sac. Congregatione deputata Serenissimus Rex Hispaniarum Philippus V. retentis dictis Brevibus remiserit Partes ad Sanctissimum, ad effectum audiendi super præmissis ejus oraculum, porrecto pro parte Fratris Michaelis a Conceptione Procuratoris dicti Patris

I. Decretum 1709. de revocatione Decretorum Capituli Gener. 1703. Constitutionibus adversantium.

II. Decretum 1709. de erectione Congregationis in veram Religionem.

Roderici Sanctitati Suæ supplici Libello, & iterum delegata negotii cognitione Sac. Congregationi deputatæ, & suffecto in locum Eminentiss. Gabriellii, Eminentiss. D. Cardinali S. Priscæ, sub die 5. Februarii 1714., auditis Partibus, tam in voce, quam in scriptis, prodiit Decretum tenoris, qui sequitur -- Sac. Congregatio Particularis prædicta perstitit in Decretis sub die 12. Aprilis 1709., nempe quoad revocationem Decretorum asserti Capituli Generalis Guathamalæ in ea parte, in qua sunt contraria Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, serventur omnino Constitutiones; Et insuper declaravit, & decrevit, Capitulum Generale omnino esse convocandum, in quo eligatur novus Generalis, servata forma Constitutionum auctoritate Apostolica confirmatarum, & per vota secreta omnium Capitularium exquiratur, an expediat Religioni, quod in posterum Generalis sit ad sexennium, seu potius ad novennium, exclusa omnino perpetuitate Generalatus. Quoad duos Vice-Præfectos Generales Mexici, & Limæ serventur Constitutiones. Quoad electionem Præfectorum localium pariter serventur Constitutiones. Quoad votum Assistentium esse decisivum ad formam Constitutionum. Quoad Vicarium Generalem per mortem Generalis pariter serventur Constitutiones. Quoad ætatem eligendorum in Præfectos, & Magistros Novitiorum detur facultas dispensandi Præfecto Generali cum Voto Assistentium; Quo vero ad concernentia erectionem Congregationis Bethlehemiticæ in veram Religionem, satis provisum per Decretum hujusmet Congregationis sub die 8. Novembris 1709. confirmatum per Breve Apostolicum -- Et die 27. Februar. 1714., facta relatione Sanctissimo Sanctitas Sua approbavit, & mandavit expediri Breve. Adversus quas resolutiones pro parte P. Roderici a Cruce, seu potius Fratris Michaelis a Conceptione ejus Procuratoris habito usque de Mense Martii proxime elapsi recursu ad Sanctissimum Dominum Nostrum, & per Sanctitatem Suam benigne remissa causæ cognitione ad Sac. Congregationem Generalem Episcoporum, & Regularium, cum pluries pro parte Fratris Francisci a S. Antonio fuerit intimata propositio, ejusque sub die 22. Maji mandaverit Sac. Congregatio, quod proponeretur omnino in prima, & ad petitionem Fratris Michaelis a Conceptione duorum, & ultra Mensium spatio dilata extiterit, reproposita Causa per eumdem Eminentissimum Ponentem, eadem S. Congregatio, Partibus in voce, & in scriptis acerrime informantibus super infrascriptis Dubiis -- Primo. An sit locus reformationi Brevis Sanctiss. D. N. super erectione Congregationis Bethlehemiticæ in Religionem editi die 3. Aprilis 1710. -- Secundo. An sit standum, vel recedendum a Decisis super aliis Resolutionibus capitis in S. Congregatione Particulari die 5. Februar. 1714. -- Respondit: Primum: Quoad: Nihil de prætensa Reformatione Brevis, & ad mentem, quæ est, quod detur optio iis, qui actu sunt in Congregatione, vel emittendi Vota solemnia, vel remanendi in eadem Congregatione obnoxii prioribus Votis. In reliquis Fratre Francisco a S. Antonio tantum informante, & Fratre Michaele a Conceptione diu expectato, & continuis intimationibus lacessito informare recusante, eadem S. Congregatio in Decisis in omnibus, & hujusmodi Causam amplius non proponi mandavit, prout præsentis Decreti vigore amplius non proponi mandat, ac præcipit. Romæ 17. Augusti 1714. F. Card. de Abdua -- Ferdinandus Archiep. Nicenus Secr.

[Margin: II. Decre- m 1714. de onfirmatio- relatorum ecretorum, electione uperiorum, iisque non- allis.]

[Margin: IV. Decre- um 1714. Congregati- onis Gen. standum in decisis, nec amplius pro- ponendam causam.]

§. 1. Cum autem, sicut dictus Franciscus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

[Margin: Preces Procuratoris partis victri- cis.]

[Margin: Confirmatio relatorum Decretorum.]

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[Margin: Clausulæ cum deputatione Executorum.]

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis Liman., & Mexican. in solidum, ac dilectis itidem filiis eorum Officialibus, & in eorum defectum primæ Dignitati, seu antiquiori Canonico uniuscujusque Ecclesiæ Archiepiscopalis per præsentes committimus; & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte in præmissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari, omnesque, & singulos, quos ipsæ præsentes Literæ concernunt, præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice, frui, & gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii Sæcularis.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit d. Congregationis Bethlehemitarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica

dignitate

dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Decembris MDCCXIV. Pontificatus nostri anno Decimoquinto.

CXXXIX. Communicantur Provinciæ Bohemiæ, Moraviæ, & Lusatiæ Ordinis Cistercien. privilegia a Gregor. XIV. Congregationi S. Bernardi Hispaniarum concessa, & ab Urb. VIII. ad Congregationem Superioris Germaniæ ejusdem Ordinis extensa.

Gregorii XIV. Constitutio hic refertur. Et Constitutio Urb. VIII. ed. fuit 1624. Jun. 10. Hujus Pontificis Const. ed. 1710. Sept. 25. P. 10. confirmata fuere quædam Officia SS. pro Congregat. S. Bernardi. Const. ed. 1716. Oct. 8. P. 16. communicantur indulgentiæ Ordinis Provinciæ Silesiæ. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jan. 25. P. 5. confirmantur Privilegia Ordinis.

Dat. 7. Martii 1715. An. 15.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum a fel. rec. Gregorio PP. XIV. Prædecessore nostro ad favorem totius Congregationis Regularis Observantiæ Ordinis Cistercien. Regnorum Hispaniæ emanarunt literæ tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constitutio Greg. XIV.

§. 1. GREGORIUS PP. XIV. *Ad perpetuam rei memoriam.* Romanus Pontifex Religiosorum Congregationibus, illarumque personis, præsertim sub regulari observantia, & reformatione Altissimo famulantium a Sede Apostolica concessa privilegia nedum confirmare, & approbare, sed & alia aliorum Ordinum Regularibus personis, & piis locis concessa ad eos quandoque extendere, & ampliare consuevit, prout eorumdem Religiosorum vota exposcunt, & ipse conspicit in Domino salubriter expedire. Sane dilecti filii Generalis Reformator, Abbates, Priores, & Monachi totius Congregationis Regularis observantiæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Regnorum Hispaniæ Nobis nuper exponi fecerunt, quod cum alias per fel. rec. Martinum V. Eugenium IV. nonnullosque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu Sedem prædictam diversa privilegia, gratiæ, & Indulta tam eidem Ordini Cisterciensi, quam dictæ Congregationi, eorum Monasteriis, Domibus, personis, & locis generaliter, & specialiter, ac particulariter concessa, seu forsan per eosdem, & novissime per piæ me. Sixtum PP. V. Prædecessorem nostrum confirmata, & approbata, ac innovata, & extensa, seu ampliata fuerint, prout in literis Apostolicis desuper confectis plenius continetur. Cum autem firmius subsistant ea, quæ sæpius Apostolico fuerint roborata munimine, cupiunt præfati Generalis, Abbates, Priores, & alii utriusque sexus dictæ Congregationis personæ pro illorum subsistentia firmiori, per Nos confirmari, & approbari, necnon pro ipsorum Generalis, & personarum Regularium ejusdem Congregationis consolatione, & Religionis augmento quæcumque tam eidem Cisterciensi, quam quibusvis aliis similium, vel dissimilium Ordinibus, & Religionibus, eorumque Congregationibus, & Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, piis, ac charitativis locis, illorumque quibusvis Superioribus, ac utriusque sexus Regularibus personis concessa Privilegia, facultates, & Indulta quæcumque & qualiacumque sint ad præfatam Congregationem Regularis Observantiæ S. Bernardi, illius Monasteria, & quascumque utriusque sexus Regulares personas extendi, illasque, & illa eis communicari. Quare pro parte dictorum Generalis, Reformatoris, Diffinitorum, Consiliariorum, Visitatorum, Abbatum, & aliarum dictarum personarum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum desiderio annuere aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos qui Regularium votis, præsertim Religionis augmentum cernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, singulorum privilegiorum, gratiarum, & indultorum, ac desuper confectarum literarum hujusmodi tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, necnon Generalem Reformatorem, Diffinitores, Consiliarios, Visitatores, Abbates, Priores, Monachos, eorumque utriusque sexus Regulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ fuerint ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnia, & singula cujusvis generis privilegia, prærogativas, concessiones, & facultates, exemptiones, & libertates, conservatorias, immunitates, & indulta, absolutiones, dispensationes, & peccatorum remissiones, Indulgentias, etiam plenarias, cæterasque gratias spirituales, & temporales, etiam per modum communicationis, ac extensionis dicto Ordini Cisterciensi, ac hujusmodi Congregationi illorumque utriusque sexus Monasteriis, Domibus, Conventibus, Ecclesiis, Collegiis, piis & charitativis locis, rebus, & bonis, necnon Abbatibus, Generalibus, eorumque Capitulis, Diffinitoribus, Consiliariis, Visitatoribus, Abbatibus, etiam quatuor primis Prioribus, Officialibus, Ministris, ac omnibus aliis eorum Superioribus, Prælatis, Monachis, Monialibus, & illorum utriusque sexus singularibus personis in genere, & in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias per præfatos, & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Nos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos, & Nuncios sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam ad quorumvis Instantiam quomodolibet concessa, seu communicata, & extensa, necnon desuper confectas literas, ac scripturas quascumque cum omnibus, & singulis clausulis in eis contentis, quatenus sunt in usu, decretis Concilii Tridentini non adversantur, Apostolica auctoritate, ac ex certa nostra scientia tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum quarumcumque omissarum defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem supplemus, & pro potiori cautela illa omnia, & singula in eis contenta, & comprehensa, cum illarum extensionibus, communicationibus, & ampliationibus eidem Congregationi S. Bernardi, & singulis ejus Monasteriis, Domibus, Locis, eorumque Superioribus, & utriusque sexus Regularibus personis de novo concedimus, & de uno Monasterio eorum ad aliud concedendo sine ulla differentia extendimus; & insuper ob singularem reformationem, & observantiam dictæ Congregationis in ejusdem Monasteriis institutam, & conservatam, eosdem amplioribus favoribus decorare volentes omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, absolutiones, relaxationes, dispensationes, dationes, & Indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates,

Referuntur Pontifices a quibus concessa fuere privilegia Ordini Cistercien. & Congregationi S. Bernardi.

Confirmantur eadem privilegia, & denuo conceduntur d. Congregationi.

Conceduntur & communicantur Congregationi Hispaniæ, ad eamque extenduntur Privilegia omnia

dinum, & Congregationum Religiosorum.

bertates, præeminentias, & indulta cujusvis generis existentia, cæterasque gratias spirituales, & temporales tam eidem Cistercienfi, ejusque Abbati, & Capitulo, etiam generali, etiam quatuor primis de firmitate Pontiniaco, Claravalle, & Morimundo; quam etiam in S. Benedicti, & quibusvis aliis similibus, vel Dissimilibus Ordinibus, & religionibus sub quibusvis Regulis, Constitutionibus, aut Ordinationibus degentibus, seu militantibus, & quibusvis illarum respective Congregationibus, Militiis, eorumque Professoribus, ac utriusque sexus eorum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, necnon Collegiis, Universitatibus, Confraternitatibus, piis, ac charitativis locis, eorumque in quibusvis festivitatum, ac aliis diebus Ecclesias visitantibus, ac eorumdem Religiosorum Generalibus, Præsidentibus, & quibusvis Superioribus, Prælatis, & Capitulis, etiam Generalibus, Provincialibus, seu intermediis, ac quibusvis Officialibus, Rectoribus, Ministris, Monachis, Novitiis, Monialibus, Fratribus, Conversis, & Confratribus, Procuratoribus, Familiaribus, Benefactoribus, ac eorum & earum utriusque sexus regularibus Personis, tam in Urbe, quam in quibuscumque partibus Mundi consistentia, seu consistentibus, etiam illorum interitu, aut alias quomodolibet concessa, quibus de jure, usu, consuetudine, & privilegio, seu concessione Apostolica, Regia, vel Imperiali, Archiepiscopali, in genere, vel in specie ac tam conjunctim, quam divisim, etiam per solam Signaturam, vel vivæ vocis oraculo, aut per viam communicationis, & extensionis, & motu proprio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, quorum tenores præsentibus habere volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem, & individuam requirerent mentionem, seu particularem insertionem ad primodictam Congregationem regularis Observantiæ S. Bernardi, ac singula illius tam virorum, quam mulierum Monasteria, illorumque quoscumque Superiores Prælatos, & utriusque sexus quascumque regulares, & singulares personas, ita, quod dicta Congregatio Sancti Bernardi, ac utriusque sexus ejus Monasteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Ecclesias, Collegia, pia, & charitativa loca, Sanctorumque festivitates, Conventus, & Capitula, etiam generalia, & particularia, vel intermedia, Generalisque Reformator, Diffinitores, Consiliarii, Visitatores, Abbates, Abbatissæ, Priores, & quicumque alii superiores Officiales, & ministri, Monachi, Moniales, Novitii, Fratres, Conversi, Donati, Oblati, Commissi, Familiares, Confratres, Procuratores, ac negotiorum Gestores, Benefactores, & aliæ singulares utriusque sexus regulares personæ, ac eorum res, & bona sub eorum cura, & secundum ejusdem Congregationis Instituta nunc, & pro tempore viventes, & existentes cum præmissis omnibus, & singulis æque pariformiter respective, & absque ulla prorsus differentia singula singulis concernentia, perinde ac si ea omnia illis, & eorum singulis principaliter, & expresse, & non ad instar concessa fuissent, ac si in eis talis Ordo, & Congregatio S. Bernardi primodicta, illiusque Capitula, Monasteria, Ecclesiæ, dictique Superiores, Prælati, ac utriusque sexus dictæ personæ, res, & bona expressa, & prænominata fuissent, & essent, ac si pro, & in favorem eorumdem a Sede Apostolica in principio emanassent, & fuissent immediate concessa (in quantum eidem Congregationi expediat, ejusque gubernio, Constitutionibus, & Definitionibus non adversentur) uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus, illaque omnia, & singula eis, & eorum cuilibet, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo extendimus, & communicamus. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore quovis quæsito colore, & ingenio de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio defectu, notari, argui, vel impugnari posse, neque sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, limitationibus, & suspensionibus, aut contrariis dispositionibus pro tempore emanandis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validum statum, etiam sub dat. per superiores dictæ Congregationis S. Bernardi eligen. restitutas, & denuo concessas fore, ac suos plenarios effectus sortiri, & inviolabiliter observari: sicque, & non aliter per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam locorum ordinarios, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-legatos, Sedis Apostolicæ Nuncios, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate fungente, scienter, & ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris Toletano, & Burgensi Archiepiscopis, necnon dilectis filiis Salmanticensis Universitatis Scholastico, & Abbatibus Monasteriorum S. Martini Compostellanæ, & Sancti Vincentii Orerensis Diœcesis Ordinis Sancti Bernardi, & Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Generalis, Reformatoris, Abbatum, Priorum, & Monachorum præfatorum, aut alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum sortiri; necnon Generalem, Abbates, Priores, & Monachos, aliosque præfatos, ac eorum singulos omnibus præmissis frui, & gaudere, non permittentes, & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, vel subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri: Contradictores quoslibet, & Rebelles, etiam per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione quacumque postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, & de non expediendis literis super Indulgentiis ad instar, ac piæ me. Bonifacii VIII., etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Monasteriorum, & Regularium locorum præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia roboratis, statutis, consuetudinibus, declarationibus, & inhibitionibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Legatis, Nunciis, & Ordinariis, & Ordinibus præfatis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam in fundatione, vel dotatione obtentis, ac cum quibusvis etiam annullativis, cassativis, & infectivis, declarativis,

Clausulæ amplissimæ.

exceptivis,

exceptivis, modificativis, & mentis attentativis, & etiam communicationis, prohibitionis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis irritantibus, ac etiam derogatoriarum derogatoriis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias quomodocumque per Prædecessores nostros, & Nos, Sedemque Apostolicam, etiam motu simili, & consistorialiter, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet pro tempore concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, & non per clausulas generales idem importantes præsentibus pro sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus ex Scribis præfatorum Abbatum, aut Prælatorum, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Monasterii dictæ Congregationis S. Bernardi, aut alterius personæ in dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in judicio, & extra illud, ac ubique locorum, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii Pontificatus Nostri Anno Primo.

Relata Constitutio extensa fuit ad eandem Congregationem Superioris Germaniæ.

§. 2. Et subinde piæ mem. Urbanus PP. VIII. pariter Prædecessor Noster prædictas Gregorii Prædecessoris literas toto illarum tenore inserto ad universam Congregationem ejusdem Sancti Bernardi Ordinis prædicti Superioris Germaniæ sub certis modo, & forma tunc expressis perpetuo extendit, & ampliavit, & alias prout in ejusdem Urbani Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 10. Junii 1624. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenius continetur.

Preces Monachorum Bohemiæ, Moraviæ, & Lusitaniæ.

§. 3. Cum autem sicut dilecti filii moderni Abbates, & Monachi Provinciæ, seu Vicariatus Regni Bohemiæ, Moraviæ, & utriusque Lusitaniæ Ordinis prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Privilegiorum, Indultorum, & Indulgentiarum hujusmodi communicationem ad eorum Monasteria, & personas per Nos extendi plurimum desiderent. Nos ipsorum exponentium votis in præmissis quantum cum Domino possumus annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis prædicti super præmissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt consilio, concessionem, seu communicationem privilegiorum, Indultorum, Indulgentiarum, & peccatorum remissionum, aliarumque gratiarum spiritualium, & temporalium prædictæ Congregationi Regularis Observantiæ S. Bernardi Ordinis Cistercien. Regnorum Hispaniæ, illiusque Superioribus Monachis, & personis ab eodem Gregorio Prædecessore per literas præinsertas factam, & a memorato Urbano Prædecessore ad universam Congregationem Superioris Germaniæ Ordinis hujusmodi respective extensas, & ampliatas, ut præfertur ad Provinciam, seu Vicariatum hujusmodi, illiusque Superiores, Monachos, & personas Ordinis prædicti ad limites prædictarum literarum auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus pariter, & ampliamus, illaque omnia, & singula eidem Provinciæ, seu Vicariatui, aliisque ejusdem Ordinis subjectis, & subjiciendis Monasteriis, quatenus tamen sint in usu, neque revocata, minusque sub aliquibus revocationibus comprehensa fuerint, communicamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Communicatio præd.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, quos illæ concernunt, ac concernent quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliis omnibus, & singulis, quæ in præinsertis, & aliis Urbani Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

CXL.

Confirmantur Constitutiones Instituti, & Academiæ Scientiarum in Urbe Bononien. cum concessione privilegiorum, & nonnullis Ordinationibus.

Const. ed. 1711. Oct. 8. P. 11. confirmata fuere Statuta Academiæ Pictorum, Sculptorum, & Architectorum in d. Urbe. Et Constit. ed. 1718. Apr. 23. P. 18. confirmantur Constitutiones Academiæ Theologicæ Romanæ Urbis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 12. Junii 1715. An. 15.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a studio promovendarum laudabilium disciplinarum, & bonarum artium.

Superni dispositione consilii, quo cælestia pariter, ac terrena omnia providentissime gubernantur, in sublimi Apostolicæ dignitatis fastigio meritis licet imparibus, collocati, inter multiplices Pastoralis vigilantiæ nostræ curas, excitandis ubilibet, ac promovendis laudabilium disciplinarum, bonarumque artium studiis libenter intendimus, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mortalium mentes luce veritatis illustrantur, populorum bonum augetur, juventutis ingenia ob otii torpedine, vitiorumque illecebris avocantur, ac ingenuis, & Reipublicæ utilibus scientiis exulta, ad eam honoris amplitudinem aliquando perveniunt, ut non sibi tantum, sed

suo etiam natali solo præclaram, nulloque annorum decursu abolendam nominis famam, atque celebritatem concilient; peculiarem tamen Pontificii muneris nostri solicitudinem adhibemus, ut ad eadem studia in illis præsertim locis impensius exerceantur, & vigeant, quæ ad optatum fructum producendum magis idonea, ac opportuna esse possunt; sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad omnipotentis Dei gloriam, ac hujus S. Sedis dignitatem, nostrorumque potissimum, & ejusdem Sedis etiam in temporalibus, subditorum decorem, commodum, ac utilitatem expedire, in Domino arbitramur.

[...]ius Urbis [...]onien.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Comes Philippus Aldrovandus Civitatis nostræ Bononien. apud nos, & dictam Sedem Orator, quod non ita pridem in eadem Civitate, quæ omni sane tempore multis, magnisque refulsit ornamentis, in primis autem perantiquo, nobilissimoque insignita Gymnasio, Doctorum, & Scholarium ex omnibus Orbis Christiani partibus illuc confluentium multitudine, necnon illustrium in omni doctrinarum, artiumque genere virorum copia ita semper eximie floruit, quemadmodum, divina favente clementia, adhuc in præsens floret, ut honorificum illud, ac plane gloriosum *Matris Studiorum* vocabulum omnium consensu merito adepta fuerit; Civesque præterea genuit, in quibus tum singularis veræ Religionis cultus, tum etiam debita Romanis Pontificibus, dictæque Sedi fides, atque devotio mirum in modum perpetuo eluxerunt; Dilecti filii Reformatores status libertatis ipsius Civitatis Nobis annuentibus, ac sub auspiciis nostris erigendam curarunt in Ædibus ad id ex pecunia a Nobis præscripta, comparatis Academiam, Institutum scientiarum nuncupatam, quæ Mathematicarum, aliarumque ingenuarum disciplinarum, necnon Philosophiæ naturalis, & experimentalis studiis, & exercitiis, ac observationibus præcipuam, sedulamque navat operam: Ac in eisdem Ædibus collocari, & opportune, apteque disponi fecerunt magnam vim selectorum voluminum variarum, præsertim Orientalium linguarum, tam typis editorum, quam manu conscriptorum, veteres insuper non paucas ex marmore, ac ære Statuas, Artium, munitionumque modulos, Testacea, Metallica, & mineralia, seu fossilia, aliaque plurima conspicui valoris utensilia, tum ad Mathematicas disciplinas, tum etiam ad militarem Architecturam, physicaque experimenta rerum naturalium, & ad cognitionem antiquitatis pertinentia, quæ dilectus etiam filius Comes Aloysius Ferdinandus Marsilius Nobilis Bononiensis, ac dudum primus ex Generalibus Pontificiæ nostræ Militiæ Præfectis summa cura, ingentique sumptu hunc ipsum in scopum ex variis mundi regionibus a se conquisita, ac in unum collecta, pro singulari, perpetuoque suo erga Patriam, & bonas artes studio, non sine magna sui nominis gloria prædictæ Academiæ liberaliter dono dederat, ut in publicis ejusmodi donationis tabulis die 11. Januar. anni 1712. per dilectos pariter filios Jacobum Antonium Bergamorum, & Josephum Cajetanum Gardinum publicos dictæ Civitatis Notarios confectis uberius dicitur contineri; Quia etiam iidem Reformatores præfati Donatoris voluntati inhærentes, Academiæ Præsidem, Secretarium, Professores Artium, & alios opportunos Ministros elegerunt, a quibus præscripta studia laudabiliter exerceri jam cœpta sunt; Ac insuper ex ipsorum Reformatorum numero Cœtum, seu Congregationem assumptorum nuncupatam deputarunt, quæ ejusmodi Academiæ studiorum salubri directioni, necnon illius bonorum, & proventuum

[...]ectio Aca[...]miæ sub ti[...] *Instit[...]tum [...]ientiarum*, [...]isque des[...]iptio, ac [...] ea bene[...]eriti.

quorumcumque, ac præsertim redditaum quorundam Officiorum in eadem Civitate olim erectorum, quæ nos peculiari nostro Chirographo die 16. Februarii proxime præterito expedito sub certis modo, & forma tunc expressis abolevimus, extinximus, & suppressimus, eorumque emolumenta tam ordinaria, quam extraordinaria, & alia quæcumque Regimini, seu Magistratui ejusdem Civitatis perpetuo applicavimus, & assignavimus, ea speciali adjecta lege, ut in usum, commodum, & utilitatem prædictæ Academiæ, & alios usus, ex integro perpetuis futuris temporibus erogari debeant, rectæ, providæque administrationi præest, & diligenter incumbit. Novissime vero prædicti Reformatores, ut eadem Academia felicius in posterum gubernetur, & majora in dies, benedicente Domino, suscipiat incrementa, nonnullas Constitutiones, seu Statuta condi, ac in unum volumen redigi fecerunt, eaque matura præhabita deliberatione, subinde approbarunt peculiari Decreto, cujus necnon earumdem Constitutionum, seu Statutorum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Constitutiones ann. 1711. editæ, & postea reformatæ, approbatæ fuerunt a Reformatoribus sequenti Decreto.

§. 2. Die 23. Martii 1715. congregatis Illustrissimis DD. Reformatoribus status libertatis Civitatis Bononiæ in Camera Eminentiss., & Reverendiss. Domini Cardinalis Legati in numero 31. in ejus præsentia, ac de ipsius consensu, & voluntate inter ipsos infrascriptum partitum positum, & legitime obtentum fuit, videlicet. Cum jam pridem, & sub die 12. Mensis Decembris anni 1711. ex Senatus consulto approbatæ fuerint Constitutiones, & Sanctiones tunc indictæ pro novo Scientiarum Instituto dirigendo, quod a primis usque suis exordiis Sanctiss. D. N. Domini Clementis XI. per plura Sanctitatis Suæ diplomata liberalissime ornatum, & successive ad luculentiorem sui felicitatem, majusque in posterum incrementum, Paternæ ejusdem munificentiæ, & amoris tutela, novisque semper beneficentiæ monumentis æmulatum in hac ipsa Civitate tali proposito erectum fuit, ut ex majori semper scientiarum, & disciplinarum ubertate in eadem, & priscæ præstantiæ permanerent, & majoris semper in ævum ornamento tanto auspice augerentur: Cumque pro explorato habitum fuerit ex illis nonnullas planiorem, & ineluctabilem sibi ipsis adepturas observantiam, si vel illæ in aliqua parte clariores factæ, vel aptiori dispositione suffectæ in aliquibus adauctæ, in aliquibus repurgatæ fuissent. Patres Conscripti per suffragia omnia affirmativa Constitutiones, & Sanctiones prædictas ex collatis in ipsas studiis ubi earumdem ratio id exposcere visa fuit nonnullis in locis declarando, in nonnullis immutando, & sive etiam in aliis extendendo in omnibus, & per omnia ad infrascriptam methodum juxta recentem ipsarum extensionem in pleno Senatu reduxerunt, & approbarunt. Tenor vero ipsarum Constitutionum, est, qui sequitur, videlicet.

Decretum prædict. 1715. editum.

LE COSTITUZIONI

DELL' INSTITUTO

DELLE SCIENZE,

Eretto in Bologna sotto li 12. *Decembre* 1711.

Da tempi antichissimi fino alla nostra età avendo sempre avuta l'Alma Città di Bologna cura particolare di allevare nel suo grembo le Scienze, e di esercitarne una diligente cultura, conforme ha fatto conoscere nella fondazione,

Prooemium. Erectio Instituti, ejus descripto, &c. ut supra, & fusius.

e mantenimento del pubblico Studio, quale avendo prodotti a benefizio di tutto il Mondo moltissimi Uomini celebratissimi per le Virtù, per le Dottrine, e per qualunque Scienza è stato degno d'esser confermato, e privilegiato dalle Bolle de' Sommi Pontefici, e da'diplomi degl'augustissimi Imperadori, e conservando tuttavia per naturale istinto, e benefica influenza de'Cieli quest'indole generosa a gli Studj in tutti i suoi Figli, e specialmente nel suo Eccelso Senato; andava questi con matura gravità consultando qualch' Opera memorabile, la quale manifestasse la sua magnifica liberalità, e benevolenza alla Filosofia, alle Matematiche, e consecutivamente All'Arti più cospicue della moderna Mecanica.

Donatio amplarum rerum à Comite Marsilio facta.

Quando il Generale Conte Luigi Ferdinando Marsilj nobilissimo Cittadino di questa Patria, che nelle sue cariche, e frequenti spedizioni Militari esercitate, ed intraprese a varie, e distanti parti d'Europa, per ardui affari, e di Guerre, , e di Paci in servigio della Sag. Cesarea Maestà di Leopoldo I. Imperatore di gloriosa memoria, e dopoi della Santa Sede Apostolica, avendo avuto genio di raccogliere, e di fornirsi con applicazione dispendiosa di molti rari Istromenti per le Matematiche, e Filosofia esperimentale; d'un Museo di fossili; d'una Storia de' Semi, e vegetazione delle Piante terrestri, e maritime; d'una longa serie di Testacci; di una Biblioteca di Libri delle megliori edizioni; di gran numero di manoscritti Arabi, Persiani, Turchesci, e Greci; d'un Museo d'antica erudizione; d'uno Studio militare di Modelli per fortificare, e per fondere; d'Istromenti necessarj a diverse Arti, e di molte antiche Statue di Marmo; d'un sortimento di scelti caratteri per le Stampe, e parecchi altri Arnesi, con fine sempre da lui inteso di recare con l'uso loro utile, e gloria alla sua amatissima Patria, ed agl'ingegni studiosi; Ed avendo poc'anzi sodisfatto a questo suo desiderio, con fare autentico dono al Pubblico del complesso di tanti Capitali da lui radunati.

Li Padri conscritti hanno abbracciata questa congiuntura per mettere in esecuzione, ed in vista di tutti i Secoli avvenire le idee, le quali andavano disegnando nelle loro menti, per beneficare principalmente le Scienze, e poi l'Arti. Et avendo conosciuto, che la migliore utilità, che apportar si possa all'une, e all'altre è quella d'illustrarle con le osservazioni, con le sperienze, e con le prattiche opportune, e d'instruire tutti quelli, così proprj Nazionali, che Forastieri, quali fossero volonterosi d'apprenderle:

Laudes Clem. XI. & Card. Casoni Legati.

Quindi è che col prudentissimo consiglio, e benignissimo favore dell'Eminentiss. Cardinal Casoni Legato a Latere di Bologna insigne fautore de'Studj, avendo essi fatto ricorso per mezzo del loro Ambasciatore ordinario residente in Roma Conte Filippo Aldrovandi alla Santità di Nostro Signore Papa Clemente XI. che Dio lungamente feliciti, perche si degnasse d'approvare quelle strade, che se le proponevano, per condurre a questi lodevolissimi fini: E sua Beatitudine mossa da quella magnanima, e beneficentissima propensione, per la quale ha restituito all'antico suo credito la celebre Università dello Studio d'Urbino; fomentata l'Accademia Romana degl'Arcadi Letterati; esaltata a'suoi primi gradi l'Accademia di Roma delle tre arti liberali Pittura, Scoltura, ed Architettura, e decoratane quì in Bologna altra simile coll'onore del suo nome, essendo clementemente condescesa a segnare in un suo Chirografo spedito sotto li 18. dell'ultimo passato Luglio, la grazia richiesta; Hanno per Senato Consulto decretato d'aprire sotto li fausti auspicii d'un Pontefice massimo fautore sì glorioso de'Studj più insigni e sopra il valido appoggio d'un Legato Apostolico Protettore sì benemerito de'Studj medesimi una nuova Sede alle Scienze, con profitto ancora dell'Arti, e di eriggervi un Istituto, dove liberamente si possa mettere in uso la ricca suppellettile di tanti capitali scientifichi, e Mecanici donati dal General Conte Luigi Ferdinando Marsilj; sono perciò passati all'elezione d'Uomini per costumi, e per dottrina riguardevoli con l'assegnamento a ciascheduno di un congruo annuo stipendio; L'uno de'quali col nome di Presidente avrà la generale sopraintendenza di tutto l'Istituto, l'altro come Segretario terrà registro degl'Atti dell'Istituto; e li rimanenti, che si chiameranno Professori, averanno l'Officio di esercitarsi in quei titoli, che professaranno, ed insegnare a chiunque volesse apprendere le Scienze da loro professate.

Li titoli delle Scienze, e facoltà, ciascuna delle quali avrà il suo Professore, saranno d'un Astronomo, d'un Matematico, d'un Fisico sperimentale, d'un Istorico della Natura, d'un Spargirico, e di un Bibliotecario.

Ed affinche dall' amplo apparato di tante cose, e dalla scelta di Soggetti sì accreditati, siasi certo di ritrarre quel giovamento universale, che è stato il primario oggetto di questa nuova fondazione: Dopo maturo esame, si è venuto dall'Eccelso Senato alla legitima approvazione, ed intimazione de'seguenti Capitoli da osservarsi inviolabilmente, tanto dal Presidente, e Segretario, quanto da'Professori, ed Officiali dell'Istituto delle Scienze, e finò a tanto, che per miglior bene a lui piacesse di disporre altrimenti.

CAPITOLO I.

Del culto Sagro.

ARTICOLO I.

Sancti Tutelares, atque Patroni.

Li Professori, e qualunque Persona, si eserciterà in questo Istituto, dovranno riconoscere per autore Dio Ottimo Massimo, ed implorarne da lui a maggior sua gloria, la conservazione, e gl' avanzamenti mediante l'intercessione della Santissima Vergine Maria; ed acciòche si provi efficace Protettrice di quest'Opera, ed in tutti gl'Istromenti, e Scritture, si prattichera l'Epoca *ab Incarnatione*; lasciando per altro, che in ciò, che riguardano l'osservazioni Astronomiche, che usi la pratica, e lo stile dell'Era corrente.

II.

Saranno pure riconosciuti, e venerati per Protettori S. Tomaso d'Aquino, S. Carlo Borromeo, e la nostra S. Caterina de Vigri, e nella Cappella domestica, che si eriggerà nell' Istituto, dovrà, solennizzarsi da' Professori, ed altri Studenti la festa della Santiss. Annunziata colla celebrazione d'una Messa in rendimento di grazia a S. D. M. de' beni, che si ritraggono dall' Istituto, e dalle sue infinite misericordie usate specialmente in tal giorno al Generale Conte Luigi Ferdinando Marsilj.

CAPITOLO II.

Dell' elezione del Presidente, Segretario, e Professori.

ARTICOLO I.

Item de eorum officiorum duratione, confirmatione, & amotione.

Tanto il Presidente, quanto il Segretario dell' Istituto saranno eletti dal Senato. I loro officj saranno vitalizj, purche possano esercitare, ed effettivamente esercitino il loro ministero in conformità delle presenti Costituzioni, quando però non fossero impediti per giuste cagioni, da approvarsi dall' Assonteria dell' Istituto, ed occorrendo, dal Senato.

II.

Li Professori saranno eletti dal Senato per un solo quinquennio. Nelle vacanze de' posti de' Professori, che succederanno, abbiano li medesimi Professori facoltà di nominare, e proporre tre soggetti abili al Senato, quale ne scelga uno a suo arbitrio. Giudicando il Senato di rigettarli tutti, si nominino dalli Professori altri tre Soggetti, e si presentino di nuovo al Senato, quale similmente ne scelga uno a suo piacere; e stimando di doverli rigettare tutti tre; in tal caso poi l'elezione del Soggetto resti in piena libertà del Senato.

III.

Due Mesi avanti, che spiri questo termine, dovranno li Professori domandare al Senato la conferma, e non domandandola, li posti s'intenderanno vacanti, e s'aprirà il campo al Concorso.

IV.

Sarà però sempre in libertà del Senato di rimuovere dall'Istituto qualunque Soggetto, che avesse notabilmente demerito.

CAPITOLO III.

Del Presidente.

ARTICOLO I.

...us domicilium, studiũ, munus.

Dovrà il Presidente tenere la sua abitazione dentro il Palazzo dell'Istituto, per poter meglio assistere alle sue incombenze.

II.

Invigilerà, che fra tutti li Professori passi reciproca corrispondenza, e procurerà, che tutte le Costituzioni vengano con bell'ordine, e quiete esattamente osservate.

III.

Regolarmente in fine d'ogni bimestre dovrà informare l'Assonteria soprastante all'Istituto di tutto ciò, che dalla medesima gli venisse richiesto.

IV.

Se il Presidente fosse ancora Professore di alcun Titolo, o Custode speciale d'alcun Capitale dell'Istituto, dovrà osservare quei Capitoli, che competeranno a tale Professione, e Custodia.

CAPITOLO IV.

Del Segretario.

ARTICOLO I.

De ejus facultate, munere, debito, & subjectione.

Il Segretario avrà facoltà d'intervenire a tutti gl' esercizj, e li Professori dovranno in ogni tempo, e ad ogni sua richiesta dargli comodo delle loro Stanze.

II.

Terrà memoria distinta di tutte l'operazioni più rimarcabili, che si fanno negl' esercizj dell' Istituto, facendo menzione degl' Autori, e principalmente Manipolatori; Ed a questo fine li Professori dovranno dargli in scritto ragguaglio dell' operazioni, che andaranno facendo ne' loro esercizj. Quando li Professori esibiranno il foglio delle materie, come al Capit. V. il Segretario porgerà in scritto all' Assonteria un distinto racconto del frutto ricavatosi dagl' Esercizj dell' anno antecedente, e di tutto ciò, che di rimarcabile sarà seguito.

III.

Dovrà tenere aperto commercio con le Accademie Oltramontane a nome dell'Istituto, e registro di tutte le Lettere, osservando per le Lettere, e spedizioni quanto si è ordinato nell' Artic. V. del Capitolo XII.

IV.

Avrà come tutti li Professori dipendenza dal Presidente, e lo terrà esattamente raguagliato di quello, che succede.

V.

Il Segretario dell' Istituto servirà ancora di Segretario l'Accademia delle Scienze dell' Istituto.

CAPITOLO V.

De' Professori.

ARTICOLO I.

De eorum numero, rebus tractandis, socio eligendo, rebus sibi creditis, & libris evulgandis.

Li Professori, che dovranno esercitarsi in questo lodevole Istituto, saranno sei, cioè un Astronomo, un Matematico, un Fisico sperimentale; un Istorico della natura; un Spargirico, e un Bibliotecario, come si è accennato nel Proemio.

II.

Nel principio del Mese di Ottobre il Presidente, e Professori si raduneranno a congresso nella Sala dell'Istituto, per conferire, e divisare con comune consiglio le materie, che ciaschedun di essi, secondo li suoi titoli, volesse trattare negl' esercizj dell' imminente anno scolastico, e fattasi da ciascheduno scelta di quella materia, che sarà da lui giudicata più profittevole, e necessaria, circa la metà del sudetto Mese, si presentaranno tutti insieme all' Assonteria dell'Istituto, e le proporranno le loro materie con il figurato della spesa, che separatamente crederanno siano per importare gli Studj di ciascheduna, per riceverne la pubblica approvazione.

III.

Essendo state approvate le materie dell' Assonteria dell'Istituto ciascun Professore ne' giorni, ed ore prescritte al Capitolo VI. dovrà trovarsi alla sua Stanza dell'Istituto, per ivi operare intorno alla materia a lui spettante per lo spazio continuato delle due ore destinate, dimostrando amorevolmente a tutti quelli, che vorranno imparare, siano Cittadini, o Forastieri; s'incarica però loro d'usare una distinta parzialità per quelli della Famiglia Marsilj, che bramassero d'esser istrutti.

IV.

Averanno li Professori particolare avvertenza di non fare negl' esercizj alcun studio, o discorso scientifico, che convenisse alla formola d'una Lezione, o che si potesse chiamare una vera Lezione propria delle Catedre del publico Studio, dovendo gl' esercizj versare principalmente nella prattica delle osservazioni, operazioni, esperimenti, ed altre cose di simile natura: s'imputerà a gran colpa la trascuraggine di quest' Articolo.

V.

Se il Senato facesse istanza alli Professori dell' Istituto di qualche esame, sperimento, o altro, dovranno subito servirlo; E se da qualche Cittadino, Scolaro, Artefice, Forastiero, o altra persona privata fossero pregati di direzione, ed assistenza in cose della loro Professione, dovranno sodisfarli segretamente.

VI.

Essendo ricercati li Professori di somministrare il comodo per fare qualche esperimento creduto profittevole, dovranno compiacere l'istanza, ed assistere in persona all' esperimento; quando però l'esperimento fosse dispendioso, dovranno li Professori chiedere licenza al Presidente, quale avrà la facoltà di concederla fino alla somma......, se importasse maggior spesa, il Presidente dovrà prendere licenza dall' Assonteria dell'Istituto.

VII.

Ogni Professore dovrà eleggersi un Compagno di sua sodisfazione, che l'assisterà negl' esercizj.

esercizj. Eletto, che l'abbia, dovrà darlo in nota al Presidente, e pregarlo, che sia da lui accettato, e seguendo l'accettazione, s'intenda il Professore obbligato, che per il suo Compagno non patirà alcun danno l'Istituto. Non potrà mutare il Compagno senza l'approvazione del Presidente.

VIII.

Ogni Professore avrà la Chiave delle proprie Stanze, e l'inventario di tutte le cose contenute nella Stanza, o Stanze destinate alla sua Professione. Nel tempo delle vacanze estive dovrà rincontrarlo in compagnia del Presidente, ed ogni volta, che egli fosse ordinato dall'Assonteria dell'Istituto.

IX.

Ogni Professore goderà del comodo de' Libri della Bibliotheca, e particolarmente di quelli, che fossero pertinenti alla sua Professione, salvo però la disposizione dell'Articolo V. del Capitolo XIII.

X.

Conservaranno li Professori diligentemente nelle proprie Stanze a disposizione dell'Assonteria dell'Istituto tutte quelle opere, che a spese dell'Istituto fossero state nell'esercizio da loro fabricate, e di tal'opere, che facessero, daranno in scritto una nota distinta al Segretario, che dovrà tenere un Registro.

XI.

Giudicandosi di comun consenso de' Professori di pubblicare qualch'Opera alle Stampe, dovrà prima essere riveduta da' Censori, che saranno stati destinati dall'Assonteria dell'Istituto.

CAPITOLO VI.

De' giorni, ed ore degl' Esercizj.

ARTICOLO I.

Ubi de Calendario, & Tabella.

Sarà officio del Presidente l'avere formato avanti il principio dell'anno scolastico il Calendario de' giorni degl'Esercizj dell'Istituto, regolando sempre in forma, che ogni Settimana abbia un esercizio in un giorno, che non sia impedito dalle Lezioni del pubblico Studio, nè dalle Radunanze dell'Accademia delle Scienze. Il Calendario sarà esposto nell'Istituto a comodo di tutti.

II.

Oltre alli giorni, che saranno stati assegnati nel Calendario agl'Esercizj, ciascun Professore dovrà eleggersi a suo piacimento un giorno della Settimana per li suoi Esercizj, ed avanti, che termini l'esercizio del giorno elettivo, avvisarà li suoi Studenti, qual sarà il suo giorno elettivo per l'esercizio della Settimana seguente, e lo notarà in una Tabella, che pubblicamente starà appesa per avviso, e comodo di tutti quelli, che volessero intervenire.

III.

Le ore degl'esercizj saranno dal principio dell'anno scolastico fino a Quaresima dalla prima ora della notte in punto fino alle trè.

IV.

Dal principio di Quaresima fino a tutto Aprile dalle ore 24. fino alle due.

V.

Dal principio di Maggio fino all'Assunzione della Beatiss. Vergine dalle ore 20. fino alle 22.

CAPITOLO VII.

Delle vacanze.

ARTICOLO I.

Vacationes ordinariæ, & extraordinariæ.

Il Presidente registrarà nel Calendario i tempi delle vacanze, con avvertimento, che quelle di Natale non principiano prima della festa di Santa Lucia fino all'Epifania. Quelle di Carnevale dalla Settuagesima fino al secondo di Quaresima. Quelle di Quaresima dalla Domenica delle Palme fino all'Ottava di Pasqua. L'Estive dalla Madonna d'Agosto fino a tutti li Santi.

II.

Saranno ancora vacanti tutti quei giorni, ne' quali si facesse la Notomia sul Pubblico Studio.

III.

Se però in tempo di ferie, o di vacanze, ed ancora nel corso degl'esercizj fossero li Professori avvisati dal Presidente a trasferirsi all'Istituto per servire qualche Forastiero, o per qualch'urgente bisogno, o pubblico comando, dovranno esser pronti ad andarvi.

CAPITOLO VIII.

De' stipendj.

ARTICOLO I.

Item de remunerationibus.

Dipenderà dall'arbitrio del Senato il determinare lo stipendio d'assegnarsi a' Professori dell'Istituto, ed anco l'accrescerlo a proporzione del merito di ciascheduno, e si pagarà loro la rata dello stipendio ad ogni tre Mesi compiti.

II.

Non essendo permesso dalli tenui redditi dell'Istituto di stabilire presentemente que'stipendj, che converrebbero alla fatiga, e valore de' predetti Professori, sarà atto proprio della paterna providenza, e benignità del Senato di avere particolar riguardo alli medesimi Professori nella destinazione delle Letture del Pubblico Studio, e quando si distinguessero con osservazioni riguardevoli di cose nuove, e con opere celebri, di premiarli nel modo più proporzionato, affinche eccitati dalla speranza del premio, fatichino più volontieri a pubblico beneficio, ed a maggior gloria, e splendore dell'Istituto.

CAPITOLO IX.

De' negligenti.

Negligentes removendi.

Se alcun Professore, o altro Offiziale dell'Istituto mancherà a giudizio dell'Assonteria notabilmente al debito suo, sarà dal Senato rimosso perpetuamente dall'Offizio, e surrogatovi altro Soggetto.

CAPITOLO X.

De' Custodi.

ARTICOLO I.

Custodum munus, partes, & debitum.

Quelli, che saranno destinati a custodire que' Capitali dell'Istituto, che non cadono sotto l'uso de'Titoli delle Professioni, dovranno fedelmente, e con pulitezza conservarli; dare occorrendo discreto comodo alli Professori di prevalersene; mostrarli cortesemente alli Forastieri, ed alle persone di qualche distinta qualità.

II.

Avranno presso di loro un Inventario di tutte le cose commesse alla loro Custodia per rincontrarle con il Presidente nel tempo delle vacanze estive, e sempre che gli fosse ordinato dall'Assonteria dell'Istituto.

CAPI-

CAPITOLO XI.

Dell' Accademia delle Scienze dell' Istituto Bolognese.

ARTICOLO I.

io Academiæ cum Instituto, novū us nomen, Præses oprius.

Essendo, l'Accademia degl' Inquieti vadi con molto onore di questa Patria allevando Uomini insigni in tutte le facoltà, si dichiara, che debba essere aggregata, ed unita in perpetuo a quest' Istituto.

II.

Lasciando la sua prima denominazione di Accademia degl' Inquieti, dovrà chiamarsi Accademia delle Scienze dell' Istituto Bolognese, ed ivi farà liberamente le sue Radunanze nel luogo, che le farà destinato.

III.

Non dipenderà dal Presidente dell' Istituto, ma solamente dal proprio Presidente, anzi tanto il Presidente, quanto li Professori dell'Istituto dovranno far godere all' Accademia un comodo più speciale de' Studiosi comodi dell'Istituto, ed in tutto assisterla, e compiacerla, senza però mai derogare alla disposizione delle presenti Costituzioni.

IV.

Essendosi presentate al Senato le seguenti leggi formate per regolamento di d. Accademia delle Scienze in futuro, la benignità del medesimo Senato, dopo il dovuto esame, è favorevolmente condescesa ad approvarle, e permettere, che s'inferiscano nel corpo delle presenti Costituzioni, affinche siano in avvenire da tutti quelli, a' quali appartengono inviolabilmente osservate; E come dal seguente altro Senato Consulto, cioè-

Die 23. Martii 1715.

Decretum Senatus Consulti, quo approbatæ fuere sequentes leges.

Congregatis Illustrissimis DD. Reformatoribus Status libertatis Civitatis Bononiæ in Camera Eminentiss., & Reverendiss. Domini Cardinalis Legati in numero 31. in ejus præsentia, ac de ipsius consensu, & voluntate inter ipsos infrascriptum partitum positum, & legitime obtentum fuit, videlicet--Institutum Scientiarum in hac Civitate, SS. Dom. N. Clemente XI. benignissime annuente, imo etiam, & munificentissime favente, locato, cum pro perspecto habitum fuerit nihil magis congruum ad majorem Studiorum honorem, hujusque Patriæ celebritatem, quam si, & Institutum prædictum, & Academia alias ordinata, sociali ad invicem hospitalitate jungerentur, tali proposito jam ad effectum redacto, dictaque Academia Scientiarum Bononiensis Instituti ad præsens nuncupata: Patres Conscripti leges illas, quæ pro eadem Academia ad perfectam cum eodem Instituto normam redigenda ex præscripto extensæ & in Senatu jam lectæ fuerunt per suffragia omnia affirmativa approbarunt, & quarum Legum tenor est sequens, videlicet-

Academiæ Scientiarum Bononiensis Instituti Leges.

Leges Academiæ Scientiarum.

Bononiensis Instituti Scientiarum Academiæ in hac Urbe erectæ, atque ab amplissimo Bononiæ Senatu in patrocinium susceptæ, hæ leges deinceps moderantur.

I.

Numerus Academicorum.

Academicorum quatuor Classes sunto. Ordinarii, Honorarii, Numerarii, Alumni.

II.

Ordinarii duodecim sunto. Tituli eorum sex. Physici, Mathematici, Anatomici, Medici, Spargirici, Naturæ historici. Bini in singulos Titulos.

III.

Honorariorum nullus esto certus numerus. Suntoque Viri, vel genere, vel doctrina, vel dignitate conspicui.

IV.

Numerarii viginti quatuor sunto. Quaterni in singulos Titulos. Quod Academiæ Præses, rei literariæ ergo, jusserit, agunto.

V.

Alumni duodecim sunto. Singuli singulis ordinariis addicti.

VI.

De eorum, ac Officialium electionibus, & munere.

In electionibus major suffragiorum numerus plus valeto.

VII.

Academiæ Præsidem Ordinarii, Honorarii, & Numerarii ex Classe Ordinariorum eligunto. Qui annuus esto. Pro-præses a Præside eligitur ex eadem Classe.

VIII.

Ordinarii trium Academicorum delectum habento, exque iis, quem a secretis Literarii Instituti Senatus asciverit, is, & Academiæ a Secretis esto, inque officio semper maneto, Senatu annuente. Idem, & Instituti Præses Ordinariorum jura tenento, onera libere subeunto.

IX.

Instituti Professores inter Ordinarios constanter sunto. Creatio Ordinariorum, quum in Professores ceciderit Senatui libera esto. At extra Professores, Ordinarii Ordinarios creanto, eumque ex tribus duæ creantium partes consenserint, creatio rata esto.

X.

Quisquis Ordinariorum ex propria Classe exierit, statim in censum Honorariorum refertor.

XI.

Electio Honorariorum penes Ordinarios, & Honorarios esto.

XII.

Numerarii ab Academia creantor sic. Ordinarii ex Alumnis, vel extra Sodalium ordinem quos probaverint deligunto; ex iisque Academia Numerarios creanto.

XIII.

De jure adeundi Academiam.

Alumnos singulos singuli Ordinarii libere creanto, illorumque nemini Academiam adeundi Jus non esto, etiam quas Ordinariorum ex propria Classe exierit.

XIV.

Ad illam quoque libere adeunto veteris Inquietorum Academiæ Socii, qui in Academico descripti sunto, idemque Juris, quod Numerarii tenento.

XV.

De Academicis removendis, & Regularibus admittendis.

Quicumque ex Ordinariis, Numerariis, aut Alumnis ab Urbe diu absuturus sit, aut quatuor continuis Sessionibus non interfuerit, nec de justa causa admonuerit, ejus sedes vacua esto.

XVI.

Regularium in Academiam adsciscí petentium, qui Doctrina rerum, quæ in eadem coluntur, celebris fuerit ejus adscindendi potestas esto, quatuor consentientibus è quinque suffragiorum partibus.

XVII.

De rebus Academiæ peragendis.

Literaria negotia Ordinarii soli peragunto. De cæteris rebus Præses Academiæ ad eas Classes, quarum res fuerint, referto, eumque eisdem deliberato. Alumni neque deliberanto neque deliberantibus præsentes sunto.

XVIII.

In quam sententiam major deliberantium numerus venerit, ea rata esto.

XIX.

De exercitationibus, sessionibus, & vacationibus.

Literariæ exercitationes in Instituti Aula Academiæ adscripta obeuntor.

XX.

Exercitationum justus numerus esto saltem duodecim in annos singulos, quæ privatim aguntor.

XXI.

Legitimæ Sessiones habentor die Jovis, vel proxima non impedita a Kalen. Novembris ab hora prima, a Paschate ad ferias æstivas hora vigesima. Festis diebus, Anatomes tempore, & in quam horam legitima lectio in publicis Scholis inciderit, sessiones ne jubentor.

XXII.

Academiæ feriæ sunto a die vigesima Decembris ad sextam Januar. Baccanalia, Hebdomada major, Paschale tempus, Festa Corporis Christi. Æstivæ feriæ absolutis duodecim annuis Sessionibus ineunto usque ad Kalendas Novembris. Ea die Academicus annus ineat.

XXIII.

Legitimæ Sessiones hanc rationem servanto. Primum e re Academica, quæ fuerint, ea paucis aguntor. Mox recitantor Epistolæ ad Academiam scriptæ, responsa decernuntor. Postremo habetor Academica exercitatio.

XXIV.

Hanc illi Ordinariorum obeunto, quorum vices fuerint. Postrema anni Sessione sortita statuuntor singulorum vices in sequentem annum, atque in album referuntor.

XXV.

Ordinario, qui non aderit, qua die vices ejus erunt, curæ esto scriptam Dissertationem ad Academiam mittere, ut eamdem a secretis recitet. Præses curato ne exercitatio sit vacua.

XXVI.

Experimenta, vel quæ quis observaverit, ad rem facientia, inter ipsam exercitationem, vel post, si erit commodum, Academiæ exhibentor. Sin minus: Academia mittito, coram quibus experimenta fiant, quique de illorum exitu referant.

XXVII.

Absoluta Dissertatione, alia de rebus philosophicis in medium afferre Academicis licitum esto, servato dignitatis ordine.

XXVIII.

Is etiam, qui dicta fuerint, addere, demere, uti, & veritatis ergo, aliquid amice opponere licitum est, servato, ut ante, dignitatis ordine. Jurgia, cavillos, & inutiles contentionum tricas Præses amoveto.

XXIX.

Alumnis non permittente Academiæ Præside nulla de re verba facere licitum est.

XXX.

De iis, quæ servanda, & notanda erunt.

Dissertationes quicunque in Sessionibus habuerint, eas, vel earum summam scripto exaratam Academiæ relinquunto.

XXXI.

Ea scripta a secretis ordine custodito, memoriæque tradito dicta quæque in Sessionibus memoratu digna, & in singula nomen Authoris & tempus notato. At ne ullius in manus, præsertim non Academici, veniant caveto. Bene autem Ordinariis, Honorariis, Numerariisque ea scripta videre cupientibus ostendito; sed exscribi ne unquam finito, nisi siquando placuerit Academiæ Præsidi, scriptique Authori.

XXXII.

Epistolas item, & literaria quæcumque specimina ad Academiam missa, omnemque ejus supellectilem fide custodito.

XXXIII.

Cum viris Literarum, & absentibus Academicis communicato per Epistolas; Communia etiam habeto Academica Studia, & inventa.

XXXIV.

Res cujuscumque Sessionis, & Academicos quotquot convenerint in actis describito.

XXXV.

Has etiam Leges, & quidquid in posterum Academia statuerit, in Decretum Codicem referto.

XXXVI.

De libris editis & edendis.

Libros de re philosophica recenter editos, Præses Academiæ legendos dato uni, pluribusve Academicis, qui scitu digna candide, & summatim referant; salibus, & verborum aculeis neminem lacessant.

XXXVII.

Librorum, scriptorumve judicium, quod quis interdum ab Academia quæsiverit, Censores ferunto, quos secreto Præses eligito, eorumque censuram ad Ordinarios referto. Nemo quidquam in lucem edito nomine Academici, de quo non ante judicium tulerint Ordinarii, deque eo edendo consenserint.

XXXVIII.

Elucubrationum, quæ totius anni cursu traditæ fuerint ab Academicis, delectus habetor, ut quæ lucem meruerint, in publicum emitti possint.

XXXIX.

Porro si pro communi Academiæ bono aliquid in his Legibus addere, demere, aut mutare censuerint Academici, jus, rectumque esto quidquid denuo statuerint. Contrariis haud obstantibus quibuscumque.

L. ✠ S.

Ita est Jacobus Antonius de Bergamoriis Illustriss. Senatus Bononiæ Secretar.

CAPITOLO XII.

Della sopraintendenza all' Istituto, ed Amministrazione delle sue Entrate.

Articolo I.

De incremento Instituti, regimine oeconomico, & impensis.

Sopraintenderà al buon governo, e regolamento dell'Istituto l'Assonteria già deputata dal Senato, la quale invigilarà con la dovuta attenzione, che ciaschedun Professore, ed Offiziale dell'Istituto compisca lodevolmente le proprie parti, ed a tal fine visitarà almeno ogni tre Mesi una volta il Palazzo dell'Istituto, e tutte le sue Stanze, ed Officine, e Capitali, che in esso si conservano.

II.

Promoverà con ogni studio l'accrescimento, splendore, e gloria dell'Istituto, e partecipará al Senato distinto racconto del frutto ricavatosi dagl' Esercizj, che nel fine di ciascun' anno, si dovrà dar in scritto dal Segretario alla medesima Assonteria, come altrove si è detto.

III.

Il Governo Economico di tutti li Fondi, Proventi, e Capitali fruttiferi di qualsivoglia sorte, si amministrarà dall' Assonteria, quale dovrà diligentemente invigilare alla conservazione, e mantenimento de' medesimi Capitali, e deputarà Persone abili per tenere la Scrittura, e far le riscossioni necessarie.

IV.

Per le spese, che occorreranno negl' Esercizj dell' Istituto, l'Assonteria soprastante spedirà li suoi Mandati in testa del Presidente, il quale tenendo presso di sè il denaro riscosso, l'impiegarà in provvedere quanto sarà di bisogno alli Professori ne' loro Studj ordinarj.

V.

Dovrà il Presidente far riscuotere le Lettere, o Stampe, che fossero dirette all'Istituto, o Accademia di Scienze, ed egli con il Segretario aprirà li Plichi, e le Lettere, per vederne il contenuto; ed all' incontro farà francare, e spedire

quelle

quelle Lettere, o Stampe, che dall'Istituto, o dall'Accademia fossero indrizzate ad altri Paesi.

CAPITOLO XIII.

De' Capitali, e delle Suppellettili.

ARTICOLO I.

Conservarà il Presidente un Inventario Generale di tutti li Capitali, e Suppellettili dell' Istituto, e nel tempo dell'ultime vacanze estive dovrà rincontrarlo diligentemente a capo per capo, ed avanti il principio degl'Esercizj riferirne lo stato all' Assonteria dell'Istituto.

II.

Sia però pronto a farne sempre il rincontro ogni volta gli venisse ordinato dalla suddetta Assonteria.

III.

Il Presidente aggiungerà subito al suo Inventario generale tutto ciò, che l'Istituto acquistasse, e lo farà subito aggiungere all'Inventario particolare di quella Professione, alla quale tal cosa acquistata appartenesse. Dell'acquisto fatto renderà immediatamente consapevole l'Assonteria dell'Istituto.

IV.

Se per alcun accidente mancasse alcun mobile, Istromento o altra cosa dell'Istituto, farà memoria in un libro a parte, e ne avvisarà subito l'Assonteria dell'Istituto.

V.

Dalli Professori non si trasporterà capricciosamente alcuna cosa da un luogo all'altro, ma solamente per uso de'medesimi, e per quel tempo, che avranno bisogno, nel qual caso dovranno gl'estranei lasciare una Ricevuta in mano del Professore, o Custode di quella Stanza dalla quale si dovrà trasportare.

VI.

Sotto qualsivoglia pretesto non si potrà mai portare alcun Capitale, o altro Mobile fuori del Palazzo dell'Istito, senza espressa licenza del Senato. Derogaranno però sempre a questa Legge le riverite istanze del Sig. General Marsilj, alle mani del quale avrà facoltà il Presidente di consegnare personalmente, e dare imprestito ciò, che richiedesse con prendere da lui un attestato in scritto della sua Ricevuta.

VII.

Si permetterà pure al Professore, che avrà la Stanza delle Statue, di fare all'Accademia Clementina della Pittura il prestito di que'marmi, che per suo Studio domandasse, ma però coll'obligazione in scritto de'principali Offiziali dell' Accademia, di restituire il pigliato ad ogni richiesta di esso Professore: e perche l'Accademia Clementina, si mostri grata all'Istituto, compiacendolo, ricercata di qualche Disegno, o Configurazione; essendo dovere, che fra l'una, e l'altra passi una lodevole corrispondenza.

CAPITOLO XIV.

Del Custode dell'Officine, e del Palazzo dell'Istituto.

ARTICOLO I.

La sua Elezione si farà dall'Assonteria dell' Istituto. Dovrà tenere la sua abitazione nel Quartiero, che gli farà destinato dentro il Palazzo dell'Istituto.

II.

Custodirà tutte l'Officine dell'Arti, facendo buon governo di tutti gl'Istromenti delle medesime. Serbarà un Inventario di tutte le cose commesse alla sua Custodia, ed ad ogni istanza del Presidente, o dell'Assonteria farà pronto a fare il rincontro.

III.

Con la permissione del Presidente, darà comodo a tutti li Professori di poter adoprare gl'Istromenti dell'Officine, ma però dentro la Stanza dell'Officine, e non fuori della medesima.

IV.

Desiderando qualche Estraneo di prevalersi di tali Officine, non potrà sodisfarlo senza licenza del Presidente.

V.

Dipenderà dagl'ordini del Presidente; che dovrà sempre pontualmente eseguire, e procurerà, che siano serviti li Professori nel tempo degl'Esercizj.

VI.

Farà mettere in pronto le illuminazioni, e tutto ciò, che per preparamento degl'Esercizj gli sarà ordinato dal Presidente.

VII.

Farà aprire, e chiudere il Palazzo a' debiti tempi.

VIII.

Farà, che si mantenga monda, e pulita tutta l'abitazione dell'Istituto.

IX.

Farà, che siano portate le Polize, ed avvisi alli Professori, quando li sarà comandato.

CAPITOLO XV.

Dell'Osservanza delle presenti Costituzioni.

ARTICOLO I.

Si dovranno le presenti Costituzioni tutte, ed in ogni sua parte inviolabilmente far osservare dall'Assonteria soprastante al Presidente, Segretario, Professori, Custodi, ed Offiziali dell' Istituto, ne ad alcuno sarà mai lecito trasgredirle sotto qualsivoglia pretesto.

II.

Sia nondimeno permesso al Senato con l'intervento del Sig. Card. Legato pro tempore di variarle, e d'abrogarle, come pure di aggiungere, e scemare quel, che giudicasse opportuno secondo le contingenze de'tempi futuri; ed in tal caso il Presidente, il Segretario, Professori, Custodi, ed Offiziali sudetti saranno obbligati all'osservanza di quelle nuove Costituzioni, che venissero ad essi prescritte.

III.

Incontrandosi nelle presenti Costituzioni, o nelle future contingenti qualche Capitolo, Articolo, paragrafo, o particella, o parola di dubia intelligenza, spettarà unicamente all'Assonteria dell'Istituto d'interpretarla, e dichiararla, ed alle sue dichiarazioni, ed interpretazioni tutti li Ministri dell'Istituto dovranno quietarsi. Contrariis haud obstant. quibuscumque.

L. ✠ S.

Ita est Jacobus Antonius de Bergamoriis Illustriss. Senatus Bononiæ Secretar.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tam Reformatores, quam Aloysius Ferdinandus Comes prædicti Constitutiones, seu Statuta præinserta, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, ac alias desuper Pastoralis providentiæ nostræ partes interponi plurimum desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur, qui prædictæ Academiæ prosperum statum, & directionem, ac uberiora in dies incrementa sinceris exoptamus affectibus, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris,

Marginal notes: [...]e conserva[...]ne instru[...]entorum, [...]ellecti[...]m, alio[...]nque. — Dé ejus electione, habitatione, munere, & debito. — De observantia, mutatione, & declaratione harum Constitutionum. — Preces Reformatorum, & Comitis Marsilii pro confirmatione relatarum Constitutionum.

& pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones, seu statuta præinserta, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, amplissime supplemus.

Confirmatio præd.

Electio Præsidis Clericalis in S. Sedis Notarium.

§. 5. Præterea memoratæ Academiæ, seu Instituti scientiarum modernum Præsidem Dilectum Filium Lælium Triumphettum Philosophiæ Doctorem, ac in dicto Bononiensi Gymnasio simplicium medicinalium Lectorem emeritum, hortoque publico Præfectum, necnon Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris prædictæ Civitatis, Canonicum, ejusque futuros in eodem Præsidis officio, quod cæteroquin ad vitam conferendum erit, successores, dummodo tamen in Clericali statu constituti sint, ad idem Officium laudabilius gerendum incitentur, specialis favore gratiæ decorare volentes, eumdem Lælium, ejusque successores quoslibet nostros, dictæque Sedis Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum referimus, & conscribimus, illisque etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferant, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, & Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia eisdem Notariis de numero participantium concessa, seu ab eis prætensa, itaut illis nullibi uti valeant, ac irritum, & inane existat quidquid secus per eos, aut eorum quemlibet respective attentari contigerit, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro illis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps eorum nomine conficiendis Notarios sese inscribere, & illis subscribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis ab omnibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Electio Præsidis Laici in Equitem Auratæ Militiæ.

§. 6. Quod si ejusdem Academiæ, seu Instituti scientiarum pro tempore Præses in Laicali statu constitutus reperiatur, ac in eo permanere velit, ipsum, statim ac ad ejusmodi Officium assumptus fuerit, auratæ Militiæ Equitem facimus, constituimus, & creamus, ac aliorum Equitum Militiæ hujusmodi numero, & consortio favorabiliter aggregamus, eique, ut Torquem aureum, ac ensem, & aurata Calcaria gestare, necnon omnibus, & singulis privilegiis gratiis, indultis, exemptionibus, & prærogativis, quibus alii Equites hujusmodi de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen facultates a prædicto Concilio Tridentino sublatas) uti, frui, & gaudere libere, & licite valeat, auctoritate, & tenore prædictis similiter indulgemus.

Præceptum conficiendi singulis annis statum œconomicum, & relationem observationum, & experimentorum.

§. 7. Insuper quo plenius, ac uberius felici prædictæ Academiæ, seu Instituti scientiarum statui, atque gubernio, necnon rectæ illius bonorum, & proventuum quorumcumque administrationi perpetuis futuris temporibus consultum sit, harum serie statuimus, & mandamus, ut a memorato cœtu, seu Congregatione Assumptorum nuncupatorum in fine cujuslibet anni, qua par est, sedulitate, ac fide conficiatur status Œconomicus ejusdem Academiæ, necnon accurata exaretur relatio observationum, ac experimentorum factorum, singularumque rerum memorabilium, quæ in eadem Academia eo anno contigerunt, ut fructus, qui ex peractis studiis perceptus fuerit, constare possit. Ejusmodi vero statum Œconomicum, & relationem ab eodem cœtu, seu Congregatione Assumptorum exhiberi subinde volumus antedictis Reformatoribus, necnon moderno, & pro tempore existenti in Civitate, & Comitatu Bononiensi nostro, dictæque Sedis de Latere Legato, quibus injungimus, ut tam statum Œconomicum, quam relationem prædicta simul diligenter examinent, atque discutiant, & si quid pro meliori dictæ Academiæ regimine corrigendum, præcipiendum, seu statuendum esse censuerint, pro tradita sibi a Domino prudentia corrigere, præcipere, atque statuere non omittant, ejusque bonum, utilitatem, & incrementa, quantum in ipsis erit, omni cura, studio, ac ope promoveant.

Clausulæ.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, & Constitutiones, seu statuta præinserta semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, ac eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus prædicti Lateranen. Concilii novissime celebrati de certo Notariorum numero cui per hoc alias derogare non intendimus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Collegii dictorum Notariorum, ac prædictæ Civitatis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum emittendi professionem

§. 10. Volumus autem, quod dictus Lælius modernus, ac pro tempore existens prædictæ

Academiæ,

Academiæ, seu Instituti scientiarum Præses, antequam gratia creationis in nostrum, & Sedis prædictæ Notarium illi, ut supra, concessa perfrui valeat, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem a dicta Sede propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omnino teneatur.

§. 11. Quodque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

CXLI.

Confirmatur Decretum Capituli Gen. Monachorum Congregationis Fulien. de mutatione Sandaliorum in calceos.

A Paulo V. Const. ed. 1608. Mar. 28. P. 3. concessa fuit facultas conficiendi Ceras Agnus Dei.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 15. Junii 1715. An. 15.

Decretum præd. cum suis causis.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a S. Catharina Prior Provincialis Provinciæ Aquitaniæ Monachorum Congregationis Fulien. Ordinis Cistercien., quod cum habita in novissimo Capitulo Generali ejusdem Congregationis anno proxime præterito in Abbatia S. Maximini prope Civitatem Aurelianen. celebrato, super usu deferendi Sandalia, pluribus abhinc annis in dicta Congregatione introducto, matura deliberatione, compertum fuisse, usum Sandaliorum hujusmodi, non solum generali Monachorum cæterarum Congregationum Monasticarum, ac præsertim Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis præfati, qui calceos communiter gestant, consuetudini contrarium esse, verum ipsimet etiam Regulæ S. Benedicti Cap. 55. sub qua Monachi primodictæ Congregationis vivunt, adversari, plurimumque ipsorum Monachorum valetudini obesse, aliaque multiplicia exinde incommoda in laudabilium supradictæ Congregationis Institutorum perniciem provenire, his omnibus in prædicto Capitulo Generali Sess. XIII., & XIV. rite discussis, & accurate perpensis, pro bono ejusdem Congregationis regimine, ac Monasticæ in ea disciplinæ progressus charissimo etiam in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo id ipsum suadente, decretum fuit (reservato tamen nostro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito) ut usus Sandaliorum ejusmodi in usum calceorum, deinceps commutaretur, sicque sublato Sandaliorum discrimine inter utramque Congregationem prædictam memorati Ordinis Cistercien., in usu, ac delatione calceorum uniformitas induceretur. Quare præfatus Petrus Prior Provincialis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Prioris Provincialis.

§. 1. Nos igitur ipsius Petri Prioris Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter filium Procuratorem Generalem Congregationis, & Ordinis præfatorum audiverunt, consilio, prænarratum Decretum super commutatione usus Sandaliorum in usum calceorum a d. Capitulo Generali, ut præfertur, editum ita tamen ut calcei per Monachos Congregationis, & Ordinis hujusmodi gestandi humilitatem, & simplicitatem Monasticam omnino præseferant, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Fulien., & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

CXLII.

Confirmatur Decretum Magistri Gen. Ordinis Prædicatorum pro abolitione alternativæ in electione Provincialis Provinciæ S. Antonini Novi Regni Granaten.

Const. ed. 1712. Jul. 2. P. 12. concessum fuit suffragium singulis Prioribus dictæ Provinciæ. Et Inn. XIII. Const. ed. 1722. Apr. 24. P. 1. conceduntur octo gradus Magisterii pro Provincia Mexicana.

Dat. 2 Oct. 1715. An. 15.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur d. Alternativa a Magistris Gen. instituta, ejusque abolitionis causæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Joannes de Olarte Diffinitor, & Procurator, necnon Fratres Provinciæ Sancti Antonini Novi Regni Granaten. in Indiis Occidentalibus Ordinis Prædicatorum, quod cum occasione confirmationis actorum Capituli Provincialis an. 1710. super electione Prioris Generalis celebrati nonnullæ difficultates super executione Alternativæ a dilecto filio Antonino Cloche Magistro Generali dicti Ordinis ad favorem Fratrum filiorum Conventus de Tunza nuncupat. Provinciæ, & Ordinis prædictorum concessæ tam pro parte eorumdem exponentium, quam etiam dilectorum itidem filiorum Fratrum Sanctæ Fidei, & Carthaginen., ac ejusdem de Tunza Conventuum Ordinis prædicti memorato Antonino Magistro Generali repræsentatæ, eique alia inconvenientia, circa novam, & antiquam Alternativam allegata fuissent, ad hoc, ut ipse circa præmissa pro sua prudentia illud, quod in Domino expedire censeret, decerneret, prædictus Antoninus Magister Generalis quamcumque Alternativam pro electione dicti Prioris Provincialis tam a se, quam à prædecessoribus suis Magistris Generalibus, & præsertim a bon. mem. Joanne Thoma Roccaberti, dum vixit Archiepiscopo Valentin. qui in minoribus constitutus Magistri Generalis dicti Ordinis Officio functus fuerat, stabilitam, abolevit, cassavit, & revocavit, ab observari minime voluit, & præcepit. Itaut in posterum ii solum, qui ex filiis cujuscumque Conventus dictæ Provinciæ digniores, & aptiores ad Provincialatus munus observandum judicabuntur, nullo habito respectu filiationis hujus, vel alterius Conventus in Priores Provinciales eligantur, & alias prout uberius continetur in ipsius Antonini Magistri Generalis Decreto desuper edito, tenoris, qui sequitur videlicet.

Decretum Magistri Gen. pro abolitione præfatæ Alternativæ an. 1715. editum.

In Dei filiis sibi dilectis RR. Admodum PP. Magistris, Prioribus, Præsentatis, Prædicatoribus Generalibus, cæterisque Patribus, & Fratribus Provinciæ nostræ S. Antonini de Novo Regno Granat. Ordinis Prædicatorum.-Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Professor, ac ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis, & Servus.-Cum occasione novæ Alternativæ in favorem filiorum Conventus de Tunza pro electione Provincialis servandæ, & a Nobis concessæ in confirmatione actorum Capituli Provincialis anni 1710. Nobis exponatis plures difficultates occurrere in illius concessionis executione, ac pro parte filiorum Conventus Sanctæ Fidei, filiorum Conventus de Carthagena, ac filiorum Conventus de Tunza, circa Alternativam tam novam, quam antiquam aliqua allegata sint, ut nostro judicio relinquentes, quod magis expediens fuerit resolveremus; Ideo bono Provinciæ regimine, & gubernio providere volentes, visis, & consideratis pro utraque parte allegatis, ac ipsarum petitionibus tenore præsentium, nostraque auctoritate officii abolemus omnem, & quamcumque Alternativam pro electione Provincialis in vestra Provincia stabilitam, sive a Nobis, sive a Prædecessoribus nostris, præsertim bon. mem. Reverendissimum de Roccabertis, illamque omnino revocamus, ac in posterum non observari volumus. Itaut in Provinciales eligantur ii solum, qui ex filiis cujuscumque sint Conventus, digniores, & aptiores ad prædictum officium judicabuntur, nullo habito respectu filiationis hujus, vel alterius Conventus, sic de cætero fieri præcipimus sub pœna nullitatis electionis, si aliter fiat, imponentes partibus super hujusmodi negotio perpetuum silentium. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Non obstantibus dictis concessionibus, & aliis quibuscumque. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 13. Augusti 1715.-Fr. Antoninus Cloche Magister Ordinis.-Fr. Thomas Ripoll Magister Provincialis Terræ Sanctæ, & Socius.-Locus Sigilli.-Registrat. fol. 8.

Preces Patrum Provinciæ.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui dilectum filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt, consilio, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Octobris MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

CXLIII.

Confirmatur Constitutio Innoc. XI. approbans Statuta Card. Protectoris pro Reformatione Provinciæ Pedemontanæ Fratrum Carmelitarum Reformatorum.

Laudata Const. ed. fuit 1687. Mar. 27. Pont. 11. Et hic refertur, eadem Statuta confirmata fuere pro Provincia Poloniæ ab eodem Innoc. XI.

Bened.

Bened. XIII. Const. ed. 1724. Jul. 27. P. 1. instituitur reformatio in Provincia S. Alberti Regni Siciliæ. Et Const. ed. 1728. Mar. 26. P. 5. extant quædam Ordinationes pro Reformatione dictæ Provinciæ Pedemontanæ.

t. 26. Oct. .5. An. 15.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

xordium.

INjuncti Nobis divinitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut illis, quæ ad confovendum Religiosorum Virorum, eorum præsertim, qui arctioris vitæ zelo ducti primævum Religionis suæ rigorem servare laudabiliter satagunt, propositum, juvandaque eorum religiosa studia, & in via Domini progressus ab hac Sancta Sede, pie, prudenterque emanarunt, quo firmius subsistant, Apostolici muniminis Nostri patrocinium adjungamus, sicut in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Innocentius Papa XI. Prædecessor Noster nonnulla Decreta pro Reformatione tunc existentium Fratrum Provinciæ Pedemontanæ Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo a bo. mem. Palutio dum vixit S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato dicti Ordinis apud eumdem Innocentium Prædecessorem, & Sedem præfatam Protectorem edita per suas Literas in simili forma Brevis confirmavit, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor ipsarum literarum. Causæ reformationis ab Inn. XI. institutæ, & a Card. Protectore executioni mandatæ.

INNOCENTIUS PAPA XI. *Ad futuram rei memoriam.* Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Reformati Provinciæ Pedemontanæ Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod dilectus filius Noster Palutius S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alteriis nuncupatus, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, pro Reformatione dictæ Provinciæ jussu Nostro instituta auctoritate sibi ad id per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, attributa, nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur, videlicet -- Palutius de Alteriis S. R. E. Cardinalis totius Ordinis Carmelitarum Protector: Cum expositum fuisset Sanctitati Suæ Reformationes primum in Conventu Taurinensi Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, deinde in aliis Conventibus Provinciæ Pedemontanæ a quadraginta circiter annis successive institutum sub observantia Constitutionum, a fel. mem. Urbano VIII. & Innocentio X. pro Conventibus in eodem Ordine Reformatis, & Reformandis, ita dilapsam esse, ut vix illius, vel leve mansisset vestigium, illa Nobis injunxit, ut isti Reformationi restaurandæ omnino provideremus. Ideo ad dictam Provinciam ablegavimus Rev. Patrem Valentinum a S. Joanne, Sacerdotem Professum Provinciæ Aquitaniæ, & Sacræ Theologiæ Professorem emeritum, qui postquam a mense Julio proxime præterito Visitationi singulorum Conventuum accurate, & diligenter incubuisset, eorum statum in spiritualibus, & temporalibus ad Nos transmisit, quo dignovimus, Disciplinæ Regulari in ista Provincia propemodum extinctæ prompto, salutarique remedio subveniendum esse. Quocirca ut jussioni Suæ Sanctitatis pareamus, auctoritate per Sacram Congregationem Nobis commissa, sequentia ordinanda esse duximus -- Primo -- Quia in præsenti rerum circumstantia vix sperari potest, ut in omnibus Conventibus exacta præfatarum Constitutionum praxis restitui queat, tum ob quædam Decreta, quæ Leges Municipales vocant, in variis successive Congregationibus, condita, & pluribus dictarum Constitutionum articulis adversantia, ideoque ab una parte Provinciæ impugnata, & per aliam propugnata, tum ob tenuem affectum, quem plures Alumnorum Provinciæ habent ad observandam disciplinam in iisdem Constitutionibus contentam, & aliunde nonnulli prædictorum Alumnorum ardenter aspirant ad sinceram, exactamque illarum observantiam, & a Nobis efflagitant, ut in uno, alterove Conventu congregati, & ab aliis sejuncti in perfecta, & literali Constitutionum praxi, prout Deo in sua professione polliciti sunt, viventes suæ obligationi satisfacere queant; Nos inhærentes Decretis pro Provincia Narbonensi antehac factis per bo. me. Cardinalium Ginnettum Protectorem Ordinis, ac fel. rec. Urban. VIII. confirmatis per Breve datum 24. Februar. 1664. & Articulis conditis per P. Joannem Antonium Philippum Generalem 29. Septembris 1640. pro introducenda strictiori observantia in Conventibus, & Provinciis ex parte Reformatis, & Reformandis in dicto Ordine, ordinamus præfato Visitatori, ut eos, quos in conscientia ad id idoneos arbitrabitur, in Conventibus Astensi, Doglianensi, & Clarascensi constituat, & singuli illorum post recollectionem decem dierum solemniter coram Sanctissimo Sacramento unam professionem renovabunt, & juxta *Artic. 15. cap. 5. part. 3. Constit. & art. 6. cap. fin. quæst. 3.* dictarum Constitutionum juramento promittent, & in carta renovationis subscribent, se illas ad literam rursus amplecti, & cum Dei gratia se fideliter observaturos, manebuntque eo ipso immunes a quibuscumque legibus municipalibus, consuetudinibus, ac Decretis Congregationum Diffinitorialium Capitulorum Provincialium, & Generalium, etiam auctoritate Apostolica firmatis, conformiter dict. artic. 6. part. 4. Constitutionum in quantum sunt dictis Constitutionibus adversa, aut diversa -- Secundo. Quia compertum est istius Reformationis excidium, & perniciem potissime ex usu Privilegiorum, & præeminentiarum, quæ Graduatis conservata fuere, pervenisse, ne illa, quam Sanctissimus Dominus vult institui, simili periculo exponatur, ordinamus, quod nullus deinceps poterit ullum gradum scholasticum suscipere, nisi modo, & forma, ac sub conditionibus, exacteque servatis omnibus, quæ Art. 10. Cap. 9. part. 1. dictarum Constitutionum præscribuntur: & si qui ex illis, qui in præfatis tribus Conventibus collabuntur, sint aliquo gradu scholastico insigniti, omnibus privilegiis, exemptionibus, & quibuscumque præeminentiis, quæ suis respective gradibus ex quacumque concessione, etiam Sanctæ Sedis, & Sacræ Congregationis competunt, in perpetuum scripto renunciabunt, quod & facient alii, qui ad dictam strictiorem observantiam ex aliis Conventibus servatis servandis posthac transire volent, omnesque se jurejurando adstringent nunquam in restitutione dictorum Privilegiorum ob quamcumque causam se consensuros, sed illi semper obstituros, & si qui contra facerent (quod Deus avertat) eo ipso tanquam perjuri, & infames absque alia declaratione subjacebunt omnibus pœnis *dict. art. 10. cap. 9. part. 1. Constitutionum expressis.* Tertio. Præfatos tres Conventus colendæ isti strictiori observantiæ addicimus, & in Astensi Novitiatum instituimus, extra quem nullus sub pœna nullitatis pro dicta Provincia investiri, & probari poterit, in aliis duobus, vel Seminarium Juniorum Professorum, vel studia collocabuntur, qui omnes cum aliis postea aggregandis perpetuo regentur ab uno Vicario Provinciali immediate subjecto Patri Generali Ordinis pro tempore existenti cum potestate, & jurisdictione, nempe independenter a Provinciali, postulantes ad habitum, & Novitiatum, ac Novitios servatis servandis ad professionem admittendi, Seminaria Juniorum Professorum instituendi; illos ad studia in Conventibus Reforma-

2. Quo Præeminentiæ, & honorum gradus adimuntur.

.Statutum, uo designantur quæam Cœnoia pro reormatione.

3. Quo instituitur Vicarius Provincialis, & Cœnobia pro juventute determinantur.

tis mittendi; dignos ad Sacros Ordines præsentandi, necnon ad Conciones, & Confessiones audiendas admittendi, Fratres de uno Conventu ad alium Reformatum transferendi, & generaliter faciendi alia, latius expressa in dictis Brevi, & Articulis, quæ exacte in omnibus, & per omnia servanda erunt in dicta Provincia Pedemontana, ac si pro ea nominatim concessa, vel ordinata essent, nisi præsentibus sint contraria. Quarto. Vicarius Provincialis eligetur a personis, & modo præscriptis §. 20. artic. P. Philippi, non tamen is, qui in Capitulo terminabit Officium Provincialis, nec etiam in Provincialem eligi poterit, qui in Capitulo desinet esse Vicarius Provincialis. Quinto: semper Vicarius Provincialis manebit, etiamsi Provincialis esset Reformatus, & independenter ab illo sua auctoritate fructur, donec exacta Constitutionum observantia, perfectaque Reformatio in omnibus Conventibus Provinciæ instituta fuerit, habebitque vocem, & locum in Capitulo Provinciæ post Provincialem absolutum, & recens electum. Sexto: poterit singulis trienniis, sine cujuscumque consensu unum aliorum Conventuum Provinciæ istis tribus adjungere, si opportunum judicaverit, suosque Subditos, aliis remissis ad Patrem Provincialem, ut illis de Conventu provideat, collocare excepto aliquo sexagenario, si quis forsan ibi reperiretur, quo sic paulatim non fucata, sed sincera Reformatio introducatur. Septimo: Juxta Articulos P. Philippi semper erunt saltem duo Diffinitores ex Reformatis, qui in singulis Capitulis Provinciæ eliguntur ex quinque, quos Vicarius Provincialis, & duo Diffinitores absolvendi, & Priores Reformatorum cum suis Discretis nominaverint; si secus factum fuerit, primi duo ex nominatis eo ipso erunt primi Diffinitores Provinciæ. Similiter Provincialis electus, etiamsi esset Reformatus, tenebitur eligere pro suo Assistente, seu Socio unum ex tribus, qui sibi a præfato Vicario duobus Diffinitoribus recens electis, & Prioribus præsentabuntur. Octavo: Non poterit Vicarius consentire, ut ullus suorum subditorum a quocumque Superiore Ordinis missus, etiam Studiis, Concionum, aut Regentiæ, vel alia quacumque causa vadat habitatum in Conventu, non observante dictas Constitutiones sub pœna depositionis ab Officio per Vicarium, & perpetuæ privationis vocis, & loci a Religioso migrante ubicumque inhabitet, incurrenda, qui etiam habebitur pro Desertore Reformationis, nec vicissim Vicario fas erit aliquem non observantem dictas Constitutiones, a quocumque missus fuerit in Conventibus sibi subditis ad habitandum admittere, nisi præmissa annua probatione, aut forsan ad Conciones habendas tempore Adventus, & Quadragesimæ. Nono: Nullus etiam ex aliis Conventibus in istis tribus, & aliis successive aggregandis admitti poterit, nisi conformiter Constitutionibus §. 5. de regimine Provinciarum part. 3. Constitutionum, & 5. Artic. P. Philippi probatus fuerit per annum, gaudebit tamen, durante probatione suis voce, & loco, sed solum cum Patribus, & non cum Novitiis conversabitur. Decimo. Conventus semel in anno visitabuntur, nisi casus extraordinarius aliud exigat, & quidem a solo Vicario Provinciali, cum Assistente singulis trienniis de consilio piorum Reformatorum a se assumendo. Undecimo: Virtute suprascriptorum Decretorum nec sunt, nec erunt liberi ab observatione Constitutionum Strictioris Observantiæ, qui illam in sua professione promiserunt, nec ab obligatione servandi vitam communem ii, qui jurejurando ipsi juxta Decretum fel. rec. Urbani Papæ VIII. de die 24. Februarii 1644. obstricti sunt, quia ab istis obligationibus eos solvere nec intendimus, nec possumus: Antescripta Decreta in præfata Provincia Pedemontana præcepimus perpetuo servari. Datum Romæ in Palatio Nostro die 24. Januarii Anno Domini 1686. sic signatum Palutius Cardinalis de Alteriis Protector -- Loco ✠ Sigilli, & infra Georgius Cripparius Secretarius -- concordat cum originali: Sic testor Romæ 27. Decembris 1686. Frat. Damascenus a Nativitate Beatæ Virginis Mariæ Notarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Decreta hujusmodi subinde per Commissarios a Capitulo Generali Ordinis prædicti, novissime celebrato deputatos, post exactum illorum examen, digna reperta fuerint, quæ pro validiori introductione, & feliciori progressu dictæ Reformationis, Apostolicæ Confirmationis patrocinio, si ita Nobis placeret, munirentur: quinimo idem Capitulum Generale Decreta præinserta in Provincia Poloniæ dicti Ordinis observari ordinaverit. Et Nos illa per quasdam nostras in simili forma Brevis Literas pro eadem Provincia Poloniæ confirmaverimus; Nunc vero dicti Exponentes vereantur ne similis Apostolicæ Confirmationis defectu eorum Provinciæ Reformatio statim pereat, sicut alia, quæ annos triginta, vel circiter instituta fuerat, & multi Fratres, qui ad reformationem hujusmodi anhelant, non audeant illam amplecti, nisi petita, & obtenta prius decretorum hujusmodi Apostolica Confirmatione. Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune provideri, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decreta præinserta pro Reformatione præfatæ Provinciæ Pedemontanæ a memorato Palutio Cardinale, & Protectore edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac in eadem Provincia Pedemontana servari mandamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ Pedemontanæ hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII.

Marginal notes: 4.5.6. in quibus de electione præd. Vicarii, ejus muneris tempore, suffragio, & facultate. — 7. In quo de electione Diffinitorũ, & Socio Provincialis. — 8.9. in quibus de habitatione Fratrum. — 10. in quo de Visitatione. — 11. in quo de observantia Constitutionum, & vitæ communis. — Relata Decreta confirmata fuere pro Provincia Poloniæ. — Item pro Provincia Pedemontana.

Martii MDCLXXXVII. Pontificat. Nostri Anno Undecimo.

eces Provinciæ, & sa sequen. Confirmationis.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Fratres dictæ Provinciæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi duos Conventus, ultra tres alios, quos possident, eidem Provinciæ uniri obtinuerint, ac proinde præinsertas Innocentii Prædecessoris Literas, quo serventur exactius, & regularis observantia in eadem Provincia firmius solidetur, Apostolicæ confirmationis Nostræ præsidio communiri summopere desiderent; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super disciplina Regulari deputatorum consilio, præinsertas memorati Innocentii Prædecessoris Literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

nfirmatio nstitutio. Inn. XI.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscat. die XXVI. Octob. MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno Decimo-quinto.

CXLIV.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. quo denegatur separatio 5. Cœnobiorum a Provincia Aragoniæ Fratrum Ordinis B. M. de Mercede.

Constit. ed. 1702. Mart. 29. P. 2. confirmatum fuit Decretum Card. Protectoris pro reformatione Constitutionum. Et Const. edit. 1719. Dec. 6. P. 20. confirmatur Decretum super habitu Fratrum Donatorum Congregationis Hispaniæ.

at. 16. Dec. 715. An. 16.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

etitio facta ro separatione 5. Cœ-

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in causa dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum instantibus Religiosis quinque Conventuum Regni Navarræ dicti Ordinis pro gratia separationis, & dismembrationis dictorum quinque Conventuum a Provincia Aragoniæ ejusdem Ordinis, eorumque erectionis in particularem separatam, ac novam Provinciam pro tempore existenti Magistro Generali Ordinis hujusmodi subjectam Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede instantibus Religiosis quinque Conventuum Regni Navarræ pro gratia separationis, & dismembrationis dictorum quinque Conventuum a Provincia Aragoniæ, eorumque erectionis in particularem, separatam, ac novam Provinciam P. Generali Ordinis existenti pro tempore subjectam. -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attenta relatione Eminentissimi Otthoboni ejusdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, & audito P. Procuratore Generali, referente Eminentissimo Paracciano, distulit resolutionem, & censuit exquirendum Votum Capituli Generalis. Romæ 6. Septembris 1709. -- Iterum proposita Causa, & viso Voto Capituli Generalis, necnon perpensis rationibus per utramque partem informantem deductis, referente Eminentissimo Corsino in locum Eminentissimi Paracciani suffecto, Sacra eadem Congregatio rescripsit negative, & causam hujusmodi amplius non proponi mandavit. Romæ 29. Novembris 1715. F. Cardinalis de Abdua -- F. Archiepiscopus Nicenus Secret.

nobiorum Provinciæ Navarræ, ac erectionis novæ Provinciæ.

Decretum prædict. editum 1715. in specie facti refertur.

Preces Prioris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut pro parte dilecti etiam filii Magistri Francisci Mariæ Bichi Vicarii, & Prioris Generalis dicti Ordinis Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Franciscum Mariam Vicarium, & Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confir-

matis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Decembris MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CXLV. Conceditur Indulgentia plen. perp. etiam pro Defunctis in Ecclesia Montis B. M. V. Monachorum Congregationis Montis Virginis.

Alex. VII. Constit. ed. 1659. Jun. 27. Pont. 4. est contra ambientes. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Mart. 26. Pont. 5. agitur de delinquentibus extra Claustra.

Dat. 2. April. 1716. An. 16.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆlestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidelitati Nostræ commisit Divina Dignatio libenter erogamus, cum id ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem speramus in Domino profuturum; supplicationibus itaque dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Congregationis Montis Virginis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ad Ecclesiam Monasterii dicti Montis Beatæ Mariæ Virginis Constantinopolitanæ nuncupat. dicatam peregrinantibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, Ecclesiam hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in anno, quo præmissa peregerint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Preces Procuratoris Generalis.

Concessio d. Indulgentiæ semel in anno.

Clausulæ.

§. 1. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Aprilis MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

CXLVI. Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. super associatione cadaverum ad Ecclesias Regularium pro Provincia S. Joannis Baptistæ Ord. Fratrum Prædicatorum in Regno Peruviano, contra Parochos, & Clerum sæcularem.

Idem concessum fuit Societati Jesu a Clem. X. Const. ed. 1672. Aug. 3. P. 3. Inn. XII. Const. ed. 1699. Oct. 9. P. 9. mandata fuit observantia Constitutionum circa Fratres conjunctos dictæ Provinciæ. Et Bened. XIII. Const. ed. 1724. Sept. 22. P. 1 extenditur privilegium liberandi animas a Purgatorio ad omnes Sacerdotes Ordinis.

Dat. 3. Junii 1716. An. 16.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Bernardini Solorzani Procuratoris Generalis Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Ordinis Prædicatorum Regni Peruani in Indiis Occidentalibus Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod alias prædicta Congregatio die 7. Decemb. 1640. instante tunc existente Commissario Curiæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum declaraverat, Parochos, & Presbyteros Terræ de Lauretano, ac alios Diœcesis Brundusin. accipere non posse majorem eleemosynam pro Defunctis, qui in Ecclesiis dictorum Fratrum sepeliebantur, quam accipiebant pro iis, qui in Ecclesiis dictorum Parochorum, & Presbyterorum sæcularium. Similiter die 31. Augusti anni 1658. instantibus Fratribus Provinciæ Dalmatiæ ejusdem Ordinis decreverat, functiones generales super cadaveribus Defunctorum, quæ itidem sepeliebantur in Ecclesiis Regularium, postquam ipsa cadavera ad Ecclesias ipsorum Regularium pervenissent ad eosdem Regulares, non autem ad Parochos pertinere, eodemque modo die 16. Decembris 1661. pariter declaraverat super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentinæ, & Monachos Monasterii S. Sixti Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti occasione funerum exortæ fuerant, prout statuerat, & decreverat die 17. Decembris 1671. ad instantiam tunc existentis Procuratoris Generalis eorumdem Fratrum S. Francisci Parochis, qui associabant cadavera Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium pariter sepeliebantur non licere ea occasione ingredi Ecclesias Regularium, sed a januis ipsarum Ecclesiarum dimittere debere cadavera hujusmodi, & solum posse benedicere, & dare ultimum vale, officia vero, & alia munia, quæ in similibus fieri solebant a Regularibus non autem a Parochis fieri debere, his vero non obstantibus cum Parochi in partibus Hispaniarum, & Indiarum aliter in Ecclesiis Presbyterorum, seu Clericorum Regularium Societatis Jesu in grave eorum præjudicium prætenderent, tunc pariter existens Procurator Generalis earumdem Hispaniarum, & Indiarum ejusdem Societatis memoratæ Congregationi tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium die 6. Maii 1672. supplicaverat, ut ad removenda omnia, & quæcumque scandala benigne declararet; supradicta omnia Decreta, & declarationes ad unguem in Ecclesiis suarum Domorum, & Collegiorum servanda fore, ac si ad ipsius Societatis Instantiam emanassent, dicta vero Congregatio Cardinalium indulserat decernendo, dandas esse prædictas declarationes alias editas, easque in dictis Ecclesiis Societatis omnino servandas esse, ejusque Decretum postmodum per fel. rec. Clementem Papam X. Prædecessorem nostrum per quasdam suas in simili forma Brevis expeditas literas confirmatum, ac pro eorumdem literarum, ac pro decreti hujusmodi executione Monitorium a tunc etiam existente Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditore expeditum fuerat. Et in eadem expositione subjuncto, quod dilecti filii Parochi ejusdem Regni Peruani in prædictis Indiis prætensiones dictis decretis, & resolutionibus contrarias, & oppositas habebant in Ecclesiis Domorum, & Conventuum dictæ Provinciæ S. Joannis Baptistæ, & signanter Oppidi de Potosi,

Referuntur varia decreta Congregationis quibus interdicitur Parochis, & Clero sæculari ingredi Ecclesias quorumdam Regularium in associatione cadaverum, super ea functiones peragere, & pro iis majorem eleemosynam accipere.

Præd. Decreta extensa fuere ad Ecclesias Societatis Jesu in Hispaniis, & Indiis, necnon a Clem. X. confirmata.

Causæ Decreti Congregationis pro Provincia S. Joannis Baptistæ.

& Civi-

& Civitatis de Cuquisache respective nuncupat., nempe exigendi majorem eleemosynam pro Defunctis, qui in Ecclesiis Parochorum, & Presbyterorum sæcularium ibidem sepeliebantur, ac rursus peragendi super ipsos functiones generales super Defunctorum Cadaveribus, quæ in eorumdem Fratrum Ecclesiis tumulabantur, postquam ipsa cadavera ad eorum Ecclesias pervenerant, & tandem ingrediendi suas Ecclesias occasione dictorum funerum, & aliorum similium, ideoque ad removenda scandala, assiduasque discordias, quæ in dies oriebantur pro parte ejusdem Bernardini Procuratoris Generalis eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut super præmissis in omnibus, & singulis Ecclesiis supradictæ suæ Provinciæ, eodem modo, quo ad favorem eorumdem Presbyterorum, seu Clericorum Societatis prædictæ in partibus Hispaniarum, & Indiarum provisum fuerat, ut præfertur, provideret, Decretaque ad eorum, & aliorum favorem edita, ad dictas Ecclesias memoratæ Provinciæ S. Joannis Baptistæ, & signanter Oppidi de Potoso, & Civitatis de Cuquisache Provinciæ, & Ordinis hujusmodi in posterum eadem forma exacte, ac si ad eorumdem Fratrum Prædicatorum Provinciæ Oppidi, ac Civitatis prædictorum favorem emanassent extendi, ac observari, ac executioni demandari præciperet. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis, narratis, ac referente Eminentissimo S. Priscæ, censuit, ac decrevit danda esse Decreta alias edita, & signanter illud emanatum sub die 6. Maji 1672. ad instantiam D. Alonsi de Alarcos Procuratoris Generalis Hispaniarum, & Indiarum Societatis Jesu, videlicet -- Sacra &c. Oratoris precibus benigne indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes sæpe alias editas, easque etiam in prænarratis Ecclesiis Societatis esse observandas, nimirum Parochis in associatione, sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale. Officia vero, & alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis. Episcopos, seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut Parochi, aliique de Clero sæculari majorem eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri sæcularis Ecclesia sepeliri voluissent. Functiones Funeralium super cadavera Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere. Contrariis quibuscumque circa supra scripta omnia minime obstantibus. Romæ 24. Aprilis 1716. F. Cardinalis de Abdua Archiepiscopus Damascenus Secretarius.

Decretum præd. 1716. ... extenduntur relata Decreta ... ad Provinciam S. Joann. Baptistæ.

Preces Procuratoris Provinciæ.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Bernardinus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Bernardini Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Junii MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

CXLVII.

Conceditur Indulgentia plen. perp. in festo S. Petri de Alcantara pro Ecclesiis Fratrum Min. Conventualium.

Hæc Indulgentia pro Ecclesiis totius Ordinis concessa fuit a Clem. X. Const. ed. 1670. Maji 11. P. 1. Item ab Inn. XII. Const. ed. 1695. Aug. 18. P. 5. alia plenaria pro Ecclesia Civitatis Assisien. & a Bened. XIII. Const. ed. 1724. Jun. , P. 1. ubi de Canonizatione B. Catharinæ a Bononia.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 20 Julii 1716. An. 16.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cælestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris Sanctorum in Cælis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Preces Procurator. Gen.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus die festo Sancti Petri de Alcantara, a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Concessio præd. Indulgentiæ.

Clausulæ.

mus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Julii MDCCXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CXLVIII.

Reservatur Summo Pontifici dispensatio a Voto perseverantiæ pro Congregatione Clericorum Doctrinæ Christianæ.

De dispensatione Voti, ac juramenti horum Clericorum vide Inn. XII. Const. ed. 1699. Jun. 23. P. 8. De suffragio deliberativo pro Definitore adjuncto hujus Pontificis Const. ed. 1714. Jun. 11. P. 14. Et Bened. XIII. Const. ed. 1723. Nov. 24. P. 1. extat eadem reservatio pro Congregatione in Regno Neapolitano.

Dat. 28. Sept. 1716. An. 16.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

In Capitulo Gen. 1715. decretum fuit, ut Novitii emitterent stabilitatis votum, cujus dispensatio spectaret ad Rom. Pontificem.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Præpositus, Diffinitores, ac Presbyteri Congregationis Doctrinæ Christianæ de Urbe, quod ipsi ad augendam, & conservandam eorum Congregationem in Capitulo Generali die 14. Maji anni proxime præteriti habito, illique præsidente dilecto filio nostro Francisco Maria Casini tituli Sanctæ Priscæ S. R. E. Presbytero Cardinali Sanctæ Priscæ nuncupato Visitatore Apostolico Congregationis hujusmodi a Nobis deputato decreverunt, ut de cætero Novitii post probationis annum votum stabilitatis, cujus dispensatio Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti reservata sit, emittere teneantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Congregationis.

§. 1. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui ad Dubium propositum, an & quomodo præfatorum exponentium precibus esset indulgendum in casu &c. affirmative pro ingressuris tantum, responderunt consilio, dispensationem super dicto Voto perseverantiæ Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat auctoritate Apostolica tenore præsentium reservamus, & quatenus e dicta Congregatione sine dispensatione hujusmodi egrediantur ab exercitio Sacrorum Ordinum suspensi remanere debeant, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Reservatio d. dispensationis pro ingressuris tantum secundum Congregationis Concilii Decretum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

CXLIX.

Conceditur Provinciæ Silesiæ Monachorum Cistercien. communicatio Indulgentiarum totius Ordinis, & Monasteriorum Superioris Germaniæ.

Eamdem communicationem quinimo ampliorem vide concessam pluribus Provinciis Const. ed. 1715. Mar. 7. P. 15. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jan. 25. P. 5. confirmantur privilegia Ordinis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 8. Oct. 1716. An. 16.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod Authore Deo gerimus, debitum exigit, ut paternam Christifidelium divinis obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, felicibus eorum in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere jugiter studeamus.

§. 1. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni Visitator, & Vicarius Generalis, aliique Prælati Provinciæ Silesiæ Ordinis Cistercien. Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi privilegia, gratias, & indulta quibus dictus Ordo Cistercien., ejusque Monachi Germaniæ Superioris fruuntur, sibi, ac omnibus dictæ Provinciæ Monasteriis, quemadmodum aliis Monasteriis Ordinis hujusmodi a Sede Apostolica concessum fuisse memoratur a Nobis communicari plurimum desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti, etiam filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis super præmissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt consilio, enarratam communicationem privilegiorum quoad Indulgentias tantum prædictis Prælatis, & Monasteriis Provinciæ Silesiæ hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Prælatorum pro privilegiis universis.

Concessio quoad Indulgentias tantum.

§. 2. Decer-

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Octobris MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

CL.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Regul. de alternativa inter duas filiationes Fratrum Eremit. S. Augustini Discalc. Congregationis SS. Conceptionis M. V. in Regnis Lusitaniæ, & Algarbiorum servanda.

Const. ed. 1702. Nov. 24. P. 3. extat prohibitio ne duo consanguinei suffragentur. Const. edit. 1708. Aug. 14. P. 8. abolita fuit alternativa in Provincia B. M. de Gratia. Constit. ed. 1715. Sept. 14. P. 15. Et Const. ed. 1716. Mar. 31. P. 16. Statutum fuit tempus Vicarii Gen. hujus Congregationis. Inn. XIII. Const. ed. 1723. Sep. 20. P. 3. extat moderatio Constitutionis de consanguineis. Et Benedict. XIII. Const. ed. 1727. Feb. 27. P. 2. extenditur præd. alternativa.

Dat. 26. Oct. 1716. An. 16.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Epitome duarum Const. Clem. XI. de regimine Vicarii Gen. ad triennium contracto, Superiorumque electione.

Alias Nos ad supplicationem charissimi in Christo filii nostri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illustris gubernium sexennale Vicarii Generalis Congregationis Sanctissimæ Conceptionis B. M. Virg. Immaculatæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Regno Portugalliæ ad triennale cum vacante triennali in futurum reduximus, omnesque ejus Superiores Generales constituimus, & deputavimus, cum solitis tamen vacantiis postquam iidem Superiores in eorum respective officiis, spatium sex annorum explevissent, ac Superioribus Generalibus sic a Nobis electis, & constitutis, alios Superiores subalternos, nempe Priores, Subpriores, Magistros Novitiorum, & Lectores ejusdem Congregationis, servata tamen forma circa eorumdem officiorum vacationem Constitutionis fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit -- *Circumspecta*, etiam pro Fratribus Discalceatis Provinciæ Italiæ dicti Ordinis editæ, substituendi facultatem elargiti fuimus, ea tamen lege, ut triennium Dominica sexta post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime præteritum incipere deberet, & alias, prout in binis nostris primis quidem die 14. Septembris anni proxime præteriti, novissimis vero die 31. Martii currentis anni desuper in simili forma Brevis respective expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberius continetur; Et subinde pro parte ipsius Joannis Regis Nobis exposito, quod ipse pro perpetuo ejusdem Congregationis, quæ decem Conventibus, & quatuor Vicariis constabat, stabilimento, duas particulares filiationes in eadem Congregatione, nempe unam in *Extremaduræ*, alteram vero in *de Alentejo, & Algarbiorum* respective Provinciis nuncupandas, assignando unicuique ex eis quinque Conventus, & duas Vicarias introduci desiderabat, quemadmodum Fratribus ejusdem Ordinis Eremitarum S. Augustini, & Sancti Francisci de Observantia Reformatorum; ac Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci respective nuncupat. per Nos concessum fuisse memorabatur, itaut eidem Provinciæ Extremaduræ Regius Conceptionis Montis Oliveti Ulyssiponen. Caput totius Congregationis, itidem Regius B. M. V. de Pietate de Santarem, Assumptionis ejusdem B. M. Virginis de Sobreda, Boni Jesu Villæ Portus de Mos, Beatæ Mariæ de bon hora Curiæ, & dictæ Civitatis Ulyssiponen. respective nuncupat. Conventus, necnon de Palma Civitatis Bahien. omnium Sanctorum in Brasilia, Sancti Jacobi Insulæ, Sancti Thomæ Vicariæ, ac Provinciæ de Alentejo, & Regni Algarbiorum, de Beira, Mintro, & de frans de Montes, B. M. de Mercede Civitatis Elboren. prædictæ Provinciæ de Alentejo Metropolis ejusdem Beatæ Mariæ de Orada, de Mansaras, B. M. V. de Consolatione Villæ de Extremos, Conceptionis ejusdem B. M. Virg. Ville de Monte Mox il Novo, S. Mariæ Civitatis Portalegren., etiam respective nuncupat. Conventus, necnon ejusdem B. M. V. della bona hora Ville de Setubal, ac ejusdem B. M. Virgin. de i Poveti, Villæ de Laulæ Regni prædicti Algarbiorum Vicariæ concedantur. Utque prima filiatio una cum suis Conventibus, etiam Insularum adjuncta cum supradicto Regio Conventui Conceptionis Montis Oliveti Ulyssiponen., Secunda vero filiatio Provincia de Alentejo, & Algarbiorum nuncupat. memorato Conventui ejusdem B. M. V. de Mercede addictæ esse debeant, atque in celebratione Capituli Generalis alternativa inter dictas duas filiationes servetur itaut Vicarius Generalis pro uno, ex prima, altero vero triennio ex secunda filiatione hujusmodi, prout cæteri Superiores Generales, Priores, Vicarii, Subpriores, Magistri Novitiorum, & Lectores, servata tamen æqualitate Officiorum inter Religiosos dictarum filiationum dividendorum assumantur. Si autem Vicarium Generalem ante ultimum annum triennii sui Gubernii præmori contigerit, cum novus Vicarius juxta Constitutionum Apostolicarum dispositionem eligendus sit ex ea filiatione, cujus erat Defunctus, eligi debeat, idque etiam in casibus magni momenti, vel renunciationis, aut depositionis ab officiis dicti Vicarii Generalis, aliorumque Superiorum Generalium, Priorum, Subpriorum, Magistrorum Novitiorum, & Lectorum servandum sit. Si vero progressu temporis, novos Conventus in posterum in eadem Congregatione augeri contigerit, primus scilicet primæ filiationi Extremaduræ, alius vero erigendus Conventus hujusmodi alteri filiationi de Alentejo accrescat, & si Conventus hujusmodi in Provincia de Beyta Minho, & de tras dos Montes nuncupat. numero quatuor, vel plures essent, tertia filiatio uni ex hujusmodi Conventibus erectis addicta, ubi filii dictarum Provinciarum congregabuntur, fiat, & tunc turnus, seu circulus tripartitus conficietur, ita ut tunc Vicarius Generalis in uno ex Conceptionis, in altero ex Beatæ Mariæ de Mercede & in reliquo triennio ex nova filiatione aucta eligetur, idque etiam in aliorum Officiorum subalternorum repartitione servari debeat: Ideoque pro parte ejusdem Joannis Regis Nobis supplicato, ut pro communi ejusdem Provinciæ pace, & tranquillitate, ac perpetua Constitutionum Apostolicarum observantia alternativam prædictam confirmare dignaremur. Nos supplicem Nobis super præmissis porrectam ad

Preces Regis pro triplici filiatione, & tripartita alternativa, cujus modus describitur.

Congregationem Venerabilium Fratr. Nostror. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, præpositam: Eadem vero Congregatio Decretum edidit tenoris sequentis, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus D. N. supplicem hunc libellum benigne remisit, attentis narratis, referente Eminentissimo Sanctæ Priscæ, petitam gratiam alternativæ inter duas filiationes existentes benigne impertita est, in reliquis instantiam rejecit. Romæ 25. Septembris 1716. -- F. Cardinalis de Abdua -- R. Archiepiscopus Damascenus Secretarius.

Decretum Congregationis pro duplici dumtaxat filiatione, & bipartita alternativa.

Preces Regis pro Decreti confirmatione.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte ejusdem Joannis Regis Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos piis ejusdem Joannis Regis votis annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictorum Conventuum, Congregationis, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Octobris MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

CLI.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium approbans Decretum Capituli Fratrum Prædicatorum Provinciæ Portugalliæ super immoderatis expensis fieri solitis a Monialibus in earum officiis.

Innoc. XI. Const ed. 1685. Feb. 22. P. 9. confirmatæ fuere Constitutiones Monialium Recollectorum SS. Trinitatis in Hispania. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Sep. 19. P. 4. prohibentur Monialibus S. Radegundæ Mediolanen. musici concentus figurati.

Dat. 12. Dec. 1716. An. 17.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Epitome Decreti Capituli Provincialis 1714. celebrati.

NUper pro parte dilectorum filiorum Dominici a Sancto Thoma Vicarii Generalis, & Diffinitorum Capituli Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Prædicatorum Congregationi venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod cum ipsi mature considerassent damnum, ac scandalum, quod ex causa immoderatarum expensarum quæ per Moniales ejusdem Ordinis in ipsarum officiis ultra id eis permissum fieri solebant, oriebatur, in eorum Capitulo anno 1714. celebrato prohibuerant sub pœna excommunicationis majoris ab ipsis Monialibus incurrenda, ne ipsæ plus illo, quod per eas in eorumdem officiorum exercitio, excepto tamen illo Sacristanæ quoad expensas ad cultum Divinum spectantes, viginti ab illinc annis impendebatur, erogarent, & alias prout in Decreto dicti Capituli ab iisdem exponentibus die 24. Aprilis ejusdem anni subscripto, tenoris sequentis videlicet. -- *Fr. Domenico di S. Tomaso Maestro in Sacra Teologia, Consultore di S. Offizio, e Vicario Generale di questa Provincia di Portogallo con li PP. Definitori del Capitolo celebrato in quest' anno 1714. Avendo Noi considerato li perniciosi effetti, che ne nascono di spendere le Monache nelli loro Offizj più di quello, che possono, e che si costumava, senza riguardo al voto della povertà, e con scandalo de' Secolari, ed altri danni, alli quali dobbiamo dar rimedio, comandiamo sotto precetto formale, e di scomunica maggiore ipso fatto incurrenda, che veruna Religiosa di questa nostra Provincia spenda nel i Offizj più di quello, che si costumava spendere venti anni sono, per il che non gli sia sufficiente pretesto ricevere dalli loro Padri, o Parenti, ed Amici quello, che vorrebbero spendere di più, eccettuato però nell' Offizio, e carica di Sagrestana per quello appartiene al culto Divino, e sotto il medemo precetto, e censura commandiamo alle Superiore, che faccino osservare questa disposizione, e Ordine, e sappino non essere eccettuate dalla medema legge per quello appartiene a' loro Offizii. Dato in questo nostro Convento di S. Domenico di Lisbona li 26. Aprile 1714. -- Fr. Domenico di S. Tomaso Priore, e Vicario Generale. -- Fr. Galuto Maestro, e Definitore. -- Fr. Emmanuele de Aguiar Maestro, e Definitore. -- Fr. Gio. di Santa Maria Dottore, e Definitore. -- Fr. Antonio de Sacramento Dottore, e Definitore. -- Registrat. fol. 102. Fr. Gio. di S. Alberto Secretario, e Complimentario. Loco ✠ Sigilli.* -- Ideoque pro parte dictorum exponentium eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut prædictum Decretum sub eisdem Censuris, vel privationis vocis activæ, & passivæ pœnis Sedi Apostolicæ, vel prædictæ Congregationi Cardinalium reservatis, confirmaret, prohibendo insuper, ne ullus superior regularis, nec quidem noster, & pro tempore existens Nuncius Apostolicus in illis partibus super præmissis nisi id ei a Sede prædicta permissum fuisset, dispensare valeret, emanavit ad eorumdem exponentium supplicationem a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audita relatione Nuncii Apostolici Ulyssipone residentis, ac attentis narratis, præfatum Capitulare Decretum P. Vicarii Generalis, & Diffinitorum Ordinis Prædicatorum in omni sui parte benigne approbavit, & confirmavit, & moderno Patri Provinciali Provinciæ Portugallien., ejusque pro tempore successoribus injungit, ut pro omnimoda illius observantia invigilent. Romæ 25. Septembris 1716. -- F. Cardinalis de Abdua. R. Archiepiscopus Damascenus.

Decretum præd., quo prohibentur sub majori excommunicatione expensæ excedentes eas fieri solitas 20. abhinc annis.

Decretum Congregationis confirmans recensitum Decretum.

Preces Vicarii, & Definitorum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte eorumdem exponentium Nobis nuper expositum fuit, ipsi secundo dictum Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum præfatæ Congregationis Cardinalium Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

[Margin: ...onfirmatio ...ati Decre-]

[Margin: ...lausulæ.]

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XII. Decemb. MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

CLII.

Conceditur Nuncio Hispaniarum facultas absolvendi a Censuris, & pœnis eos qui libertatem, Immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam violarunt.

Causas harum censurarum vide in Constitutione, quæ hic refertur. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Mar. 17., P. 5. conceditur absolutio a quodam voto pro Magistratu Pampilonen.

Venerabili Fratri Pompejo Archiepiscopo Neocesarien. Nostro, & Apostolicæ Sedis in Hispaniarum Regnis Nuncio.

[Margin: ...at. 12. Jan. ...17. An. 17.]

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dudum a nobis emanarunt Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet.

[Margin: Constitutio Clemen. XI. ...11. Oct. 17. ...ita, qua ...lla declarantur acta ...nnia in executione ...uncii Apol. ejusque ...ibunalis ...olitione, interdicto]

§. 1. CLEMENS Papa XI. *Ad futuram rei memoriam.* Alias ad Apostolatus nostri notitiam delatis iis, quæ non ita pridem in Regnis Hispaniarum, non minus adversus sanctiora quævis Ecclesiæ jura, & libertates, quam adversus nostram, & Apostolicæ Sedis dignitatem, ac jurisdictionem per sæculi potestatem, non sine maximo totius Christiani Orbis scandalo, perpetrata fuerant, potissimum vero per Nos accepto, quod expulso ab eisdem Regnis Venerabili Fratre Antonio Felice Archiepiscopo Damasceno, Nostro, & dictæ Sedis Nuncio, simulque inde ejectis omnibus illius Curiæ Officialibus, ac proinde abolito prorsus Pontificio Tribunali, occupatisque Tabulariis ad illud pertinentibus, Venerabiles Fratres Archiepiscopi, & Episcopi prædictorum Regnorum ad Causas, quæ eis minime competebant, cognoscendas, aliaque jura ad eamdem sedem, ac illius Nuncium pro tempore existentem unice spectantia exercenda, Regii Nominis auctoritate, seu potius abusu, injuste non minus, quam nulliter excitati fuerant: Quocumque fidelibus illarum partium cum hac Romana Curia, ubi nos universæ Ecclesiæ regimen nullis licet meritis nostris, præsidemus vetito commercio, omnique eorum ad illam pro gratia, sive justitia obtinenda recursu ita penitus interdicto, ut illis etiam qua de causa ex Hispaniis huc advenerant, sub comminatione Regiæ indignationis jussum fuerit, quatenus a cœptis desisterent atque ad propria sine ulla mora reverterentur; nec sane minori ausu inter alia multa utrique Clero earumdem partium perperam injuncta, Regularibus universis vetitum fuerat, ne superioribus Generalibus suorum Ordinum in hac Alma Urbe commorantibus, non secus acsi apud Hostes degerent, ullum cultum, ullamve obedientiam, qua eis cæteroqui solemnis voti Religione obstricti reperiebantur, exhibere præsumerent; ac demum ad Nos allato, quod ad conflandam majorem Regio Nomini invidiam, inter cætera antehac ibi inaudita, acerbissimum Pontificiæ nostræ auctoritati inflictum fuerat vulnus, novis Literarum Apostolicarum executioni interjectis impedimentis, quibus illæ contra fas omne Laicorum hominum censuræ subjiciebantur; aliaque plura, quæ longum nimis esset referre, in maximum Ecclesiasticæ Potestatis contemptum, & injuriam patrari contigerat, perinde acsi inclytæ Hispanorum Nationi ob cultum pietatis, singularem in Romanos Pontifices devotionem per omnes ætates summopere commendatæ, ignotum esset gravissimis per Sacros Canones irrogatis pœnis, ac censuris illos irretiri, qui Arcam Dei prophana manu sic attingere, sacraque Ecclesiæ jura conterere non exhorrent. Nos præmissa omnia in mœrore, & amaritudine cordis nostri serio considerantes, tum paternis Literis, quas lacrymis potius, quam atramento conscripsimus, tum aliis adhibitis mediis, arguimus, obsecravimus, increpavimus, instantes opportune, importune, juxta Apostoli monitum in omni patientia, & doctrina, ut prænarrati excessus, debita actorum rescissione, congruaque tantorum gravaminum reparatione sarcirentur; charitati interea nostræ diuturniori longanimitate indulgentes, ut qui illa admiserant, in eam a qua tam longe aberraverant, justitiæ viam, agnita tandem veritatis luce, redirent. Cum autem, non sine ingenti animi nostri molestia, nuper accepimus, pravis illorum prævalentibus consiliis, qui ad tutelam, & amplificationem Regiæ Dignitatis pertinere arbitrantur Ecclesiasticam auctoritatem modis omnibus impetere, quæcumque Nos hac in re charitate suadente, & quasi antehac actorum obliti, hucusque peregimus, parandæ optatæ tranquillitati adeo non profuerint, ut iis penitus neglectis, nova potius in dies gravamina prioribus adjecta fuisse audiverimus: Cujusmodi profecto sunt decreta illa, quibus sæcularem potestatem eo devenisse percepimus, ut non modo ad vacantium in dictis partibus Ecclesiarum fructus, juxta veterem, ac immemorabilem consuetudinem, necnon notissimam tot Apostolicarum Constitutionum dispositionem ad Cameram Nostram Apostolicam spectantes, manu apposuerit, contemptis prorsus Ecclesiasticis Censuris tam generatim, per Concilium Tridentinum sess. 22. de Reformat. capit. XI. adversus

[Margin: commercii cum Rom. Curia, in executione Literarum Apost. & occupatione redditum ac fructuum Ecclesiast.]

cujusvis Ecclesiæ bonorum, rerum, jurium, fructuum, ac redditunm occupatores latis, quam speciatim per easdem Apostolicas, ac præsertim felic. record. Pauli III., Julii etiam III., Pii V. ac Gregorii XIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super Ecclesiarum in Hispaniis vacantium fructibus, illorumque administratione editas Constitutiones, adversus illarum transgressores inflictis; Verum etiam novam quandam ab Hispanis in Apostolicarum Literarum expeditione servandam formam, & hanc quidem Pontificiæ jurisdictionis summopere læsivam, ac illius libertatis, qua fidelibus omnibus in suis potissimum spiritualibus necessitatibus, ad hanc Sanctam Sedem unde Catholicæ Religionis oracula in universum Orbem diffunduntur, recurrere fas est, penitus eversivam, præscribere non erubuerit. Hinc est, quod Nos, ne in tam aperta Apostolicæ authoritatis, atque Ecclesiasticæ Immunitatis oppugnatione torpescere videamur, desertæque turpiter Dei Causæ rei efficiamur: tametsi notorii, & explorati juris sit ea omnia, quæ in præjudicium Ecclesiæ, ejusque jurium, præsertim a Laicis, quovis modo attentantur, nullius prorsus esse roboris, & momenti: quinimmo rec. me. Urbanus Papa VIII. itidem Prædecessor noster dictæ Apostolicæ Sedis, Romanæque, & aliarum inferiorum Ecclesiarum, ac Personarum Ecclesiasticarum; Jura quæcunque a præjudicialibus hujusmodi per quamdam suam Constitutionem die 5. Junii 1641. editam amplissime præservaverit; Ac nos ipsi plura ex præmissis, quæ tunc nobis innotuerant, quæque in quibusdam Literis ante duos annos Episcopis, Ecclesiis, Universitatibus, ac Clero Regulari Hispaniarum a seculari potestate conscriptis continebantur, nulla, irrita, invalida, damnata, & reprobata fuisse, & esse per alias nostras in simili forma Brevis Literas die 11. Octobris 1709. expeditas, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, declaraverimus: Nunc Ecclesiæ & dictæ Sedis jurium indemnitati peramplius consulere, necnon Animarum periculis quantum Nobis ex alto conceditur, uberius occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Decreta, Ordinationes, Literas, Intimationes, Mandata, Edicta, & alia quælibet in præmissis, seu earum occasione in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Apostolicæ respective quovis modo emanata, edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nullius roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri; imo nec ea a quopiam observari posse, vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel præscribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed proinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non existentibus, & non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore præsentium denuo declaramus. Et nihilominus ad majorem & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur, seu firmas præterea, ac salvas esse similiter volumus, atque decernimus, quascumque censuras, & pœnas Ecclesiasticas, quas ii omnes, qui præmissa perpetrarunt, mandarunt, vel rata habuerunt, seu in eis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint, propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, a quibus, post condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem, nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari valeant. Facultatem insuper nobis, & eidem Sanctæ Sedi expresse reservata, quatenus illi minime redierint ad cor ad alia canonica, & severiora remedia quandocumque procedendi.

Declaratio nullitatis memoratorum omnium, ex quibus plura jam antea nulla declarata fuerant Constitut. ed. 1709. Oct. 11.

Absolutio Censurarum & pœnarum reservatur Apostolicæ Sedi.

§. 1. Decernentes etiam easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod præfati, aut alii quicunque in præmissis, seu eorum aliquod jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus,

Clausulæ amplissimæ.

Provin-

Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium instantiam, vel earum contemplatione, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie etiam consistorialiter in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Octobris MDCCXI. Pontificatus nostri Anno XI.

Petitio nonnullorum pro absolutione.

§. 2. Cum autem, sicut nuper accepimus, plerique ex eis, qui excessus in præinsertis nostris Literis relatos sive eorum aliquem commiserunt, aut alias quoquo modo in illis culpabiles fuerunt, ad cor reversi, ac probe agnoscentes se propter præmissa censuras, & pœnas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversus similia perpetrantes damnabiliter incurrisse, absolutiones a censuris, & pœnis hujusmodi petere, ac quicquid eis pro illa obtinenda præscriptum fuerit, exacte adimplere parati sint. Nos veterem Apostolicæ Sedis morem, quæ tanquam pia Mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis propitiam se solet exhibere, ac benignam servare volentes, Fraternitati tuæ, de cujus fide, integritate, ac prudentia plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, ut si, & postquam Tibi constiterit, super omnibus, & singulis in præjudicium libertatis, Immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Apostolicæ quovis modo perpetratis, quæ in præinsertis Literis enunciantur, plene, ac congrue, quemadmodum Tibi significavimus, Ecclesiæ, & Sedi prædictæ satisfactum fuisse, omnes, & singulos prædictos, qui præmissa peregerunt, aut alias in illis quovis modo culpabiles fuerunt, sive Laicos, sive Clericos tam sæculares, quam Regulares ad Te recurrentes, cujuscumque status, Ordinis, gradus, Dignitatis, & conditionis existant, ac eorum quemlibet si hoc a Te humiliter petierint, & vera pœnitentiæ signa ostenderint, factaque prius per eos promissione, quod in futurum a similibus abstinebunt, & quicquid eis præscriptum, & injunctum fuerit, priusquam infrascriptæ absolutionis beneficium obtineant, observabunt, & adimplebunt, a Censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas proter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse, dici, censeri, vel prætendi possent, injuncta cuique pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda injunctis, in utroque foro auctoritate nostra Apostolica absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiose remittas, & condones, ac cum illis, qui Clerici, seu etiam Presbyteri, imo & in Episcopos consecrati fuerint, super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter eadem præmissa innodati Missas, seu alia Divina officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrarunt, seu alias in suis Ordinibus ministrarunt, quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum in utroque foro dispenses, ipsosque, & eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon beneficia, & Officia Ecclesiastica quæcumque cæteroqui tamen canonice per eos obtenta, aut alias in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, & adversus eadem præmissa rehabilites, restituas, reponas, & plenarie reintegres; Nos enim Tibi quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem, quam etiam aliis, prout Tibi opportunum videbitur, communicare, & subdelegare valeas, dicta auctoritate, harum serie tribuimus, & impertimur.

Concessio Nuncio Apostol. facultatis absolvendi petentes, servatis servandis a censuris, & pœnis; dispensandi super irregularitate, & in statum pristinum restituendi.

Clausula.

§. 3. Non obstantibus Literis Nostris præinsertis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

CLIII.

Confirmantur Literæ Patentes Commissarii General. Indiarum Occident. Ordinis Min. de Observ. de Visitatore Provinciæ Chilensis.

Const. ed. 1713. Jun. 16. P. 13. concessum fuit suffragium Superioribus cujuscumque Cœnobii Constit. ed. 1717. Sept. 7. P. 17. agitur de deputatione Visitatorum pro Provincia Fluminis Januarii. Et Bened. XIII. Const. ed. 1724. Decemb. 20. P. 1. de Visitatore pro Provincia Tucumanis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 25. Jan. 1717. An. 17.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Musillo Frater expresse professus, ac Custos, & Procurator Provinciæ Chilensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod alias dilectus etiam filius Josephus Sanz Commissarius Generalis Provinciarum earumdem Indiarum ad parcendum innumeris expensis, quæ pro Visitatoribus euntibus ad visitandos Conventus supradictæ Provinciæ Chilen. requiruntur, per suas Patentes Literas desuper emanatas præcepit, ut in posterum non admittatur, nec recipiatur in Provincia hujusmodi aliquis Visitator ex alia Provincia, nisi solum ex illa Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Tucumanis, prout continetur in ipsius Josephi Commissarii Generalis Literis prædictis tenoris qui sequitur, videlicet -- Frater Josephus Sanz Ordinis Sancti Patris Nostri Francisci Regularis Observantiæ

Literæ præd. an. 1715. edi.

Lector

tæ de recipiendo solo Visitatore Provinciæ Assumtionis B. M. Tucumanis, vel Commissario Gener. Peruviano.

Lector jubilatus, Examinator Synodalis Archiepiscopi Toletani, Theologus Regis Catholici in Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Congressu, Exprovincialis Provinciæ Castellæ, Pater ejusdem, & Provinciarum Aragoniæ, & Cathaloniæ, ac Commissarius Generalis omnium Occidentalium Indiarum cum plenitudine potestatis, & Servus &c. Reverendo Patri Provinciali, & Venerabili Diffinitorio nostræ Provinciæ Sanctissimæ Trinitatis de Chile salutem, & pacem in Domino Nostro Jesu Christo &c. Cum certiorati simus de excessivis expensis, quibus gravantur illæ nostræ præfatæ Provinciæ, quando RR. Patres Visitatores ad eas visitandas nominantur ex aliis longinquis Provinciis, & quod sint illæ gravissimæ, & magnæ expensæ indispensabiles, & necessariæ propter longissima itinera per Regiones desertas, ut fiat transitus ex una ad alias Provincias, ut experientia notum est. Et cum propter præfatæ nostræ Provinciæ Sanctissimæ Trinitatis paupertatem nequeant fieri illæ magnæ expensæ necessariæ ad conducendum Visitatores ex longinquis Provinciis, Nos propterea desiderantes, ut in prædicta nostra Provincia evitentur tam graves sumptus seu expensæ, necnon & adhærendo Constitutioni Generali præcipienti, eligi Visitatores ex propinquioribus Provinciis, ideoque virtute harum nostrarum Literarum, nostro nomine, & propria manu subscriptarum, & quas sigillo majori nostri Officii sigillamus, & per nostrum Secretarium attestamur, præcipimus, & ordinamus, ut deinceps non admittantur, nec recipiantur in præfata nostra Provincia aliquis Visitator ex alia Provincia, nisi solum ex illa Assumptionis Virginis Mariæ Tucumanis, quæ proximior est, ut hoc modo occurratur damnis, quæ evenire possunt ob excessivas expensas; & ut observetur generalis Constitutio nostri Ordinis; quapropter mandamus, ut statim, ac ipsæ nostræ Literæ Patentes accipiantur in præfata nostra Provincia, intimetur nostrum mandatum in eis contentum R. Patri Commissario Generali nostrarum Provinciarum Regni Peruani, ut de illo sit admonitus; cui insuper mandamus virtute sanctæ obedientiæ, & Spiritus Sancti, quod nullo modo, nec sub aliquo prætextu, se opponat, nec contradicat nostro mandato, & dispositioni, nisi solum in casu, quo sua Paternitas Rev. velit sua propria Persona, prædictam Provinciam visitare. Datis in hoc Conventu Sancti Francisci Matriti die 31. Julii 1715. -- Frater Joseph Sanz Commissarius Generalis Indiarum -- Loco ✠ Sigilli -- De mandato S. Remæ -- Fr. Clemens Zurita Secretarius Generalis Indiarum.

Preces Procuratoris Chilen.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Procurator præmissa, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Joannem Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter filium modernum, Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt, consilio, præinsertas Patentes Literas a memorato

Confirmatio relatarum.

Josepho Commissario Generali Indiarum expeditas, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Januarii MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

CLIV.

Prohibetur, ne Superiores Provinciæ Portugalliæ Fratrum Carmelitarum antiquæ observ. permittant, Fratres Musicos canere in alienis Ecclesiis.

Const. ed. 1707. Aug. 41. P. 7. revocatæ fuere facultates manandi extra Cœnobia dd. Musicis concessæ. Et Bened. XIII. Const. ed. 1726. Jan. 14. P. 3. concessum fuit Indultum super quodam onere Missarum.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 22. Febr. 1717. An. 17.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Andreas de Cerquiera Provincialis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo antiquæ observantiæ Provinciæ Portugalliæ, quod cum in prædicta Provincia, & præsertim in Conventu Ulyssiponen. mos inoleverit, aliquos pueros ad habitum regularem admittendi, ipsosque Musicam, & Musicalia Instrumenta edocendi, ut Divina officia melius concinantur, & festivo concentu solemnes festivitates celebrentur, ac in id assequendo dictus Conventus immodicas pecuniæ summas consumat; prædicti vero Juvenes sic ad habitum Regularem hujusmodi admissi, & edocti, postquam suam statuto tempore professionem per Fratres dicti Ordinis emitti consuetam expresse emiserint regularem, ac in Sacro Presbyteratus Ordine constituti sint, multiplici prætextu hanc Sanctam Sedem, ejusque pro tempore existentes in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncios pro obtinendis indultis, & gratiis adeant, ut retento habitu regulari hujusmodi, vel prætextu, quod Parentibus pauperie laborantibus subveniant, aut Sororibus, Neptibusque eleemosynas e Musico exercitio collectas contribuant, alii autem servitio Ecclesiarum Cathedralium inservientibus

Quomodo introductus hujusmodi abusus, & mala inde exorta.

& id ipsum postulantibus locorum Ordinariis, se mancipari faciant, & ita relaxata disciplina regulari, spretaque Superiorum obedientia sine sociis vagentur, pecuniasque retentas in pessimos usus convertere, & si forte Superior Religionis id eis impedire prætendat, statim recursus non solum ad eosdem Nuncios, sed etiam ad Tribunalia Sæcularia interponant: ex quibus omnibus non solum præfato Conventui maximum detrimentum, sed & Ordini prædicto inexplicabile dedecus, cum notoria, ac pessima vitæ Regularis, Votorumque emissionis relaxatione, & obedientiæ jactura afferri soleat, ipse Andreas Prior Provincialis tot malis occurrere exoptans, Prælatis Superioribus, & localibus Conventuum, Prioribus Provinciæ, & Ordinis prædictorum præsentibus, & futuris sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, necnon officiorum pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis, ne de cætero fratribus Musicis licentiam exeundi e Monasterio ad festivitates celebrandas in aliis Ecclesiis, quam prædicti Ordinis, excepta Capella Regia, vel quando Communitas ipsa cum Cruce ad eas peragendas accedit, concedere audeant, seu præsumant per Nos prohiberi, & indulta habitus retenti, aliasque gratias similes tam a sede prædicta, quam ab illius Nunciis desuper obtenta revocari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

[Preces Provincialis pro prohibitione sub excommunicationis pœna, & privationis utriusque vocis, & officiorum.]

§. 1. Nos igitur ipsius Andreæ Prioris Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti pariter filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, superioribus quibuscumque prædicti Ordinis, sub pœnis, ut petitur, excepta illa excommunicationis, ne deinceps licentiam super præmissis ullatenus concedant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium prohibemus, & interdicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[Prohibitio præd. sub privationis vocis, & officiorum pœna tantum.]

[Clausulæ.]

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Provinciæ, Ordinis, & Conventuum prædictorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCCXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

CLV.

Confirmantur binæ resolutiones Capituli Generalis Congregationis Presbyterorum Piorum Operariorum de celebratione ejusdem Capituli.

Constitutiones confirmatæ fuere a Greg. XV. Const. edit. 1621. Apr. 1. P. 1. & Urb. VIII. Const. edit. 1634. Nov. 6. P. 12. Hujus Pontificis Const. ed. 1712. Jan. 3. P. 12. concessa fuit Ecclesia, & Collegium S. M. Montium de Urbe. Et Bened. XIII. Const. edit. 1726. Junii 3. P. 2. interdicitur omnibus sibi assumere nomen Piorum Operariorum.

CLEMENS PAPA XI.

[Dat. 1. Apr. 1717. An. 17.]

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpositus, & Capitulum Generale Congregationis Presbyterorum Piorum Operariorum nuncupat., quod in eorum Constitutionibus inter cætera potissimum ex Cap. 20. eruitur, quod Capitulum dictæ Congregationis singulis annis cogi, omniaque ejusdem Congregationis Officia ad annum esse debeant; Itidem in Capitulo 3. earumdem Constitutionum constituitur, quod in receptione vocalium, omnes, qui decennale tyrocinium in ipsa Congregatione laudabiliter expleverint, admittantur, & alias, prout prædictis Constitutionibus, quæ a fel. rec. Gregorio XV. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris Apostolico munimine in forma specifica roboratæ, atque ab ejusdem Congregationis initio huc usque servatæ fuerunt uberius asserunt contineri; Quoniam vero jampridem compertum fuit, prædictas ipsius Congregationis Constitutiones, quæ primum in Civitate Neapolitana ortum habuit, & subinde quoque extra Regnum adolevit, in ejus exordio optime accommodatas, nunc aliquo modo progressum, & bonum ipsius regimen impedire, ideoque anno proxime præterito in Capitulo Generali statutum fuit, ut idem Capitulum futuris temporibus, nonnisi triennio expleto celebraretur, dictaque Officia deinceps triennalia forent, utque vocales ad numerum tricenarium reducerentur; ita ut in casu vacationis tantum alii juxta formam præscriptam admittantur, prout in resolutionibus desuper habitis fusius asseritur etiam contineri. Porro cum die 24. Mensis Julii proxime præteriti ad enixas preces dilecti filii Moderni Procuratoris Generalis ipsius Congregationis dictæ duæ resolutiones in infrascripta Congregatione Cardinalium relatæ fuissent, ipsa Cardinalium Congregatio die 25. Septembris dicti Anni illas confirmandas esse censuit, verum quia quidam prædictæ Congregationis Piorum Operariorum Presbyteri, qui huic Congregationi ad præscriptum primitivæ Regulæ nomen dederunt, eorum prajudicium quoad restrictionem vocalium deduxerunt, prædicta resolutio ita moderata fuit, ut sine illorum, qui memoratam Congregationem ante publicationem Decreti hujusmodi ingressi fuerunt, præjudicio, procederet, sed adversus prædictas duas resolutiones, nonnullis ex eisdem piis operariis reclamantibus negotium iterum ad eamdem Congregationem Cardinalium deductum fuit, & partibus utrinque voce, & scriptis acerrime informantibus, dicta Congregatio Cardinalium stetit in decisis.

[Resolutiones prædd. anni 1716. editæ reformantes Constitutiones, sunt, de celebratione Capituli singulis trienniis de Officiis triennalibus & de numero tricenario suffragatorum.]

[A Cōgregat. Episc. & Reg. approbatæ fuere sine præjudicio eorum, qui jam antea Congregationi nomen dederant.]

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ipsi exponentes binas resolutiones hujusmodi Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis

[Preces Capituli.]

excom-

excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, binas resolutiones prædictas a memorato Capitulo Generali factas, ut præfertur cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium pro nunc confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio recensitarum resolutionum.

Clausulæ.

Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Piorum Operariorum prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Aprilis MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

CLVI. Confirmantur Privilegia, & Decreta Congregationis Episc. & Reg. ne quis vetat eleemosynam quærere Fratribus Discalc. S. Francisci Strictioris Observ.

Inn. XII. Const. ed. 1697. Maij 4. P. 6. declarata fuere quædam Privilegia FF. Strictioris Observ. Benedicti XIII. Const. ed. 1725. Dec. 10. P. 2. confirmantur Privilegia Mendicantium. Et Constit. ed. 1727. Sept. 20. P. 4. Provinciæ Reformatæ Vallis de Mazzara conceditur receptio eleemosynæ pro Missis.

Dat. 8. Julii 1717. An. 17.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Fratrum Provinciæ Matritensis, aliorumque Cœnobiorum pro confirmatione facultatis quærendi eleemosynam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Discalceati Provinciæ S. Josephi Matritensis, omniumque Regnorum tam in Hispaniis, quam Conventuum ubique existentium Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiæ nuncupat. quod ipsi privilegia eis a fe. rec. Sixto PP. IV. Prædecessore nostro in §. VIII. Bullæ Auræ concessa, necnon Decreta a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita pluries emanata, ac ad alios Regulares extensa, per quæ decernitur, quod Fratres Ordinum Mendicantium ab Ordinariis Locorum, seu ab aliis Regularibus prohiberi minimè possint, quin per se ipsos in locis, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant, sed tantum, si extra loca, ubi Conventus reperiuntur, quæritare voluerint, suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere teneantur per Nos confirmari plurimum desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii moderni Procuratoris generalis dicti Ordinis super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam viderunt, consilio, privilegia, & Decreta supra recensita, & respective extensa auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio prædd. Privilegiorum, & Decretorum.

Clausulæ.

Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis prædictorum etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Julii MDCCXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-Septimo.

CLVII. Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. de divisione Provinciæ S. Joannis Evangelistæ Insularum Azzorum, & Tertiæ Fratrum Min. de Observ.

Inn. XII. Const. ed. 1700. Jul. 10. P. 9. confirmata fuit alternativa in d. Provincia. Hujus Pontificis Const. ed. 1712. Dec. 23. P. 13. revocata fuit dismembratio Cœnobiorum a Provincia Neapolis FF. Discalc. Et Inn. XIII. Const. ed. 1722. Jun. 22. P. 2. extat commissio Nuncio Neapolis super d. dismembratione.

t. 8. Julii 7. An. 17.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Divisio in Provinciam Sancti Joannis Evangelistæ, & Custodiam SS. Conceptionis B. M. V.

Causæ plures dividendi t. Provinciam.

NUper pro parte dilectorum filiorum moedernorum Ministri Provincialis, atque Diffinitoris, omniumque fratrum Provinciæ S. Joannis Evangelistæ Insularum Azzorum, & Terleiræ respectivæ nuncupat. aliarumque Insularum Maris Oceani temporali ditioni Charissimi in Christo Filii nostri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris subjectarum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito; quod prædicta Provincia magno Conventuum, & Religiosorum numero abundans, quippe quæ ultra parvos Conventus, seu Hospitia, Oratoria, & Monasteria Monialium, quæ retinebat ab aliis septemdecim conspicuis Conventibus constituebatur, & quingentos, & ultra Religiosos numerabat, difficillime, & non sine magno ejusdem Provinciæ præjudicio, ac deplorabili Regularis observantiæ discrimine, & relaxatione ab uno tantum Ministro Provinciali regi, gubernari, & visitari poterat, nam cum prædictæ Insulæ, & signanter supradicta de Terseira, aliæque adjacentes adeo longa Maris intercapedine ab aliis Insulis Assorum disjungerentur, ut Minister Provincialis pro tempore existens pro explenda visitatione de Conventu ad Conventum iter aliquando centum quadraginta leucarum per Mare Oceanum aggredi opus haberet, hinc eveniebat, quod aut nunquam, aut rarò omnium, & singulorum Conventuum visitatio per illum compleri valebat; Et si aliquando aliquis ob disciplinæ Regularis zelum in tam vastum Pelagum se committere ausus fuerat, sæpe sæpius zelum suum sibi exitialem expertus fuerat, nam aut vorticibus absorptus, aut a Piratis deprehensus nullam utilitatem sed sibi exitium, Provinciæ luctum, & subsequentibus Ministris Provincialibus exemplum, ne similia tentarent, induxerat. Quinimo nedum Minister Provincialis, sed quamplures etiam alii Religiosi, dum de Insula in magis distantem Insulam vigore obedientiæ, aut ob exercenda Religionis officia transfretaverant, consimilia infortunia passi fuerant, nam aut perierant in Mari, aut Piratarum Algerinorum mancipia evaserant. His etiam accedebant innatæ animorum aversiones, & antipatiæ, quibus Religiosi Nationales alii alios insectabantur, unde mutua discrimina, & continuæ dissentiones inter Religiosos Insularum Sancti Michaelis, & sanctæ Mariæ unam Nationem, ac alios Insulæ Terseiræ, reliquarumque adjacentium aliam factionem respective constituentes dimanabant, adeoque hujusmodi dissidia ita excreverant, ut miscentibus sese illis etiam sæcularibus utriusque nationis, tantum scandalis non obruta fuisset, dum præ ceteris Conventus dictarum duarum Insularum Sancti Michaelis, & Sanctæ Mariæ ab eodem Ministro Provinciali, qui ex prædicta Insula Terseira fuerat, se subtraxerant, utque magis illa non exardescerent Minister Generalis dicti Ordinis dictam perniciosissimam rebellionem mediante deputatione unius Commissarii cum Jurisdictione, & superioritate in eosdem Conventus tolerare coactus fuerat, ideoque, ut tot præjudicia, incommoda, & scandala præfatæ Provinciæ de medio tollerentur, ac in illa debita quies, & Regularis disciplina restituerentur, debitumque gubernium per superiores exerceri valeret pro parte eorumdem Exponentium eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut illam scindere, & separare, constituendo quidem ex decem Conventibus, & ex aliis exiguis Domibus, seu Oratoriis, vel Hospitiis, ac Monasteriis Monialium quæ sunt in Insula præfata de Terseira, & aliis quinque adjacentibus, cum tercentorum viginti Religiosorum numero unam Provinciam cum retentione ejusdem nominis Provinciæ sancti Joannis Evangelistæ, ac cum eodem sigillo, titulis, & prærogativis, quibus a fel. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore Nostro erecta fuerat, ex aliis vero septem Conventibus cum eorum Hospitiis, Monasteriis Monialium, & aliis parvis Conventibus, si qui in duabus Insulis S. Mariæ, & Sancti Michaelis essent, unam Custodiam sub titulo, & denominatione Custodiæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Insulæ ejusdem S. Michaelis ab uno Custode, & duobus Diffinitoribus regendam, & gubernandam, quæ dilecto etiam filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Generali subjecta esse deberet, concurrente in id prædicti Joannis Regis beneplacito erigere, & creare dignaretur. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster supplicem hunc libellum benigne remisit, visis relatione P. Procuratoris Generalis Ordinis, ac Juribus deductis, reque mature perpensa, referente Eminentissimo de Abdua, Oratorum precibus indulsit juxta petita. Romæ 15. Januarii 1717. F. Cardinalis de Abdua. R. Archiepiscopus Damascenus Sec. -- Loco ✠ Sigilli.

Decretum d. Congregationis approbans recensitam divisionem.

Preces Provinciæ.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte Ministri Provincialis Diffinitoris, cæterorumque Fratrum prædictorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo ro-

bore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Julii MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno Decimo-septimo.

CLVIII. Conceditur translatio Indulgentiæ plen. perp. in festo S. Scholasticæ in diem translati festi pro Congregatione Monachorum Bursfeldensium in Germania.

Hæc indulgentia concessa fuit a Clem. X. Const. ed. 1671. Dec. 19. P. Eadem translatio præmissa fuit in Festo S. Benedicti ab Inn. XI. Const. ed. 1679. Sept. 26. P. 3.

Dat. 31. Julii 1717. An. 17.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Congregationis Bursfeldensis, & Causa translationis d. Indulgentiæ a Clem. X. concessæ.

Cum dudum fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum tam Monachorum, quam Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium eatenus erectis, & imposterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus die festo Sanctæ Scholasticæ Sororis ejusdem Sancti Benedicti, a primis Vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserit, prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis die 19. Decembris 1671. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur. Et sicut pro parte dilectorum filiorum Monachorum Congregationis Bursfeldensis in Germania Ordinis Sancti Benedicti Nobis nuper expositum fuit, festum ejusdem Sanctæ Scholasticæ, quod die X. Februarii celebratur, aliquando in aliquam ex Dominicis, sive Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, & Quadragesimæ, vel in diem Cinerum incidat, eaque de causa in alium diem transferatur, ac propterea dicti exponentes opportune super hoc a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desiderent. Nos eorumdem Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati ut quandocumque memoratum festum Sanctæ Scholasticæ ex causa prænarrata ad alium diem transferatur, Christifideles prædicti, qui aliquam ex Ecclesiis supradictæ Congregationis Bursfeldensis eo die, ad quem translatio hujusmodi facta fuerit, devote pariter visitaverint, cæteraque omnia in Literis prædictis præscripta adimpleverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem a præfato Clemente Prædecessore, sicut præmittitur, concessam consequantur, in omnibus, & per omnia, perinde ac si præmissa omnia in ipso festo non translato adimplevissent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium in perpetuum concedimus, & indulgemus.

Concessio translationis Indulgentiæ a die 10. Feb. in diem trāslati festi.

§. 1. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subcriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXXI. Julii MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno Decimo-septimo.

CLIX. Conceditur Indulgentia plen. perp. in festo Sancti Raymundi de Peñafort, & Petri Nolasci pro Ecclesiis Ordinis B. M. de Mercede.

Alex. VIII. Const. ed. 1690. Jul. 28. P. 1. extat communicatio Privilegiorum, & Indulgentiarum aliorum Regularium. Et. Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jul. 14. P. 5. confirmatur cultus immemorabilis B. Serapioni exhibito.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 4. Aug. 1717. An. 17.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cælestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris Sanctorum in Cælis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio præd. Indulgentiæ ob preces Procuratoris Gen.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex quorumcumque Conventuum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus die festo Sancti Raymundi Pennafort, ejusdem Ordinis, una cum Sancto Petro Nolasco Fundatoris a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporis valituris.

Clausulæ.

§. 2. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Augusti MDCCXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-septimo.

CLX. Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & & Reg. de suffragio Exprovincialium, Exzelosorum, & Excollegarum Ordinis S. Francisci de Paula.

Const. ed. 1710. Feb. 6. P. 10. concessa fuit alternativa tripartita pro Provincia Messanen.

Capitulis .. 1703. ..7. concessit fuit suf... ium Ex... vinciali... , Exzelo... & Excol... s in Capi... s Provin... ibus , & ... initoriis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilecti filii Bertrandi Monsinat Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum nobis exposito quod in Comitiis Generalibus dicti Ordinis Anno 1703. Massiliæ coactis pro feliciori ordinis hujusmodi regimine omnibus vocalibus visum fuerat necessarium porrigere Nobis supplicationem, quatenus cuilibet Exprovinciali nulla sententia irretito vocem in omnibus Capitulis tam Provincialibus, quam Definitoriis, etiam in casu mortis, seu depositionis, aut renunciationis concedere dignaremur, quod quidem propositum, tanquam Divinæ gloriæ incremento, regularis observantiæ nervo, ac virorum insignium promotioni proficuum Fratres pro celebratione Capituli Generalis ejusdem Ordinis Valentiæ novissime congregati nedum laudaverant, sed etiam post maturam, & accuratam rei inquisitionem illud idem privilegium pari ratione ad Fratres Exzelosos, & Excollegas generales ejusdem Ordinis unanimi consensione extendendum esse judicaverant. Nos supplicem libellum Nobis super præmissis porrectum ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam remisimus; dicta vero Congregatio Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus D. Noster supplicem hunc libellum remisit, visa relatione Patris Correctoris Generalis Ordinis, referente Eminentissimo Gualterio, censuit, ac decrevit, suprascripta duo Decreta Capituli Generalis esse confirmanda, prout præsentis Decreti vigore confirmat. Non obstantibus Constitutionibus ipsius Ordinis, ac aliis quibuscumque in contrarium facien. &c. Romæ 30. Julii 1717. -- F. Cardinalis de Abdua. J. Archiepiscopus Damascenus.

Decretum ...ongrega...nis an. ...17. editum ...probans ...tuta præd.

§. 1. Cum autem sicut dictus Bertrandus Prior Generalis, tam suo, quam totius Ordinis hujusmodi nomine Nobis denuo nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Bertrandum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes; & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum; auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

...Preces to...us Ordinis.

...onfirmatio ...lati Decre...

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Augusti MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

CLXI.

Conceditur facultas eligendi Commissarios Visitatores ex eadem Provincia pro Provincia Conceptionis B. M. Fluminis Januarii Fratrum Min. de Observ. Reformat.

De hujusmodi Commissariis vide Inn. XI. Const. ed. 1682. Maji 13. P. 7. Et Const. ed. 1688. Aug. 28. P. 13. Hujus Pontificis Const. ed. 1717. Jan. 25. P. 17. confirmatæ fuere Literæ de Visitatore Provinciæ Chilen. Const. ed. 1717. Aug. 20. P. 17. revocantur indulta personalia concessa d. Provinciæ Conceptionis, & S. Antonii. Et Bened. XIII. Const. ed. 1724. Dec. 20. P. 1. agitur de Visitatore Provinciæ Assumptionis B. M. Tucumanis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 7. Sept. 1717. An. 17.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius a Plagis Procurator Provinciæ Conceptionis Beatæ Mariæ V. Immaculatæ Fluminis Januarii Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod alias quondam Petrus Marinus Sormanus dum vixit Minister Generalis dicti Ordinis incommodis, expensis, gravissimisque molestiis, quæ ex deputatione Commissariorum Europæorum ad visitandas personas, & S. Antonii Bahiensis ejusdem Ordinis Provincias in Brasilia, earumque Capitulis præsidendum mitti solitorum proveniebant; simulque vagationibus Fratrum, qui propter Causas appellationum longissimis itineribus se committere cogebantur, opportunis rationibus occurrere volens, nonnullas ordinationes in dictis Provinciis servandas fecit per quasdam suas patentes literas die 29. Martii 1682. expeditas per quas præcepit, ne imposterum ad dictas Provincias Commissarii Visitatores Europæi mitti, sed ipsi ex eisdemmet Provinciis assumi deberent, modo sequenti, nempe, ut in quolibet Capitulo Provinciali secundo dictæ Provinciæ Sancti Antonii novum Definitorium tres Religiosos ex primodicta Provincia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in Commissarios Visitatores ejusdem Provinciæ S. Antonii eligeret, eorumque nominatio ad dictum Ministrum Generalem data prima occasione discessus alicujus navis ad partes Europæas sub pœna suspensionis a Divinis, tam a Ministro Provinciali, quam ab aliis, qui præmissa neglexissent, incurrenda mitteretur, itaut Visitatores Commissarii unius Provinciæ ex alia reciperentur, & alias prout in prædictis literis patentibus per quasdam felicis recordationis Innocentii PP. XI. die 3. Maji dicti Anni desuper in simili forma Brevis expeditas, confirmatis uberius dicitur contineri. Postmodum vero cum quondam Philippus a Matre Dei Procurator dictæ Provinciæ S. Antonii bo. me. Alderano dum vixit Episcopo Ostien. S. R. E. Cardinali Cybo nuncupato, tunc dicti Ordinis apud

A ministro Gen. an. 1682. ob nonnullas causas rejectis Commissariis Visitatoribus Europæis, constituti alii fuere ex Provincia Fluminis Januarii pro Provincia S. Antonii, & viceversa.

Sed ob novas causas a Card. Protectore an. 1688. concessum fuit,

selegi posse dd. Commissarios pro Provincia S. Antonii ex eadem Provincia.

Sedem Apostolicam Protectori exposuisset, quod dicti Commissarii Visitatores, sive ex Portugalliæ, sive ex Fluminis Januarii Provinciis hujusmodi selecti fuerant, ex se ob magnam distantiam commissum sibi munus minime adimplere poterant, ipse Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector de consensu, & approbatione Definitorii Generalis, & Ministri Generalis prædicti Ordinis die XI. Augusti 1688. per suum Decretum præcepit, & mandavit, ut de cætero in Capitulis Provincialibus prædictæ Provinciæ Sancti Antonii tres Religiosi seligi possent, iisque Ministris, vel Commissariis Generalibus pro tempore existentibus proponi deberent, ad hoc, ut unum ex his in Commissarium Visitatorem ejusdem Provinciæ constituerent, & deputarent, & in defectum primi, alterum subrogarent, quam quidem deputationem ad eamdem Provinciam quamprimum remittere deberent, ad hoc ut Commissarius Visitator intra tempus a Constitutionibus Ordinis hujusmodi præscriptum Visitationem assumere, & complere posset, & alias, prout in ejusdem Alderani Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decreto ac Literis Apostolicis in simili forma Brevis die 28. ejusdem mensis Augusti super illius confirmatione emanatis, quorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberius continetur; Sicque prædicta Provincia S. Antonii hucusque gubernata fuit.

Preces Procuratoris Provinciæ Fluminis Januarii pro simili concessione.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Antonius Procurator, quo prædictis inordinationibus, quibus dicta Provincia sua de præsenti obnoxia reperitur, occurrere valeat, prædictæ suæ Provinciæ eamdem facultatem, quæ Provinciæ S.Antonii concessa fuit, a Nobis concedi plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Antonii Procuratoris votis in præmissis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationes jam defuncti Procuratoris Generalis, & dilecti filii Moderni Vice-Prioris Generalis dicti Ordinis Discalceatorum, & Recollectorum super eisdem præmissis dictis Cardinalibus factas audiverunt, consilio Fratribus Definitorii primodictæ Provinciæ facultatem eligendi in eorum Capitulis Provincialibus tres Religiosos benemeritos, & quos magis idoneos judicaverint, eosque Ministris, vel Commissariis generalibus pro tempore existentibus proponendi adhoc, ut ex iis tribus unum Commissarium Visitatorem ejusdem Provinciæ constituant, & deputent, & in defectum primi alterum subrogent, ac deputationem ad eamdem Provinciam quam primum remittere debeant, ut Commissarius Visitator intra tempus a Constitutionibus præscriptum Visitationem assumere, & complere possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Concessio d. facultatis pro Provincia Fluminis Januarii.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCCXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

CLXII.

Statuitur, ut Capitulum Gen. Monachorum Congregationis Reformatæ S. Bernardi deinceps habeatur singulis sexenniis.

Const. ed. 1710. Oct. 3. P. 10. avocata fuit lis super æqualitate officiorum. Et Const. ed. 1719. Apr. 3. P. 19. confirmatur præsens Constitutio.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 4. Maii. 1718. An. 18.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ celebrandi Capitulum singulis sexenniis, & non amplius trienniis.

Cum (sicut accepimus) in Congregatione Reformata Sancti Bernardi Monachorum Ordinis Cisterciensis, usus Capitulum Generale, in quo tam Abbas Generalis, quam alii Primarii ejusdem Congregationis Superiores eligi consueverunt, de triennio in triennium celebrandi hactenus invaluerit; Experientia vero compertum fuerit, ex adeo frequenti Capituli hujusmodi celebratione, ac Superiorum mutatione multiplicia universæ Congregationi prædictæ adferri incommoda, & detrimenta, tum ob graves, quas singulæ Provinciæ ratione ipsius Capituli quolibet triennio, non sine earum, & Monasteriorum notabili onere, & damno facere tenentur, expensas; tam etiam ob diutinam eorumdem Superiorum ac præcipuorum Religiosorum, qui pene continuos itinerum labores subire, ac non modicum tempus in accessu, mora, & recessu a loco Capitulari absumere coguntur, a suis Provinciis, & Monasteriis absentiam. Quibus pariter accedit, quod ubi vix prædicti superiores debitam rerum ejusdem Congregationis, ac qualitatum Monachorum suæ curæ commissorum cognitionem nacti fuerint, munerum suorum eveniat vacatio. Nos considerantes pro ipsius Congregationis ejusque Monasteriorum & personarum levamento, ac felici prosperaque eorum directione, nec non Monasticæ disciplinæ conservatione expediens fore, dicti Capituli celebrationem de triennio in sexennium deinceps differri, ac proinde illorum utilitati, & commoditati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, de particularis Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus ad id a Nobis specialiter deputatorum, qui ejusmodi negotium mature; & accurate perpenderunt consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero Capitulum Generale prædictæ

Statutum præd. motu proprio factum.

Congrega-

Congregationis quolibet sexennio a proxime futuro Capitulo Generali, quod die nona currentis mensis in Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe ejusdem Congregationis celebrandum erit incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de sexennio in sexennium continuando celebretur; ita tamen ut majoris partis Vocalium, qui proximum Capitulum prædictum constituent, desuper accedat consensus, dictumque negotium, ac præsentes Literæ sub initio ejusdem Capituli Generalis per dilectum filium Nostrum Franciscum ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Barberinum nuncupatum, qui dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector existit, proponantur, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacunque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum quorumcumque & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eidem Congregationi, ejusque Provinciis, & Monasteriis, ac Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Maji MDCCXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-octavo.

CLXIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. de nomine Provinciæ S. Ivonis Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci.

Const. ed. 1708. Aug. 9. P. 8. est de electione Vicarii Gen. pro Provincia Lugdunen. Et Benedicti XIII. Const. ed. 1724. Maii 2. P. 1. agitur de transitu Fratrum Provinciæ S. Joannis in alios Ordines.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 14 Maji 1718. An. 18.

Ad futuram rei memoriam.

Ex Decreto Ministri Gen. an. 1647. edito Provinciæ Gallicanæ Tertii Ordinis nominibus Titularium, & non Provinciæ, vel districtus appellandæ sunt.

NUper pro parte dilecti filii Justiniani Guardiani Conventus Sanctæ Mariæ Miraculorum de Urbe, & Procuratoris Provinciæ Sancti Ivonis Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod alias nempe anno 1647. num. 1. Joanne a Neapoli, dum vixit, Ministro Generali totius Ordinis ejusdem Sancti Francisci decretum fuerat, quod Provinciæ ejusdem Congregationis Gallicanæ nominibus Sanctorum titularium; minime vero Provinciæ, & Districtus earum vocarentur; & in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli Congregationis Gallicanæ hujusmodi Religiosi contra formam Decreti ab eodem Joanne Ministro Generali editi, se vocari facere præsumebant; ideoque pro parte dicti Justiniani eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut Decretum hujusmodi omnino servari mandaret; emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet - Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Emo Casono mandavit, quod pro nunc citra præjudicium jurium ambarum partium in hoc Conventu tantum Sanctæ Mariæ Miraculorum Urbis servetur dictum Decretum Ministri Generalis de anno 1647. ita quod recipi non debeant in prædicto Conventu Guardiani, aliique Officiales, quotiescumque in eorum Literis Patentalibus ultra nomen Sancti, apponatur etiam illud Provinciæ, vel Districtus earum. Quo casu Guardiani, & alii Officiales in posterum deputandi, si præsentaverint Literas cum expressione Provinciæ, possint per tres menses tantum a die exhibitionis earumdem Literarum Officia exercere, quibus elapsis, eadem Officia exerceantur per Seniores cujuscumque Provinciæ, donec veniant aliæ Literæ cum sola enunciatione Sancti earum respective Provinciarum, exclusis interim Patribus de Provinciis, quæ consentire, & obedire contumaciter noluerint præsenti Decreto -- Romæ 10. Martii 1718. -- F. Cardinalis de Abdua -- J. Archiepiscopus Damascenus Secretarius. -

Decretum Congregationis confirmans illud ministri Gen. pro solo Conventu S. Mariæ Miraculorum de Urbe sub certis pœnis.

Preces Guardiani D. Conventus.

§. 1. Cum autem sicut dictus Justinianus Nobis subinde exponi fecit, ipse secundo dictum Decretum, quo firmius subsistat Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ipsum Justinianum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum præfatæ Congregationis Cardinalium Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Gallicanæ, & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Maji MDCCXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimo-Octavo.

CLXIV. Confirmatur Decretum Congregationis Indulgent. de communicatione Indulgentiarum Congregationis Lateranensis Congregationi Canonicorum Windesinen. in utraque Germania.

Inn. XIII. Const. ed. 1722. Maji 19. P. 1. declaratur hujusmodi fruitio Indulgentiarum pro Canonicis superioris Germaniæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 30. Jul. 1718. An. 18.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio facta pro communicatione Privilegiorum, & Indulgentiarũ Congregationis Lateranen.

NUper pro parte dilecti filii Bernardi Goeken Prioris Monasterii Georgimontani in Granhof Hildesimen. Diœcesis, & Præpositi Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Windesinen. Ordinis S. Augustini in utraque Germania Congregationi venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris reliquiis præposita expositæ, quod ipse prædictam suam Congregationem, ejusque Ecclesias tam eorumdem Canonicorum, quam Canonissarum, omnium privilegiorum, & gratiarum, quibus Congregatio Canonicorum Lateranensium fruitur, necnon Indulgentiarum in Sanctorum Augustini, & Monicæ illius Genitricis, Patritii, Frigdiani, & Ubaldi Episcoporum festis diebus, & die 5. mensis Martii, qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti commemoratio ibidem fieri solet, ac aliarum Congregationi Lateranen. ejusdem Ordinis S. Augustini a Sede Apostolica concessarum participem per Nos declarari plurimum cupiebat, quemadmodum in quibusdam fe. re. Urbani VIII., & Innocentii XII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum annis 1624. & 1691. respective expeditis literis constare dicebatur. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita declaravit Ecclesias Canonicorum, & Canonissarum Congregationis Windesinensis ubique existentes participes esse omnium Indulgentiarum, quibus gaudet Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium. Quam Sacræ Congregationis sententiam per me Secretarium, Sanctissimo Domino nostro relatam die 23. ejusdem mensis Sanctitas Sua benigne approbavit. C. de Hieronymis Sec.

Decretum Congregationis Indulgentiarum pro concessione Indulgentiarum tantum.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Bernardus Prior, & Præpositus Generalis nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Bernardi Prioris, & Præpositi Generalis votis, hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Preces Præpositi Gen.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDCCXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimo octavo.

Confirmatur, & innovatur Constitutio Clementis X. revocans, & prohibens privilegia personalia pro Provinciis Fratrum Min. Discalc. in Brasilia. CLXV.

Laudata Constitutio ed. fuit pro Reformatis an. 1672. Oct. 7. P. 3. & hic refertur. Hujus Pontificis Const. ed. 1717. Sept. 7. P. 17. extat Statutum de Visitatore Provinciæ Conceptionis Fluminis Januarii. Et Const. ed. 1720. Sept. 7. P. 20. abolentur indulta Lectorum, Prædicatorum, & Magistrorum Reform.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 20. Aug. 1718. An. 18.

Ad futuram rei memoriam.

ADmonet Nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiæ, ut illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pro felici Christifidelium, qui abnegantes semetipsos e fluctibus sæculi in Regularis vitæ portum confugerunt directione, & quiete salubriter constituta esse dignoscuntur, quo servetur imposterum exactius, innovemus, & Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio constabiliamus. Exordium.

§. 1. Dudum siquidem a fel. rec. Clemente PP. X. Prædecessore nostro emanarunt literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur. Videlicet.

§. 2. CLEMENS PP. X. *Ad perpetuam rei memoriam.* Sacrosancti Apostolatus Officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati nostræ, mentis licet, & viribus longe impari committere dignata est sa-

Constitutio Clem. X. qua revocata fuere, & in posterum prohibita pri-

lubriter exequi jugi vigilantia satagentes, in eam præcipue curam solicitis studiis incumbimus, ut Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, sublatis iis, quæ regulari eorum observantiæ, atque disciplinæ detrimentum adferre noscuntur, juxta regularia eorum Instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multiplicibus in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis. Cum itaque (sicut accepimus) in ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, & Reformatorum, seu strictioris observantiæ nuncupatorum introductus fuerit abusus, ut passim fratribus Indulta voti perpetui, aliaque privilegia personalia concedantur, ex quo magnum relaxationi ostium aperiatur, & gravissimum paupertati & humilitati, quas dictus ordo profitetur, nocumentum infertur: Nos, qui Regularem disciplinam ubique vigere, & omnem illius relaxationi viam præcludi summopere cupimus, de opportuno remedio quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac fel. rec. Urbani VIII. prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & quæcumque Indulta, seu privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis Fratribus cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis existant (Charissimorum in Christo filiorum nostrorum Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Concionatoribus, & Confessariis dumtaxat exceptis) quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione; & ad cujusvis instantiam, & supplicationem; tam a Nobis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac a quibusvis S. R. E. Cardinalium Congregationibus, quam etiam a Venerabili Fratre nostro Francisco Episcopo Ostien. ejusdem S. R. E. Card. Barberino nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore, aliisque ejusdem Ordinis Protectoribus, ac a quibuslibet Ordinis hujusmodi superioribus hactenus quoquo modo contra, & præter Regularia Ordinis prædicti Instituta, per Apostolicas Constitutiones concessa harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque perpetuo revocata, cassata, abrogata, & abolita, viribusque, & effectu vacua fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cætero a quoquam concedi posse; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, privationisque suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso incurrendis, dilectis filiis Ministro, ac Vicario, seu Commissario Generalibus, & Ministris Provincialibus, aliisque dicti Ordinis Superioribus, ut quamprimum præsentes nostræ literæ ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres, & Fratres Ordinis hujusmodi similia Indulta, seu privilegia habentes, illis eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant, vel permittant, inobedientes quoslibet, & rebelles opportunis Juris, & facti remediis juxta Regularia ejusdem Statuta Apostolica authoritate confirmata, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recursu remotis compescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis literis Apostolicis super concessione, seu confirmatione concessionis privilegiorum hujusmodi emanatis, aliisque Ordinationibus, & constitutionibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Octobris 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

§. 3. Cum autem sicut dilecti filii Fratres Provinciarum S. Antonii, & Immaculatæ Conceptionis in Brasilia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi ne imposterum in Provinciis hujusmodi ambitionis, & relaxationis laxentur habenæ, præinsertas literas per Nos confirmari, ac alias opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desiderent. Nos inviolabili præinsertarum literarum observationi quantum cum Domino possumus, peramplius consultum esse cupientes, ipsosque Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui dilectum filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt consilio, præinsertas Clementis Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis pro dictis duabus Provinciis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac, quatenus opus sit innovamus; necnon insuper Indulta, seu privilegia personalia hujusmodi etiam a nunc & pro tempore existente nostro, & dictæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio, concedi minime posse, ac concessa nullum habere vigorem, nec executionem dicta authoritate harum serie decernimus, & declaramus.

Preces Provinciarum in Brasilia.

Confirmatio recensitæ Constitutionis cum nova prohibitione eorumdem privilegiorum.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis literis idem Clemens Prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscri-

Clausulæ.

ptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Augusti MDCCXVIII. Pontificatus nostri anno Decimo octavo.

CLXVI. Declaratur nullus Tractatus Pacificationis inter Abbatem S. Galli, & Magistratus Bernen., & Tigurin. initae, Catholicae Fidei, & Ecclesiae juribus noxiae.

Ab Urb. VIII. Const. ed. 1641., Jun. 5. Ecclesiae jura praeservata fuere a quibuscumque praejudiciis: Hujus Pontificis Const. ed. 1712. Jul. 19. P. 12. nulla declarata fuit Concordia inter Ecclesiasticos, & Syndicos Terrae Villarii. Et Benedict. XIII. Const. ed. 1726. Feb. 14. P. 2. nullum declaratur juramentum fidelitatis, exhibitum Potestati Saeculari in Sabaudia a Praeposito Hospitalis Magni S. Bernardi.

Dat. 10. Dec. 1718. An. 19.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex aequi, bonique Supremus Assertor in Terris a Domino constitutus, Catholicae fidei integritatem, necnon Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem, aliaque Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, ac locorum Ecclesiasticorum quorumlibet, illorumve personarum jura sarta tecta tueri, & adversus quascumque pactiones, & conventiones, per quas illis aliquid detrimenti inferri possit, tradita sibi divinitus potestate afferere tenetur, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis aequitati, & justitiae consentaneum esse in Domino arbitramur.

In Tractatu hujusmodi permittitur exercitium haereseos, haereticis conceduntur publica munia, & puerorum instructio.

§. 1. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestia pervenit, novissime, nempe die 15. Junii proxime praeteriti in Oppido Badensi, dilectus filius Joseph a Rodulphis modernus Abbas Monasterii dicti S. Galli Ordinis Sancti Benedicti nullius Dioecesis Provinciae Moguntinae ex una, ac Magistratus Pagorum Bernensis, & Tigurini, eorumque respective Ministri, seu Deputati ex altera partibus, super diversis controversiis, ob quas dudum inter eosdem Pagos, & bon. mem. Leodegarium, dum vixit, memorati Monasterii Abbatem, non ita pridem ab humanis exemptum, etiam ad arma deventum fuerat, tractatum quemdam pacificationis inierint, in plures articulos distinctum, quorum plerisque in Comitatu Dosgiensi ejusdem Monasterii ditioni subjecto, non modo haereticis hominibus nefariae suae haereseos exercitium libere permittitur, sed ipsi haeretici una cum Catholicis, perinde acsi esse posset societas luci ad tenebras, & participatio justitiae cum iniquitate, ad judicium Consiliariorum Magistratuum, aliaque publica munia, officia, seu ministeria, omnino aequaliter, & absque ullo prorsus discrimine admittuntur. Praeterea, quod vix credi potest, Parochis Acatholicis accurata puerorum instructio non utique in aliis, nisi ejus quam profitentur, adeoque damnatae Religionis dogmatibus enixe commendatur, aliaque multa non minus Orthodoxae fidei, divino cultui, atque animarum saluti adversantia, quam Monasterii supradicti, illiusque Abbatis, Monachorum, aliarumque personarum jurisdictioni, auctoritati, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac juribus prorsus repugnantia, & infensa approbantur, statuuntur, & firmantur, & alias prout in Instrumento, seu scriptura super tractatu pacificationis hujusmodi confecto, seu confecta, & subinde forsan utrinque ratificato, seu ratificata uberius dicitur contineri.

Causae sequentis declarationis.

§. 2. Tametsi vero eumdem tractatum per se manifeste nullum, ac irritum esse palam constet, notoriique juris sit quascumque conventiones, seu pactiones de rebus, ac bonis Ecclesiasticis absque Apostolicae Sedis auctoritate initas nullius esse roboris, vel momenti: quinimmo felic. record. Urbanus PP. VIII. Praedecessor Noster, Sedis praedictae, ac Romanae, inferiorumque Ecclesiarum, necnon personarum Ecclesiasticarum quarumlibet Jura quibuscumque praejudicialibus per quamdam suam Constitutionem die 5. Junii 1641. editam amplissime praeservaverit; adeoque tractatus praedictus nulla vere ad sui reprobationem ulteriori nostra abrogatione indigeat; nihilominus, ne tam gravia per illum Orthodoxae non minus Religioni, quam Apostolicae auctoritati inflicta vulnera silentio praeteriisse, Nostrique propterea pastoralis Officii debito deesse videamur, ita Nos hac in re gerere statuimus, ut nostri etiam vigore judicii nulla unquam tractatus praedicti ratio haberi possit. Hinc est, quod Nos Catholicae fidei conservationi, necnon hujus Sanctae Sedis, Monasterii Sancti Galli, illiusque Abbatis, & Monachorum, aliarumque ejus personarum, locorum, bonorum, ac jurium quorumcumque indemnitati providere cupientes, memoratisque Urbani Praedecessoris vestigiis inhaerentes, necnon Instrumenti, seu scripturae tractatus pacificationis hujusmodi, omniumque & singulorum inibi contentorum, & aliorum quorumcumque etiam specificam, & individuam mentionem, ac expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, caeterave quaelibet, etiam speciali mentione digna praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis habentes, post deliberationem, quam desuper cum Venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus habuimus, diligentem, de ipsorum nonnullorumque aliorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super hoc eodem negotio a Nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine praenarratos, & alios quoslibet dicti tractatus pacificationis articulos, caeteraque in Instrumento, seu scriptura hujusmodi contenta, quae Catholicae fidei, divino cultui, animarum saluti, Sedi Apostolicae, Monasterio Sancti Galli, illiusque Abbati, Monachis, & aliis Personis, membris, rebus, Dominiis, bonis, redditibus, jurisdictionibus, etiam temporalibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, praerogativis, & juribus, quibuscumque quomodolibet officium, seu praejudicium, etiam minimum adferunt, aut inferre, seu intulisse, vel alias nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, censeri, praetendi, vel intelligi possent, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis, ipso facto nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab initio, fuisse, & esse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamsi pluries ratificata, & juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, ac praescribendi causam, etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem, vel interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde acsi nunquam emanasset, nec facta fuisset, pro non exantibus, & non factis perpetuo haberi debere tenore praesentium declaramus, & decernimus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, articulos prae-

Declaratio nullitatis articulorum in Tractatu Ecclesiae juribus praejudicialium, cum eorumdem damnatione.

fatos,

fatos, aliaque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus. Ac quatenus itidem opus sit Monasterium Sancti Galli præfatum, illiusque Monachos, & personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum ac eum, in quo ante quaslibet hæreticorum usurpationes, & invasiones quomodolibet erant, statum restituimus, remittimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes etiam specifica, & individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, & nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a jure, vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, ullatenus posse, sed ipsas præsentes Literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, Legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque Locis, & personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis; aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum & gentium in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Decembris MDCCXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

CLXVII.

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Monachorum Congregationis Reformatæ S. Bernardi de Superioribus singulis sexenniis eligendis.

Const. ed. 1718. Maji 4. P. 18. quæ hic refertur prorogatum fuit Capitulum Gen. ad sexennium. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Sept. 2. P. 3. restituitur Provinciæ Calabriæ Monasterium de Sagittario.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 3. April. 1719. An. 19.

Ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio hujus Pontificis, de celebratione Capituli Gen singulis sexenniis, & non amplius trienniis, motu proprio edita.

ALias emanarunt a Nobis ad favorem Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Monachorum Ordinis Cistercien. literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Clemens PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus in Congregatione Reformata Sancti Bernardi Monachorum Ordinis Cistercien., usus Capitulum Generale, in quo tam Abbas Generalis, quam alii Primarii ejusdem Congregationis Superiores eligi consueverunt de triennio in triennium celebrandi hactenus invaluerit; Experientia vero compertum fuerit ex adeo frequenti Capituli hujusmodi celebratione, ac superiorum mutatione multiplicia universæ Congregationi prædictæ adferri incommoda, & detrimenta, tum ob graves, quas singulæ Provinciæ ratione ipsius Capituli quolibet triennio non sine eorum, ac Monasteriorum notabili onere, & damno facere tenentur, expensas; tum etiam ob diutinam eorumdem Superiorum ac præcipuorum Religiosorum, qui pene continuos itinerum labores subire, ac non modicum tempus in accessu, mora, & recessu a loco Capituli absumere coguntur, a suis Provinciis, & Monasteriis absentiam. Quibus pariter accedit, quod ubi vix prædicti Superiores debitam rerum ejusdem Congregationis, ac qualitatum Monachorum suæ curæ commissorum cognitionem nacti fuerint, munerum suorum eveniat vocatio. Nos considerantes pro ipsius Congregationis ejusque Monasteriorum, & personarum levamento, ac felici, prosperaque eorum directione, necnon Monasticæ disciplinæ conservatione expediens fore, dicti Capituli celebrationem de triennio in sexennium deinceps differri, ac proinde illorum utilitati, & commoditati, quantum cum Domino possumus consulere cupientes, de particularis Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus ad id a

Nobis

Nobis ſpecialiter deputatorum, qui ejuſmodi negotium mature, & accurate perpenderunt conſilio, ac etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut de cætero Capitulum Generale prædictæ Congregationis, quolibet Sexennio a proxime futuro Capitulo Generali, quod die nona currentis menſis in Monaſterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe ejuſdem Congregationis celebrandum erit, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de ſexennio in ſexennium continuando celebretur, ita tamen, ut majoris partis vocalium, qui proximum Capitulum prædictum conſtituent deſuper accedat conſenſus, dictumque negotium, ac præſentes literæ ſub initio ejuſdem Capituli generalis per dilectum filium noſtrum Franciſcum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Barberinum nuncupatum, qui dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector exiſtit, proponantur, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

§. 1. Decernentes eaſdem præſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari: ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum, & Monaſteriorum quorumcumque, & aliis quibuſvis, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis eidem Congregationi, ejuſque Provinciis, & Monaſteriis, ac Superioribus, & perſonis quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis Clauſulis, & Decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 4. Maji 1718. Pontificatus noſtri anno 18. F. Cardinalis Oliverius.

Decretum præd. de celebratione Capituli Gen. ſingulis ſexenniis, & ſuperioribus ſexennalibus.

§. 4. Cum autem ſicut dilectus modernus Procurator Generalis ejuſdem Congregationis Monachorum Nobis nuper exponi fecit, memorati vocales in dicto Capitulo generali die 9. Maji proxime præteriti, ut præfertur, celebrato, in eoque prædicto Franciſco Cardinale noſtro, & ejuſdem Apoſtolicæ Sedis nomine præſidente, Decretum ediderint, quo conſenſum ſuum præbuerunt, ut non modo Capitulum Generale ejuſmodi, verum omnium etiam Superiorum tum Majorum, cum localium ipſius Congregationis officia de ſexennio ad ſexennium in futurum prorogarentur, dictus vero Procurator generalis Decretum præfatum Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret. Nos ejuſdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus, ac univerſæ Congregationis prædictæ nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de ſupradictæ Congregationis particularis Cardinalium conſilio, prænarratum Decretum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, cum infraſcriptis tamen declarationibus, nimirum, quod prorogatio de triennio ad ſexennium officiorum ejuſmodi Superiorum, fiat inpoſterum dumtaxat quoad Superiores Majores, Abbatem nempe Generalem, duos Aſſiſtentes Viſitatores Generales, Viſitatores Provinciales, & Procuratorem Generalem, nullatenus autem quoad alios ſuperiores locales, ſcilicet Abbates, Priores, Superiores, vel Œconomos, qui omnes circa finem temporis Quadrageſimæ cujuſque triennii poſt ſingula Capitula generalia ad ſexennium, ſicut præmittitur, prorogata ad præfatum Abbatem Generalem in Alma Urbe noſtra degentem ſuas patentes literas omnino tranſmittere teneantur, nulla tamen adminiſtrationum ſuorum facta interruptione, & abſque ulla efformatione, ſeu confectione Statuum Monaſteriorum, & ab ipſo Abbate Generali de ſuorum Conſiliariorum per Conſtitutiones ejuſdem Congregationis Monachorum auctoritate Apoſtolica confirmatas pro ſuperiorum prædictorum electione Deputatorum conſilio, juxta diſpoſita in eiſdem Conſtitutionibus Tit. de Capitulo Generali Cap. 11. *§*. 3. pag. 173. expectare debeant confirmationem officiorum, ſeu ſuperioratuum in ſuis reſpective Monaſteriis vel translationem ad alia, aut abſolutionem ab eiſdem officiis, prout præfati Abbas Generalis, ac ejuſdem Conſiliarii pro conſcientia, ſolumque Deum ejuſque Gloriam præ oculis habentes ad prædictæ Congregationis majus bonum, ac rectius regimen expedire judicaverint: quod ſi eorum aliquis abſolvendus ſit ab officio, vel ad aliud transferendus

Preces Procuratoris Gener.

Confirmatio memorati Decreti quoad ſuperiores majores tantum, cum norma ſervanda ſingulis triennis in electione, vel confirmatione aliorum ſuperiorum.

rendus gubernium, is eidem Abbati Generali, vel suo respective Visitatori, Provinciali, vel cui aut quibus dictus Abbas Generalis, vel Visitator Provincialis mandaverit, suæ administrationis rationem reddere teneatur, pariterque Abbas Generalis ac Visitatores Provinciales durante integro sexennio hujusmodi, alter quidem secundo, alter vero quinto ejusdem sexennii anno Visitationes ad normam in præfatis Constitutionibus præscriptam explere teneantur.

Clausulæ. §. 5. Decernentes quoque præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Aprilis MDCCXIX. Pontificatus nostri anno Decimo nono.

CLXVIII. Revocantur omnia Indulta Religiosis personis concessa a Nuncio Apostolico in Regnis Lusitaniæ, & Algarbiorum.

Inn. XII. Const. ed. 1697. Jan. 12. P. 6. revocata fuere privilegia a Superioribus Religiosis concessa in Indiis Occiden. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Jan. 10. P. 3. revocantur privilegia personalia Fratribus S. Joannis Dei concessa in Provincia Ulyssiponen.

Dat. 18. Sept. 1719. An. 19.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. SAcrosancti Apostolatus Officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati nostræ meritis, & viribus longe impari committere dignata est, salubriter exequi jugi vigilantia satagentes; in eam præcipue curam solicitis studiis incumbimus, ut Christifidelibus Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatis, sublatis iis, quæ regulari eorum observantiæ, atque disciplinæ detrimentum adferre noscuntur, juxta regularia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multiplicibus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Referuntur variæ species præd. Indultorum, & mala ex eorum concessione orta. §. 1. Cum itaque, sicut accepimus in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, ac eorumdem Regnorum Insulis in Indiis Orientalibus, & ultramarinis conquisitis, prædictorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum dominio temporali subjectis, nonnulla Indulta, privilegia, prærogativæ, immunitates, & exemptiones diversorum Ordinum Religiosis a dilecto Filio Nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio in dictis Regnis residente concessa reperiantur, per quæ iidem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, nonnullique ex eis etiam jurisdictioni Superiorum alterius Ordinis subjiciuntur, ac in Conventibus ipsius Ordinis cùm titulo tuti accessus collocantur; alii verò Religiosi cum literis patentibus ejusdem Nuncii in eorum Officiis confirmantur cum deputatione Conservatorum, a quibus persæpe Literæ monitoriales contra Superiorem expediuntur, ad hoc ut prædictis Religiosis super dictis exemptionibus, collocationibus, & graduationibus eis concessis molestias minime inferant, ita ut in visitationibus debita obedientia a memoratis Religiosis exigi nequeat; Præterea Conventualitates perpetuæ in Conventibus, & licentiæ degendi extra Claustra conceduntur, quarum vigore Superioribus Regularibus sub excommunicationis pœna inhibetur, ne a Conventibus Religiosi ibidem assignati amoveantur, & ad Claustra redigantur. Ac demum ejusmodi Religiosi indulta ferendi votum, sive suffragium in Capitulis Provincialibus, etiamsi ipsi requisitis ad id per Constitutiones Ordinum hujusmodi authoritate Apostolica confirmatas præscriptis prædidi minime sint, impertiuntur; Ex hoc autem gravissima inconvenientia, & scandala in non modicum Regularis observantiæ, & disciplinæ detrimentum exoriantur.

§. 2. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula, ac quæcumque hujusmodi privilegia, prærogativas, immunitates, & exemptiones quorumcumque Ordinum, Congregationum, ac Institutorum Religiosis per memoratum in dictis Regnis Nuncium ex quacumque causa, ac sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa, tenore præsentium revocamus, cassamus, annullamus, abrogamus, & abolemus, illaque revocata, cassata, abrogata, & abolita, viribusque, & effectu vacua fore, neminique ullatenus suffragari decernimus; Ac eidem Nuncio harum serie præcipimus, ut de cætero a concessione similium Indultorum omnino abstineat. Revocatio præfatorum Indultorum, cum prohibitione Nuncio Apost. facta imposterum illa non concedendi.

Clausulæ. §. 3. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudininibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Religiosis sub quibuscumque verborum tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, alliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Septembris MDCCXIX. Pontificatus Nostri anno Decimo-nono.

CLXIX.

Confirmatur Constitutio Gregorii XIII. de transitu Patrum Societatis Jesu post emissionem votorum ad alios religiosos Ordines.

Laudata Constitutio edita fuit 1579. Oct. 24. P. 8. & hic refertur una cum Constitutionibus Pauli III. ed. 1549. Oct. 18. P. 15. & Pii IV. ed. 1565. Nov. 26. P. 6. de eadem re agentibus. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jun. 14. P. 5. agitur de ejectis Presbyteris a Præposito Gen. d. Societatis.

Dat. 1. Dec. 1719. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcri Apostolatus ministerio per abundantiam divinæ gratiæ licet nullis nobis suffragantibus meritis præsidentes ex injuncti Nobis muneris debito Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium prosperum statum, felicemque directionem summis desiderantes affectibus, eisque propterea, quæ præsertim à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris provide sancita, & ordinata comperimus, ut firma, & illibata persistant, exactiusque observentur, Apostolicæ Nostræ Confirmationis robur libenter adjicimus, ejusdemque muneris partes perpensis studiis impertimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem Nobis fecit dilectus filius Michael Angelus Tamburinus Præpositus Generalis Societatis Jesu, quod alias felic. rec. Gregorius Papa XIII. Prædecessor Noster, ut tam Indiis Orientalibus, & Occidentalibus, quam omnibus, & singulis aliis Regionibus extra Europam, nemo sive ex Clericis Regularibus ejusdem Societatis, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor post emissa in dicta Societate vota etiam simplicia sub excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis ad quempiam alium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis, vel Præpositi Generalis prædictæ Societatis licentia, etiam perfectioris, & melioris vitæ prætextu, seu contemplatione, transire auderet, seu præsumeret, decrevit, & ordinavit per suas Literas sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1579. nono Kalendas Octobris expeditas tenoris sequentis, videlicet.

Constitutio præd. Gregorii XIII.

§. 2. *Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Decet Romanum Pontificem, æqui bonique supremum assertorem, aberrantibus tramites excludere, districteque consilia prævaricantia reprimere, ne obcæcatæ mentis apparens virtus in damnationis periculum sectantes trahat, aliisque perditionis viam sternat. Dudum siquidem felic. record. Paulus Papa Tertius Prædecessor Noster, inter alia Societati Jesu, illiusque Præposito, & Personis pro tempore existentibus, per eum concessa privilegia, per quasdam suas Literas, sub data videlicet, quintodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno etiam quintodecimo, voluit, & inhibuit, ne quis in dicta Societate, post emissa ab eo, secundum illius Constitutiones, vota, sive Professus, sive Scholaris, aut Coadjutor Societatis hujusmodi esset, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem Apostolicam approbatum (Carthusiensium dumtaxat excepto) nisi de expressa ejusdem Sedis, vel pro tempore existentis ipsius Societatis Præpositi Generalis licentia transferri, nec in illo recipi, aut retineri posset; ac

A Paulo III. prohibitum fuit universis PP. Jesuitis ingredi alium Ordinem, excepto illo Carthusianorum, sine facultate S. Sedis, vel Præpositi Gener. sub certis pœnis & censuris in contravenientes tantum.

ipsius Societatis Generalis, & alii inferiores Præpositi per se, vel alios, ab ipsa Societate subterfugientes, & egressos, ac quoscumque dictæ Societatis Apostatas, reliquosque insolentes, qui id mereri viderentur, in quocumque habitu repertos excommunicare, capere, incarcerare, & alias suæ disciplinæ submittere, & ad id, si opus foret, auxilium Brachii Sæcularis invocare libere, & licite valeret. Et deinde piæ mem. Pio Papa Quarto etiam Prædecessori Nostro, pro parte clar. me. Sebastiani Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris ex tunc existentis Præpositi, & Personarum Societatis hujusmodi exposito, quod nonnullæ ejusdem Societatis Personæ animi levitate, ut credebatur, ductæ, ac quietem labori, cui pro excolenda, & propaganda Christiana Republica continuo erant expositæ, ac privatum commodum, tam publicæ, quam Societatis hujusmodi utilitati, indiscrete præferentes, fucatisque coloribus afferentes, se id facere ob frugem melioris vitæ, aut strictioris observantiæ, seu non obtenta Superiorum licentia ad alios Ordines transire posse jactabant, & forsan tunc quidam de facto transierant, alii vero ambitiosa cupiditate moti, postquam se Deo dederant sæculi libertatem quærentes, ad illud reverti, & in eo palam degere non dubitaverant, nec dubitabant, in animarum suarum detrimentum, ac Societatis prædictæ non modicum præjudicium: Quodque nisi opportuno aliquo remedio consuleretur, verendum erat, ne Societas ipsa, quæ in erudiendis suis impensa, & labore Viris, quæ Christianæ Reipublicæ prodessent, & Catholicam fidem in remotissimis partibus propagarent sedulo intendebat, taliter delusa careret Literatis, qui operam in Vinea Domini, juxta ipsius Societatis Instituta præstare solitam, valerent adimplere; idem Pius Prædecessor sub data videlicet Sexto Kalendas Decembris Pontificatus sui anno sexto, quod nullus in dicta Societate admissus, post emissa, ut præfertur, vota, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor, cujuscumque status, gradus, conditionis ille foret, a dicta Societate exire, aut recedere, etiam prætextu cujusvis Indulti a Sede Apostolica, seu illius Majore Pœnitentiario, aut aliquo Nuncio, vel Legato etiam de Latere impetrati, & impetrandi, quod etiam ex tunc idem Pius Prædecessor subreptitium declaravit, absque expressa Superioris sui licentia, etiam quæsito colore ob frugem melioris vitæ, aut strictioris observantiæ, ad quemvis alium etiam Minorum, aut aliorum Fratrum Mendicantium, aut Cistercienfium, vel Sancti Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem transire, vel etiam per Superiores Ordinum hujusmodi, suorumque Monasteriorum (præfato Carthusiensium Ordine dumtaxat excepto) recipi seu retineri posset, aut præsumeret, sub pœna excommunicationis, tam per recipientes, quam receptos, aut recedentes præfatos, ipso facto incurrenda, a qua præterquam in mortis articulo, ab alio quam Romano Pontifice, vel Superiore Societatis hujusmodi absolvi non posset, & secus facta non tenerent, nulliusque essent momenti; Et insuper, ut qui ab ipsa Societate ad Carthusianum infra tres menses, ad alium vero Ordinem de licentia prædicta infra tempus eis a dicto Superiore præfigendum accedere, illosque actualiter ingredi, & si in illis permanere nollent, aut non possent, absque ulla mora ad dictam Societatem regredi tenerentur, sub pœna excommunicationis præfata, quam tam ipsi admissi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel favorem præstantes etiam incurrerent. Et nihilominus si quis ex Religionis ipsius Societatis animo indurato aliquid in contrarium attentare præsumeret, vel a dicta Societate post in ea emissa Vota, ut præfertur, absque Superio-

A Pio IV. & V. idem vetitum fuit quoad Ordinem Carthusianorum quoque post elapsum certum tempus ab emissa professione, & nisi adsit expressus consensus Præpositi Gen., sub pœnis, & censuris tam in aliter facientes quam eorum receptores, & fautores.

ris

ris licentia exiret, & in sæculo, vel alio etiam Regulari Loco degeret, liceret dicto Generali, aliisque dictæ Societatis Superioribus eosdem transgressores, & exeuntes tamquam Apostatas etiam per auxilii brachii Sæcularis invocationem summarie, & sine figura Judicii ad dictam Societatem revocare, capere, & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ subjicere Apostolica authoritate perpetuo statuit, ordinavit, & mandavit, prout in prædictis recol. mem. Pii Papæ Quinti similiter Prædecessoris Nostri super Statuto, Ordinatione, & mandato hujusmodi, cum dictus Pius IV. Prædecessor, antequam ejus Literæ desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus suisset humanis exemptus, confectis Literis plenius continetur. Et licet nullus præmissis contravenire debuerit, nihilominus, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Everardi Mercuriani Præpositi Generalis ejusdem Societatis petitio continebat, non defuerunt, qui versutiis quibusdam Literas præfatas temere interpretantes, & periculose de dictæ Sedis potestate disputantes, eamque coarctantes sub prætextu videlicet, quod via perfectionis, instinctu Spiritus Sancti suggesta, præcludi minime possit, quodque Literæ hujusmodi solum intelligerentur, quando transfugæ Societatis prædictæ in sæculo vagarentur, non autem quando ad alia loca Regularia, præcipue Mendicantium, se reducerent, habitumque per ipsos Mendicantes gestari solitum susciperent, seu Professionem per eos emitti solitam, emitterent, aut emittere intenderent Regulares, ac idcirco se excommunicationis latæ sententiæ in prædictis Literis irrogatæ vinculo nequaquam innodari, ac affici prætendant, in animarum suarum damnabile periculum, dictæque Societatis jacturam, & gravamen, ac plurimorum scandalum. Postmodum vero, cum ad brachium sæculare recurritur, Principes, ac Magistratus temporales, necnon Judices, & Executores, aut Justitiæ Ministri, seu etiam vigore Privilegiorum ipsius Societatis, assumpti Conservatores contra Recipientes, & Retinentes hujusmodi, seu dantes consilium, auxilium vel favorem sub prætextu, quod ipsi sic excommunicati in easdem censuras incidisse prius declarandi veniant, procedere recusant, sicque apostatandi aperitur, & fovetur occasio. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, æquum videri non debeat, ut qui ad fidei Catholicæ defensionem, & inter Gentiles propagationem cum divina gratia procurandam vocati, & in ea diu educati, & versati sunt, levi aliqua illusione, aut etiam gravi quacumque tentatione, vel laboris perferendi tædio, aut etiam Bonorum, & Dignitatum desiderio, & ambitione, ab opere juxta suam vocationem incepto desistant, aut ex acie pedem referant, maxime vero in Regionibus illis, in quibus messis quidem copia magna, Operariorum vero inopia maxima existit, ubi etiam res omnes spiritus errantis esse illusiones experimentum docuit. Nam eorum, qui ex illis partibus, prætextu ingressus in Carthusiensium Ordinem se subtraxerunt, nullus hactenus est illum ingressus; sed quidam sano consilio, & resipiscentia, magno Dei beneficio ducti, ad Societatem regressi sunt; alii vero in sæculo, non sine animarum suarum periculo, & multorum scandalo, remanserunt. Quinimo simulato in Carthusiensium Ordinem, cui nulla Domus in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus reperitur, ingrediendi animo divagari, aut ad alium contra præmissa Religionis Ordinem se traducere non verentur. Quare pro parte dicti Everardi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui piis, ac justis supplicantium votis libenter annuimus, præmissis obviare volentes, ipsumque Everardum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon singularum Literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, ipsasque Literas harum serie confirmantes, & ampliantes hujusmodi supplicationibus inclinati; ut imposterum, tam in Orientalibus, & Occidentalibus Indiis, quam omnibus, & singulis aliis Regionibus extra Europam nullus ex admissis in ipsa Societate, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor, se ab eadem Societate quavis etiam perfectioris & melioris vitæ præsumptione, ac strictioris Ordinis prætextu, seu contemplatione, aut alia etiam justa, & probabili, vel legitima causa, post emissa in dicta Societate vota, etiam simplicia, elapso ab eorum ingressu in Societate biennio emitti solita, absque nostra, aut Sedis præfatæ, seu dicti Everardi, vel pro tempore existentis ejusdem Societatis Præpositi Generalis, sive ab eo deputandi, vel deputandorum speciali, & in scriptis obtenta licentia sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, necnon excommunicationis latæ sententiæ, & aliis contra Apostatas quomodolibet inflictis, seu etiam aliis ab ipsis Præposito Generali, seu deputandis infligendis pœnis (a quibus excluso mortis articulo, si in illo decedere eos contingat, tantum, nonnisi per pro tempore existentes Romanum Pontificem, aut dictæ Societatis Præpositum Generalem, seu ab eo deputandos hujusmodi absolvi possint, & aliter facta absolutio non teneat) subtrahere, aut exire nec se ad quempiam alium etiam Carthusiensium Ordinem hujusmodi præmissarum Literarum, aut cujusvis contra illarum dispositionem obtenti, & a dicto Præposito Generali non approbati Indulti vigore transferre audeat, seu præsumat. Sed qui ad alios Ordines, præterquam Carthusiensium in quacumque Orbis parte ab ipsa Societate hactenus se transtulerunt ad aliam, si & postquam moniti fuerunt, statim sub iisdem pœnis, nulla excusatione etiam infirmitatis, vel mora, aut forensi contensione, seu appellatione interjectis se reducere, & Superiorum correctioni subdere teneantur; quodque Professio per eos alibi, quam in dicta Societate emissa nullius sit momenti, nec vinculi. Et interim dicti effugientes, aut egressi nullis prorsus Ecclesiasticorum, aut sæcularium, sive Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, vel Episcoporum, aut Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, vel Magnatum quorumcumque servitiis, vel assistentiis se subjicere & applicare, aut mancipari procurare, nec Beneficia Ecclesiastica quæcunque, vel qualiacumque sint etiam simplicia, aut pensiones, seu quorumcumque fructuum, vel jurium reservationes, nec Officia etiam sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia recipere, & retinere, neque scholas tenere aut Pueros instituendos accipere, nec etiam confessiones audire, Sacramenta ministrare, aut prædicare, sive etiam perfunctorie nullatenus, nusquam, aut nuspiam debeant, aut possint sub iisdem pœnis Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus; necnon eisdem tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus Personis, aliisque quavis dignitate, gradu, & honore præfulgentibus sub ingressus Ecclesiæ, ac quibusvis Ordinum eorumdem etiam Carthusiensium Protectoribus, Capitibus, Generalibus, aliisque Superioribus, & Particularibus, ne quempiam ex dicta Societate in partibus extra Europam consistentibus ad eorum Ordines, seu Conventus,

[Left margin:] ersutiis & llis præd. onstitutio- s subinde iusæ, & in- rpretatæ.

[Right margin:] A Greg. XIII. confirmantur recensitæ Constitutiones, & idipsum denuo prohibetur Patribus Societatis extra Europam existentibus sub novis pœnis, ac tanto malo opportuna remedia decernuntur.

vel Domos quomodolibet transeuntem, absque specialibus Præpositi Generalis, seu deputandorum hujusmodi, testimonialibus Literis, nullo jure, nullo sanctioris vitæ penso, aut conscientia, nullaque necessitatis causa recipere, vel retinere, etiam virtute cujuscumque gratiæ super hoc eis specialiter a Sede præfata, sub quibusvis clausulis, & decretis, ac derogatoriarum derogatoriis, nisi præsentium Literarum expressa fiat mentio, concessæ, attentent sub similis excommunicationis per eos, ac tam ipsis quam dictis effugientibus auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte dantes, ipso facto, & absque alia illorum declaratione, promulgatione, aut denunciatione facienda incurrendis pœnis inhibemus. Mandantes sub eisdem pœnis, ut hactenus (præterquam tamen in dicto Carthusiensium Ordine) receptos etiamsi habitum per recipientes gestari solitum susceperint, & Professionem per ipsosmet emitti consuetam emiserint, eidem Præposito Generali, vel deputandis hujusmodi id requirentibus, & petentibus statim, & absque alio Judicis ministerio, vel licentia Capitum Ordinum, eorumque Superiorum expectata, & quod excommunicatio, & pœnæ hujusmodi contra ipsos Recipientes, vel Retinentes, aut egressos, ac dantes consilium, auxilium, vel favorem inflictæ veniant declarandæ, aut quolibet alio excogitabili prætextu cessante tradere, & consignare. Ac in eventum, in quem sic egressos ad alios Conventus, vel Domos transportare fecerint, aut permiserint, suis expensis, & periculis eos recipere, & restituere, damnaque ipsi Societati occasione hujusmodi illata resarcire debeant, & teneantur. Et insuper pro tempore existentibus Præposito Generali, ac aliis Superioribus dictæ Societatis, seu etiam eorum Conservatoribus, ut ad omne calumniæ genus obstruendum, & pro temporum, causarum, occasionum necessitate in eisdem partibus extra Europam occurrente, quarumcumque Censurarum, & pœnarum declarationes pro conservatione, & causa Privilegiorum, & jurium, rerum, ac personarum ipsius Societatis tantum facere, & contra tales effugientes quibusvis juris, & facti remediis, & viis etiam per se, vel manu Sæcularium absque appellationis alicujus, quæ ex nunc, prout ex tunc, & e contra inita sit, & censeatur, admissione procedere, seu procedi mandare libere, & licite valeant, eisdem authoritate, & tenore concedimus. Decernentes singulas Literas præfatas alias in suo robore pristino remanere, ac præsentes nullo unquam tempore de obreptionis, vel subreptionis vitio, aut intentionis Nostræ defectu notari, vel impugnari, suspendi, revocari, annullari, invalidari, aut ad viam Juris reduci, vel contra illas attentari posse, vel debere, sed illas perpetuo validas, efficaces, & illibatas, existere, & quoties aliquid contra eas extorqueri, & obtineri contigerit, toties easdem in pristinum statum restitutas, confirmatas, & innovatas, ac de novo etiam sub data per dictæ Societatis Superiores, vel Personas eligenda concessas, fore, & esse, ac in suo pleno, & integro robore, absque eo quod desuper impetranda sit a Sede prædicta illarum ulterior confirmatio, restitutio, revalidatio, vel nova concessio permanere. Sicque in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis Ordinibus, eorumque Superioribus, Conventibus, Domibus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon consistorialiter, & alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, si de illis, ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, necnon omnibus illis, quæ ipsi Prædecessores in dictis suis Literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu etiam Generalis Præpositi ipsius Societatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, ampliationis, Decretorum, declarationis, inhibitionis, concessionis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Kalendis Novembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

In Indiis novo ausu relatæ Constitutiones falsis interpretationibus corrumpuntur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat præmissis nequaquam obstantibus aliquis ex dicta Societate nuper in eisdem Indiis præinsertarum Literarum observantiam, necnon censuras, & pœnas in eis contentas eludere, ac contemnere præsumpserit ab ipsis cum insubsistentibus prætextibus, falsisque interpretationibus appellando, asserens, quod Literis præinsertis per non usum derogatum fuerit, nulliusque valoris, & efficaciæ existant, quippe quæ nec in jure communi, nec in Bullario, minusque in prædictæ Societatis Instituto inserta reperiantur, & in casum, quo validæ essent, Jus commune in Capit. *licet de Regularibus*, ubi ad alium Ordinem zelo strictioris observantiæ transeundi facultas tribuitur, prævalere deberet, quodque cum ille quatuor votorum professus non sit, in dictis censuris minime comprehendatur; necnon ulterius ejusmodi præinsertæ literæ alteri privilegio admittendi Religiosos etiam Professos aliorum Ordinum diverso Ordini concesso derogare nequeant; ac tandem per eas legitimæ appellationes, & in casu denegatæ justitiæ non prohibeantur; sed manifesto frivolæ dumtaxat admitti nequaquam possint, ideoque dictus Michael Angelus Præpositus Generalis considerans simile exemplum maximum eidem Societati præjudicium in iisdem Indiis afferre posse in eventum, in quem alii dictis prætextibus, & subterfugiis uti vellent, ad hoc, ut a regulari obedientia, & a censuris prædictis sese eximant præinsertas Gregorii Prædecessoris Literas pro firmiori illarum subsistentia, ac inviolabili observantia Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nobis

Preces Præpositi Gen.

propterea

propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur similes prætextus, effugia, falsasque interpretationes, quæ ad eludendam earumdem Literarum observantiam obtenderentur de medio submovere, ipsumque Michaelem Angelum Præpositum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui supra narrata mature perpenderunt, consilio præinsertas Gregorii Prædecessoris Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabiliter robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio præinsertæ Constitutionis Greg. XIII.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in Literis præinsertis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, sive Secretarii d. Societatis subscritis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die I. Decembris MDCCXIX. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

CLXX.

Confirmatur Decretum Capituli Gen. Ordinis SS. Trinitatis Redem. Captiv. Discalc. Congregationis Hispaniæ de mutatione Vestis Fratrum Donatorum.

Inn. XII. Const. ed. 1692., Mar. 1. P. 1. extat moderatio Constitutionis de nonnullis ad Habitum non recipiendis. Et hujus Pontificis Const. ed. 1720. Mar. 2. P. 20. agitur de tempore Officii Commissariorum Gen.

Dat. 6. Dec. 1719. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum præd. de mutatione vestis ex fusca in nigram, ac ejus confirmationis causæ referuntur.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis in Romana Curia Congregationis Hispaniæ Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum novissimi Capituli Generalis nomine, quod alias in dicto Capitulo Generali juxta præscriptum primitivæ Regulæ dicti Ordinis Sabbato ante quartam Dominicam post Pascha labentis anni celebrato inter alia salubriter statuta pro bono regimine ejusdem Congregationis decretum fuit quod fratres Oblati, seu Donati, qui absque ulla professione, & voto in vita Regulari exercentur & ad statum Laicorum disponuntur, deposita exteriori veste, & habitu fusci coloris, quo hucusque usi sunt, impostenum alba veste ad instar aliorum fratrum ejusdem Congregationis, servata in reliquis antea habitus Donatorum forma, quæ etiam mutato colore sufficienter prædictos Donatos a laicis distinguit, utantur, & alios prout in dicto Decreto, quod præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Decretum Capitulare prædictum ad servandam intra eumdem Ordinem majorem habitus uniformitatem, & ad reddendos prædictos Donatos magis commodos, & ad aliqua ministeria idoneos, quæ propter diversum habitus colorem non satis decenter exhibere valent, tendant, per ejusmodi vero coloris mutationem non solum nihil Constitutionibus prædicti Ordinis a Sede Apostolica confirmatis derogetur, verum etiam eisdem maxime consulatur, cum Capitulo 6. earumdem Constitutionum indiscriminatim præcipiatur, quod exterior vestis, seu habitus fratrum prædictorum sit ex sago albo, nec pro Donatis exceptio ulla in Cap. 42. prædictarum Constitutionum §. 4., ubi de prædictis Donatis agitur, habeatur, ac proinde memoratus Procurator Generalis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ robore communiri plurimum desideret: Nos eundem Procuratorem Generalem, ac vocales dicti Capituli generalis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem prædicti Procuratoris Generalis, ac insuper informationem dilecti filii Nostri Aloysii Prioli ejusdem S. R. E. Cardinalis Sancti Marci nuncupat. dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis factam viderunt, & examinaverunt consilio, Decretum a prædicto Capitulo Generali editum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Procuratoris, & Capituli Gen.

Confirmatio recensiti Decreti.

Clausulæ.

§. 1. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,

 privilegiis

privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Decembris MDCCXIX. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

CLXXI. Declarantur nulla acta ab Officiali Archiepiscop. Ebredunen. super validitate censurarum a Vicario Ecclesiæ Nicien. latarum in ministros Senatus Immunitatis Ecclesiasticæ violatores.

Const. ed. 1711. Mar. 15. P. 11. confirmatæ fuere censuræ latæ a Commissario Gen. in Sinis. Et Bened. XIII. Const. ed. 1725. Feb. 21. P. 1. declaratur nulla electio Archiepiscopi Ultrajectini.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 5. Jan. 1720. An. 20.

An. 1718. a dict. Vicario Capitulari declarati fuerunt excommunicati Officiales Nicien. ob extractum ab Ecclesia Sacerdotem, sed ab Officiali Metropolitæ Ebredunen. primo ad cautelam primo absoluti fuere, ac postea nullæ declaratæ censuræ.

Non sine ingenti animi nostri mœrore novissime accepimus, quod cum alias, nempe die 7. Novembris 1718. dilectus filius Canonicus Joannes Maria Raimberti Vicarius Capitularis Ecclesiæ Nicien. illius Sede Episcopali vacante legitime deputatus aliquos Officiales, & Ministros Senatus Nicien., qui Presbyterum Petrum Cajetanum Albanelli ex Ecclesia Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini ejusdem Civitatis, ad quam confugerat, nulla prorsus tam loci Sacri quam Personæ ipsius Petri Cajetani utpote Presbyteri, adeoque laicali potestati minime subjecti habita ratione, publice, ac per vim extrahere, & in Carceres ipsiusmet Senatus, in quibus de præsenti adhuc detinetur conjicere per sacrilegum, ac detestabile facinus ausi fuerant; Ecclesiasticis Censuris per notissimas Canonicas Sanctiones, ac Pontificias Constitutiones adversus similia perpetrantes inflictis innodatos declarasset, ac palam denunciasset: Officialis Venerabilis fratris Archiepiscopi Ebredunen; ad quem tanquam Metropolitanum, memorati Officiales, & Ministri a censuris sic contra eos publicatis appellationem interposuerant, tametsi ejusmodi negotio, quod ad Curiam Metropolitanam Ebredunen. minime pertinebat nullatenus se ingerere debuisset, nihilominus sibi omnino incompetentem auctoritatem assumens, non modo appellationem admittere, ipsique Vicario Capitulari ne quidquam in præjudicium ejusdem appellationis sub comminatione pœnarum de jure (ut erronee asserebat) indictarum faceret, inhibere, verum eosdem quoque Officiales, & Ministros a prænarratis censuris ad cautelam absolvere temere, ac nulliter præsumpsit; ac licet postmodum præfatus Vicarius Capitularis adversus præmissa ab eodem Officiali perperam gesta protestationem emisisset, eamque ipsi Officiali legitime intimari fecisset, in qua potissimas rationes recensuerat ob quas ejusmodi appellationi, inhibitioni, & absolutioni ad cautelam a dicto Officiali concessis, & decretis deferre minime poterat, nec vicissim eidem officiali de viribus memoratarum censurarum neque de alia causa, num videlicet prædicto Petro Cajetano Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium suffragaretur necne, citra insanabilis omnium, quæ egisset nullitatis vitium, ob necessariæ jurisdictionis, qua dictus Officialis hac in re destitutus reperiebatur, defectum cognoscere licebat: his tamen minime attentis idem Officialis die 8. Novembris proxime præteriti sententiam protulit, per quam, promulgationem censurarum adversus memoratos Officiales, & Ministros Senatus Nicien. uti publicos, ac notorios immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ violatores a prædicto Vicario Capitulari, sicut præmittitur, factam, pari temeritate nullam, injustam, & præcipitem declaravit, ipsique Vicario Capitulari, & aliis quibuscumque inhibuit, ne dictos Officiales, & Ministros ratione earumdem censurarum quoquo modo molestarent, aut perturbarent, & alias, prout in præfata sententia, quam non quidem approbandi, sed penitus, & omnino reprobandi animo præsentibus pro plene, & sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem satis exploratum sit, nec quisquam inficiari valeat nullum Judicem quacumque tandem potestate, & auctoritate suffultum, quoties de Censuris Ecclesiasticis ex causa læsæ, seu violatæ Immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ latis, seu declaratis agi contingit, in illarum validitatis, seu invaliditatis, justitiæ, vel injustitiæ cognitionem, quæ nonnisi Romano Pontifici pro tempore existenti, vel Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositæ ad id ab hac Sancta Sede specialiter delegatæ, reservata est, se ingerere posse, quinimo nemini alteri absolutionem ab hujusmodi Censuris, etiam ad cautelam, ac cum reincidentia, & ad effectum agendi dumtaxat, concedere fas esse; adeoque præmissa per dictum Officialem attentata; ultra manifestam eorum nullitatem, Pontificiæ Nostræ auctoritati gravissimum præjudicium intulerint, & adhuc inferant, ac propterea in plurimorum perniciem, & scandalum tendant, animasque pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in maxima pericula, & errores conjicere, ac deplorandis malis involvere valeant. Hinc est, quod nos ex debito Sacrosancti Apostolatus Officii, quod humilitati nostræ commisit divina dignatio, Nostram, & hujus Sanctæ Sedis Dignitatem, auctoritatem, & Jurisdictionem a temerariis, & perniciosis hujusmodi conatibus sartam, tectamque, atque illibatam tueri, & conservare, necnon animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliaque quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pariter pro plene, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes, motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænarratam sententiam, & quæcumque in ea contenta, aliaque omnia ea occasione per eumdem officialem Ebredunen. acta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, inania, & a non habente potestatem temere attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque omnino roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec illa a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nullum statum facere, vel fecisse; sed perinde ac si numquam emanassent, nec acta fuissent pro non extantibus, & non factis perpetuo itidem haberi debere tenore præsentium declaramus. Et ni-

Causæ insequentis declarationis.

Declaratio nullitatis præfatorum actorum, cum nova eorumdem revocatione.

hilominus

hilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, & si quæ insuper præmissorum occasione, seu in eorum sequelam per Officialem prædictum aut alias per Curiam Metropolitanam Ebredunen. hac in re de cætero agi, geri, & ordinari quomodolibet contigerit, harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis haberi volumus, & mandamus.

Mandatum vitandi dd. Ministros tanquam excommunicatos, donec a Sede aliter declaratum fuerit.

§. 2. Praeterea tametsi perspecta Cleri Populique Nicien. pietas, ac religio spem nobis ingerat, fore, ut memoratæ sententiæ, aliorumque per prædictum Officialem Ebredunen. gestorum nullam hactenus, ut par erat, rationem habuerit, imo nec de præsenti habeant, eisque minime attentis, a qualibet consuetudine, & commercio cum prædictis Officialibus, Ministris tanquam vere excommunicatis, & omnino vitandis penitus ultro abstinuerint, & abstineant; nihilominus motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, eosdem Officiales, & Ministros tanquam veros excommunicatos vitandos ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus habendos esse, donec, & quousque absolutionis beneficium Christiana humilitate petierint, & a nobis, ac Sede Apostolica, vel prædicta Congregatione Cardinalium impetrare meruerint, vel quatenus censuræ adversus eos promulgatæ nullæ, aut injustæ prætendantur, eas uti tales a Nobis itidem, & Sede præfata, vel memorata Congregatione Cardinalium declarari obtinuerint, cum ante hujusmodi declarationem pro validis, ac justis ab omnibus haberi, ac reputari debeant, earumdem tenore præsentium decernimus similiter, & declaramus. Quocirca universis Presbyteris, & Clericis tam sæcularibus cujuscumque gradus, præeminentiæ, & Dignitatis fuerint, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu Regularibus in divinis ministrantibus, harum serie districte præcipimus, & mandamus, ut quatenus prædicti Officiales, & Ministri ad eorum Ecclesias, ac Oratoria accedere, ibique divinis Officiis, aliisve sacris functionibus interesse præsumerent, cum eis ita se gerant, quemadmodum ex Sacrorum Canonum præscripto excommunicatis publice denunciatis agendum esse probe norunt, sub pœnis ab ipsis Sacris Canonibus in eos, qui secus fecerint constitutis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Officialis seu Archiepiscopus Ebredunen.; necnon Officiales, & Ministri Senatus Nicien. supradicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, Dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Metropolitanæ Ecclesiæ Ebredunen., & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus, quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus etiam Jesu prædictis, ac quibusvis personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana Dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries, & quantiscunque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Januarii MDCCXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CLXXII.

Aboletur alternativa in Provincia Portugalliæ Ordinis Fratrum Carmelitarum.

Instituta fuerat hujusmodi Alternativa ab Inn. XII. Const. ed. 1699. Jan. 21. P. 8. Et Inn. XIII Const. ed. 1723. Jul. 14. P. 3. agitur de Magistris ad Doctoratum promovendis.

Dat. 13. Jan. 1720. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Præd. alternativa auctoritate Apost. instituta fuit a Nuncio, & a Capitulo Provinciali 1700. acceptata.

ALias pro parte clar. mem. Petri II. dum vixit Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris felic. rec. Innocentio Papæ XII. Prædecessori Nostro exposito, quod Provincia Portugalliæ Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quo perturbationes, & detrimenta regularis observantiæ, quæ ex factionibus & dominandi cupiditate inter Religiosos hinc inde ex affectu nationali inter se pugnantes non sine gravi Christifidelium scandalo oriri solebant e medio tollerentur, Apostolicum paternæ providentiæ suum subsidium exposcebat; nullum vero efficacius, & opportunius ad hujusmodi dissidiorum occasiones avertendas remedium apparebat, quam perpetuam quamdam Alternativam circa Electiones Officiorum omnium dictæ Provinciæ inducere, idque Religiosæ tranquillitati ejusdem Provinciæ conducibile fore, etiam tunc existentes Prior Generalis, & Consilium dicti Ordinis existimabant, & propterea ipsius Petri nomine eidem Innocentio Prædecessori humiliter supplicato, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur; ipse Innocentius Prædecessor piis ejusdem Petri Regis votis ea in re annuere, ac memoratæ Provinciæ Portugalliæ quieti salubriter providere cupiens, ejusmodi supplicationibus inclinatus, dilecto filio Nostro Michaeli Angelo S. R. E. Cardinali de Comitibus nuncupat. tunc in eisdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis suo, & Apostolicæ Sedis Nuncio dedit in mandatis, ut constito sibi de narratis, ac vocatis, qui fuissent evocandi circa Alternativam prædictam auctoritate Apostolica id gereret, statueret, atque decerneret, quod sibi pro ejusdem Provinciæ Portugalliæ quiete restituenda, necnon regulari disciplina in ea conservanda, & sic ubi collapsa esset reparanda, magis in Domino expedire visum fuisset, eique ad hujusmodi effectum quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem eadem auctoritate, tribuit, & impartitus fuit, & alias prout in ipsius Innocentii Prædecessoris Literis die 21. Januar. 1699. in simili forma Brevis desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Quæ quidem Alternativa Officiorum a prædicto Michaele Angelo Cardinale tunc Nuncio prudentissime ordinata, atque præfixa, & respective cum distinctione duarum filiationum, nempe in Ulyssiponen., & Colarien. Conventibus sic in posterum nominan. designata & perlecta in pleno Capitulo Provinciali die 18. Septembris 1700. celebrato, constitutis, & auditis Procuratoribus acceptata, & registrata fuit.

Causæ abolendi præfatam alternativam, & preces Vocalium Provinciæ.

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii moderni Prior Provincialis, Diffinitores, in Sacra Theologia Magistri, cæterique Vocales dictæ Provinciæ Portugalliæ Nobis nuper exponi fecerunt ex hujusmodi Alternativæ remedio, quod tempore suæ ordinationis congruum, & utile pro bono pacis judicatum fuit, subinde tractu temporis majora prioribus mala experientia docente, nempe jurgia, contentiones, rixæ, ac lites non modicæ irrepserint; ideoque in ultimo Capitulo Provinciali die 8. Maji 1718. congregato coram cunctis Gremialibus, & Vocalibus utriusque filiationis conclusum fuerit prædictam Alternativam penitus aboleri debere. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerint, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui negotium pro examine, atque discussione Nobis remissum mature de more perpenderunt, atque relationem dilecti filii moderni Prioris Generalis dicti Ordinis, actaque Capitularia viderunt, consilio, Alternativam, de qua agitur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium abolemus; salva tamen semper in præmissis, auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Abolitio recentiæ alternativæ.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Januarii MDCCXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CLXXIII.

Conceditur Commissariis Gen. Congregationis Hispaniæ Ordinis SS. Trinitatis Redem. Captiv. Discalc. ut persistant in eorum Officiis, etiamsi ante Capitulum vacaret Officium Ministri Gen.

Const. ed. 1719. Dec. 6. P. 20. extat Decretum de veste Donatorum. Et Bened. XIII. Constit. edit. 1727. Aug. 21. P. 4. confirmantur quædam Capitula pro bono regimine Provinciarum.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 2 Mar. 1720. An. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur institutio prædict. Commissariorum, & causæ insequentis concessionis.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Alexander a Conceptione Minister Generalis Fratrum Congregationis Hispaniæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum quod cum ipse, & pro tempore existens Minister Generalis pro bono, & opportuniori regimine dictæ Congregationis, per varias, & ad invicem distantes Europæ Provincias feliciter, favente Deo, dilatatæ, & stabilitæ, ad evitanda inconvenientia quæ ex difficili ad eum recursu passim resultare possent, diversos Commissarios Generales, qui ipsius nomine ad normam facultatis ab eo illis

commissæ remotarum Provinciarum gubernio incumbant, deputare soleat; Commissariorum vero Generalium hujusmodi facultas, utpote delegata ejusdem Ministri Generalis morte, renunciatione, & cessatione, aut depositione secuta, de jure etiam expirare debeat, unde accidere potest, quod priusquam præmissa ad eorumdem Commissariorum Generalium notitiam perveniant, nulliter, licet bona fide, jurisdictionem sibi commissam exerceant; idem Alexander Minister Generalis, ut facultas, semel a pro tempore existente Ministro Generali prædictis Commissariis Generalibus delegata, minime in posterum in casu mortis, renunciationis, aut depositionis ipsius Ministri Generalis delegantis expirare intelligatur, sed potius duret, ac vigeat, quousque renovata non fuerit per novum electum Ministrum Generalem, per Nos statui, ac decerni, & alias opportune in præmissis provideri plurimum desiderat. Nobis propterea tam suo, quam Diffinitoris Generalis ejusdem Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

[...]eces Mini[...], & Defi[...]orii Gen.

§. 1. Nos igitur memoratos Alexandrum Ministrum Generalem, & Diffinitorium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationes bon. mem. Aloysii Priuli ejusdem S.R.E. Cardinalis Sancti Marci nuncupat., dum vixit, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris & dilecti filii moderni Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis super eisdem præmissis factas attenderunt, consilio, ut prædicti Commissarii Generales a prædicto Ministro Generali pro gubernio remotarum Provinciarum delegati perdurent, & persistant in eorum Officiis per quatuor menses tantum post Electionem novi Ministri Generalis, sive per mortem, remotionem, & depositionem, sive per cessationem utcumque Generalatus Ministri Generalis delegantis, quem tamen novum Ministrum Generalem Electum intra dictum tempus quatuor mensium certiorent, ut idem Minister Generalis providere valeat, prout sibi in Domino videbitur auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio [...]æd. pro [...]atio 4. [...]ensium [...]ntum ab [...]ectione no[...] Ministri [...].

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Martii MDCCXX. Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

CLXXIV.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. de ratione faciendæ electionis Officialium in Provincia S. Nicolai Fratrum Min. de Observ. Reformat.

De alternativa in hac Provincia vide Innoc. XII. Const. ed. 1692. Maji 17. P. 1. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Jun. 16. P. 1. confirmatur alternativa in Provincia S. Antonii in Lusitania.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 3. Apr. 1720. An. 20.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ in Causa prætensæ Alternativæ Provinciæ Sancti Nicolai Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum inter fratres Lycienses ex una, & Barenses ex altera partibus vertente, Decretum tenoris sequentis, videlicet: In Causa prætensæ Alternativæ Provinciæ Sancti Nicolai Ordinis Minorum Observantium vertente inter Patres Lycienses, & Barenses Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, viso Memoriali porrecto a P. V. Commissario Generali Ordinis, referente Eminentissimo Corsino, rescripsit -- Pro executione Voti Ponentis, & amplius, tenoris sequentis, videlicet -- Attese le continue discordie, e controversie, che hanno sempre tenuta agitata la Provincia Osservante di S. Nicolò, benchè la Sagra Congregazione a di 16. Decembre 1712. alli due dubbii proposti: uno sopra la divisione della Provincia: e l'altro sopra l'Alternativa tra li PP. Baresi, e Leccesi circa il Provincialato, gradi del Diffinitorio, Guardianati, e Recezioni de' Novitii, rispondesse *negative ad utrumque*. Ad ogni modo ordino, che in detta Provincia, si dovesse inviolabilmente osservare una sincera, e disappassionata giustizia distributiva, con ammettere in ciascun Capitolo Provinciale due Sogetti abili del Ristretto di Lecce, e Terra di Otranto nel Diffinitorio di detta Provincia. Con questo però che se agl'Elettori piacerà eleggere per Provinciale un Leccese, non potranno deputare il Custode nel medesimo Ristretto, ma il Provinciale, & un Diffinitore. E quando vorranno eleggere il Provinciale Barese, dovranno deputare il Custode, & un Diffinitore Leccese; Restando però sempre in arbitrio di detti Vocali d'eleggere il Provinciale di quella Partita, nella quale stimaranno essere sogetto più degno, e di maggior abilità; Ed in oltre, atteso, che nelli detti Ristretti di Lecce, e Terra d'Otranto vi sono dodici Conventi dovranno in avvenire in ciascun Capitolo Provinciale, e Congregazione intermedia li Patri del

Decretum præd. decernens executionem Voti Card. Ponentis de quadam specie alternativæ inter Lycienses, & Barenses.

Diffinitorio eleggere dodici Soggetti nativi del detto Riſtretto di Lecce, e Terra d'Otranto abili, e ſufficienti al Governo per Guardiani, acciochè in tal maniera godano le Cariche corriſpondenti al numero de' Religioſi e Conventi del loro Riſtretto. Cumque ſupraſcriptum votum, ſive modus debitæ executioni demandetur: ideo præſentibus injungitur P. V. Commiſſario Generali, quatenus pœnis, & remediis ſibi a Sacris Canonibus ſubminiſtrandis vocales præfatæ Provinciæ ad illius obſervationem cogat, atque compellat. Romæ 29. Februarii 1720. J. D. Card. Paraccianus -- V. Archiepiſcopus Damaſcenus Secretarius.

Preces Vice-Commiſſarii Gen.

§. 1. Cum autem, ſicut dictus Vicecommiſſarius Generalis dicti Ordinis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ Confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ipſius Vicecommiſſarii Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clauſulæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Aprilis MDCCXX. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

CLXXV. Eriguntur in Provincias binæ Vicariæ Bahiæ, ac Fluvii Januarii in Braſilia Ordinis Fratrum Carmelitarum antiquæ Obſerv.

Conſt. ed. 1710. Aug. 28. P. 10. conceſſa fuit Diſcalceatis Italis facultas fundandi Hoſpitium Ulyſſiponen. Et Inn. XIII Conſt. ed. 1723. Dec. 13. P. 3. agitur de promovendis ad Lauream Doctoratus in prædd. Provinciis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 20. Apr. 1720. An. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcroſanctum Apoſtolatus miniſterium humilitati noſtræ nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio per ineffabilem Divinæ Sapientiæ providentiam commiſſum poſtulat, ut inter multiplices Apoſtolicæ ſervitutis curas, illam peculiari ſtudio complectamur, per quam perſonæ ſub ſuavi religionis jugo Divini numinis obſequiis inſiſtentes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Erectio hujuſmodi Vicariarum, & cauſæ eas erigendi in Provincias referuntur.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarii Provinciales, & Diffinitores actuales, aliique Religioſi Diffinitorii tam proprio, quam reliquorum fratrum Vicariarum unius ſcilicet Bahiæ, & Fernambuci, alterius vero Fluvii Januarii reſpective nuncupat. Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo antiquæ Obſervantiæ etiam nuncupat. in Braſilia nomine, quod alias nempe anno 1685. prædictæ Vicariæ a q. Angelo Monſignano dum vixit d. Ordinis Priore Generali diviſæ, & anno 1686. auctoritate Apoſtolica reſpective erectæ fuerunt, ac poſtmodum eodem anno 1686. pro eis certa particularis regiminis forma, quæ ab altero Priore Generali prædicti Angeli ſucceſſore ſtabilita, & eadem auctoritate Apoſtolica anno 1687. confirmata reperitur ſtabilita fuit, prout in literis Apoſtolicis in ſimili forma Brevis, quas præſentibus deſuper expeditis haberi volumus uberius continetur: Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatæ Vicariæ ſic erectæ, & inſtitutæ, ac diviſæ congruo numero Religioſorum, & Conventuum ad effectum illas erigendi in duas ſeparatas Provincias refertæ ſint in primodicta quidem Bahiæ, & Fernambuci ſeptem Conventus comprehenſis Reformatis, alias in literis ſupradictis diviſionis expreſſis ultra Hoſpitia, & Domos Miſſionum; in ſecundo dicta vero Vicaria, videlicet Fluvii Januarii ſex alii Conventus in eiſdem literis diviſionis ſpecificati numerentur, ac proinde dicti Exponentes attento prænarrato Conventuum, & Religioſorum numero pro meliori, & ſalubriori regimine, & Regulari obſervantia, & diſciplina augenda, dictas binas Vicarias, in duas Provincias formales ſeparatas, & de per ſe ſtantes ad inſtar aliarum Provinciarum ejuſdem Ordinis erigi poſſe, illiſque ſic erectis omnia, & ſingula privilegia, gratias, & præeminentias, ac Indulta, quibus aliæ ejuſdem Ordinis Provinciæ de jure, uſu, & conſuetudine juxta dicti Ordinis Conſtitutiones, & Statuta dicta auctoritate confirmata fruuntur, & gaudent, per Nos concedi plurimum deſiderent, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Preces Patrum Definitorii, & Vicariarum.

§. 2. Nos igitur eorumdem Exponentium votis hac in re benigne annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum qui relationem dilecti etiam filii moderni Prioris Generalis dicti Ordinis, rationeſque deductas mature perpenderunt, conſilio, ſupradictas Vicarias in duas Provincias formales ad inſtar aliarum Provinciarum ejuſdem Ordinis, ſalvis tamen privilegiis eorumdem Conventuum Reformatorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium juxta petita erigimus; Salva tamen ſem-

Erectio prælatarum Vicariarum in duas diſtinctas Provincias, ſalvis privilegiis Reformatorum.

per

per in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[...]lausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum, Vicariatuum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDCCXX. Pontificatus Nostri anno Vigesimo.

CLXXVI.

Confirmatur Decretum Dietæ Gen. Congregationis Monachorum Silvestrinorum de exercitio munerum a Constitutionibus præscripto ad obtinendam Abbatiam Titularem.

Constitutiones horum Monachorum confirmatæ fuere ab Alex. VIII. Const. ed. 1690. Oct. 15. P. 1.

Dat. 6. Maji 1720. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decretum h. m. 1694. editum, ejus causæ, diversa Congregationis Episc., & Reg. rescripta, ac casus quidam in quo dubitatur an locum habeat Decretum, referuntur.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Matthæus Sestili Abbas, & Visitator Generalis Congregationis Monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis S. Benedicti, quod in Constitutionibus dictæ Congregationis a fel. rec. Alexandro PP. VIII. Prædecessore nostro confirmatis *Dist.* 3. *Cap.* 4. *§.* 6. inter alia disponitur; quod, si quis octo annorum curriculo aut Bibliothecarii Monasterii S. Benedicti Terræ de Fabriano, sive Socii Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis munus obierit, capax Abbatiæ Titularis efficiatur absque eo, quod expressum sit, an opus ei existat, quod in unoquoque ex dictis officiis duo quadriennia complevisse, vel supradicti temporis dimidiam partem in uno, aliamque dimidiam in altera munere consumpsisse sufficiat. Cumque anno 1694. infrascriptæ Congregationi Cardinalium pro hujusmodi declaratione supplicatum fuisset, istamque eidem Congregationi Cardinalium ad tunc proxime Dietam Generalem, quæ desuper pro suo arbitrio, & conscientia explanaret, quod sibi magis expediens videretur remittere placuisset, ipsamet Dieta eodem anno declaravit octennium in dicta Constitutione ad præfixum intelligendum esse extensive ad diversa officia, itaut si aliquis Monachus per biennium socius dicti Procuratoris Generalis, altero biennio Bibliothecarius, altero secretarius, alteroque itidem biennio Novitiorum Magister extitisset, hunc intelligi annos octo a Constitutione præfinitos explevisse, habilemque effectum, ad hoc ut ad Abbatiam Titularem promoveatur, ac insuper eadem Dieta hanc rursus methodum proportionabiliter in aliis Officiis honoris nuncupat. ac voce carentibus successive servandam esse decrevit, sic ut sensus semper successivus, non autem cumulativus esse deberet, atque pro majori robore, ac firmitate præcitatæ declarationis, & Decreti supplicandum duxerat prædictæ Congregationi Cardinalium pro illorum confirmatione quæ subinde dignata fuerat rescribere esse locum confirmationi per literas Apostolicas. Porro post ejusmodi Rescriptum evenit, quod dictus Joannes Matthæus nunc Abbas, & Visitator Generalis ejusdem Congregationis Monachorum, qui Socii Procuratoris Generalis per quatuor annos & totidem Bibliothecarii supradicti monasterii officio functus fuerat, in Dieta Generali institerit pro sui promotione in Abbatem titularem, existimans, quod novas preces memoratæ Congregationi Cardinalium, quæ jam declarationem ipsi Dietæ commiserat, & ista octo annorum exercitium in pluribus ex dictis officiis jam sufficere declaraverat, porrigere necessarium minime foret. Verum, quia cum eademmet Dieta extendens declarationem ad alia honoris munia (pro cujus confirmatione supplicari debuerat, prout prædictæ Congregationi Cardinalium supplicatum fuerat, & ipsa pro confirmatione rescripserat) facultates sibi tributas excessisset, tunc existens Abbas Generalis supradictæ Congregationis Silvestrinorum supplicem libellum tam ejusdem Matthæi, quam dilecti pariter filii Joannis Baptistæ Cortosonno Monacho expresse professo hujus Congregationis nomine eidem Congregationi Cardinalium porrexit, quatenus omni semoto dubio, utrumque ad gradum Abbatiæ titularis habilitare dignaretur, prout die 18. Aprilis 1698. habilitavit hac tamen conditione, ut nisi infra tres menses litteræ Apostolicæ super confirmatione Dietæ Generalis hujusmodi expedirentur, ejusmodi gratia eis minime suffragaretur, ignarus itaque Joannes Matthæus supplicationis ejus nomine distributæ, sicuti, & rescripti desuper editi, haud tamen inscius minime teneri ad aliquam dictarum literarum expeditionem; sub firma credulitate, quod ista cadere deberet, solummodo in ea parte, quæ respiciebat declarationem Dietæ Generalis dicto anno 1694. circa munia honoris pro quibus cursus duodecim annorum requiritur, & super quibus declarandis nullam habuerat facultatem abinde citra pacifica, & bona fide intra spatium viginti duorum annorum gradum Abbatis titularis non minus, quam Gubernii ex eis quatuor, ac Visitatoris Generalis munere octo annorum, quod etiamnum exercet; gavisus est.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Joannes Matthæus timens posse in proxime futuro Capitulo Generali supradictæ Congregationis Silvestrinorum opponi nullitatem honorum hactenus habitorum, quemadmodum, & aliorum, si quibus a sua Congregatione decorari valeret, & eo tantummodo motivo, quia literas prædictas, quas sibi minime necessarias esse judicaverat, haud expedierit opposita nullitate non obstante, se habilitatum, & capacem per nos declarari summopere desideret, maxime quia in aliis quinque capitulis, duabusque Dietis, quibus tanquam Abbas Titularis de Gubernio, & tanquam Visitator generalis interfuerit, nec eidem unquam talis oppositio facta sit, quod de per se solum est siquidem sufficiens ad quamcumque nullitatem sanandam, quatenus adesset, sed semper in eodem gradu suffragium tulerit, ejusque votum absque ulla contradictione admissum fuerit. Nobis propterea idem Joan-

Preces Procuratoris Gener.

nes Mat-

nes Matthæus humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum Joannem Matthæum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum qui dilectorum filiorum socii, & Vice-Procuratoris Generalis ipsius Congregationis Silvestrinorum relationem, & a prædicto Joanne Matthæo narrata attenderunt consilio, primum Decretum a Dieta Generali editum, & gratiam Abbatiæ titularis a memorato Joanne Matthæo reportatam, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & respective sanamus, illisque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio recensiti Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & dicto Joanni Matthæo in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Silvestrinorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Maji MDCCXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CLXXVII. Confirmantur quædam Decreta Diffinitorii Gen. Ordinis Min. Conventualium.

Alex. VIII. Const. ed. 1690., April. 5. P. 1. confirmata fuere quædam Decreta Capituli Gen. Et hujus Pontificis Const. ed. 1720. Jul. 12. P. 20. est prohibitio extrahendi libros ex Bibliotheca Urbinaten.

Dat. 7. Maii 1720. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncti Nobis divinitus Pastoralis officii debito illa, quæ pro felici eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi vitæ Religiosæ jugo mancipati sunt, regimine, & gubernio provide prudenterque facta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, libenter cum id a Nobis petitur Apostolici muniminis nostri præsidio roboramus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Carolus Jacobus Romilli Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in Diffinitorio Generali dicti Ordinis in alma Urbe nostra die 27. Mensis Maji anni proxime præteriti congregato ad Divini cultus incrementum, & Religiosorum Ordinis hujusmodi, tam ad regularis observantiæ, quam in literis progressionem edita, & facta fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretorum anno 1719. editorum scopus.

Decreta Venerabilis Diffinitorii Generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, Romæ Die 27. Maji Anno 1719. congregati.

I.

Patrona præcipua B. M. V. Immaculatæ Conceptionis.

Sacra Minorum Conventualium Religio Beatissimæ Virginis Conceptionem singularibus devotionis officiis a suis primordiis quovis tempore prosecuta est. Quamobrem Majorum suorum semitis inhærendo, Decrevit Ven. Diffinitorium eamdem Beatam Virginem sub titulo Immaculatæ Conceptionis in Patronam Principalem sibi assumere: firmissimam ex eo spem concipiens, futurum ut in Ordine nostro erga eamdem Deiparam, ejusdemque Immaculatæ Conceptionis Mysterium, pietas, & Religio in dies fervescat, & augeatur.

II.

Ratio faciendæ Transfiliationis.

Cum satis compertum sit non levia sequi incommoda, & Jura Ministrorum Provincialium confundi, & perturbari, si quandoque in Transfiliationibus contingat aliquem prius acceptari in filium Conventus, quam Provinciæ; hac de causa sub pœna nullitatis præcipitur, ut in hujusmodi transfiliationibus (etiamsi utraque aggregatio spectaret ad Diffinitorium Provinciale) hic ordo omnino servetur; Præmissis literis de jure præmittendis, prius Provinciæ, deinde Conventui coaptetur.

III.

Sacrificia, & preces pro mortuis Præsidibus.

Pietati, & maxime Religioso consentaneum est, eos, qui vel Religioni toti, vel Provinciis præfuerunt, quique non pro se ipsis dumtaxat, sed pro aliis quoque teneantur Deo rationem reddere, uberioribus suffragiis cum ex hac vita decesserint adjuvari. Statuitur ergo, ut pro Exgeneralibus, & Exprovincialibus in Religione obeuntibus in singulis Conventibus totius Ordinis una Missa cantetur, singuli Sacerdotes semel Missæ sacrificium offerant, Clerici semel Officium Defunctorum, Laici vero semel Coronam Beatæ Mariæ Virginis devote recitent. Pro Exprovincialibus, salvis manentibus suffragiis per Constitutiones Urbanas, statutis in singulis Conventibus Provinciæ, duæ aliæ Missæ cantentur. Pro Exprocuratoribus Generalibus, aliisque Assistentibus Ordinis Missa una cantetur in qualibet Provincia in Conventu designando a Ministro Provinciali juxta Ordinem Custodiarum, & Conventuum.

IV.

Qui ad Religionem admittendi.

Stricte præcipiunt nostræ Constitutiones Urbanæ, ut nemo ad Ordinem recipiatur, nisi prævia diligentissima perquisitione de uniuscujusque natalibus, de corporis habitudine, de moribus, & vita anteacta. Quæ perquisitiones cum non semel probatæ sint deceptionibus obnoxiæ, si illorum Provincialium, ex quorum finibus recipiendi ortum trahunt, informatio, & votum negligatur; ideo mandatur Ministris Provincialibus quarumcumque Provinciarum, ne imposterum audeant exteros ad habitum Religionis admittere, nisi præhabitis informatione, & consensu Provincialium, ad quos spectat, sub pœnis statutis, & expressis in Decreto Alexandri VIII. quod incipit *Provinciales quarumcumque Provinciarum*, & aliis pœnis Ministri Generalis arbitrio reservatis.

V.

Quamquam in Constitutionibus nostris Fratribus quoque Laicis, seu Conversis Jus suffragii in quibusdam actionibus concedatur, tamen quia, ut experimento compertum est, ex hujusmodi Conversorum suffragiis acta publica ut plurimum vel impediuntur, vel perturbantur, cum ut plurimum deteriorem sequentes, ab optimorum sententia discedant; hac de re statuitur, ut nullus Conversorum, qui actu in Religione reperiuntur in actionibus publicis, vel privatis suffragium ferat, nisi in ætate habeat annos quadraginta, & in professione regulari quindecim; qui verò post hoc Decretum ad habitum Religionis admittentur, omnino careant jure suffragii.

VI.

Cum non parum utilitatis a lecturæ moralis exercitio oriri probatum sit, censuit Vener. Diffinitorium confirmandum esse Decretum super hoc emanatum in Capitulis Generalibus celebratis annis 1707., & 1713. quod incipit *Cum in dies*, hac tamen limitatione, ut lectura Moralis ad Paternitatis Provinciæ gradum non perducat, nisi qui prius Regentes primæ Classis fuerint: ne si sola lectura moralis ad paternitatem Provinciæ assequendam sufficiat, cum non levi Religionis detrimento, laboriosa cæterarum facultatum studia negligantur.

VII.

Postremo cum Decreta Diffinitorii Generalis in Urbe congregati anno 1713. non nisi ad sexennium fuerint a Sanctissimo Domino Nostro confirmata, quæsitum fuit, an essent iterum approbanda. Quibus Ven. Diffinitorium respondit; I. De Confessionibus Novitiorum audiendis non ab ipsorum Magistro, ut vitentur conscientiarum pericula, sed ab alio Religioso spectatæ vitæ ad id muneris seligendo. III. In quo ne Conventus gravetur, decernitur, ut non cuilibet Diffinitori perpetuo proprius Laicus assignetur pro socio, sed unus Frater Laicus inserviat saltem duobus Patribus. V. De Præfectis in Gymnasiis, & Collegiis pro majori studentium profectu destinandis. VIII. De lectura secundi Seminarii Regentibus diligentioribus secundo triennio pro secunda, & tertio triennio pro prima classe judicio Diffinitorii Generalis concedenda. X. De Seminariis pro faciliori Adolescentium profectu ad pauciorem numerum reducendis. XI. De non promovendis ad Paternitatem alicujus Conventus, nisi prius ab Episcopo Diœcesano fuerint ad confessionem admissi. XII. De subsidiis præstandis Sac. Conventui Assisiensi: Hæc omnia Venerabile Diffinitorium respondit esse approbanda, juxta eorum seriem, & tenorem, prout re ipsa approbavit. II. Vero de suffragio a Conversis in electionibus non ferendo nisi in ætate habeat annos quadraginta, & in Professione Regulari quindecim, approbavit, sed ulterius statuit, quod Conversi imposterum ad habitum admittendi, omnino careant jure suffragandi, prout n. 5. Quintum de lectura morali in ordine promovenda, pariter confirmavit, sed hac limitatione, ut ad paternitatis gradum non perducat, nisi qui prius Regentes primæ Classis fuerint, prout n. 6. Sextum tandem, septimum, & nonum, in quibus de methodo studiorum de concursu, & examine studentium Baccalaureorum, & numero Collegialium agitur, censuit Ven. Diffinitorium esse totaliter committenda, prout de jure in sacris Constitutionibus Urbanis prudentiæ, & arbitrio Reverendissimi Fratris Ministri Generalis, qui pro locorum & temporum varietate, id pro studiorum incremento statuet, quod magis in Domino expedire videbitur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Carolus Jacobus Minister Generalis Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Carolo Jacobo Ministro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii nostri Josephi ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Vallemani nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, & alteram dilecti etiam filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi, atque documenta exhibita mature perpenderunt consilio, Decreta præinserta, nono dumtaxat excepto, confirmando usque ad proxime futurum Capitulum Generale Ordinis prædicti, ac in proxime venturo generali Diffinitorio iterum ad trutinam reducendo, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Confirmatio relatorum Decretorum, nono excepto iterum ad examen revocando.

§. 3. Decernentes præinserta Decreta, ac easdem præsentes literas firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, aliisve quibusvis; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Maji MDCCXX. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

CLXXVIII.

Confirmantur quædam Decreta Capituli Gen. Congregationis S. Bernardi in Hispania de Lectoribus & Concionatoribus.

Const. ed. 1719. Apr. 3. P. 19. extat decretum de electione Superiorum singulis sexenniis. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Dec. 20. P. 5. agitur de distributione Officiorum in Congregatione Cistercien. Castellæ.

Dat. 29. Maji 1720. An. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncti Nobis divinitus pastoralis Officii debito illa, quæ pro felici eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipati sunt, regimine, & gubernio provide prudenterque facta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, libenter cum id a Nobis petitur Apostolici muniminis nostri præsidio roboramus.

Decretorum an. 1717. editorum causa refertur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis in Romana Curia Monachorum Congregationis S. Bernardi Hispaniæ Ordinis Cistercien. tam suo, quam Dilectorum Filiorum Abbatis Generalis, & totius Diffinitorii prædictæ Congregationis nomine, quod in Capitulo Generali ejusdem Congregationis die 10. Novembris 1717. in Collegio de Palazuelos nuncupat. celebrato ad tollendas gravissimas inordinationes quas ipsa Congregatio ob neglectas Sacræ Theologiæ, & Philosophiæ Lecturas, nec non Verbi Dei prædicationes experta fuit, nonnulla Decreta, sive Definitiones circa modum deinceps in electione Lectorum, verbi Dei Prædicatorum, oppositorum, & aliorum servandum edita, & facta, ac ab eodem Capitulo approbata & subscripta fuerunt, tenoris, qui sequitur; videlicet.

Decreti, o Definizioni, & Ordinazioni, da confermarsi.

I.

Lectores, & Concionatores qua de causa amoveri possint a suo munere.

E per essersi sperimentati nella Religione gravi inconvenienti per l'esperienza, che fin ora ha avuto nel tralasciare le lettere di Teologia, e Filosofia, e le Prediche, desiderando evitarli il Capitolo Generale commanda, che di qui avanti una volta, che saranno posti li detti Lettori, e Predicatori nella forma, che nelli Capitoli seguenti si dirà, non si possino rimovere dalle loro cariche senza causa, e dichiarare il Capitolo Generale esser causa legitima per esser rimossi, la mancanza del complimento all'obligo di detti loro impieghi, o cariche letterarie, e ogni altra cosa; per la quale, possono secondo li nostri Statuti, e Definizioni esser privati li Padri Abbati.

II.

Norma eos eligendi.

E perche li detti Lettori, e Predicatori siino tali, che nominati una volta non possino esser rimossi, se non per le cause dichiarate nell' antecedente Capitolo, ordina, e comanda il Capitolo Generale, che li Lettori, e Predicatori si provedino, ed eleggino di qui innanzi per concorso nel tempo del Capitolo Generale, o pure quando parerà al Nostro Reverendissimo P. Generale esser di bisogno, dovendo li concorrenti intervenire a detto Capitolo, nel quale diffenderanno quella Conclusione, che vorranno, e leggeranno d'oppposizione un'ora con punti rigorosi di ventiquatro hore, quali si proporranno dal Maestro delle Sentenze, argomentando uno contro l'altro di maniera, che ciascheduno delli concorrenti sostenga due argumenti di mezz'ora per ciascheduno.

III.

Qui ad examen admittendi, & a quo eis ministranda viatica.

Parimente concede licenza il Capitolo Generale di poter concorrere a detta opposizione tutti quelli, che averanno sostenuto l'atto maggiore nel'Università d'Alcalà, e a quelli, che averanno sostenuto l'atto maggiore, o minore nell' Università di Salamanca, o saranno nominati dal nostro Reverendissimo P. Generale per sostenerli, e a quelli che sua Paternità Reverendissima secondo le circostanze, parerà convenienti chiamare a detto concorso. A tutti i quali, che vogliono concorrere debbino li Padri Abbati, de'quali saranno sudditi, dar' a conto della lor casa di Professione tutto il bisognevole per andare, e ritornare a Palazuelos, o al luogo, dove sarà il concorso sotto pena di sospenzione dalle loro dignità Abbaziali per sei mesi, il che si eseguirà dal Nostro Reverendissimo P. Generale, o suo Commissario senza dispensarne alcuno, sopra di che a sua Paternità Reverendissima se gl'incarica la Coscienza, come anche il detto Capitolo Generale incarica la Coscienza di sua Paternità Reverendissima, acciò che la provisione di detti atti della Università la faccia in soggetti più abili, che per ciò li Padri Maestri, e Lettori di Salamanca, ed Alcala, e Maestro degl Studenti di Salamanca dopo sostenuti gl'atti di detti Collegii, faccino un'Atteftato giurato, e segreto senza communicarsi uno con l'altro a sua Paternità Reverendissima di ciascheduno di detti, che averanno sostenuti gl'atti di Collegio, acciò detta Paternità sua Reverendissima possa con maggior sicurezza provedere gl'atti dell'Università, avendo riguardo alli meriti delli soggetti, ed alla giustizia distributiva, che ordina la Bolla del Nostro Santo Padre Clemente XI.

IV.

Examinatores, & qui ab eis approbandi.

Similmente ordina il Capitolo Generale che fatto il sopradetto concorso, ed opposizione alle Letture, e Prediche, si provedino per Voti decisivi del nostro Reverendissimo P. Generale, ed altri quattro Esaminatori, che saranno sempre li Lettori, e Oppositori di Alcala, e Salamanca, di maniera che di detti quattro uno sii naturale del Regno di Galizia, e l'altro della Provincia de Campos, e Terre adjacenti del Regno di Leone, e gl'altri due siano naturali di Castiglia nova, Riosa, Astrurie, e Montannas. E se d'alcuno di detti Partiti non vi sarà Lettore, ne Oppositore, si complisca il detto numero di quattro con il Maestro, o Maestri più moderni, che siino Capitulari, naturali di detti partiti, che non averanno Lettore, nè Oppositore. Et il detto nostro Reverendissimo P. Generale, e quattro Esaminatori giurino di dare il Voto per quelli che giudicaranno più abili à dette cariche, regolandosi il tutto meglio si potrà con l'egual divisione, e subdivisione, che dispone in quanto ai Magisterj, e Prediche il nostro Santissimo P. Clemente XI. dare i loro voti in Segreto, e quello che averà maggior numero di essi, sia Lettore, o Predicatore.

V.

Quot Lectores & Concionatores eligendi.

Et in tal guisa nei tempi suddetti si provedino tutte le Letture, e Prediche, che allora saranno vacanti, e che si sappia, che in quel triennio hanno di vacare.

VI.

Potendo similmente provedere oltre li detti altri due, o tre Lettori, e Predicatori, che solo possino entrare parendo al nostro Reverendissimo P. Generale in Letture, e Prediche se a caso vacaranno avanti d'altro concorso per morte, rinunzia, ò privazione.

VII.

Electio oppositorum pro Universitatibus.

Nell'istessa conformità e maniera provederanno il detto nostro Reverendissimo P. Generale, e quattro Esaminatori quelli che si dovranno assegnare per Oppositori alle Cattedre delle Università, nominandoli delli soggetti di detto concorso, o delli Lettori attuali, li quali nominati una volta non possino lasciar detta Carica di Oppositori, se non per causa d'una malatia, che l'obblighi a ciò, e che risulti per mezzo d'un atteftato giurato de' Medici, riconosciuto, ed approvato dal detto nostro Reverendissimo P. Generale, e li quattro Esaminatori, ò la maggior parte delli cinque.

VIII.

VIII.

Comanda similmente il Capitolo Generale, che tutte le spese del nostro Reverendissimo P. Generale, delli quattro Padri Esaminatori, e delli concorrenti alle dette cariche tutto il tempo, che durerà il detto Concorso, le faccia questo Monastero di Palazuelos, o altro, che il nostro Reverendissimo Padre Generale assegnarà per quest' effetto a conto di tutto l'Ordine quale si riporta con le spese dell' istesso Capitolo, e paghino li Padri Abbati con l'istessa puntualità, che si pagano sempre le dette Spese al Capitolo Generale.

IX.

Parimente ordina il detto Capitolo Generale, che nessun Lettore, nè Predicatore si possa giubilare finche non abbia letto, o predicato dodeci corsi compiti.

X.

E parimenti, che nessuno possa esser Lettore, nè Predicatore del Collegio di Palazuelos più di sei corsi, quali terminati il nostro Reverendissimo P. Generale debba farli passare ad altre Letture o Predica, e che nessuno Lettore possa giubilarsi senza aver letto tre anni almeno in Alcala, o Salamanca.

XI.

Parimente comanda il Capitolo Generale, che nel Collegio di Alcala non vi siino altro, che quattro Lettori, e il meno antico di abito eserciti l'officio di Maestro de' Studenti, e in Salamanca più di tre Lettori, e un Maestro de' Studenti, includendo in questo numero li Graduati di detta Università, che non averanno Catedra, nè saranno Giubilati.

XII.

E che nel Collegio delli più anziani non vi siino più, che tre Regenti, e che il meno antico d' abito eserciti l'officio di Vice-Regente, nè tampoco nel Collegio di Palazuelos vi siino più di quattro Lettori, esercitando il meno antico d'abito l'officio di Maestro di Studenti, & in ciascheduno Collegio di Filosofia solamente vi sarà un Lettore, che guadagni tre corsi compita la lettura di Filosofia, ed uno più anziano che non guadagni corso, il che si osservi subito ottenuta che sarà la conferma Apostolica.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Decreta, & definitiones hujusmodi quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem ejusdem Procuratoris Generalis super præmissis eisdem Cardinalibus factam viderunt consilio (recedendo a resolutis sub die xi. Martii anni proxime præteriti in ea parte, in qua fuit dictum quo ad confirmationem supradictorum Decretorum, & Definitionum factam, & approbatam, in pleno Capitulo Generali exquirendum esse votum ejusdem Capituli Generalis) Definitiones, & Decreta præinserta hujusmodi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Decernentes præinserta Decreta, & Diffinitiones, ac easdem præsentes literas firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis Hispaniæ etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIX. Martii MDCCXX. Pontificatus nostri anno vigesimo.

CXXIX.

Abolentur Statuta Capitulorum Generalium Fratrum Min. de Observ. Reformat. de privilegiis Lectorum, Prædicatorum, & Magistrorum Novitiorum.

Inn. XI. Const. ed. 1686. Martii 18. Pio confirmata fuere h. m. privilegia Lectorum. Hujus Pontificis Const. ed. 1718. Aug. 20. P. 18. revocata fuere privilegia personalia in Provinciis Brasilien. Et de abolendis privilegiis Lectorum vide Const. sequentem ed. 1720. Sept. 7. P. 20.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 6. Sept. 1720. An. 20.

Ad futuram rei memoriam.

INter cæteras Apostolicæ servitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiæ regimen humilitati nostræ a Domino commissum assidue premimur ea Nos non parum solicitos habet, ut personæ Regulares Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatæ, juxta regularia eorum Instituta salubriter regantur, & propterea si quæ felici earum statui obesse, aut in aliquod observantiæ Regularis earum, & disciplinæ detrimentum vergere cognovimus ea, quantum Nobis ex alto conceditur, removemus, & prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Superiores Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod Capitulum Generale dicti Ordinis quod anno 1682. in Civitate Toletan. celebratum fuit, perpendens multos præmio magis, quam pœna ad virtutes excitari omnium strictioris observantiæ

Margin notes: quo fieri … e præditorum eleonum. — Jubilatis Lectore … Collegii de Palazuelos. — … numero Lectorum, Magistrorum, Regentium, & Viceregentium. — Preces Definitorii Gen. — Confirmatio … Decretorum. — Clausulæ. — Exordium. — Statutum Capituli Toletani 1682. de precedentia Lectorum, Concionatorum, & Magistrorum Novitiorum

Vocalium unanimi consensu, ac nemine prorsus discrepante statuit, ut ii, qui integrum Philosophiæ cursum, & Sacram Theologiam duodecim annorum spatio laudabiliter docuerunt, vel imposterum docebunt, ultimum locum, & præcedentiam inter eos, qui Ministri, & Vicarii Provincialis per biennium vel Guardiani Conventus Hierusalem, vel Secretarii Generalis respective muneribus perfuncti fuerunt, obtineant; Qui vero totidem annis in Cathedralibus Ecclesiis, vel suggestis conspicuis, vel generalibus in verbi Dei prædicatione præclare se gesserunt, & posthac se gerent, immediate post Diffinitores actuales, & qui Magistri Novitiorum per octo annorum decursum fuerunt, vel erunt, post Excustodes, & Prominiſtros, qui in Capitulo Generali Hispaniarum legitime suffragati sunt, locum habeant; ea tamen lege, ut unus ex Lectoribus, unusque ex Concionatoribus, ac unus ex prædictis Magistris antiquior in suo quolibet munere expleto, præfata præcedentia respective, & loco absque jure subrogandi eodem tempore gaudere possit; præfati autem Lectores in posterum scholastica exercitia ad præscriptum Constitutionum ejusdem Ordinis auctoritate Apostolica confirmatarum peragere teneantur: Ac postmodum ejusmodi Toletanum Statutum quoad Lectores de tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio per quasdam felic. record. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri die 18. Martii 1686. expeditas Literas sub certis modo, & forma tunc expressis confirmatum, & approbatum fuit; Et deinde in Capitulo pariter Generali Romano anno 1688. celebrato titulus Emeriti jam dictis Lectoribus attributus extitit; Ac in altero similiter Capitulo Generali Victoriæ nuncupato anno 1694. habito, unus in qualibet Provincia Conventus, ubi Lectores prædicti privilegia hujusmodi consecuturi, eadem scholastica exercitia prosequi deberent, stabilitus fuit.

Statutum præd. quoad Lectores tantum ab Inn. XI. confirmatum an. 1686.

Statutum Capituli Romani 1688. de titulo Emeriti Lectoribus concesso.

Statutum Capituli Victoriæ 1694. de peculiari Cœnobio pro dd. Lectoribus.

Preces Superiorum Gen. pro abolitione præfatorum Statutorum.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, experientia compertum sit gravia ex ipsis Indultis, & Privilegiis regulari disciplinæ præjudicia illata, ac inter Religiosos jurgia, lites ac ambitus multum ab humilitate, & simplicitate dicti Ordinis aliena exorta esse, & propterea dicti exponentes, quo omnis via illius relaxationi præcludatur, de opportuno remedio a Nobis provideri summopere desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de particularis Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalium a Nobis deputatæ consilio dictum Statutum Toletanum super Indultis, ac Privilegiis Lectoribus, Verbi Dei Prædicatoribus, necnon Magistris Novitiorum, sicut præmittitur concessis, necnon alia statuta in Capitulis Generalibus, scilicet Romano, & Victoriæ edita, ut præfertur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, viribusque, & effectu vacuamus; sicque deinceps prædicti Lectores, Verbi Dei Prædicatores, & Magistri Novitiorum Indulta, privilegia, & titulos hujusmodi nullatenus consequi valeant, ita tamen, ut Regulares Ordinis prædicti, qui usque ad præsentem diem jam dicta Indulta, & Privilegia legitime consecuti fuerint, in eorumque pacifica possessione extiterint, iis uti, & frui possint, in statu tantum, in quo reperiuntur, non tamen aliud privilegium in casu loci vacantis privilegiati assequi valeant, atque præsentibus Nostris Literis juri illis quæsito derogatum censeatur.

Abolitio prædd. Statutorum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus prædictis Innocentii Prædecessoris Literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Septembris MDCCXX. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

CLXXX.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis de abolendis Privilegiis a Capitulis Gen. Fratrum Min. de Observ. Reformatæ Lectoribus concessis.

Hac de re vide Const. præcedentem ed. 1720., Septemb. 6. P. 20. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Jul. 5. P. 1. denegatur præcedentia Laicis in Regno Siciliæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 7. Sept. 1720. An. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata super prætensis rationibus pro parte dilectorum filiorum Lectorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupat. alias in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita adductis, & in eadem Congregatione particulari minime exhibitis, non esse locum abolitioni Indultorum, & privilegiorum eis per statutum Toletanum, ac Capitula Generalia Romano scilicet, & Victoriæ dicti Ordinis concessorum, emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet--Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci.-Cum pridem sub die Jovis 18. Julii 1720. Congregatio deputata Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardi-

Decretum Cogregationis, in quo refertur con-

nalium

radictio inter Superiores Gen. & Lectores super abolitione prædd. Privilegiorum.

nalium Paulutii, Casoni, Paracciani Præfecti Congregationis Episcoporum, & Regularium, ac Fabroni, meique infrascripti Secretarii fuerit in sensu, consulendum Sanctissimo Domino Nostro pro abolitione Statuti Toletani, necnon aliorum Statutorum in Capitulis Generalibus Romano, & Victoriæ editorum super Indultis, & Privilegiis Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum Ordinis Minorum Observantiæ Reformatorum concessis, prout latius ex facti serie, & Decreto edito, quod a Sanctissimo D. N. approbatum fuit. Nuper ex Lectorum præmemorati Ordinis parte eidem Sanctissimo Domino Nostro expositum fuit, quod alias sub die 21. Junii 1709. in Sacr. Congregatione Episcoporum, & Regularium, hac eadem promota Superiorum Generalium instantia super abolitione respective dictorum Privilegiorum, & Indultorum, Ponente clar. mem. Cardinali Sancti Clementis rescriptum fuit -- Nihil esse innovandum, proindeque ex his, aliisque prætensis rationibus, quæ a dictis Lectoribus adducebantur, & in eadem Congregatione particulari exhibitæ non fuerunt, non esse locum abolitioni prædictorum Indultorum, & Privilegiorum dicebatur. Hinc denuo de mandato ejusdem Sanctissimi Domini Nostri, eadem particulari Congregatione habita die Jovis 29. Augusti 1720. & perpensis dicto Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, aliisque prætensis rationibus prædictorum Lectorum, Eminentissimi Patres unanimiter fuerunt in sensu -- Standum esse in Decretis sub die 18. Julii proxime præteriti -- J. D. Card. Paraccianus -- J. Archiepiscopus Damascenus Secretarius.

Preces Superiorum Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilecti etiam filii Superiores Ordinis prædicti Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembr. MDCCXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CLXXXI.

Extenditur numerus octodecim Magistrorum pro Provincia Peruviana Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Constitut. ed. 1712. Febr. 26. P. 12. auctus fuit numerus Magistrorum in Provincia Limana. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Nov. 18. P. 1. reducitur numerus Magistrorum in Provincia Castellæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dat 20. Oct. 1720. an. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus extensionis, & preces Provinciæ pro numero 50. Magistrorum.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Peruvianæ Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod cum in eadem Provincia numerus Religiosorum auctus sit, illiusque Conventus in statu satis diviti reperiantur, necnon in ultimo examine peracto Religiosi habiles & capaces ad consequendum Magisterii in Sacra Theologia gradum usque ad numerum quinquaginta, qui tamen laurea emerita donari nequiverunt, ex quo in Provincia hujusmodi octodecim Magistri in eadem Sacra Theologia numerantur, reperti fuerint, ipsi Exponentes, quo Religiosis prædictis novi ad studia, & virtutes stimuli addantur, numerum Magistrorum hujusmodi ad quinquaginta a Nobis augeri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisve Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilectorum pariter filiorum modernorum Vicarii Generalis, & Procuratoris Generalis dicti Ordinis super præmissis eisdem Cardinalibus factam, viderunt, & jura deducta perpenderunt, consilio, octodecim magistrorum prædictæ Provinciæ numerum pro nunc ad viginti quatuor auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & in reliquis votum futuri Capituli Generalis exquiri mandamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extensio numeri 18. Magistrorum ad 24. tantum.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per

quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciæ, & Ordinis prædictorum, & etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Octobris MDCCXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CLXXXII. Confirmatur Concordia super divisione Provinciæ Insulen. Ordinis Fratrum Capuccinorum.

Const. ed. 1712. Sep. 13. P. 12. constituta fuit æqualitas inter Custodias Provinciæ Turonen. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Dec. 16. P. 5. erigitur Provincia Alsatien.

Dat. 11. Jan. 1721. an. 21.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ divisionis Provinciæ in Custodias Gallo-belgicam, & Flandro-belgicam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & Definitorum Provinciæ Insulen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Nobis expositum fuit, quod cum eorum Provincia in locis, & Terris, in quibus maxima adest idiomatum diversitas, constituta sit, propter ejusmodi, etiam idiomatum diversitatem, populorum utilitatem, bonum Conventuum, pacem, & Religiosorum concordiam, & præsertim, ut servitio charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi provideatur, nimirum, ut tam populi, quam Religiosi in temporalibus, sicut & in Spiritualibus necessariis levamentis minime destituantur, a dilectis pariter filiis Ludovici de Jul tunc existente Definitore generali, & Ministro Provinciali Provinciæ Parisien. dicti Ordinis, ac a tunc pariter existente Carolo Maria Ministro Generali Ordinis hujusmodi, ad hoc specialiter deputatis, conventio, & transactio facta, approbata, & confirmata, & in Capitulo mense Augusti anno 1687. celebrato ab omnibus vocalibus unanimiter subscripta, & hactenus sine interruptione observata fuit, itaut Primo Provincia prædicta juxta idiomatum diversitatem in duas Custodias nimirum Gallo-Belgicam, & Flandro-belgicam dividatur eidem Ministro Provinciali subjectas. Secundo, ut Minister Provincialis ex unaquaque Custodia sit eligibilis, & unaquæque custodia duos Definitores Nationales habeat: Tertio, ut in Capitulo celebrato pro Capitulo Generali quælibet Custodia suum Custodem ad Capitulum Generale mittendum habeat, & alia prout in Decreto confirmatorio conventionis prædictæ plenius dicitur contineri.

Concordiæ Capitula super d. divisione in Capitulo Gen. 1687. approbatæ.

Preces Ministri, & Definitorum Provincialium.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat nonnullis prædictam conventionem electionum utcumque libertati præjudicare, & Sacris Canonibus contrariam esse videatur, ideoque dicti Exponentes, ut bona memorata procurentur, & malis alioquin resultandis occurratur omnes, & quoscumque defectus, qui in prædicta conventione esse possunt per Nos sanari, eamdemque conventionem approbari, ac ratificari, electionesque in omnibus Capitulis in posterum in prædicta Provincia celebrandis juxta conventionem hujusmodi fieri posse plurimum desiderent. Nobis propterea exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio recensitæ concordiæ.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti pariter filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam viderunt consilio memoratam conventionem auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, ratificamus, & qualemcumque defectum forsan in ea incursum itidem sanamus. Præterea permittimus juxta petita, ut deinceps electiones in omnibus Capitulis in prædicta Provincia celebrandis ad instar ejusdem Conventionis fiant.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. Januarii MDCCXXI. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

Confirmantur Privilegia & indulta a Romanis Pontificibus Universitati Studii Generalis, & Collegio Doctorum Urbini concessa, cum nonnullis illorum declarationibus. CLXXXIII.

H. m.

H. m. Privilegia & Indulta hic recensentur in Constitutionibus Jul. II. ed. 1507. Feb. 17. P. 5. Pii IV. Const. ed. 1563. Feb. 16. P. 5. & Const. ed. 1564. Feb. 20. P. 5. Urb. VIII. Const. ed. 1636. Jul. 8. P. 13. Et Clem. X. Const. ed. 1671. Apr. 6. P. 1. Hujus Pontificis Const. ed. 1720. Jul. 12. P. 20. extat prohibitio extrahendi libros ex publica Bibliotheca. Et Inn. XIII. Const. ed. 1721. Maii, P. 1. confirmatur præsens Constitutio.

at. 19. Mar. 21. An. 21.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a ontificia licitudine romovendi licem statum Locorum S. R. E. bditorum, ivitatis præsertim rbini suæ atriæ cujus udes recen- ntur.

INter multiplices, atque gravissimas solicitudines, quas pro communi universi Christiani Gregis vigilantiæ nostræ divina dispositione commissi regimine, ac utilitate dies, noctesque suscipimus, illa potissimum cor nostrum vehementer pulsat, & angit, ut Populorum S. R. E. etiam in temporalibus subditorum commodis, & prospero, felicique statui paterna charitate consulamus, ac ea præsertim, per quæ literarum studia foventur, Juventus liberalibus disciplinis, & doctrinis eruditur, Juris in primis utriusque prudentia, sine qua Respublica rite gubernari nequiret, addiscitur, & recta causarum forensium cognoscendarum, justitiæque administrandæ ratio custoditur, omni adhibita ope, sedulitate, & cura promoveamus. Quo quidem paterni amoris sensu, si cæteras omnes Pontificiæ Ditionis Civitates merito respicimus, dignum profecto, justumque est, ut Civitatem nostram Urbinatensem, ubi vitæ limen attigimus, ac primis literarum rudimentis imbuti fuimus, quæque omni tempore totius Urbinatensis Ducatus Princeps, & Caput extitit, & plurimos tulit, non tam bonarum artium, & mathematicarum præsertim disciplinarum laude, imo etiam militari gloria insignes, quam Ecclesiasticarum dignitatum splendore conspicuos Viros; apud quos itidem, & solidæ pietatis, orthodoxæque Religionis cultus, ac summa in Romanos Pontifices, & Apostolicam Sedem observantia, & studium semper enituit, propensiori quodam affectu, natura ipsa dictante, respiciamus, ac unice in Christo diligamus. Nec minus æquum arbitramur, & congruum, ut Universitatem quoque studii generalis illic Apostolica auctoritate erectam, in qua Nos olim lauream doctoralem accepimus, ac insuper Collegium J. U. Doctorum ibidem pari auctoritate institutum, unde Viri sæpenumero prodierunt doctrinæ fama celebres, illustriumque munerum ab ipsis recte gestorum merito commendati, cui Nos etiam adscriptos aliquando fuisse, non sine voluptate meminimus, paterna dilectione complectamur, gratæque voluntatis nostræ, ac simul Pontificiæ largitatis significationibus prosequamur.

Clem. XI. Civitas ab e alieno t soluta.

§. 1. Quocirca plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum qui Patrias suas insignibus, maximisque beneficiis ornarunt, morem, exemplumque secuti, inter ipsa Pontificatus nostri primordia considerantes prædictam Patriam nostram dilectissimam ingenti quadraginta millium aureorum ære alieno, cui infelix superiorum temporum conditio, & publicæ necessitates causam præbuerunt, gravari, ac fere opprimi, & ob publicorum proventuum tenuitatem nedum omni prorsus carere spe illud unquam dissolvendi, sed etiam oneri annuorum ejus fructuum ferendo longe imparem esse; æquum proinde, munerique nostro consentaneum duximus rationem inire, qua gravissimo huic malo occurreretur, institutoque ex pecuniis a Nobis ante aliquos annos collatis multiplico, cujus administratio a Viris ad id a Nobis delectis summa fide, ac industria hactenus gesta fuit, eam jam pecuniarum summam conflavimus quæ memorato æri alieno penitus extinguendo satis erit, huncque in usum quamprimum jussu nostro, benedicente Domino erogabitur.

Metropolitana Ecclesia prænobili Altari, sacraque supellectili sumptuosa ditata.

§. 2. Præterea Metropolitanam ejusdem Civitatis Urbinatensis Ecclesiam, in qua sacris Baptismi aquis abluti fuimus, magnifico, atque prænobili Altari æneis ornamentis, antiquis marmoribus, & lapidibus versicoloribus selectissimis exculto; sub quo sacrum Corpus S. Crescentini Martyris, ipsius Civitatis Protectoris, reconditum est: sex ibidem prægrandibus candelabris cum Cruce, aliisque vasis argenteis elegantissime elaboratis; multa, & sumptuosa omnis generis suppellectile in usum sacri Ministerii: geminis attalicis stragulis magni pretii, totidemque a celebrioribus ævi nostri Pictoribus delineatis, atque confectis tabulis decorari nostra pariter, & quidem maxima impensa curavimus.

Ejusdem Ecclesiæ Canonicales proventus aucti, Ædes Archiepiscopales ampliatæ, Collegium extructum.

§. 3. Exiguum insuper, nec præfatæ Metropolitanæ Ecclesiæ dignitati parem Beneficiatorum illi inservientium numerum auximus, congruaque dote instruximus: Canonicales proventus, antea admodum tenues, certa annua quingentorum aureorum super fructibus, & redditibus quibuscumque Monasterii Sanctæ Mariæ de Claravalle nullius, seu Senogallien. Diœcesis in perpetuum assignata pensione, amplificavimus: Sacrarium in usum Canonicorum a fundamentis ereximus, & congruis armariis pro sacrorum suppellectilium decenti custodia exornavimus; Archiepiscopales ædes, angustas, & collabentes refecimus, ac ampliavimus, Collegium itidem, in quo Nobiles Adolescentes tum indigenæ, tum etiam exteri, bonis artibus, honestisque moribus a doctis, piisque Magistris sedulo instituuntur, fere in meditullio Civitatis a fundamentis excitavimus.

Bibliotheca in Conventu S. Francisci ad publicum usum erecta.

§. 4. Publicam quoque Bibliothecam in Conventu Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ad usum, & commoditatem eorumdem Fratrum, ac Civium, & Incolarum quorumcumque ipsius Civitatis, nec non Studiosorum ad præfatam Universitatem studii generalis confluentium instituimus, non modica pecuniarum summa in id opus erogata, præsertim in constructionem Fabricæ ejusdem Bibliothecæ, eamque non modo scriniis, seu forulis nuceo ligno decenter elaboratis, ac filo æreo reticulato munitis, verum etiam pluribus codicibus ad omnes prope scientias, & artes tum liberales, tum mechanicas spectantibus, sive per Nos emptis, sive e domestica nostra Bibliotheca extractis, ut ultra nonnullos in antiqua dicti Conventus Bibliotheca existentes, ac alios plures, quos bo. me. Alexander Fidelis, dum viveret, Episcopus Æsinus, ejusmodi nostræ in suam æque, ac nostram Patriam beneficæ voluntatis probe conscius, in suis supremis tabulis dispositioni nostræ hoc consilio reliquerat, in scriniis hujusmodi jam collocati, & congrue dispositi reperiuntur, instrui fecimus; Illisque nuper alios etiam codices, præsertim ad artem medicam pertinentes, quos quon. Joannes Maria Lancisius, dum vixit, Cubicularius, & Medicus noster secretus propenso in eamdem Patriam nostram animo dictæ Bibliothecæ legaverat, addi jussimus, quin imo etiam in posterum eamdem Bibliothecam aliis codicibus, seu voluminibus, dum, benedicente Domino, vita suppetet, augere intendimus, ut exinde memorati Fratres, Cives, Incolæ, & studiosi bonarum, ac præsertim sacrarum literarum laudabiliumque disciplinarum studiis commodius, ac impensius vacare, uberioresque in eis progressus facere valeant.

Mœnia Civitatis restau.

§. 5. Ad hæc præfatæ Patriæ nostræ mœnia pluribus in locis collapsa, aut collabentia instaura-

rata. Dein fixa loca in Rotis Perusiæ & Maceratæ Civibus assignata. Mons frumentar us erectus.

ſtauravimus, ejus inſuper Civibus J. U. Doctoribus certum, fixumque locum inter Auditores Tribunalium, quæ Rotæ nuncupantur, Civitatum noſtrarum Peruſiæ, & Maceratæ in perpetuum aſſignavimus, ac non ita pridem pium Montem frumentarium cum dote ſeptingentorum modiorum frumenti, qui quot annis mutuo pauperibus dari debeant, ad hoc, ut ejuſmodi ſubſidio propriis neceſſitatibus conſulere poſſint, & agri præſertim culturam deſerere non cogantur, certis pro recta illius adminiſtratione ſancitis legibus, ereximus, atque fundavimus, pluribuſque aliis, nec vulgaribus beneficiis tum eamdem Patriam noſtram, tum etiam peculiares illius Cives hactenus proſecuti ſumus, & ad extremum uſque vitæ noſtræ ſpiritum, adjuvante Domino, proſequi non deſinemus.

Referuntur Privilegia Univerſitati, & Collegio Doctorum a Pontificibus conceſſa.

§. 6. Nunc verò ad Univerſitatem Studii generalis, & ad Collegium J. U. Doctorum in eadem Urbinatenſi Civitate dudum, ut præfertur, erecta Apoſtolicæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, & gratum noſtrum erga ipſa animum profiteri, teſtatumque facere cupientes æquum in primis ducimus iis, quæ a pluribus Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris ad illorum decus, ornamentum, ac utilitatem provide, atque ſapienter conſtituta fuerunt, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robur adjicere aliaque deſuper ſtatuere, atque diſponere quemadmodum in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Epitome ſequentis Conſtitutionis.

§. 7. Cum itaque, ſicut accepimus, fel. rec. Julius II. Romanus Pontifex Prædeceſſor noſter inſtitutionem præfati Collegii a q. Guido Ubaldo Urbini Duce factum pro cognitione cauſarum tam Eccleſiaſticarum, quam prophanarum totius Urbinatenſis ditionis in ſecunda, & tertia inſtantiis (cauſis mere Eccleſiaſticis dumtaxat exceptis) benigne approbaverit, & confirmaverit, ac regulam in ejuſmodi Cauſarum deciſione ſervandam præſcripſerit, pluraque alia in favorem ejuſdem Collegii diſpoſuerit per ſuas anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo XII. Kalen. Martii ſub plumbo expeditas literas, quarum tenor eſt, qui ſequitur, videlicet:

Conſtitutio Julii II. qua confirmatur erectio Collegii 13. Doctorum, quibus præſcribitur regula in decidendis cauſis (meris Eccleſiaſticis exceptis) in 2. & 3. inſtantiis.

§. 8. *Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Ad ſacram Beati Petri Sedem Divina diſpoſitione ſublimati, ſingulis, quæ pro perſonarum Nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotarum pace, commodo, & tranquillitate profutura fore conſpicimus, Apoſtolicæ providentiæ ſolicitudinem libenter intendimus, & ad felicem eorum proſecutionem, & confirmationem, cum a Nobis petitur, opem, & operam impendimus efficaces. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nobilis Viri Guidobaldi Ducis Urbinaten., & univerſorum Subditorum ejus petitio continebat, quod licet olim fel. rec. Alexander Papa VI. Prædeceſſor noſter, cupiens indemnitati univerſorum ſubditorum Ducatus Urbinaten. conſulere, ipſum Ducatum Urbinaten., & Civitatem Senogallien., illiuſque diſtrictum ab omni juriſdictione Rectoris Provinciæ Marchiæ Anconitanæ ſegregaverit, & ſeparaverit, ac certum Collegium Doctorum, Rotam nuncupatam, in Romandiola inſtituerit; ad quos omnes Cauſæ appellationum in quibuſcumque cauſis Eccleſiaſticis, & prophanis devolverentur, ordinaverit, & quod propter temporum conditiones hujuſmodi Inſtitutio effectum ſortita non fuerit; Nihilominus idem Dux etiam cupiens indemnitatibus, & commoditatibus dictorum Subditorum ſuorum providere, in Civitate Urbinaten. unum Collegium tredecim Doctorum inſtituit, & quod coram eis omnes, & ſingulæ Cauſæ Eccleſiaſticæ, & prophanæ tractarentur, & definirentur, etiam ordinavit. Quare pro parte Ducis, & Subditorum hujuſmodi, necnon etiam dilecti filii Nobilis Viri Franciſci Mariæ Urbis Præfecti Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni, & ordinationi Collegii tredecim in legibus, & Decretis Doctorum hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui noſtrorum, & S. R. E. Subditorum commoditatibus intendimus, & quantum cum Domino poſſumus, ipſos ab expenſis, & oneribus relevamus, necnon præfati Ducis propoſitum plurimum in Domino commendantes, inſtitutionem, & ordinationem prædictas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac quod in ſecunda, & tertia inſtantia omnes Cauſæ tam Eccleſiaſticæ, quam prophanæ, & mixtæ, ac Beneficiales (meris Eccleſiaſticis dumtaxat exceptis) Ducatus, in Dominii temporalis præfati nunc, & pro tempore exiſtentis, tam ratione Ducatus præfati nunc, & pro tempore exiſtentis, quam aliorum ejus dominiorum quorumcumque coram dicto Collegio tredecim Doctorum, eiſdem modo, & forma, quibus coram Rectore Provinciæ Marchiæ hujuſmodi tractantur, tractentur, & finiantur. Ita tamen, quod Cauſæ præfatæ non poſſint expediri, nec terminari, niſi de voto, & conſenſu majoris partis Doctorum dicti Collegii, & alias ſententiæ latæ non teneant, quæ vota ſecrete, & ſigillatim præſtare debeant, quodque etiamſi contingeret aliquem, ſeu aliquos ex Doctoribus dicti Collegii exinde ſe abſentare, quod per tunc præſentes factum, & terminatum fuerit, perinde valeat, ac ſi omnes interfuiſſent, dummodo abſentes ultra dimidiam partem non exiſtant; ac etiam quod cauſæ appellationum quarumcumque per Subditos præfati Ducis a quibuſcumque ſententiis pro tempore interpoſitarum ad ipſum Collegium interpoſitæ ſint, & eſſe cenſeantur, niſi forſan a ſententiis ipſius Collegii appellatum fuerit, quo caſu tunc ad Sedem Apoſtolicam appellari valeat, eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, ipſoſque Subditos, necnon Ducatum, & Statum Urbinaten., ac etiam Statum & Civitatem Senogallien. ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Rectoris dictæ Provinciæ Marchiæ, necnon Bononienſi, & Peruſina Legationibus prorſus eximimus, & ſegregamus, ac liberamus. Et inſuper eidem Collegio, ut in Cauſis hujuſmodi decidendis, & finiendis eiſdem prærogativis, indultis, & ordinationibus utatur, potiatur, & gaudeat, quibus dictus Rector præfatæ Provinciæ utitur, & uti conſuevit, præfata auctoritate concedimus; Statuta quoque, & ordinationes per dictum Collegium in cauſis decidendis, & terminandis edita, dummodo ſint licita, & honeſta, & ſacris Canonibus non obviantia, dicta auctoritate confirmamus, & approbamus, ipſique Collegio nova ſtatuta, quatenus ſint licita, & honeſta, condendi eadem auctoritate licentiam elargimur, & facultatem, non obſtantibus Apoſtolicis, necnon dictæ Provinciæ ſpecialibus, & generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, ſeu de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, quodque Collegium hujuſmodi nondum ad numerum tredecim Doctorum deventum eſt, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, ſtatuti, ordinationis, exemptionis, ſegregationis, libe-

Item Ducatus, & Status Urbinaten. ac Senogallien. eximuntur a Rectore Marchiæ, cujus privilegia, aliaque Collegio tribuuntur.

rationis, concessionis, elargitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo septimo, duodecimo Kal. Martii Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Epitome sequentis Constitutionis.

§. 9. Ac subinde rec. me. Pius Papa IV. etiam Prædecessor noster, postquam Urbinaten. Ecclesiam in Metropolitanam erexerat cum Archiepiscopali Dignitate, & omnimoda jurisdictione, ac superioritate, necnon illi Callien., Senogallien. Pisauren., Forosempronien., Feretran. & Eugubin., Civitates, & Diœceses (quibus postmodum fel. itidem rec. Urbanus VIII. etiam Prædecessor noster Urbanien., & S. Angeli in Vado Civitates, & Diœceses adjecit) cum earum districtibus, & Territoriis, ac Præsules pro tempore existentes pro suffraganeis Episcopis, necnon Capitula, Clerum, & Populum Civitatum, & Diœcesum earumdem perpetuo concesserat, & assignaverat, cum orta fuisset contentio inter bo. me. Felicem tunc Archiepiscopum Urbinaten., & bo. pariter me. Julium Sancti Petri ad Vincula, dum viveret S. R. E. Cardinalem de Urbino nuncupatum, cui regressus ad dictam Ecclesiam Urbinaten. per ipsius Felicis Archiepiscopi decessum, ac in certis aliis tunc expressis eventibus auctoritate Apostolica concessus fuerat, ex una; necnon Collegium Doctorum ejusdem Civitatis ex altera partibus, super jurisdictione, seu administratione justitiæ in omnes Præsules, Clerum, & Populum Civitatum prædictarum, quam Felix Archiepiscopus & Julius Cardinalis memorati prætextu erectionis hujusmodi ad se spectare, Collegium vero vigore literarum Julii Prædecessoris sibi concessum fuisse, & quia in dicta erectione de Privilegiis, ac Indultis ipsi Collegio, ut præmittitur, concessis nulla mentio facta extiterat, nullatenus Archiepiscopo Urbinaten. competere, nec illius jurisdictionem ad causas appellationum interponendarum a sententiis latis per Ordinarios in Foro Ecclesiastico, cum jurisdictio ipsa eidem Collegio prius concessa fuisset, se extendere posse asserebant, ac ad tollenda plurima scandala, quæ ex ejusmodi contentione facile oriri poterunt, Julius Cardinalis, & Felix Archiepiscopus præfati, necnon dictum Collegium medio, ac opera dicti Guidobaldi tunc Ducis Urbini devenissent ad quamdam concordiam, seu transactionem, cujus vigore conventum, stabilitumque fuit, quod Collegium, & illius Doctores cederent Archiepiscopo Urbinaten. pro tempore existenti in cognoscendis, & decidendis primis appellationibus suorum Suffraganeorum venientibus a foro Ecclesiastico, ut supra, & secundas appellationes, seu tertias illarum instantias sibi reservarent, quodque omnes, qui appellarent a sententiis præfati Archiepiscopi, seu ejus Vicarii inter illius Diœcesanos videlicet in prima, vel inter Suffraganeos, aut cum Fisco suæ Ecclesiæ, vel aliorum Suffraganeorum in secunda instantia latis, ut supra, intelligerentur appellasse ad ipsum Collegium, Privilegiis, & Indultis Apostolicis tam Archiepiscopo, quam Collegio hujusmodi, ut præfertur, concessis quoad reliqua omnia salvis prorsus, ac illæsis; memoratus Pius Prædecessor hujusmodi concordiam, seu transactionem amplissime approbaverit, & confirmaverit per suas anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, xiii. Kalend. Martii sub plumbo expeditas literas tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Pii IV. in qua refertur supra relata Ju-

§. 10. *Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Ex solita Apostolicæ Sedis providentia ea, quæ pro bono pacis, & concordiæ inter Personas quaslibet, ac præsertim Cardinalatus, & Pontificali Dignitate præditas concordia terminata fuisse dicuntur, ne in recidivæ contentionis scrupulum dilabantur, quæque in justitiæ præsidentium favorem, commoda, & decus per Prædecessores nostros Romanos Pontifices concessa fuisse dicuntur, ut majoris roboris firmitatem obtineant, & perpetuo illibata persistant, libenter, cum a Nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, ac desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Collegii tredecim Doctorum nuncupati Urbinat. exhibita petitio continebat, ac Dilectus Filius Julius S. Petri ad Vincula Diaconus Cardinalis de Urbino nuncupatus, ac Venerabilis Frater Felix modernus Archiepiscopus Urbinat., & Magister Domus, nec non Prælatus Domesticus noster exposuerunt, quod alias fel. rec. Julio Papæ II. Prædecessori Nostro pro parte Guidobaldi tunc Urbini Ducis, ac universorum ejus Subditorum exposito; quod licet antea piæ mem. Alexander Papa VI. etiam Prædecessor noster, tunc suus, cupiens indemnitati universorum Subditorum Ducatus Urbinat. consulere, ipsum Ducatum Urbinat., ac Civitatem Senogallien., illiusque districtum ab omni jurisdictione Rectoris Provinciæ Marchiæ Anconitanæ segregavisset, ac certum Collegium Doctorum, Rotam nuncupatum, in Romandiola instituisset, quodque omnes Causæ appellationum in quibuscumque causis Ecclesiasticis, & prophanis devolverentur ad illud, ordinasset, & quod propter temporum conditionem institutio hujusmodi suum sortita effectum non fuisset; nihilominus idem Dux etiam cupiens indemnitatibus, & commoditatibus dictorum suorum Subditorum providere, in Civitate Urbini unum Collegium tredecim Doctorum instituerat, & quod coram eis omnes, & singulæ Causæ Ecclesiasticæ, & prophanæ tractarentur, ac definirentur, etiam ordinaverat, præfatus Julius Prædecessor, Ducis, ac Subditorum hujusmodi, nec non etiam bon. mem. Francisci Mariæ tunc Almæ Urbis Præfecti supplicationibus inclinatus, institutionem ac ordinationem hujusmodi authoritate Apostolica per suas literas confirmavit, & approbavit, quodque in secunda, & tertia instantiis omnes Causæ tam Ecclesiasticæ, quam prophanæ, & mixtæ, & Beneficiales (mere Ecclesiasticis dumtaxat exceptis) Ducatus, & Dominii præfatorum tunc, & pro tempore existentis Ducis, & Subditorum suorum hujusmodi, tunc, & pro tempore existentium tam ratione dicti Ducatus, quam aliorum ejusdem Dominiorum quorumcumque, coram dicto Collegio tredecim Doctorum, ac eisdem modo, & forma, quibus coram Rectore dictæ Provinciæ tractabantur, tractarentur, & finirentur, ita tamen, quod causæ ipsæ non possent expediri, nec terminari, nisi de voto, & consensu majoris partis Doctorum Collegii hujusmodi, alias sententiæ latæ non tenerent, quæ vota sigillatim, & secrete præstari deberent, quodque, etiamsi contingeret aliquem, seu aliquos ex Doctoribus præfati Collegii ab eo se absentare, id quod per tunc præsentes factum, ac determinatum foret, perinde valeret, ac si omnes interfuissent, dummodo absentes ultra dimidiam partem non existerent; ac etiam quod Causæ appellationum per Subditos præfati Ducis a quibuscumque sententiis pro tempore interpositarum ad ipsum Collegium interpositæ essent, & censerentur, nisi forsan a sententiis ipsius Collegii appellatum foret, quo casu tunc ad Sedem Apostolicam appellari posset, dicta authoritate statuit, & ordinavit, ipsosque Subditos, necnon Ducatum, & Statum Urbinat.,

Iii II. Constitutio.

ac dictam Civitatem, & etiam Statum Senogallien. ab omni jurisdictione, & superioritate Rectoris dictæ Provinciæ Marchiæ, necnon Bononien., & Perusin. Legationibus prorsus exemit, & segregavit, ac liberavit. Et insuper eidem Collegio, quod in Causis hujusmodi decidendis, & finiendis eisdem prærogativis, Indultis, ac ordinationibus uteretur, potiretur, & gauderet, quibus præfatus Rector Provinciæ hujusmodi utebatur, ac uti consueverat, præfata authoritate concessit; Statuta quoque, & Ordinationes per dictum Collegium in causis hujusmodi decidendis, & terminandis edita, eadem authoritate approbavit, & confirmavit; necnon ipsi Collegio nova statuta condendi licentiam, & facultatem elargitus fuit, prout in ipsis Julii Prædecessoris literis desuper confectis plenius dicitur contineri; Et deinde, sicut eadem expositio Nobis facta subjungebat, postquam Nos dudum ex certis rationabilibus causis Ecclesiam Urbinat., cui etiam tunc præfatus Felix tunc Episcopus Urbinat. præerat, in Metropolitanam Ecclesiam cum Archiepiscopali Dignitate, ac omnimoda jurisdictione, & superioritate per alias nostras literas perpetuo erexeramus, necnon illi Callien., Senogallien., Pisauren., Forosempronien., Feretran., & Eugubin. Civitates, & Diœceses in Ducatu, & Dominio præfatis consistentes cum illarum districtibus, Territoriis, ac Præsules pro tempore existentes pro suffraganeis Episcopis, necnon Capitula, Clerum, & Populum Civitatum, & Diœcesum earumdem etiam perpetuo concesseramus, & assignaveramus, ipsosque Præsules, Clerum, & Populum, quoad omnia Metropolitica, & Archiepiscopalia superioritatem, jurisdictionem, ac jura pro tempore existenti Archiepiscopo Urbinat. subjectos fore, & tamquam membra Capiti obsequentes, per eos de Archiepiscopalibus juribus responderunt volueramus, prout in eisdem literis nostris etiam latius continentur: Orta contentione, & controversia inter Felicem Archiepiscopum, & Collegium Urbinat., necnon etiam Julium Cardinalem præfatos, cui regressus ad dictam Ecclesiam Urbinat. per ipsius Felicis Archiepiscopi decessum, ac forsan in certos alios tunc expressos eventus, authoritate prædicta concessus extitit, super jurisdictione, seu administratione justitiæ in omnes Præsules, Clerum, & Populum Civitatum hujusmodi, quam Archiepiscopus, & Julius Cardinalis prætextu erectionis ad se spectare; Collegium vero vigore literarum Julii Prædecessoris hujusmodi sibi concessam fuisse; Et quia in dicta erectione de Privilegiis, & indultis ipsi Collegio, ut præmittitur, concessis nulla mentio facta extiterat, nullatenus Archiepiscopo Urbinat. præfato competere, nec jurisdictionem præfati Archiepiscopi ad causas appellationum interponen. per Suffraganeos illius a sententiis latis per Ordinarios in Foro Ecclesiastico, cum jurisdictio ipsa eidem Collegio concessa prius extitisset, se extendere ostendi posse asserebant. Cumque ex hac contentione scandala plurima oriri posse dubitarent, Julius Cardinalis, & Felix Archiepiscopus præfati volentes, ut bonos decet Præsules, fomenta dissentionum, & scandalorum, quæ inter ipsos, & Collegium hujusmodi occasione Jurisdictionis præfatæ de facili suscitari possent, propter concursum, & studium præveniendi, in totum tollere, & extirpare tam eorum propriis, quam Successorum suorum Archiepiscoporum Urbinat. nominibus infrascriptum cum dicto Collegio inierunt concordiam, & conventionem, medio, & opera Dilecti Filii Nobilis Viri Guidobaldi moderni Ducis Urbini, videlicet: Quod Collegium, & illius Doctores cederent Archiepiscopo Urbinat. pro tempore existenti in cognoscendis, & decidendis primis appellationibus suorum Suffraganeorum venientibus a foro Ecclesiastico, ut supra, & secundas appellationes, seu tertias illarum instantias sibi reservarent; quodque omnes, qui appellarent a sententiis præfati Archiepiscopi, seu ejus Vicarii inter ejus Diœcesanos, videlicet in prima, vel inter Suffraganeos, aut cum Fisco suæ Ecclesiæ, vel aliorum Suffraganeorum in secunda instantiis latis, ut supra, intelligerentur appellasse ad ipsum Collegium, privilegiis, indultis, & concessionibus Apostolicis, tam Archiepiscopo, quam Collegio hujusmodi, ut præmittitur, concessis, & factis, quoad reliqua omnia salvis, & illæsis, ac in suo pleno robore permanentibus, necnon forsan alias Partes ipsæ verbo, vel in scriptis convenerunt, pepigerunt, & concordarunt, ut conventio, & concordia, necnon pactio hujusmodi eorum successores præfatos adstringerent, & obligarent, illa omnia suprascripta approbari, & confirmari voluerunt. Quare Julius Cardinalis, & Felix Archiepiscopus, ac Collegium, necnon Guidobaldus Dux præfati Nobis humiliter supplicarunt, ut conventioni, & concordiæ, ac sine illarum præjudicio, & læsione, statutis, ordinationibus, exemptioni, segregationi, liberationi, concessioni, confirmationi Prædecessoris hujusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolicæ firmitatis adjicere, aliaque in præmissis opportuna providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum, ac præsertim Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum Domesticorum Urbis, prout possumus, libenter annuimus, veriores dictæ concordiæ, & conventionis, necnon Statutorum, Ordinationum, exemptionis, segregationis, liberationis, concessionis, & confirmationis prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, conventionem, & concordiam præfatas, etiamsi in scriptis non extent, sed verbis dumtaxat initæ sint, ac sine earum præjudicio, & læsione, statuta, ordinationes, exemptionem, segregationem, liberationem, concessionem, & confirmationem, necnon literas Julii Prædecessoris hujusmodi, & prout illas concernunt, omnia, & singula in eisdem concordia, & literis Julii Prædecessoris contenta, ac exinde secuta quæcumque Apostolica authoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, necnon eis plenum robur firmitatis adjicimus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, necnon illa valida, & efficacia fore, & esse, ac per eosdem præmissos, & alios, ad quos spectat, & spectabit in futurum, observari debere, nec ab illis ullo umquam tempore resilire posse, sed modernum Archiepiscopum, & Successores suos, ac Collegium præfatos ad illorum totalem observationem teneri, & obligatos fore, necnon quibusvis juris, & facti opportunis remediis ad id cogi, & constringi posse. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; necnon ex tunc, si secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus; Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ Urbinat. juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, ac Literis Apostolicis eisdem Archiepiscopo, & Collegio, ac quibusvis aliis quomodolibet, etiam motu simili concessis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, etiamsi

Item erectio Ecclesiæ Urbinaten. in Metropolitanam a S. Sua facta.

Necnon lis inde orta inter Archiepiscopum, & Collegium quoad cognitionem causarum.

Et concordia inter eos stabilita.

Quæ a Pontifice confirmatur.

pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, adjectionis, suppletionis, decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, tertiodecimo Kal. Martii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Epitome sequentis Constitutionis.

§. 11. Postmodum vero idem Pius Papa IV. antedictum Collegium Doctorum amplioribus privilegiis, & gratiis ornare volens, duos singulis annis in Poesi doctos poetica laurea decorandi: necnon eos, quos prævio diligenti examine idoneos, ac sufficientes comperisset, ad Doctoratus in Jure tam Canonico, quam Civili, & Baccalaureatus, Licentiaturæ, ac Magisterii in Medicina, vel alia licita facultate gradus promovendi; Notarios itidem publicos, seu Tabelliones, & Judices Ordinarios, prævio simili examine, idoneos repertos creandi: Nothos etiam, spurios, incestuosos, manseres, & ex quocumque illicito coitu procreatos legitimandi, & ad primæva naturæ jura, perinde ac si de legitimo matrimonio nati essent, restituendi: Nobiles insuper, seu etiam Milites, & Equites deauratos faciendi, & constituendi, amplam præfato Collegio licentiam, facultatem, & authoritatem concesserit, ac indulserit suis anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, nono Kal. Martii in simili forma expeditis literis, quarum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Constitutio altera Pii IV. qua Collegio tribuitur facultas.

§. 12. *Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Sedes Apostolica gratiarum abundantissima mater, ac illarum solertissima dispensatrix, Doctorum hominum Collegiis amplas facultates interdum tribuere consuevit, ad hoc, ut ejus munera per multorum peritorum maturam deliberationem, & prudens judicium, nonnisi Personis benemeritis conferantur, ac distribuantur. Hinc est, quod Nos, qui accepimus olim cla. mem. Guidobaldum Urbini Ducem commoditatibus, & indemnitatibus universorum Subditorum suorum providere cupientem, in Civitate Urbini unum Collegium tredecim Doctorum forsan nuncupatum, coram quibus omnes, & singulæ totius Ducatus, ac Dominii pro tempore existentis Urbinaten. Ducis, & Subditorum præfatorum Causæ Ecclesiasticæ, & prophanæ, necnon etiam mixtæ tractarentur, & definirentur, instituisse, illudque per fel. rec. Julium PP. II. Prædecessorem nostrum, ac etiam per nos, & forsan alios Romanos Pontifices etiam Prædecessores Nostros approbatum, & confirmatum extitisse, ac illi nonnulla privilegia, concessiones, & indulta, quibus ipsi Doctores circa decisiones, & expeditiones Causarum uti deberent, auctoritate Apostolica concessa fuisse, idem Collegium, ejusque Doctores amplioribus favoribus, & gratiis prosequi, ac decorare volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis pro eis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate Collegio, & Doctoribus hujusmodi nunc, & pro tempore existentibus ad instar nonnullorum aliorum Italiæ Collegiorum, in perpetuum duos singulis annis in poesi doctos poetica

Decorandi duos quotannis poetica laurea, & idoneos promovendi ad gradus Doctoratus, & Licentiaturæ.

laurea decorandi, & insigniendi, necnon eos, quos in jure Canonico, & Civili, seu altero eorum studuisse, in eisque, seu eorum altero per diligentem examinationem scientia, & moribus idoneos, ac sufficientes esse invenerint, in utroque, seu altero jurium hujusmodi, aut medicina, vel alia licita facultate studuisse, & similiter per diligentem examinationem duorum, vel trium per eos eligendorum Doctorum, seu Magistrorum, vel Licentiatorum facultatis, in qua studuerint, coram eis habendam, ac fidelem Magistrorum, seu Doctorum eorumdem attestationem, medio juramento eis faciendam peritos, ac scientia, & moribus ad hoc idoneos, sufficientesque esse repererint, de eorumdem Doctorum, seu Magistrorum, vel Licentiatorum consilio, & assensu, ac eorum votis juratis in artibus, aut medicina, vel alia licita facultate hujusmodi ad Bacchalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magisterii gradus promovendi, ac in eis legendi, disputandi, & interpretandi; necnon alios actus ad personas in hujusmodi gradibus constitutas quomodolibet pertinentes faciendi, auctoritatem concedendi, & ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi, necnon eos, quos ad hoc idoneos, & fideles, ac in literatura sufficientes esse repererint, in Notarios publicos, seu Tabelliones, & Judices Ordinarios, recepto prius ab eis, juxta formam præsentibus annotatam, solito juramento, creandi, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Judicatus officii hujusmodi per pennam, & calamare, ut moris est, investiendi; Necnon Nothos, Bastardos, naturales, spurios, incestuosos, & manseres copulative, vel disjunctive ex quocumque illicito coitu procreatos, tam præsentes, quam absentes; viventibus, seu etiam mortuis eorum Parentibus; itaut ad paternam, & alias successiones bonorum quorumcumque suorum Agnatorum, Cognatorum, & Attinentium, sine præjudicio tamen venientium ab intestato, admitti, & in illis succedere; Necnon ad honores, dignitates, status, gradus, & officia secularia publica, & privata quæcumque recipi, & admitti, illaque gerere, & exercere libere, & licite possint, & valeant, ac si de legitimo matrimonio procreati essent, servata tamen forma literarum nostrarum desuper editarum legitimandi, ac ad primæva, ac legitima naturæ jura, & quoslibet actus legitimos restituendi, & reducendi; Necnon Nobiles, seu etiam Milites, vel etiam Equites deauratos, ut pro fide, justitia, & Religione pugnent, hortandi, faciendi, creandi, & constituendi, eisque insignia, & arma in similibus dari solita, dandi, & concedendi, necnon ipsos nobilitatis equestribus insigniis decorandi, dicta auctoritate tenore præsentium licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus, & indulgemus, non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, ac statutis, & consuetudinibus, etiam municipalibus Civitatum, & locorum, in quibus ipsi legitimandi fuerint, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, illis præsertim, quibus caveri dicitur expresse, quod Naturales, & Bastardi legitimari non possint, nisi de consensu legitimorum, & naturalium, necnon quibusvis Cancellariæ Apostolicæ regulis per Nos, & Sedem eamdem in contrarium hactenus editis, & in posterum edendis, ac privilegiis, indultis, & Literis Apostolicis, etiam quibusvis Universitatibus, studiorum generalium Collegiis, & quibusvis aliis locis, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam de consilio ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium concessis, & confirmatis, ac in posterum concedendis,

Item creandi Notarios, & legitimandi spurios.

Necnon Nobiles, Milites, & Equites deauratos constituendi.

& confir-

& confirmandis; Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Forma autem juramenti, quod Notarii, Tabelliones, & Judices per ipsos Collegium, & Doctores, ut præfertur, creandi hujusmodi præstabunt, talis est. Ego N. de N. Clericus N. ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, & S. R. E. ac Domino meo Pio Papæ IV. & Successoribus suis canonice intrantibus; non ero in consilio, auxilio, consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi per se, vel literas, aut Nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam, si vero ad meam notitiam aliquid devenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Romanæ vergeret, seu grave damnum, illud pro posse impediam, & si hoc impedire non possem procurabo bona fide id ad notitiam Domini Papæ perferri; Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, ac jura ipsius Ecclesiæ specialiter; si qua eadem Ecclesia in Civitate, vel terra, de qua sum oriundus, habeat, adjutor eis ero ad defendendum, & detinendum, seu recuperandum contra omnes homines; Tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus in quibus exigitur consensus Partium, fideliter faciam, nil addendo, vel minuendo sine voluntate Partium, quod substantiam contractus immutet; si vero in conficiendo aliquod Instrumentum unius solius Partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, ut scilicet nil addam, vel minuam, quod immutet facti substantiam contra voluntatem ipsius; Instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam intervenire, seu intercedere vim, vel fraudem; contractus in Protocollum redigam, & postquam in Protocollum redegero, malitiose non differam contra voluntatem illorum, vel illius, quorum, seu cujus est contractus, super eo publicum conficere Instrumentum, salvo meo debito, & consueto salario. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ concessionis, Indulti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, nono Kal. Martii Pontificatus nostri Anno Quinto.

Præscribiturque Formula juramenti a Notariis præstandi.

Epitome sequentis Constitutionis.

§. 13. Deinde memoratus Urbanus VIII. Prædecessor noster, ne dubitari contingeret, an ejusmodi Privilegia a Julio II. & Pio IV. concessa præfato Collegio per obitum q. Francisci Mariæ ultimi Ducis Urbini, & devolutionem illius Ducatus ad Sedem Apostolicam adhuc durarent, vel expirassent, ipsi Collegio facultatem, ac auctoritatem cognoscendi, & judicandi causas appellationum tam Ecclesiasticas, quam Laicales omnium, & quorumcumque Judicum Ducatus, & Legationis Urbinaten. (exceptis tamen Beneficialibus, ac iis, quæ juxta dispositionem Concilii Tridentini, vel alias de jure essent inappellabiles) in secundis seu tertiis instantiis, ac in omnibus illis, in quibus daretur appellatio, postquam judicatæ fuissent a Judicibus ordinariis appellationum, ubi existerent, & nonnullis adjectis declarationibus, & dispositionibus tam circa electionem, & numerum Doctorum votantium, & supranumerariorum ejusdem Collegii, quam circa modum ab ipsis in ejusmodi Causarum decisione servandum, concesserit, ac impertitus fuerit; præterea expresse decreverit, ac disposuerit, ut in præmissis causis appellationum tam Ecclesiasticis, quam laicalibus ad Collegium spectantibus appellari non posset *omisso medio*, & si appellari contingeret, nullus Judex se ingerere deberet, nisi in vim specialis commissionis Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatæ; alias licitum esset eidem Collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, & absque alicujus pœnæ incursu, ipsumque Collegium reassumere, inhibere, & exequi posset, prout de jure, ac ubi Collegium judicasset in casu, quo dari deberet appellatio, tunc ejus cognitio, seu commissio ad existentem pro tempore in eisdem partibus Apostolicæ Sedis Legatum, pertineret; ac insuper eidem Collegio statuta super modo cognoscendi causas, & pro felici ipsius gubernio necessaria, & opportuna condendi, & quoties sibi videretur, immutandi, ac innovandi, salva tamen semper approbatione d. Legati, sive ejus Vice-Legati facultatem pariter concesserit, ac indulserit; necnon doctorandi, & alia privilegia eidem Collegio competentia, dummodo essent in usu, & non essent revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, & sacris Canonibus, Concilii Tridentini decretis, Constitutionibusque Apostolicis non adversarentur, approbaverit, & confirmaverit per suas in forma Brevis die octava Julii anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto expeditas literas tenoris sequentis, videlicet.

§. 14. *Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.* Cum sicut pro parte dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostræ Urbinaten. necnon Collegialium Collegii Doctorum ejusdem Civitatis Nobis nuper expositum fuit, Collegium præfatum, in quo admittuntur omnes ii, qui ex Patre Cive nati ad Doctoratus gradum Urbini promoventur, prætextu literarum fel. rec. Julii II. super erectione dicti Collegii, & Pii IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super confirmatione certæ concordiæ inter eosdem Doctores, & tunc existentem Archiepiscopum Urbinaten. super causarum cognitione in prima, secunda, & tertia instantiis initæ emanatæ facultatem judicandi in causis appellationum tam in foro sæculari, quam Ecclesiastico Status ac Ducatus Urbini, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum per obitum q. Francisci Mariæ ultimi Ducis Urbini ad Sedem Apostolicam devolutorum, & nostro incorporationis Decreto comprehensorum sibi competere prætendant; Nos ejusdem Civitatis Communitatem, & homines, necnon Doctores præfatos ob præcipuum, quo illos complectimur, paternæ charitatis effectum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne dubitari contingat, an dicta privilegia Julii II., & Pii IV. adhuc durent, vel expiraverint per mortem dicti ultimi Ducis, tredecim ejusdem Collegii Doctoribus, ut infra, eligendis, & pro tempore existentibus facultatem de cætero judicandi in causis appellationum status præfati, aliarumque Civitatum,

Constitutio Urban. VIII qua, non obstante devolutione status Urbini ad S. Sedem, denuo conceditur Collegio.

Facultas decidendi causas, sed beneficialibus exceptis & juxta novam regulam, quoad numerum vo-

Terrarum, & Locorum supranarratorum, tam in foro Sæculari, quam Ecclesiastico auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impertimur; ita tamen, quod ex dicto Collegio DD. tredecim Votantes, & quatuor, vel quinque Supranumerarii, si opus fuerit, eligantur qui eorundem Votantium, si abfuerint, vel si suspecti allegati fuerint, vices in judicando supplere valeant, sed existente necessario votantium numero, ut infra dicetur, a dando, vel ferendo voto se abstinere debeant, nec judicare possint. Porro tam Votantium, quam Supranumerariorum electio pro prima vice dilecto Filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vicecancellario, nostro secundum carnem ex Fratre germano nepoti, & in Statu, ac Ducatu Urbini & præfatis aliis Terris, & Locis hujusmodi nostro, & Apostolicæ Sedis de Latere Legato reservata sit, & censeatur; de cætero autem deficiente aliquo ex supradictis, tres a præfato Collegio Doctores nominabuntur, quorum unus ab ipso Francisco Cardinali moderno, seu pro tempore existente Legato, vel ab hac Sede eligetur. Inter hos tredecim Doctores Votantes, quinque ad minus erunt Ecclesiastici non uxorati sed incedentes in habitu, & tonsura Clericalibus, ad quos solos dumtaxat causarum Ecclesiasticarum cognitio pertinebit, in quibus Laici se alias ingerere non valeant, nec possint, quam in dando eorum voto consultivo. In causis vero laicalibus ipsi votum dabunt, & ferent promiscue cum Laicis, & eas, prout juris erit, terminabunt, non tamen votis secretis, sicut in præfatis Julii II. Prædecessoris nostri literis concessum fuit, sed votis apertis, & in jure fundatis, & sententiæ ad minus in causis Ecclesiasticis a Judice, seu Ponente subscribentur, non obstante stylo in contrarium faciente. Habebit Collegium mediante distinctione præfata auctoritatem cognoscendi causas appellationum tam Ecclesiasticas, quam Laicales omnium, & quorumcumque Judicum Legationis supradictæ, exceptis tamen beneficialibus, & iis, quæ juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini, vel alias de jure sunt inappellabiles, in secundis, seu tertiis instantiis, & in omnibus illis, in quibus dabitur appellatio postquam judicata fuerint a Judicibus ordinariis appellationum, ubi dicti Judices appellationum existunt, quibus nullum censeatur illatum præjudicium; Verum in causis Ecclesiasticis pro earum definitione ad minus tres Judices, & in Laicis ad minus quinque interveniant, & in illorum defectu, ut præfertur, supplebunt Supranumerarii, & etiam in eorum defectu, poterunt subrogari alii Judices ad electionem, & de consensu partium, dummodo in causis Ecclesiasticis pro earum definitione semper sint Judices Ecclesiastici. In causis appellationum spectantibus, ut supra est, ad Collegium, tam Ecclesiasticis, quam Laicalibus appellari non possit, *omisso medio*, & si appellari contigerit, in iis nullus Judex se ingerere debeat nisi in vim commissionis expressæ, manu nostra signatæ; alias licitum sit eidem Collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, & absque alicujus pœnæ incursu, ipsumque Collegium reassumere, inhibere, & exequi possit, prout juris erit. Ubi vero Collegium judicaverit, in casu quo dari debeat appellatio, ejus cognitio, seu commissio ad dictum Legatum spectabit. Præterea eidem Collegio statuta super modo cognoscendi causas, & pro felici ipsius gubernio necessaria, & opportuna condendi, illaque toties, & quoties sibi videbitur, & placuerit, alterandi, immutandi, & innovandi, salva tamen semper approbatione dicti Legati, sive ejus Vicelegati, facultatem concedimus, & impertimur; necnon doctorandi, & alia privilegia eidem Collegio competentia, dummodo sint in usu, nec sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, constitutionibusque Apostolicis non adversentur, auctoritate, & tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictoque Collegio in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, & irritum, & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VIII. Julii MDCXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

§. 15. Postremo similis memoriæ Clemens X. etiam Prædecessor noster ex publico Studio pro lectionibus Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, ac aliarum scientiarum, seu facultatum, & præsertim mathematicarum disciplinarum in prædicta Urbinatensi Civitate olim instituto, necnon ex præfato Doctorum Collegio, recenter Civium opera inter se unitis, & conjunctis, unam Universitatem Studii generalis, in qua Sacra Theologia, Jus Canonicum, & Leges Civiles, Philosophia, Mathematicæ, aliæque ingenuæ disciplinæ, scientiæ, & artes publice docerentur, ac perlegerentur, & qui peracto studiorum curriculo idonei reperti fuissent, ad Baccalaureatus, Magisterii, Doctoratus, aliosque gradus scholasticos, servata in omnibus Viennen., & Tridentini Conciliorum dispositione, promoveri libere, & licite possent, in omnibus, & per omnia; prout in aliis Studiorum generalium Universitatibus per Sedem Apostolicam erectis fieri solet, Apostolica auctoritate perpetuo erexerit, & instituerit, ac ipsi Universitati Studii generalis sic erectæ, & institutæ, ejusque Rectoribus, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, prærogativis, honoribus, præeminentiis, & gratiis, quæ tam per fan. mem. Clementem VIII., quam alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, tunc suos, Universitati Studii generalis Civitatis nostræ, tunc pariter suæ, Ferrarien., ejusque Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis respective, etiam per viam communicationis, & alias quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, pari modo, absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere pariter, & licite valerent, simili auctoritate perpetuo concesserit, ac indulserit, per suas in simili forma Brevis die vi. Aprilis anno 1671. datas literas tenoris sequentis, videlicet. *Epitome sequentis Constitutionis.*

§. 16. *Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam.* Æternæ sapientiæ consilio Speculatores domus Israel, quæ est Sancta Dei Ecclesia, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, con- *Constitutio Clem. X. in qua refertur erectio studii publici in Palatio Pontificio*

stituti

Card. Cybo Legato facta, & causa unionis inter illud, & Collegium DD.

stituti excitandis, promovendisque bonarum literarum, & laudabilium disciplinarum studiis, quæ Catholicæ Fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, ac justitiæ administrationi, aliisque in publicum commodis, magnopere conducibilia sunt, & depulsa ignorantiæ caligine mentes luce veritatis illustrant, peculiarem Pastoralis muneris nostri sollicitudinem propensa charitate adhibemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, ac ad hujus Sanctæ Sedis Dignitatem, nostrorumque, & ejusdem Sedis etiam in temporalibus Subditorum decorem, commodum, & utilitatem salubriter expedire in Domino arbitramur. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Communitas, & homines Civitatis Urbinaten. quod cum Collegium Doctorum ejusdem Civitatis ex antiqua consuetudine publicam in ea Institutionum Juris civilis lectionem haberet, ibique Philosophia, & Sacra Theologia a Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum publice quoque perlegerentur in utilitatem Studiosorum, ut peractis Studiorum curriculis ad Doctoratus Lauream provehi valerent: Dilectus Filius noster Alderanus S. R. E. Presbyter Cardinalis Cybo nuncupatus tunc temporis in illis partibus Sedis Apostolicæ Legatus probe cognitum, perspectumque habens, quantum eidem Civitati decoris, atque utilitatis accedere poterat, si instituto ibidem Studio hujusmodi, quo Parentes eorum liberos Studiorum causa alibi substentandi onere, atque impensa liberabantur, incrementum, atque norma traderentur, lecturas præfatas in aliquot mansiones remotas, nec ulli alii usui applicatas Palatii Pontificii dictæ Civitatis insimul redegit, aliasque ordinarias Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, ac aliarum scientiarum, seu facultatum, & præsertim mathematicarum disciplinarum, quæ in eadem Civitate ante hac eximie floruerunt, lectiones, seu Cathedras instituit, ut ibidem tam indigenæ, quam Exteri, tradita sibi à Domino talenta docendo exercere valerent, & Juventus ad ingenuas artes, atque scientias addiscendas, atque excolendas ardentiori stimulo incitaretur, huicque Studio nonnullos paucos redditus sub Vexilliferi pro tempore existentis, & sex Nobilium præfatæ Civitatis superintendentia assignavit, ac fel. rec. Innocentius Papa Decimus Prædecessor noster, cognita grandi utilitate, quæ inde resultabat in favorem ejusdem Studii, quædam bona stabilia, duorum Conventuum suppressorum Congregationis Monacorum Cælestinorum, & Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis respective concessit; Et subinde recol. me. Alexander Papa Septimus etiam Prædecessor noster publici pariter commodi consideratione adductus, proventum annuum Sphæristerii, qui prius ad existentem pro tempore in eisdem partibus Sedis præfatæ Legatum spectabat, eidem Studio applicavit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, emolumenta quidem ex præmissis provenientia stipendiis, quæ Lectoribus dicti Studii annuatim præstantur, sufficiant; si vero Studium hujusmodi in Universitatem Studii generalis cum privilegiis, & indultis ad instar illorum, quæ a piæ mem. Clemente Papa Octavo Prædecessore pariter nostro Universitati Studii generalis Civitatis nostræ, tunc suæ, Ferrariensis concessa fuerunt, erigeretur, & institueretur, inde numerus Studiosorum tam Provincialium, quam Exterorum ibidem excresceret, & non solum dictæ Civitatis Urbinatensis, quæ a mari remota commercio non admodum floret, sed victualibus abundat, & quieti, quam literarum studia desiderant, colendæ peropportuna existit, decori, & ornamento, sed etiam illius civium, & incolarum compendio, utilitati, & levamento magnopere consuleretur. Cumque dicti Exponentes hujusmodi erectionis, & institutionis gratia procuraverint, ut idem Studium, ac memoratum Doctorum Collegium, quod antehac à dicto Studio divisum fuit, & (ut asseritur) vigore quarumdam similis rec. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri literarum per similis memoriæ Urbanum Papam Octavum Predecessorem pariter nostrum confirmatarum facultate conferendi lauream doctoralem in quibuscumque facultatibus, ac creandi Equites, & legitimandi Spurios fruitur; nec non ex privilegio per piæ pariter memoriæ Julium Papam Secundum, & dictum Pium Prædecessores concesso de causis appellationum in secunda, & tertia instantia tam civilibus, quam criminalibus, Ecclesiasticis, & prophanis in illo Statu, & Provincia cognoscit, firma, stabilique unione inter se conjungerentur; Nobis propterea ipsi Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis, opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ad constantis fidei, & sinceræ devotionis affectum, quem dicti Exponentes erga Nos, & Sedem præfatam gerere comprobantur, paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio à similis rec. me. Clemente Papa IX. Prædecessore pariter nostro deputatorum consilio, in præfata Civitate Urbinaten. ex Collegio Doctorum, & Studio hujusmodi, sicut præmittitur, inter se unitis, & conjunctis, unam Universitatem Studii generalis, in qua Sacra Theologia, Jus Canonicum, & Leges Civiles, philosophia, mathematicæ, aliæque ingenuæ disciplinæ, scientiæ, & artes publice doceantur, & prælegantur, & qui peracto studiorum curriculo habiles, & idonei reperti fuerint, ad Bacchalaureatus etiam formati, ac Magisterii & Doctoratus, aliosque gradus scholasticos, servata tamen in omnibus forma, & dispositione Viennen. & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promoveri libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, prout in aliis Studiorum generalium Universitatibus per Sedem Apostolicam præfatam erectis fieri solet, auctoritate Apostolica tenore præsentium, sine alicujus præjudicio, perpetuo erigimus, & instituimus, ac ipsi Universitati Studii generalis sic erectæ, & institutæ, ejusque Rectoribus, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, & Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque Personis quibuscumque pro tempore existen. ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, prærogativis, præeminentiis & gratiis quibuscumque, quæ tam per præfatum Clementem VIII. quam alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros præfatæ Universitati Studii generalis Ferrarien. ejusque Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis respective etiam per viam communicationis, & alias quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere pariter, & licite valeant, sine

Hinc ex utroque a Pontifice erigi ut Universitas Generalis, cui conceduntur privilegia Universitatis Ferrarien.

ullo

ullo tamen præjudicio exactionum Cameralium, circa quas nihil innovatum sit, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium erectionum, & gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriore data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda de novo concessa intelligi, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, & in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictæ Civitatis Urbinaten., aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscumque personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Aprilis MDCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Confirmatio relatarum constitutionum.

§. 17. Nos igitur attendentes firmiora esse ea, quibus Sedis prædictæ sæpius intercedit auctoritas, ac Universitatem Studii generalis, & Collegium Doctorum præmemorata specialibus favoribus, & gratiis prosequi, & ornare volentes, motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, præinsertas Julii II., Pii IV., Urbani VIII., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum literas, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, ac irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & munimen adjicimus; quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus omnia, & singula in eisdem literis contenta denuo statuimus, sancimus, & ordinamus, ac ab omnibus & quibuscumque etiam speciali, ac individua nota dignis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, exacte, inconcusse, ac inviolabiliter perpetuo observari volumus, decernimus, & mandamus.

Declaratio 1. In causis ad Collegium spectantibus appellari non posse *hoc omisso medio*.

§. 18. Præterea ad tollendas controversias pluries obortas, & in Romana Curia agitatas circa interpretationem prædictarum literarum Urbani VIII. Prædecessoris, in quibus decernitur, quod in causis appellationum tam Ecclesiasticis, quam Laicalibus, ad memoratum Collegium spectantibus appellari non possit, *omisso medio*, & si appellari contigerit, nullus Judex se ingerere debeat, nisi in vim specialis commissionis Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatæ; declaramus, & Apostolica auctoritate, quatenus opus sit, denuo sancimus, decernimus, ac ordinamus, omnes, & quascumque causas appellationum interpositarum a sententiis, seu decretis latis a quibuscumque Judicibus tam Ecclesiasticis, quam Laicalibus omnium, & quarumcumque Civitatum, Terrarum, & locorum Ducatus, & Legationis Urbinaten. (exceptis tamen beneficialibus, ac iis, quæ juxta Tridentini Concilii dispositionem vel alias de jure sunt inappellabiles, ac iis insuper exceptis, quæ prius in Curia Archiepiscopali Urbinaten., vel ab aliis Judicibus ordinariis appellationum in locis, ubi existunt, ut præfertur, judicandæ erunt) in secundis, seu tertiis instantiis omnino devolvi debere ad prædictum Collegium Doctorum; inhibentes, ac stricte interdicentes, ne *hoc omisso medio* appellari possit ad pro tempore existentem Urbini Legatum, seu Vicelegatum, nec etiam ad Auditoris Cameræ nostræ Apostolicæ, vel quodcumque aliud quantumlibet privilegiatum, ac speciali mentione dignum Romanæ Curiæ Tribunal, aut Judicem, & si appellari contigerit, nullus Judex in ejusmodi causis se ingerere possit, nisi vigore specialis commissionis, quæ nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis manu signata fuerit; Quod si absque hujusmodi commissione se ingerere præsumpserit, omnia ab eo gesta, & decreta, attentata, nulla, ac irrita sint eo ipso; quin etiam eidem Collegio, ut quacumque inhibitione non obstante, & absque alicujus pœnæ incursu, ad ulteriora in similibus causis procedere, ac ubi opus fuerit, inhibere, easque a quocumque Judice, & Tribunali reassumere, cognoscere, & prout juris esse censuerit, fine debito terminare libere, ac licite possit, & valeat, simili auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, ac indulgemus.

Declaratio 2. Loca, quæ Ducatui Urbini subjecta erant, dum a Sixto V. Rota Maceraten. erecta fuit sub ejusdem dispositione non comprehendi.

§. 19. Ad hæc aliam similiter controversiam non semel excitatam, an oppida, & loca, quæ dum fel. pariter rec. Sixtus V. Prædecessor noster Tribunal Audientiæ Causarum Provinciæ Marchiæ, Rotam nuncupatam, in Civitate nostra, tunc sua, Maceratensi per literas anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo Idibus Martii sub plumbo expeditas, instituit, ac erexit, Ducatui Urbini subjecta erant, sub earum literarum dispositione comprehenderentur, e medio tollere, ac penitus dirimere cupientes, & declarationibus alias, ac nuper, nempe diebus 23. Septembris, & 7. Octobris anno millesimo septingentesimo duodecimo per Dilectum Filium nostrum Petrum Marcellinum Tit. Sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyterum S. R. E. Cardinalem Corradinum nuncupatum tunc Pro-Auditorem nostrum, factis inhærentes,

Civitates, Oppida, & Loca omnia, quæ Ducatui Urbini tempore, quo præfatæ Sixti Prædecessoris literæ emanarunt, subjecta erant, sub earumdem literarum dispositione non comprehendi, nec ullo modo comprehensa censeri; ac ita a quibuscumque Judicibus perpetuo judicari, ac definiri debere, statuimus, decernimus, & declaramus.

Declaratio 3. omnes subditos non alibi quam in Universitate Urbinaten. posse Lauream Doctoralem accipere.

§. 20. Demum, cum sicut accepimus, tametsi pluribus Edictis, quorum primum a præfato Guidobaldo secundo Urbini Duce die 17. mensis Augusti anno 1565. alia vero recentiora a diversis ejusdem Civitatis pro tempore Legatis, & Vice-Legatis promulgata fuerunt, salubriter cautum, ac expresse vetitum fuerit, ne Subditi ejusdem Ducatus, & Legationis alibi, quam in memorato Urbinatensi Doctorum Collegio Lauream, & Gradum Doctoratus accipiant, & qui secus fecerint, ab omnibus, & quibuscumque publicis in ea Provincia muneribus, ac officiis excludantur, nec ibidem Doctoris professionem exercere umquam possint; Nihilominus ejusmodi Edictorum dispositione posthabita, quamplures Subditi ad publica munera, & Doctoratus exercitium ibidem passim admittantur, licet Doctoratus insignia in prædicto Collegio minime susceperint; Nos proinde eorumdem Edictorum executioni, ac ipsius Collegii decori, utilitati, & incremento, quantum cum Domino possumus, opportune consulere cupientes, quemadmodum illustre cæteris omnibus exemplum præbere curavimus, dum anteactis annis duos ex germano Fratre secundum carnem Nepotes nostros, nimirum Dilectum Filium nostrum Annibalem, modo S. Mariæ in Cosmedin Diaconum S. R. E. Cardinalem, & Camerarium Albanum nuncupatum, & Dilectum pariter Filium Magistrum Alexandrum Albanum in utraque Signatura nostra nunc Referendarium, & Cameræ nostræ Apostolicæ Clericum, quamvis literarum studiis in hac Alma Urbe nostra operam navassent, non alibi tamen, quam Urbini in præfato Collegio eos Doctoratus laurea insigniri voluimus; ita nunc tenore præsentium Apostolica authoritate decernimus, præcipimus, & mandamus, ut in posterum, atque perpetuis futuris temporibus Subditi prædictæ Legationis, qui peracto studiorum curriculo, Doctorali Laurea ornari voluerint, eam in memorato Collegio omnino recipere teneantur, & qui alibi ipsam receperint, ad exercenda publice munera, & Officia, atque etiam ad gerendum quarumvis causarum in quocumque foro patrocinium in omnibus ejusdem Legationis locis prorsus inhabiles, & incapaces sint, ac esse intelligantur, nec illos a quoquam ad id, præterquam a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore existente habilitari, neque cum ipsis super hujusmodi defectu dispensari unquam posse motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus statuimus, decernimus, & declaramus.

A Card. Annibale Albano, & R. P. D. Alexandro Albano, Clementis XI. Nepotibus ad exemplum cæterorum in d. Universitate Doctoralis gradus susceptus fuit.

Clausulæ amplissimæ.

§. 21. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod interesse in præmissis habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, & dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab iis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque authoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio amplissima quibuscumque contrariis.

§. 22. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, & quibuslibet Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, quibus omnibus, & singulis quoad ea, quæ præsentibus adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 23. Cæterum volumus, quod earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum Confirmationis, approbationis, declarationis, mandati, ordinationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo primo, Decimoquarto Kal. Aprilis Pontificatus nostri Anno Vigesimo Primo.

Finis Pontificatus Clementis XI.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Tomo XII. continentur, Alphabetico ordine digestus.

COMMISSARIUS APOSTOLICUS.

COMMUNIO GENERALIS.

COMPUTISTARIÆ LOCORUM MONTIUM.

CONCLAVISTÆ.

CONCEPTIO B. M. V.

CONFESSARIUS.

CONFIRMATIO APOSTOLICA.

CONFRATERNITAS, ET CONFRATRES.

CONGREGATIONES REGULARIUM.

dimittit,

CONSTITUTIONES ORDINUM REGULARIUM, SEU STATUTA UNIVERSITATUM CONFIRMATÆ.

CONVENTUS.

CRUCIGERI CUM RUBEA STELLA.

D.

DAPIFERI.

DECRETUM.

DECRETUM IN GENERE.

DECRETA CONGREGATIONIS CONCILII.

DECRETA CONGREGATIONIS AVENIONENSIS.

DECRETA CONGREGATIONUM S. R. E. CARDINALIUM.

DECRETA ORDINUM REGULARIUM.

DECRETA CONGREGATIONIS EPISC. ET REG.

DECRETA CONGREGATIONIS INQUISITIONIS.

DECRETUM CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

DECRETA CONGREGATIONIS RITUUM.

DECRETUM CONGREGATIONIS VISITATIONIS.

DECRETA SEU VOTA CONGREGATIONUM PARTICULARIUM.

DECRETA CONGREGATIONUM PARTICULARIUM.

DECRETA S.R.E. CARDINALIUM.

DECRETA, SEU LITERÆ ALIQUID DECERNENTES ORDINUM REGULARIUM.

DECRETUM CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM.

DECRETA REGULARIUM.

DEROGATIO.

DIOECESIS.

DOCTRINA CHRISTIANA.

S. DOMUS LAURETANA.

E.

EBREDUNENSIS EPISCOPUS.

ECCLESIA CATHEDRALIS.

COSTITUZIONI VALL' OMBROSANE.

PRÆMONSTRATENSES.

PRECES PRIMARIÆ.

PRESBYTERI CONGREGATIONIS MISSIONIS.

PRESBYTERI SÆCULARES.

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU.

PRIVILEGIA.

PROCESSIONES.

PROFESSIO REGULARIS.

PROPAGANDA FIDE.

PROPOSITIONES.

PROVINCIA.

PROVINCIÆ REGULARIUM.

PROVOCATIO.

Q.

QUÆSTIO.

R.

REGULARES.

REGULÆ CANCELLARIÆ.

REX GALLIARUM.

REX PORTUGALLIÆ.

REX ROMANORUM.

ROMANUS PONTIFEX.

S.

SABAUDIA.

SABBATUM SANCTUM.

B. SANCIA.

SANCTA SANCTORUM.

SEBASTENUS ARCHIEPISCOPUS.


SEMINARIUM.

SERVI B. MARIÆ VIRGINIS.

SILVESTRINI.

SOCIETAS JESU.

Finis Indicis Rerum Notabilium.



INDEX
VERBORUM,

Quæ in præcedenti Indice Alphabetico continentur.

Finis Indicis Verborum.